
RERVM
ITALICARVM
SCRIPTOR
TOM·II·
P·II·



RERUM ITALICARUM
SCRIPTORES
TOMI SECUNDI PARS ALTERA.

RERUM ITALICARUM SCRIPTORES

AB ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ QUINGENTESIMO
AD MILLESIMUMQUINGENTESIMUM,

QUORUM POTISSIMA PARS NUNC PRIMUM IN LUCEM PRODIT

EX AMBROSIANÆ, ESTENSIS,
ALIARUMQUE INSIGNIUM
BIBLIOTHECARUM CODICIBUS.

LUDOVICUS ANTONIUS
MURATORIUS
SERENISSIMI DUCIS MUTINÆ BIBLIOTHECÆ PRÆFECTUS

Collegit, ordinavit, & Præfationibus auxit,

NONNULLOS IPSE, ALIOS VERO

MEDIOLANENSES PALATINI SOCII

Ad MStorum Codicum fidem exactos, summoque labore, ac diligentia castigatos, variis Lectionibus, & Notis tam editis veterum Eruditorum, quàm novissimis auxere.

ADDITIS

Ad plenius Operis, & universæ Italicæ Historiæ ornamentum, novis Tabulis Geographicis, & variis Langobardorum Regum, Imperatorum, aliorumque Principum Diplomatibus, quæ ab ipsis autographis describere licuit, vel nunc primùm vulgatis, vel emendatis, necnon antiquo Characterum specimine, & Figuris Æneis.

CUM INDICE LOCUPLETISSIMO.

TOMI II. PARS ALTERA.



Hieronymus Rossi sculp.

MEDIOLANI, MDCCXXVI.

EX TYPOGRAPHIA SOCIETATIS PALATINÆ
IN REGIA CURIA.

SUPERIORUM FACULTATE.

PHILIPPUS ARGELATUS BONONIENSIS
LECTORI HUMANISSIMO
S. P. D.

VUlgaturus biennio ante Collectionis hujus Tomi I. partem alteram nonnulla præfabar, quibus Te Lector humanissime monitum volui, ne Clarissimum *Muratorium*, vel me, Palatinosque meos post impressum Rerum Italicarum Tomum VII. partem eam edentes oscitantiæ accusares; quasi è memoria manibusque decidissent ea, quæ tunc temporis extra chorum edidimus. Necessitati parendum fuit: non omnia enim, ut vulgari fertur adagio, una dat ætas; quæque olim petentibus nobis negata sunt, facilè deinde impetravimus, cùm aptam Scriptoribus iis in editione nostra sedem alii occupaverant. Parvi tum fecimus & nos quoque tardam nimis prosperam licèt fortunam, sed postquam commodam, ni fallor, additamenti rationem operis invenimus, ne minimum quidem novis opibus pretium à mora detractum cognovimus. Cui namque inconcinnum vel grave fuerit ex præposteris partibus perpetuam integramque seriem ordinare? præsertim cùm prætermissorum fasciculos addere turpius im-

posterum fuisset, vel omnino perdere turpissimum. Hæc in memoriam revoces velim dum Tomi II. partem alteram accipis. Sed quorsum (nescio quis reponit) tanta Italicarum rerum farrago, totque de uno argumento Scriptores? qui si novi semper ad priores accedant, singulisque Tomis alter accrescat, pro simplo duplum brevi opus efficietur. Ego contra id mihi votis omnibus factum velim: in eximiam namque Clarissimi Muratorii laudem cessurum non dubito quod ille ob copiam rerum vitio nunc vertit, cùm posteri nihil sibi sublatum injuria temporum dolebunt. Præterea quis umquam cavillosus licèt criminetur hominem, qui designatum sibi stadium valido cursu sit emensus? Auctores omnes rerum nostratium ab anno Æræ Christianæ D. ad MD. colligendos sibi præposuit Muratorius noster, cùmque in dies MSS. Codices ad nos deferantur, locus etiam iis non sinè injuria negandus. Quod si cuiquam de iisdem temporibus, iisdemque rebus commune pluribus ingratum fuerit argumentum, illi malè quidem sapit palatum, nec umquam novit, quæ sit in percurrendis de una re variis Historicorum scriptis utilitas ad veram exactamque notitiam enucleandam, eumque ad doctissimam ejusdem Muratorii præfationem remittimus. Hæc sanè plusquam tecum oportuerat, Erudite Lector;

ctor; sed ad comprimendam blateronum garrulitatem necessaria: quibus tandem hoc unum addam: amantibus hæc non fastidientibus fuisse præparata.

Nunc tecum res est. Opportunum gratissimumque Tibi supplementum hoc, ni fallor, accipies; cùm noveris ea, quæ in hoc Tomo continentur, antiquitate, ac Literatorum Virorum commendatione præstantia.

Ermoldi Nigelli Abbatis Carmen Elegiacum de rebus Ludovici Pii Augusti librum aperit, quod ex Cæsarea Vindobonensi Bibliotheca cum ceteris optimæ notæ veterum scriptis in vulgus emittendum selegerat illustris memoriæ Vir *Joannes Benedictus Gentilottus* olim Cæsareæ Bibliothecæ Præfectus, mox in Sacræ Romanæ Rotæ Auditorium cooptatus, & postremò Episcopus & Princeps Tridentinus, cui vivo immatura mors bonorum omnium dolore laudem hanc invidit, mortuo nos debitam concedimus, ejusque in partem venisse profitemur Illustrissimum Virum *Pium Nicolaum Garellium* Equitem Ordinis Christi Consiliarium atque Archiatrum Augustissimi CÆSARIS eidemque Bibliothecæ curandæ Gentilotto subrogatum: is enim ad promerendum officium in amicum olim optimum, & in Palatinos instantes expeditus, donum à Munificentissimo CÆSARE impetravit,

da-

datisque ad Muratorium doctissimis literis eruditione sua plurimum ornavit: Delatum ad se Codicem postremus hic notis illustravit; itaque factum est, ut Nigello sors optima obvenerit, qui CÆSARIS in aula vitæ, ac nominis præsidium perpetuò nactus, tandem decora facie splendidoque ornatu, ut aulicum decet, in scœnam prodit, Sacroque CÆSARIS nomine insignis, ac trium illustrium virorum judicio probatus numerum auget.

Parem in Lambecianos Annales curam Gentilottus adhibuit, quos hîc ejus ope auctos recudimus ex eadem Cæsarea Bibliotheca depromptos, eorumque pretium cùm nemo sit, qui non noverit, Literatorum omnium gratiam plurimam ex inedito adhuc supplemento captaturos nos esse confidimus. Grates quinimmo Sacratissimo Principi reddendæ, qui literarum thesauros omnes in Cæsareis ædibus servatos amore paterno nobis & reliquis omnibus antiquitatum studiosis communicavit.

Ne singula recenseam Anonymi Salernitani paralipomena magni quisque faciet, qui priores ejus Auctoris libros jamdiu editos evolverit, uti & eorum emendationes ex Vaticano Codice, quas in commune commodum procudimus, minimè veriti secundas curas in emendando Auctore adhibuisse, qui solus fortasse obscuriorum tempo-

rum

rum monumenta tradidit, nobisque servavit.

Triplex itidem Chronicon ex Benedictina Familia petitum prælo subegimus. Farfense unum fama notissimum paucisque hactenus lectum, Novaliciense alterum, & postremum Casauriense; utrumque à celebratissimo Du-Chesnio in suam Rerum Francicarum editionem collatum non sinè maximo Historiæ lucro, cui lucem illatura esse credimus ea, quæ nunc primùm ex Malaspineo, & Regio Parisiensi Codice petivimus, & Du-Chesnius tamquam instituto suo minùs convenientia prætermiserat.

Hæc si Tibi accepta sint, Lector humanissime, auctæ duobus hucusque in locis editionis nostræ necessitatem æquo animo patiare, id namque præ oculis habuimus, ne vetustum quodcumque Italicarum rerum monumentum, quanti in nobis est, aliunde sit Tibi petendum, nostrisque laboribus fave. Si quid præterea in manus incidat judicio Tuo probatum, nobis & Literatis omnibus Viris communica, & Vale.

Dabam Mediolani III. Kalendas Januarias MDCCXXVI.

datisque ad Muratorium doctissimis literis eruditione sua plurimùm ornavit: Delatum ad se Codicem postremus hic notis illustravit; itaque factum est, ut Nigello sors optima obvenerit, qui CÆSARIS in aula vitæ, ac nominis præsidium perpetuò nactus, tandem decora facie splendidoque ornatu, ut aulicum decet, in scœnam prodit, Sacroque CÆSARIS nomine insignis, ac trium illustrium virorum judicio probatus numerum auget.

Parem in Lambecianos Annales curam Gentilottus adhibuit, quos hîc ejus ope auctos recudimus ex eadem Cæsarea Bibliotheca depromptos, eorumque pretium cùm nemo sit, qui non noverit, Literatorum omnium gratiam plurimam ex inedito adhuc supplemento captaturos nos esse confidimus. Grates quinimmo Sacratissimo Principi reddendæ, qui literarum thesauros omnes in Cæsareis ædibus servatos amore paterno nobis & reliquis omnibus antiquitatum studiosis communicavit.

Ne singula recenseam Anonymi Salernitani paralipomena magni quisque faciet, qui priores ejus Auctoris libros jamdiu editos evolverit, uti & eorum emendationes ex Vaticano Codice, quas in commune commodum procudimus, minimè veriti secundas curas in emendando Auctore adhibuisse, qui solus fortasse obscuriorum tempo-

rum

rum monumenta tradidit, nobisque servavit.

Triplex itidem Chronicon ex Benedictina Familia petitum prælo subegimus. Farfense unum fama notissimum paucisque hactenus lectum, Novaliciense alterum, & postremum Casauriense; utrumque à celebratissimo Du-Chesnio in suam Rerum Francicarum editionem collatum non sinè maximo Historiæ lucro, cui lucem illatura esse credimus ea, quæ nunc primùm ex Malaspineo, & Regio Parisiensi Codice petivimus, & Du-Chesnius tamquam instituto suo minùs convenientia prætermiserat.

Hæc si Tibi accepta sint, Lector humanissime, auctæ duobus hucusque in locis editionis nostræ necessitatem æquo animo patiare, id namque præ oculis habuimus, ne vetustum quodcumque Italicarum rerum monumentum, quanti in nobis est, aliunde sit Tibi petendum, nostrisque laboribus fave. Si quid præterea in manus incidat judicio Tuo probatum, nobis & Literatis omnibus Viris communica, & Vale.

Dabam Mediolani III. Kalendas Januarias MDCCXXVI.

ELENCHUS
TOMI II. PARTIS ALTERIUS.

KA-

ERMOLDI NIGELLI

ABBATIS, ut videtur, ANIANENSIS,

E T

AUCTORIS SYNCHRONI,

DE REBUS GESTIS

LUDOVICI PII AUGUSTI

Ab Anno DCCLXXXI. usque ad Annum DCCCXXVI.

CARMEN ELEGIACUM

Nunc primùm prodit

EX VETUSTISSIMO CODICE

CÆSAREÆ VINDOBONENSIS BIBLIOTHECÆ.

ACCEDUNT NOTÆ

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

IN ERMOLDI NIGELLI CARMEN DE REBUS GESTIS LUDOVICI PII AUGUSTI

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

PEtrus Lambecius, Caesareae Vindobonensi Bibliothecae olim Praefectus; Vir magni nominis, & de Literaria Republica suis Libris optime meritus, & potissimum quod Commentariis suis ejusdem Bibliothecae thesauros, Augustissimo olim LEOPOLDO Romanorum Imperatore jubente, in omnium utilitatem exposuerit; Lambecius, inquam, is fuit, qui primus *Ermoldi Nigelli*, ejusque Poëmatis nunc edendi justam aliquam Erudito orbi notionem dedit. Nam quod Marquardus Freherus aliquot ex ejus versibus antea prodidisset, atque ignotum plane Scriptorem aliqua ex parte detexisset, adeo tamen jejune de eo loquutus est, ut nullum apud Literatos Viros reliquerit hominis ac Poëmatis desiderium. Ad haec *Gerardus Johannes Vossius* ante Lambecium Auctoris hujus mentionem injecerat Lib. 3. Cap IV. de Historicis Latinis, sed fugientis ad instar; agens enim de *Ermenoldo*, sive *Ermenrico* Diacono & Monacho, qui Vitam Sancti Soli Abbatis circiter Annum 840. literis consignavit, editam a Canisio, ac subinde a Mabillonio, haec habet: *Si idem Hermenricus & Ermenoldus: idem quoque fuerit Ermoldus is, qui elegiaco Carmine cecinit Panegyricum Ludovici Pii*. Quamobrem Vossius Ermoldum nostrum, quippe sibi vix de nomine notum, ne intulit quidem in censum Historicorum: quod certe in posterum non erit omittendum. Verum Lambecius Commentar. Lib. II Cap. V. num. 25 pag. 395. de eo sermonem ex professo instituit, describens MStum Codicem Hist. Latin. Bibliothecae Vindobonensis CCXLIX. ubi postquam nomen, aetatem, exilium, & Poëma Ermoldi recensuit, Poëmatis etiam ipsius principium & finem speciminis loco exhibuit, integri Operis deinde edendi spe, immo sponsione adjecta. Proinde avide ab amatoribus Literarum exspectabatur, ut Lambecius evulgato tamdem Libro fidem suam liberaret: quod sane facturum illum fuisse non dubito, nisi invida mors Anno 1680. egregium & clarissimum Virum nobis eripiens, omnia quoque illius literaria consilia abrupisset. Ex his clarescere in dies magis ac magis coepit Ermoldi nomen, atque illum propterea *Guilielmus Cave* in Hist. Literar. ad Annum 834. catalogo adjunxit Scriptorum Ecclesiasticorum, *Ernoldum* pro *Ermoldo* appellans. *Johannes* quoque *Hallervordius* in Spicilegio de Historic. Latin. idem praestitit, simul memorans, quae de hujusmodi Libro pollicitus fuerat Lambecius. Neque omittendus doctissimus Vir *Daniel Nesselius*, qui in Sciagraphia magni Corporis Historici Anno 1692. Vindobonae edita, hoc ipsum Opus una cum aliis bene multis nondum vulgatis se publicis usibus benevole communicaturum pollicebatur. Haec vero addit ille de MSto Codice unico, ubi Poëma hoc delitescebat: *Scriptura Codicis perantiqua est, & ceteris temporum Imp. Caroli Magni, & Ludovici Pii Manuscriptis Codicibus simillima; ideoque affirmare ausim, hunc vel illum ipsum esse authenticum Codicem, qui Imperatori Ludovico Pio oblatus est, vel saltem eodem aevo ex illo esse descriptum. Fuit is olim, priusquam in Augustissimam Bibliothecam Caesaream translatus est, V. Cl. Wolfgangi Lazii, ut apparet non solum ex propria ipsius manu, quae nonnullis locis in margine cernitur, verum etiam ex testimonio Johannis Jacobi Frisii, quod in Bibliotheca Gesneriana ab illo auctius edita, exstat his verbis. Ermoldi Nigelli exulis ad Ludovicum*

Primum Imperatorem de rebus ab eo gestis Libri Quatuor, elegiaco Carmine conscripti, exstant *Viennae Austriae apud Wolfgangum Lazium*. Sed & Clariss. Vir, ac insigne Benedictini Ordinis decus, *Johannes Mabillonius* in Annalib. Benedictin. ut infra patebit, Ermoldi nostri mentionem fecit. Praeterea non illum tantummodo memoravit, sed ejus etiam auctoritate usus est celeberrimus Vir *Godefridus Guilielmus Leibnitius*, qui MStum Vindobonensem Codicem legerat, ut suam de *origine Francorum* sententiam confirmaret; cujus Dissertationem quum Doctissimus Vir *Johannes Georgius Eccardus* recuderet ac illustraret, in Notis & ipse animadvertit, Ermoldum adhuc luce carere, editionem vero illius sperandam fore a praestantissimo viro *Johanne Benedicto Gentilotto*, qui tunc Imperiali Bibliothecae praeerat.

Verum amplificata in hunc modum Ermoldi fama, quid aliud tamdem praestitit, nisi Eruditorum sitim accendere acrius? ac meam potissimum, ubi consilium cepi colligendae in unum Italicae Historiae, simulque depromendi quidquid hactenus ejusce argumenti temporum injurias effugerat, atque in commune bonum conquirere mihi liceret? Continuo enim obversabatur animo, quam bene huic loco sederet exoptata Ermoldi editio, quantumque Ludovici Pii gesta cum Historia nostra convenirent, quando paene universa Italia sub ejus ditione foret, immo constet, ad Italicum coelum peculiari eo titulo spectare Augustos quoslibet, quod Reges Italiae sint, ac Romanorum Imperatores, atque hinc magnificam prae ceteris appellationem ad eos deferri. Ad Curiam Romanam interea se se contulerat supra laudatus Illustrissimus *Gentilottus*, Auditoris in Rota, ut ajunt, Romana munus pro Germanica Natione obiturus, atque ad Bibliothecae Caesareae praefecturam adsumtus fuerat doctissimus ac praestantissimus Vir *Pius Nicolaus Garellius*, Eques Ordinis Christi, Consiliarius, atque Archiatrus Augustissimi Romanorum Imperatoris atque Hispaniarum Regis CAROLI VI. Illustrissimum Garellium ergo, cujus in me benevolentiam, quotiescumque res poposcit, singularem semper sensi, crebris literis adortus sum, ut humillimis precibus meis ad Clementissimi Caesaris aures deductis ita ageret, ut Hermoldus per me demum revocari posset ad vitam, neque fineret eruditam gentem diutius illius exspectatione fatigari. Et sane facilem votis meis se praebebat Augustissimi Principis ad cuncta Literarum commoda atque incrementa acclinis promtusque animus; sed quum Hermoldum Gentilottus non solum in se recepisset evulgandum, sed integrum etiam in spissos Commentarios intulisset, quos ad Caesaream Bibliothecam amplius illustrandam instruxerat, & proelo parabat, Caesar in omnia vel minima officia intentus, ita Poëma hocce mihi elargiendum statuit, dum Gentilotti quoque consensus accederet. Verum sibi praeripi Scriptoris hujus editionem minime is lubens patiebatur; & quamquam amplissimi Proceres Marchio de Rialpe, ab intimis Augusti Secretis atque Consiliis, & Hieronymus Colloredus, egregius tunc Insubrum Moderator, deinde vero ad Caesareae Aulae honores ac paullo post ad Superos translatus, pro suo erga collectionem hanc magnanimo studio caussam meam juvarent; immo Palatini ipsi Socii pari mecum zelo ducti supplicem hac ipsa de re libellum Augustissimo CAESARI per ipsum Comitem Colloredum obtulissent, excitatis etiam in eam rem officiis Illustrissimi Viri Co. Caroli Pertusati Mediolanensis Senatoris, & in Maximo Hispaniarum Consessu Regentis, non minus legum, quam eruditionis eximii cultoris; adhuc tamen in ancipiti relicta est sors Ermoldi Nigelli. Quum ecce inopinatus casus nodum hunc solvit; nam egregius vir Gentilottus, vix renuntiatus Episcopus & Princeps Tridentinus, Romae non sine omnium bonorum moerore postremo fato sublatus, Anno proxime praeterito 1725. magnum eruditionis amatoribus, sui desiderium reliquit. Tunc ergo rursus in spem erectus fore ut voti mei compos fierem, ab humanissimo Garellio petii, ut quando promissa toties Ermoldi editio, longe quam antea ex Gentilotti obitu difficilior atque remotior evasisset, ab Augustissimo Caesare, Collectionis etiam meae patrono clementissimo, ejus mihi edendi veniam denique impetraret. Quid plura? vicere preces meae, & donum Garellius impetravit: magnanimus enim IMPERATOR, ac felicitati temporum nostrorum natus, quique non tam belli quam pacis artibus gloriam sibi atque immortalitatem nominis parere numquam desinit, Ermoldum mihi dimittendum jussit, & praecipue, quum sive per Commentarios Gentilotti, sive per me Respublica Literaria Ermoldum accipiat, ad unam semper gloriosissimi Augusti CAROLI VI. liberalitatem, atque ad illius ditissimam celebremque Bibliothecam, quae una Ermoldi Poëma MStum adservat, beneficium ejusmodi sit referendum; ipsum vero beneficium eo pluris faciendum, quo citius collatum. Quid ea occasione ad

me

me perscripserit eruditissimus Caesareae Bibliothecae Praefectus Garellius, operae pretium duco, grati etiam animi gratia, heic palam facere.

„ *Pius Nicolaus Garellius*
„ *Clarissimo atque Eruditissimo Viro*
„ *D. Ludovico Antonio Muratorio*
„ *Serenissimi Mutinensium Ducis Bibliothecario*
S. P. D.

„ AEquum postulas V. Cl. ut cum pridem atque iteratis vicibus de Nigellio
„ repulsam tuleris, ex eo quod a Gentilotto suum in Catalogum esset in-
„ latus, brevique in lucem edendus speraretur, nunc ipse, qui restiterim, tuas
„ apud Caesarem Augustissimum preces reviviscere faciam. Optimo, inquam,
„ jure postulas, quando, ut fert miseranda humanarum rerum vicissitudo, tanti
„ Viri jacturam Literatorum orbis passus est, atque ea jam deciderit spe, ut sal-
„ tem tam cito exoptatis Gentilotti laboribus frui possit; nam profecto & va-
„ stum hoc Opus est, & non pauca in eo contenta, ab ipso Auctore, ut qui ad
„ sui, Caesareaeque Bibliothecae usum id confecerat, censoriam notam, si edenda
„ forent, desiderabant, ne forte teneriores quorumdam aures offenderentur. Quae
„ enim antiquorum temporum memoriam suscitant, nostra hac aetate non om-
„ nia omnibus placent. Quin immo id mihi Româ etiam per literas non semel
„ innuit, demendique ea, quae viderentur, pro sua in me humanitate, amplam
„ dederat facultatem, si editionem maturare Caesari in animo esset. Verum ut
„ id oneris meo, ut ita dicam, periculo in me susciperem, vivente praesertim
„ Auctore, multa eademque gravissima argumenta dissuadebant, quae & divi-
„ nare facile potes, & prolixius heic obtrudere minime necessarium. Accedunt
„ gravissimae, quibus assidue distineor, curae; alienus praeterea ab odiosis ani-
„ mus, atque tranquillitatis amantissimus: quotidie enim versantur ob oculos
„ praeclarissimorum Virorum fata, qui in edendis aliorum Operibus iniquum
„ sane morosorum judicium experti sunt: neque nostris, qui a Bibliotheca sunt,
„ tantum otii nunc suppetit, neque si suppeteret, tam brevi tamque temere id
„ effici posset, si hanc eis velim demandare provinciam.
„ Habes, Vir ornatissime, εἰς ἐν ταρόδῳ, quae Gentilottiani Operis editionem mo-
„ rari, mortuo praesertim Auctore, quadamtenus valebunt. Verumtamen ea
„ sum sententia, ut quidquid vel ad antiquitatem illustrandam, vel ad levandam
„ studiosorum curiositatem faciat, id nullo pacto in Bibliothecis perpetuo ita
„ adservari velim, ut blattis tineisque annosae suppetant epulae; sed in lucem
„ omnium utilitati proferri, quanta potero accuratione & diligentia studebo,
„ satagamque, ut quod promovendo ampliandoque Literatorum commodo a vi-
„ ribus ingenii deest, promta saltem & ingenua voluntate pensetur. Ita semper
„ fui animatus, neque posthac, ubi usus venerit, ultro suadere desistam, prae-
„ sertim quum hujus instituti adeo fautorem, quinimmo dicam auctorem, ipsum
„ Augustissimum Clementissimumque Dominum meum quotidie experiar, ut num-
„ quam vota, precesque meas, quae rei literariae augmentum respiciant, inanes
„ ab ejus munificentia cecidisse viderim. Quorsum isthaec, inquies, quasi quis-
„ quam tam coecutiat, ut de Maximi Principis erga Literas largitate dubitet,
„ ubi tot monumenta eximiae hujus gloriae supersunt? Non alia de causa, quam
„ ut me (fateor enim) expurgem, si forsan morositatis incusaveris, quod man-
„ datis antehac tuis obsequi iterato renuerim; modeste namque nec sine discri-
„ mine Caesaris liberalitate uti in more habeo: modo autem, quando tempus
„ ratioque suadebant, acceptis literis tuis, illico Caesarem adii, exposui, & ex-
„ posuisse exorare fuit. Quî enim tibi optimo Viro, tamque bene de re Litera-
„ ria merito, id umquam abnueret, quod nulla causa prohiberet?
„ Habeas igitur Nigellianorum Carminum exemplum, optima fide exscriptum,
„ diligenterque collatum, eodemque interea priscarum Historiarum cupidi instar
„ arrhae tui gratia recepto, de ceteris Augustae Bibliothecae monumentis spem
„ concipiant, vetusque adeo de hoc Scriptore desiderium solentur. Hac tamen
„ id tibi lege praestatur, ut nihil de Gentilotti nostri lucubrationibus intercidat;
„ sed quod ipse huic Opellae praeposuerat judicium, ea religione, qua ex Au-
„ gusta Bibliotheca Commentariisque Gentilottianis emittimus, purum putum
„ Praefationis loco typis mandetur. Hoc enim modo per Augustissimi Caesaris
„ munificentiam nihil de Gentilotti dignitate atque gloria imminutum, factum-

„ que literariae reipublicae per me satis censeo. Codex hic olim quidem inter
„ Historicos, numero CCXLIX. situs erat; nunc autem juxta Gentilottianam re-
„ censionem inter Historicos profanos DCCCCXCII. locum obtinet.
„ Est praeterea, quod te paucis rogatum velim. Quum a *Forlosia* nostro audi-
„ verim te Francorum Annales, qui a Lambecio editi fuerant, recudere consti-
„ tuisse, e re tua fore judicarem, ut iisdem Gentilotti quoque judicium una cum
„ variantibus lectionibus adjungeres: quae omnia eo fine exscripto Nigellio adje-
„ ci; ita enim commode & tibi ipsi parces, & amicissimi amplissimique Antisti-
„ tis memoriae, mihi aeternum colendae (ne quodcumque id laboris evanescat)
„ consultum erit. Ceterum ut me ames, enixe rogo, ac si quid hoc amplius ef-
„ ficere tibi possim, jube, & vale.
„ Dabam Vindobonae a. d. XVIII. Kalend. Decembr. MDCCXXV.

Prodit ergo jam tamdem *Ermoldi Nigelli* Elegiacum Carmen *de Rebus gestis Ludovici Pii*, numquam antea editum: quo ex Opere si Collectionis meae, ac praesertim hujus Tomi, pretium maxime auctum iri dixerim, neminem fortasse contra sentientem reperiam. Sed antequam profitear quid de ipso Poëmate sentiendum sit, exigit res, ut primum proferam, quis ejus Auctor fuerit. *Ermoldum Nigellum* ille se disertis verbis appellat in Praefatione, ubi per duplicem Acrostichum in principio & fine versuum hunc nobis versum offert:

„ *Ermoldus cecinit Hludovici Caesaris arma.*

Ibi quoque altero versu alterum suum nomen prodit, inquiens:

„ *Suscipe gratanter, profert quae dona Nigellus.*

Duplex, inquam, nomen illi fuit; quod si cui placeat, alterum potius appellare agnomen, facile me consentientem habebit. Sic iis temporibus floruere *Flaccus Albinus*, quem *Alcuinum* dicimus, *Amalarius Fortunatus*, *Lupus Servatus*, *Walafridus Strabo*, *Paschasius Radbertus*, *Rabanus Maurus*, ut alios omittam, ad quorum nomina agnomen aliquod accessit. Neque me fugit, Clariss. Sirmondum in Notis ad Ennodium, & in Praefatione ad Sidonium, contendere, apud mediae aetatis homines morem obtinuisse, ut nobiles tantum pluribus nominibus uterentur, quorum postremum tantummodo proprium eorum nomen foret; quae vero praecederent, adscititia, ac veluti praenomina essent. Sed quod ille de Ennodii ac Sidonii temporibus recte pro suo more animadvertit, vereor, ne haec ad tempora Caroli Magni aptari possint; verique videtur similius, *Albinum*, *Strabonem*, *Servatum*, *Maurum*, *Nigellum*, aliaque ejusmodi, agnomina fuisse addita post proprium nomen. Sed progrediamur. Non solum ipsi Ludovico Pio, cujus gesta canit, Ermoldum fuisse synchronum liquet, sed ipsum etiam Augusti illius jussu propter aliquod crimen in rem politicam exilio fuisse mulctatum. Locus exilii *Argentoratum* fuit, *Strazburc* Poëtae appellatum, quod nomen adhuc apud Germanos retinet. Ut autem iratum Caesarem placaret Ermoldus, ejus laudes Carmine isto canendas, egregiaque illius gesta narranda suscepit, idemtidem misericordiam pii Principis implorans, & exilii finem deprecans. Praecipue vero in calce Carminis ait:

„ *Hoc tibi, Caesar, opus stolida crocitante cicuta,*
„ *Porrigit Ermoldus, exul, egenus, inops.*

Christum deinde rogat, ut Ludovicum ad propius cognoscendam, pensandamque ejus causam inducat, haec subdens:

„ *Veridicis poteris forsan cognoscere verbis,*
„ *Criminis objecti me minus esse reum.*
„ *Non tamen excuso me illius, crede, reatus,*
„ *Infelix quo sum trusus in exilium.*

Sed quis iste *Ermoldus Nigellus* fuerit, nusquam legitur, adeoque ad eum dignoscendum, reliquum est, ut conjecturis tantum agamus. In Vita Ludovici Pii ab Astronomo scripta ad Annum 834. haec leguntur: *Mandavit* (Imperator) *filio Pippino per Ermoldum Abbatem, res Ecclesiasticas, quae in Regno ejus erant, quas vel ipse suis attribuerat, vel ipsi sibi praeripuerant, absque cunctatione Ecclesiis restitueret*. Ad haec respiciens Clarissimus Mabillonius in Annalib. Benedictinis ad Annum Christi 818. ubi de Nantuacensibus Abbatibus agit, profert, *Ermoldum Abbatem Nantuacensem*, qui Anno 833. florebat. Tum haec subdit: *Forte hic est Ermoldus Abbas, per quem Ludovicus Augustus Anno sequenti, idest tricesimo quarto, mandavit filio suo Pippino, ut res Ecclesiasticas* &c. *restitueret*. Tum idem ipse Mabillonius in aliam sententiam, & quidem justiore titulo, declinare visus est ad Annum 834. haec scribens: *Quis*

sit

sit ille Ermoldus Abbas ad Pippinum missus, haud satis compertum, nisi ille sit Ermenaldus Abbas Anianensis, qui Anno sequenti privilegium a Ludovico Imperatore obtinuit. Neque vero hunc esse existimem Ermoldum Nigellum, in exilium a Ludovico ipso ablegatum, qui Carmen de ejus laudibus, quatuor Libris composuit, a Lambecio editis Tom. II. Bibliotb. Caesar. Mabillonium heic consueta sua diligentia defecit; neque enim usquam Libros illos Lambecius evulgavit, sed principium tantummodo & finem. Ille vero dicere pergit: *Erat is sine dubio Lotharianarum partium fautor, atque ideo in exilium & in carcerem actus: at quamvis in libertatem assertus fuerit, haud veri videtur simile, eum ipsum postea Legati honore a Ludovico affectum fuisse.* Haec Mabillonius, quem divinare volentem, & divinationi suae aperte adversantem, ego nihilominus in verum impegisse conjicio, ne dicam persuasum habeo. Rem intime perscrutemur, quando sub oculis nostris integrum est Hermoldi Poëma, quo Mabillonius ad rectum judicium ferendum carebat.

Fuisse *Hermoldum Nigellum* Monachum Benedictino instituto addictum, continuo intelligat quicumque ejus Carmen legat; neque enim ibi ullus praetermittitur locus, quo Poëtae calamus in Benedictini Ordinis, ejusque Abbatum, Monasteriorum, & Regulae laudes non excurrat; ut mittam Ecclesiasticam illius eruditionem, quae hominem minime Laicum prodit, & quae iis temporibus in Monachis saepius quam in Secularibus Clericis spectari consuevit; *Abbatem* quoque fuisse, ea indicant, ni fallor, quae is habet Lib. IV. ubi expeditionem adversus Britannos rebelles Anno 824. enarrat. Inquit enim:

„ *Huc egomet scutum humeris, ensemque revinctum*
„ *Gessi, sed nemo me feriente dolet.*
„ *Pippin hoc aspiciens risit, miratur, & infit:*
„ *Cede armis, Frater: litteram amato magis.*

Ex his primo confirmatur, Ermoldum nostrum Monasticam vitam fuisse professum; non alia quippe de causa Pippinus Rex eum intuens in risum erupit, nisi quia armis accinctum cernebat hominem, a militari professione adeo alienum, & arma Monasticae vesti tam male aptata. Proinde eum ridendo hortatus est, ut a militia abscederet, & literarum studiis, quod Monachum decebat, eique in more erat, vacaret. Praeterea illum *Fratrem* appellavit: istud vero nomen, a quo nunc Monachi tantopere abhorrent, & Religiosis dumtaxat Mendicantibus servatum volunt, olim Monachos potissimum designabat, uti eorum temporum monumenta evincunt, immo hoc ipsum Poëma non uno in loco fidem facit. Secundo hinc elucere etiam potest, Ermoldum alicui Monasterio *Abbatis* titulo praefuisse. Pluribus ostendit Doctissimus Thomassinius Part. III. Lib. I. Cap. XL. de Benefic. regnante Carolo Magno, ejusque successoribus, consuevisse tum Episcopos, tum Abbates ad militiam & ipsos accedere, suosque milites in Regis servitium ducere. Erat id munus Abbatum, non Monachorum. Et quamquam Carolus Magnus, aliique Francorum Reges ab hujusmodi onere Ecclesiasticos interdum Proceres absolverint, uti in eorum Capitularibus legitur; & quamvis Monasteria forent, quae a suppeditandis Regi militaribus copiis immunia haberentur; attamen ubi gravissima publicae rei necessitas exigebat, quivis Episcopi & Abbates ad expeditiones militares confluere, aut saltem suas turmas conferre cogebantur. Hoc autem praestitisse Hermoldum nostrum hinc discimus, qui etiam profitetur, se ab omnium sanguine abstinuisse, neque arma se detulisse in alicujus perniciem: quibus verbis militiam suam a crimine purgat, seque Irregularitatis, ut nunc dicimus, vinculum evitasse prodit.

Sunt ergo, quæ Ermoldum Abbatem Monasterii alicujus nobis exhibent. Superest nunc, ut inquiramus, cuinam ille praefuerit. Quum legerem apud Duchesnium & Baluzium in Capitulari Ludovici Pii spectante ad Annum 817. inter Monasteria, *quae dona & militiam facere debent, recenseri Monasterium Nigelli*, occurrebat mihi dubitatio, num sub *Nigelli* nomine venire potuerit Ermoldus noster agnomento *Nigellus*. Fuisse enim Monasteria, quae ab institutore suo denominationem acceperint, minime difficile erat ostendere. Sed quum Mabillonius in Annalibus contendat, Monasterium hoc ita nuncupatum, quod ad Nigellam fluvium situm esset, inde me ad alias conjecturas converti. Mea ergo si non sententia, certe conjectura bonis, ut arbitror, fundamentis innixa, est; nempe nullum alium fuisse Ermoldum nostrum, quam *Ermenaldum Abbatem Monasterii Anianensis:* quod nuper a veri similitudine abesse supra laudato Mabillonio videbatur. Quod ut ostendam, norint Lectores, *Anianense Monasterium*, cui ab Aniano amne inditum est nomen, situm ad oram maris mediterranei in Occitania, nunc *la Languedoc*,

in

in Dioecesi Montis Pessulani, Anno 822. paruisse *Trutesindo Abbati*, uti Mabillo-
nius idem palam fecit in Praefatione ad Vitam Sancti Benedicti Abbatis Ania-
nensis Secul. IV. Benedict. part. I. pag. 192. Ludovici Pii Diploma in hanc rem
ille laudat. Tum eodem monente, ad Annum 835. & 837. tria ab ipso Ludovico
Privilegia concessa fuere *Ermenaldo Abbati Anianensis Monasterii:* ita ut nihil obstet,
quo minus arbitrari possimus, post Annum 822. *Ermenaldum* hunc praeesse coe-
pisse eidem Monasterio. Porro *Ermenaldum* & *Ermoldum* idem nomen fuisse, ne
ipse quidem Mabillonius negat, quando suspicatur, uti supra adnotavi, eumdem
hunc *Ermenaldum* fuisse, atque *Ermoldus*, qui Anno 834. a Ludovico Augusto ad
Pippinum Regem missus fuit. Nam *Ermenaldus*, atque *Ermenoldus* unum nomen
erat olim; eaque de causa apud Labbeum Tom. I. Biblioth. MStorum in Histor.
Episcopor. Autissiodor. occurrit etiam *Comes pagi Autissiodorensis Ermenoldus nomine*;
& apud Bollandum ad diem VI. Januarii in Act. Sanctor. Vita *Sancti Ermenoldi*,
sive *Erminoldi*. Qua ratione etiam in antiquis Libris aeque legitur *Arnaldus* & *Ar-
noldus*, *Rainaldus* & *Rainoldus*, *Bertaldus* & *Bertholdus*, *Hunaldus* & *Hunoldus*, *Athel-
baldus* & *Adelboldus*, & cetera ejusmodi nomina. Age vero exerantur, quae me
ad suspicandum impellunt, unum eumdemque hominem fuisse *Hermenoldum Abba-
tem Anianensem*, & *Hermoldum nostrum*. Jam nomina concordare vidimus, dignita-
tem, & tempus. Nunc addo, elucere ex ipso Poëmate, Monasterium, a quo
avulsus fuerat Poëta noster, & in exilium actus, ad Aquitaniam spectasse, hoc
est ad Regnum, cui tunc Pippinus Ludovici Pii filius praeerat. Sub finem Lib. I.
haec sibi optat Ermoldus:

„ *Laetus ut exul eat Pippini in Regna potentis,*
„ *Conferat Altitonans, Caesar & ipse potens.*

Itidem antequam claudat Librum III. ita canit:

„ *Haec eadem pietas (posco & reposco fidelis)*
„ *Memet Pippino reddat opima pio.*

Viden ut Ermoldo nostro fuerit non solum sedes in Aquitanico Regno, sed etiam
apud Pippinum ibi Regem plurima gratia? Statim igitur occurrit nobis *Anianense
Monasterium* in Aquitania positum, cui tunc praefuisse Ermenoldum, sive Ermol-
dum Abbatem nuper vidimus. Accedit, quod ipsius Monasterii conditorem Be-
nedictum virum sanctitate celebrem, ibique primum Abbatem, ac postea ad Mo-
nasterium Indense translatum, & Ludovico Pio supra ceteros Monachos carum,
Ermoldus noster sub finem Libri II. pluribus commendat, pariterque in ipsius
Anianensis Cœnobii laudes excurrit. Praeterea in calce Libri III. ejusdem Sancti
Benedicti mortem refert, quae Anno 821. contigit, quinque videlicet annis, an-
tequam Hermoldus noster suum Poëma conficeret. Ibi vero ad ipsum sanctum
virum conversus haec habet:

„ *Tertius in vestro finem tenet ecce Libellus*
„ *Nomine, ut Ermoldi sis memor alme tui.*

Cur, amabo, Benedictum olim Anianensem Abbatem rogat, ut *Ermoldi sui* sit
memor, nisi quia Ermoldus in ejusdem Coenobii regimine Benedicto & ipse suc-
cesserat, ejusque fortassis etiam Discipulus fuerat? Quae omnia eo tamdem col-
lineant, ut nimium verisimili ratione ducti agnoscamus, Scriptorem nostrum
unum cum *Ermenaldo Anianense Abbate* censendum esse; eumque ipsum *Ermoldum
Abbatem* fuisse, qui a Ludovico Pio ad Pippinum filium Anno 834. legatus est
missus. Nam quod Mabillonius adversus hujusmodi opinionem objecit, nempe
verisimile nequaquam esse, à Ludovico Augusto id muneris ei commissum, qui
Lotharianarum partium pridem fuisset, nullo nititur fundamento; idque optime
sensisset egregius ille Scriptor, si ei, ut nunc nobis, totum Ermoldi Poëma le-
gere licuisset. Summe abominanda filiorum conjuratio in Ludovicum Pium ve-
luti ex ovo tamdem erupit Anno 830. Attente autem legenti Carmen Ermoldi
nostri facile constabit, illud Anno 826. confectum fuisse, & consequenter Aucto-
ris delictum atque exilium longe praecessisse funestissimam illam Francorum Tra-
goediam. Quae is narrat, in eodem Anno 826. consistunt; tum iis enarratis con-
tinuo subjungit in fine Operis:

„ *Haec quoque dum canerem, Strazburc custode tuebar,*
„ *Delicti proprii conscius atque reus.*

Ergo eodem Anno 826. is carmen suum lucubrabat. Accedit, quod Ermoldus
Lotharium, *Pippinum* Augusti filios, *Matfridum*, & *Hugonem* Comites, aliosque com-
memorat passim, laudat, eorumque benevolentiam captare nititur; qui tamen
primas egere in tot turbis contra piissimum Imperatorem excitatis. Si dum haec
scri-

scriberet Ermoldus, teterrima illa animorum commotio jam accidisset, eidemque
immixtus & ipse fuisset: ab hisce Principibus tam saepe laudandis profecto ab-
stinuisset, quandoquidem ad Ludovicum tam male ab iis habitum haec scribe-
bat, & ab ipso Ludovico poscebat criminis veniam, & libertatem pristinam.
Non est ergo miscendus Poëta noster cum gravissimis Anni 830. & subsequentium
tumultibus; atque ex alio plane crimine in exilium fuerit ille trusus ante Annum
826. Nunc vero conjectare rite possumus, eum vix post oblatum Poëma hoc
Ludovico Augusto, restitutum fuisse in gratiam Principis, ac deinde Anno 834.
ejus integritatem ac fidem adeo perspectam fuisse, ut eum Ludovicus delegerit
Legatum ad filium Pippinum. Immo quum ex hoc ipso Poëmate satis intellexe-
rimus, Ermoldum nostrum Pippino ipsi potissimum studuisse eique carum fuisse,
simul etiam ad clarius perspiciendum deducimur, quare Ludovicus Caesar ceteris
ipsum praeferens, eo uti maluerit ad significandam filio mentem suam, aptio-
remque illum censuerit, ad pertractandam cum Pippino ipso rei Ecclesiasticae
restitutionem in Aquitaniae Regno.

Atque haec sunt, quae de Auctore Carminis mihi dicenda succurrunt. Pauca
nunc de ipso Carmine addamus. Habet profecto ad ea tempora Francorum Hi-
storia probatos & fidos Scriptores. Attamen illud animadvertendum, non esse
Historicorum aut munus aut consuetudinem, minuta quaeque persequi. Idque
praesertim in oculos incurrat legentibus, magni certe faciendos, jejunos tamen,
Francorum Annales. Verum Poëtas non solum decet, sed etiam Artis suæ insti-
tutum plerumque cogit, ita rerum eventus aut veros aut fictos describere, ut
ad singularia etiam minutissima descendant. Quam legem ab Ermoldo nostro non
raro impleri videas, eaque ratione illorum temporum ritus ac mores graphice
delineari. Hinc autem Eruditionis penus habet unde augeatur, supplentibus
Poëtis ea, quae in Historiographis fere desiderantur. Exemplis parco: illa enim
per se colligere unicuique in promtu erit. Ceterum Poëma habes, rudi profecto
Minerva confectum, alicubi etiam caliginosum, atque orationibus interseptum,
quae nihil delectationis, toedii etiam aliquid interdum adferant. Et profecto
nemini ad illud accedendum, quasi ad eximium quoddam Poëticae Artis exem-
plar. Nihilo tamen secius ad institutum meum quod attinet, egregium Histori-
cum, fidum, synchronum profero; neque enim Lectores huc volo ad Poëticos
flores, sed quidem ad unam Historiae veritatem assequendam. Hanc autem lu-
culenter accipias ab Ermoldo nostro, idoneo suorum temporum teste, & in hoc
praesertim a melioribus Poëtis dissimili, quod nullas usquam fabulas narrationi
suae intermisceat. Ad haec praecipuos Palatinos, Proceresque Aulae Caesareae,
aliosque illustres viros ea tempestate florentes nobis ille commemorat, si Walam
Abbatem excipias, quem is fortasse sibi infensum senserat. Singulorum autem eo
consilio meminisse videtur, ut omnium gratiam iniret, & quemque propitium sibi
apud Augustum Ludovicum ad recuperandam libertatem haberet. Sed prae ce-
teris *Imperatrici Judith* blandientem animadvertas, quam laudibus onerat, & cujus
puerum *Carolum*, postea *Calvum* appellatum, Gratiis carissimum exhibet. Ludo-
vicum praeterea ipsum eo virtutum, ac potissimum Religionis atque Pietatis
concentu illustrem ita pingit, ut plane appareat, quam justo titulo *Pii* appellatio
in eum translata vel eo tempore fuerit. Uno verbo est, cur Italia, Germania,
& Gallia, quibus tunc pius ille Princeps dominabatur, gratias, easque plurimas
habeant Augustissimo Caesari CAROLO VI. nulli praecedentium Imperatorum
Pietate, Fortitudine, & Prudentia secundo, quod concesserit; Illustrissimo Ga-
rellio, quod impetrarit; liceat adhuc addere & mihi, quod denique ediderim
Auctorem rei literariae perquam utilem, & diutius, quam par erat, hactenus
altero exilio damnatum.

Ex Johannis Benedicti Gentilotti Catalogo Manuscriptorum Codicum Historiae profanae numero 992. *olim* 249.

MEmbraneus constans foliis 66. qui eodem Seculo, quo Auctor vixit, aut
certe non multo post, scriptus esse videtur; quique, ut constat ex Biblio-
theca Gesnero-Simleriana per Frisium aucta, ad Bibliothecam Wolfgangi Lazii
olim pertinuit. Continetur eo *Ermoldi Nigelli* Poëma de Rebus gestis Ludovici
Pii, in Libros IV. tributum. De Auctore nihil exploratum habeo, praeterquam
quod ipse meminit, se militasse in expeditione Britannica Anno DCCCXXIV.
Argentorati eumdem exulasse liquet ex jis, quae narrat prope finem. Causam,
ob

ob quam exilio multatus fuit, nusquam memorat, nec constat, an de eo reductus fuerit; quamquam, si propterea in exilium ejectus fuit, quod in Ludovicum Imperatorem cum aliis factiosis conspirasset, vix dubium esse possit, quin cum reliquis, qui earum fuerant partium, quibusque Ludovicus ignovit, ab exilio fuerit revocatus. Meminit equidem Astronomus in Vita Ludovici, Ermoldi Abbatis, eumque ab Imperatore ad Pippinum filium missum narrat cum mandatis, *ut res Ecclesiasticas, quae in Regno ejus erant, quas vel ipse suis attribuerat, vel ipsi sibi praeripuerant, absque cunctatione Ecclesiis restitueret*. At diversum hunc esse ab Ermoldo hujus Poëmatis auctore existimat eruditissimus Mabillonius in Annal. Benedictin. Lib. XXXI. num. XXII. Cui ego libens assentior, tametsi argumentum in toto Opere inveniam nullum, quo revinci possit is, qui eumdem esse opinetur. Nam Poëtam nostrum Benedictinae Familiae aut Abbatem aut Monachum fuisse, suadent cum ea, quae in commendatione Regulae ac Monasticae disciplinae adfert, tum Pippini ad eum verba, quum in Britannica expeditione illum vidisset armatum:

„ *Cede armis Frater, Litteram amato magis.*

Militasse autem eo tempore tam Monachos, quam Abbates, id omnibus notum est. Nec videtur indulgentissimi Principis, qui poenarum loco beneficia quandoque tribuebat, facilitati ac clementiae repugnare, ut hominem, qui ab eo errati veniam impetraverat, legaret ad filium Pippinum, cum quo magnum ei usum fuisse ex ipso Poëmate non obscure percipitur: Ut ut sit, ac quiscumque demum fuerit hujus Poëmatis Auctor, id profecto publica luce dignissimum est, & ab omnibus Eruditis jam diu expetitum. Neque enim quod Mabillonius loco paullo ante memorato innuere videtur, integri quatuor Libri, sed dumtaxat Operis prologus, initium & finis, editi fuerunt a Lambecio Lib. 2. Comment. a pag. 359. Suspicabar equidem olim, totum Poëma vulgo exstare, quum legerem doctissimas Marquardi Freheri notas *in formulas foederis Ludovici Germaniae, & Caroli Galliae Regum, Ludovici Pii filiorum* apud Argentoratum, Anno 842. percussi, & in iis versus quosdam ex Ermoldo, tamquam ex alio quovis obvio Auctore adduci animadverterem, donec in Epistolas Jani Gruteri, ejusdemque Marquardi Freheri ad Sebastianum Tengnagelium autographas incidi; ex quibus didici, quemadmodum Freherus in Poëmatis istius, cujus quod sciam unicum exemplum hoc Caesareum est, notitiam devenerit, & ex illo versus, quos adfert, depromserit. Eas Epistolas visum ex Ermoldo praemittere, ut res tota in meliori lumine collocetur.

Jani Gruteri Epistola ad Sebastianum Tengnagelium.

S. P. *Vir clarissime, & ignosce si paucis amabilissimae tuae Epistolae respondeo. Aliò avocor; & volo, si fieri potest, has pervenire ad te tempori. Multum tibi debeo ob pium alloquium in hoc meo luctu, quem fero patienter, certus omnia a Deo bonis immitti in bonum. Arabem nostrum si remiseris, copia mox tibi fiet alterius, quem petis. De Catalogo Librariae Caesareae Majestatis, quòd dignatus es eum mecum communicare, plurimum te amo, plurimum debeo. Livius meus quidem prodiit, sed non etiam notae, quibus reddo rationem emendationum textus. Itaque si exstaret apud vos exemplar bene vetustum, aut quod descriptum ex autographo vetusto, haud id abnuam, quemadmodum nec Julium Caesarem, in quem jam molior variantes lectiones. Sed in primis, si Martialis quis notae bonae ibidem, eum cupiam; mihi submittere ne graveris, dummodo id fieri commode possit. Ermoldo quid fieri velit Freherus, cognosces ex hac ipsius schedula. Wegenmyeriani pertinaciter tacent, quod silentium interpretor pro abnutu. Causam ejus non exputo, nisi si est diversitas religionis, quam illi forte pertinaciter urgent, & exercent odio, quo minime deberent. Etiam ultimae istae tuae emissarii in oculos inciderunt, sed ita ut callide alteri imponere potuissent haud etiam mihi. Itaque Memneso Apistein. Nescio an Heinsius pergat in emaculando Nonno; nam alioquin & nobis vetustissimi ejus auctoris Codices, quos tamen numquam desideravit: indicabo ei tamen hodie mentem tuam benevolam. Haec habebam breviter ad tuas. Vale & salve mi Domine una cum animo meo carissimo capite Domino Blotio.*

Heidelbergae 30. Januarii 1608.

T. T. Janus Gruterus.

Inscriptio.

Amplissimo Clarissimoque Viro Domino, Domino Sebastiano Tengnagelio S. C. Majestatis Bibliothecario.

Sche-

Schedula Freheri, cujus Gruterus meminit in superiori Epistola.

S. P. *Quis non obviis ulnis amplectatur humanitatem & comitatem viri amplissimi, qui institutum nostrum ultro it adjutum, offerens de Ludovici Pii Imperatoris Vita Libellos coaequaevi Scriptoris, hactenus nec fando mihi auditi, eoque impensius desiderandi? Quare quum ad eum scribes, quaeso multam salutem ei a me adscribas, studia, & officia mea prolixe deferas, petasque, ut quidquid est Libri archetypum, ad nundinas proximas nobis videndum & describendum mittatur, rediturum bona fide ad dominum cum foenore gratiarum, quo par est. Vale & salve amicorum potissime.*

T. Frehero.

Ejusdem aevi Scriptor Hrabanus Maurus Abbas Fuldensis, & Archiepiscopus Moguntinus condidit etiam de Ludovici Imperatoris, ejusque filiorum gestis libros aliquot carmine. Quid si & de illis vir ille clarissimus inaudierit?

Inscriptio. *A Monsieur Monsieur de Gruterus.*

Marquardi Freheri Epistola ad Sebastianum Tengnagelium.

S. P. D. *A multis annis nulla res, ut minus exspectata, ita magis animo meo grata, studiis meis apta mihi obvênit, quàm ista a te, Vir nobilis & amplissime. Dicis salutem per D. Gruterum nostrum homini ignoto: offers juvandis studiis nostris copiam Libri veteris non vulgati manuscripti e Bibliotheca Caesarea: mox mittis eumdem archetypum quantivis pretii autorem rarum, & hactenus nec fando nobis auditum, tamen pro aevo suo non illepidum, & omnino dignum, qui inter Francicos nostros* ἀνεκδότους *in publico non sine notis aliquibus compareat. Excedit admirationem tanta humanitas: superat vires nostras beneficii magnitudo: vincimur officii promtitudine & opportunitate. Tamdem, quod possum, gratias summas habeo, agoque libens merito; paratus quacumque licebit redhostire. Agam & publice, quum edam jucundissimum lectu Libellum, his quidem, qui omnium temporum, omnium gentium monumentis delectantur: inter quas sane Francicum nomen & Imperii amplitudine & gestarum rerum gloria non postremum locum tenere videtur. Quàm multa pulcherrima & rarissimae observationis ex eo jam sublegi & notavi! nam pridie quàm domo discederem, acceptum comitem itineris ad Danubium assumsi, & inter media negotia ac toedia vacivis horis mea manu exscripsi. Quoties interea beneficium tuum tacitis grata mente aestimavi: optima quaeque tibi vovi: referendae gratiae vicem tibi destinavi! Et quidem ipse Codex religiose a me habitus, cum gratiarum cumulo ecce ad te tuto redit. Ceterum periculum est, ne ista promtitudo tua deinceps ad petendum plura animum nobis addat; tibi plusculum negotii facessat. Etiam est, quod vix tempero emendicare eo quidem audacius, quòd non mea id causâ, sed publicâ. De ejusdem enim Hludovici Primi filiorum dissensione intestina scripsit Librum heroo carmine Hrabanus Maurus Archiepiscopus Moguntinus, ut Gesnerus & alii indicium faciunt, quem multis votis diu expetitum, nulla hactenus indagine nancisci potui, ut jam de eo penitus desperemus, nisi Augusta illa Bibliotheca suppeditet. Libet sperare, quod ibi exstet. Quid enim in tanto numero desit, ubi iste Ermoldus* 4709. *censetur?* (a) *Vide quaeso vir amplissime, an desiderio nostro subvenire possis, & de publico simul bene mereri perge.*

„ *Sic tibi dent Superi quae isthac pietate mereris:*
„ *Sic sit amicitiae jus mihi dulce tuum.*

Vale V. C.

Ex Augusta Vindelicorum, urbe nobis patria, & post multa lustra tamdem revisa XIII. Decembris 1608.

Marquardus Freherus.

Ejusdem ad eumdem Epistola.

S. P. *Literae tuae, Vir amplissime, Francofurti mihi redditae sunt, cum multis nominibus gratae, tum eo maxime quod MStum Codicem Ermoldi recte tibi redditum intellexi, de quo nonnihil solicitus eram. Spero illum cum id genus aliis plusculis brevi proditurum non sine notis quibusdam, atque ita ad te cum foenore rediturum. Ad te inquam, nam & quod cavendum mones, cavebitur. Neque dubito plura ejusmodi* ἀνέκδοτα *ibi haberi, quae si communices Reipublicae literariae non minus quam meis studiis commodabis. Cuspinianus in Friderico III. meminit (nisi fallor) ejus jussu Libros Feudorum per quemdam Jurisconsultum* (b) *in alium meliorem*

(a) Juxta veterem collocationem, in qua Manuscripti cum excusis permixti erant. In Tengnageliano MSS. Catalogo est Codex Historic. 249.

(b) Est is Antonius Minuccius de Prato Veteri, cujus de Feudis Libros VI. ex MSto Cod. Bibliothecae Regiae Parisiensis edidit Johannes Schilterus, cum Codice Feudali Alamannico Argentorati Anno 1695. in 4.

rem ordinem digestos fuisse. Vide quaeso locum, & dispice, qua ratione ille Liber in lucem protrahi possit. Ego studium in edendo, notis illustrando offero. Audio & Sambuci, Laziique collecta antiquitatum, nummorum, signorum, & talium rerum penes heredes residua venalia esse, & vix idoneum emptorem reperire. Si ita est, forte aliquid istuc impenderem, modo quae & qualia sint, constaret. Responde, quaeso, commodo tuo. Et tomos istos Germanicarum Rerum a me boni consule.

Dabam raptim Francofurti, 21. *Aprilis* 1610.

Inscriptio. *Nobili Clarissimoque Viro D. Sebastiano Tengnagelio J. C. Caes. Reg. Bibliothecae Praefecto, Domino & amico observando.*

Viennae Austriae.

Hactenus Epistolae. Jam Ermoldi Poëma videamus.

ER-

SPECIMEN CHARACTERUM POËMATIS ERMOLDI NIGELLI

ex Codice antiquo pergameno

BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ VINDOBONENSIS.

IN HONOREM HLUDOUUICI XPIANISSI
MI CAESARIS AUGUSTI ERMOLDI NI
GELLI EXULIS ELEGIACI CARMINIS
LIBER INCIPIT PRIMUS

Regia hermoldi

Editor etherea splendes qui patris in a . . . E
Regnator mundi factor q; redemptor & auctoR
Miltib; dignis reseras qui regna poloru M
Olī clusos culpa parentis auern O
Luminis eterni reuehis qui xp̄e tribuna L
Dauid psalmicanus presaga carminis illu D
Voce pius modulans dudū miranda relat V
Sacra futurorū qui; p̄mpsit dogmata uate S
Confer rusticulo quo possim cæsaris in bo C
Eximio eguo modulanter poscito rit E
Carmine gesta loqui nympha s n̄ de p corsiu C
Insani quondā ut prisca fecere perit I
Nec rogo pierides nec phoebi tramite lime N
Ingrediar capturis opē nec apollinis alm I
Talia cū facerent quo sua na peritia lusi T

ERMOLDI NIGELLI PROLOGUS.

REGIA ERMOLDI. (*)

E ditor (1), ætherea ſplendes qui Patris in arc E
R egnator mundi, fautorque, Redemtor, & aucto R
M ilitibus dignis reſeras qui Regna poloru M
O lim concluſos culpa parientis Avern O
L uminis æterni revehis qui Chriſte tribuna L
D avid pſalmicanus præſagâ carminis illu D
V oce priùs modulans, dudum miranda relat U
S acra futurorum qui promſit dogmata vate S
C onfer ruſticulo, quo poſſim Cæſaris in ho C
E ximii exiguo modulanter poſcito (2) rit E
C armine geſta loqui. Nymphas non deprecor iſtu C
I nſani quondam ut priſci fecere perit I
N ec rogo Pierides, nec Phœbi tramite (3) lime N
I ngrediar capturus opem, nec Apollinis alm I
T alia cùm facerem (4), quos vana peritia luſi T
H orridus & teter depreſſit corda (5) Vehemot H
L imina ſiderei potiùs peto luminis, ut So L
V erus juſtitiæ dignetur dona precat U
D edere: namque mihi non flagito verſibus hoc, quo D
O mnia geſtorum percurram pectine parv O
I n quibus & magni poſſunt ceſſare (6) magiſtr I
C æſaream flectant aciem, ſed cantibus huc hu C
I ncipiam celebrare. Fave modò Chriſte precant I
C armina, me exilio pro quîs nunc Principis ab ho C
A uxilium miſerando levet, qui celſus in aul A
E rigit abjectos, parcit peccantibus, atqu E
S pargit in inmenſum clari vice lumina Soli S
A lta regis Chriſti Princeps qui maxime ſceptr A
R ex *Hludovvice* pie, & pietatis munere Cæſa R
I nſignis meriti, præclarus dogmate Chriſt I
S uſcipe gratanter, profert quæ dona *Nigellu* S
A uſubus (7) acta tamen qui tangere carmine veſtr A
R egis ob æterni veſtro qui pectore ſempe R
M anſit amor. Cæſar famulum relevato cadente M
A ltitonans Chriſtus vos quo ſublimet in æthr A.

(*) *Inſcriptio à ſecunda manu adpoſita.*
(1) Tenebroſo verbo ſua exorditur Ermoldus. Pro *Conditor* uſurpata vox videtur; quamquam potius ſuſpicor pro *Editor* ſcriptum fuiſſe a Poeta *Editus*, aut *Edite*, pro *Natus*, ſive *Nate*. Is enim Chriſtum alloquitur.
(2) Pro *poſtulato*. Infra habet *pectine parvo*, ita ut de ea voce dubitem. (3) Lambecius edidit *lumen*. At MStus Codex manifeſte habet *limen*: neque aliter legendum perſuadet *ingrediar* ſubſequentis verſus.
(4) Immo *facerent*, ut ſit ſenſus: quum Ethnici hoc facerent, eorum corda obtenebravit Satan.
(5) Pro *Behemoth*, ideſt Diabolus: ita enim hanc beſtiam a Scripturis ſacris memoratam Veteres allegorice ſunt interpretati. (6) Pro *deficere*. Scripſit fortaſſe Nigellus *certare*.
(7) An potius *auſus*, quod poſcere videtur ſubſequens *tangere*?



ERMOLDI NIGELLI EXULIS

IN HONOREM HLUDOVVICI CHRISTIANISSIMI CÆSARIS AUGUSTI

ELEGIACI CARMINIS

LIBER INCIPIT PRIMUS.



Uguſtos opibus celebres præcellis & armis
Sed *Hludovvice* Dei Cæſar amore magis,
Principis opto loqui præconia promptulus almi:
Conferat omnipotẽs, qui valet, arma mihi.
Cæſaris armigeri conor deſcribere geſta,
Quæ recitat meritò Mundus amore pio.
Fortè foret ſatius cœptis inſiſtere rebus,
Plangere delicti geſta nefanda mei.
Cùm ſim ruſticulus, norim nec clauſtra Camœnę,
Nec poſſim comtos promere in arte modos.
Sed me cunctantem refovet clementia Regis,
Qui potiùs votum, munera quam recipit.
Cogit & exilium, fateor, nos talia noſtrum;
Muneribuſque carens porrigo quæ mihi ſunt.
Non ego geſtorum per ſingula quæq; recurram:
Nec fas, nec potis eſt, nec valet ingenium.
Si Maro, Naſo, Cato, Flaccus, Lucanus, Homerus,
Tullius, & Macer (8), Cicero, ſive Plato;
Sedulius, nec non Prudentius, atque Juvencus,
Seu Fortunatus, Proſper & ipſe foret:
Omnia famoſis vix poſſent condere chartis,
Atque ſuum celebre hinc duplicare melos.
Aſt ego lintre rudi rimoſo navita remo
Immenſi pelagi hoc (9) æquor adire volo.
Dextera, quæ Petrum fluctu ſuperante fidelem,
Ne pereat, relevat, addidit atque rati,
Hæc me præcipitem ſervet miſerando per undas,
Conferat ad portum, Cæſar opime, tuum.
Jam

(8) Innuit *Aemilium Macrum* antiquum Poetam, cujus Carmina, nunc deperdita, fortaſſe Nigelli aevo adhuc vivebant. Sed vide licentiam, ſeu potius infantiam Poetae ſcribentis *Tullius*, *& Macer*, *Cicero*: quaſi alter a Cicerone Tullius foret. Poeticum florem certe hoc non dixeris.

(9) Recenti manu additum MSto.

Jam mihi carmen eat Hludovvici promere gesta,
Paucaque de multis pagina nostra legat.
Tempore Francorum *Caroli* dum sceptra vigebant,
Quem celebrat totus Orbis honore patrem,
Francia dum latos sparsisset ubique fragores,
Atque suum celebre nomen in Orbe foret.
Tum Carolus sapiens sceptrorum insignia proli
Divisit (10), Procerum consiliante choro.
Scilicet equivoco (11) cessisset Francia sorte,
Successor tamdem si valet esse patris.
Italiæ regnum Pippino (12) cessit amato.
At Hludovvice tibi *Regna* (13) *Aquitana* dedit.
Partibus æquatis crebrescit fama per Orbem,
Et Hludovvicus ovans credita Regna petit.
Prodigium fuerat sic hunc vocitasse parentes,
Quod foret insignis marte, potensque, pius.
Nam *Hludovvicus* enim *ludi* de nomine dictus
Ludere subjectos pacificando monet.
Seu quis Franciscam mavult reserare loquelam,
Nominis ut possit noscere notitiam:
Nempe sonat *Hluto* (*) præclarum, *Wigch* quoque Mars est.
Unde suum nomen composuisse patet.
Jam puer (14) excelsus sacro spiramine plenus,
Auxit honore locum Marte fideque suum.
Christicolûm celerans ditavit munere culmen;
Reddidit Ecclesiis munera prisca sacris.
Ordine composito recreavit subdita Regna,
Lege regens populum cum pietatis ope.
Vascones (15) rabidos domuit pius arte magistra,
Deque lupis torvis progeneravit oves.
Denique ad Hispanos convertens concitus arma,
Finibus à propriis expulit ipse procul.
Culmina terrarum, vel quot Castella peragrans,
Subdidit imperiis, arma ferente Deo,
Sunt mihi nota minus; vel si modò nota fuissent,
Non poterat stolidus cuncta notasse stilus.
Sed quæ fama recens stupidas pervexit ad aures,
Incipiam canere: cetera linquo catis.
Urbs erat interea Francorum inhospita turmis,
Maurorum votis adsociata mag s,
Quam *Barchinonam* (16) prisci dixere Latini,
Romanoque fuit more polita nimis.
Hæc Maurorum aderat semper tutela latronum,
Hostibus armigeris atque repleta sat s.
Quisquis ab Hispanis veniens rediensq; silenter
Hanc ingressus, erant omnia tuta sibi.
Sueta fuit nostros semper populare maniplos,
Et reducum spolia hæc capiebat ovans.
Multi namque Duces vario hanc conamine belli
Obsedere diu: sed voluisse (17) fuit.
Armis, ingenio, seu quis cum qua arte valebat;
Sed pugnæ studia compulit illa procul.
Namque erat insigni murorum pondere fulta,
Marmore præduro structa vetusta nimis.
Junius albentes cùm ducit in æthera messes,
Et matura Ceres falce secanda venit,
Francus habet muros, celerans per rura, per ędes,
Et sata præripiens munera vastat agri,
Seu (18) cum vinetis soliti prædulcia Bacchi
Co-

(10) Anno 781. uti legitur in Annalibus Francorum Eginhardi, Bertinianis, & aliis, quum Romam Carolus M. una cum filiis profectus fuisset, ibi *Adrianus Pontifex baptizavit filium ejus Pippinum, unxitque in Regem. Unxit etiam & Ludovicum fratrem ejus, quibus & coronam imposuit. Quorum major, idest Pippinus, in Langobardia, minor vero in Aquitania Rex constitutus est*. Itaque ab eo anno Poeta suam narrationem orditur. Neque enim divisionem Regnorum a Carolo factam anno 806. designari, ea, quæ sequuntur, evincunt.

(11) Idest *Carolo* primogenito ipsius Caroli Magni, quem ei Hildegardis Regina pepererat anno 772. Scilicet huic pater Regnum Francorum destinaverat, eamque divisionem confirmavit anno 806. postremis tabulis suis, quae apud Baluzium, & in part. II. Tom. I. Collectionis hujus pag. 125. prostant. Sed is e vivis ante patrem sublatus, consilium & spem paternam fefellit.

(12) Alteri nempe ejusdem Caroli filio, qui Italicum Regnum diu, vivente patre, rexit, uti Leges Langobardicae in hac eadem Collectione editae, ac innumera alia monumenta testantur. Sed & illum immatura mors ante parentem suum rapuit.

(13) Non facile statuas, quam partem Regnorum suorum Ludovico filio Carolus M. vivens regendam titulo Regio dederit. Certi enim erant Aquitaniae fines ad Occidentem, nempe Hispania: non vero satis noti, qui ad Orientem, quum ex antiquis alii Garumnam, alii Ligerim, terminum Orientalem ei statuant. De Marca in Libro de Marca Hispanica Libro 3. Cap. 14. huic Regno *tribuit Aquitaniam primam & secundam, Vasconiam, Pagum Tolosanum, Septimaniam, & ditiones omnes, quae tum erant in Marca Hispanica*. Quod extra controversiam puto, Carolus in Testamento nuper memorato portionem ditionis Ludovico ipsi amplificavit.

(*) Duos hosce versus Poetae nostri ex MSto Caesareo, quem Vindobonae legerat celeberrimus Leibnitius, adfert Cl. V. Johannes Georgius Eccardus in Hist. studii Etymol. edita Hannoveræ Anno 1711. cujus sententia est, per nomen *Hlutovvigch* significari *celebrem bellatorem*. Et revera, uti me per literas docuit jam clarescens ex eruditione sua, atque ex recenti tutela jurium Imperialium in Etruriam, Godefridus Philippi, Otfrido vetustissimo Scriptori *Liutbi* est *lux*, *luceo*. *Vvigch* vero, ut adnotavit Johannes Goropius Becanu in Lib. Orig. *bellicosum* sonat. Quam in rem consulendus etiam est supra laudatus Leibnitius in Archaeol. Teut. lit. VV. pag. 189. Hoc autem nomen Latine expressum *Ludovicus* Ermoldus noster explicandum sibi sumit; Poetica tamen licentia lusum nobis pro veritate propinat.

(14) Utique puer; nam uti scribit Astronomus, sive Auctor Anonymus Vitae ipsius Ludovici Pii apud Du-Chesnium Tom. II. Scriptor. Rer. Francic. idem Ludovicus, *cunarum adhuc utens gestatorio*, Romae coronatus est, anno scilicet, uti jam supra vidimus, 781. ac deinde a Carolo M. patre *in Aquitaniam regnaturus* est missus, *qui usque Aurelianam Civitatem cunali est evectus gestamine*. Sed cur gestatus cunis Ludovicus, non amplius lactens, quum jam Anno 778. in lucem prodiisset? Quia apud bellicosam gentem Francorum equi erant quidem in quotidiano usu, quibus tamen infans uti non poterat. Et contra tunc minime adhibebantur bigae, quadrigae, currus, & id genus vehicula, sive fomenta ignaviae, quae tanto sunt in honore & usu temporibus nostris.

(15) Nunc *la Guascogna*. Henricus Valesius in Notitia Galliarum jam adnotavit, Aquitanos improprie apud veteres Francos fuisse etiam nuncupatos *Vascones*, ea, ut opinor, ratione, quod Aquitaniae Regnum tunc Vasconiam complecteretur. Ludovicus ipse, teste Auctore ejus Vitæ, circiter annum 786. Carolo M. patri *occurrit ad Patrisbrunam habitu Vasconum cum coaevis sibi pueris indutus*.

(16) Circiter Annum 711. Saraceni, sive Arabes, post Africam occupatam, irruptione facta in Hispaniam, plerosque ejus Regni populos vi & armis sensim suae ditioni subdiderunt. Eo etiam tempore Barcinonem a profana gente captam veri videtur simile. Ibi vero incubabant ac dominabantur Mauri, quum Ludovicus Pius adversus illos expeditionem hic enarratam statuit.

(17) Obscurus sensus. Fortasse hic fuerit: sed eorum conatus in desideria tantum se solvit; numquam vero Civitas capta.

(18) Idest: non messis tantum tempore Franci Barcinonensem agrum populantur, sed etiam vindemiae, quo Saracenos labore ac onere colligendi uvas levabant: ipsi enim Franci praeripiebant.

Cogere vina: ſuus nec labor iſtud erat.
Ac veluti autumno denſato milite turdi,
Aut variæ volucres quîs cibus uva manet,
Per vineta volant, rapiuntq; feruntq; corimbos,
Unguibus & roſtris uva venuſta petit.
Vinitor infelix nequidquam cymbala triſtis
Arce quatit ſumma, ſeu ciet arte ſonos;
Nec facilis prohibere labor, quin agmine denſo
Infeſti coëant, diripiantque dapes.
Haud aliter Franci, cùm primò tempora frugum
Adſunt, & pagi (19) munera diripiunt.
Nec tamen hæc duros potuit res frangere Mauros,
Nec varii eventus, armaque crebra ducum.
Vix quoq; tot volucres tollebant munera Franci,
Quot ſibi nauta celer per mare miſit opes.
Temporibus multis res hæc ſe contulit anceps:
Parte ab utraque ferunt aſpera bella fore.
Tempore vernali cùm rus tepefacta vireſcit,
Brumaque ſidereo rore fugante fugit,
Priſtinus ablatos remeans fert annus odores,
Atque humore novo fluctuat herba recens:
Regni jura movent, renovantque ſolentia (20) Reges,
Quiſque ſuos fines ut tueantur adit.
Nec minus accitu Francorum more (21) vetuſto
Jam ſatus à Carolo agmina nota vocat.
Scilicet electos populi, ſeu culmina Regni,
Quorum conſiliis res peragenda manet.
Occurrunt celeres primi, pareantque volendo,
Quos ſequitur propius vulgus inerme ſatis.
Conſidunt moniti. Solium Rex ſcandit avitum;
Cetera turba foris congrua dona (22) parat.
Incipiunt fari. Cœpit tunc ſic Carolites,
Hæc quoque de proprio pectore verba dedit:
Magnanimi proceres, meritis pro munere digni,
Limina (23) quos patriæ præpoſuit Carolus,
Ob hoc cunctipotens apicem conceſſit honoris
Nobis, ut populo rite feramus opem.
Annuus ordo redit, cùm gentes gentibus inſtant,
Et vice partita Martis in arma ruunt.
Vobis nota ſatis res hæc, incognita nobis:
Dicite conſilium, quo peragamus iter.
Hæc Rex; atque *Lupus* (24) fatur ſic (25) *Santio* contra,
Santio, qui propriæ gentis agebat opus,
Waſconum Princeps, Caroli nutrimine (26) fretus,
Ingenio atque fide qui ſuperabat avos.
Rex, cenſura tibi nobis parere neceſſe eſt,
Hauſtus conſilii cujus ab ore fluit.
Si tamen (27) à noſtris agitur modò partibus hæc res,
Parte mea, teſtor, pax erit atque quies.
Duxque *Toloſana* fatur *Vilhelmus* (28) ab Urbe,
Poplite (29) flexato lambitat ore pedes.
O lux Francorum, Rex, & pater, arma, decuſque,
Qui meritis patres vincis & arte tuos,
Virtus celſa tibi, & rector ſapientia, magne,
Con-

(19) Pro *agro*, *Comitatu*, ſive *Diſtrictu*, ut nunc dicimus: quo etiam ſenſu ab antiquis eadem vox interdum uſurpata occurrit.

(20) Sic Caeſareus MStus. Pro *ſolita*, aut *ſolemnia*, ut opinor. Verno quippe tempore arma parantur ac milites, tam ad tuendos proprios fines, tum ad invadendos alienos, quum belli metus aut neceſſitas inſtat.

(21) Nimirum Kalendis Martii antiquis Francorum Regibus mos fuit ſolemnia Regni Comitia peragere, confluentibus illuc Proceribus, Comitibus, aliiſque Reipublicae Miniſtris. *Electos populi, ſeu culmina Regni* Poeta appellat Optimates illuc accitos. Fredegarius in Chron. *Evoluto anno praefatus Rex* (Pippinus) *a Kalendis Martii omnes Francos, ſicut mos Francorum eſt, Bernaco villa ad ſe venire praecepit*. Mitto reliquos hujus rei teſtes antiquiſſimos; id ſolum addens, Langobardorum quoque Regibus in more fuiſſe, ad Kalendas Martias publica Regni Comitia habere, ibique Leges ſtatuere, bellum indicere, uti potiſſimum conſtat ex Praefationibus Legum Liutprandi Regis part. II. Tom. I. Collectionis hujus.

(22) Ab antiquis etiam temporibus mos iſte invaluerat, ut *Kalendis Martiis*, dum Regni Comitia haberentur, populi dona conferrent ad Regem. In Annalibus Fuldenſibus & Lambecianis ad annum 750. hæc habentur: *Certo die ſemel in anno in Martis campo ſecundum antiquam conſuetudinem dona illis Regibus a populis offerebantur*.

(23) Senſus expoſceret *liminibus*, immo *limitibus*. Scilicet proceres, quos Carolus Auguſtus genitor meus ad tutandos Regni fines praefecit.

(24) Uti infra aperte dicitur, hic Lupus *VVaſconum Princeps* fuit. In Vita Caroli Magni per Monachum Engoliſmenſem ſcripta, idem Carolus anno 769. expeditionem fecit in Unaldum, ſive Hunoldum, qui Aquitaniae Ducatum invaſerat; ejuſque exercitum duxit *Lupus VVaſto Princeps, ſicut ſciebat locos*. Captus eſt Hunoldus, & Eginhardo teſte in ejuſdem Caroli Vita, Rex *Lupo VVaſconum Duci per Legatos mandat, ut perfugam reddat*. Paria leguntur in Annalibus ipſius Eginhardi ac Bertinianis. An idem fuerit Lupus, qui a Poeta noſtro heic inducitur loquens, certo affirmare non auſim: namque ab anno 769. uſque ad annum 799. quo ſuſcepta eſt obſidio Barcinonis, hoc loco deſcripta, multum temporis interceſſit. Verum ſi idem non fuit, proculdubio fuerit ejus filius, qui propterea duplici nomine heic appellari videtur, nempe *Lupus Santio*, ut a patre diſtinguatur. Atque is dicitur *ingenio & fide ſuperaſſe Avos*: quæ verba indicant ejus quoque majores VVaſconiae praefuiſſe. *Santio* autem nihil aliud eſt quam *Sancius*, atque Italicè *Sancio*, nomen apud veteres Hiſpanos uſitatum. *Comes Sancius Sancionis*, ideſt filius, occurrit in Epiſtola Eulogii Cordubenſis.

(25) Additum eſt MSto Codici manu recentiori.

(26) Ideſt qui nutritus fuerat in Aula Caroli Magni a pueritia. Eo enim ſenſu vox iſta apud antiquos occurrit; ac proinde ipſius Regis Caroli familiaris ac domeſticus erat: quae res ei maximam in dicendo fidentiam praebebat. Atque hinc intelligere poſſumus, non de *Lupo* in Annalibus Eginhardi memorato heic agi, ſed quidem de ejus filio.

(27) Hoc eſt, ſiquidem a partibus iſtis, quibus praeſum, agendum eſt bellum, profecto auctor ſum, ut pax bello praeferatur.

(28) In Ludovici Pii Vita ab Aſtronomo ſcripta, ad annum 789. haec leguntur: *Chorſone a Ducatu Tholoſano ſubmoto, VVillelmus pro eo ſubrogatus eſt. Qui Vaſconum nationem, ut ſunt natura leves, tam aſtu quam viribus brevi ſubegit*. Idem vero eſt, qui poſt varia bellicae fortitudinis experimenta, poſt varias de Saracenis victorias, parta ſibi ingentis gloriae ſecularis aura, Mundo tamdem renuntians, Monaſterium Gellonenſe, a ſe conditum, ingreſſus eſt anno 806. ibique tanta virtutum copia reliquum vitae peregit, ut inter Sanctos viros adnumeretur. Ejus Vitam ab Anonymo ſcriptam non longe ab ejus obitu, & a Carolo Strengelio editam, Clariſs. Mabillonius rurſus evulgavit, atque illuſtravit inter Acta Sanctorum Ordin. Sancti Benedicti Secul. Quarto, pag. 70. quam conſule, ſi plura petis. Sunt monumenta, quae illum *Comitem* appellant. Mabillonius vero cenſet, minime *Ducis* appellationem ei eſſe denegandam, quum ejus Anteceſſor eodem titulo frueretur. Et recte. En ut diſertis verbis a Poeta noſtro appellatur *Dux Toloſanus*.

(29) Ritum hunc animadverte deoſculandi pedes Regum tam ſaepe, quum ipſos alloquuturi erant Regni Primates, cujus etiam alia exempla infra occurrent. Hanc notitiam Poetae debeas, minutos ſui temporis mores deſcribenti, quam Hiſtoricus vix aut numquam adnotaſſet.

Concordi voto patris ab amne meant.
Rex age, consiliis, si dignor, consule nostris,
Atque meis votis Rex pietate fave.
Gens est tetra nimis Saræ de nomine dicta,
Quæ fines nostros depopulare solet,
Fortis, equo fidens, armorum munere nec non,
Quæ mihi nota (30) nimis, & sibi notus ego.
Mœnia, castra, locos, seu cetera sæpe notavi:
Ducere vos possum tramite pacifico.
Est quoque præterea sæva Urbs (31) in finibus illis,
Causa mali tanti quæ sociata manet.
Si pietate Dei, vestro faciente labore,
Hæc capiatur, erit pax requiesque tuis.
Illuc tende gradū Rex, infer munera massis (32),
Et Vilhelmus erit prævius, alme, tuus.
Tum Rex adridens verbis ita fatur amicis,
Amplectens famulum, oscula datque capit:
Gratia nostra tibi, Caroli sit gratia patris;
Dux bone, pro meritis semper habebis honos (33).
Hæc quoque quæ recinis, jam dudum pectoris arce
Ponere cura fuit: nunc recitata placent.
Consulo consiliis, ut poscis, consulo votis:
Adventum citius credito, France meum.
Namq; unum, fateor, cogor tibi dicere, *Vilhelm*,
Tu modò mente avida suscipe verba mea:
Si mihi vita comes domino tribuente supersit,
Ut reor, atque meum prosperet ipse iter.
Possim aut Barchinona tuos fera cernere muros,
Quæ tot bella meis lætificata canis,
Testor utrumque caput (humeris fortasse recumbens
Vilhelmi Comitis, hæc quoque dicta dabat)
Aut mihi *Maurorum* contra stet turba profana
Seque suosque tegens prœlia martis agat,
Aut tu Barchinona volens nolensque vetata
Pandere claustra jubes (34), & mea jussa petes.

Hoc dicto, Proceres vario sermone fremebant
Almificis pedibus basia stricta dabant.
Tum Rex *Bigonem* (35) verbis compellat amatum,
Auribus in cujus dulcia verba sonat.
Ito celer Bigo: hæc nostrorum edicito turbis,
Atque tuo nostra pectore verba sonat (36).
Virginis ut primum Titan conscenderit astrum,
Et soror in propria sede sequetur iter,
Agmine densato præfatæ exercitus Urbis
Mœnia noster ovans occupet arma tenens.
Bigo facessit agens doctus mox orsa benigni,
Itque reditque, ferens inclita jussa celer.
Rex pius interea Christi succensus amore,
Dat pia Christicolis mœnia (38) digna satis.
Namque ferunt multas Monachorum rite catervas
Instituisse Deo sub ditione sua.
Quod quis nosse cupit, rogo, Regna Aquitana peragret,
E quibus en unum chartula nostra canit.
Est locus insignis cultu seu religione,
Cui *Concas* (39) nomen Rex dedit ipse prior,
Olim namq; feris avibusque canoribus (40) aptus,
Ignotusque homini pro feritate fuit.
Nunc quoque Christicolûm resplendens agmine fratrum,
Quorum fama modò latiùs æthra petit.
Hæc quoque Cella (41) pii constructa est munere Regis:
Fundavit, coluit rebus, & officiis.
Valle sedet magna, præcincta flumine (42) amœno,
Vinetis, pomis, seu dapibus variis,
Rupibus excisis valido sudante labore,
Quo pateat locus hic, semita Rege datur:
Dictus erat quondam frater cognomine *Datus* (43),
Quem referunt primò illum incoluisse locum.
Hic

(30) Nempe ille anno 793. a Saracenis Hispaniam jugo prementibus fuga salutem quaerere coactus fuit, ut Annales Moissiacenses testantur. Rursus vero & ipse variis caedibus eosdem Saracenos prostravit anno 794. & sequentibus, uti nos docet Auctor Vitae supra memoratae apud Mabillonium.

(31) Idest *Barcino*, Maurorum piratarum ac praedonum asylum.

(32) Quid sit *inferre munera massis*, Oedipus explicet. *Massa* nihil aliud significabat iis temporibus, quam pagos, villas, prædia. Fortasse *munera belli* intellexit, qua voce nō semel infra est usus.

(33) Pro *honorem*, cum bona Prisciani venia. Infra etiam occurret, neque semel.

(34) Pro *jubebis*.

(35) Non alium hunc puto fuisse, quam qui postea Ludovico ipso Pio imperante creatus est Lutetiae Parisiorum Comes, & Monasterii Fossatensis institutor fuit. In Diplomate Caroli Calvi Franciae Regis anno 844. apud Baluzium Tom. II. Capitular. pag. 1454. legitur, Monasterium Fossatense *ad petitionem Bigonis quondam illustris Comitis*, susceptum fuisse *sub suo mundeburde atque defensione* a Ludovico Pio Imperatore. Ejusdem Bigonis mentionem facit Clariss. Mabillonius in Annal. Benedictinis ad annum 816. quo idem Comes e vivis excessit, duo ejusdem Ludovici Diplomata referens pro Fossatense Monasterio, in quibus idem *Bigo illustris Comes* memoratur: eum vero Mabillonius *Begonem*, seu *Biegonem* appellat. Quantopere cum Ludovicus diligeret, hinc etiam habes, quum eum Poeta nominet, *Bigonem amatum*. Quare nil mirum, si Ludovicus post Caroli patris mortem eum constituerit Parisiorum Comitem. Istius obitus infra narratur.

(36) Librarii error. Sic enim in MSto legitur. Scribe *sona*.

(37) Hoc est, quamprimum remissis caloribus aestivis Autumnus accedet, tunc Barcinonensis obsidio erit inchoanda. Neque enim in regione a Sole adusta militibus satis patientiae est obsidioni patenti insistere, dum aestas fervet.

(38) Primo intuitu legendum videtur *munera*. Attamen *moeniorum* nomine significari heic intelligimus Monasteria & Ecclesias, quas Ludovicus Pius excitavit.

(39) Mabillonius in Annal. Benedictin. ad annum 768. scribit fuisse, qui tradiderint, conditum a Pippino Francorum Rege *Conchense Monasterium* in Aquitania, situm in Ruthenensi Dioecesi. Tum ad annum 812. de origine ejus Coenobii disserit, incertus & conjectans, ad Pippinum supra memoratum, aut ad Ludovicum Pium, aut ad Pippinum Aquitaniae Regem, Ludovici ipsius filium, institutionem loci referri posse. Habemus nunc Nigellum, idoneum testem, tribuentem illius Coenobii, sive Cellae originem Ludovico Pio, tunc Aquitaniae Regi. Idem quoque antea nos docuerat Auctor antiquissimus Vitae ipsius Ludovici ad annum 811.

(40) Pro *canoris*.

(41) Erudite pro more Mabillonius etiam animadvertit ad annum 812. Conchense Monasterium fuisse *quamdam veluti Cellam* Frigiacensis Monasterii; quippe eidem suberat, aut commendatum saltem fuerat.

(42) Uti ex Diplomate Ludovici Pii constat, quod datum fuit anno 819. idem Augustus Conchense Monasterium *in pago Rutenico*, *super rivulum Dordunum*, *vocabulo Concas*, sub suam tutelam admittit.

(43) Recte omnia congruunt cum Diplomate Ludovici Pii Augusti, spectante ad annum 819. quod protulit Clariss. Baluzius Tom. 2. pag. 1416. Capitularium, ubi primus Conchensis Monasterii Rector appellatur *vir religiosus Dado quodam nomine*, *qui nostris Temporibus* locum illum, quo *nonnulli Christiani propter metum Sarracenorum* confugerant, inhabitare coepit.

Hic quoque dum patrias servaret ab hostibus (44) ædes,
Sospite matre sibi consociante domo.
Protinus heu pagum nimio vallante tumultu
Rotinicum (45) Mauri destituere (46) nimis.
Prævalidæ prædæ hujusce inter fore matrem
Adfirmant, cunctas exuviasque domûs:
Hostibus egressis profugus sua visere tecta
Certat, & ad notos quisque redire lares,
Datus ut agnovit propriam matremq; domumq;
Direptam, varium pectore versat onus.
Prorsus equū phaleris ornans, se nec minus armis
Conjunctis sociis adparat ire sequax.
Forte fuit Castrum vallo seu marmore firmum,
Quo reduces Mauri cum spoliis remeant.
Huc celer & socii Datus, cunctusque popellus
Certatim coëunt, frangere claustra parant.
Ac velut accipiter pennis per nubila lapsus
Ungue rapit volucrem, notaq; ad antra fugit:
At sociæ crocitant, raucasque per æthera voces
Nequidquam recinunt, atq; sequuntur avem.
Ipse sedens tutus, prædam stringitque feritque,
Versat & in partes quas sibi cùmque placet.
Non aliter Mauri vallo prædaque potiti,
Dati bella timent, spicula, sive minas.
Tum juvenem muri quidam compellat ab arce,
Voce cachinnosa dicta nefanda dabat.
Date sagax, nostras modò quæ res vexit ad arces
Te, sociosque tuos, dicito namque precor.
Si modò, quo resides, tali pro munere nobis
Dedere mavis equum, quo phaleratus abis.
Nunc tibi mater eat sospes, seu cetera præda;
Sin autem, ante oculos funera matris habes.
Reddidit orsa sibi *Datus* non digna relatu:
Funera matris age: nec mihi cura satis.
Nam quem poscis equum, non umquam dedere dignor:
Improbe, haud equidem ad tua frena decet.
Nec mora: crudelis matrem consistit in arce,
Et nato coram dilaceravit eam.
Namque ferunt, ferro primò secuisse papillas,
Et capite abscisso, heu (47) tua mater, ait.
Frendet enim infelix *Datus* pro funere matris,
Nunc huc nunc illuc fluctuat atque gemit.
Nec patet illi aditus, nec vim, qua vindicet artus
Matris, habet; tristis, mente carensque fugit.

Omnibus amissis sumtis melioribus armis,
Incola mox eremi cœpit inesse pius.
Durior ut quondam fuerat ferus in nece matris,
Firmior hinc remeat ad juga, Christe, tua.
Tempore nam multo hæc secum solus agebat
Hic, quia mundanum temserat omne nefas.
Hæc dum fama pii Regis pervênit ad aures,
Mox Domini famulum ad sua tecta vocat.
Namque diem totum parili sermone trahebant
Rex, famulusque Dei, relligione pares.
Tum Rex & Datus primò fundamina Concis
Insigunt, Monachis castra futura parant.
Nuper quo valido recubabant agmine belvæ,
Redditur inde Deo nunc quoque grata seges.
Interea Regis proceres, populique phalanges
Dudum commoniti, jussa libenter agunt.
Undique conveniunt Francorum more catervæ,
Atque Urbis (48) muros densa corona tenet.
Convenit ante omnes Carolo satus agmine pulcro:
Urbis ad exitium congregat (49) ille duces.
Parte sua *Princeps Vilhelm* tentoria figit,
Heripreth (50), *Liuthard* (51), *Bigo*que (52), sive *Bero* (53),
Santio (54), *Libulfus* (55), *Hiltbibret* (56), atque *Hisimbard* (57),
Sive alii plures, quos recitare mora est.
Cetera per campos stabulat diffusa juventus,
Francus, Wasco, Getha, sive Aquitana cohors.
It fragor ad cœlum, resonat clangoribus æther;
Clamor in urbe, pavor, fletus & omnis adest.
Hæc quoque dum geritur, reduces fert Hesperus umbras,
Barchinona, tuas possidet hostis opes.
Lucida namq; homines ut primū aurora revisit,
Commoniti Gomites Regia tecta petunt;
Ordine quisque suo prorsus residuntque per herbam,
Auribus adtentis Regia dicta rogant.
Tum soboles Caroli sapienti hæc edidit ore:
Accipite hoc animis consilium, Proceres.
Si gens ista Deum coleret, Christoque placeret,
Baptismique foret unguine tincta sacri,
Pax firmanda esset nobis, pax atque tenenda,
Conjungi ut possit religione Deo.

Nunc

(44) Idest Saracenis, qui Aquitaniam crebris incursionibus affligebant.
(45) Sive *Rutbenicum*, nunc la *Rovergue*.
(46) Pro *vastavere*, ingenti praeda abducta.
(47) An potius: *en tua mater, ait?*
(48) Idest Barcinonensis.
(49) Eginhardus in annalibus ad annum Christi 801. haec scribit: *Ipsa aestate capta est Barcinona Civitas in Hispania, jam biennio obsessa*. Ergo coepta obsidio anno 799. Paria legas in Annal. Fuldens., Bertinianis, ac Loiselianis.
(50) In Vita Ludovici Pii a synchrono Auctore Astronomo scripta ad annum 808. hæc verba occurrunt: *Ludovicus Rex per semetipsum Tortosam repetere statuit, babens secum Heribertum, Liutardum Isembardum, validumque Franciæ supplementum*. Eumdem esse, qui heic *Heripretb* pro *Heripertb* appellatur, nemo inficias ierit. Circiter ea tempora vixit *Herebertus Comes Vivariensis*, ab isto fortasse diversus.
(51) Qui, ut nuper vidimus, ex Vita Ludovici Pii, ipsi Regi Tortosam versùs comes fuit. Antea vero quam Barcino deditionem faceret, teste ejusdem Vitae Auctore, *Ludovicus Rex coacto populo Regni sui Tolosae de bis, quae agenda videbantur, tractans deliberabat*. *Burgundione namque mortuo, Comitatus ejus Fedentiacus Liutardo est attributus*.
(52) Quem supra vidimus prae aliis Ludovico Pio carum, ac deinde constitutum Comitem Parisiensem.
(53) Uti Eginhardus in Vita Caroli Magni auctor est, inter ceteros, qui postremis tabulis inclyti hujus Imperatoris subscripsere, fuit *Bero Comes*. Post captam quoque Barcinonem, in Vita Ludovici Pii dicitur, *Bera Comes ibidem ad custodiam relictus*. Et ille quidem primus *Barcinonensis Comes* creatus, uti jam animadvertit Petrus de Marca Lib. 3. Cap. 17. Marcae Hispanicae, & infra confirmabitur Lib. 3. Poematis hujus, ubi de ipso sermo recurret. Baluzius Tom. 2. Capitularium pag. 1490. Judicium profert habitum anno 869. in quo nominatus hic idem *Bera Comes*, jam diu vita functus, & *Rotrudis* ejus filia.
(54) Cujus supra facta est mentio. Is erat *VVasconiae Princeps*.
(55) Nullum hujus mihi vestigium apud veteres occurrit, nisi quod in Annalib. Benedictin. ad annum 828. Mabillonius memorat *Leybulfum* quemdam illustrem virum, beneficium in Monachos Lirinenses, cui nihil rei cum isto *Libulfo* fortasse fuit.
(56) Pro *Hiltibertb*, ut infra, sive *Hildiberto*, quem Comitem fuisse censeo.
(57) Uti supra vidimus ex Vita Ludovici Pii, idem Augustus anno 808. secum Tortosam duxit *Heribertum*, *Liutardum*, *Isembardum*. Atque antea anno 806. *Isembardum*, *Hademarum*, *Beram*, *Burrellum cum reliquis* adversùs Saracenos direxit. Et hunc fuisse Comitem puto, ac fortassis patrem *Isembardi Comitis*, qui in Capitulari Caroli Calvi Regis anno 853. memoratur.

Nunc verò execranda manet, nostramq; salutem
Respuit, & sequitur Dæmonis imperia.
Idcirco hanc nobis pietas miserata Tonantis
Servitii (58) famulam reddere namque valet.
Nunc nunc actutū muros properemus & arces,
O Franci, & redeat pristina vis animis.
Æolico monitu rapidi ceu murmure venti
Per rus, per silvas, per freta cuncta volant.
Diripiuntque lares, segetes, silvæque tremescunt;
Uncis vix pedibus ales aprica tenet.
Nauta miser subitò, velo remoque relicto,
Per mare fluctivagum lintea laxa trahit.
Non aliter jussu Francorum exercitus omnis
Urbis in exitium itque reditque frequens.
Curritur in silvas, passim sonat acta securis,
Cæduntur pinus, populus alta cadit.
Hic scalas operatur, agit hic ordine sudes,
Hic fert arma celer, contrahit hic lapides.
Spicula densa cadunt, nec non & missile ferrum;
Ariete claustra tonant, fundaque crebra ferit.
Nec minus interea Maurorum spissa caterva
Per turres residens castra tenere parat.
Princeps urbis erat Maurus cognomine *Zadun* (59),
Urbem qui hanc validis rexerat ingeniis.
Currit hic ad muros mœsta comitante corona:
Quis sonus iste novus, o socii? rogitat.
Reddidit ast illi contraria dicta roganti
Quidam de sociis, omina dura canens:
Prœlia non miscet hero (60) Princeps (61) ille Gothorum,
Quæ totiens pepulit lancea nostra procul.
Sed Hludovvicus adest Caroli clarissima proles,
Ordinat ipse duces, & gerit arma manu.
Ni celerans subeat miseris nunc *Cordoba* (62) nobis,
Et nos, & populus, urbsque verenda cadet.
Ille quidem tristes submisso pectore voces
Jactat, & è turri haud procul arma videt.
Eja agite socii, muros servemus ab hoste:
Auxilium nobis Cordoba fortè feret.
At mihi mente sedet multum quod displicet, o gens,
Turbat & adtonitis quod recitare paro.
Hæc gens celsa vides, quæ nostras obsidet arces,
Fortis, & armigera est, duraque, sive celer.
Ecce fatebor enim vobis nunc aspera dictu,
Aut taceam, aut recitem, non placitura tamen.
Nam quemcumq; suo congressa est inclita bello,
Nolens, sive volens, servitio subiit.
Romuleum (63) sibi, quod quondam hanc condidit (64) urbem,
Subdidit Imperium cum ditione sua.
Arma ferunt semper, bellis est sueta juventus;
Bajulat hæc juvenis, hoc agit arte senex.
Namque ipsum nomen Francorum horresco recensens:
Francus habet nomen (65) à feritate sua.
Quid jam plura loquar tristi cum pectore, cives?
Heu mihi nota satis, nec recitata placent.
Firmemus muros valido custode tenendos:
Portarum custos credulus atque sagax.
Interea juvenes spissa comitante caterva
Ariete claustra terunt; undique Mars resonat.
Pulsantur muri quadrato marmore septi,
Spicula densa cadunt, & feriunt miseros.
Tum Maurus Durzaz turri conclamat ab alta
Voce cachinnosa bombica dicta canens:
O gens dura nimis, latum diffusa per Orbem,
Cur pia castra quatis, inquietasque pios?
Nonne putas subitò has evertere funditus ædes,
Quas Romanum annis mille peregit opus?
Aufuge, France ferox, te aspectibus abstrahe nostris,
Nec visu facilis, nec tua jussa placent.
Reddidit è contra non verbis dicta nefandis
Hilthiberth: arcum corripit ecce manu.
Denique clamanti contra stetit ocius hosti,
Cornea plectra tenens, & trahit, atque plicat.
Acta sagitta volans cerebro se contulit atro,
Inque os vociferum mersit arundo nocens.
Ille cadens muros invitus deserit altos.
Et moriens Francos sanguine fœdat atro.
Clamores tollunt lætanti pectore Franci;
E contra Mauros fletus habet miseros.
Tum varii varios demittunt funeris Orco:
Vilhelm Habirudar, at *Liuthardus* Uriz.
Lancea Zabirizun, ferrum forat actile Uzacum,
Funda ferit Colizan, acer (66) arundo Gozan.
Non aliter bello poterant accedere Franci,
Sed nunc missilibus, nunc quoque fundibulis.
Jusse-

(58) Hoc est: eos in servitutem nobis Deus singulos tradet.

(59) Ab Astronomo in Vita Ludovici Pii appellatur *Zaddo Dux Barcinonensis*. In Annalibus Bertinianis, & Metensibus ad annum 801. dicitur capta *Barcinona Civitas Hispaniae*, *&* *Zatun Praefectus ejus*.

(60) Puto pro *Heros*.

(61) Nempe *VVilhelmus Dux Tholosanus*, quem supra innuimus inclaruisse ex bellicis actibus adversus Arabes Hispaniae Tyrannos. Ideo *Gothorum Princeps* appellatur, quia Occitaniam regebat, nunc la *Languedoc*, quae *Gallia Gothica* appellabatur, aut saltem ejus portio, quae ad Hispanos contingebat. In Testamento Caroli Magni Pippino, si defecerit Ludovicus, adjudicatur *Provincia*, *&* *Septimania*, *sive Gothica usque ad Hispaniam*. Et quidem in veterum Francorum monumentis *Gothia* saepe memoratur, quod in ea Galliarum parte olim Gothi fuerunt dominati.

(62) Suberat tunc & Corduba Saracenis, ibique dominabatur *Albaca Rex*; sed quod ei bellum foret cum patruis suis, a Barcinonensibus tuendis abstinere coactus est. Rodericus Toletanus in Histor. Arab. cap. 25. *Dum Albacan bella cum suis patruis exerceret*, *Christiani Barcinonam acquisierunt*, *&* *Arabes vastationes &* *incendia sunt perpessi*.

(63) Et quidem nuper contigerat, ut Carolus M. Romanorum Imperator renuntiaretur, hoc est die Natalis Domini anno 800. quo Barcinonensis obsidio perdurabat, & in annum sequentem est protracta.

(64) Difficile ostendas, Barcinonem a Romanis conditam. Immo ab Ausonio appellatur *Punica Barcino*: quae verba Carthaginensibus potius illius originem tribuere videntur. Coloniam quidem illuc a Romanis deductam fuisse, extra controversiam est. Plinius Lib. III. Cap. 3. *In ora maris Colonia Barcino*, *cognomine Faventia*. Id quoque nos docent lapides adhuc superstites.

(65) Francos populos non aliud significare, quam liberos, contendunt multi, atque in primis Cluverius Lib. 3. Cap. 20. German. Antiquae, atque Hadrianus Valesius in Notitia Galliarum ad vocem *Francia*. Verum Sigebertus Gemblacensis in exordio suae Chronographiae haec habet: *Valentinianus Francos Attica Lingua appellavit*, *quod Latina Lingua interpretatur Feroces*. Eadem est sententia Pauli Aemilii, atque Anonymi Erphesfordensis in Collect. Pistorii. Contra idem Cluverius pro suo more in aliorum castigatione impavidus clamat: *Deliraverunt Paullus Aemilius*, *&* *Sigebertus*, *&* *quicumque cum his*, *vel ex horum fide talia prodiderunt*. Bona verba Cluveri. Ut ut Valentinianus hinc sit arcendus, en tibi vetustissimum testem, vel sub Ludovico Pio Augusto fuisse vulgo creditum, Francos *a feritate sua nomen* accepisse. Illi utique melius, quam recentibus perspecta erat Germanicae eorum temporum Linguae vis.

(66) Secunda manu additum loco prioris vocabuli erasi.

Jusserat acer eis Zadun nec credere bello,
Nec castris vellent fortè referre pedem.
Hæc quoq; bis (67)denos res per contraria Soles
Accidit, eventus contulit in varios.
Machina nulla valet murorum frangere postes:
Invenit haud aditum hostis in insidias.
Non tamen à cœpto cessat certamine bellum,
Quin muri crebro obice claustra terat.
Interea soboles Caroli præclara potentis
Sceptra manu gestans it comitante choro,
Hortaturque Duces, hortatur ritè catervas,
Et patrio more Martis in arma vocat.
Credite nunc juvenes, Proceres nunc credite cuncti,
Et maneant vestro pectore verba mea:
Antea non sedes Domino tribuente paternas
Visere cura manet, aut mea Regna mihi,
Quàm hæc urbs, populusq; suus belloq; fameq;
Victus eat supplex ad mea jura celer.
Tunc iterum quidam spargebat in æthera voces;
Tuta tenens muri, ludicra dicta dabat.
France quid insanis? cur mœnia nostra lacessis?
Hæc urbs non poterit ingeniosè capi.
Nobis esca satis, carnes, seu mellea dona
Urbe manent; vobis est quoque dira fames.
Reddidit econtra verbis contraria verba
Vilhelm; dedignans talia voce tulit:
Concipe, Maure, precor, haud mollia dicta superbe,
Nec placitura tibi, veraque credo satis.
Cernis equum maculis variisq; coloribus aptum.
Quo vehor, intendens mœnia vestra procul.
Ante equidem nostris indignis morsibus escis
Occidet, & nostro dente terendus erit,
Vestra vetata nimisquàm mœnia, nostra caterva
Deserat: haud umquam prœlia cœpta cadent.
Is nigra mox nigris percussit pectora pugnis
Ora uncis fœdans unguibus atra miser;
Et cadit in faciem perculsus corda pavore,
Infelix pulsans vocibus æthra poli.
Deseruere arces socii, magnoque stupore
Mirantur Francos, verbaque dura nimis.
Zado per immensos currit furibundus acervos:
Quò fugitis cives, quòve tenetis iter?
Zado, tibi Franci hæc nunc responsa remittunt:
Stat (68) placitura modò, quæ tamen ante cape.
Ante suos mandent probroso dente caballos,
Quàm tua castra umquam deseruisse volent.
O miseri cives jam dudum hæc ego vobis
Prædixi, cum quîs prœlia agenda forent.
Nunc quoq; consilium quodcumq;est utile vobis
Dicite, quo valeam cetera perficere.
Undique namq; vides densatim rumpere muros,
Atque tuos ferro dilacerante mori.
Cordoba nulla tibi promissa juvamina mittit;
Undique turbamur Marte, fameque, siti.
Quid jam restat enim, nisi Francis pace petenda,
Mittantur Missi, qui celeranter eant?
Ille quidem frendens vestem conscindit, & atros
Disrumpit crines, dilaceratque oculos.
Et sequitur verbis, iterumq; iterumq; profana
Cordoba voce vocat, inlachrymatque diu.

O Mauri celeres, quò nunc fiducia cessit?
Promite nunc vires nunc solitas socii.
Unum, per si quid nostri jam cura remansit,
Deprecor: hoc uno munere lætus ero.
Ipse ego conspexi, muro quà castra remittunt
Densa locum, constant raraque linteola (69).
Me potero insidias inlæsus ferre per illas:
Fors (70) socii nota currere ad auxilia.
Vos tantùm portas summo servate labore,
Haud timidi fratres, huc ego dum redeam.
Nulla quidem fortuna arces vos linquere cogat,
Nec campis hortor pergere in arma foràs.
Multa etiam mandata suis dans cessit ab urbe,
Et latitans furtim præterit agmen ovans.
Jamque tenebat iter per læta silentia noctis:
Infelix nimiùm protinus hinnit equus.
Quo clamore movent custodes agmina castris
Vocis ad hinnitum, moxque sequuntur eum.
Ille pavore viam linquens, vertitque cavallum,
Se se præcipitem in agmina densa dedit.
Conspicit invisas haud læta fronte catervas,
Infelix nec habet quo eruat ingenio.
Mox capitur (71); meritò vincitur, haud mora, loris:
Ducitur ad Regis lintea tecta tremens.
Fama volans totam turbat terroribus urbem,
Et Regem captum nuntiat ore suo.
Ingeminant luctum matresq; patresq; juvencli:
Hoc puer exiguus, hocque puella gerit.
Nec minor in castris passim sonus æthera pulsat,
Lætitiaque fremit unanimi populus.
Interea nox atra cadens aurora reportat
Alma diem: Franci Regia castra petunt.
Tum Caroli soboles pacato pectore fatur,
Atque suis famulis dicta benigna dedit:
Zadun ad Hispanas cupiens properare catervas,
Auxilium poscens, armaque, sive pares,
Captus adest nolens, vinctusque tenetur inermis
Ante fores nostros, non fuit ante oculos.
Fac *Vilhelme* suos possit quo cernere muros,
Et jubeat nobis pandere claustra celer.
Nec mora: Zado manum sequitur religatus habenis,
Et procul expansam sustulit arte manum.
Nam priùs abscedens sociis prædixerat ipse
Seu fortuna nequam, prospera sive cadat,
Nescio: si casu Francorũ incurrere (72) turmis,
Vos tamen, ut dixi, castra tenete precor.
Tum manus ad muros tendens vocitabat amicos:
Pandite jam socii claustra vetata diu.
Ingeniosus item digitos curvabat, & ungues
Figebat palmis, hæc simulanter agens.
Hoc autem inditio signabat castra tenenda,
Sed tamen invitus *pandite* voce vocat.
Hoc verò agnoscens *Vilhelmus* concitus illum
Percussit pugno, non simulanter agens.
Dentibus infrendens versat sub pectore curas;
Miratur Maurum sed magis ingenium.
Credito, ni quoque Regis amorque timorque vetaret,
Hæc tibi, Zado, dies ultima fortè foret.
Interea Zadun Franco custode tuetur,
At socii (73) flentes castra tenere parant.
Al-

(67) Idest viginti *Dies*: ita enim loqui Poetis antiquis in usu fuit. Temperare tamen mihi non possum, quin suspicer, Nigellum pro *Solibus* voluisse *menses* significare; uti enim Francorum annales habent, in *biennium* protracta est Barcinonensis obsidio; & quae sequuntur, satis innuere videntur, diu jam perstitisse Francos in eadem obsidione, quum Ludovicus Rex Proceres est alloquutus.

(68) Num *sat placitum*? an potius *stant placitura*?

(69) Sensus est: locum animadverti, ubi rara sunt hostium *tentoria*, atque aditus patet, per quem evadere per hostes possim.

(70) Ac fortasse mihi licebit ad Cordubensem Sultanum penetrare, ejusque impetrare praesidia.

(71) Eadem tradit Auctor Vitae Ludovici Pii his verbis: *Zaddo Dux Barcinonensis suasus est a quodam, sibi, ut putabat, amico, Narbonem usque procedere. Qui comprehensus, Ludovvico Regi est adductus.*

(72) Scriberem *incurrero*: quod sensus poscit.

(73) Idest Barcinonenses Saraceni Civitatem tueri pergunt.

Altera Luna suos complebat in ordine Soles,
Rex Francique simul castra vetata petunt.
Machina densa sonat, pulsantur & undiq; muri,
Mars furit, ante cui non fuerat similis.
Crebra sagitta cadit, vi funda retorta fatigat:
Rex agit illud opus, accelerando Duces.
Jam Mauri miseri nec muros scandere celsos
Audent, nec turri cernere castra volent.
Ac velut in parvo volucrum fors turba natantũ,
Cùm residet pavitans flumine fisa malè,
Armiger ecce Jovis cœlo descendit ab alto,
Inventas circum pervolitatque diu.
Hę caput in fundũ mittunt,relevantq; sub auras,
Ista algis recubat, illa repressa luto.
Instat at ille super pennis, tremulasque fatigat:
Quæ caput in ventos sublevat, ille rapit.
Non aliter Mauros timidos fugitando per urbẽ
Insequitur gladius undique, morsque, pavor.
Tum Rex ipse pius crispans hastile lacerto,
Inque urbem adversam compulit ire celer.
Hasta volans mediâ ventis se contulit urbi
Marmore subjecto figitur acta nimis.
Hoc signo Mauri turbati corde pavore
Mirantur ferrum, plus jacientis opus.
Quid facerẽt?Jam Rex aberat,jã pugna tepebat;
Maurorum primos abstulerat gladius.
Tamdem jam victi nimiùm belloque fameque,
Consilio unanimi reddere castra volunt.
Pãduntur(74)portę,penetralia cuncta patescunt,
Servitio Regis urbs labefacta venit.
Protinus optata sternuntur, haud mora, in urbe
Franci victores, hostibus imperitant:
Sabbatum erat sacrum, cùm res est ista peracta,
Quando priùs Francis urbs patefacta fuit.
Namq; sequente die festo conscendit in urbem
Rex Hludovvicus ovans solvere vota Deo.
Mundavitq; locos, ubi Dæmonis alma colebant,
Et Christo grates reddidit ipse pias.
Missis, dante Deo, remeat custodibus ædes
Ad proprias victor Rex, populusque suus.
Ducitur interea ad *Carolum* longo ordine præda
Maurorum spoliis, muneribusque ducum,
Arma, & loricæ, vestes, galeæque comantes,
Parthus equus phaleris, aurea fræna simul.
Zado (75) tremens nimiùm, nolensque revisere Francos,
Pergit & ipse pigro consociante gradu.
Bigo catus properans antevolat agmen.& aulam
Primus adest Caroli, nuntia læta ferens.
Fama recens totam commiscuit ociùs aulam,
Cæsareas aures mox penetravit ovans.
Bigo vocatus adest, plantis dat basia celsis,
Et sequitur verbis ordine jussa sibi.
Filius ecce pio transmittit munera patri
Augusto Carolo Rex Hludovvicus enim,
Munera, quæ gladio, scuto, proprioque lacerto
Extulit à Mauris victor habenda sibi.
Regem etiam vobis urbis, quam cepit in armis,
Misit, adest Zadun Cæsaris ante oculos.
Urbs, quæ Francorum multos populaverat olim
Victa jacet bello, Regia jussa petens.
Tum Carolus Cæsar placido hæc edidit ore,
Ad cœlum tendens lumina cum manibus:
Gratia celsi throni comitetur maximè prolem
Dilectam, maneat gratia nostra sibi.
Munere pro tali quas possum solvere grates,
Proles digna, Deo pro meritis propriis?
O soboles præclara nimis, quam semper amavi,
Corde tenens, retulit quod Patriarcha mihi
Paulinus (76) quondam. Fama est, Patriarcha benignus
Venerat ad sedes Rege jubente pias.
Cùmque die quadam Ecclesia resideret in alma,
Attonitus Christo psalleret ille melos,
Contigit, ut *Carolus* (77) soboles præclara parenti
Oratu Procerum pergeret auctus ope.
Isque aram properans cùm processisset ad illam,
Quò sacer Antistes munia digna dabat,
Paulinus, quis at ille foret, mox flagitat ultro.
Intendens famulus reddidit orsa (78) sibi.
Ille ut cognovit primam sobolem hunc fore Regis,
Conticuit; cœptum ille peragrat iter.
Deniq;post spatium *Pippinus*(79)venerat Heros
Magnanimũm juvenum cum comitante choro,
Paulinus celerans famulum compellat eumdem,
Et rogat: ille iterum vera referre parat.
Præsul ut agnovit nomen, Regiq;(80)recordans,
Mox caput inclinans: pergit at ille celer.
Ultimus ecce venit *Hludovvicus*, & ociùs aram
Amplectens supplex sternitur atque solo.
Inlachrymansq; diu precibus poscebat Olympi
Regnantem Christum, quo sibi ferret opem.
Hoc sacer (81) aspiciens, sellâ se sustulit ardens
Compellare sacrum cum pietate virum.
Antea nam Pippin, Caroloque abeunte, sedili
Hæserat, & nullis vocibus orsa dabat.
Deniq;Rex (82)vatem prostrato corpore adorat,
Paulinus Regem suscipit ecce pium.
Hymnica dicta dedit vario sermone referta:
Perge, ait, ad Carolum pro pietate. Vale.
Cæsaris ut primò vates pervênit ad aurem,
Ordine cuncta suo hæc recitavit ei:
Si Deus (83) è vestro Francorum semine Regem
Ordinat, iste tuis sedibus aptus erit.

Hæc

(74) In deditionem Ludovici Pii Barcino venit anno 801. uti concordes Francorum annales testantur. Pagius vero jamdiu animadvertit, deceptum fuisse Astronomum Auctorem Vitae Ludovici Pii, dum seriu ereptam Saracenis urbem scripsit.

(75) Accipe paria ex Eginhardi annalibus, quae in ceteris repetuntur: *Zatus Praefectus ejus* (nempe Barcinonis) *& alii complures Saraceni comprehensi. Zatus & Rosbelmus una die ad praesentiam Imperatoris deducti, & exilio damnati sunt.*

(76) Patriarcha Aquilejensis, vir *sanctissimus*, uti appellatur à Continuatore Pauli Diaconi apud Freherum. In Vit. Patriarchar. Aquilejens., quas edidi Tom. IV. Anecdot. Latin. pag. 240. de illo scribitur: *Ad gloriosum Carolum Magnum Imperatorem pro juribus Ecclesiae ampliandis profectus est. Et vir iste mirae sanctitatis ab Imperatore Carolo multa privilegia obtinuit.* De eo legenda etiam, quae habet Ughellus Tom. V. Ital. Sacr.

(77) Videlicet Caroli M. filius primogenitus, qui anno 811. ante patrem e vivis ereptus est.

(78) Ita quoque alibi. Apud Virgilium Lib. XI. Aeneid. occurrit *orsa referre*, pro verba coepta referre, ut Servius explicat. Inde noster desumsit.

(79) Secundus Caroli M. filius Italiae Rex, quem anno 810. immatura mors sustulit.

(80) Potius *Regemque*. Scilicet recordatus, eum esse Italiae Regem, mox ei caput aperuit.

(81) Pro *Sacerdos*. Eadem voce multis aliis in locis utitur Poeta noster.

(82) Idest *Ludovicus*. *Vatem*, hoc est *Patriarcham*.

(83) Vaticinium istud de Ludovici Pii post Caroli Magni parentis sui mortem successione ad Imperium, Alcuino Abbati celeberrimo tribuit Auctor ejus Vitae fere aequalis, Cap. X. part. I. pag. 156. Seculo IV. Benedictin. Interrogatus enim sanctus Abbas a Carolo, quem successorem ipse in Imperio esset habiturus, respondit: *Habebis Ludovicum humilem, successorem eximium.* Tum ad adsistentes conversus ait: *Cernitis Ludovicum fratribus suis humiliorem? certe videbitis hunc patri celsissimum successorem.* Utri ex hisce Scriptoribus potius adhibenda sit fides, aliorum esto judicium. Fortassis utrique.

Hæc paucis sapiens Carolus pandebat alumnis,
Quorum causa (84) sibi credula, sive placens.
Missum iterum revocat, quærit quoque in ordine cuncta,
Qualiter insignis urbs dominata foret.
Quo Rex ingenio Zadun comprensus adesset,
Quosque Duces bello straverat ipse fero.
Bigo bonus recitans, narratque per omnia vera,
Cujus verba pius Cæsar honore colit.
Cæsar lætus ei pateram (85), qua fortè bibebat,
Porrigit, ille bibit impiger hausta meri.
Mox famulum donis variisque honoribus ornans,
Misit & ad sobolem munera magna suam.
Laudibus & donis pergit celeranter onustus,
Lætus & ad Regem pervenit ecce suum.
Lætus ut exul (86) eat *Pippini* in Regna potentis,
Conferat altitonans, Cæsar & ipse potens.
Lætitiæ ergo Libelle habeas sub nomine finem,
Fratribus ut ternis consociatus eas.

(84) Nescio an heic adhibeatur *causa* pro *res*. Obscurus sensus ita explicandus videtur: Carolus haec pandebat familiaribus suis, quibus majorem habebat fidem, quique sibi prae ceteris placebant.

(85) Vide infra Anonymum Salernitanum, enarrantem, vinum a Ludovico II. Augusto propinatum Landulfo Episcopo Capuano. Id honoris causa in usu fuit.

(86) Ideft, ipse Ermoldus Nigellus Poeta exul deprecatur, ut sibi libertate data liceat reverti in *Regna Pippini*. Pippinus hic erat Ludovici Pii filius. Ejus Regnum Aquitania. Vide Praefationem meam ad hoc Poema.

EXPLICIT LIBER PRIMUS.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

Jamque, favente Deo, Francos pax undique habebat,
Straverat adversos Marsque Deusque viros.
Namque senex Carolus Cæsar venerabilis Orbi
Concilium (1) revocat ad sua tecta novum.
Aurato residens solio sic cœpit ab alto,
Electi circum quem resident Comites:
Audite, o Proceres, nostro nutrimine freti,
Agnita narro quidem, veraque credo satis
Dum mihi namque foret juvenali (2) in corpore virtus,
Viribus, atque armis ludere cura fuit.
Non torpore meo, turpique pavore, fatebor,
Francorum fines gens inimica tulit.
Jam quoq; sanguis hebet, torpescit dira senectus,
Florida canities lactea colla premit.
Dextera bellatrix quondam famosa per Orbem.
Sanguine frigente, jam tremebunda cadit.
Proles (3) nata mihi superis abscessit ab oris,
Ordine functa suo heu tumulata jacet,
Sed quoq; quæ potior, Dominoq; placentior olim
Visa fuit, semper est mihi cessa (4) modò.
Nec vos deseruit Christus, qui germine nostro
Servaret, Franci, nunc sobolem placitam.
Illa meis semper delectans inclyta jussis
Paruit, atque meum edidit imperium.
Semper amore Dei Ecclesiarum jura novavit,
Credita Regna sibi contulit in melius.
Vidistis, quę dona (5) olim Maurorū funere misit
Reg[illegible], arma, & vinctos, magna trophea simul.
Vos mihi consilium fido de pectore, Franci,
Dicite: nos promtè mox peragamus idem.
Tunc *Heinardus* (6) erat Caroli dilectus amore,
Ingenioque sagax, & bonitate vigens.
Hic cadit ante pedes, vestigia basiat alma,
Doctus consiliis incipit ista prior:
O Cæsar famose polo, terraque, marique,
Cæsareum qui das nomen habere tuis.
Addere consiliis nil nostrum est posse, nec ulli
Mortali potiùs Christus habere dedit.
Quæ tibi corde Deus miseratus contulit, hortor
Quantocius parens omnia perficias.
Filius alme tibi prædulcis moribus exstat,
Pro meritis qui quit Regna tenere tua.
Hunc petimus cuncti, majorq; minorq; popellus,
Hunc petit Ecclesia, Christus & ipse favet.
Hic valet Imperii post tristia funera vestri
Jura tenere armis, ingenioque, fide.
Annuit at Cæsar lætus, Christumque precatur.
Mittit & ad sobolem mox celerando suam.
Tempore namque illo Hludovvic bonus Aquitanorum,
Ut supra cecini, Regna tenebat ovans.
Quid moror? extemplo patris pervênit ad aulā:
Gaudet Aquis (7) Clerus, plebs, Proceresque, Pater.
Incipit hæc iterum Carolus, per singula verba,
Dilectæ proli narrat & exposuit.
Nate Deo care, & patri, populoque subacto,
Quem mihi solamen cessit habere Deus.
Cernis at ipse meam senio properante senectam
Deficere, & tempus mortis (8) inesse mihi.
Prima mei cura Regni moderamina constant,
Quæ immeritò mihimet contulit ipse Deus.
Non favor, aut levitas humanæ mentis adurguet (9),
Quæ tibi crede loquor, sed pietatis amor.
Francia me genuit, Christus concessit honorem,
Regna paterna mihi Christus habere dedit.
Hæc eadem tenui, nec non potiora recepi,
Christicoloque fuit Pastor, & arma gregi.
Cæsareum primus Francorum nomen adeptus,
Francis Romuleum nomen habere dedi.
Hæc ait, & capiti gemmis auroq; coronam (10)
Imposuit pignus Imperii sobolis.
Accipe nate meam, Christo tribuente, coronam,
Imperiique decus suscipe nate simul.
Qui tibi concessit culmen miseratus honoris,
Conferat ipse tibi posse placere sibi.
Tum pater, & soboles præstandi munere læti,
Prandia magna colunt cum pietate Dei.
O festiva dies multos memoranda per annos!
Augustos geminos, Francica terra, tenes.
Francia plaude libens: plaudat simul aurea (11) Roma.
Imperium spectant cetera Regna tuum.
Tum Carolus sapiens multis suadebat alumnum,
Diligat ut Christum, Ecclesiamque colat.
Amplexans nimiùm libabat & oscula pulcra;
Dat licitum (12) ad propria, verba suprema sonat. Tem-

(1) Eginhardus in Annalib. ad Annum 813 *Habito generali Conventu, evocatum ad se Aquisgrani filium suum Ludovicum Aquitaniae Regem excipiens, coronam illi imposuit, & Imperialis nominis sibi consortem fecit.* Haec latius ad eumdem annum 813. narrantur ab Auctore Vitae Ludovici ipsius.

(2) Ita in MSto pro *juvenili*.

(3) Nimirum ei mors praematura anno 810. *Pippinum*, anno autem 811. *Carolum*, ambos ejusdem Caroli M. filios sustulerat.

(4) Idest *relicta*.

(5) Ultra mensuram excurrit, quia septem pedibus constat hic versus. Delendum illud *dona*, veluti superfluum, & a quopiam sciolo adjectum: legendum vero: *Vidistis quae olim*.

(6) Qui heic Poetae nostro nominatur, idem est atque *Eginhardus*, vir celeberrimus, ab aliis quoque antiquis *Heinardus* appellatus, Auctor Vitae Caroli M. atque, ut multi arbitrantur, etiam Annalium Francorum, Notarius & familiaris ipsius Augusti, eique inter paucos carus, ut Ermoldus ipse testatur. *Immam* quoque ipsius Caroli filiam duxisse traditur: quod tamen non aeque certum.

(7) Scilicet *Aquisgrani*, quam sedem sibi praecipuam delegerat Carolus Magnus.

(8) Quae revera eum sustulit anno proxime sequenti 814.

(9) Pro *adurget*. In Pandectis quoque Florentinis, in vetustissimis Virgilii Codicibus, & in nonnullis lapidibus legi *urguere*, Dausquius in Ortograph. animadvertit.

(10) Consentiunt Annales omnes, non tantum *cunctorum consilio totius Regni, & Imperialis nominis consortem* constitutum a Carolo Augusto Ludovicum filium, sed etiam *Imperiali diademate coronatum*: quam tamen coronationem postea Stephanus Romanus Pontifex repetivit, & confirmavit, ut infra habetur.

(11) Idest supra ceteras urbes praestantissima. Ita vero titulus hic insequentibus temporibus invaluit, ut in sigillis Augustorum adhiberetur. Diploma Ottonis I. anno 972. scriptum praefert sigillum plumbeum pendens, in cujus antica visitur caput cum epigraphe AVREA ROMA in postica vero parte OTTO IPERATOR ROMANOR. Eadem aut similia legas in nonnullis aliis Caesarum sigillis.

(12) Hoc est, dat licentiam sive veniam, atque eum finit ad Regna propria, sive in Aquitaniam, regredi.

Tempore (13) non multo senio maturus & annis
Visitat antiquos funere Cæsar avos.
Funera digna parant, mandātur mēbra sepulcro
Basilica in propria, quam sibi fecit Aquis.
Mittitur interea narret qui funera nato
Patris; adest Rampho (14) qui celer ire parat.
Nocte dieque volat, terras perlabitur amplas,
Pervēnit tamdem, quò Hludovvicus erat.
Trans fluvium Ligeris locus est quippe uber, & aptus;
Cingitur hinc silvis, hinc quoque planicie,
At medius placido fluviorum gurgite vernat,
Piscibus est habilis, est locuplexque feris.
Quo Hludovvicus ovans prçcelsa Palatia struxit.
Quæris? inest *Thedvvat* (15) nomen, amice, sib
Huc pia subjectæ censebat munia plebi,
Clerum, seu populum cum pietate regens.
Cùm subitò penetrans totam commiscuit aulam
Rampho, ferens Caroli funera mœsta pii.
Hæc ut fama boni pervēnit Regis ad aures,
Illico tristatur, flet, lachrymatque patrem.
Inter cunctantes concurrit *Bigo* ministros:
Suetus erat dominum visere mane suum.
Hortatur siccare genas, deponere fletus:
Altera, ait, causa est nunc peragenda tibi.
Hæc ut nota manēt vestro sub pectore, Princeps,
Humani generis sors tenet ista viros.
Nos omnes, fateor, porrò properabimus illuc;
Non tamen ex illis quis repedare valet.
Surgite, & Ecclesiī cuncti properemus in almā:
Hymnica vota Deo psallere tempus adest.
Auscultans famulum, tamdem surrexit, & omnes
Hortatur secum solvere vota Deo.
Nox fuit illa quidem Psalmis Hymnisq; referta,
Missarum modulis atque peracta dies.
Tertia jamque dies claro surgebat Olympo,
Resplendetque suis Phœbus in Orbe comis.
Cùm undiq; turba ruit Francorū concita Regnis,
Regis in occursum plebs petit omnis ovans.
Et Caroli Proceres prorsus, Regniq; priores,
Atque Sacerdotum currit amica cohors.
Densanturque viç, replentur claustra domorum;
Non capitur tecto, scandit in alta domus.
Flumina non retinent trepidos, nec horrida silva,
Nec glacialis hyems, nec pluviosa dies.
Qui rate non valuit, satagens hic fortè natabat
Trans fluvium Ligeris certat abire prior.
O quantos populos celsa de rupe videres
Absque rate in fluvium se dare præcipites!
Aurelianenses (16) illos risere natantes:
Turre vocant summa: litus amate viri.
Unus amor cunctis erat, omnibus una voluntas,
Cernere quo faciem Regis ad usque queant.
Conveniunt tamdem, recipit quos Rex pius omnes
Ordine quemque suo cum pietatis ope.
Aurelianis ovans Cæsar mox visitat urbem,
Quo vexilla Crucis (17), sive *Aniane* manes.
Heburti felix, qui primò hanc perficis arcem,
Seu *Maximine*, sancteve *Avite* micas.
Inde *Parisiacas* properant citò visere sedes,
Quo *Stephanus* (18) Martyr culmina summa tenet.
Quo *Germane* tuum colitur sanctissime corpus,
Quo *Genuveffa* micat virgo dicata Deo.
Irmino (19) plaude libens, quod sæpiùs ecce rogasti:
Cæsaris adventum, dante Tonante, vides.
Nec tua præteriit *Dionysi* culmina Martyr,
Quin adiens tibimet posceret auxilium.
Hinc iter arripiunt, Francorum Regna peragrant,
Tramite pacifico Rex *Aquis* ingreditur.
Eja Camœna Deum precibus pulsare supinis
Restat, quo nobis conferat eloquium.
Quid priùs incipiam? cùm quæ gerit omnia prima,
Constent, atque micent gesta benigna viri.
Denique limitibus firmatis ordine Regni,
Finibus Imperii dispositisque simul,
Protinus expendit thesauros largus avitos
Pro mercede patris, atque animæ requie.
Quæque patrum virtus Carolus congesserat, ipse
Pauperibus tribuit, Ecclesiisque sacris.
Aurea vasa dedit, vestes, seu pallia multa:
Argenti cumulat ampla talenta meri.
Spargit opes varias, arma innumerandaq; valde;
Munera distribuit pauper habenda tibi.
O felix Carolus, sobolem qui liquit in Orbe,
Qui satagit Cœli, quo pater, intret iter.
Car-

(13) Anno 814. ut supra innui, finem vivendi fecit gloriosissimus Imperator.

(14) In Vita Ludovici Pii eadem leguntur his verbis: *Defuncto patre piae recordationis, missus est Rampho ab eis, qui sepulturam ejus curarunt, ut & mortem ejus Ludovicus mature cognosceret*. *Rampo* autem, & *Rampho* dicitur ea licentia, qua olim *Campio* & *Campbio* scribebantur. In Praecepto Ludovici Pii ad annum 823. spectante, apud Baluzium Tom. II. pag. 1425. Capitular. legitur, *qualiter vir illustris Rapo Comes nostram adiit serenitatem*, privilegium poscens pro Monasterio Balneolensi in Dioecesi Gerundensi, quod idem Comes multis praediis ditaverat. Sed legendum *Rampo*; idque ex altero Diplomate Caroli Calvi constat, ubi is anno 844 plura confirmat eidem Monasterio, quod Domnulus Abbas *una per licentiam Ramponi Marchionis propriis manibus construxit*. Siquidem unus & idem fuerit Rampo Comes, & Rampo Marchio (pater enim & filius esse potuerunt) nunc discimus, eum *Gerundensem Comitem* fuisse, ac subinde Marchionis titulo auctum, quod Marcae Hispanicae fines contra Saracenos tueretur.

(15) In praclaudata Ludovici Pii Vita traditur, quo tempore Carolus Magnus e vivis excessit, a Ludovico indictum fuisse *Concilium generale in loco, cujus vocabulum est Teboivadus*. Situm erat (& adhuc superesse dicuntur ejus vestigia) ejusmodi Palatium in Dioecesi Andegavensi. Nunc *Doadum* seu *Dovè* appellatur, variis nominibus memoratum ab Eginhardo, Thegano, Hincmaro, Annalista Tiliano, & aliis. De eo plura habes in Notitia Galliarum Hadriani Valesii, & in Diplomatic. Mabillonii Lib. 4. Cap. 142.

(16) Praeclara Aurelianensis Urbs, *Orleans*, sedet & ipsa ad Ligerim (*la Loyre*) sed supra Andegavensem, sive *Angers*, quo Aquisgranensi & Parisiensi ex Urbe potissimum populi confluebant ad invisendum novum Augustum. Uti adnotatum in Vita Ludovici, ipse quoquę *Rampo*, antequam perveniret Thedvvat, *Aurelianensem devenit ad Urbem*.

(17) Ibi adhuc visitur omnium amplissimum, illudquę Cathedrale Templum sub titulo Sanctae Crucis Deo Opt. Max. dicatum. *Anianus*, *Heburtius*, *Maximinus*, & *Avitus*, sancti viri, sub quorum nomine insigniores aliae Basilicae in Aurelianensi Civitate majore cultu frequentabantur.

(18) Et heic enumerantur praecipua Parisiorum Templa, quae pius Augustus tunc visitavit. Res nota nil aliud exposcit, nisi quod hinc discere possumus, Basilicam Sancti Stephani paucis post Clodovei Regnum annis conditam, atque anno 1610. a Margarita Regina restitutam, olim inter praecipuas fuisse Parisiis, ne dicam praecipuam.

(19) Seu *Hirmino*. Erat is Abbas celeberrimi Monasterii Sancti Germani de Pratis, cujus gloriam mirum auxerunt, & adhuc augere pergunt Clarissimi Monachi e Congregatione Sancti Mauri. Teste Eginhardo & iste Abbas subscripsit postremis tabulis Caroli Magni. Nonnulla ejus acta memorat Mabillonius in Annal. Benedictin. ad annum 823.

Carceris antra aperire jubet, truſoſq; relaxat,
Exilio relevat pro pietate viros.
Mira facit, prorſus memori narranda relatu,
Unde ſui fama nunc ſuper aſtra manet.
Eligit extemplo Miſſos (20), quos mittat in Orbem,
Quorum vita proba ſit, generoſa fides.
Munera quos nequeant flecti, nec ſæva potentum
Blandities, favor, aut ingenioſa lues.
Qui peragrent celeres Francorum Regna perampla,
Juſtitiam faciant, judiciumque ſimul.
Quos pater, aut patris ſub tempore preſſerat urguens
Servitium, relevent, munere (21) ſive dolo.
O quantos qualeſque viros, quos aſpera jura
Lexque aurata premit, atque potens pretio,
Liberat ipſe potens, & libertatis honorem
Præſtat habere ſui Cæſar amore patris!
Atque ſuis manibus præfirmat munere chartas (22),
Degere quis cuncto tempore jure queant.
Belliger ipſe pater cum Regna adquireret armis,
Intentus bellis aſſiduuſque foret,
Tum vitium (23) hoc paſſim ſpiſſis ſuccrevit ariſtis,
Sed tamen adveniens mox Hludovvice ſecas.
Qualia per Mundū confregit geſta (24) celidri!
Chriſticolis ceſſit munera quanta quidem!
Hæc canit Orbis ovans latè, vulgoque reſultant;
Plus populo reſonant, quàm canat arte melos.
Cui (25) clareſcens creſcit doctrina per Orbem:
Commiſſum Imperium ordinat, armat, alit.
Tum jubet acciri Romana ab Sede patronum,
Cui *Stephanus* (26) nomen ſecula læta dabant.
Paret amore Sacer (27), juſſiſque obtemperat almis,
Francorum properat viſere Regna libens.
Cæſareum (28) *Remis* lætus proſpectat ab urbe,
Quos (29) ibi Concilium juſſerat ante fore.
Concurrunt varii, redeuntque ſub ordine Miſſi
Cæſaris, atque Sacri vota benigna ferunt.
Nuntius ante volat, narret qui Præſulis ardens
Romani adventum, concelerante gradu.
Tum Hludovvicus agens Clerum, populumque Senatum,
Ordinat, inſtituit, præparat, atque locat.
Dextram qui teneant partem, teneantque ſiniſtram,
Qui prior accedat, quique ſequatur iter.
Turba Sacerdotū dextram tenet agmine longo;
Pſallentes ſpectant relligione Patrem.
Parte alia Proceres lecti, primique potentes
Conſiſtunt; populus poſteriora tenet.
At medius Cæſar gemmis auroque refulgens,
Veſte licèt radiet, plus pietate micat.
Conveniunt tamdem diverſis partibus ambo;
Ille gradu (30) pollens, hic bonitate vigens.
Alter in alterius conſpectum ut lumina fixit,
Currit in amplexus mox celerando pios.
Rex tamen ante ſagax flexato (31) poplite adorat,
Terq; quaterque, Dei, ſive in honore Petri.
Suſcipit hunc ſupplex Stephanus, manibuſque ſacratis
Sublevat à terra, baſiat ore libens.
Nunc oculos, nunc ora, caput, nunc pectora, colla
Baſiat alterutri Rexque, Sacerque pius.
Tum manibus palmas digitos digitiſq; tenentes,
Cæſar cum Stephano candida tecta petit.
Eccleſiam peragrant primò, precibuſque Tonantem
Compellant, grates votaque danda canunt.
Mox aulam repetunt, ad prandia magna volando:
Conſidunt, manibus dant famuli latices.
Prandia digna colunt, prægustant munera Bacchi,
Et ſermone pio jam ſuper ora movent.
()

---

(20) Egregium hunc morem veterum Francorum Regum ſatis norunt Eruditi, ſed non ſatis laudant. Nempe deligebantur eximii viri, qui vice Regis, ingentique cum auctoritate, Provincias peragrabant *ad ſingulorum hominum cauſas audiendas ac deliberandas*, ut ipſimet profitebantur. Eorum proinde virtute & cura abuſus tollebantur, lites dirimebantur, praepotentibus terrores ac poenae incutebantur. Plurima mentio iſtorum occurrit inter Leges Langobardicas part. II. Tom. I. Collectionis hujus, & in Capitularibus Regum Francorum, atque apud alios vetuſtos Auctores. Plurima etiam illorum Placita habentur cum edita, tum inedita; atque in iis ſeligendis potiſſimum emicuit Ludovici Pii prudentia & caritas.

(21) Refertur haec vox, uti & *dolo* ad ſervitium. Nempe multos liberorum hominum potentes viri inique ſibi effecerant ſervos, aut pecunia data, aut dolo, ſive *ingenioſe*, ut Leges loquuntur. De hiſce non una eſt Lex inter Langobardicas, atque inter Capitularia Regum Francorum.

(22) Manumiſſionum veterum Chartae plures exiſtunt; eaſque ſinguli, dum libertate donarentur, ſibi a dominis manumittentibus conquirebant, ut ſi opus foret, exinde libertatem eamdem in judicio tuerentur. *Chartas ingenuitatis* tunc appellare in uſu fuit. Quod prae ceteris ſumme pius Imperator Ludovicus praeſtitit, ipſe manu ſua propria Manumiſſorum chartas ſignare conſuevit.

(23) Ubique invaluerat mos ſub Carolo Magno, *& ſpiſſis ariſtis*, hoc eſt per multos annos, vitium hoc ſuccreverat, ut liberi homines, eorumque conjuges & liberi in ſervitutem traherentur, neque tantum ex hoſtibus devictis, ſed etiam ex ipſis Regno Francorum ſubjectis. Ejuſmodi morbo praeſentiſſimum remedium adhibuit Ludovicus Pius. Vide inter Leges Langobardicas ejuſdem Auguſti Legem *Primum omnium*.

(24) Sive *chelydri*: ſcilicet Satanae.

(25) An potius *cujuſ* ?

(26) Hujus nominis *Quartus*, quem alii *Quintum* appellare conſueverunt. Eum a Ludovico Pio in Franciam accitum auctor eſt Poeta noſter. Theganus vero ſecus ſentire videtur, haec de eodem Papa ſcribens: *Statim poſtquam Pontificatum ſuſcepit, juſſit, omnem Populum Romanum fidelitatem cum juramento promittere Ludovico; & dirigens Legatos ſuos ad ſupradictum Principem, nuntiavit ei, ut libenter eum videre voluiſſet in loco ubicumque ſibi placuiſſet*. Neque diſpar eſſe videtur Eginharti ſententia in Annal. Francorum. Anaſtaſius in ejus Vita nihil aliud habet, niſi eum arripuiſſe iter in Franciam, *pro confirmanda pace, & unitate Sanctae Dei Eccleſiae*; reliqua vero illic ab eo geſta praeterit, quae a Francorum Chronologis ſunt petenda.

(27) Pro *Sacerdos*. Pluries infra eadem vox occurrit.

(28) Lego *Caeſar eum*. Et reapſe Ludovicus Auguſtus Stephano Papae, uti Eginhardus ſcribit, *Remis occurrere ſtatuit*. Sive, ut habet Auctor Vitae ipſius Ludovici, *adventum ejus Remis ſuſtinere ſtatuit*.

(29) Reſtituo *quo ſibi* Ideſt, quo in loco ad Pontificem excipiendum coacti ante fuerant, Ludovico jubente, Clerus & Proceres Regni.

(30) Scilicet Stephanus Pontifex dignitate Regi praecellens.

(31) Non ſolum flexo genu Ludovicus Auguſtus Stephano obſequium exhibuit, ſed etiam plus feciſſe videtur ex hiſce Thegani Auctoris Synchroni verbis: *Deſcendit uterque de equo ſuo, & Princeps ſe proſternens omni corpore in terram tribus vicibus ante pedes tanti Pontificis, & tertia vice erectus ſalutavit Pontificem &c.*

O sacer Antistis (32), Romani Pastor ovilis,
Qui vice Apostolica pascis ovile Petri,
Quæ (33) te causa tulit (Cæsar sic orsus) ad istam
Francorum patriam? redde responsa mihi.
Ille ut erat placidus, pacato pectore fatur,
Perlustrans Regem vultibus assiduis:
Quæ Reginam Austri quondam Sapientis amore
Per varias plebes, per freta, perque nives,
Hæc me causa tuas, Cæsar, perduxit ad arces,
Qui Salomoniacas fers mihi rite dapes.
Fama meas dudum, Princeps, pervênit ad aures,
Quanta Dei populo fers pater auxilia,
Quantaque per Mundum resplendent dogmata vestra,
Præcellis (34) tuos arte fideque patres.
Non tamen obsistens potuit res ulla volentem
Frangere, quin possim cernere gesta tua.
Sermo quidem nullus valuit mihi tanta referre,
Quanta meis confers gesta benigna oculis.
Reginæ ergo tibi illius nunc verba renarro,
Quæ Salomoniacis auribus ipsa tulit.
Cerneret ut Regem, famulos, sive ordine vestes,
Pincernasque suos, sive domos varias:
Felices famuli, felices denique servi,
Qui stant & cernunt inclyta gesta tua.
Haurit & aure pia qui dogmata vestra beatus,
Et populus felix, Regna beata simul.
Sit Deus excelsus toto recolendus amore,
Qui tibi concessit dogmata tanta pater;
Cui placet, atque thronum qui dat retinere paternum,
Dilexitque suos te super instituens.
His Regina Saba est Salomonem adfata potentem:
His ego te supplex ausus adire fui.
Tu tamen es potior, tu ritè potentior exstas:
Ille umbram retinens, tu quia vera colis.
Ille fuit sapiens nimiùm, sed cessit amori;
Tu sapiens castè vivis amore Dei.
Israël ille fuit Regnator solius arcis:
Tu pius Europæ Regna potenter habes.
Ergo Deum cuncti precibus pulsemus opimis,
Ut te conservet secla per ampla suis.
His aliisque Sacer quampluribus insuper almum
Compellat Regem, Cæsar & ipse Sacrum.
Pocula densa volant, tangitq; volentia Bacchus
Corda, fremit populus lætitia unanimi.
Transactis epulis surgunt, mensisque relictis
Cæsar cum Stephano tecta secreta petit.
Noctem illam curis, variisque sub ordine rebus
Dimittunt: oculis somnus at ipse fugit.
Mane novo Cæsar Stephanum; Proceresque, Senatum
Convocat: ast illi Regia jussa colunt.
Cæsar in excelsa consedit sede togatus,
Multa tenens animo, quæ parat incipere.
Aurea sella Sacrum lateri sociavit amico,
At Proceres resident ordine quisque suo.
Tum pius hæc Cæsar, Sacro, famulisq; subactis
Edidit ore prior aurea verba sonans:

Audite hæc Proceres, & tu sanctissime Præsul,
Hoc commune bonum suscipite unanimes.
En mihi cunctipotens miseratus Regna paterna
Cessit habere Deus, & decus omne simul.
Non meritis, ut credo, meis, sed patris honorem
Hunc miserans Christus cessit habere mihi.
Ergo precor fidos, & te præclare Sacerdos,
Ut mihi consilii ritè feratis opem.
Et ferte auxilium qui mecum regmina nostra
Servatis, famuli, tuque beate Sacer,
Quo Clerus, populusque meus, pauperque, potensque
Jura paterna sequi me faciente queant.
Regula (35) sancta Patrum constringat in ordine Clerum,
Et populum societ lex veneranda Patrum.
Et Monachorũ ordo Benedicti dogmate crescat,
Moribus & vita pascua sancta petat.
Divés agat legem, pauper teneatur eadem,
Nec personarum sit locus atque modus.
Munera sæva locum nullis redimita metallis
Haud teneant, cedant dona maligna procul.
Si quoque jure gregem Domini nos pascimus almum,
Quem mihi, sive tibi, Pastor amate, dedit;
Corrigimus pravos, donamus munere justos,
Et facimus populum jura paterna sequi:
Tum Deus excelsus nobis, populoque sequaci
Præstabit miserans Regna beata poli,
Atque in præsenti nostrum servabit honorem,
Infestos hostes hic (*) procul ire facit.
Nos simus Clero exemplum, seu norma popelli:
Justitiam doceat Præsul uterque suos.
Israël ille Dei populus dilectus amore,
Qui pedibus siccis per maris ivit iter,
Cui Deus in eremo tantis labentibus annis
Manna cibum tribuit, rupe volucre dapes;
Cui fuit arma Deus, gladius, scutumque, viator,
Ad repromissum vexit honore locum;
Quo præcepta Dei servavit adusque docentis,
Justitiam coluit, judiciumque dedit;
Dumq; in amore pio Dominum dilexit eumdem,
Non aliena sequens, sed pia dicta Dei:
Adversas illi prostravit numine gentes,
Prospera cuncta dedit, atque inimica tulit.
O felix semper Domini si jussa sequutus
Adforet, æternum Regna teneret ovans.
Divitiis incautè ut primò indulsit opimis,
Justitiam liquit, & simul omne bonum,
Deseruitque Deum, coluit mox Idola vana:
Idcirco passus tot mala ritè fuit.
Sed Pater architenens plagis variisque flagellis
Correxit, docuit, pristina jura dedit
Ut miser afflictus Domini meminisse volebat,
Mox pius altor enim suscipiebat eum.
Hæc gens sola Deum norat, partimque Tonantis
Parebat dictis, atque colebat eum.
Cetera turba quidem servabat jussa celidri,
Factorem ignorans, Dæmonis orsa sequens.
Hic

(32) Pro *Antistes*. Ita in MSto.
(33) Antea nos monuit Poeta, atque iterum infra repetet, accitum fuisse Pontificem a Ludovico Pio in Franciam. Nunc Ludovicum inducit sciscitantem causam, cur ille se in Gallias contulerit. Non bene ista cohaerent. Et quidem postrema haec cum reliquis eorum temporum Chronologis concordant, prodentibus, Stephanum IV. sponte illuc profectum.
(34) Scripserit fortasse Nigellus *praecellisque tuos*.
(35) Innuit Poeta Librum de *Vita Clericorum*, sive de institutione *Canonicorum*, quam tunc pius iste Caesar meditabatur, & ipso curante subinde ipso anno 816. in Concilio Aquisgranensi statuerunt Episcopi. Quod pium institutum, in paucas antea Ecclesias invectum, deinde per universa Regna Francorum, atque adeo per ipsam Italiam propagari coeptum est. Haec de Ludovico habet Ademarus in suo Chronico: *Jussit fieri Regulam Canonicis, excerptam de diversis Patrum Scripturis, decrevitque eam observandam a Canonicis, ut sicut Monachi respiciunt ad Librum Regulae Sancti Benedicti, sic perlegant Canonici inter se Librum Vitae Clericorum*. Nihil habet heic Poeta de Sanctimonialibus, quibus tamen Regulam quoque praescribendam Ludovicus curavit.
(*) Fortassis *hinc procul*.

Hic per triquadrum (36) regnabat (proh dolor) Orbem,
Et genus humanum in ſua Regna dabat.
Jamque Sacerdotes, Reges, ſolemnica jura
Ceſſabant prorſus, hoſtia ſive ſacra.
Tum pius indoluit genitor, Verbumque ſalutis
Tranſmiſit Mundo, ut nos pius erueret.
Ille lavit proprio miſerans de ſanguine Mundum,
Dogmata clara dedit, juſtitiam docuit.
Infernique potens confregit numine valvas,
Eruit electos, Dæmonis arma tulit.
Inde ſuperna petens conſcendit in æthera victor,
Chriſticolûm nobis nomen habere dedit.
Quiſque cupit Chriſti nunc nomen habere, neceſſe eſt
Quo caput abceſſit, prendere certet iter.
Quamvis dante Deo totus nunc Mundus abundet
Chriſticolûm turbis, Eccleſiæque fide,
Nec ſit opus Domini famulos pro nomine cædi,
Cùm paſſim Chriſti nomen in Orbe boët;
Et malè fida cohors, Domini quę dogma refutat,
Cuſpide Chriſticolo jam procul acta fugit;
Quamvis Eccleſiæ Patres, noſtroſque priores
Mors tulit atra quidem, nunc tenet aula Dei:
Morte licèt nequeamus, eos certemus ovantes
Corde ſequi puro, juſtitiaque, fide.
Diligat omnis homo fratrem, monitâte Johanne,
Quem videt, ut Chriſtũ cernere mente queat.
Hic ait ad Petrum: Simon me diligis, an non?
Ter cui Petrus ait: ſcis quia temet amo.
Si me, Chriſtus ait, hortor, tu diligis, agnos
Paſce meos, Petre, cum pietatis ope.
Ergo, Sacer, plebem noſtri eſt curare ſubactam,
Nobis quam Dominus paſcere conſtituit.
Tu ſacer Antiſtis, ego Rex ſum Chriſticolarum:
Servemus populum dogmate, lege, fide.
Addidit at Cæſar paucis hæc inſuper ore,
Quæ ſacer Antiſtis ſuſcipit aure pia.
Si tua jura (37) manent, Petri qui regmina curas,
Et vice partita paſcis ovile ſuum.
Sin aliud, penitus moneo, ut mihi cuncta Sacerdos
Edicas: faciam mox tua verba libens.
Ut mea progenies Petri ſervavit honorem,
Sic ego ſervabo, Præſul, amore Dei.
Mox verò famulum revocat *Heliſachar* (38) amatum,
Aure ſonans cujus hæc pia dicta dabat:
Excipe, vade citò, & firmis hæc inſere (39) chartis,
Quæ volo perpetuò fixa manere quidem.
Cenſeo per Regnũ noſtro moderamine ſeptum,
Atque per Imperium, dante Tonante, meum,
Ut res Eccleſiæ Petri, Sediſque perennis,
Inlæſæ vigeant ſemper honore Dei.
Ut priùs Eccleſia hæc Paſtorum munere fulta
Summum apicem (40) tenuit, & teneat volumus.

Creſcat honor Petri noſtro ſub tempore: crevit
Temporibus Caroli patris & utque mei.
Addimus at, Præſul, tantum eſt ut ſupra locutũ,
Juſtitiam recolat qui ſedet arce Petri.
Hæc eſt cauſa, Sacer, qua te accerſire rogavi.
Adjutor fortis eſto beate mihi.
Tum Sacer ad cœlũ palmis cùm lumina tendens
Orabat, recinens hæc quoque verba Deo.
O Dee celſitonans, qui regmina cuncta creaſti,
Nate ſimul Chriſte, Spiritus atque ſacer;
Tu Petre, qui cœli præclarus claviger exſtas,
Rete trahis populum ad cœlica Regna tuo,
Et vos Cœlicolæ, quorum nunc corpora Roma
Servat, & officia ſedula digna parat:
Ad populi regimen, Regni, Eccleſięque decorem
Servate hunc Regem ſecla per ampla precor.
Dogmate, Marte, Fide mores præcellit avitos,
Curat & Eccleſiam, Imperiumque regit.
Et Sedem Petri ſummo prædītat honore,
Et Pater, & Sacer eſt, altor, & arma ſuis.
Hoc dicto celerans amplexibus hæſit amicis,
Lætus honore ſuo, munere ſive Petri.
Inchoat, & cunctis monitans dat juſſa ſilendi;
Ore benigna refert hæc pius orſa pio.
Roma tibi, Cæſar, tranſmittit munera Petri,
Digna ſatis digno, convenienſque decus.
Tum jubet adferri gemmis auroque coronam,
Quæ Conſtantini (41) Cæſaris ante fuit.
Accipit ipſe manu, verbis benedicit, & orat,
Stemmata (42) clara tenens, lumina panſa polo.
Qui regis Imperium Mundi, ſeclumq; gubernas,
Qui Romæ (43) cenſes Orbis habere caput,
Exaudi, precibuſq; meis, peto, flecte benignam,
Chriſte, aurem; votis Rex pie quæſo fave.
Adjuvet Andreas, Petrus, Pauluſque, Johannes,
Atque Maria Dei mater opima pii.
Induperatorem hunc Hludovvicum tempora longa
Servate: abſcedant triſtia cuncta procul.
Proſpera cuncta date, nec non peto noxia longè
Pellite: ſit felix, ſitque potenſque diu.
Hæc ait, & celerans ſe ſe convertit ad ipſum,
Atque manu tangit verticis alta ſacra.
Conferat Omnipotens, auxit, qui ſemen Habrahæ,
Ut videas natos, unde voceris avus.
Dedat progeniem, duplicet triplicetque nepotes,
Semine ut è veſtro creſcat opima ſeges,
Quique regant Francos, nec non Romamque potentem,
Donec Chriſticolûm nomen in Orbe ſonat.
Unguine ſuffuſo, hymniſque ex ordine dictis,
Cæſareo capiti mox decus impoſuit.
Hoc tibi Petrus ovans ceſſit mitiſſime donum,
Tu quia juſtitiam (44) cedis habere ſibi.
Tum videt Induperatricem ſociamque jugalem
Irmingat (45), prorſus ſuſcipit, atque tenet.
Per-

(36) Pro *triquetrum*, hoc eſt per tres partes orbis, ſive per totum terrarum orbem, quem in tres partes tunc dividebant, America nempe tunc temporis plane ignota.

(37) Scilicet: dic mihi, ſanctiſſime Pontifex, num jura (ſcilicet temporalia) Sancti Petri intacta ſint, an vero quiſquam ea minuerit, aut uſurparit.

(38) Fuit is Ludovici Pii Cancellarius, multaque proſtant ejuſdem Auguſti Diplomata, queis ſubſcribit *Durandus Diaconus ad vicem Heliſacbar*. Appellatur autem ab Eginhardo & Agobardo *Presbyter & Abbas*. Et ſane multis Coenobiis ea aetate praefuit titulo *Abbatis*, ut mirari deſinamus noſtrorum temporum mores, ab iis minime abſimiles.

(39) Quas dolendum eſt, ante multa Secula periiſſe.

(40) Primatum Pontificis Maximi in Eccleſia Dei, atque illius archjeratica jura a Sancto Petro in ſucceſſores derivata, confirmat etiam Ludovicus Pius.

(41) Deſcribitur heic coronatio Ludovici Pii, quam & reliqui Francorum annales memorant ad annum 816. nemo autem praeter Poetam noſtrum Coronam tunc a Stephano Papa adhibitam tribuit Conſtantino Magno.

(42) Ideſt *Coronam* manu tenens.

(43) Qui deſtinaſti Romam eſſe caput Mundi.

(44) Scilicet, hoc tibi donum Petrus mittit, quia & tu ejus ſucceſſoribus concedis exercere jura ac juſtitiam in Populum Romanum: quo nomine deſignari arbitror temporalem auctoritatem, quam Imperatores Franci Pontificibus conceſſere in Urbem.

(45) Scriberem *Irmingart*: ubique enim *Irmingardam* video appellatam. Scilicet haec prima fuit Ludovici Pii conjux.

Perspiciensque diu, capiti (46) dat mox decus almo,
Et benedixit: ave fœmina amata Deo.
Sit tibi vita, salus longos distincta per annos,
Conjugis observes semper amata thorum.
Multaque præterea cumulavit munera Præsul,
Aurum, seu vestes, quæ sibi Roma dedit.
Dona dat Augusto, Augustæ, sobolique venustæ,
Et famulis tribuit ordine dona suo.
Cæsar ei grates sapiens persolvit opimas;
Muneribus Stephanum mox onerare jubet.
Pocula bina dedit gemmis auroque polita,
Cum quibus is Bacchi hauriat hausta Sacer.
Cornipedū glomerat prestantia corpora necnon,
Qualia Francorum gignere terra solet.
Aurea dona ferunt, argentea vasa sequuntur,
Pallia rubra, simul candida linteola.
Plura quid hinc memorem nam centuplicata recepit
Munera Romanus (47) quæ arcibus extulerat:
Hæc Sacro; at famulis Cæsar bonitate repletus
Congrua dona dedit pro pietate sua.
Pallia tincta quidem, nec non & corporis apta
Tegmina, Francorum more peracta bono.
Donat equos varios præstantia colla ferentes,
Quorum vix poterant scandere dorsa sui.
Hoc Sacer, & famuli lætantes munere doni
Cum libitu Romam mox repedare parant.
Missi quin etiam lecti mittuntur honore,
Qui revehant Stephanū in sua Regna Sacrum.
Cæsar at ipse pius Compendia (48) tecta revisit
Lætus cum propria conjuge, seu sobole.
Bigo (49) fidelis obit; narrantur funera Regi,
Invitusque suum deserit heu dominum.
Divisitque dapes (50), nec non partitur honorem
In sobolem propriam Cæsar amore patris.
Denique fama sonat latum vulgata per Orbem,
Quod pius Induperans Regna novare (51) cepit.
Ordinat electos Cleri, notosque fideles,
Quorum vita sibi cognita, sive placens,
Qui peragrent urbes Regni, Cœnobia, Castra,
Cuncta sui implentes jussa benigna viri.
Eja, ait, o famuli nostro nutrimine freti,
Sive patris Caroli quos bene dogma docet,
Intenti nostris omnino insistite jussis,
Et mea verba pio pectore suscipite.
Res equidem peragenda manet satis ardua vobis,
Sed bona credo quidem, aptaque Christicolis.
Ecce operante Deo, patrumque labore fideli,
Limina Regnorum inviolata manent;
Famaq; Francorum hostes procul expulit atros;
Vivimus en læti, pacificèque, piè.
Sed quia non bellis certandum est, ducimus aptū,
Ut nos subjectis congrua jura demus.
Nam priùs Ecclesiæ culmenq; decusq; requiram,
Unde mei patres nomen in astra ferunt.
Nam mihi mente sedet, dederim quòd nuper in Orbem
Legatos, populos qui pietate regant.
Nunc nunc, o Missi, certis insistite rebus,
Atque per Imperium currite ritè meum,
Canonicumque gregem, sexumque probate virilem,
Fœmineum (52) nec non, quæ pia castra colunt.
Qualis vita, decor, qualis doctrina, modusque,
Quantaque religio, quod pietatis opus.
Pastorique gregem quæ convenientia jungat,
Ut grex Pastorem diligat, ipse ut oves.
Si sibi claustra, domos, potum, tegimenque, cibumque
Prælati tribuant tempore, sive loco.
Haud aliter complere queunt ex ordine cultum
Divinum, nisi hæc det pia cura patrum.
Sed tamen Ecclesiæ vires pensentur, & arva
Congrua, sive loca fertiliora minùs.
Inventa prorsus rotulis committite cordis,
Et mihi sollicitè cuncta referre placet,
Qui bene, quive minùs, medicque, nihilque (quod absit)
Vivant, seu teneant dogmata prisca patrum.
Hæc ego perpaucis vestris nunc insero verbis
Auribus; ast vosmet quærere plura decet.
Legatos etiam Monachorū (53) ex ordine lectos
Cæsar adesse jubet, qui sua jussa colant,
Quos iterum mittat per sacra Monastica castra,
Et rogat inquirant, ut pia vita meet.
Vir *Benedictus* (54) erat cognomine dignus eodem,
Vir

(46) Audi Theganum paria scribentem: *Irmingardam Reginam appellavit Augustam, & posuit coronam auream super caput ejus*. De hoc nihil apud Eginhardum, neque apud Auctorem Vitae Ludovici Pii.

(47) Scribendum, si quid video, *Romanis*, ut copuletur cum *arcibus*. Munera, quae inter Stephanum Papam, & Ludovicum Pium intercessere, memorarunt reliqui etiam rerum Francicarum Scriptores; sed nemo tam affluenter, ac Poeta noster. De Pontifice isto Agnellus in Vita Martini Archiepiscopi Ravennatis Tom. II. Collectionis hujus haec scribit: *Et hic in Franciam Papa ad Ludovicum Imperatorem* (supple *profectus*) *quidquid postulavit ab eo, obtinuit*.

(48) Hisce peractis, si Theganum audiamus, Imperator Remis recedens, *venit Aquisgrani Palatium*. Sed accuratius Auctor Vitae Ludovici scribit: *Imperator ad Compendium* (nunc *Compiegne*) *secessit* &c. *Moratus autem ibidem viginti vel eo amplius diebus, Aquisgrani hyematurus petiit*.

(49) Ut supra vidimus, Comes Parisiensis, atque ita Ludovico Augusto carus, ut *filiam Imperatoris* ipsius *duxerit uxorem*, sicuti fidem faciunt Annales Lambeciani, & Hildensheimenses ad hunc ipsum annum 816. ubi is *Piccopinus & Biego* appellatur: filia vero Imperatoris *Elpheid*. Hanc *Alpaidem* nobis nominare liceat, ut aliis licuit. Teste Poeta nostro Comiti huic *Bigo* nomen fuit. Si pressius Theutonicorum more vox ista pronuntietur, inde exsurgit *Picco*, atque adeo intelligas, *Bigonem & Piccopinum* unum idemque nomen fuisse.

(50) Pro substantias, & non semel, apud hunc Poetam occurrit. *Partitur honorem*, ut subinde legitur, satis ostendit, dignitates Bigonis divisas fuisse inter ejus filios. Ergo ex iis unus constitutus fuerit *Comes Parisiensis*.

(51) An potius *cupit*?

(52) Hoc est *Sanctimoniales*, quarum etiam mores & claustra cognoscere, ac emendare Caesarei Missi olim consuevere, non secus ac Monachorum & Canonicorum. Vide Capitularia Regum Francorum, uti & Leges Langobardicas part. II. Tom. I. Collect. hujus, ubi aliae similes admonitiones ad Missos occurrunt.

(53) Duos Missos simul per provincias mittere mos fuit, quorum unus Laicus, alter Clero addictus. *Episcopi* ergo, aut *Abbates* ad id muneris eligebantur, quorum etiam nomina in Placitis eorum temporum leguntur. *Episcopos* tantum & *Comites* exhibet nobis Capitulare ejusdem Ludovici spectans ad Annum 823. Tom. I. pag. 640. Baluzii. Sed haec spectant ad Annum 816. & 817. atque ad tempora Conciliorum Aquisgranensium.

(54) Piissimus ac celeberrimus Abbas Anianensis, ac postea Indensis, cujus Vitam habes in Actis Sanctor. Benedictin. Secul. IV. part. I. pag. 194. Ejus Monasterium situm fuit in Gallia Narbonensi, sive Occitania, atque in Dioecesi olim Magalonensi.

Vir quamplures (55) vexit ad astra viros.
Hic erat in Geticis (56) Regi prius agnitus arvis,
De cujus vita pauca referre libet.
Hic fuit *Anianæ* (57) meritò prælatus ovili,
Pastor, & Abba, gregi regula blanda suo.
Regis ut almus amor compleràt pectora sacri,
Quo Monachorum ordo vitaque proficeret.
Hic fuit adjutor, norma, exemplumq; Magister,
Quo faciente placent nunc pia castra Deo.
Moribus in sacris regnabat pulcra voluntas:
Quantum homini licitum est cernere, sanctus erat.
Dulcis, amatus erat, blandus, placidusque, modestus,
Regula cujus erat pectore fixa sacro.
Non solùm Monachis, sed cunctis proficiebat,
Omnia factus erat omnibus ipse pater.
Ob hoc ergo pius Cæsar dilexerat ipsum,
Vexerat & secum ad Francica Regna simul.
Hujus discipulos Rex per Cœnobia mittit,
Fratribus exemplum normaque sive forent.
Et jubet emendent quicquid potis est; nequeunt quæ,
Ad se se referant cuncta notata stilo.
Rex pius interea, Benedictus & ipse Sacerdos
Pectore versabant munia amata Deo.
Mox prior Induperans blandis c pellat eumdē,
Ut solitus, verbis semper, amore pio.
Scis, Benedicte, reor, qualis mihi cura sit hujus
Ordinis à primo, quo mihi notus erat;
Propterea cuperem propriūque dicare Sacellum
Haud procul à nostra sede in amore Dei.
Tres ergo ob causas, mihi crede, hæc corde voluntas
Accidit, è quis nunc ista referre volo.
Cernis, ut Imperii gravitas mea pectora pressat
Mole sua; rerum grandia jura nimis.
Illuc nam poteram (59) requiescere fortè parumper,
Votaque præplacita ferre secreta Deo.

Altera causa monet, quoniam tu nam ipse fateris,
Ingratum voto hoc opus esse tuo;
Nec deceat Monachos (60): civilibus in fore rebus,
Resque Palatinas ferre libenter eos.
Illuc sed poteras (61) fratrum curare labores,
Obsequia hospitibus cura parare pia.
Atque iterum nostras renovatus visere sedes:
Fratribus & solitò ferre patrocinia.
Tertia (62) namque patet, nobis nostrisque subactis
Qualia lucra forent hæc loca propter Aquis:
Si subitò finis humani corporis esset,
Hoc mandarentur membra sepulta loco.
Illuc conversi (63) caperent mox munia Christi,
Atque volens placitum consilium acciperet.
His Sacer auditis, pedibus revolutus amicis,
Laudat honore Deum, Cæsaris atque fidem.
Hæc mihi semper, ait, nota est tua, Magne, voluntas,
Quam Deus adfirmet, qui dedit omne bonum.
Dicitur *Inda* (64) locus, dudum constructus ab ipsis,
Nomen aquæ retinens, quæ fluit ante fores.
Millibus hic ternis Regali distat ab aula,
Quæ modò perlatè nota vocatur Aquis.
Cornigeris quondam sedes gratissima cervis,
Ursis, seu bubalis apta, ferisque capris.
Sed Hludovvicus agens purgavit lustra ferarum,
Atque Deo gratum condidit arte locum.
Fundavit satagens, rebus ditavit opimis,
Quo Benedicte tua Regula sancte viget.
Namque idem *Benedictus* erat pater illius ædis,
Et Hludovvicus adest Cæsar, & Abba simul.
Hæc loca sæpe colit, properatq; revisere caulas,
Ordinat & sumtus, munera larga parat.
Siste Camœna melos: celerans fratri ecce Libellus
Consociandus adest, fine jocunda suo.

(55) Ita in Codice MSto. Legendum *Vir, qui quamplures*.

(56) Idem Benedictus, ut in ejus Vita ab aequali scripta habetur, *ex Getarum genere partibus Gotiae oriündus fuit*. Ita quippe olim appellata Occitania provincia, nunc *la Languedoc*, quia illic sedem fixerat Gothorum gens, in Hispanias quoque diffusa.

(57) Monasterium olim insigne, situm ad Anianum fluvium, nunc in Dioecesi Montis Pessulani. Ab eodem sancto Viro Benedicto conditum fuit.

(58) Auctor Vitae Ludovici Pii ad Annum 817. *Itidem constituit idem Deo amabilis Imperator Benedictum Abbatem, & cum eo Monachos strenuae vitae per omnia, qui per omnia Monasteria Monachorum euntes redeuntesque uniformem traderent cunctis Monasteriis, tam viris quam sanctimonialibus feminis, vivendi secundum Regulam Sancti Benedicti incommutabilem morem*. Sed haec fusius in Vita ipsius Sancti Benedicti Anianensis apud Mabillonium.

(59) Fortasse Poeta scripsit *potero*.

(60) Hoc adnotandum. Nam eo Seculo Regiam aulam frequentabant Abbates, atque ad munia Palatii non inviti adhibebantur. Sed neque ipse Benedictus Anianensis aliter se gessit; diu nempe versatus in Aula, *Palatinas terebat fores*. Hinc tamen discimus, non sponte id ab eo factum, quando is improbabat *Monachos civilibus rebus immixtos*.

(61) Pro *poteris*.

(62) Idest tertia causa patet, cur mihi & Populo utilissimum foret Monasterium habere Aquisgrani vicinum.

(63) Illis videlicet, qui abjurare Seculum constituunt, vitamque Monasticam eligunt, praesto erit Coenobium, quo sine mora conferre se possint.

(64) De aedificatione hujus Monasterii haec habet Auctor Vitae Sancti Benedicti Anianensis num. 48. *Vallis erat vicina, quae a Palatio, ut reor, sex non amplius millibus distat* (Poetae nostro distare tantum dicitur *millibus ternis*) *quae viri Dei placuit oculis: ibique Imperator jussit construere miro opere Monasterium, quod vocatur Inda, mutuato de rivulo ejusdem Vallis nomine*.

EXPLICIT LIBER SECUNDUS.

INCIPIT LIBER TERTIUS.

CÆſaris arma Dei creſcebant munere celſi,
Gentibus & cunctis pax erat aucta fide.
Famaque Francorum Hludovvici munere magni
Trans freta cuncta volat, & petit æthra poli.
More tamen priſco Regnorum limina (65) Cæſar,
Electoſque Duces, adſore prima jubet.
Conveniunt omnes placito, parentque jubenti,
Partibus æquè ſuis congrua verba ſonant.
Nobilis inter quos Francorum germine *Lantpreth* (66)
Venit & ipſe ſua parte volendo citus.
Prævidet hic fines (67), quos olim gens inimica
Trans mare lintre volans ceperat inſidiis.
Hic populus veniens ſupremo ex Orbe Britanni (68),
Quos modò *Brittones* Francica Lingua vocat.
Nam telluris egens, vento jactatus & imbri,
Arva capit prorſus, atque tributa parat.
Tempore nempe illo hoc rus quoque Gallus (69) habebat,
Quando idem populus fluctibus actus adeſt.
Sed quia Baptiſmi fuerat hic tinctus olivo,
Mox ſpatiare licet (70), & colere arva ſimul.
Ut requies ſibi ceſſa, movent mox horrida bella,
Et cuſtode novo rura replere parant.
Lancea pro cenſu, munus pro jure duelli (71)
Redditur hoſpitibus, pro pietate tumor.
Francia in alterius (72) pulſabat Regna triumphis,
Aſperiora quidem quæ ſibi viſa forent.
Idcirco hæc tantos res eſt dimiſſa per annos,
Gens magis atq; magis crevit, & arva replet.
Jamque ſuperba nimis Francorum Regna laceſſit (73),
Nec contenta ſolo quo peregrina fuit.
Infelix, ignara ſimul, contendere ſueta,
Sperabat Francos exſuperare agiles.
Hunc verò, ut dixi, *Lantpreth* compellat avito
Cæſar more, rogans cuncta referre ſibi.
Ut gens illa Deum recolat cultuque, fideque,
Eccleſiiſque Dei qualis abundet honor.
Qui ſit plebis amor, quæ ſit juſtitia, quæ pax,
Regis honor qualis, quod pietatis opus.
Inſuper ad (74) noſtros quæ ſit ſalvatio fines:
Ordine cuncta ſuo dic, volo, France mihi.
Olli reſpondit fido de pectore Lantpreth,
Cæſareum adclinis baſiat ore genu (75).
Gens, ait, illa quidem mendaxque ſuperba, rebellis
Hactenus exiſtit, & bonitate carens
Chri-

(65) Eos innuere videtur, qui eodem Seculo appellari coeperunt *Marchiones* ſive *Marchiſii* a cuſtodia limitum Regni.

(66) Pro *Lantperto*, ſive *Lamberto*. Fuit is *Andicavenſis*, ſive *Andegavenſis Comes*, ſi Mabillonium in Annal. Benedictin. auſcultamus, ac propterea Britanniae minori, de qua infra agitur, ſua ditione conterminus. Hunc Auctor Vitae Ludovici nudo nomine *Lantbertum* appellat ad Annum 825. Tum ad Annum 829. *Comitem Lambertum* nominat. Ego *Namnetenſem*, non *Andicavenſem Comitem* fuiſſe arbitror ex infra adnotandis.

(67) Hinc ergo habes, *Lantberto* demandatam vicinae *Britanniae* finium tutelam. Eginhardus ad Annum 826. memorat *Britannici limitis cuſtodes*. Adrevoldus Floriacenſis in Libr. Miracul. S. Benedicti Cap. 33. haec habet, acta poſt obitum Ludovici Pii: *Marchiſis Britannici limitis inter ſe diſſidentibus bellum oritur. Quamvis enim Rainoldo occumbente victor Lambertus exſtiterit, non adeo tamen victricia ab hoſte retulit ſigna* &c.

(68) Ideſt Britanniae majoris, Angliae nunc; quam deſerens ille Populus, & in Galliam Celticam, ſive Armoricam delatus, ibi ſedem ac ſubinde dominationem ſtatuit. Eginhardus in Annalib. ad Annum 786. veterem commemorans hiſtoriam, ait: *Quum ab Anglis & Saxonibus Britannia Inſula fuiſſet invaſa, magna pars incolarum ejus mare trajiciens, in ultimis Galliae finibus, Venetorum & Corioſolitarum regiones occupavit*.

(69) Hoc eſt quum nondum Franci Gallias ſibi ſubjeciſſent. Et quidem Seculo Chriſti Quincto accidiſſe irruptionem hujuſmodi, ſatis innuunt Sidonius Apollinaris, Jordanes in Hiſtoria Gothorum, Gregorius Turonenſis, & alii.

(70) In MSto Codice legebatur ex priore manu *tamen*, pro quo ſecunda manus poſuit *licet*. Mihi retinere vocem hanc ſenſus gratia placuit.

(71) Ita ſenſum inſtruendum puto: *pro jure*, hoc eſt pro juſtitia facienda hoſpitibus Gallis, iis offertur ab advenis Britannis *munus duelli*, hoc eſt ſingulare certamen. Infra etiam habes *belli munera more vebit*.

(72) Supplendum videtur, *partis*, *gentis*, aut quid ſimile. Senſus eſt: Francorum populus, dimiſſa Britanniae ciſmarinae cura, ſtudium omne collocabat in vincendis aliis Regnis, quae ſibi acrius obſtare aut obeſſe poſſe putabat.

(73) Sub ipſa Merovingicorum Regum ſtirpe Britanni Ciſmarini rebellionem pluries fecere, teſtibus Gregorio Turonenſe, & Fredegario in Chronicis. Anno quoque 786. Carolus M. *perfidae gentis contumaciam mira celeritate compreſſit*, uti auctor eſt Eginhardus; cujus etiam ſunt verba ad Annum 799. *VVido Comes ac Praefectus Britannici limitis cum ſociis Comitibus totam Britonum Provinciam perluſtraverat, arma Ducum, qui ſe dediderunt, inſcriptis ſingulorum nominibus detulit*. Eadem praeferunt & alii Francorum Annales. Auctor vero Anonymus, ſed ſynchronus Vitae Caroli M. apud Ducheſnium haec ita narrat. *Guido Comes, qui in Marcam Britanniae praeſidebat, una cum ſociis ingreſſus Britanniam, totamque perluſtrans, in deditionem accepit; & Regi arma Ducum, qui ſe dediderant, inſcriptis nominibus ſingulorum praeſentavit* &c. *& tota Britannorum Provincia, quod numquam antea* (id quidem facile credere nos non ſinunt Gregorius Turonenſis, aliique ſupra laudati Rerum Francicarum Scriptores) *a Francis ſubjugata eſt*. Quae verba ſatis oſtendunt, *Marchiſis* illis, ſive *Praefectis Britannici limitis*, ex quois unus erat Lantbertus Namnetenſis Comes, nihil juris fuiſſe in Britanniam minorem, ſed iis dumtaxat datum, Francorum fines ſive limites a Britannis tueri, quos ſui Comites aut Duces, nuncupati etiam *Reges*, olim regere conſueverunt, a ſupremo tamen jure Francorum Regum non omnino abſoluti.

(74) Ergo Francici Regni ditio tunc in Britanniam minime penetrabat; ſed ad fines Britannorum conſiſtebat, ea, ut reor, de cauſa, quod rurſus gens illa rebellans Francorum imperium contemneret.

(75) Non ſemel ſupra vidimus, obtinuiſſe illum morem, ut Proceres Regem alloquuturi, antea ejus *pedes* deoſcularentur. Vide-ſis Lantbertum, qui *genu* tantummodo *baſiat*. Fortaſſis id praerogativae, praeſtantioriſque dignitatis cauſa quibuſdam indultum: quod & nunc faciunt S. R. E. Cardinales, genu Pontificis maximi deoſculantes.

Christicolûm retinet tantummodo perfida nomen,
Namque opera, & cultus sunt procul, atque fides.
Cura pupillorum, viduæ, sive Ecclesiarum
Nulla manet: coëunt frater, & ipsa soror.
Uxorem fratris frater rapit alter, & omnes
Incestu vivunt, atque nefanda gerunt.
In dumis habitant, lustrisque cubilia condunt,
Et gaudent raptu degere more feræ.
Justitiæ virtus nullam sibi vindicat aulam,
Linea judicii hinc fugit acta procul.
Rex (76) *Murmanus* (77) adest cognomine dictus eorum,
Dici si liceat Rex, quia nulla regit.
Sæpiùs ad nostros venerunt tramite fines,
Sed tamen inlæsi non rediere suos.
Hæc Lantbertus ait, reddit cui talia Cæsar,
Insignis meriti, pacificusque, pius:
Est res dura nimis hæc, est & inepta relatu,
Quæ Lantperte meis auribus ore sonas.
Ut peregrina mecum (78) gens gratis incolat arvum,
Atque superba movet improba bella meis.
En decet, & licitum facinus hoc Marte revelli,
Ni mare subsidium, quo petiere, ferat.
Præstat ut ad Regem Missus mittatur eumdem,
Qui bene nostra sibi perferat orsa priùs.
Est quoque Rex idem Sacro Baptismate tinctus:
Idcirco hunc primò nos monitare decet.
*Witcharium*que (79) vocat, qui fortè advenerat illuc,
Vir bonus, atque sagax, & ratione capax.
Ito celer *Wichart*, nostra hęc mandata Tyranno
Haud dubitanda refer, ordine jussa tibi.
En mea rura colit latè, quibus exul oberrans
Ponto vectus adest, & genus omne suum.
Nempe tributa vetat, nec non & prœlia temptat,
Atque minas Francis mandat, & arma parat.
Nam post, dante Deo, quàm Regna paterna recepi,
Imperiique decus, plebe petente simul,
Hunc ex parte tuli, operiens si fortè fidelis
Adforet, & nostra quærere jura velit.
Jam magis atque magis mens improba nutat, & armis
Insuper extentis bella nefanda negat (80).
Nunc nunc tempus adest, nec se infelixque suosque
Decipiat: Francos pace rogando petat.
Sin aliud, tu perge celer, rediensque renarra
Cuncta mihi. Cæsar hæc pius orsa dabat.
Witchar equo parat ire celer, pia jussa facessit;
Notus erat sibimet Rex, domus, atque locus.
Illius ast propter fines *WicCharius Abba*
Regis habebat opes munere Cæsareo.
Est locus hinc silvis, hinc flumine cinctus ameno,
Sepibus, & sulcis, atque palude situs.

A

B

C

D

Intus opima domus, hinc inde recurserat armis,
Fortè repletus erat milite seu vario.
Hæc loca præcipuè semper *Murmanus* amabat,
Illi certa quies, & locus aptus erat.
Fortè celer *Wicchar* cursim devenerat illuc,
Alloquiisque petit Regis ut esse queat.
Murman ut agnovit Hludovvici Cæsaris almi
Adfore Legatum, illicò mens refugit.
Utque rei tantæ eventum cognoscere possit,
Spem simulat vultu, contegit atque metum.
Fit lætus, vi mox lætos jubet esse sodales,
Tamdem Witcharium in sua tecta vocat.
Salve Witchar, ait, Murman tibi dico salutem
Cæsaris armigeri, pacificique, pii.
Suspiciens prorsus reddit cui talia Murman,
Oscula more dedit, tu quoque Wicchar ave.
Pacifico Augusto opto salus sit, vitaque perpes,
Et regat Imperium secla per ampla suum.
Mox resident, cunctosque jubent procul esse ministros:
Vocibus alternis mutua verba sonant.
Inchoat ore prior Wicchar, sibi jussa renarrat;
Pectore in ambiguo Murman, & aure capit.
Me tibi transmisit Hludovvicus Cæsar in Orbe,
Gloria Francorum, Christicolûmque decus,
Pace fideq; prior, nulli quoque Marte secundus,
Dogmate præcipuus, & pietatis ope.
En sua rura colis latè, quibus exul & errans,
Ponto vectus ades, & genus omne tuum.
Nempe tributa vetas, nec nō & prœlia temptas,
Arma paras Francis insuper, atque minas.
Nunc nunc tempus adest, nec te infelixq; tuosq;
Decipias, illuc pace petendo veni.
Cæsaris hæc ego, sed nostris de partibus ista
Adjiciam paucis, Murman, amore tuo.
Si nunc sponte tua Regalia jussa facessas,
Ut prior ipse monet pro pietate sua;
Et cupis ad Francos pacem retinere perennem,
Ut decet, atque opus est sat tibi, sive tuis:
Perge celer, Regisque pii pia suscipe jura;
Non tua, sed potiùs debita redde soli,
Consule heu patriæ, populo, rogo, consule cūcto,
Consule seu proli, conjugiique thoro.
Præcipuè cùm vana colas, nec dogmata serves,
Avia curva petas tu, populusque tuus.
Ille pius forsan proprium te mittet ad arvum,
Et majora tibi munera fortè dabit.
Esto esses magnus, magni regnator & arvi,
Et tibi multa manus belligerumque decus,
Auxilioque tuo gentes populique venirent,
Ut Rutuli Turno sive Camilla celer,
Italiæque cohors cuncti venere Latini;
Non tamen Æneam vincere posse fuit.
Si tibi Odisseos Pyrrhus, seu durus Achilles,
Pompejus socero cum quibus arma parat,
Non tamen in Francos fas est tibi tendere bello,
Quorum arvis resides, & pietate manes.
Namq; semel quicumq; duello hos experiari (81)
Cœ-

(76) En appellatum *Regem*, qui tempestate illa Britannis Armoricis praeerat. Et quidem non recens appellatio. Jordani in Histor. Ger. Cap. 45. Tom. I. Collect. hujus memoratur *Riothimus Rex Brittonum*; uti & Gregorio Turonensi in Epitome Fredegarii secundum editionem Freheri *Cunobertus Rex Britannorum*, qui tamen *Comes* dumtaxat appellatur in aliis Codicibus. Apud ipsum Fredegarium ad annum 635. occurrit *Judacaile Rex Britannorum*. Immo & post Ludovici Pii tempora in Annalibus Bertinianis ad annum 866. memoratum videas *Herispojum Regem Brittonum*. Ceterum ii plerumque appellati *Comites*, seu *Duces*. Certe non Reges, sed Reguli dicendi.

(77) A Thegano *Murmannus Britanniae Dux* appellatur. Ac proinde ejus nomen emendandum videtur in Vita Ludovici Pii ab Astronomo scripta, ubi haec ad annum 818. leguntur. *Nuntiatur Imperatori protervia inobedientium Brittonum, qui in tantam insolentiam eruperant, ut unum suorum Marmonium nomine Regem appellare ausi sint, subjectionemque omnimodis recusarint*. In alio Codice Du-Chesnius addit legi *Marmanum*.

(78) Et sensus & Prosodiae leges poscunt heic *meum*.

(79) Is infra appellatur *Abbas*. Vixit iis temporibus *Vvicardus* Abbas Indensis. Sed vereor, ne diversa sint nomina *Vvitcharius* & *Vvicardus*.

(80) Errorem heic sentio. Scriberem *movet*.

(81) Pro *experiri*. Sed latere mendum potius puto: *Experiatur*, aut quid simile restituendum.

Cœperit ipse licèt, & genus omne suum,
Gens est Francorum nulli virtute secunda,
Vincit amore Dei, exsuperatque fide.
Pacem semper amat, nolens quoq; corripit arma,
Quis tamen arreptis nullus adire volet.
Illorum quicumque fidem quæsivit & arma,
Lætanter vivit, pacificèque, piè.
Eja age, rumpe moras, nec te in diversa perr ans
Mens inimica ferat insidiando tibi.
Ile solo vultus jam dudum intentus, & ora
Fixa tenet, terram percutit atque pede.
Jam jam cunctantem Wicchar sermone polito
Cœperat, atque minis flectere ritè datis.
Mente venenata thalamo cùm perfida Conjunx
Murman ad amplexus more superba petit.
Oscula prima genu libabat, & oscula collo,
Oscula dat barbis, basiat ora, manus.
Itque redit gyro, tangitque perita partem (82),
Officiumque cupit insidiosa dare.
Suscipit ille miser tamdem hanc, strinxitque lacerto,
Datque locum voti; conjugis acta placent.
Et petit infelix aures, longèque susurrat,
Avertit sensus moxque mariti animum.
Ac velut in silvis pastorum frigoris anno
Turba foco celerat ligna recisa dare.
Hic fert apta citus, præsicco fomite stramen
Iste vehit, flatus ingerit ille libens.
Jam rogus insiliens flammas dabat, altaq; tangit
Sidera: pastorum frigida membra calent.
Cùm subito tonitru grando, pluviæque, pruinæ
Ecce fragore ruunt, & nemus omne tonat.
Imbribus ast crebris invitus concidit ignis;
Venerat unde calor, fumus & inde redit.
Wiccharti haud aliter mulier funesta restinxit
Verba, maritali pectore fixa boni.
Atq; etiam Missum torvûm despectat eumdem,
Sublime aspiciens, & rogat arte sua:
O Rex atque decus Brittonum gentis opimæ,
Dextera cujus avi nomen in æthra refert.
Unde tuas talis conjunx pervênit ad arces,
Hospes ait, pacem, bellave sive canit?
Olli subridens finxit mox talia Murman:
Mittitur à Francis nuntius iste mihi;
Seu pacem, seu bella ferat, res ista virorum est.
Officium perage fœmina ritè tuum.
Wicchar ut audivit verbis contraria verba,
Protinus ore tulit hæc quoque verba suo.
Murman, ait, Regi quæ vis mandata remitte:
Jam nunc tempus adest jussa referre mihi.
Ille quidem tristes volvens sub pectore curas:
Tempora sint placiti (83) hæc mihi noctis, ait.
Ruricolas terris somnus perfuderat, & jam
Auroram revehunt culmine Solis equi,
Murmanis ante fores celerans Wiccharius Abba
Mane venit primo, poscit & orsa dari.
Ecce miser tamdem potu somnoque sepultus
Murman adest, oculos vix aperire valens.
Ebrius hæc ructans labris vix orsa remotis.
Voce sonat, numquam post placitura sibi:
Perge, tuo Regi celerans hæc verba renarra:
Nec sua rura colo, nec sua jura volo.
Ille habeat Francos, Brittonica regmina Murman
Ritè tenet, censum sive tributa vetat.
Bella cient Franci, confestim bella ciebo;
Neve adeò imbellis dextera nostra manet.
Wicchar ad hæc: semper nostros dixisse priores
Fama fuit, quæ nunc mens mea certa feret,
Instabiles animos motus mutantia prorsus
Pectore consilia gentis habere tuæ.
Fœmina sola viri potuit mollescere mentem,
Atque susurrando vertere consilia.
Sic Salomonis, ait, testantur dogmata Regis,
Quæ legit Ecclesia sæpius, atque colit.
Abstrahe ligna foco: confestim deficit ignis.
Sicque susurro procul, jurgia cuncta cadunt.
Sed quia jam nostris non vis parêre suadelis,
Vera canam vates, sumque Propheta tuus.
Francia cùm primò sermonis dicta nefandi
Audierit, frendens mox tua Regna petet.
Tum millena tibi concurrent scuta virorum,
Cuspite Francisco fortè repletus eris.
Et tua densatim complebunt milite rura,
Teque tuos captos in sua Regna ferent.
Aut moriere miser, bibulaque jacebis arena,
Solus & arma tua victor habebit ovans.
Nec te decipiant saltus, tremulæque paludes,
Cum nemore & vallo sit tua septa domus.
Olli respondit furiato pectore Murman;
Se solio adtollens Britto superba canit:
Missilibus millena manent mihi plaustra paratis,
Cum quibus occurram concitus acer eis.
Scuta mihi sucata, tamen sunt candida vobis,
Multa manent; belli non timor ullus adest.
Hæc inter sese referebant vocibus ambo,
Non tamen ambobus mens erat unanimis.
Hæc responsa ferens Wicchar properanter abibat,
Nuntiat & Regi dicta nefanda pio
Interea Cæsar Francorum Regna recenset,
Et jubet instanter arma parare sibi.
Est urbs fixa maris, Ligeris quo fluminis unda
Æquor arat latè, ingrediturque rapax.
Veneda (84) cui nomen Galli dixere priores,
Pisce repleta, salis est quoque dives ope.
Sæpiùs infestans *Brittonum* hanc turba nocentû
Visitat, & belli munera more vehit.
Ergo illuc Cæsar Francos, gentesque subactas
Esse jubet placito, pergit & ipse simul.
Conveniunt prisco *Franci* sub nomine primo,
Adsueti bellis arma parata ferunt.
Alba *Suevorum* veniunt trans flumina Rheni
Millia centenis accumulata viris.
Et *Saxona* cohors patulis præcincta pharetris,
Atque *Turinga* manus consociata venit.
Multimodam pubem *Burgundia* mittit, & auget
Francorum numerum consociando viros.
Europæ referens populos, gentesque relaxo
In mensas, claudi quæ numero nequeunt.
Cæsar iter tutum per propria Regna gerebat,
Usque *Parisiaca* quo loca celsus adit.
Jam tua Martyr ovans Dionysi tecta revisit,
HilthuinAbba (85) potens quo sibi dona paras.
Hinc

(82) Non ita scripserit Poeta. Divinare tamen nolim quid ille scripserit.

(83) Idest consilii atque examinis.

(84) Audi Auctorem Vitae Ludovici Pii: *Habitoque Venedis generali Conventu, Provinciam ingreditur*. Poeta noster satis aperte prodit, Urbem hanc ad Ligeris fluvii fauces, & ad oram maris sitam fuisse. Hujusmodi Urbem quaere nunc in Tabulis Geographicis: nullam invenies. Excisam fuisse hinc intelligis. Quare falluntur Baudrandus, Brietius, & alii, qui *Venetias*, seu *Venetorum Urbem* antiquam in Gallia Celtica sitam, eamdem putant atque Urbem nunc *Vannes* appellatam; neque *Vannes* diversam a *Dariorigo* veteri scribunt. Equidem video in Tabulis Peutingerianis *Venetos* longe a Ligeri positos. Sed Provinciam, non Urbem illic designari, verisimile est. *Dariorigum* ibi ad Ligerim statuitur. Hadriano Valesio potius adhaerendum, qui hoc vetus nomen *Civitatis Venetorum* fuisse scribit in Notitia Galliarum.

(85) Celeberrimus vir sub *Hilduini* nomine notior, *Archicapellani* dignitate functus sub Ludovico Pio, Abbas Sancti Dionysii Parisiensis, Sancti Germani a Pratis, aliorumque in Gallia Monasteriorum. In re nota progredior.

Hinc Germane tui transivit culmina tecti,
Martyris & Stephani, seu Genuvefa tui.
Aurelianenses sensim dehinc visitat agros,
Victriacum (86) Villam jam pius ingreditur.
Quo *Matfride* (87) sibi pulcherrima tecta parasti,
Munera magna dabas, atque placenda sibi.
Sæpiùs inde means mox dictam visitat urbem,
Se Crucis armari munere (88) quærit ope.
Obvius ecce venis Præsul sanctissime *Jona* (89),
Reddere digna paras debitor atque volens.
Jamque *Aniane* (90) tuam properando revisitat arcem,
Et sibi præstari flagitat auxilium.
Tum *Durande* (91) frequens currisque, recurris, & offers
Quæ tibi Cæsareo munere cessa manent.
Inde *Turonus* adit *Martini* culmina celsi,
Visere *Mauricii* Martyris atque pii.
Eja age tempus adest *Fridugise* (92) Magister, & instat,
Cæsaris adventum gratulabunde vides.
Munera (93) magna offers: Martinus flagitat almus,
Ut sibi tutum itiner (94) præstet habere Deus.
Andegavensis (95) ovans Cæsar pervenit in urbem,
Sacre *Albine* tuum corpus honore petit.
Obvius occurrit lætanti pectore carus
Helisachar (96), validas sedulus auget opes.
Namnetensis enim Cæsar se mittit in urbem,
Oratu & precibus culmina (97) cuncta petit.

Jam *Lamberte* (98) tuis optatum denique votis
Suscipis en Regem, dasque potenter opes.
Poscis ad invisos Cæsar properare Britannos,
Dignetur tibi se mittere in auxilium.
Cetera turba latet Comitum, necnonque potentum,
Quorum nec numerus, nec numerantur opes.
Venedam adit tamdem præclarus Cæsar, avito
Prœlia more parat, ordinat atque Duces.
Interea *Murman* satagebat Britto superbus
Bella parare armis, ingenioque suo.
Cæsar agens iterum solitæ pietatis amore,
Actutum mittit, qui sibi cuncta ferant.
Dic, ait, o misero, quæ se dementia torquet,
Quidve struit, cogit bella parare sibi?
Non memorat jurata fides, seu dextera Francis
Sæpe data, & Carolo servitia exhibita?
Quò ruit, insanusque volens sibi proditor exstat,
Atque suæ proli, exulibusque simul?
Præcipuè sit eum (99) una Fides nostrisq; suisq;.
Dante Deo periet (proh dolor) absque Fide.
Hic finis, si præstat (100): agat, quæ jussio nostra
Suadet eum, capiat mox mea frena celer.
Christicoloque gregi jungatur pace fideque,
Linquat amore Dei Dæmonis arma miser.
Sin aliud, nam invitus agam, sed bella ciebo
Densa sat's nimium, atque verenda sibi.
Itque reditque celer Missus, præstantia Regis
Verba canit jussus, increpat, atque rogat.
Ille miser merito pesti devotus iniquæ
Nescit habere Fidem, sed pia jussa fugit.
Mandat acerba magìs confixus mente, superbæ
Con-

---

(86) Nunc *Vitry*. Non unus in Gallia nominis hujus locus fuisse traditur ab iis. qui *Victoriacum*, & *Victriacum* idem putant: quod tamen facile non adfirmarim. Duplex autem *Victriacum* in *Aurelianensi Silva* statuitur ab Hadriano Valesio, & Mabillonio in Diplomat. pag. 340. sed unum appendix alterius. Ibi olim Palatium Regum Francorum, quod *Villae* nomine, hoc est *Villae Regiae* Poeta noster designat.

(87) Fuit is Comes Aurelianensis, cujus non una mentio in Annalibus Francorum apud Theganum, ac in Vita Ludovici Pii ab Astronomo scripta. Ejus autem perfidià adversus ipsum piissimum Augustum postea erupit.

(88) Nondum iis temporibus invectus fuerat mos Cruce signandi, qui expeditionem bellicam pro Christiana religione suscipiebant. Attamen aliquid simile jam tum praestitum, ex hisce verbis elucere quodammodo videtur. Haec ita construenda puto: *quaerit se armari munere & ope Crucis*.

(89) Episcopus Aurelianensis ex Historia Francorum, atque ex ejus scriptis celeberrimus.

(90) Scilicet Monasterium *Sancti Aniani*, positum in Aurelianensi Urbe, cujus etiam supra meminerat, nunc *Saint' Aignan d' Orleans*.

(91) Clarissimus Mabillonius in Annal. Benedictin. ad annum 826. commemorat Diploma Ludovici Pii, ejusque filii Lotharii, concessum *Durando Abbati* pro Monasterio nuper aedificato in pago Narbonensi *in honorem Beatissimi Aniani Confessoris Christi*. Ad haec Mabillonius: *Qui fuerit ille Durandus Abbas, haud compertum. Non videtur ulli Monasterio addictus fuisse, sed potius unus ex illustribus illis Abbatibus, qui in comitatu Imperatoris erant*. Ego, si quid video, ex Poetae nostri verbis elicio, Abbatem hunc fuisse *Monasterii Aurelianensis Sancti Aniani*, qui sub ejusdem Sancti Confessoris nomine alia deinde Monasteria pro consuetudine illorum temporum aedificavit, aut aedificanda curavit.

(92) Fuit ille *Abbas Monasterii* celeberrimi *Sancti Martini Turonensis*, qui postremis Tabulis Caroli Magni subscripsit, Eginhardo teste; vir in Annalibus Benedictinis saepe memoratus. anno 822. & diutius insigni munere *Cancellarii* operam Ludovico Pio navavit; ita enim iis temporibus mira facilitate aut advocabantur, aut irrepebant Monachi, seu potius Abbates, in Aulam Regum & Augustorum. *Magister* appellatur, qua ratione etiam Aldricus Episcopus Senonensis in ejus Vita Secul. IV. Benedictin. institutus dicitur a Ludovico Pio *Praeceptor Palatinus*, hoc est, qui Praecepta, seu Diplomata Regia scribebat, uti Mabillonius interpretatur.

(93) Animadverte, singulos Abbates atque Episcopos dona adduxisse ad Ludovicum Augustum. Ad eorum temporum mores id spectabat. DuChesnius Tom. II Rer. Francic. fragmentum adfert de Monasteriis Regni Francorum, quae anno 817. in Regno vel Imperio Ludovici Pii *dona & militiam facere possunt, quae sola dona sine militia, quae vero nec dona nec militiam, sed solas orationes pro salute Imperatoris vel filiorum ejus, ac stabilitate Imperii*. Vide etiam Vitam VValae Abbatis iis temporibus celeberrimi, quem Poeta noster nescio cur omiserit. Illum fortasse infensum sibi senserat.

(94) Pro *iter*. Neque desunt veterum Latinorum exempla.

(95) Pro *Andegavensem*; quod & Poeta scripserit. Apud eorum temporum Scriptores occurrit *Civitas Andegavis*. Fortassis etiam non *Andegavensis*, sed *Andegavis ovans* in autographo Nigelli fuit.

(96) De illo iam supra egimus. Cancellarius nempe fuit Ludovici Pii, & pro ejus Seculi consuetudine multis Monachorum Monasteriis titulo *Abbatis* praefuit. Hinc facile deprehendas, Coenobium Andicavense *Sancti Albini* (nunc *Saint' Aubin d'Angers*) eidem Helisachari commendatum fuisse.

(97) Idest Templa praecipua Namnetensis urbis.

(98) De quo supra fuit sermo. Eum Mabillonius putavit *Comitem Andicavensem*. Sunt heic quae evincunt, ipsum *Namnetensem Comitem*, quum illic Caesarem exceperit. Eo autem tempore, ut supra vidimus, Andicavensibus praeerat *Matfridus Comes*. Nam quod in Libro Miracul. Sancti Dionysii apud eumdem Mabillonium Secul. Benedictin. Tom. III. part. 2. pag. 826. occurrit, *Lambertus Comes*, si attente inspiciatur locus, non Andegavensis pagi, *sed vicini Fisci* Comitem significat.

(99) Num *commune*? idest *una cosa comune*.

(100) Scriptum profecto a Nigello fuerit *perstat*; idest, si obfirmato animo in suo consilio perstat, hic erit illi finis.

Conjugis oratu fervida corda gerit.
Bella cupitque, vocat cunctos in bella Britannos,
Ordinat inſidias, præparat atque dolos.
Interea Cæſar Brittonis dicta ſuperbi
Aure capit, Francis & recitanda jubet.
His accenſa cohors, jam dudum Marte parato,
Caſtra movent, ſonitum dat tuba terribilem.
Sed pius Induperans cuſtodes ponit opimos
Omnibus, & mandat hæc in amore Dei:
Eccleſias ſervate viri, nec tecta ſacrata
Tangite, & Eccleſis pax ſit amore Dei.
Salpicibus (1) jam rura ſonant, nemus omne reſultat,
Et cava per campos buccina pulſa gemit.
Itur ubique, vias populis dat ſilva remotas,
Milite Franciſco rura repleta manent.
Quæruntúrque dapes, luſtriſque, palude repoſtæ,
Atque ſolò ſulcis ingenioque datæ.
Prædantur miſeri hominesque, pecuſq; juvenci;
Res quoque nulla latet, nec latuere doli.
Nulla palude ſalus, nec dumis abdita ſervant
Clauſtra viros: Francus undique vaſtat opes.
Eccleſias, ut Cæſar eis teſtatur, amabant:
Cetera flammivomis tecta dedere focis.
Sed tamen in campis Francis occurrere apertis
Nulla fides: bellum Britto ſuperbe fugis.
Per dumoſa procul, felicum per denſa repoſti
Apparent rari, prœlia voce gerunt.
Ut folium veniente gelu cadit arbore querna,
Ut pluvia autumno, roſque calente die,
Haud aliter miſeri complebant ſtrage ferarum
Brittones luſtra, ſive paludis agros.
Bella per anguſtos agitabant improba calles,
Ædibus incluſi prœlia nulla dabant.
Jam, *Murmane*, tuæ paſſim peragrantur arenæ,
Avia luſtra patent, atque ſuperba domus.
Interea Murman dumoſis vallibus inſtans,
Acer equos agitat, armaque nota capit.
Affaturque ſuos lætus, proprioque ſuperba
Pectore verba dabat, increpitatque diu:
Vos ſervate domum, conjunx, proles, famuliq;
Haud timidi veſtras frondigeraſque caſas.
Aſt ego cum paucis, quo tutior agmina luſtrem,
Illuc ire paro, concomitando, viris.
Credo quòd indutus præda ſpoliiſque refertus
Ad mea tecta celer memet equo referam.
Armat equum, ſemet, fidos armatque ſodales.
Ambas miſſilibus armat & ipſe manus.
Scandit equum velox, ſtimulis præfigit acutis
Frena tenens; gyros dat quadrupes varios.
Et ſalitante fores potus prægrandia vaſa
Ferre jubet ſolito, ſuſcipit, atque bibit.
Conjugis amplexus, prolis, famuloſq; per omnes
More petit hilaris, oſcula lenta dabat.
Tum manibus crebro criſpans haſtile profatur:
Conjunx aure cape quæ tibi verba dabo.
Lanceolas quas cernis, ait, manibuſq; reflexat
Murman, amata, tuus lætus equo reſidens:
Si mihi certa fides, Francorum ſanguine tinctas
Aſpicies hodie me redeunte domum.
Credo quòd incaſſum nullam Murmanis, amata,
Dextera mittet: ave fœmina amata, vale.
His dictis celerans ſilvis ſe condit apricis,
Ebrius, infelix te Hludovvice petens.
Hortatur ſocios firmato pectore in arma.
Ire juvat, cuncti Martis amore ruunt.
Cernitis, o juvenes, Francorum exercitus omnes
Vaſtat agros, homines, & pecus omne trahit.
O patriæ virtus, o quondam fama parentum
Nobilis, heu fruſtra jam memorata pudet.
Cernitis en miſeros ſilvis confidere cives,
Nec campis audent hoſtibus arma dare.
Nuſquam tuta fides: ubi nunc promiſſa per annū
Dextera? nunc Francos nullus adire volet.
En latè regnant, lætique furuntque trahuntque
Munera Brittonum tanta parata diu.
Si fortuna foret, poſſim quo cernere Regem,
Namque ſibi ferrum miſſile fortè darem,
Proque tributali hæc ferrea dona dediſſem,
Oblituſque mei pergerem in arma celer.
Memet ſponte mea morti dare nempe juvaret
Pro patriæ laude, proque ſalute ſoli.
Olli reſpondit quidam ſocia arma ſecutus,
Vera canens nimium, non tamen apta ſibi.
O Rex, vana cadunt triſti de pectore verba:
Plus reticenda valent, quàm recinenda modo.
Millia multa vides Francorum plana tenere,
Innumeri ſilvas luſtra per alta ruunt.
Rex idem vario ſtipatus milite celſus
Tutus iter tritum per tua rura gerit.
Eheu gens nimium quadrum diffuſa per Orbem,
Imperiis cujus ſubditur omnis homo.
Si Murmane placet, raros, quos cernis euntes,
Perſequere: ad Regem tendere nulla fides.
Ille caput volvens, tamdem profatur, & infit:
Certa canis nempe, inplacitura tamen.
Non caruere genæ lacrymis, non corda dolore;
In varias partes mens male ſana ruit.
Mox quoque in adverſo ſe ſe dedit ocius hoſtis:
Terga ferit, ferro pectora lata forat.
Nunc huc nunc illuc armis furit ante paratis,
More parentis agens nunc fugit, atque redit.
Turba ſubulcorum jam Murmanis icta furore
Multa jacet paſſim, opilioque miſer.
Qualiter urſa rapax catulos amiſſa novellos,
Per rus per ſilvas itque reditque fremens.
Coslus erat quidam Franciſco germine natus
Non tamen è primo, nec generoſa manus.
Francus erat tantùm, fama minus antea notus,
Poſtea cui nomen dextera celſa dedit.
Hunc Murmanus agens procul aſpicit, ocius & mox
Fiſus equo contra fervidus ire parat.
Nec minus ille quidem fidis confiſus in armis
Hunc celerando petit: acer uterque nimis.
Protinus hunc Murman verbis compellat acerbis:
France, tibi primo hæc mea dona dabo.
Hæc ſervata tibi jam dudum munera conſtant,
Quæ tamen accipiens poſt memor eſto mei.
Hoc dicens, ferrū vibrans longe & jacit; haſtam;
Ille ſagax clypei hanc procul egit ope.
Coslus ad hæc armis, animo præſtantior, atque
Exultans verbis, hæc tulit ore ſuo:
Britto ſuperbe, tuæ ſuſcepi munera dextræ:
Nunc decet accipias, qualia Francus habet.
Calcibus adſtringens ferratis cornipedem mox
Murman in adverſum concitus ire facit.
Non hoc miſſilibus certandum eſt tempore parvis,
Cuſpide Franciſco tempora lata forat.
Ille caput ferro ſeu cetera membra parato
Veſtierat; Francus ſed tamen arte ferit.
Concidit ad terram confixus cuſpide Murman, (2)
Tri-

(1) A Graeco σαλπιξ medii aevi Scriptores deduxere *ſalpix*, quae *tubam* ſeu *buccinam* ſignificat. Jam Voſſius Lib. 3. cap. 45. de vitiis ſermon. & Du-Cangius in Gloſſario Latin. exempla congeſſere ex Alcuino, Althelmo, & Fulcherio Carnotenſe.

(2) Anno Chriſti 818. Britannicum bellum coeptum eſt, & peractum. Ad eum annum Eginhardus in Annalib. auctor eſt, *Mormanum, qui in Britannia praeter ſolitum Brittonibus morem Regiam ſibi vendicaverat poteſtatem, ab exercitu occiſum fuiſſe*. Supra vidimus, alios quoque Regalem titulum antea uſurpaſſe.

Tristis & invitus corpore pressat humum.
Coslus equo cadens stricto caput abstulit ense,
Vitaque cum gemitu mox fugit acta procul.
Murmanis ante comes Coslum percussit eumdem,
Victor & incautus eheu Cosle peris.
Cosli namque puer, domini prævinctus amore,
Actutum latera perforat hostis acri.
Ille dolens plaga puerum confixit eumdem:
Alter ab alterius vulnere flexus obit.
Quatuor hi campo certabant Marte superbo:
Victori & victo sors fuit una quidem.
Interea castris paulum crebrescit, & auras
Fama replet tenues, gesta novella canens.
Scilicet infestum Murman cecidisse superbum
Sorte sua, castris fertur inesse caput.
Circumfusa ruit Francorum hinc inde caterva
Visendi studio lætificata satis.
Mox caput affertur collo tenus ense revulsum,
Sanguine fœdatum absque decore suo.
Witchar adesse jubent, prorsus orantq; referri,
Vera an falsa canant, eligat ipse, rogant.
Is caput extemplo latice perfundit, & ornat
Pectine: cognovit mox quoque jussa sibi.
Murmanis hoc caput est, inquit, mihi credito cuncti;
Cervix ista mihi sat bene nota manet.
Cæsar at ipse pius telluri more cadaver
Imponi miserans pro pietate jubet.
Corpora Francorum mandantur namq; sepulcro
More pio, hymnis munere ritè datis.
Altera fama furit Brittonum lustra pererrans,
Voce tonat, Regem sors tulit atra nimis.
Heu miseri cives concurrite, Cæsaris almi
Quærere jura decet, dum modò vita datur.
Murman noster obit Francisco cuspide tactus,
Credulus en nimium conjugis alloquiis.
Regia frena petunt Brittones namque coacti,
Jam sobolesq; genus Murmanis omne venit.
Mox Hludovvicus ovans recipit Brittonica jura,
Dat jus, datque fidem: pax, requiesque datur.
Inde Deo grates victor persolvit opimas,
Imperio sociat perdita Regna diu.
Lætus at inde redit Cæsar, paucisque relictis
Ardua Regna petit auxiliante Deo.
Legati (3) interea, quos dudum miserat Orbi
Cæsar, ut Ecclesiæ crescceret almus honor,
Jussa patrata pii, perfectisque ordine rebus,
Undique conveniunt, orsa parata ferunt,
Urbes innumeras, seu castra Monastica cuncta,
Canonicosque greges, seu Benedicte tuos,
Ritè peragrantes, Cæsar quo maximus illis
Jusserat, adveniunt: hæc quoque dicta canunt.
Multa favente Deo, vestroque labore fideli
Vidimus ornata sive peracta piè.
Rebus, & exemplis, cunctoque ex ordine cultu
Currere directo tramite, dante Deo.
Pluri ma namque minus, neglectis rebus & actu,
Officiumque minus currere ritè Dei.
Quis tamen obnixè vestri sub pondere verbi
Justissimus, implerent ordine quisque suo.
Mensurasque sibi vestro moderamine dantes,
Quis valeant semper pergere jure viam.
Seu etiam Librum (4), quem Patrum vestra potestas
Dogmate decerpsit, atque peregit ope.
Urbibus, & Castris sexus quod eget uterque
Linquimus: adsantes hæc legitate viri.
Illum Pastor amat placidè, grex sedulus illum
Perlegit, hunc semper sedula turba colit.
Illuc inveniunt juvenesque senesque magistri,
Quid teneant, doceant, quicquid amore colant.
Addimus ast Cæsar: post Christi tempora nostri,
Cùm priùs Ecclesia crevit in Orbe sacra,
(Vera quidem canimus) nullius tempore Regis
Creverat Ecclesia (5), seu decus, atq; Fides,
Temporibus vestris ut nunc, miserante Tonante,
Crescit amore Dei, sive decore sui.
Dextera vestra facit cũctos procul esse nocentes,
Protegit & famulos dextera vestra pios.
Munia vestra docent quicquid docuere priores,
Et facis assiduè hæc recolere *ipse* (6) tuis.
Terribilis torvis, pius & mansuetus alumnis,
Inque tuis meritis Mundus abundat ope.
Reddidit ast illis Cæsar mox pectore grates,
Munificis donis munerat hos pariter.
Mos erat antiquus Francorum semper, & instat,
Dumque manebit, erit gentis honorque decus,
Ut quicumque fidem Regi servare perennem
Abnegat ingenio, munere, sive dolo,
Aut cupit in Regem, sobolem, seu sceptra misellus
Arte inferre aliquid, quæ sonat absque fide:
Tum si frater adest, qui se super (7) hæc quoque dicat,
Tunc decet ut bello certet uterque fero
Regibus & Francis coram, cunctoque senatu:
Detestatur enim Francia hocce nefas.
Namque fuit dictus quidam *Bero* (8) nomine quondam
Dives opum nimium, præ quoque sive potens,
Qui *Parchinonam* (9) Carolo tribuente tenebat,
Temporibus multis credita jura regens.
Hunc super infestans alius, cui *Sanilo* (10) nomen
Propria terra dedit, alteruterque (11) Gothus.
Hic venit ad Regem, coram populoque Senatu
Verba nefanda canit, quæ Bero cuncta negat.
Prosiliunt pariter, pedibus volvuntur honestis,
Atque precantur eis martia tela dari.
Tum Bero primus ait: Cæsar, pietatis amore
Deprecor, ut liceat ista negare mihi.
More tamen nostro liceat residere caballum,
Armaque ferre mea: sæpius ista rogat.
Cæ-

(3) Idest Missi Regii, quos Ludovicus per sua Regna miserat ad justitiam faciendam, & componendos Cleri utriusque mores.
(4) Nempe *de Vita Clericorum*, & *Sanctimonialium*, quem Aquisgranensis Concilii Patres, ita jubente piissimo Augusto, ex Sanctorum Patrum sententiis confecere, editum in collectione Conciliorum Labbeana.
(5) Melius *Ecclesiæ*.
(6) Alia manu textui superimpositum.
(7) Obscurus sensus, quem tamen ita explices. Mos est Francis, ut si quis infidelitatis in Regem suspicionem moveat, eamque illi quisquam objiciat, tunc singulare certamen ineundum sit coram Rege & Francorum Proceribus.
(8) Idem qui supra Lib. I. memoratus est, *Bera Comes* quoque appellatus.
(9) More Theutonicorum, qui B. pressius pronuntiantes in P. convertunt. Jam Eginhardus & alii tradidere, atque ego supra innui, *Beram* hunc *Barcinonensi* Civitati *Comitis* dignitate praefuisse.
(10) Astronomus Auctor Vitae Ludovici Pii ad annum 820. haec paucis describit. *In Palatio quoque Bera Comes Barcinonensis, quum impeteretur a quodam vocato Sanila, & infidelitatis argueretur, cum eodem secundum legem propriam, utpote quia uterque Gothus erat, equestri proelio congressus est, & victus*. Noster vero duellum oblatum & acceptum scribit more etiam *Francorum*, apud quos pariter exploratum est, in usu fuisse singularia certamina. Sed in eo tantum Gothi a Francis differebant, quod ii equites, isti vero pedites decertabant. Vide infra.
(11) Pro *uterque*. Et quidem Bera & Sanilo *uterque Gothus* ex Astronomi fide.

Cæsar ait: Francis hanc rem finire licebit:
Sic fas, ficque decet, nosque jubemus idem.
Judicioq; dato Francorum ex more (12) vetusto
Arma parant, trepidi currere in arma volunt.
Cæsar amore Dei paucis compellat eosdem,
Certa canens illis pro pietate sua.
Quisquis, ait, vestrũ mihi quippe fatebitur ultro
Delicti istius protinus esse reum,
Errorem miserans donabo, & cuncta remittam
Debita peccati, vinctus amore Dei.
Credite namque, meis præstat parere suadelis,
Quàm fera pestiferi prœlia Martis agi.
Ast illi celeres iterumque iterumque precantur:
Bella placent nobis; bella parentur enim.
Cæsar eis sapiens: Francorum (13) jura facessant
Præcipit; ast illi, haud mora, jussa colunt.
Est locus insignis Regali proximus aulæ,
Fama sui latè, quæ vocitatur *Aquis*,
Marmore præcinctus lapidũ, sive aggere septus,
Consitus arboribus, quo viret herba recens.
At fluvius medium prælambit gurgite lento;
Hunc volucres variæ incolitantque feræ.
Quando placet Regi, paucis comitantibus illuc
Venandi studio sæpius ingreditur.
Figere cornigerûm prægrandia corpora ferro
Cervorum, aut dammas percutere, atque capras.
Seu glacie stringente solum sub tempore brumæ
Unguigeris volucres exagitare capis (14).
Ergo illuc veniunt (15) tremuli *Bero*, *Sanilo* nec non;
Cornipedûm resident corpora magna viri,
Scuta gerunt dorso, manibusque hastilia portant,
Expectant signum Regis ab arce dari,
Quos sequitur propius Regalis turba virorum,
Regali jussu scuta gerendo simul,
Ut si quis socium gladio percusserit, illi
More (16) pio eripiant, mortis ab ore trahant.
Mox *Gundoldus* adest, feretrum (17) de more paratum
Ducere postque jubet, ut fuerat solitus.
Annuitur solio: mox illi bella lacessunt.
Arte nova Francis antea nota minùs.
Et jaciunt hastas, mucronibus insuper actis
Prœlia temptabant irrita more suo.
Jam Bero figit equum, gyros dare cornipedes (18) mox
Incipit, atque fugit prata per ampla celer.
Ille sequi simulat, tamdem dimittit habenas,
Et ferit ense: ille (19) se canit esse reum.
Concurrunt juvenes validi, fessumque Beronem
Eripiunt morti Cæsareo monitu.
Miratur Gundoldus enim, feretrumq; remittit
Absque onere tectis, venerat unde, suum.
Cæsar ei vitam tribuit, tribuitque salutem,
Et miserans (20) proprias cessit habere dapes.
O pietas inmensa nimis! peccamina laxat,
Cedit opes, vitam cedit habere reis.
Hæc eadem pietas (posco, atque reposco fidelis)
Memet (21) Pippino reddat opima pio.
Jam, Benedicte (22), tuum complesti ex ordine cursum,
Servastique fidem, Paulus ut ore tonat.
Nunc Paradisiaca residens lætanter in aula
Æquivocum (23) sequeris, quem hìc imitatus eras.
Tertius in vestro finem tenet ecce Libellus
Nomine, ut Ermoldi (24) sis memor alme tui.

---

(12) Non Gothorum more, sed *Francorum*, hoc est certamine pedestri litem hanc dirimendam Ludovicus imperat. Fortassis etiam non aliis armis iis uti posse datum, quam *fustibus*, & *scutis*, uti statuunt non una Francorum Regum Capitularia: quem morem etiam in Italiam invectum, Langobardicae Leges evincunt.

(13) Hoc est: indulgeo vobis, ut dimissa Francorum consuetudine, Gothorum more certamen ineatis.

(14) Synodus Ticinensis anno 850. Canone IV. *Non canibus, aut accipitribus, vel Capis, quos vulgus Falcones vocat, per se ipsum venationes exerceat*. A capiendo aves ita dicti putantur. Alia exempla agglomerat Du-Cangius in Glossario Latino. Ac propterea *Gerricus Capis praelatus*, cujus est mentio in Vita Ludovici Pii ad annum 813. recte statuendus est magnus Regiae Aulae *Falconarius*. Certe inter Regios *Ministeriales* Carolo Magno in Epistola ad Pippinum filium part. II. Tom. I. Collectionis hujus pag. 112. *Falconarii* recensentur. Eos etiam Hincmarus Remensis memoravit inter Palatinas dignitates in Lib. de Ordine Palatii.

(15) Certaminis hujus descriptio singularia habet notatu digna, quae apud alios eorum temporum scriptores frustra requiras.

(16) Quando abrogari omnino olim non potuit abominandus Duellorum usus, ea tamen peragere in conspectu omnium opus erat; & saltem pietatem sapuit, victos plerumque eripere morti. At seculis proxime lapsis in abdito certabatur, neque praesto erant, qui victo vitam impetrarent: tam longe processerat hujusmodi furor.

(17) Mos attente notandus, ut si quis in certamine caderet, statim efferretur. Gratiae sint Nigello, qui veterum ritus nobis edisserit. Id autem facere *Gundoldus* ille *fuerat solitus*.

(18) Pro *cornipes*.

(19) Idest Bero Comes. Audi Eginhardum in Annal. ad annum 820. *Bero Comes Barcinonae, qui jam diu fraudis & infidelitatis a vicinis suis insimulabatur, cum accusatore suo equestri pugna confligere conatus, vincitur*.

(20) Iterum Eginhardus: *Quumque ut reus majestatis capitali sententia damnaretur, parsum est ei misericordia Imperatoris, & Rotomagum exilio proscriptus est*. Quare quum noster ait, illi permissum a Ludovico *habere proprias dapes*, propria tantum bona dimissa ei fuisse intelligendum est, non autem Barcinonensem Praefecturam. In Vita Ludovici ad annum 834. occurrit *Sanila Comes*. Veri videtur simile, eumdem fuisse atque Berae victorem, praemii loco dignitate Comitis postea auctum.

(21) Vide Praefationem meam in Nigellum.

(22) Nempe *Benedictus Anianensis*, & postea *Indensis Abbas*, vir sanctitate morum celeberrimus, jam supra a Nigello memoratus. Eum mors in Coelum intulit anno 821. uti ex ejus Vita apud Mabillonium Secul. IV. part. I. Act. Sanctor. Benedictin. Ac proinde vides, Nigello Chronologicum ordinem servari in hisce narrationibus.

(23) Hoc est *Benedictum*, Occidentalium Monachorum Patriarcham, quem Benedictus Indensis Abbas virtutibus est imitatus. Theodulfus Aurelianensis Lib. 2. Cap. 6. ad eumdem scribens, ipsum Casinati Benedicto comparat hisce versibus.

,, *Non distes merito, cujus non nomine distas:*
,, *Nominis & merito sors beet una duos.*
,, *Quod fuit Ausoniis Benedictus rector in arvis,*
,, *Hoc modo tu in nostris es, Benedicte, locis.*

(24) Vide Praefationem meam.

EXPLICIT LIBER TERTIUS.

INCIPIT LIBER QUARTUS.

Cura pii passim gliscebat denique Regis,
Francorumque fides creverat usque polos.
Undique collectim gentes populique fluebant
Cernere Christicolam (1) Cæsaris atq; fidem.
Gens erat interea, antiquum cui perfidus anguis
Liquerat errorem, sustuleratque Deum.
Quæ Pagana diu cultus servabat iniquos,
Pro Factore colens Idola vana suo.
Proque Deo Neptunus erat, Christi retinebant
Jupiter orsa locum, cui sacra cuncta dabant.
Hic populi porrò veteri cognomine *Deni* (2)
Ante vocabantur, & vocitantur adhuc.
Nort (3) quoque Francisco dicuntur nomine *Manni*,
Veloces, agiles, armigerique nimis.
Ipse quidem populus latè pernotus habetur,
Lintre dapes quærit, incolitatque mare.
Pulcher adest facie, vultuque statuque decorus,
Unde genus Francis (4) adfore fama (5) refert.
Victus amore Dei, generisque misertus aviti,
Temptat & hos Cæsar lucrificare Deo.
Indoluitque diu, nullo monitante, perisse
Tot gentis populos, totque greges Domini.
Consilio accepto quærit, quem mitteret illuc
Quærere lucra Dei perdita tanta diu.
Mittitur ad hoc opus *Remensis Episcopus Ebo*, (6)
Quo faciente queant credere nempe Deo.
Nam Hludovvicus enim puerū nutrierat eundem,
Artibus ingenuis fecerat esse catum.
Hunc ergo alloquitur Cęsar, verbisque coruscat;
Multa canens famulo dat pia jussa suo.
Ito Sacer, populum blando sermone ferocem
Compellato priùs tempore, sive modo.
Est Deus in Cœlo, Mundi plasmator & omnis,
Quicquid rura tenent, quæ mare, quæq; polus.
Fecerat hic hominem primum, nostrumque parentem
Præposuit tempis (7) & Paradise tuis,
Ut sibi serviret lætus per secula cuncta,
Ignarusque mali, dante Creante, foret.
Sed quia peccavit, cecidit mox: inde nepotum
Dæmonis invidiâ mox genus omne cadit.
Crevit at inde seges, silvas replevit & arva,
Non coluere Deum, sed simulacra manus.
Diluvii hos rapidis sepelivit denique flustris (8),
Ni pia quos paucos Arca redemit aquis.
Hinc generosa cohors parvo de semine crevit,
Unde Deum quidam percoluere suum.
Cetera turba quidem, variis infecta venenis,
Avia curva petit, Idola sæva colens.
Ille iterum miserans Natum transmisit ad arva,
Consortem Regni, qui tenet alta poli.
Hic hominis mortale suo sociavit honori;
Delicto primo liberat hic hominem.
Qui Mundum salvare valens cum Patre potenter
In terris voluit pro pietate mori.
In Cruce confixus, morti se tradidit ultro,
Ut

---

(1) An potius *Christicolum atque Caesaris fidem?*

(2) Idest *Dani*. Eorum regio Germanice *DenmarK*, ac proinde eos Poeta *Denos*, ut adhuc Germani loquuntur, potius quam *Danos* appellat.

(3) Scilicet *Nortmanni*, sive *Nordmanni*, olim appellati quicumque Populi ad Septemtrionem Europae positi, piraticam exercentes Regna Francorum infestabant. Regnante Carolo Magno emersit hujusmodi pestis. Eos vero modo *Danos*, modo *Nortmannos* appellant reliqui eorum temporum Scriptores.

(4) Clarissimus Leibnitius Dissertationem edidit *de origine Francorum*, quam postea Johannes Georgius Eccardus, eruditione sua optime hactenus de re publica meritus, auctiorem, suisque notis illustratam recudit anno 1720. ad calcem Legis Salicae. Contendit ibi Leibnitius, Francos originem duxisse ex *Normannorum patria, quae est Dania ab antiquis appellata*, eosque olim trans Albim fluvium consedisse, haec verba mutuatus ab *Anonymo Ravennate*, quem edidere Porcheronius & Gronovius. Verùm non ea fortassis est Anonymi illius antiquitas, quam sibi Leibnitius persuasit; & exquirendum restat, num is plane sit *Guido Ravennas*, ex cujus Cosmographiae Libris excerpta ego olim legebam in MSto Codice Bibliothecae Ambrosianae, ubi ejus nomen aperte ponitur, alioquin antea Raphaeli Volaterrano notum. Nil ego heic affirmare ausim; nam ex iis excerptis, parum alioqui castigatis, multa occurrunt in Anonymo Ravennate, alia vero illic minime reperio, qualia, ut exemplum proferam, sunt quae sequuntur: *Deinde Urbs Lictia Ydomenei Regis, de qua Virgilius:*

„ Et Salentinos obsedit milite campos
„ Lictius Ydomeneus.

De hac Theatrum tantummodo, ceteris moenibus solo coaequatis, olim solemni studio conditum, restat. In cujus jam incolae parvum, poene lapsum, municipium sibi met, quod nomen antique reservat, fecere culmine, quod figuram magis Urbis, quam eamdem Urbem exprimit. In hujus suburbanis monumenta antiquorum innumera sub dio exposita, solido sculpta cernuntur lapido. Cui conjuncta Civitas Rugae dignoscitur. Ab hac utique Ydrontum, quae in litore & portu ejusdem Lictiae sita est XXX. fere milliaria supputantur &c. Romualdum quoque Beneventanum Principem Brundusii & Tarenti potitum scribit, easque ab illo Urbes solo aequatas tradit.

(5) Non una Anonymi Ravennatis auctoritate usus est supra laudatus Leibnitius, ut antiquas Francorum sedes apud Balticum fretum statueret, sed etiam Poetae nostri, quem *nondum editum* in Caesarea Vindobonensi Bibliotheca viderat. Ipsos hosce versus adfert Leibnitius suae opinioni conformes. Et certe non contemnenda *fama*, quam Nigellus tantae vetustatis Auctor de origine Francorum adfert. Infra idem Poeta scribit, Ludovicum Pium misertum *generis aviti*, hoc est Danorum, adhuc falsorum Numinum cultui addictorum.

(6) Remensis Episcopus, vir in Historia Ecclesiastica famosus, tum ob praedicatam inter Danorum Populos, tunc idolis servientes, Christi Fidem, tum ob turbas deinde ab eo motas in Ludovicum Pium Augustum. Pagius, Baronium sequutus, *Ebonis*, sive *Ebbonis* missionem collocat ad annum 823 eamque in rem *Eginhardi* verba adfert. Sed Eginhardus anno 823. scribit, *Ebbonem Remorum Archiepiscopum, qui consilio Imperatoris, & Romani Pontificis auctoritate, praedicandi gratia ad terminos Danorum accesserat, & aestate praeterita multos ex eis ad Fidem venientes baptizaverat, regressum fuisse*. Ergo Ebbonis sacra expeditio, & quae heic Poeta noster adfert, spectant ad annum 822., neque corrigendi cum Pagio, sed amplectendi Annales Fuldenses, qui ad annum 822. habent. *Ebo Remorum Episcopus genti Nordmannorum evangelizavit verbum Dei*.

(7) Tempe amoenissima Thessaliae regiuncula apud antiquos Poetas perquam celebris. Itaque ad significandum amoenum locum usi sunt subinde ea voce minores Poetae.

(8) Ex Festo accepit Nigellus, scribente, *fluctus maris, quando quiescunt, sive malacia est, flustra* appellari.

Ut sua militibus Regna benigna daret.
Hic sedet ad Patris sociatus munere dextram,
Invitat famulos: currite, Regna dabo.
Hic jubet electis omnes revocare bidentes,
Et sacra Baptismi munia ritè dare.
Non aliter Cœli quisquam conscendet in aulam,
Ni quæ jussit agat Filius ille Dei.
Scilicet amissis culturis Dæmonis atri,
Mox sacra Baptismi munera percipiat.
Ad hanc, *Ebo*, Fidem gentem revocare studeto:
Nostra Fides hæc est, hanc colit Ecclesia.
Linquere vana decet: sculptis servire metallis
Heu scelus est homini, qui ratione viget.
Jupiter, aut Neptunus eos, vel quemque sequuntur,
Quid juvat, aut manibus sculpta metalla suis?
Vana colunt miseri, surdis mutisq; precantur,
Dæmonibusque litant debita danda Deo.
Non pecudum placare Deum fas sanguine nostrum:
Pluris amat hominis vota benigna pius.
Jam sat's errori tempus tribuere profano:
Cultibus inlicitis cedere tempus adest.
Ultima labentis hos jam vocat hora diei,
Vinetis Domini portio restat adhuc.
Otia lenta decet jam nunc quoque rumpere, dum lux
Alma, licet homini quærere dumque Deum.
Ne nox atra cadens miseros comprendat inertes,
Tradat & ignicomis (9) illico ritè focis.
Tu Sacer Ebo tamen perlectis accipe biblis,
Testamenta novi dogmatis ac veteris.
Hoc de fonte sacro fer pocula dulcia primò,
Quîs haustis recolant dogmata vera Dei.
Aspera dede locis mox convenientibus, atque
Nosse queant (10) hactenus orsa colunt.
His breviter Regem nostris de partibus *Herdolt* (11)
Adgredere, & dictis nostra referto sibi.
Nos pietate Dei pariter nostræque Fidei
Dogmate compuncti, hæc sibi dicta damus.
Consiliis modò si mavult parere benignis,
Suscipiat nostra pectore verba pio.
Proh dolor, accelerans errorem linquat avitum
Poscimus, & Christo det pia vota pio.
Offerat atque Deo semet promtissimus ipsum,
Cujus factura est, quique creavit eum.
Monstra nefanda procul, seu Juppiter horridus absit,
Neptunum linquat, Ecclesiamque colat.
Dona salutaris capiat de fonte sacrato,
Atque Crucem Christi frontibus opto ferat.
Non sua Regna mihi ut cedant hoc consulo credat,
Sed quo plasma Dei lucrificare queam.
Si cupit, ad nostras concurrat concitus arces,
Percipiat vero fonte lavacra Dei.

Insuper ablutus, dapibusque juvatus, & armis,
Mox sua Regna petens vivat amore Dei.
Hæc nos vera Fides divini jussa Tonantis
Dicere quippe monent, quæ volo perficere.
Mox jubet *Ebonem* donari munere magno.
Vade, Deus tecum, Induperator ait.
Nuntius interea *Brittonum* (12) à parte rebellum
Ecce venit solito, nuntia sæva refert.
Scilicet infectum quod nuper Cæsar ad illos
Firmarat pignus, insuper atque fidem,
Accitis populis, armis quoque ritè paratis,
Illuc Cæsar ovans concitus ire parat.
Francia cuncta ruit, veniunt gentesque subactæ,
Et *Pippine* (13) tua parte venire paras.
Divisit populum ternis sub partibus omnem
Ductoresque dedit, ordinat & Proceres.
Partem unam æquivoco (*) belli committit, & una
Matfridum (14) sociat, millia multa simul.
Pippino Regi huc *Helisachar*que, potentes
Junguntur: numero cetera turba caret.
Agmen ovans Cæsar medium sibi vendicat ipse
Belliger, & sapiens ordine bella movet.
Hos *Lantpertus* (15) agit, hos ducit in agmina *Matfrid*,
Et *Hludovvice* (16) puer bella paterna geris.
Pippin, sive sui, & Francorum mixta caterva,
Arma ferunt, vastant undique gentis honos.
Cæsar agens Francos, per calles dirigit amplos;
Regmina Brittonum sic peragrata patent.
Huc egomet (17) scutum humeris ensemque revinctum
Gessi, sed nemo me feriente dolet.
Pippin hoc aspiciens risit, miratur, & infit:
Cede armis frater; litteram amato magis.
Tunc peragrant agros, silvas, tremulasque paludes,
Vastatur populus, & pecus omne perit.
Ducuntur capti miseri, moriuntur & armis;
Tamdem reliquiæ (18) Cæsaris arma petunt.
Cæsar namque Duces custodes ponit opimos;
Si cupiant, nequeunt bella movere magis.
Victor at inde pius Cæsar remeavit, & omnes
Victores Franci mox sua tecta petunt.
Ebo Sacer dudum Nortmannica Regna peragrans,
Munia clara dabat nominis apta Dei.
Jam *Herorde* (19) tuas Præsul pervenerat arces,
Et tua de Christi dogmate corda replet.
Ille Dei monitis, Regis quoque credere verbis
Cœperat, & populum prædicat ipse suum.
Credo, Sacer, dictis tantum si gesta sequantur;
Perge, ait, ad Regem: hæc sibi dicta refer.
Cernere namque placet Francorum Regna, Fidemque
Cæsaris, arma, dapes, Christicolûmq; decus,
Cul-

(9) Ita in MSto Codice. Alibi vocabulo *ignivomis* utitur.

(10) Ita in MSto; ex quo vox aliqua intercidit: Sensus est; *nosse queant falsa, quae hactenus orsa colunt*.

(11) Quem infra *Herordum*, & *Heroldum* appellat, ea tempestate Danorum Regem.

(12) Novus hic Britanniae cismarinae motus spectat ad annum 824. & de eo ab Eginhardo (sive quisquis ille sit, cujus Annales Francorum sub Eginhardi nomine laudare pergo) haec inter alia traduntur: *Imperator ad Britannicam expeditionem per se faciendam animo intento Redonas venit. Et inde diviso in tres partes Exercitu, duabusque partibus filiis suis Pippino, & Ludovico traditis Britanniam ingressus totam ferro & igne vastavit*.

(13) Pippinum significat Ludovici Pii filium, & tunc Aquitaniae Regem.

(*) Idest Ludovico filio, Bajoariae Regi.

(14) Quem supra adnotavimus Comitis dignitate Aurelianensibus praefectum fuisse.

(15) Nempe *Namnetensis* Comes, ut supra vidimus. Prae ceteris vero delecti Comites Aurelianensis & Namnetensis duces belli, quod uterque sua ditione Britannis conterminus foret, & utriusque tutelae commendati fuerant ad eam partem Francorum limites.

(16) Is erat Ludovici Pii filius, jam anno 817. a patre constitutus Rex Bajoariae. Eum quoque expeditioni Britannicae anno 824. interfuisse, Eginhardus nuper nobis indicavit.

(17) Vide Praefationem Gentilotti, ac meam in hunc Scriptorem.

(18) Hoc est, qui a ferro & vinculis immunes superfuerant, Ludovici Augusti militibus deditionem fecere.

(19) Idem, quem supra vidimus, Danorum Rex.

Culturamque Dei, cui servit cuncta potestas,
Ut canis, atque Fides firmiter alma tenet.
Tum mihi si vestet, fecinis quem dogmate, Christus
Cedat opem voti, protinus acta dabo.
Dii quoque serventur, quorum sacravimus aras,
Usque Dei possim visere templa tui.
Si Deus ille tuus nostris præfertur honore,
Et valet oranti munera plura dare,
Linquere causa monet, Christo parere juvabit,
Sculptaque flammivomis ferre metalla focis.
Munera ferre jubet, donat quoque munere Sacrum,
Qualia Denorum rus quoque habere valet.
Ebo redit gaudens, lucrisque propheta futuris
Æstuat, & Regi vota placenda refert,
Qualiter *Heroldus Denorum rector* opimus
Sacra lavacra Dei suscipienda petat.
Cæsar at deinde pius grates persolvit opimas
Cunctipatri Domino, qui dedit omne bonum.
Et jubet extemplo Imperii per jura subacti
Omnibus obnixo solvere vota Deo.
Scilicet ut Christus, qui Mundum Sanguine totum
Salvavit, redimat hos quoque ab hoste malo.
Engilin (20) ipse pius placido tunc tramite *heim*
Advolat Induperans conjuge cum sobole.
Est locus ille situs rapidi prope flumina Rheni,
Ornatus variis cultibus, & dapibus.
Quo domus alma patet centum perfixa columnis,
Quo reditus varii, tectaque multimoda.
Mille aditus, reditus, millenaque claustra domorum,
Acta magistrorum artificumque manu.
Templa Dei summo (21) constant operata metallo,
Ærati postes, aurea ostiola.
Inclita gesta Dei, series memoranda virorum,
Pictura insigni quo relegenda patent.
Ut primo, ponente Deo, pars læva recenset,
Incolitant homines te Paradise novi.
Inscia corda mali Serpens ut perfidus Evæ
Temptat, ut illa virum tangit, ut ipse cibum.
Ut Domino veniente tegunt se tegmine ficus,
Ut pro peccatis jam coluere solum.
Frater ob invidiam fratrem pro munere primo
Perculit, haud gladio, sed manibus miseris.
Inde per innumeros pergit pictura sequaces,
Ordine, sive modo dogmata prisca refert.
Utque latex totum merito diffusus in orbem
Crevit, & ad finem traxit ut omne genus.
Ut miserante Deo paucos subvexerat Arca,
Et corvi meritum, sive columba tuum.
Inde Habrahæ, sobolique (22) suæ pinguntur & acta,
Joseph, seu fratrum, & Pharaonis opus.
Liberat ut populum Ægypto jam munere Moses.
Ut perit Ægyptus, Israël utque meat.
Et lex dante Deo geminis descripta tabellis,
Flumina de rupe, deque volucre cibus.
Et promissa diu quo redditur hospita tellus,
Ut Jesus populo dux bonus exstiterat.
Jamq; Prophetarum, Regum præmagna caterva
Pingitur, acta simul & celebrata nitent.
Et Davidis opus, Salomonis & acta potentis,
Templaque divino ædificata opere.
Inde Duces populi quales quantique fuere,
Atque Sacerdotum culmina seu procerum.
Altera pars retinet Christi vitalia gesta,
Quæ terris Missus à genitore dedit.
Angelus ut primò Mariæ delapsus ad aures,
Utque Maria sonat: Ecce puella Dei.
Nascitur ut Christus, Sacris longè ante Prophetis
Notus, & è pannis volvitur utque Deus.
Ut pia pastores capiunt mox jussa Tonantis,
Cernere moxque Deum quo meruere Magi.
Ut furit Herodes, Christum succedere credens,
Perculit ut pueros qui meruere mori.
Ut fugit Ægypto Joseph, puerumque reportat,
Crevit ut ipse puer, subditus utque fuit.
Ut baptizari voluit, qui venerat omnes
Sanguine salvare, qui periere diu.
More hominis ut tanta tulit jejunia Christus,
Ut temptatorem perculit arte suum.
Ut pia per Mundum docuit mox munia Patris,
Reddidit infirmis munia prisca pius.
Mortua quin etiam ut reparavit corpora vitæ,
Dæmonis arma tulit, expulit utque procul.
Discipulo ut tradente fero, sævoque popello
More hominis voluit ut Deus ipse mori.
Ut surgens propriis apparuit ipse ministris,
Utque polos palam scandit, & arva regit.
His est aula Dei picturis arte referta,
Pleniter artifici ritè polita manu.
Regia namque domus latè persculpta nitescit,
Et canit ingenio maxima gesta virûm
Cyri gesta canit, nec non & tempore *Nini*
Prœlia multimoda, duraque facta nimis.
Hic videas fluvio Regis sævire furorem,
Vindicat ut cari denique funus equi.
Dehinc mulieris ovans infelix prenderat arva,
Sanguinis utre caput ponitur inde suum.
Impia nec *Falaris* reticentur gesta nefandi,
Utque truces populos hic necat arte fera.
Ut *Pyrillus* (23) ei quidam faber æris & auri
Jungitur, & Falari cum impietate miser
Ære celet taurum nimio fabrivit honore,
Truderet ut hominis quo pia membra ferus.
Moxque tyrannus eum tauri conclusit in alvo,
Atque dedit mortem ut artificique suo.
Romulus & *Remus* Romæ ut fundamina ponunt,
Perculit ut fratrem impius ille suum.
Hannibal ut bellis semper persuetus iniquis,
Lumine privatus ut fuit ipse suo.
Ut quoq; *Alexander* bello sibi vendicat Orbem,
Ut *Romana* manus crevit & usque polum.
Parte alia tecti mirantur gesta paterna,
Atque piæ Fidei proximiora mag s.
Cæsareis actis Romanæ Sedis opimæ
Junguntur Franci, gestaque mira simul.
Constantinus uti Romam dimittit amore,
Constantinopolim construit ipse sibi.
Theodosius felix illuc depictus habetur,
Actis præclaris addita gesta suis.
Hinc *Carolus* (24) primus Frisonum Marte magister
Pingitur, & secum grandia gesta manus.
Hinc

(20) Scilicet *Ingelheimum*, nunc Palatinatus Rhenani oppidum. Ibi Palatium nobile a Carolo M. conditum, de quo Poeta Saxo in Annal. Caroli, capite postremo:
„ *Ingelenhem dictus locus est, ubi condidit Aulam,*
„ *Aetas cui vidit nostra parem minime.*
Eginhardus *non longe a Moguntiaco* Villam hanc Regiam statuit.

(21) Lubenter scriberem *summo*: atque ita a Poeta scriptum censeo.

(22) Restituerem *sobolisque*.

(23) Quem *Perillum* alii appellarunt:

(24) Scilicet *Martellus*, avus Caroli Magni, & Major Domus Franciae: is nempe, qui *Frisios* gentem durissimam celebri expeditione prostravit, suæque ditioni adjecit anno 733. & 734.

Hinc *Pippine* micas, Aquitanis (25) jura remittens,
Et Regno socias, Marte favente, tuo.
Et *Carolus*(26) sapiens vultus prætendit apertos,
Fertque coronatum stemmate ritè caput.
Hinc *Saxona* cohors contra stat, prœlia temptat,
Ille ferit, domitat, ad sua jura trahit.
His aliisque actis clarè locus ille nitescit,
Pascitur & visu, cernere quosque juvat.
Illic ergo pius Cæsar dat jura subactis,
More suo Regni ritè revolvit opus.
Ecce volant centum per Rheni flumina puppes,
Velaque candidolis consociata modis,
Denorum populis oneratæ munere, nec non
Heroldum (27) *Regem* prima carina vehit,
Te *Hludovvice* petens. Debetur hoc tibi munus,
Qui facis Ecclesiæ crescere ritè decus.
Jamque propinquabant ripę, portumq; tenebant:
Cæsar ab excelsa hæc prospicit arce pius,
Matfridumque jubet juvenū comitante caterva,
Ocius occurrat pro pietate viris.
Mittit equos faleris multos ostroque paratos,
Qui revehant homines ad sua tecta novos.
Francisco subvectus equo Heroldus adibat,
Conjunx, atque domus cuncta venire parat.
Cæsar eum gaudens celsa suscepit ab aula,
Ordinat expensas, distribuitque dapes.
Heroldus Regem adclinis affatur opimum,
Incipit ore sua vota referre prior.
Cæsar opime, tuas quæ res me vexit ad arces,
Meque, domumq; meam, & genus omne simul.
Incipiam narrare, jubet si vestra potestas,
Cæsareis promtus auribus, atque canam.
Namque diu patrum sectatus jura priorum,
More mei generis hactenus usque tuli,
Et mea sacra meis semper Dis atque Deabus
Persolvi supplex, & pia vota dedi.
Scilicet ut horum suffragia Regna paterna
Servarent, populum, prædia, sive lares,
Auferrentque famem, seu noxia cuncta potenter
Abstraherentque, darent prospera cuncta suis.
Ebo Sacer vester dudum Nortmannica rura
Ingrediens, aliter prædicat, atque probat.
Namque canit Cœli terræq; marisque Creantem
Esse Deum verum, quem decet omne decus.
Qui geminos homines luti de fomite primo
Fecerat, unde genus crevit in Orbe virûm.
Ille Deus summus Natum transmisit in arva,
De cujus latere sanguis & unda fluit.
Hæc (28) lavit Mundum miserans mox crimine ab omni,
Atque renascenti cœlica Regna dedit.
Filius ille Dei Christus vocitatur Iesus,
Cujus chrisma beat nunc genus omne pium.
Hunc nisi confessus fuerit quisq; esse Tonantem,
Et pia Baptismi munera suscipiat,
Tartarei invitus properabit ad ima profundi,
Quo malè Dæmonibus consociandus erit.
Ast quicumque cupit Cœli conscendere sedem,
Quo manet omne bonum, & procul omne malum,
Jam fateatur, eum verum esse Deumque Hominemque,
Expurget nec non corpora fonte sacro.
In Patris, & Nati, seu nomine Flaminis almi
Membra salutiferis ter quoque mundet aquis.
Hic Deus est unus, quamvis sint nomina trina,
Par honor atq; decus est, fuit, est, quoque erit.
Cetera, quæ manibus constant præficta, metalla
Idola vana vocat Præsul, & esse nihil.
Hanc mihi Cæsar amans Præsul sanctissimus *Ebo*
Esse Fidem vestram censuit ore suo.
Cujus ego exemplo verbis recreatus honestis
Credo Deum verum, respuo sculpta manus.
Idcirco ad vestrum properavi remige Regnum,
Ut mihi vestra Fides consociata foret.
Cæsar ad hæc: *Herolde*, tibi quæ poscis amice
Ritè dabo, & grates inde rependo Deo.
Quo miserante diu sectatus jussa celidri,
Christicolam tamdem poscis adire Fidem.
Ecce parate, jubet; cuncti concurrite, Cæsar,
Munera Baptismi ritè parate (29) decet.
Candidolas vestes quales gestare decebit
Christicolis, fontes, chrisma, seu latices.
Ordine his gestis, sacris quoque ritè paratis,
Cæsar & Heroldus tecta sacrata petunt.
Cæsar honore Dei Heroldum suscepit (30) ab undis,
Vestibus albidulis ornat & ipse manu.
Judith (31) Reginam Heroldi pulcra Induperatrix
Fonte levat sacro, vestibus atque tegit.
Hlutharius Cæsar, Hludovvici filius almi,
Heroldi natum sustulit à latice.
Regis honoratos Proceres relevantq; decorant,
Ast alios plures turba levavit aquis.
O Hludovvice, Deo quantas das magne catervas!
Quantus odor Christo te faciente meat!
Hæc tibi lucra diu, Princeps, servata manebunt;
Abstrahis ore lupi, quæ facis esse Dei.
Vestibus albatus Herold, seu corde renatus,
Jam patris eximii candida tecta subit.
Cæsar ei celsus prægrandia munera donat,
Qualia Francorum gignere rura valent.
Consertam clamydem (32) gemmis seu murice rubro,
Aureus in gyro quam quoque limbus arat.
Dat lateri insignem Cæsar, quem gesserat, ensem,
Aurea quem comunt cingula ritè data.
Aurea mox geminos constringunt vincla lacertos.
Femora gemmatus balteus ejus obit.
Et caput insigni donatur ritè corona,
Per-

(25) Bellum Aquitanicum per annos plures Pippinum Regem exercuit, eoque vix confecto, naturae debitum solvit.

(26) Idest Magnus, ex bello Saxonico praecipue clarus.

(27) Tres adventus Heroldi Danorum Regis ad Ludovicum Augustum statuendi sunt. Primus ad annum 814. spectat, ut infra adnotabo. Secundus ab Eginhardo aliisque Chronologis refertur ad annum 823. quo is ad Ludovicum accessit, *auxilium petens contra filios Godefridi, qui eum patria pellere minabantur*. Tertius vero ad annum 826. quo, ut idem Eginhardus scribit, *Heriboldus cum uxore & magna Danorum multitudine veniens, Moguncíaci apud Sanctum Albanum baptizatus est*. Poeta noster postremum hunc Heroldi adventum agnovisse videtur.

(28) Scriptum a Poeta potius fuerit *hac lavit*.

(29) Fortasse *parare decet*.

(30) Audi Theganum de Gest. Ludovici Pii: *Sequenti*, ait, *anno* (idest 826.) *erat in Palatio Ingulenheim, & ibi ad eum venit Erioltb de Dania, quem Dominus Imperator elevavit de fonte baptismatis*.

(31) Idem habet Theganus addens: *Et uxorem ejus elevavit de fonte Domna Judith Augusta*. Reliqua spectaculi tam celebris nobis servavit unus Ermoldus.

(32) Expendenda haec & illustranda relinquo Clariss. Viro Domno Bernardo de Montfaucon ex Congregat. Sancti Mauri, eximio Literarum, nostrorumque temporum ornamento, qui nuper *Antiquitates Francicas* describendas suscepit.

Perstringuntq; pedes aurea plectra (33) suos.
Aurea per dorsum resplendent tegmina latum,
Ornanturque manus tegmine candidulo.
Munera præterea matronæ regia *Judith*
Congrua namque dedit, gratificumq; decus.
Scilicet ex auro tunicam gemmisque rigentem,
Conficit ast qualem arte Minerva sua.
Aurea vitta caput gemmis redimita coronat,
Atque munile tegit pectora grande novâ.
Flexilis obtorti per collum it circulus auri,
Armillæque tenent brachia fœmineæ.
Femora lenta tegunt auro gemmisque peracta
Cingula, dorsa tegit aurea cappa suum.
Nec minus interea *Hlutharius* ornat amore
Heroldi natum vestibus aurigeris.
Cetera namque cohors Francisco more paratur,
Vestimenta sibi Cæsar amore dedit.
Interea Missarum aderant jam sacra parata,
More vocat signum (34) ad culmina (35) sacra homines.
Tecta nitent vario Clero repleta corusco,
Ordine mirifico vernat amœna domus.
Turba Sacerdotum Clementis (36) dogmate constat,
Levitæque micant ordine namque pii.
Theuto (37) chorum Cleri disponit ritè canentū,
Adhallvitus adest, fertque manu ferulam,
Percutit instantesque, viam componit honore
Cæsaris, & Procerum, conjugis, & sobolis.
Atria Cæsar ovans per lata petebat in aulam,
Sedulus officiis adsore sæpe sacris.
Resplendens auro nimium gemmisq; refulgens,
Innixus famulis lætus abibat iter.
Hilduinus (38) habet dextram; *Helisacharque* sinistram
Sustentat; *Gerung* (39) pergit at ipse prior,
Virgam more gerit, servans vestigia Regis,
Aurea cujus habet quippe corona caput.
*Hlutharius*que pius, *Heroldus* & ipse togatus
Pone sequuntur eos, muneribusque micant.
Ante patrem pulcher *Carolus* (40) puer inclitus auro
Lætus abit, plantis marmora pulsat ovans.
Judith interea regali munere fulta
Procedit, renitens munere mirifico,
Quam proceres gemini summo comitantur honore,
Matfridus sive huc (41) consociando gradū.
Atque coronati (42) dominam venerantur honestam;
Vestibus auratis celsus uterque micat.
Heroldi sequitur propiùs quam denique conjunx,
Induperatricis munera (43) læta piæ.
Et

(33) Arcus, aut pecten, quo cytharoedorum fides pulsantur. Haec germana significatio vocis. At quid heic significet, non facile ostendas. Sipontino teste *plectrum* quoque interdum est appellatum *calcar aeneum*, quod olim addebatur gallis gallinaceis inter se pugnaturis: qui mos apud Britannos viget. Num ergo calcaria heic innuuntur? *An* pro *plectra* segendum *pluta*, aut aliquid aliud? Calceamenta heic designari video, quae Monachus Sangallensis Lib. 1. Cap. 36. Francorum Regibus fuisse *forinsecus aurata* scribit.

(34) Idest campana. Vide Du-Cangium in Glossario Latino, ibique alia veterum exempla coacervata.

(35) Hoc est Templum. Sed quodnam hujusmodi Templum? Si fides Astronomo in Vita Ludovici Pii, & Eginhardo, atque Annalibus Fuldensibus, ac Bertinianis, (ii enim paria habent, quippe ab uno fonte manantes) Moguntiae *apud Sanctum Albanum baptizatus est Herioltbus*. Ac proinde Mabillonius in Annal. Benedictin. ad Annum 826. veluti rem certam id statuit. Et quidem celebre fuit *Monasterium Sancti Albani* Moguntiae situm. At noster nihil de Moguntia, nihil de Sancti Albani Basilica habet; immo satis aperte rem tradit peractam in pago *Ingelbeimensi*, atque adeo in magnifica illa Basilica, quam ibidem positam Nigellus supra descripsit. Neque aliter scripsit Theganus, ut nuper vidimus. Hisce duobus Scriptoribus synchronis, ac potissimum Nigello, qui adeo graphice haec describit, ego quidem libentius adhaererem. Qui enim Eginhardo Annales tribuuntur, non tam certo Auctore feruntur, uti Poema, quod prae manibus habemus. Atque haec scribo, nisi idem fuerit Templum Sancti Albani, & Basilica Ingelheimensis. Eginhardus ipse ad Annum 787. testis est, *Villam, quae vocatur Ingelbeim*, sitam fuisse *in suburbano Mogontiacensi*.

(36) Puto Romani Pontificis, in cujus supposititiis Libris plura de Presbyteris occurrunt. Fortassis & in subsequente versu innuitur *Pius* alter Romanus Pontifex, cui Diaconorum, nescio quo bono teste, quaedam institutio tribuitur.

(37) Aliquis ex Palatinis Proceribus, uti & *Adbalvitus* subsequenter positus. Circiter ea tempora floruit *Theoto*, qui post paucos annos *Cancellarii* dignitate illustris, adhuc in Diplomatis Ludovici Pii memoratur. Fuit & *Theoto Abbas Majoris-Monasterii*: Sed fortasse neuter ad hunc locum pertinet.

(38) De quo supra facta est mentio. Vide quanto in honore esset *Archicapellani* dignitas, qua celebris iste Abbas tunc in Aula Ludovici Pii fruebatur. De *Helisacbare* quoque jam supra egimus.

(39) Fuit is *summus sacri Palatii Ostiarius*. Eo titulo donatur a Frothario Episcopo Tullense in Epistol. II. apud Du-Chesne Tom. II. pag. 712. Script. Francic. In Vita quoque Ludovici Pii Astronomus auctor est ad Annum 822. Lotharium a patre in Italiam missum, & una cum eo VValam Monachum affinem illius, *sed & Geruntium Ostiarium*. Scribendum est *Gerungum*, quem etiam ad eumdem Annum 822. Eginhardus appellat *Gerungum Ostiariorum Magistrum*.

(40) Quem *Calvum* appellare consuevimus. Filius is natu minimus Ludovici Pii, ex Imperatrice Juditha progenitus; & quidem Anno 826. quando haec peracta fuere, puerulus; quippe Idibus Junii Anno 823. in lucem editus.

(41) Corrigo: *sive Hug*, aut etiam *sive Huc*: nam *Hugo* & *Huco* apud veteres ex diversa pronuntiatione occurrunt, atque idem nomen sonant. Si *proceres gemini* comitabantur Augustam, ergo praeter *Matfridum Comitem Aurelianensem* alter erat memorandus. Is autem fuit *Hugo*, ut conjicio, Comes ille, cujus filiam *Irmingardim* Lotharius Ludovici Pii primogenitus uxorem duxerat Anno 821. In Vita Ludovici Pii ad Annum 827. Ludovicus ipse traditur misisse Pippinum filium contra Saracenos, *simulque missos ex latere suo Hugonem & Matfridum Comites*. En ambos hosce Comites conjunctos illic, pariterque apud Poetam nostrum in ista solemnitate conjunctos. Et quum constet in impia conjuratione adversus ipsum Ludovicum Augustum primas partes sibi sumsisse *Hugonem & Matfridum Comites*, Theganus vero ab Hugone Lotharii socero jam Anno 821. jacta semina tantae infidelitatis, scripserit; superest ut heic innui intelligamus ipsum Hugonem Irmingardis Augustae patrem, *qui erat de stirpe cujusdam Ducis nomine Edith*, uti Theganus prodidit.

(42) Adnotare ne pigeat, quum dicantur & hi ipsi Comites *Coronam* in capite gessisse, diversam quidem ab Imperiali, sed tamen insignis decoris signum. Apud Continuatorem Aimoini occurrit Boso *Corona Ducali ornatus*. Coronam *Comitum* nescio an quisquam veterum memorarit. Hi tamen *Marchionis* etiam munere, licet nondum nomine fruebantur. In magna Britannia adhuc perdurat ejusmodi Coronarum consuetudo, quum inauguratio Regis peragitur.

(43) Lego *munere*.

Et *Fridugisus* (44) abit, sequitur quem discipulorum
Turba sagax, candens vestibus, atq; Fide.
Ordine composito sequitur dehinc cetera pubes,
Vestibus ornata munere Cæsareo.
Cæsar ut Ecclesiam gressu pervenit honesto,
Exposcit votis more suo Dominum.
Mox tuba *Theutonis* clare dat ritè boatum,
Quam sequitur Clerus protinus atque chori.
Miratur Herold, conjunx mirantur, & omnes
Proles, & socii culmina tanta Dei,
Mirantur Clerum, mirantur denique Templum,
Atque Sacerdotes, officiumque pium.
Regis præcipue mirantur prœmia magni,
Imperiis cujus currere tanta vident.
Dic, *Herolde*, precor jam nunc, quam pluris amabis
Celse Fidem Regis, an tua sculpta nequam?
Ferque fabrita focis auri argentique metalla,
Et tibi sive tuis inde paretur honos.
Si ferrum fuerit, fortassis ad arva colenda
Sufficit, & cultros inde fabrire jube.
Plus tibi vomer opes telluri infixus habebit,
Quàm Deus ille tibi conferat arte sua.
Hic Deus est verus, Franci quem, Cæsar & ipse
Ritè colunt votis: hunc cole, linque Jovem.
De Jove fac ollas nigras, furvosque lebetes,
Ignem semper ament, auctor ut ipse suus.
Neptuno fabricetur aquæ gerulus tibi jure
Urceus, & laticum semper habebit honos.
Interea reverenter opes parabantur heriles,
Atque cibi varii, multimodumque merum.
Pistorum *Petrus* (45) hinc princeps, hinc *Gunto* (46) coquorum
Accelerant, mensas ordine more parant.
Candida præponunt niveis mantelia (47) villis,
Marmoreo (48) disco disposuere dapes.
Hic Cererem solitus, hic carnea dona ministrat.
Aurea per discum vasa sedere vides.
Nec minus *Otho* (49) puer pincernis imperat ardens,
Præparat & Bacchi munera lenta meri.
Cultibus almificis transactis ritè verenter,
Venerat unde prius, Cæsar abire parat

Aureus; & conj[illegible]
Cœtus abit, Clerus denique candidolus.
Inde pius moderando gradum pervenit in ædes,
Quo sibi Cæsareo more parantur opes.
Discubuit lætus lateri *Judith* quoque pulcra,
Jussa, sed & Regis basiat (50) ore genu.
Hlutarius Cæsar, nec non *Heroldus* & hospes
Parte sua resident, Rege jubente, thoro.
Miranturque dapes Deni, mirantur & arma
Cæsaris, & famulos, & puerile (51) decus.
Ille dies lætus Francis Denisque renatis
Namque fuit merito, post recolendus erit.
Alter namque dies primo veniebat Eoo,
Cedunt astra polo, sole calescit humus.
Venatum ire parat Cæsar, Francique solentes,
Et secum Heroldum Cæsar abire jubet.
Insula propter adest Rheni quoq; gurgite cinta,
Quo viret herba recens, est nemus umbriferũ.
Illuc quippe feræ multæ variæque fuerunt,
Et latè silvis turba jacebat iners.
Hanc quoque complerunt venantum hinc inde manipli,
Atque molossorum magna caterva simul.
Cæsar veloci residens terit arva caballo,
Wito (52) pharetratus cui comes ibat equo.
Plurima turba fluit juvenum, nec non puerorum,
Inter *Hlutarius* quos celer ibat equo.
Atque simul Deni, nec non Heroldus & hospes,
Spectandi studio huc quoque lætus adest.
Jam pia scandit equum *Judith* pulcherrima conjunx
Cæsaris, ornata, comtaque mirificè.
Quam proceres summi dominam, seu turba potentum
Præterit (53), & sequitur Regis honore pii.
Jam nemus omne sonat crebris latratibus ictus,
Hinc hominum voces, hinc tuba crebra furit;
Dissiliuntque feræ, fugiuntque per aspera dumi.
Nec fuga subsidio, nec nemus estque, latex,
Inter cornigeros cecidit quoque damula cervos.
Dentifer ipse cadit cuspide fixus aper.
Cæsar lætus enim dat corpora multa ferarum
Ipse neci, propria perculit atque manu.
Hlutariusque celer florens, fretusque juventa
Per-

(44) Quem supra vidimus Cancellarium Ludovici Pii, simulque Abbatem Monasterii Turonensis Sancti Martini.

(45) Hic appellatur *Pistorum princeps*: quae dignitas in aula Regum Franciae olim quoque viguit. Seculis subsequentibus *magnus Pistor*, aut *Magister panetarius Franciae* appellabatur, qui hujusmodi officio præfectus erat.

(46) Hic vero *Coquorum Princeps* dicitur. Et haec altera fuit in Palatio Francorum Regum illustris dignitas. A Theodulfo Aurelianense Lib. 3. Carmin. exhibetur ex hisce Praefectis coquinariae rei unus, coquorum vallatus cuneis:
„ *Prudenter qui cuncta gerens, epulasque dapesque*
„ *Regis bonoratum deferat ante thronum.*
Ab Herimanno quoque in Lib. de Restaurat. S. Martini Tornac.. in Spicil. Dacher. Fulcherus Episcopus dicitur *filius principis Cocorum Regis Franciae*.

(47) Quamquam vulgo scribere soleamus *mantilia*, attamen, uti jam Dausquius in Ortographia monuit, antiquissimus Virgilii Codex Vaticanus, aliique vetusti Codices habent *mantelia*. Heic peregrinum fortasse tibi videantur *mantelia* ista *villis niveis*, hoc est pilosa, adhibita in mensis. Verum Poeta noster eruditum heic agit, mutuatus eam dicendi formam a Virgilio, aut ab Ovidio apud quos
—— —— „ *tonsisque ferunt mantelia villis*.
& —— —— —— „ *villis mantele solutis*.
Auctor vero Servius est, majores mappas *villos* habuisse. Ita apud Romanos: num & apud Francos, an vero heic versus gratia dicatur, aliorum esto judicium.

(48) Nota veterum Francorum mores.

(49) Inter Palatinas dignitates olim quoque ista fuit. Qui ea donati erant, *Buticularii* ab Hincmaro, aliisque eorum temporum Scriptoribus appellantur; unde nostrum *Bottigliere*. Hermelandus Abbas in ejus Vita apud Mabillonium dicitur primo constitutus a Rege *princeps Pincernarum*. Vide Du-Cangium in Glossario Latino.

(50) Supra vidimus, Proceres quosdam non ad pedes, sed ad genu Imperatoris osculandum accessisse. Nunc animadversione ac stupore dignum, tunc ipsis Imperatorum sive Regum Francorum uxoribus in more fuisse, deosculari genua proprii viri. Immutata tempora sunt, immutati & mores.

(51) Pro *pueris*; quos nempe nunc *Paggi* appellamus. Neque enim dubito, quin Regibus & Imperatoribus olim quoque forent pueri honorarii ad eorum servitia adsciti. Qui *nutriti* in Aula Regia dicebantur, ii praecipue ex eorum numero fuerint. Supra in Lib. I. occurrit etiam
VVasconum Principis, Caroli nutrimine fretus.
Infra bis recurrit idem *puerile decus*.

(52) Idem est ac *VVido*, & *Guido*. Hunc venationi Praefectum arbitror, quae dignitas in Palatio Regum Francorum inter primas adnumerata olim fuit, Hincmaro teste in Lib. de Ord. Palatii. *Venatores* etiam inter suos *Ministeriales* recenset Carolus Magnus in Epistola, quae edita est inter Leges Langobardicas part. II. Tom. I. Collectionis hujus. Circiter ea tempora floruere *VVidones*, sive *Guidones*: sed incertum, an aliquid commune cum isto habuerint.

(53) Hoc est *praecedit*.

Percutit ursorum corpora multa manu.
Cetera turba virûm passim per prata trucidat
Diversi generis multimodasque feras.
Forte canum infestante fugit damella catervâ
Per nemus umbriferum, perque salicta salit.
Ecce locum, quo turba potens, & Cæsara (54) *Judith*,
Constiterant, *Carolus* (55) cum quibus ipse puer.
Præterit instanter; pedibus spes constat in ipsis;
Ni fuga subsidium conferat, ecce perit.
Quam puer aspiciens *Carolus* cupit ecce parentis
More sequi, precibus postulat acer equum.
Arma (56) rogat cupidus, pharetram, celeresque sagittas,
Et cupit ire sequax, ut pater ipse solet.
Ingeminatq; preces precibus; sed pulcra creatrix
Ire vetat, voto nec dat habere viam.
Ni pædagogus eum teneat, materque volentem,
More puer pueri jam volet ire pedes.
Pergunt ast alii juvenes, capiuntque fugacem
Bestiolam, illæsam mox puero revehunt.
Arma ævo tenero tunc convenientia sumit,
Perculit atque feræ terga tremenda puer.
Hunc puerile decus hinc inde frequentat & ambit,
Hunc patris virtus, nomen & ornat avi.
Qualis Apollo micat gradiens per culmina Deli,
Latonæ matri gaudia magna ferens.
Jam pater eximius Cæsar, seu cetera pubes
Venatu gravidi tecta subire parant.
Sed tamen in medio nemoris viridantia claustra
Judith prudenter construit, atque tegit
Vimine præraso, nec non & tonsile buxo,
Palleolis cingit, linteolisque tegit.
Atque pio Regi viridanti ruris in herba
Ipsa sedile parat, ordinat atque dapes.
Mox manibus lotis Cæsar, seu pulcra jugalis
Aurato ecce thoro discubuere simul.
Hluthariusr pulcher, *Heroldus* & hospes amatus
Accumbunt mensæ, Rege jubente pio.
Ce era gramineo residet nam rure juventus,
Per nemus umbriferum corpora lassa fovet.
Pinguia tosta ferunt juvenes mox exta ferarum;
Cæsareis dapibus mixta ferina coit.
Aufugit acta fames dapibus; dant pocula buccis,
Pellitur atque sitis ipsa liquore pio.
Lætificatque bonus mox pectora fortia Bacchus.
Lætanter repetunt aulica tecta viri.
Aulai ut venere, fovent mox corda Lyæo, (57)
Et Vespertinis (58) pergitur Officiis.
His quoque transactis solitè dignèque verenter,
Inde Palatinas jam subiere domus.
Ecce manus juvenum, venatus munera tollens,
Multa fluit, cupiens Regis adesse oculis.
Millia cervorum prægrandia cornua, nec non
Ursorum referunt tergora, seu capita.
Plurima setigerûm revehunt & corpora aprorû,
Capreolos, damas fert puerile decus.
Ille pius prædam famulos partitus in omnes
More suo, Clero pars quoque magna cadit.
Interea Heroldus cum talia cerneret hospes,
Multimoda versat pectore consilia.
Regia jura videns, stupet imperiumq; Fidemque,
Officiumque Dei currere jure suo.
Sed tamdem incertos tergit de pectore motus,
Consiliumque capit, quod Deus ipse dedit.
Ecce Fide plenus, Regi hæc quoque verba profatur,
Sponte sua veniens procidit ante pedes.
Cæsar opime, Dei cultor, rectorque tuorum,
Quos tibi cunctipotens contulit alme Deus.
Cerno, quòd insignis, patiens, fortisque, piusque,
Armiger, & clemens sis, tribuente Deo.
Dives opum nimium, nec non largitor egentum,
Blandus subjectis, atque quietus ades.
Omnia virtutum video tibi credita Cæsar
Flumina, sidereo pectora rore madent,
Colla jugo Christi en monitâs mea vestra subegit
Suasio, & æternis traxit ab usque focis.
Deq; errore malo me metq; domumq; subactam
Abstulit, & vero pectora fonte replet.
Insuper en donis variisque juvatus, & armis,
Corde Deo plenus, corpus abundat ope.
Talia quis faceret, ni Christi ignitus amore
Ingratæ plebi munia tanta ferens?
Credo quidem, in terris vos nunc caput esse bonorum,
Christicolûm Imperii ritè tenere decus.
Idola cuncta mihi ut cedunt pro nomine Christi,
Sicque pôtestates nomine quippe tuo.
Cedat jamque potens antiqui gloria secli,
Dum viget Imperium, dante Tonante, tuum.
Forte aliquis ęquandus erat tibi munere & armis:
Præcellis cunctos sed quoque amore Dei.
Sed quid agam jam jam? cur me mea verba retardant?
Et sermone brevi prodere tanta volo.
Mox manibus junctis Regi se tradidit (59) ultro,
Et secum Regnum, quod sibi jure fuit.
Suscipe Cæsar, ait, me, nec non Regna subacta:
Sponte tuis memet confero servitiis.
Cæsar at ipse manus manibus (60) suscepit honestis:

Jun-

(54) Nimia haec licentia, bone Nigelle. Nempe *Caesera* pro uxor Caesaris, seu Caesarea. In Historia Miscella Tom. I. Collectionis hujus *Caesara* uxor Persici Regis memoratur.

(55) Ludovici Pii & Judithae Augustae filius. *Calvum* appellare consuevimus.

(56) Acta haec sunt Anno 826. Carolus autem in lucem editus fuerat Anno 823. ac proinde tunc vix quadrimus. Quin puerulus arma petierit, & feram insequi excupierit, negare nolim; at simul ferendum, Poetam nostrum heic blandiri, ac dulcia dicere Judithae Augustae, ut per eam quoque ab exilio liberetur, atque in gratiam Ludovici restituatur. Lege quae sequuntur.

(57) Frequens mentio Bacchi & Lyæi apud nostrum Nigellum. Ad haec animum adverte, ne tempora nostra incuses, quasi olim temperantia mensis assideret, nunc autem inde exclusam non raro se doleat.

(58) Scilicet ad Vespertinum Officium, quod per Clerum in Templo decantabatur.

(59) Manibus junctis se tradere alicui, est ei fidelitatem, subjectionemque juramento praestito polliceri. Heroldum se ac Regnum Daniae supposuisse Ludovico Augusto, in Annalibus eorum temporum non reperio. Nam quod in Vita ejusdem Imperatoris Astronomus scribit ad Annum 814. *Herioldus, ad quem summa Regni Danorum pertinere videbatur, & qui pridem a filiis Godefridi Regno pulsus fuerat, ad Imperatorem Ludovicum confugium fecit, & juxta morem Francorum manibus illius se tradidit*: non satis aperte rem firmat; est enim verborum sensus dubius, pro quibus Eginhardus habet; *& se in manus illius commendavit*. Attamen tantam Nigello nostro auctoritatem esse futuram arbitror, ut rem ab eo apertissime narratam amplius negare nemo velit. Ac proinde emendandus Hermannus Conringius, qui Lib. I. Cap. IV. de finib. Imp. German. contendit, nequaquam sub Ludovico Pio translatam fuisse Daniam in jus Imperii, quamquam Ludovicus Hamburgensem Episcopatum super Daniam quoque instituerit; sed id primùm factum sub Henrico I. Aucupe Germaniae Rege. Abiit quidem brevi leves in auras Heroldi fides; attamen ab eo datam credere cogimur.

(60) Quo ritu jurantis sacramentum a recipiente ratum habebatur. Res nota eruditis, ac propterea mihi non illustranda.

Junguntur Francis Denica Regna piis.
Mox quoque Cæſar ovans Franciſco more veterno (61)
Dat ſibi equum, nec non, ut ſolet, arma (62) ſimul.
Feſta dies iterum ſurgit renovata niteſcens,
Francis & Denis concelebrata micat.
Interea Cæſar Heroldum jamque fidelem
Munere donat opum pro pietate ſua.
Illius aſt propter tribuit ſibi (63) prœlia fines,
Et loca vinifera, multimodaſque dapes.
Officiique Dei cultum quo ritè perornet,
Dat ſibi Cæſar adhuc omnia vaſa potens.
Ordinibus verò dat veſtimenta ſacratis,
Datque Sacerdotes, Catholicoſque Libros.
Illuc & Monachos (64) mittit miſerando volentes,
Qui revehant populos ad pia Regna poli.
Munera quanta quidem, ſeu qualia donat habenda,
Ingenium vincunt exſuperantque melos.
Interea nautæ, pelagi qui pignora norant,
Stipe rates onerant, regificiſque cibis.
Et jam vela vocant auræ, ventuſque morantes
Arguit, atque hyemis ſigna tremenda monet.
Navibus æquatis tamdem, veliſque novatis
Cum licitu (65) Heroldus intrat honore ratē,
Filius, atque nepos ipſius Regis in aula
Excubiis (66) vigilant, Francica jura colunt.
Heroldus dapibus variiſque refertus & armis
Per mare fluctivagū propria Regna (67) petit.
Hæc Hludovvice Deo das te quoq; lucra potenti,
Et ſocias Regnis inclita Regna tuis.
Arma patrum, nullo quæ non valuere duello,
Sponte ſua, capere, te modò Regna petunt.
Quod nec Roma potēs tenuit, nec Francica jura,
Tu retines Chriſti nomine cuncta pater.
Organa (68) quin etiam, quæ numquam Francia crevit,
Unde Pelaſga (69) tument Regna ſuperba nimis,
Et quìs te ſolis, Cæſar, ſuperaſſe putabat
Conſtantinobilis (70), nunc Aquis aula tenet.
Fors erit indicium, quòd Francis colla remittant,
Cùm ſibi præcipuum tollitur inde decus.
Frācia plaude, decet: Hludovvico fer pia grates,
Cujus virtute munera tanta capis.
Det Deus omnipotens cœli terræque repertor,
Secla perampla ſuum nomen in Orbe ſonet.
Hæc quoque dum canerem, *Strazburc* (71) cuſtode tuebar,
Delicti proprii conſcius, atque reus,
Virgo Maria tibi quo templa dicata niteſcunt,
Quo tuus in terris ritè veretur honos.
Sæpiùs has equidem dicuntur viſere ſedes
Cœlicolæ, & cœtus has colere Angelicus.
Plurima mira quidē referūt, ſed pauca renarrans
Sume Thalia, favet ſi tibi Virgo pia.
Ec-

(61) Heus bone Hermolde, aliud eſt *veterno*, aliud *vetuſto*, quod unum dicere voluiſti.

(62) Et hic veterum Francorum mos animadvertendus. Quum quis ſua Regi ſubjiciebat, fidelitatem ei ſacramento obſtringens, viciſſim & Rex illi dona conferebat, equum praecipue & arma. Uno exemplo contentus ero. Fredegarii Continuator ad Annum 764. haec habet: *Remiſtanus ad Regem veniens, ſacramenta multa & fidem praedicto Regi Pippino promiſit, ut ſemper fidelis tam praedicto Regi, quam & filiis ſuis eſſe deberet. Rex vero in ſuam ditionem eum recepit, & multa munera auri & argenti, & pretioſa veſtimenta, equos & arma largiendo eum ditavit.*

(63) Senſus parum perſpicuus. Incertum, num ſignificet: *tribuit ſibi fines*, ideſt regionem conterminam Danico Regno, *propter illius proelia*, hoc eſt eo quod ſeditiones hactenus contra ipſum Heroldum in Regno illius viguiſſent, & adhuc vigerent; an potius *proemia*, quam *proelia* legendum ſit; quae dona ei Ludovicus contulerit *propter*, ideſt juxta, ſeu prope *fines* Daniae. Germanum ſenſum nos Eginhardus docebit in Annal. ad annum 826. ubi ſcribit, Heroldum *per Friſiam qua venerat via* reverſum fuiſſe. *In qua Provincia Comitatus, qui Rhiuſtri vocatur, ei datus eſt, ut in eum ſe cum rebus ſuis, ſi neceſſitas exigeret, recipere potuiſſet*. Paria habent & alii Francorum Annales, uti & Aſtronomus in Vita Ludovici.

(64) Ac praecipue *Anſcharium*, gentium Septemtrionalium Apoſtolum, ac deinde primum Hammaburgenſem, ac poſtea Bremenſem Epiſcopum, virum ſanctitate vitae clarum, cujus Vitam habes apud Bollandum in Act. ſanctor. ad diem III. Februarii.

(65) Ideſt *licentia* ſive *venia* ei ab Auguſto facta diſcedendi: qua voce Poeta noſter ſupra quoque eſt uſus.

(66) Nempe hi obſides ab Heroldo Rege apud Ludovicum dimiſſi in pignus datae fidei.

(67) Petiit quidem ſua Regna: verum non multo poſt Chriſtiana Religione ejurata rurſus ad priſtinam ſuperſtitionem tranſiit. Saxo Grammaticus Lib. IX. Hiſtoriae Danicae, inter tot fabulas Romanenſes, quibus narrationem ſuam ſaturavit, Heroldi tamen converſionem ad Chriſti Fidem, Ludovico Pio inſtante, agnovit. Tum addit, ab eo primum delubra diruta, victimarios proſcriptos; ſed deinde is à Regnero pulſus, *fortunam ad ſacrilegium tranſtulit. Nam ut praecipuum incboatae Religionis ſpecimen, ita primum neglectae ſpectaculum fuit, atque ex ſplendido ſanctitatis auctore, infamis ejuſdem deſertor evaſit.*

(68) Mirabilis adeo viſus eſt olim Francis primus Organorum muſicorum in Franciam invectorum aſpectus, ut rem veluti ſingularem poſteris prodendam cenſuerint. In vetuſtiſſimis eorum Annalibus Tom. II. Du-Cheſnii pag. 4. & 8. ad annum 757. adnotatur: *Venit organa in Franciam*. Illud vero ad Pippinum Regem a Conſtantino Imperatore Graecorum miſſum (tunc enim tam artificioſae machinae opifices ſola Graecia dabat) Eginhardus ad eum annum ſcribit. Carolo quoque Magno miſſum a Graeco Auguſto *omne genus organorum* teſtatur Monachus San-Gallenſis Lib. 2. Cap. 10. Vitae ejuſdem Caroli. At anno 826. uti Annales Fuldenſes tradunt, *Georgius quidam Presbyter de Venetia, cum Baldrico Comite Forojulienſe veniens, Organum bydraulicum Aquiſgrani fecit*. Quamquam Organum *bydraulicum* appellari heic audias, cave ne ſuſpiceris aliud ſignificari, quam Organa pneumatica, quae nunc in uſu communi Eccleſiarum ſunt. Eginhardus ad eum annum ſcribit, veniſſe Georgium illum de Venetia, *qui ſe Organum poſſe facere aſſerebat. Quem Imperator Aquaſgrani cum Thencolfo Sacellario miſit, & ut ei omnia ad id inſtrumentum efficiendum neceſſaria praeberentur, imperavit*. Supra laudatus Monachus San-Gallenſis haec explicat, tradens: *illud muſicorum Organum praeſtantiſſimum* conſtructum fuiſſe e *doliis ex ære conflatis, follibuſque taurinis per fiſtulas æreas mire perflantibus &c.* Ceterum vel Auguſtini, Iſidori, & Caſſiodori aevo Organa cognita, atque in uſu fuere. Licuerit mihi in hujuſmodi re curioſis Lectoribus plura dediſſe.

(69) Vide, quam ſibi olim plauderent Graeci ex Organorum inventione, eorumque apud eos tantum fabrica. Sed a Georgio Venetico, qui propterea *Rector Monaſterii Sancti Salvii Fanomartenſis* a Ludovico Pio conſtitutus eſt, invecta in Franciam ejuſmodi arte, detumuit iſte ex praerogativa Graecorum tumor. VValafridus Strabo in deſcriptione Templi Aquiſgranenſis paria ſcribit, Organa memorans:
„ *En queis praecipue jactabat Grecia ſe ſe*
„ *Organa, Rex Magnus* (ideſt Ludovicus) *non inter maxima ponit.*

(70) Ita in MSto pro *Conſtantinopolis*.

(71) Ut omnes norunt, olim *Argentoratum*, nunc Italis *Argentina*. Haec Civitas Ermoldo noſtro data fuerat cuſtodiae ſeu carceris loco, ibique is exul, quum haec caneret, morabatur.

Percutit ursorum corpora multa manu.
Cetera turba virûm passim per prata trucidat
Diversi generis multimodasque feras.
Forte canum infestante fugit damella caterva
Per nemus umbriferum, perque salicta salit.
Ecce locum, quo turba potens, & Cæsara (54) *Judith*,
Constiterant, *Carolus* (55) cum quibus ipse puer.
Præterit instanter; pedibus spes constat in ipsis;
Ni fuga subsidium conferat, ecce perit.
Quam puer aspiciens *Carolus* cupit ecce parentis
More sequi, precibus postulat acer equum.
Arma (56) rogat cupidus, pharetram, celeresque sagittas,
Et cupit ire sequax, ut pater ipse solet.
Ingeminatq; preces precibus; sed pulcra creatrix
Ire vetat, voto nec dat habere viam.
Ni pædagogus eum teneat, materque volentem,
More puer pueri jam volet ire pedes.
Pergunt ast alii juvenes, capiuntque fugacem
Bestiolam, illæsam mox puero revehunt.
Arma ævo tenero tunc convenientia sumit,
Perculit atque feræ terga tremenda puer.
Hunc puerile decus hinc inde frequentat & ambit,
Hunc patris virtus, nomen & ornat avi.
Qualis Apollo micat gradiens per culmina Deli,
Latonæ matri gaudia magna ferens.
Jam pater eximius Cæsar, seu cetera pubes
Venatu gravidi tecta subire parant.
Sed tamen in medio nemoris viridantia claustra
Judith prudenter construit, atque tegit
Vimine præraso, nec non & tonsile buxo,
Palleolis cingit, linteolisque tegit.
Atque pio Regi viridanti ruris in herba
Ipsa sedile parat, ordinat atque dapes.
Mox manibus lotis Cæsar, seu pulcra jugalis
Aurato ecce thoro discubuere simul.
Hlutharius pulcher, *Heroldus* & hospes amatus
Accumbunt mensæ, Rege jubente pio.
Cetera gramineo residet nam rure juventus,
Per nemus umbriferum corpora lassa fovet.
Pinguia tosta ferunt juvenes mox exta ferarum;
Cæsareis dapibus mixta ferina coit.
Aufugit acta fames dapibus; dant pocula buccis,
Pellitur atque sitis ipsa liquore pio.
Lætificatque bonus mox pectora fortia Bacchus.
Lætanter repetunt aulica tecta viri.
Aulai ut venere, fovent mox corda Lyæo, (57)
Et Vespertinis (58) pergitur Officiis.
His quoque transactis solitè dignèque verenter,
Inde Palatinas jam subiere domus.
Ecce manus juvenum, venatus munera tollens,
Multa fluit, cupiens Regis adesse oculis.
Millia cervorum prægrandia cornua, nec non
Ursorum referunt tergora, seu capita.
Plurima setigerûm revehunt & corpora aprorũ,
Capreolos, damas fert puerile decus.
Ille pius prædam famulos partitus in omnes
More suo, Clero pars quoque magna cadit.
Interea Heroldus cum talia cerneret hospes,
Multimoda versat pectore consilia.
Regia jura videns, stupet imperiumq; Fidemque,
Officiumque Dei currere jure suo.
Sed tamdem incertos tergit de pectore motus,
Consiliumque capit, quod Deus ipse dedit.
Ecce Fide plenus, Regi hæc quoque verba profatur,
Sponte sua veniens procidit ante pedes.
Cæsar opime, Dei cultor, rectorque tuorum,
Quos tibi cunctipotens contulit alme Deus.
Cerno, quòd insignis, patiens, fortisque, piusque,
Armiger, & clemens sis, tribuente Deo.
Dives opum nimium, nec non largitor egentum,
Blandus subjectis, atque quietus ades.
Omnia virtutum video tibi credita Cæsar
Flumina, sidereo pectora rore madent,
Colla jugo Christi en monitis mea vestra subegit
Suasio, & æternis traxit ab usque focis.
Deq; errore malo me metq; domumq; subactam
Abstulit, & vero pectora fonte replet.
Insuper en donis variisque juvatus, & armis,
Corde Deo plenus, corpus abundat ope.
Talia quis faceret, ni Christi ignitus amore
Ingratæ plebi munia tanta ferens?
Credo quidem, in terris vos nunc caput esse bonorum,
Christicolûm Imperii ritè tenere decus.
Idola cuncta mihi ut cedunt pro nomine Christi,
Sicque pôtestates nomine quippe tuo.
Cedat jamque potens antiqui gloria secli,
Dum viget Imperium, dante Tonante, tuum.
Forte aliquis ęquandus erat tibi munere & armis:
Præcellis cunctos sed quoque amore Dei.
Sed quid agam jam jam? cur me mea verba retardant?
Et sermone brevi prodere tanta volo.
Mox manibus junctis Regi se tradidit (59) ultro,
Et secum Regnum, quod sibi jure fuit.
Suscipe Cæsar, ait, me, nec non Regna subacta:
Sponte tuis memet confero servitiis.
Cæsar at ipse manus manibus (60) suscepit honestis:

Jun-

(54) Nimia haec licentia, bone Nigelle. Nempe *Caesera* pro uxor Caesaris, seu Caesarea. In Historia Miscella Tom. I. Collectionis hujus *Caesara* uxor Persici Regis memoratur.

(55) Ludovici Pii & Judithae Augustae filius. *Calvum* appellare consuevimus.

(56) Acta haec sunt Anno 826. Carolus autem in lucem editus fuerat Anno 823. ac proinde tunc vix quadrimus. Quin puerulus arma petierit, & feram insequi excupierit, negare nolim; at simul ferendum, Poetam nostrum heic blandiri, ac dulcia dicere Judithae Augustae, ut per eam quoque ab exilio liberetur, atque in gratiam Ludovici restituatur. Lege quae sequuntur.

(57) Frequens mentio Bacchi & Lyæi apud nostrum Nigellum. Ad haec animum adverte, ne tempora nostra incuses, quasi olim temperantia mensis assideret, nunc autem inde exclusam non raro se doleat.

(58) Scilicet ad Vespertinum Officium, quod per Clerum in Templo decantabatur.

(59) Manibus junctis se tradere alicui, est ei fidelitatem, subjectionemque juramento praestito polliceri. Heroldum se ac Regnum Daniae supposuisse Ludovico Augusto, in Annalibus eorum temporum non reperio. Nam quod in Vita ejusdem Imperatoris Astronomus scribit ad Annum 814. *Herioldus, ad quem summa Regni Danorum pertinere videbatur, & qui pridem a filiis Godefridi Regno pulsus fuerat, ad Imperatorem Ludovicum confugium fecit, & juxta morem Francorum manibus illius se tradidit*: non satis aperte rem firmat; est enim verborum sensus dubius, pro quibus Eginhardus habet; *& se in manus illius commendavit*. Attamen tantam Nigello nostro auctoritatem esse futuram arbitror, ut rem ab eo apertissime narratam amplius negare nemo velit. Ac proinde emendandus Hermannus Conringius, qui Lib. I. Cap. IV. de finib. Imp. German. contendit, nequaquam sub Ludovico Pio translatam fuisse Daniam in jus Imperii, quamquam Ludovicus Hamburgensem Episcopatum super Daniam quoque instituerit; sed id primùm factum sub Henrico I. Aucupe Germaniae Rege. Abiit quidem brevi leves in auras Heroldi fides; attamen ab eo datam credere cogimur.

(60) Quo ritu jurantis sacramentum a recipiente ratum habebatur. Res nota eruditis, ac propterea mihi non illustranda.

Junguntur Francis Denica Regna piis.
Mox quoque Cæsar ovans Francisco more veterno (61)
Dat sibi equum, nec non, ut solet, arma (62) simul.
Festa dies iterum surgit renovata nitescens,
Francis & Denis concelebrata micat.
Interea Cæsar Heroldum jamque fidelem
Munere donat opum pro pietate sua.
Illius ast propter tribuit sibi (63) prœlia fines,
Et loca vinifera, multimodasque dapes.
Officiique Dei cultum quo ritè perornet,
Dat sibi Cæsar adhuc omnia vasa potens.
Ordinibus verò dat vestimenta sacratis,
Datque Sacerdotes, Catholicosque Libros.
Illuc & Monachos (64) mittit miserando volentes,
Qui revehant populos ad pia Regna poli.
Munera quanta quidem, seu qualia donat habenda,
Ingenium vincunt exsuperantque melos.
Interea nautæ, pelagi qui pignora norant,
Stipe rates onerant, regificisque cibis.
Et jam vela vocant auræ, ventusque morantes
Arguit, atque hyemis signa tremenda monet.
Navibus æquatis tamdem, velisque novatis
Cum licitu (65) Heroldus intrat honore ratē,
Filius, atque nepos ipsius Regis in aula
Excubiis (66) vigilant, Francica jura colunt.
Heroldus dapibus variisque refertus & armis
Per mare fluctivagū propria Regna (67) petit.
Hæc Hludovvice Deo das te quoq; lucra potenti,
Et socias Regnis inclita Regna tuis.
Arma patrum, nullo quæ non valuere duello,
Sponte sua, capere, te modò Regna petunt.
Quod nec Roma potēs tenuit, nec Francica jura,
Tu retines Christi nomine cuncta pater.
Organa (68) quin etiam, quæ numquam Francia crevit,
Unde Pelasga (69) tument Regna superba nimis,
Et quìs te solis, Cæsar, superasse putabat
Constantinobilis (70), nunc Aquis aula tenet.
Fors erit indicium, quòd Francis colla remittant,
Cùm sibi præcipuum tollitur inde decus.
Frācia plaude, decet: Hludovvico fer pia grates,
Cujus virtute munera tanta capis.
Det Deus omnipotens cœli terræque repertor,
Secla perampla suum nomen in Orbe sonet.
Hæc quoque dum canerem, *Strazburc* (71) custode tuebar,
Delicti proprii conscius, atque reus,
Virgo Maria tibi quo templa dicata nitescunt,
Quo tuus in terris ritè veretur honos.
Sæpiùs has equidem dicuntur visere sedes
Cœlicolæ, & cœtus has colere Angelicus.
Plurima mira quidē referūt, sed pauca renarrans
Sume Thalia, favet si tibi Virgo pia.
Ec-

(61) Heus bone Hermolde, aliud est *veterno*, aliud *vetusto*, quod unum dicere voluisti.

(62) Et hic veterum Francorum mos animadvertendus. Quum quis sua Regi subjiciebat, fidelitatem ei sacramento obstringens, vicissim & Rex illi dona conferebat, equum praecipue & arma. Uno exemplo contentus ero. Fredegarii Continuator ad Annum 764. haec habet: *Remistanus ad Regem veniens, sacramenta multa & fidem praedicto Regi Pippino promisit, ut semper fidelis tam praedicto Regi, quam & filiis suis esse deberet. Rex vero in suam ditionem eum recepit, & multa munera auri & argenti, & pretiosa vestimenta, equos & arma largiendo eum ditavit.*

(63) Sensus parum perspicuus. Incertum, num significet: *tribuit sibi fines*, idest regionem conterminam Danico Regno, *propter illius proelia*, hoc est eo quod seditiones hactenus contra ipsum Heroldum in Regno illius viguissent, & adhuc vigerent; an potius *proemia*, quam *proelia* legendum sit; quae dona ei Ludovicus contulerit *propter*, idest juxta, seu prope *fines* Daniae. Germanum sensum nos Eginhardus docebit in Annal. ad annum 826. ubi scribit, Heroldum *per Frisiam qua venerat via* reversum fuisse. *In qua Provincia Comitatus, qui Rhiustri vocatur, ei datus est, ut in eum se cum rebus suis, si necessitas exigeret, recipere potuisset.* Paria habent & alii Francorum Annales, uti & Astronomus in Vita Ludovici.

(64) Ac praecipue *Anscharium*, gentium Septemtrionalium Apostolum, ac deinde primum Hamburgensem, ac postea Bremensem Episcopum, virum sanctitate vitae clarum, cujus Vitam habes apud Bollandum in Act. sanctor. ad diem III. Februarii.

(65) Idest *licentia* sive *venia* ei ab Augusto facta discedendi: qua voce Poeta noster supra quoque est usus.

(66) Nempe hi obsides ab Heroldo Rege apud Ludovicum dimissi in pignus datae fidei.

(67) Petiit quidem sua Regna: verum non multo post Christiana Religione ejurata rursus ad pristinam superstitionem transiit. Saxo Grammaticus Lib. IX. Historiae Danicae, inter tot fabulas Romanenses, quibus narrationem suam saturavit, Heroldi tamen conversionem ad Christi Fidem, Ludovico Pio instante, agnovit. Tum addit, ab eo primum delubra diruta, victimarios proscriptos; sed deinde is à Regnero pulsus, *fortunam ad sacrilegium transtulit. Nam ut praecipuum incboatae Religionis specimen, ita primum neglectae spectaculum fuit, atque ex splendido sanctitatis auctore, infamis ejusdem desertor evasit.*

(68) Mirabilis adeo visus est olim Francis primus Organorum musicorum in Franciam invectorum aspectus, ut rem veluti singularem posteris prodendam censuerint. In vetustissimis eorum Annalibus Tom. II. Du-Chesnii pag. 4. & 8. ad annum 757. adnotatur: *Venit organa in Franciam*. Illud vero ad Pippinum Regem a Constantino Imperatore Graecorum missum (tunc enim tam artificiosae machinae opifices sola Graecia dabat) Eginhardus ad eum annum scribit. Carolo quoque Magno missum a Graeco Augusto *omne genus organorum* testatur Monachus San-Gallensis Lib. 2. Cap. 10. Vitae ejusdem Caroli. At anno 826. uti Annales Fuldenses tradunt, *Georgius quidam Presbyter de Venetia, cum Baldrico Comite Forojuliense veniens, Organum hydraulicum Aquisgrani fecit.* Quamquam Organum *hydraulicum* appellari heic audias, cave ne suspiceris aliud significari, quam Organa pneumatica, quae nunc in usu communi Ecclesiarum sunt. Eginhardus ad eum annum scribit, venisse Georgium illum de Venetia, *qui se Organum posse facere asserebat. Quem Imperator Aquasgrani cum Thencolfo Sacellario misit, & ut ei omnia ad id instrumentum efficiendum necessaria praeberentur, imperavit.* Supra laudatus Monachus San-Gallensis haec explicat, tradens: *illud musicorum Organum praestantissimum* constructum fuisse e *doliis ex ære conflatis, follibusque taurinis per fistulas æreas mire perflantibus &c.* Ceterum vel Augustini, Isidori, & Cassiodori aevo Organa cognita, atque in usu fuere. Licuerit mihi in hujusmodi re curiosis Lectoribus plura dedisse.

(69) Vide, quam sibi olim plauderent Graeci ex Organorum inventione, eorumque apud eos tantum fabrica. Sed a Georgio Venetico, qui propterea *Rector Monasterii Sancti Salvii Fanomartensis* a Ludovico Pio constitutus est, invecta in Franciam ejusmodi arte, detumuit iste ex praerogativa Graecorum tumor. VValafridus Strabo in descriptione Templi Aquisgranensis paria scribit, Organa memorans:
„ *En queis praecipue jactabat Grecia se se*
„ *Organa*, *Rex Magnus* (idest Ludovicus) *non inter maxima ponit.*

(70) Ita in MSto pro *Constantinopolis*.

(71) Ut omnes norunt, olim *Argentoratum*, nunc Italis *Argentina*. Haec Civitas Ermoldo nostro data fuerat custodiae seu carceris loco, ibique is exul, quum haec caneret, morabatur.

Ecclesiæ custos *Theutramus* (*) nomine quondã
Præfatæ fuerat, nomine dignus eo.
Pervigil hic solitus noctuque dieque sacratam
Virginis ante aram sæpe rogare Deum,
Idcirco meruit cœlesti munere fretus
Angelicos cives cernere sæpe Sacer.
Nocte quidẽ quadã, psalmis hymnisq; peractis,
Cùm cuperet membra fessa locare thoro,
Templum namque videt subita clarescere luce
Ut Sol, & accendi Sole serena dies.
Surgit ab usq; thoro, causã cognoscere mavult,
Lumine quo tanto fulgeat alma domus.
Fortè aquilæ similis pennis prætexerat aram;
Non tamen in terris gignitur hæc volucris.
Rostrum erat ex auro, gemma pretiosior unguis,
Et color in pennis æthere fusus adest.
Ast oculis lux ipsa micat. Stupet ipse Sacerdos,
Nec valet obtutus tendere contra suos.
Miratur volucrem, pariter miratur & alas,
Lumina præcipuè, corpus & omne simul.
Tamque diu resìdet, cum galli garrula terna
Vox resonat, fratres excitat Officio.
Inde levans (miranda fides) se sponte fenestra
Obvia recludit, laxat (72) & ire foras.
Ipsâ abeunte polos, pariter lux ipsa recessit:
Apparet, civem inde fuisse Dei.
Tempore nempe alio crevit (73) Didasculus idem,
Mira satis cecinit quæ mihi turba fratrum.
Psalleret ut solitò præfatæ Sedis ad aram,
Expendens tenebras, corde petendo Deum.
Discipuli secum, quorum custodia noctis
Servabant (74) signi tempora pervigiles.
Ecce repentè sonus, tonitrus, ventusque perurguens
Concutit instanter ardua tecta domus.
Discipuli cecidere solo, trepidique per aulam
Corpora prosternunt, mensque timore fugit.
Intrepidusque Sacer palmis ad sidera pansis
Scire cupit, causæ quid sonus ille ferat.
Aspicit alma aperire domus mox tecta sacratæ,
Intrantesque videt tres quoque honore viros.
Lumine perfusos, vestitos vestibus albis,
Candidiora nive corpora, lacte caput.
Tertius in medio Senior namque ipse duobus
Fultus abit famulis, ingrediturque piè.
Ut pedibus tenuere solum, mox Virginis aram
Religione petunt, & prece vota canunt.
Tramite more hominis nam culmina (75) cetera poscunt,
Ore sonant verba, ordine dantque preces.
Dextera pars ædis Pauli nam munere gaudet,
Fulcitur læva nomine quippe Petri.
Egregius Doctor hinc, claviger inde polorum;
Inter utrosque micat Mater opima Dei.
Michaël mediam sibi, seu Crux vindicat aulam,
Ultima Johannis unguie (76) læta nitet.
Hos quoque Cœlicolæ terris petiere precatu,
Quorum animas cernunt sæpiùs ante Deum.
Quis nam idiota (77) ferat demens, non corpora Patrum
Sanctorum merito rure colenda fore,
Cùm Deus in famulis meritò veneretur amatis,
Quorum nos precibus scandimus alta poli?
Non Deus est Petrus, sed Petri credo precatu
Noxâ delicti posse carere mei.
Nam tenus usque viri properant per templa Mariæ,
Semper tecta super discooperta patent.
Expletis votis remeant ad sidera sursum:
Suscepere suum tecta reclusa locum.
Hoc Sacer aspiciens pergit, sociosque revisit,
Qui stupefacta diu pectora rure (78) tenent.
Surgite, ait socii, nam quæ fortuna coëgit
Vos dormire modò, dum vigilare decet?
Singultu quatiente valent vix promere verba,
Ignotosque rei se fore nempe ferunt.
Eja, ait, instanter horam tempusque notate:
Fortè feret nobis hæc quoque res aliud.
Credo (79), fuit vates, Præsulq; dicatus honore,
Angelicus revehit quem quoque in æthra chorus.
Mira fides rerum! *Bonefacius* (80) almus in illo
Tempore decessit, quem Sacer ille videt,
Ferrea *Frisonum* Christi dum dogmate vellet
Frangere corda, viam ad cœlica Regna dare.
Morbida heu Medicum mox gens extinxit opimum,
Vulnere quippe suo Regna paravit ei.
Hic properans Cœlos, socio comitante gemello (81),
Virgo Maria tua visere templa volet (82).
Magna tibi virtus cœlo, terraque potestas,
Quæ Patrem Mundi progenerasse vales.
Tu mihi confer opem immerito, conferque medelam
Exilio, cujus limina sæpe colo.
Et si præsentis fugit effera gloria secli,
Te duce, Virgo pia cœlica Regna petam.
Hoc tibi, Cæsar, opus stolida crocitante cicuta
Por-

(*) Quare Sacerdotem hunc Poeta appellet *suo nomine dignum*, indicavit mihi doctissimus vir Godefridus Philippi. Nam ex Aventino *Teuto* est idem atque *Rex* & ex Leibnitio *Theodo* significat *Virum*, *Heroem*, *Principem*. Rursus *Ram* in compositione *famam* & *gloriam* sonat, ut ex *Adelram*, *Adalram* constare potest. Interpretari ergo Theutramum liceat *eximium ac celebrem virum*.

(72) Italice nunc *si lascia andar fuori*.

(73) Nuper etiam de Organis dixerat, *quae numquam Francia crevit*. Quid ergo sibi vult hac voce Ermoldus? Pro *vidit* ille usus est voce *crevit*, deducta nempe a *cerno*: idque Prisciani auctoritate, apud quem verba Titinnii in Geminis: *Simul ut pueras has noctu suspirare crevi*: idest *vidi*. Sed Organa ante Ludovicum Pium Francis omnino incognita fuisse, jam supra vidimus cum veritate minime consentire.

(74) Potius *servabat*. Quod sequitur *signum*, ut supra monui, Campanam significat.

(75) Heic pro *Altaribus* accipienda sunt.

(76) Ita in MSto Caesareo. Pro *unguine* forsitan, seu oleo benedicto ex Lipsanis Sancti Johannis. Heic enim de Reliquiis Sanctorum ibi adservatis agitur, ut sequentia produnt, proditumque etiam est supra verbis illis, *Pauli munere gaudet*.

(77) Super vocabulum *idiota* in MSto Codice scriptum est glossema Theotiscum *HeimiKizogener*. Sensus est: quis tam demens est atque indoctus, qui corpora Sanctorum colenda neget?

(78) Pro *humi*, ni fallor: aut mendum latet.

(79) Idest: quantum existimo, venerabilis ille vir, quem deferri ad Coelum vidi, est aliquis Sacerdos Episcopali munere jam fulgens, quem Angeli in Paradisum vehunt.

(80) Nempe celeberrimus ille Archiepiscopus Moguntinus, & Germaniae Apostolus ac Martyr, cujus pretiosa mors contigit in Frisia Anno Christi DCCLV. licet alii ad praecedentem DCCLIV. referant. Hujus Acta apud Clarissimos Bollandianos ad diem V. Junii prostant. Ac propterea habes, quo tempore Argentorati floruerit *Theutramus* iste, cujus visiones a Poeta nostro descriptas cordatorum hominum judicio dimissas volo.

(81) Nescio an quempiam hujus nominis socium Sancti Bonifacii innuat, quem tamen Acta ignorant, an potius fratrem ejus uno partu cum eo natum. In supplemento Vitae Sancti hujus viri pag. 476. Tom. I. Sanctorum Junii, dicitur *post eum frater ejus Habmunt Diaconus occubuisse*.

(82) Pro *voluit*, aut *voluerit*.

Porrigit *Ermoldus* exul, egenus, inops.
Munere quippe carens, fero carmina pauca potenti,
Divitiis liber offero namque melos.
Regia corda manu Chriſtus qui ſtringit & ornat,
Vertit & in partes quas ſibi cumque placet.
Qui tua præcipuè virtutum flore replevit,
Atque redundare de pietate dedit,
Conferat, ut noſtram propiùs, Rex inclyte, cauſam
Reſpicias, aurem accomodando piè.
Veridicis poteris forſan cognoſcere verbis
Criminis objecti me minus eſſe reum.
Non tamen excuſo me illius, crede reatus,
Infelix (83) quo ſum truſus in exilium.
Sed pietas immenſa, reis quæ debita laxat,
Deprecor ut noſtri ſit memor exilii.
Tu quoque digna ſibi conjux, pulcherrima *Judith*,
Quæ ſecum Imperii culmina jure tenes,
Confer opem lapſo, alliſum ſolare miſellum,
Erige labentem, carcere ſolve reum.

(83) Deſideratur in MSto: illud adjecit Lambecius.

Ut vos Altitonans per plurima tempora ſecli
Sublimet, ſalvet, ditet, honoret, amet.

*Poſtquam hoc Poëma legerint eruditi, udicent quæſo, num jure, an injuriâ P. Jacobus le Long Ermoldum noſtrum ſibi numquam viſum in claſſem fabuloſorum Hiſtoriæ Francicæ Scriptorum retulerit, quam accuratiſſimo Catalogo ſuo haud pridem edito adtexuit pag.*1099. *Si enim valet ea ratio, quòd is Vitam Ludovici oratione metro adſtricta ſcripſerit; quæ tamen minimè valet propter Ariſtotelis auctoritatem, qui in Libro* de Arte Poëtica *docet, Hiſtoricum & Poëtam, non quòd alter numeris adſtricta, alter ſoluta ſcribat, inter ſe differre; cùm non minus Hiſtoria eſſe poſſit cum numeris, quàm ſinè illis; Sed quod alter quæ facta ſunt, alter qualia fieri oporteat, aut poſſint, commemorat. Sed ſi valet inquam: cur non & Poëtam Saxonem Arnulphi Imperatoris æqualem, qui Karoli M. Imperatoris Vitam verſibus illigavit, alioſque anguſtæ fidei, atque adeò fugiendis Scriptoribus annumeravit?*

Pro *exilium* ibidem legitur *exilio*.

F I N I S.



ANNALES
LAMBECIANI,

HOC EST

ANNALES FRANCORUM

EX MANUSCRIPTIS CODICIBUS

AUGUSTISSIMÆ CÆSAREÆ BIBLIOTHECÆ

PER VIRUM CLARISSIMUM

PETRUM LAMBECIUM

OLIM EXCERPTI, ATQUE EVULGATI,
NEC NON ANIMADVERSIONIBUS ILLUSTRATI;

Nunc autem

In commune Italicæ Hiſtoriæ commodum recuſi cum Additamentis,
& unà cum Criſi in eoſdem Annales

PRÆSTANTISSIMI VIRI

JOHANNIS BENEDICTI GENTILOTTI

OLIM CÆSAREÆ BIBLIOTHECÆ PRÆFECTI.

IN ANNALES LAMBECIANOS
MONITUM
LUDOVICI ANTONII MURATORII.

SAepe animadverterit eruditus Lector, laudari a Mabillonio, Pagio, aliisque Clarissimis Scriptoribus *Annales Lambecianos*, quos nempe ex Augustissima Caesarea Bibliotheca *Petrus Lambecius* Vir doctissimus, eidemque Bibliothecae olim Praefectus in suis Commentariis evulgavit. Quum vero Commentarii ipsi Lambeciani adeo rari sint, & in Italia potissimum, ut vel in ipsis illustrioribus Bibliothecis desiderentur; hinc mihi natum consilium rursus eosdem Annales proferendi, Italicisque Historiis addendi, quo in posterum genti nostrae facilis promtusve esset aditus ad eos, quum occasio posceret, legendos. Itaque rogavi per literas accuratissimum & egregium eruditionis cultorem *Nicolaum Forlosiam* Neapolitanum, supra memoratae Caesareae Vindobonensis Bibliothecae primum Custodem, ut eos pro sua in me benivolentia ex Lambecii Commentariis colligeret, & si quid mantissae ad eos haberi posset, monitum me vellet. Re ab ipso communicata cum doctissimo ac humanissimo *Garellio* Augustissimi Caesaris CAROLI VI. Consiliario & Archiatro, atque eidem Bibliothecae Praefecto, statutum est ad me mittere Annales eosdem, qui *Caesarei* quam *Lambeciani* aequius essent appellandi; simulque adjungere judicium, quod de ipsis jam tulerat, instruebatque ad publicum diem amplissimus Vir *Johannes Benedictus Gentilottus*, eâdem Praefecturâ ante Garellium functus. En ergo *Lambecianos* Annales sub uno conspectu, hoc est in unum conjunctos, quando eorum fragmenta Lambecius non unum in locum Commentariorum suorum conjecerat. Atque utinam haec tam peregrina ac utilia essent, quam optassem, immo sperassem. Sed quae in eosdem Annales ante me adnotavit supra laudatus Gentilottus, tu infra consulito, atque intelliges, quodnam pretium statuendum sit Lambeciano huic dono. Neque vero aliud mihi de his dicendum restaret, nisi dono ipsi laciniam egregiam beneficus Garellii animus liberaliter addendam censuisset. Scilicet deprehenderat Gentilottus in Caesareo MSto Codice num. 600. latere fragmentum perquam pretiosum duorum Annorum, quod in *Annalibus Fuldensibus* hactenus excusis desiderabatur: videlicet gesta Anno 894. & 895. Hoc igitur additamentum ex nobilissima Bibliotheca, quae de hoc ipso Tomo, immo de publica re, tam bene ac tot titulis merita hactenus est, accipiant Lectores; & magnanimo atque immortali Augusto nostro gratias habeant, quod thesauros suos tam lubenter sinat in publicae Eruditionis usum, & augmentum erumpere. Optandum est, ut a tanto Principe & reliqui discant, non suis indormire opibus, sed eas velle communes omnibus. Et profecto antiquitatis monumenta, si abdita rigide serventur, quid aliud quàm aut avaritiam, aut ignorantiam possidentis produnt? E tenebris vero educta, atque exposita omnium oculis, tum solum thesauri esse incipiunt, quippe possessori gloriam, & ceteris utilitatem tunc allaturi. Ego interea gavisus sum, quod ex hoc Historiae frustulo ea confirmentur, quae in Antiquitat. Esten. Cap. XXII. de *Adelberto II. Marchione & Duce Thusciae*, ejusque fratre *Bonifacio* olim scripsi; nam ex horum altero gravissimae conjecturae ferunt propagatam fuisse ante tot secula Atestinorum Principum gentem, quae nunc in Mutinae Ducibus, & Brunsvicensibus magnae Britanniae imperantibus florere pergit.

LAMBECIUS
COMMENT· BIBLIOTHECÆ CÆSAREÆ
Lib. 2. cap. 5. n. 23. pag. 345.

Undecimus Codex, ad vitam, & res gestas Imp. Caroli Magni pertinens, de quo aliàs prolixiùs acturus sum, est membranaceus in octavo, & inter MStos Codices Historicos Latinos centesimus sexagesimus tertius. Continet is incerti, sed vetusti Scriptoris Annales, sive gesta Francorum, à Petro Pithœo primùm in lucem edita, quorum principium: *Pippinus Filius* (1) *Ansgisi* &c. Quandoquidem autem antiquus hic Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ Codex multò emendatior est & auctior, quàm ille fuit, quo Pithœus usus est, eamque ob rem aliàs commodiori occasione eosdem Annales correctos & suppletos de integro editurus sum, interim tamen paucorum quorumdam locorum emendationes & supplementa speciminis instar in antecessum hîc præmitto.

In actis anni DCCXVII. post verba, persequitur usque Parisios: *addenda sunt hæc*: His temporibus Wynfridus, qui & postea, cùm Episcopus ordinaretur, Bonifacii nomen accepit, Doctor Catholicus, natione Anglus, primùm Romam, deinde cum auctoritate Gregorii Papæ in Franciam ad prædicandum verbum Dei vênit.

In actis anni DCCXIX. post verba, quo tempore Hlotharius Rex mortuus est; *addenda sunt hæc*: Bonifacius, vir Sanctissimus, à Præsule Sedis Apostolicæ Gregorio Mogontiacæ Civitati, Metropoli Germaniæ, Archiepiscopus ordinatur, & Legatus Germanicus Romanæ Ecclesiæ in Franciam mittitur, qui prædicatione sua multos populos, Thuringorum videlicet, Hessionum, & Austrasiorum ad Fidem rectam, à qua diu aberraverant, convertit: Monasteria quoque Monachorum & Virginum primus in partibus Germaniæ constituit.

In actis anni DCCXLVI. post verba, res novas molientes, nonnullis eorum interfectis, compescuit; *addenda sunt hæc*: Bonifacius Archiepiscopus, cum auctoritate Sedis Apostolicæ, annuente Carlomanno, duas Sedes Episcopales constituit, unam in castro Wirziburg, ubi Burchartum collegam suum ordinavit Episcopum, alteram in loco, qui vocatur Eihstat, cui Willibaldus Episcopus ordinatus est.

Post acta anni DCCLXIV., quæ his constant verbis: Hoc anno contigit hyems valida, & præter solitum prolixa; *addenda sunt hæc*: Anno DCCLXV. Hruodgangus Metensis urbis Archiepiscopus Corpora Sanctorum Gorgonii, Naboris, & Nazarii à Paulo Romanæ Sedis Apostolico de Roma in Franciam transtulit. Anno DCCLXVI. Corpus Sancti Gorgonii conditum est in Monasterio, cui vocabulum est Gorzia. Sancti verò Naboris in alio Monasterio, quod dicitur Nova-Cella, Nazarii autem in Monasterio Lauresham, quod est in Germania. In quibus locis miraculis vivunt & gloria. Anno DCCLXVII. Lemovica (2) Æquitaniæ, Pippino expugnante capta est.

Acta illa, quæ deinceps immediatè sequuntur, & his incipiunt verbis, Pippinus interfecto Waiphario, &c. *non pertinent, uti in Pithœana editione perperam legitur, ad annum DCCLXV. sed ad annum DCCLXVIII.*

In actis anni DCCLXXIV. post verba, interea Saxones in Hessis Francorum terminos vastant; *addenda sunt hæc*: Erat autem ibi in loco, qui vocatur Friteslar, Basilica, quam Sanctus Bonifacius Martyr olim dedicans, prophetico spiritu numquam igne cremandam esse prædixit; cui cùm Pagani toto nisu ignem subponere conarentur, divino pavore perterriti, fugæ præsidium sumunt. Duo namque juvenes in vestibus albis Basilicam ab igne defendebant, quos & Christianis, & (3) Barbaris quibusdam divinitus videre concessum est. Unus tamen ex hostibus juxta Basilicam flexis genibus adclinis lignis, & igni incumbens, specie flantis repertus est mortuus. His temporibus dedicata est Basilica Sancti Nazarii Martyris in Lauresham, & translata sunt ossa ejus in illam.

In actis anni DCCLXXVII. & DCCLXXVIII. ubi in Pithœana editione perperam legitur Ainalarabi Saracenus, *rectiùs in Codice nostro scriptum est* Ibinalarabi; *ut &* Abitauro *pro* Habitauro.

In iisdem actis anni DCCLXXVIII. post verba, pars maxima eorum interfecta est, *addenda sunt hæc*: Eo tempore Monachi Fuldensis Cœnobii propter timorem Saxonum, assumtis secum Sancti Bonifacii Martyris ossibus, fugerunt de Monasterio per millia passuum ferè XIV.

In actis anni DCCLXXIX. post verba Hiltibrandus Dux Spoletanus ad Karolum venit, *addenda sunt hæc*: Sturm Abbas Fuldensis Cœnobii moritur, cui successit Baugolf ejusdem Monasterii Monachus.

In actis anni DCCLXXXI. post verba, inter quæ signum Crucis in vestimentis hominum frequentissimè visum est, *addenda sunt hæc verba*: Sanguis etiam è terra ac de Cœlo perhibetur fluxisse.

In actis anni DCCLXXXII. ubi in Pithœana editione hæc leguntur: Carolus habuit CONFLICTUM in loco, ubi Lippia oritur, cum omnibus Primatibus Saxonum, excepto Widichindo rebelle, & eis, qui cum eo erant: ubi

(1) In Pithœana editione perperam legitur *Anchisi*.
(2) Ita hic scriptum est, nempe Æquitaniæ in prima syllaba per Æ pro Aquitaniæ, eademque scribendi ratio etiam in aliis nonnullis reperitur antiquis codicibus MStis Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ.
(3) Barbari pro Paganis.

ubi ad eum venerunt Missi GODEFRIDI Regis Daniæ &c. *rectiùs in Codice MSto legitur*, Carolus habuit CONVENTUM &c. *& pro* Godefridi *scriptum est* Sigifridi.

In actis anni DCCLXXXV. verba hæc, Conjuratio Orientalium Francorum contra Regem exorta, & citò compressa est; *ita supplenda sunt*: Conjuratio Orientalium Francorum, quæ vocatur Hartrati, contra Regem exorta, & citò compressa est: *Hartrati purum putum est vocabulum antiquæ linguæ Theotiscæ, sive Germanicæ, pro quo nunc dicitur* einharter Raht, *hoc est*, durum Consilium.

In actis DCCXCVIII. post verba, Patriarcha Hierosolymitanus reliquias de Sepulchro Domini per Monachum quemdam Regi transmisit; *addenda sunt hæc*: & Azan Præfectus Urbis, quæ dicitur Osca, claves Civitatis per legatum suum cum aliis muneribus misit.

In actis anni DCCCII. pro Hemgaudum Comitem *legendum est* Helmgaudum.

In actis anni DCCCIII. pro Ribbitto *legendum est* Rihboto.

In actis anni DCCCV. ubi in Pithœana editione legitur: Capcanus Princeps Hunnorum Aquis ad Regem venit, & ut postulans inter Sariam & Carnontum habitandi locum accepit, *rectiùs in Codice Cæsareo scriptum est*: Capcanus Princeps Hunnorum Aquas ad Imperatorem vênit, & ut postulavit, inter Sarabiam & Carnontum habitandi locum accepit. *Sarabia sinè dubio eadem est Urbs, quæ nunc Zagrabria vocatur, & ad sinistram Savi fluminis ripam è regione Segesticæ insulæ sita est. Carontum autem, sive Carnuntum est oppidum Haimburg ad Danubium.*

In actis anni DCCCXI. ultima hæc verba editionis Pithœanæ, Hemmingo Danorum Rege defuncto, *pertinent revera ad sequentem annum DCCCXII. hoc modo*: Hemmingo Danorum Rege defuncto, Sigifridus nepos Godafridi Regis, & Anulo nepos Herioldi succedere volentes, &c.

In actis anni DCCCXV. ubi in Pithœana editione legitur: Exercitus Francorum à Ludovico Imperatore ad auxilium Herioldo Danorum Regi ferendum contra filios Godefridi in Nordmanniam missus, cùm adversarii eis congredi non auderent, circumquaque vicinis pagis * & acceptis populorum obsidibus XL., reversus est; *legendum est*: circumquaque ex vicinis pagis acceptis popularium obsidibus XL. &c.

In actis anni DCCCXXIX. verba hæc mutila, Bulgari navibus per Dravum fluvium venientes, quasdam villas nostrorum flumini vicinas * in palatio Camerarius constitutus, & Hludharius in Italiam profectus est; *Supplenda sunt hoc modo*: quasdam villas nostrorum flumini vicinas incenderunt. Bernhardus Comes Barcinonensis in palatio Camerarius constitutus, & Hlotharius in Italiam profectus est.

Acta anni DCCCXXXV. & acta anni DCCCXXXVI. in Pithœana editione perperam confunduntur propter omissionem posterioris numeri, qui collocari debet ante hæc verba: Imperator in palatio Thœdenhove &c., *utpote ubi acta anni DCCCXXXVI. incipiunt. Quæcumque autem in eadem editione Pithœana referuntur ad annum DCCCXXXVI. & his incipiunt verbis*. Ticinum in Italia &c.; *ea revera pertinent* ad annum DCCCXXXVII. *idcoque numerus ibi corrigendus est. Similiter & sequentium quatuor annorum numeri corrupti sunt, & pro* DCCCXXXVII. *scribendum est* DCCCXXXVIII., *pro* DCCCXXXVIII. *scribendum est* DCCCXXXIX.; *pro* DCCCXXXIX. *scribendum est* DCCCXL.; *pro* DCCCXL. *scribendum est* DCCCXLI.

In actis anni DCCCLII. pro eo, quod in principio mendosè legitur, Genaldus Normannus, *legendum est* Herioldus Nordmannus. *In ejusdem anni actis locus ille, quem Pithœus in editione sua asterisco notavit, corrigendus & supplendus est hoc modo*: profectus est in Saxoniam ob eorum vel maximè causas (4) JUDICANDAS, qui à pravis & subdolis (5) JUDICIBUS neglecti, & multis modis, ut dicunt, legis suæ dilationibus decepti, graves atque diuturnas patiebantur injurias.

In actis anni DCCCLIV., ubi in Pithœana editione mendosè & mutilè legitur: Ibique inter Horuc Regem Danorum, & Guduym filium fratris ejus, qui * etaneus ab eo regno pulsus piratico more JUSSIT, orta contentione &c., *corrigendus & supplendus est iste locus hoc modo*: Ibique inter Horic Regem Danorum & Godrum filium fratris ejus, qui eatenus ab eo Regno pulsus, piratico more VIXIT, orta contentione &c.

In actis anni DCCCLVIII., ubi in Pithœana editione legitur: ille intrinsecùs subdolè sæviendo * videndo disperderet; *sublato asterisco, & deleta superflua voce* videndo, *legendum est*: ille intrinsecùs subdolè sæviendo disperderet. *Erroris ansam præbuit negligentia librarii; quippe qui tres posteriores syllabas verbi* sæviendo *perperam repetiit, scribens* sæviendo viendo, *unde porrò mendum mendo auctum, & ex* viendo videndo *factum est.*

In actis anni DCCCLIX., ubi in Pithœana editione mendosè legitur: A quibus honorificè susceptus, cùm de gestis præteriti anni Regem per omnia rationabiliter excusaret * infamiæ, Apostolica fultus EPISCOPUS rediens &c., *sublato asterisco, legendum est hoc modo*: cùm de gestis præteriti anni Regem per omnia rationabiliter excusaret infamiæ, Apostolica fultus EPISTOLA rediens, &c. *Excusare aliquem infamiæ idem hic est, atque Excusando liberare aliquem infamia.*

In actis anni DCCCLXIII. post verba, injustè verò, sicut illi rescriptis & assertionibus firmare conantur; *sequitur in Pithœana editione*: Propterea partis utriusque scriptorum seriem his Annalibus inserendam esse judicavi, discernendæ rei veritatem lectoris arbitrio relinquens. Et hæc quidem sunt Apostolicæ Sedis Decreta Synodalia: NICOLAUS SERVUS SERVORUM DEI, &c. *In antiquo autem Codice MSto, de quo in præsens agitur, omissa sunt scripta illa utriusque partis, eorumque loco post verba*, firmare conantur, *leguntur hæc*: Scripturam autem utriusque partis quisquis curiosus scire desiderat, in nonnullis Germaniæ locis poterit invenire. *Sequuntur deinde in eodem codice MSto immediatè acta anni DCCCLXIV. quæ ibi incipiunt his verbis*: Hludovvicus Rex mense Augusto ultra Danubium cum manu valida profectus &c. *Corrigenda ergo est Pithœana editio, utpote in qua verba hæc*, Guntharius Coloniæ Civita-*tis*

(4) In Pithœana editione perperam legitur vindicandas.

(5) In Pithœana editione perperam legitur judicium.

tis Episcopus pœnitentia ductus, quòd contra Domnum Apostolicum injustæ rationis contentionem inchoaverat, reconciliationis suæ & emendationis gratia Romam profectus, in præsentiam Apostolici Viri Nicolai venit; sed veniam minimè consecutus est: *perperam referuntur ad annum DCCCLXIV., cùm revera ad præcedentem annum DCCCLXIII. adhuc pertineant.*

In iisdem actis anni DCCCLXIV. sub finem pro Guntharius Coonæ Civitatis Episcopus *legendum est* Guntharius Coloniæ Civitatis Episcopus &c.

Acta annorum DCCCLXV. DCCCLXVI., & DCCCLXVII. in Pithœana editione confusim permixta, & secundùm antiquum hunc Codicem MStum distinguenda sunt hoc modo. Acta anni DCCCLXV. desinunt his verbis: Romam profectus est. *Acta anni DCCCLXVI. incipiunt his verbis*: Hludovvicus Hludovvici Regis filius graviter ferens &c.; *pertingunt autem inclusivè usque ad hæc verba*: Quapropter isti, accepta à Rege licentia, redierunt in sua. *Acta denique anni DCCCLXVII. incipiunt his verbis*: Hlotharius Rex promissionem suam &c.

In actis anni DCCCLXXIII., ubi in Pithœana editione mutilè legitur: Venerunt quoque illuc Sigifridi Danorum Regis Legati pacis faciendæ gratia inter illos & Saxones * positis: *supplendus est iste locus hoc modo*: pacis faciendæ gratia in terminis, inter illos & Saxones positis. *Ibidem paulò post pro* permisit *legendum est* promisit.

In actis anni DCCCLXXV. locus hic, tamquam mutilus asterisco notatus: Mense Augusto Rex Hludovvicus cum filiis & fidelibus suis colloquium habuit in villa Tribure. Interea Hludovvicus Italiæ Imperator * cujus corpus translatum Mediolanum, in Basilica S. Ambrosii sepultum est; *supplendus est hoc modo*: Interea Hludovvicus Italiæ Imperator MORITUR, cujus corpus, &c.

In Pithœana editione sunt hi Annales in fine mutili, & pertingunt tantùm usque ad principium anni DCCCLXXXIII., in Codice autem hoc MSto Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ pertingunt illi usque ad annum DCCCLXXXVII. inclusivè. Ne igitur notabile illud supplementum diutiùs latitet, eapropter integrum hic subjungo, incipiens ab anno DCCCLXXXII., quippe cujus acta in Pithœana editione non solùm aliquanto aliter narrantur, quàm in Codice hoc Cæsareo, verumetiam nonnulla comprehendunt perperam admixta, quæ revera ad sequentes annos DCCCLXXXIII. DCCCLXXXIV. & DCCCLXXXV. pertinent.

DCCCLXXXII.

Stella cometes XV. Kal. Februarii primâ horâ noctis apparuit, comas suas supra modum spargens, & rem infaustam, quæ citò secuta est, sua apparitione præmonstrans. Nam Hludovvicus invalescente morbo, XIII. Kal. ejusdem mensis diem ultimum clausit, cujus corpus translatum, & in Monasterio Sancti Nazarii, quod dicitur Lauresham, juxta patris sui tumulum sepultum est. Quod audiens exercitus, qui contrà Nordmannos fuerat missus, ab expugnatione hostium desistens, infecto negotio rediit. Quorum Nordmanni inde transeuntium vestigia secuti, cetera, quæ priùs dimiserant, incendio cremaverunt usque ad Confluentem castellum, ubi Mosella Rhenum ingreditur. Murus Moguntiæ Civitatis restaurari cœptus, & fossa murum ambiens extra Civitatem facta. Nordmanni de sua munitione egressi, Trevirensem urbem invaserunt, & habitatoribus Civitatis partim expulsis, partim occisis, totam in Nonis Aprilis incenderunt. Quibus Walah Metensis Episcopus incautè cum paucis occurrens, occisus est. Karolus Imperator, audito fratris sui obitu, de Italia perrexit in Bajoariam, & Optimates, qui fuerant fratris sui, ad se venientes, in suum suscepit Dominium. Deinde Wormatiam veniens cum suis undique venientibus consiliatus est, quomodo Nordmannos de suo Regno expelleret. Statuto itaque & condicto inter eos tempore, convenerunt de diversis provinciis viri innumerabiles, & omnibus hostibus formidandi, si Ducem habuissent idoneum, sibique consentientem. Hoc est Franci, Norici, Alamanni, Thuringii, atque Saxones, parique intentione profecti sunt contra Nordmannos pugnare cupientes. Quò cùm pervenissent, munitionem illorum, quæ vocatur Ascloha, obsederunt. Cùmque jam expugnanda esset munitio, & hi, qui intus erant, timore perculsi mortem se evadere posse desperassent, quidam ex Consiliariis Augusti, nomine Liutvvardus, Pseudo-Episcopus, ceteris Consiliariis, qui patri Imperatoris assistere solebant, ignorantibus, juncto sibi Wicberto Comite fraudulentissimo, Imperatorem adiit, & ab expugnatione hostium pecunia corruptus deduxit, atque Gotafridum Ducem illorum Imperatori præsentavit; quem Imperator more Achabico quasi amicum suscepit, & cum eo pacem fecit, datis ex utraque parte obsidibus: quod Nordmanni acceperunt pro omine. Et ut pax ex illorum parte rata non dubitaretur, clypeum juxta morem suum in sublime suspenderunt, & portas munitionis aperuerunt. Nostrates autem calliditatis illorum expertes, eamdem munitionem ingressi sunt; alii quidem causâ negotiandi, alii verò pro loci firmitate consideranda. At Nordmanni ad consuetam calliditatem conversi, clypeum pacis deponunt, portas claudunt, & omnes ex nostris intus inventos aut occiderunt, aut catenis ferreis ligatos ad redimendum servaverunt. Sed Imperator tantam contumeliam exercitui suo illatam flocci pendens, prædictum Gotafridum de fonte Baptismatis levavit, & quem maximum inimicum & desertorem Regni sui habuerat, consortem Regni constituit. Nam Comitatus & beneficia, quæ Rorich Nordmannus Francorum Regibus fidelis, in Kinnin tenuerat, eidem hosti suisque hominibus ad inhabitandum delegavit. Et, quod majoris est criminis, à quo obsides accipere & tributa exigere debuit, huic, pravorum usus consilio, contra consuetudinem parentum suorum, Regum videlicet Francorum, tributa solvere non erubuit. Nam thesauros Ecclesiarum, qui propter metum hostium absconditi fuerant, abstulit, & auri purissimi atque argenti, ad confusionem sui totiusque exercitus, qui illum sequebatur, libras (6) IICCCCXII. eisdem dedit

(6) 2412.

dedit inimicis. Præterea quisquis de suo exercitu, in defensione Sanctæ Ecclesiæ zelo Dei commotus, aliquem de Nordmannis, qui caſtra invadere tentabant, occîdit, aut eum jugulare, aut ei oculos eruere præcepit. Unde exercitus valde contriſtatus, dolebat ſuper ſe talem veniſſe Principem, qui hoſtibus favit, & eis victoriam de hoſtibus ſubtraxit, nimiùmque confuſi redierunt in ſua. Nordmanni verò de theſauris & numero captivorum CC. naves onuſtas miſerunt in patriam, ipſi in loco tuto ſe continentes, iterum tempus opportunum prædandi opperientes. Imperator inde tranſiens, Moguntiacum vênit, & inde ad villam Tribure, ibique per plures moratus eſt dies. Qui etiam Wangioni placitum habuit, & parum utilitatis decrevit. Nordmanni portum, qui Friſiacâ linguâ (7) Taventeri nominatur, ubi Sanctus (8) Liobomus requieſcit, plurimis interfectis ſuccenderunt. Johannes Pontifex Romanus deceſſit; in cujus locum Marinus, antea Epiſcopus, contra ſtatuta Canonum ſubrogatus eſt. Quidam Gregorius nomine, quem Romani Superiſtam vocitabant, dives valde, in Paradiſo Sancti Petri à ſuo Collega occiſus eſt, & pavimentum Eccleſiæ, per quam trahebatur, totum ſanguine illius infectum.

DCCCLXXXIII.

IMperator Italiam petens apud urbem Veronam cum ſuis fidelibus de ſtatu Regni ſui conſiliatus eſt. (9) Boppo & Egino, Comites & Duces Thuringorum, inter ſe confligentes, non paucas hominum ſtrages dabant; in quo conflictu Boppo ſuperatus, vix cum paucis viris effûgit, ceteris omnibus occiſis. Gotafrid Nordmannus, qui ſuperiore anno fuerat baptizatus, cum Hugone, Hlutarii filio, fœdus iniit, ejuſque ſororem duxit in conjugium. Unde idem Hugo audacior effectus, Regnum Patris ſui ſuæ ditioni ſubjugare ſtuduit. Imperator omne tempus æſtivum manſit in Italia, animoſque optimatum regionis illius contra ſe concitavit. Nam Uvitonem, alioſque nonnullos exauctoravit; & beneficia, quæ illi, & patres, & avi, & atavi illorum tenuerant, multo vilioribus dedit perſonis. Quod illi graviter ferentes, pari intentione contra eum rebellare diſponunt, multò etiam plura, quàm ante habuerant, ſibi vindicantes. Mons quidam in Italiæ partibus de loco ſuo motus in Atheſin fluvium cecidit, ejuſque meatum interclusit. Hi autem, qui apud Veronam, & in contiguis locis ejuſdem fluminis habitabant, tamdiu utilitate illius carebant, donec idem fluvius per eumdem montem quaſi cavernulas faciens, ad ſuum alveum rediret. Nordmanni per alveum Rheni fluminis aſcendentes, plurima loca nuper reſtaurata ſuccenderunt, prædam inde capientes non modicam; quibus Liutbertus Mogontienſis Archiepiſcopus cum paucis occurrit, ſed non paucos ex eis proſtravit & prædam excuſſit. Agrippina Colonia abſque Eccleſiis & Monaſteriis reædificata, & muri ejus cum portis & vectibus & ſeris inſtaurati.

DCCCLXXXIV.

NOrdmanni Saxones invadere tentaverunt, quibus (10) Heimrich Comes, & Arn Epiſcopus cum manu valida Orientalium Francorum occurrerunt, conſertoque prœlio plurimi ex utraque parte ceciderunt; ſed tamen adjuvante Domino Chriſtiani obtinuere victoriam. In quo certamine tales viri de Nordmannis cecidiſſe referuntur, quales numquam antea in gente Francorum viſi fuiſſent, in pulchritudine videlicet ac proceritate corporum. Imperator circa Purificationem Sanctæ Mariæ cum ſuis colloquium habuit in Alſatia, in loco, qui vocatur Coloburg, & inde Epiſcopos, Abbates, atque Comites deſtinavit contra Nordmannos ad tuendas Regni ſui partes. Nordmanni non ſemel, neque bis cum Heimricho dimicantes, ſuperantur, & ubicumque prædatum ire volebant, fugabantur, interficiebantur, Domino illis reddente quod meruerunt. Tamdem Chriſtianis in unum congregatis, & munitionem illorum expugnare cupientibus, illi timore perculſi, noctu fuga lapſi ſunt, quos Heimrich Rheno tranſito ſecutus, & in quodam repertos loco, centum duos ex eis abſque detrimento ſuorum occîdit. Imperator menſe Majo mediante placitum habuit Wormatiæ, & inde tutores partium ſuarum contra Nordmannos deſtinavit. Vênit etiam illuc filia Hlutharii à Gotafrido, cui tradita fuerat in matrimonium, ad Imperatorem tranſmiſſa; quam Imperator ſecum aliquanto retinuit tempore, & ad maritum redire non permiſit. Imperator in terminis Noricorum, & Sclavorum cum Zvventibaldo colloquium habuit; inde in Italiam profectus cum Witone & ceteris, quorum animos anno priore offenderat, pacificatur. Nordmanni cum Friſonibus in loco, qui vocatur Norditi, dimicantes ſuperantur, & plurimi ex eis occiduntur. Super quo prœlio exſtat Epiſtola (11) Reinberti Epiſcopi ejuſdem loci ad Liutbertum Moguntienſem Archiepiſcopum deſtinata hunc modum continens: Karolus juvenis Rex Galliæ in quadam venatione ictibus cujuſdam apri fertur occiſus; re autem vera à ſuo ſatellite in eadem venatione non ſponte vulneratus occubuit. Unde Nordmanni, qui Regnum illius prædis & incendiis longo tempore fatigaverant, audaciores effecti, XII. millia librarum auri & argenti ab illa regione tributi nomine exegerunt, & tamen fidem pollicitam nequaquam ſervaverunt. Nam & obſides occiderunt, & à prædationibus minimè ceſſaverunt.

DCCCLXXXV.

IIdem Nordmanni pagum (12) Haſpannicum invadentes, ceteros in circuitu vicinos occupaverunt, atque fruges diverſi generis congregantes, ſibi ad hyemandum & inhabitandum, quaſi

(7) Nunc Daventria ſive Deventer in Belgio fœderato ad Iſalam fluvium.

(8) Singularis locus de Sancto Liobomo, cujus nec in Martyrologio Romano fit mentio, nec in Philippi Ferrarii Cathalogo Sanctorum, qui in Martyrologio Romano ſunt.

(9) In Pithœana editione referuntur hæc perperam ad annum DCCCLXXXII.

(10) In Pithœana editione referuntur hæc perperam ad annum DCCCLXXXII.

(11) Is eſt Sanctus Rimbertus ſive Rembertus, ſecundus Hamburgenſis & Bremenſis Archiepiſcopus, qui Sancto Anſchario ſucceſſit anno 865. & anno 888. obiit. Vide librum primum & ſecundum Hiſtoriæ meæ Hamburgenſis.

(12) Per Pagum Haſpannicum ſive Haſbannicum, intelligitur hic Comitatus Haſbaniæ, qui in Epiſcopatu Leodienſi ſitus eſt.

quasi nullo resistente, disposuerunt, viris ac mulieribus, quos invenire potuerunt, ad suum servitium reservatis. Quibus Liutbertus Archiepiscopus & Heimrich Comes, aliique nonnulli insperatè supervenerunt, & plurimis prostratis, ceteros in quamdam munitiunculam fugere compulerunt, frugibus, quas congregaverant, sublatis. Cùmque diu obsessi & fame fatigati manum conserere non auderent, nocte quadam fuga lapsi sunt. Gotafrid Nordmannus, qui Christianus effectus, fidem Imperatori & Christiano populo se servaturum esse sacramento firmavit, fidem mentitus, exercitum non modicum de sua gente congregavit, & per alveum Rheni fluminis ascendere, & plurima loca suæ ditioni subjugare disposuit; quod dum mediante mense Majo facere instituisset, Deo renuente, perficere non potuit. Nam ab Heimricho aliisque fidelibus Imperatoris ad colloquium invitatus, & infidelitatis correptus, cùm eos convitiis variisque ludibriis exacerbaret, occisus est, & omnes, qui cum illo erant, Domino illi condignam infidelitatis suæ mercedem retribuente. Nordmanni autem ab eo invitati, nescientes quid factum erat, in Saxoniam prædatum ire pergebant; quibus cùm pauci Saxones occurrissent, & tantæ multitudini rebellare timuissent, terga verterunt. At illi longo spatio à suis navibus remoti, fugientes persecuti sunt, quasi eos essent comprehensuri. Interea Frisiones, qui vocantur Destarbenzon, quasi à Domino destinati, (13) pravissimis, ut eis est consuetudo, naviculis vecti supervenerunt; & eos à tergo impugnare cœperunt; quod cùm vidissent Saxones, qui priùs fugerant, reversi sunt, & graviter eis repugnando insistebant (14), ingratumque est prœlium ex utraque parte contra Nordmannos. Tanta denique in eos Christiani cæde bacchati sunt, ut pauci de tanta multitudine relinquerentur. Quibus gestis iidem Frisiones eorum naves invaserunt, tantumque Thesaurum in auro & argento, variaque suppellectile repererunt, ut omnes à minimo usque ad maximum divites efficerentur. Hugo Hlutharii Regis filius, cujus sororem prædictus Gotafrid duxit uxorem, insimulatus est apud Imperatorem, quòd ejusdem conspirationis Gotafridi contra Regnum Imperatoris, fautor existeret. Quamobrem ad Imperatorem vocatus, & noxæ convictus, lumine oculorum unà cum avunculo suo privatus est, & in Monasterium Sancti Bonifacii apud Fuldam retrusus, finem suæ habuit tyrannidis. Ceteri verò, qui cum eo erant, equis, & armis, ac vestibus spoliati, vix nudi evaserunt. Imperator cum suis apud Franconofurt colloquium habuit, missisque Romam nuntiis, Hadrianum Pontificem invitavit in Franciam. Voluit enim, ut fama vulgabat, quosdam Episcopos irrationaliter deponere, & Bernhartum filium suum ex concubina heredem Regni post se constituere; & hoc quia per se posse fieri dubitavit, per Pontificem Romanum quasi Apostolica auctoritate perficere disposuit. Cujus fraudulenta consilia Dei nutu dissipata sunt. Nam Pontifex Romanus ab Urbe digressus, & (15) Heridano flumine transito, vitam præsentem finivit, sepultusque est in Monasterio Nonnantulas.

Quod cùm Imperator comperisset, contristatus est valde, eo quòd in tali negotio voti compos effici non potuit. Post paucos verò dies Mogontiacum vênit, & inde Wormatiam, ibique cum Episcopis & Comitibus Galliarum habita collocutione, in Bajoariam profectus est, ibique Natalem Domini celebravit. Romani, Pontificis sui morte comperta, Stephanum in locum ejus constituerunt. Unde Imperator iratus, quòd eo inconsulto ullum ordinare præsumserunt, misit Liutvvartum, & quosdam Romanæ Sedis Episcopos, qui eum deponerent; quod perficere minimè potuerunt. Nam prædictus Pontifex Imperatori per Legatos suos plus quàm XXX. Episcoporum nomina, & omnium Presbyterorum & Diaconorum Cardinalium, atque inferioris gradus personarum, nec non & Laicorum Principum regionis scripta destinavit, qui omnes unanimiter eum elegerunt, & ejus ordinationi subscripserunt.

DCCCLXXXVI.

Mense Februario exercitus Orientalium Francorum missus est contra Nordmannos in Galliam juxta Parisios consistentes, qui in itinere propter imbrium inundationem, & frigus imminens, non modicum equorum suorum perpessi sunt damnum. Cùm autem illuc pervenissent, Nordmanni rerum omnium abundantiam in munitionibus suis habentes, manum cum eis conserere nec voluerunt, nec ausi sunt. Igitur diebus Quadragesimæ, & usque ad tempus Rogationis inani labore consumtis, excepto quod Heimrich quosdam extra munitionem inveniens occîdit, equis & bubus plurimis inde sublatis, redierunt in sua. Interea Hugo, & Gozilin Abbates, & Duces præcipui Galliæ regionis, in quibus omnis spes Gallorum contra Nordmannos posita erat, defuncti sunt. Unde Nordmanni audaciores effecti, & de sua munitione egressi, omnique regione potiti, venationes & varios ludos nullo prohibente exercebant. Optima pars Mogontiæ Civitatis, ubi Frisones habitabant, post mediam Quadragesimam mense Martio conflagravit incendio. Mense verò Majo, Junio, atque Julio tanta vis imbrium diu noctuque sinè intermissione cœlitus lapsa est, ut nullus ævi præsentis tantam aquarum abundantiam se vidisse fateatur. Unde flumina in diversis locis intumescentia frugibus variis extitere pernoxia. Nam Rhenus alveum suum egressus cuncta loca sibi contigua ab ortu suo usque ad introitum maris omnibus frugibus, & lino, & fœno evacuavit. Padus quoque in Italia similia fecisse perhibetur. Mense Julio imperator cum suis colloquium habuit in urbe Metensi, & inde contra Nordmannos profectus est. Ubi dum aliquanto tempore moraretur, Heimrich Comes à suis desertus, & ab hostibus circumdatus occiditur. Interea Sigifrid cum magna multitudine Nordmannorum ceteris, qui ibi residebant, auxilium laturus vênit, ac Christianis magnum intulit metum. Unde Imperator perterritus, quibusdam per Burgundiam vagandi licentiam dedit, quibusdam plurimam promisit pecuniam, si à Re-

(13) Ita quidem ibi scriptum est, sed legendum est *parvissimis*.

(14) Ita quidem ibi scriptum est, sed legendum est *integratumque est*. Ita Lambecius. Sed num potius *ingravatumque est*, phrasi desumta e divinis Scripturis?

(15) Heridano pro Eridano. Eridanus autem idem est atque Padus fluvius.

Regno ejus statuto inter eos tempore discederent. Ipse verò inde concito gradu in Alsatiam se recepit, ibique per plures dies jacuit ægrotus.

DCCCLXXXVII.

HYems aspera & solito prolixior, boum quoque & ovium pestilentia supra modum grassata est in Francia, ita ut penè nulla ejusdem generis animalia relinquerentur. Imperator cum suis colloquium habuit in Weiblingon, qui priscis temporibus, idest, ex quo Rex in Alamannia constitutus est, quemdam de suis ex infimo genere natum, nomine Liutvvardum, supra omnes, qui erant in Regno suo, exaltavit, ita ut Aman, cujus mentio facta est in Libro Hester, & nomine & dignitate præcelleret. Ille enim post Regem Assuerum erat secundus, iste verò prior Imperatore, & plus quàm Imperator ab omnibus honorabatur & timebatur. Nam nobilissimorum filias in Alamannia & Italia nullo contradicente rapuit, suisque propinquis nuptum dedit. Qui etiam ad tantam devolutus est stultitiam, immo vesaniam, ut Monasterium puellarum in Brixia Civitate situm invaderet, & per quosdam amicos suos filiam Unruochi Comitis, propinquam Imperatoris, vi raperet, suoque nepoti in conjugium daret. Sanctimoniales verò ejusdem loci ad preces conversæ orabant Dominum, ut contumeliam loco sancto illatam vindicaret; quarum preces illico exauditæ sunt. Nam is, qui puellam conjugii more sibi sociare disposuit, eadem nocte Dei judicio interiit, & puella mansit intacta. Quod cuidam Sanctimoniali è supradicto Monasterio revelatum est, & illa ceteris indicavit. Cùm autem memoratus Liutvvart talia in Regno Imperatoris per plures annos actitaret, tamdem cenodoxia inflatus, & philargyria cœcatus, Fidem Catholicam pervertere, & Redemtori nostro detrahere laborabat, dicens, eum unum esse unitate substantiæ, non personæ; cùm sancta Ecclesia credat, & confiteatur, eum in duabus substantiis unam habere personam; quod quicumque negaverit, profectò blasphemat eum, qui venit quærere & salvare quod perierat. Nisi enim esset verus Deus, non afferret remedium; nisi esset homo verus, non præberet exemplum. Sed idem Rex Regum hoc anno concitavit animos Imperatoris in blasphemum, qui habita cum suis collocutione in loco, qui vocatur (16) Kirihheim, eum deposuit, ne esset (17) Archi-Cappellanus, multisque beneficiis ab eo sublatis, ut hæreticum & omnibus odiosum cum dedecore de Palatio expulit: At ille in Bajoariam ad Arnulfum se contulit, & cum eo machinari studuit, qualiter Imperatorem Regno privaret: quod & factum est. Nam cùm idem Imperator in villa Tribure consedisset, suorum undique opperiens adventum, Arnolfus cum manu valida Noricorum & Sclavorum supervenit, & ei molestus efficitur. Nam omnes Optimates Francorum, qui contra Imperatorem conspiraverant, ad se venientes in suum suscepit Dominium; venire nolentes beneficiis privavit, nihilque Imperatori, nisi vilissimas ad serviendum reliquit personas. Cui Imperator lignum Sanctæ Crucis, in quo priùs ei fidem se servaturum juraverat, per Liutbertum Archiepiscopum destinavit, ut sacramentorum suorum non immemor tam ferociter & barbarè contra eum non faceret. Quo viso lacrymas fudisse perhibetur. Tamen disposito, prout voluit, Regno, in Bajoariam se recepit. Imperator verò cum paucis, qui secum erant, in Alamanniam repedavit. Nordmanni, audita Francorum dissensione, & Imperatoris eorum abjectione, plurima loca, quæ priùs minimè tetigerant, vastaverunt. Ad Remensem quoque urbem venisse referuntur; sed Deus per merita Sancti Remigii, & Monasterium extra Civitatem positum, & ipsam Civitatem nebula densissima per trium dierum spatia circumdedit, ita ut neutrum invenire, nec saltem videre potuissent. Unde mente consternati, pariterque confusi, discesserunt.

Idem Lambecius ibid. pag. 364. n. 27.

DEcimus quintus Codex, ad vitam & res gestas Imperatoris Caroli Magni pertinens, de quo aliàs prolixiùs acturus sum, est membranaceus in folio, & inter MStos Codices Historicos Latinos ducentesimus sexagesimus quintus. Continet is incerti cujusdam Autoris Annales Francorum ab anno Incarnationis Dominicæ septingentesimo decimo quarto, usque ad annum Imperatoris Ludovici Pii quartum sive annum Christi octingentesimum decimum septimum. Scriptus est hic Codex antiquis illis literis Gothicis, sive Toletanis, ab Ulphila Gothorum Episcopo, qui circa (18) annum Christi CCCLXX. temporibus Impp. Valentiniani & Valentis floruit, inventis, & in Hispania olim præcipuè usitatis; quarum figuram si quis nosse desideret, consulat Bonaventuræ Vulcanii libellum, de literis & lingua Getarum sive Gothorum inscriptum, & Lugduni Batavorum typis Francisci Raphelengii An. 1597. in octavo editum; ut & Bernardi Aldrete, Canonici Cordubensis, eruditum opus (19) de origine linguæ Castellanæ sive Castilianæ, eâdem linguâ compositum, & Romæ An. 1606. impressum in quarto: cujus Operis Libro secundo, & quidem capite decimo octavo, pag. 251. & 254. insignia duo exstant specimina antiquæ istius Gothicæ sive Toletanæ Scripturæ, quæ non solùm cum isto Codice, de quo in præsens agitur, verùm etiam cum aliis pluribus ejusdem generis Codicibus MStis, quæ in Augustissima Bibliotheca Cæsarea adservantur, optimè conveniunt. Ceterùm quod ad ipsos Annales, qui jam memorato Codice continentur, attinet, certò constat, Autorem eorum diversum esse ab altero illo, qui Annales itidem ab anno Christi DCCXIV. incipientes à Petro Pithœo An. 1588. Lutetiæ Parisiorum in octavo (20) pri-

(16) Kirihheim pro Kirchheim; in antiquis enim ævi Caroli Magni Codicibus MStis sola litera H nonnumquam idem valet atque CH: ut Heimrih pro Heimrich ih pro ich, Almahtig pro Almachtig &c.

(17) Hoc est Archi-Cancellarius.

(18) Vide Card. Baron. Annal. Eccl. To. IV. ad ann. 370.

(19) Del Origen y Principio de la lengua Castellana o Romana, que oi se usa en Espanna.

(20) Edidit eosdem Annales secundùm Marquardus Freherus Tomo primo Scriptorum Rerum Germanicarum, ubi eos appellat Annales Francorum Fuldenses, eo quod in Fuldensi Cœnobio cœpti & continuati sint. Quamvis autem Freheriana illa editio passim auctior sit, quàm Pithœana, & pertingat inclusive usque ad annum DCCCC. multis tamen locis mendosa & corrupta est, & æque ac Pithœana beneficio Codicis MSti Cæsarei inter Histori-cos

primùm editos, composuit. Noster enim hic Autor utitur supputatione temporis secundùm annos Regni Francorum, & Annales illos perducit usque ad annum quartum Imperatoris Ludovici Pii, sive annum Christi DCCCXVII. Pithœanus autem ille utitur supputatione temporis secundùm annos ab Incarnatione Domini, nec tantùm contextui priorum Annalium multa de suo passim inserit, verùm etiam eosdem continuat usque ad annum DCCCLXXXVII. utpote ubi supra laudatus Codex Cæsareus definit. Operæ pretium igitur me facturum arbitror, si illos quoque Francorum Annales, qui respectu Auctoris sui non solùm (21) Fuldenses, verùm etiam Laureshamenses cognominandi sunt, integros hîc publicavero, quoniam nec nimium prolixi sunt, nec quod sciam antehac editi.

Pippinus (22) Dux Francorum, filius (23) Anschisi, post mortem (24) Wolfohaldi Ducis partem (25) Austriæ regebat, obtinuitque Regnum Francorum per annos XXVII. cum Regibus (26) sibi subjectis (27) Hluduvvigo, Hildiberto, & Dagaberto; moritur anno secundo Anastasii Imperatoris, qui est ab Incarnatione Domini annus DCCXIV. Hujus Pippini ex (28) Alpheida filius.

I. (29) Karolus regnavit annos XXVII. Hic auxilio Dei de custodia, qua detenebatur, à (30) Plicthrude, (31) matrona relicta Pippini, liberatur, qui primo certamine adversùs Ratbodum Regem (32) Fresonum congreditur; in quo dum fortiter dimicat, plurimùm exercitus sui damnum consequitur.

II. (33) Raginfridus Majordomus, & (34) Hilphricus Rex Coloniam cum exercitu adeunt, regiones illas, quæ contiguæ Rheno vastantes, acceptisque muneribus à Plichtrhude redeunt, (35) atque inde (36) abeuntes Karlus cum exercitu occurrit in loco, qui dicitur Amblava.

III. (37) Sequenti anno (38) Reginfridus, & Hilphricus Rex bellum Karlo parant in loco nuncupato Vinciaco die Dominico ante Pascha; in quo prœlio vires Francorum ciderunt. Hilphricus Rex, & Reginfridus terga vertunt, insequiturque eos Karlus usque (39) Parisius. (40) Inde victor rediens Coloniam petit.

IV. Receptisque à Plihtrude (41) thesauros patris sui, Regem sibi constituit Hlutharium, nomine, non potestate. Hilphricus & Raginfridus auxilium postulant Eudonis Ducis Aquitaniarum; adversùs quos Karlus pergens, hostes in fugam compulit (42) mortuo Chlutharío Rege.

V. (43) Karlus ad Eudonem mittit, & Hilphricum Regem per Legatos recipit (44) quo non post multum temporis mortuo, Theodricum Regem in Sedem regni statuunt.

VI. (45) Karlus Raginfridum persequitur; Andegavis Civitatem capit.

VII. (46) Karlus Saxones vastando victor regreditur.

VIII. (47) Karlus Alamannos & Bajoarios armis subegit.

IX. (48) Per idem tempus Eudo pacis jura temerare nititur.

X. (49) Karlus transito Ligere Eudonem in fugam vertit vastata regione.

XI. (50) Eudo Sarracenos in auxilium sui adsciscit, qui venientes cum Rege suo Abdirama transeunt Garumnam, Burdigalem usque perveniunt, cuncta vastantes (51) Ecclesias igne crematis; Pictavis Basilicam Sancti Hilarii incendunt.

XII. (52) Contra quos Karlus auxilio Dei fretus Sarracenorum infinitam multitudinem simul cum Rege eorum prostravit, devictisque hostibus cum triumpho regreditur.

XIII. (53) Karlus Burgundiam petens, Lugdunum & Civitates reliquas suæ ditioni subegit. (54) Beda Presbyter moritur anno DCCXXX. Incarnationis Domini.

XIV.

cos Latinos centesimi sexagesimi tertii, de quo jam egi, emendari potest & corrigi. Illud quoque moneo, narrationem rerum gestarum ab anno DCCCLXXXII. usque ad annum DCCCLXXXVII. in Freheriana editione, æque ac in Pithœana, discrepare à narratione, quæ exstat in jam memorato Codice Cæsareo, uti supra videre est.

(21) Respectu inquam Auctoris; quippe qui rerum gestarum Regis Pippini anno XXVI. & rerum gestarum Imp. Caroli Magni anno XLI. utrumque Monasterium, nempe tam Laureshamense, quàm Fuldense, vocat Monasterium nostrum.

(22) Pippinus cognomine Crassus pater Caroli Martelli.

(23) Apud Pithœum mendosè legitur Anchisi; rectius autem apud Freherum Ansgisi. Fuit is filius S. Arnulfi Episcopi Metensis.

(24) Apud Pithœum & Freher. legitur VVolfaldi.

(25) Austria pro Francia Orientali. Eodem sensu usurpatur illud nomen in antiquis Langobardorum legibus, nempe libro 1. Tit. 25. leg. 73. necnon libro 2. Tit. 21. leg. 24. & Tit. 55. leg. 14.

(26) Verba hæc, sibi subjectis, desunt apud Pithœum & Freherum.

(27) Nomen hoc in hisce Annalibus promiscuè scriptum legitur Hluduvvigus, Hluduvvichus, Hluduvvihus, Hlodoveus.

(28) Apud Pithœum legitur Alheyde; apud Freherum autem Altheida, fuit ea Pippini Crassi concubina.

(29) Apud Pith. & Freh. incipiunt hìc acta anni ab Incarnatione Domini 715.

(30) Nomen hoc in hisce Annalibus promiscuè scriptum legitur Plictrudis Plichtrudis, & Plihtrudis.

(31) Matrona pro conjuge legitima, apud Pith. & Freh. deest hæc vox.

(32) Apud Pithœum mendosè legitur Fresorum.

(33) Apud Pith. & Freh. incipit hìc A. C. 716.

(34) Hilphricus Hiilphreich, dives auxilii.

(35) Quæ deinceps sequuntur à voce *atque* usque ad vocem *Amblava*, ea desunt apud Pith. & Freh.

(36) Abeuntes pro Abeuntibus.

(37) Apud Pith. & Freh. incipit hìc A. C. 717.

(38) Nomen hoc in hisce Annalibus promiscuè scriptum legitur Raginfridus, & Reginfridus.

(39) Parisius vox Latino-barbaro indeclinabilis.

(40) Apud Pith. & Freh. incipit hìc A. C. 718.

(41) Thesauros pro thesauris. Eadem loquendi ratio aliàs passim occurrit in hisce Annalibus, ita nempe, ut participium præteritum passivum regat accusativum.

(42) Apud Pith. & Freh. refertur mors Hlutarii sive Chlutarii ad A. C. 719.

(43) Apud Pith. & Freh. incipit hìc A. C. 719.

(44) Apud Pith. & Freh. incipit hìc A. C. 720.

(45) A. C. 721. apud Pith. & Freher.

(46) A. C. 721. apud Pith. & Freher.

(47) A. C. 722. apud Pith. & Freher.

(48) Apud Pith. & Freher. incipit hìc A. C. 723. & quod de Eudone hìc legitur id Alamannis & Noricis ibi adscribitur.

(49) A. C. 724. apud Pith. & Freher.

(50) A. C. 725. apud Pith. & Freher.

(51) Ecclesias pro Ecclesiis, uti sæpè hìc aliàs accusativus pro ablativo usurpatur.

(52) A. C. 726. apud Pith. & Freher.

(53) A. C. 727. apud Pith. & Freher.

(54) Quæ de tempore obitus Venerabilis Bedæ hìc referuntur, ea desunt apud Pithœum & Freherum. Obiit autem Beda, non ut hìc perperam traditur, anno DCCXXX. sed anno DCCXXXV. die XXVI. Maji.

XIV. (55) Eudo Dux hac tempestate moritur: quo mortuo (56) Carlus Aquitaniæ regionem absque bello recipit.

XV. (57) Karlus navali evectione Fresonum Regnum penetravit. Interfectis Fresonibus Popponem Ducem interimit, lucos & fana subvertit; victor cum præda magna revertitur.

XVI. (58) Sarraceni collecta manu valida (59) Avinnionem urbem capiunt, regiones circumquaque vastantes.

XVII. (60) Adversùs quos Karlus arma corripiens ad prædictam urbem adcurrit; Civitas obsidione vallata, machinis instructis capitur, magnaque strages hostium efficitur.

XVIII. (61) Karlus Gothorum fines penetravit, Narbonam obsedit, Rege Sarracenorum (62) Athima intus incluso.

XIX. (63) Sarraceni in Hispania, qui commorabantur in vicinia, hæc audientes, armati cum Rege suo occurrunt.

XX. (64) Contra quos Carlus dimicans, Regem cum populo suo interficit. (65) Qui gladium evadere poterant, ascendentes, navibus in mare demersi sunt.

XXI (66) Francis super eos cum navibus & jaculis infestantibus, sicque Franci de hostibus triumphantes, prædam magnam & captivorum multitudinem capiunt.

XXII. (67) Regionem Gothicam, urbesque famosissimas (68) Næmausum (69) Agatem, & reliquas capiunt, destructis mœniis usque ad fundamenta.

XXIII. (70) Karlus tributarios fecit Saxones.

XXIV. (71) Karlus regionem Provinciæ ingrediens, fugato (72) Ducem Auronto.

XXV. (73) Qui Sarracenos per dolum jam dudum invitaverat, (74) cunctam Provinciam & maritima illa loca suæ ditioni subegit.

XXVI. (75) Karlus post Gothos superatos, Saxones & Fresones subactos, Sarracenos expulsos, Provinciales receptos, Regnum Francorum feliciter possidens, (76) moritur in villa publica (77) Wermbria.

XXVII. (78) Anno DCCXLI. Incarnationis Dominicæ, post quem duo liberi ejus regnant annos XXVII. Carlmannus cum fratre Pippino regnavit annos VII.

I. (79) Carlmannus & Pippinus Hunoldum res novas molientes obprimunt, & in ipso itinere Regnum inter se, quid quisque haberet dividunt.

II. (80) Per idem tempus rebellante Theotbaldo Karlmannus vastavit Alamanniam.

III. (81) Carlmannus & Pippinus in Bajoariam exercitum ducunt adversùs (82) Huodilonem.

IV. (83) Carlmannus adversùs Saxones dimicat, & castrum (84) Onseburg capit.

V. (85) Bonifacius vir Sanctus, de genere Anglorum, Legatus Germanicus Romanæ Ecclesiæ, Mogontiacæ Civitatis Episcopus ordinatur, qui prædicatione sua multos Thuringeorum, Hessorum, nec non & Austrasiorum ad Fidem rectam & Christianam Religionem, à qua diu aberraverant, convertit; sed & Monasteria Monachorum ac Virginum primus in partibus Austriæ exorsus est, ipse in castro Wirziburg Sedem Episcopalem constituens, annuente Carlmanno, & auctoritate Apostolici Papæ.

VI. (86) Burghardus collega Bonifacii Wirziburgæ ordinatur Episcopus; Willibbaldus in Eichsteti Episcopus constituitur.

VII. (87) Carlmannus regnum temporale pro æterno regno despiciens, fratri regnum derelinquit, & Romam ad limina Beatorum Apostolorum devotus pervênit, ibique tonsoratus, religionis habitum suscepit, & in (88) Serapte monte Monasterium ædificavit, & non post multum in Monasterio Sancti Benedicti (89) Monachus efficitur. (90) Gripho frater Pippini in Saxoniam aufûgit. Pippinus, qui jam per annos VII. regnaverat, regnat postea annos XX.

VIII. (91) Pippinus in Saxoniam per Thuringeam ingreditur. Saxones cum Griphone adunati, super fluvium (92) Hobacar in loco, qui dicitur Horoheim, Griphonem cum Pippino pacificare cupiunt. Sororem Pippini cum Thassilone filio parvulo adquisivit.

IX. (93) Idem Gripho non credens se Saxonibus, neque Francis, de Saxonia Bajoariam

(55) Apud Pithœum & Freherum incipiunt hic acta anni 728.
(56) Nomen hoc in hisce Annalibus promiscuè scribitur per C. & K.
(57) Apud Pithœum & Freher. incipit A. C. 729.
(58) A. C. 730. apud Pithœum & Freherum.
(59) Avinionem pro Avenionem.
(60) A. C. 731. apud Pithœum & Freherum.
(61) A. C. 732. apud Pithœum & Freherum.
(62) Apud Pithœum legitur Athirva.
(63) A. C. 733. apud Pithœum & Freherum.
(64) A. C. 733. apud Pithœum & Freherum.
(65) A. C. 734. apud Pithœum & Freherum.
(66) A. C. 735. apud Pith. & Freher.
(67) A. C. 736. apud Pith. & Freher.
(68) Ita ibi scripta legitur prima syllaba hujus nominis per Æ.
(69) Vide Abrahami Ortelii Thesaurum Geographicum v. Agatha.
(70) A. C. 737. apud Pithœum & Freher.
(71) A. C. 738. apud Pithœum & Freher.
(72) *Fugato Ducem* pro *fugato Duce*; quæ ratio loquendi Latino-barbara passim occurrit in hisce Annalibus. *Aurontum* autem, sive *Auruntum* eadem est Urbs, quæ aliàs Arausio sive Orange dicitur. Apud Pith. & Freher. pro *fugato Duce Provinciæ Auronto*, hoc est *Aurasione*, mendosè legitur *fugato Duce Maurorum*, falsitatem enim hujus lectionis etiam sinè adminiculo Codicis MSti Cæsarei satìs manifestè indicant sequentia verba: *Qui dudum Sarracenos per dolum invitaverat*. Rectè videlicet hinc colligitur præcedentibus verbis non de Duce aliquo Maurorum, qui sinè dubio ipse Sarracenus fuisset, sed de perfido quodam Christiano Duce Arausionensi actum esse.
(73) A. C. 738. apud Pith. & Freher.
(74) A. C. 739. apud Pith. & Freher.
(75) A. C. 740. apud Pith. & Freher.
(76) A. C. 741. apud Pith. & Freher.
(77) Apud Pith. & Freher. legitur *moritur Parisiis*.
(78) A. C. 741. apud Pith. & Freher.
(79) A. C. 742. apud Pith. & Freher.
(80) A. C. 742. apud Pith. & Freher.
(81) A. C. 743. apud Pith. & Freher.
(82) Apud Pith. & Freher. legitur *Odilonem*.
(83) A. C. 745. apud Pith. & Freher.
(84) Apud Pith. & Freher. legitur *Obseburg*.
(85) A. C. 746. apud Freher. In Pithœana autem editione omnia hæc, quæ de S. Bonifacio & institutis ab eo Episcopatibus VVirzburgensi & Eichstatensi narrantur, desunt.
(86) A. C. 746. apud Freherum.
(87) A. C. 747. apud Pith. & Freher.
(88) *Serapte* pro *Soracte*. Est autem Soractes sive Soracte mons Faliscorum in Hetruria apud Tiberim, de quo Horatius lib. 1. carmin. Od. 9. canit. *Vides ut alta stat nive candidum Soracte*. In Adonis Viennensis Chron. corruptè nominatur *Sarepta*.
(89) In monte Casino.
(90) A. C. 748. apud Pith. & Freher.
(91) A. C. 748. apud Pith. & Freher.
(92) Apud Pith. & Freher. legitur *Obacra*.
(93) A. C. 748. apud Pith. & Freher.

riam petit, Bajoaros & Hiltrudem sororem Pippini cum Tassilone filio parvulo adquisivit.

X. (94) Pippinus in Bajoariam pergens, Griphonem, & Lantfridum inde educit; Tassilonem Ducem constituit ibidem.

XI. (95) Griphoni in partibus (96) Nuistriæ XII. Comitatus dedit; Gripho verò nec se ibidem credens, ad (97) Weiferium Ducem Aquitaniæ se contulit.

XII. (98) Anno DCCL. Incarnationis Dominicæ mittit Pippinus Legatos Romam ad Zachariam Papam, ut interrogarent de Regibus Francorum, qui ex stirpe Regia erant, & Reges appellabantur, nullamque potestatem in Regno habebant, nisi tantùm quòd cartæ & privilegia in nomine eorum conscribebantur, potestatem verò Regiam penitus nullam habebant, sed quod Majordomus Francorum volebat, hoc faciebant. Certo enim die semel in anno in Martis campo secundùm antiquam consuetudinem dona illis Regibus à populo offerebantur; & ipse Rex sedebat in sella regia, circumstante exercitu, & Majordomus coram eo, præcipiebatque is die illo quicquid à Francis decretum erat; die verò alia & deinceps Rex domi sedebat. (99) Zacharias igitur Papa secundùm auctoritatem Apostolicam ad interrogationem eorum respondit, melius atque utilius sibi videri, ut ille Rex nominaretur, & esset, qui potestatem in Regno habebat, quàm ille, qui falsò Rex appellabatur. Mandavit itaque præfatus Pontifex Regi, & populo Francorum, ut Pippinus, qui potestate regia utebatur, Rex appellaretur, & in Sede Regali constitueretur. Quod ita & factum est per unctionem Sancti Bonifacii Archiepiscopi. Suessionis Civitate appellatur Pippinus Rex, & Hildricus, qui falsò Rex appellabatur, tonsoratus in Monasterium mittitur.

XIII. (100) Pippinus Rex in Saxoniam pergit. Hildigarius Episcopus Coloniensis à Saxonibus interimitur.

XIV. (1) Gripho Italiam cupiens penetrare, à Theodoino Comite in valle (2) Maurienna obprimitur, idemque Theodoinus in ipso certamine occiditur.

XV. (3) Per idem tempus Stephanus Papa Romanus vênit ad Pippinum Regem, postulans adjutorium & defensionem adversùs Heistulfum Regem, eo quòd res Sancti Petri abstulerat, & deprædationes multas Langobardi faciebant.

XVI. (4) Stephanus Papa unxit duos filios Pippini in Reges Karlum, & Carlmannum.

XVII. (5) Bonifacius Archiepiscopus evangelizans genti Fresonum verbum Dei, martyrio coronatur Anno DCCLV. qui sedit in Episcopatu annos (6) XIII. post quem Lullus Episcopus annos XXXII.

XVIII. (7) Pippinus in Italiam ingreditur justitiam Sancti Petri ad perquirendum. Heistulfum sibi in bello occurrentem superat. Heistulfus fuga lapsus Papiæ includitur, datis obsidibus XL. sacramento constrictus res Sancti Petri restitui.

XIX. (8) Stephanus Papa Romam revertitur. Karlmannus Monachus in Franciam fratrem visitare veniens, Viennæ moritur.

XX. (9) Pippinus in Italiam proficiscitur. Heistulfum Papiæ inclusum obsedit, &, ut res Sancti Petri redderet, sacramento constringit, Ravennam cum Pentapoli Sancto Petro tradidit.

XXI. (10) Heistulfus in venatione equo lapsus regnum cum vita perdidit.

XXII. (11) Pippinus Saxones bello superat; equos CCC. reddere in tributum promittunt, & restitutionem, quicquid injustè abstulerunt.

XXIII. (12) Pippinus Weiferium Ducem in Aquitania Ecclesiarum justitias facere renuentem coëgit promittere emendationem.

XXIV. (13) Weiferius sacramenta mentitus, vastando & depopulando usque Cavillonem pervenit. (14) Pippinus cum Karlo filio exercitum ex adverso movet, castella & Civitates pugnando capit; Burbonem, (15) Cantela, Clarmontem, aliæque quamplurimæ ejus dominatui se subjiciunt; deinde (16) Beturicam expugnat.

XXV. (17) Tassilo de exercitu Regis se subducens, Bajoariam petit. (18) Facta est hyems valida anno DCCLXIV.

XXVI. (19) Hruotgangus Metensis urbis Archiepiscopus postulavit à Paulo Romanæ Sedis Apostolico corpora Sanctorum Martyrum Gorgonii, Naboris, & Nazarii, & impetravit, adduxitque ab Urbe cum honore, & (20) condidit Sanctum Gorgonium in Monasterio suo, quod ipse à novo ædificaverat, cui vocabulum est Gorzia; Sanctum Naborem in Monasterio alio, quod dicitur Nova cella; Sanctum verò Nazarium in Monasterio (21) nostro Laursham; ubi in præfatis locis in multis miraculis clarescunt.

XXVII.

(94) A. C. 749. apud Pith. & Freher.
(95) A. C. 750. apud Pith. & Freher. Omissum autem hic est nomen Pippini. Is enim Gryphoni illos dedit Comitatus.
(96) Apud Pith. legitur *Neustriæ*, apud Freherum autem *Niustriæ*.
(97) Apud Pith. & Freherum legitur *Vvaifarium*.
(98) Apud Pithœum & Freher. legitur *anno DCCLI.*
(99) A. C. 752. apud Pith. & Freher.
(100) A. C. 753. apud Pithœum & Freher.
(1) A. C. 753. apud Pith. & Freher.
(2) Sive Mauriana.
(3) A. C. 753. apud Pith. & Freher.
(4) A. C. 753. apud Pith. & Freher.
(5) A. C. 754. apud Pith. & Freher.
(6) Apud Pith. & Freher. legitur S. Bonifacium martyrio coronatum esse anno Episcopatus sui XXXVI. In vita autem ipsius S. Bonifacii à Laurentio Surio edita attribuuntur illi Episcopatus anni triginta sex, menses sex & dies sex. De hac igitur notabili differentia annorum Apostolatus, & Episcopatus S. Bonifacii vide Card. Baronii Annal. Eccles. Tomo IX. ad ann. 719. & 755. ubi Episcopatus ipsius, quo à Zacharia Papa accepit annos tantùm numerat decem.

(7) A. C. 754. apud Pith. & Freher.
(8) Hæc apud Pith. & Freher. desunt.
(9) A. C. 756. apud Pith. & Freher.
(10) A. C. 757. apud Pith. & Freher.
(11) A. C. 758. apud Pith. & Freher.
(12) A. C. 760. apud Pith. & Freher.
(13) A. C. 761. apud Pith. & Freher.
(14) A. C. 762. apud Pith. & Freher.
(15) Apud Pith. legitur *Canitelam*.
(16) Apud Pith. & Freher. rectiùs legitur *Bituricam*, hoc est *Berry*.
(17) A. C. 763. apud Pith. & Freher.
(18) A. C. 764. apud Pith. & Freher.
(19) A. C. 765. apud Freher. in Pithœana autem editione hæc omnia desunt.
(20) A. C. 766. apud Freherum.
(21) Hinc colligi posse videtur, Auctorem horum Annalium pertinuisse ad Monasterium Laureshamense, ideoque eosdem Annales jure & merito appellandos esse Annales Francorum Laureshamenses. In Freherianis autem Annalibus, quorum Auctor non pertinuit ad illud Monasterium, legitur iste locus hoc modo: *Sanctum verò Nazarium in Monasterio Laures-bam, quod est in Germania, condidit.*

XXVII. (22) Pippinus omnem Aquitaniam peragrando suæ ditioni subdit; nec tamen, ut voluit, Weiserium capit, sed ille semper vastationi & fugæ intentus; donec dolo VVaratonis peremtus, & fugæ & tyrannidi finem dedit. Pippinus ab Aquitania regrediens, ad Sanctum Dionysium VIII. Kal. Octobris diem obiit anno ætatis LIV.

I. Karlus cum Karlmanno fratre regnavit annos III.

II. (23) Karlus cum fratre Karlmanno Hunoldum in Aquitania rebellantem capiunt.

III. (24) Karlmannus Rex obiit villa Salmunciaco; sepelitur Remis.

IV. (25) Karlus in Saxonia castrum Æresburg expugnat, fanum & lucum eorum famosum Irminsul subvertit.

V. (26) Interea cùm exercitus siti fatigaretur præ siccitate, subitò in quodam torrente media die divinitus aquæ largissimæ effusæ sunt. Saxones ad Regem super (27) VVisaraha venientes, obsidibus datis pacem rogant.

VI. (28) Karlus, invitante Hadriano Pontifice Romano, Italiam ingreditur. Desiderius Rex obsistere nititur, clausis Alpium obseratis obviam pergit. Franci clausas reserant; Desiderius Papiæ includitur.

VII. (29) Karlus Papiam civitatem obsedit; nullum ingredi vel egredi permittit. Interim Karlus orationis causa ad limina Sancti Petri pergit. Adrianus Papa gaudens cum magna gloria Regem advenientem suscipit; diem Sanctum Paschæ solenniter celebrant, & cum lætitia Regem prosequitur. (30) Revertente Karlo Rege à Roma, Langobardi obsidione pertœsi, Civitate cum Desiderio Rege egrediuntur ad Regem. Rex verò alia die cum hymnis & laudibus ingrediens, thesauros Regis ibidem repertos dedit exercitui suo, & cunctum Italiæ Regnum adeptus, regreditur in Franciam, adducens secum Desiderium & conjugem ejus ac (31) filiam. Adalgisus filius ejus fuga lapsus per mare Constantinopolim venit.

VIII. (32) Karlus ab Italia regrediens dedicationem Ecclesiæ Sancti Nazarii, & translationem corporis ipsius in Monasterio Lauresham celebrat Anno Incarnationis Dominicæ DCCLXXIV. die Kalendarum Septembris (33) Carlus (34) Saxones vastatis Heresburg & Sigiburg castella capit, custodias ibidem dimissis revertitur in Franciam.

IX. (35) Karlus in Italia (36) Hruotgauzum tyrannidem molientem interimit.

X. (37) Saxones post multas cædes & varia bella adflicti, non valentes resistere, tamdem Christiani effecti, Francorum ditioni subduntur.

XI. (38) Karlus contra Saracenos Pampalonam Civitatem capit. Abitaurus Saracenorum Rex dedit obsides fratrem suum & filium, & reddidit Civitates, quas tenebat; inde proficiscitur ad (39) Cæsaris-Augustam, adducit secum (40) Ibimlarbi Regem Saracenorum. Wituchindus Saxo tyrannidi nititur.

XII. (41) Saxones rebellioni insistunt; strages & incendia in Franciam usque in Rhenum peragunt. Carlus ex itinere Hispanorum regrediens, exercitum obviam mittit, Saxones in fugam vertit.

XIII. (42) Karlus Saxones obprimit, & adversantes sibi Dèi auxilio superat.

XIV. (43) Karlus Romam denuo adiens, (44) Adrianus Papa Pippinum filium Regis baptizavit, & à Sacro Fonte suscepit, & Regem super Italia unxit; similiter & Hluduvvicum fratrem ejus super Aquitaniam; celebrantque Pascha Domini cum magna gloria.

XV. (45) Karlus Rex Tassilonem Ducem ad se accersit Wormaciam.

XVI. (46) Tassilo promittit fidem servare Regi cum jurejurando; quem dimittit Rex honorificè, & imperat sibi obsides mitti, quod ita & fecit.

XVII. (47) Widuchindus Saxo post multam tyrannidem peractam in semet revertitur, venit ad Regem; fidelis effectus baptizatur.

XVIII. (48) Per idem tempus multa signa apparuerunt, inter quæ signum Crucis in vestimentis hominum frequentissimè apparuit. Sanguis etiam è terra ac de cœlo perhibetur fluxisse.

XIX. (49) Karlus Romam adveniens, Haragisus Dux Beneventanus mittens filium suum (50) Rumaldum Regi, & munera, ut in terram suam ne intraret, & quicquid imperaret faceret: quod Apostolicus audiens non credidit, neque Franci, sed persuasit Regem proficisci in terram Beneventi. (51) Haragisus relinquens Capuam civitatem, in Salerno concluditur; mittit Regi munera, & Grimoltum filium suum, & XII. obsides; obtinuit, ut terra illa non vastaretur. Karlus Romam remeans, Tassilonis Legati postulant Adrianum,

(22) A. C. 768. apud Freherum; in Pithœana autem editione perperam hæc referuntur ad annum 765.
(23) A. C. 769. apud Pithœum & Freherum.
(24) A. C. 771. apud Pith. & Freher.
(25) A. C. 772. apud Pith. & Freher.
(26) A. C. 772. apud Pith. & Freher.
(27) Hoc est *Visurgim*, nunc *die Vveser*.
(28) A. C. 773. apud Pith. & Freher.
(29) A. C. 773. apud Pith. & Freher.
(30) A. C. 774. apud Pith. & Freher.
(31) Filiæ hujus nulla fit mentio apud Pithœum & Freherum.
(32) A. C. 774. apud Freherum; in Pith. autem editione hæc desunt.
(33) A. C. 775. apud Pith. & Freher.
(34) *Saxones vastatis* pro *Saxonibus vastatis*; quæ ratio loquendi aliàs sæpe occurrit in his Annalibus, uti paulò post *custodias dimissis* pro *custodiis dimissis*.
(35) A. C. 776. apud Pith. & Freher.
(36) Apud. Pith. & Freher. legitur *Ruodgaudum & Hruodgaudum*.
(37) A. C. 777. apud Pith. & Freher.
(38) A. C. 778. apud Pith. & Freher.
(39) *Cæsaraugusta*, sive *Cæsarea Augusta*, nunc *Saragoza*, Metropolis Aragoniæ.
(40) Apud Pith. & Freher. legitur *Ainalarabi*. Rectius *Ibinalarabi*.
(41) A. C. 778. apud Pith. & Freher.
(42) A. C. 779. apud Pith. & Freher.
(43) A. C. 780. apud Pith. & Freher. Notandus etiam hic est modus loquendi Latino-barbarus, qui in his Annalibus aliàs quoque occurrit. *Karlus Romam denuo adiens, Adrianus* &c. pro *Karlo Romam denuò adeunte, Adrianus* &c.
(44) A. C. 781. apud Pith. & Freher.
(45) A. C. 781. apud. Pith. & Freherum.
(46) A. C. 781. apud Pith. & Freher.
(47) A. C. 785. apud Pith. & Freher.
(48) Hæc apud Pith. & Freher. referuntur ad A. C. 781.
(49) 786. apud Pith. & Freher.
(50) Idem paulò post appellatur *Grimoltus*. apud Pith. & Freher. legitur *Grimaldus*.
(51) A. C. 787. apud Freherum. In Pithœana autem editione perperam hic confunduntur acta anni 786. & 787. Ibidem ut & apud Freherum pro *Haragisus* legitur *Aragisus*.

num, ut pacem inter illum & Regem faceret; quod Rex libenter annuit, si hoc faceret, quod Pippino Regi cum juramento patri suo promiserat, & denuo ipsi & filiis suis sub jurejurando firmaverat. Quod renuentes Legati Tassilonis, Adrianus Papa eum sub anathematis vinculo constringit, si aliter facere vellet. Tassilo promisit, & postea fefellit, & ad Regem venire contemnit.

XX. Karlus pergit Bajoariam, Tassilonem ex omni parte cum exercitu concludit; qui coactus venit ad Regem, renovat sacramenta, dedit obsides, & Theodonem filium suum, permittitur ei habere Ducatus: (52) qui postea convictus iterum de infidelitate, ejicitur de Principatu, & in Monasterio tonsoratur.

XXI. (53) Karlus Sclavorum gentem, qui dicuntur Wilzi, trans fluvium (54) Helbia, ditioni suæ subegit.

XXII. (55) Karlus Avarorum gentem subegit armis.

XXIII. (56) Saxones iterum ad Idolatriam revertuntur.

XXIV. (57) Hac tempestate filius Regis Pippinus ex concubina Himildruda cum aliquibus Comitibus Francorum consiliatur, ut Regem interficeret, & loco ejus regnaret. Quo comperto Rex Pippinum jussit tonsorari, & cæteros ejus consentaneos diversis mortibus interfici.

XXV. Karlus direxit filios suos Pippinum & Hluduvvicum in Beneventum cum exercitu, factaque est famis valida, ita ut nec in Quadragesima à carnium esu abstineretur. (58) Per idem tempus Synodus congregatur ad Francoofurt.

XXVI. (59) Karlus in Saxoniam pergens Saxones obtinuit, & tertium de eis hominem in Franciam educens conlocavit. His temporibus Alcuinus Rhetor Britannicus, Diaconus & Abbas Monasterii Sancti Martini sanctitate & doctrina clarus habetur. (60) Adrianus Papa obiit, cui succedit Leo (61) XCVIII.

XXVII. (62) Hunnorum Legati ad Regem veniunt, Thesauros adducunt; quos Rex Optimatibus suis distribuit, Legatos abire permittit.

XXVIII. (63) Pippinus Rex Italiæ Pannoniam pergit.

XXIX. Karlus in Saxoniam Francos conlocat, Saxones inde educens cum uxoribus & liberis, idest tertium hominem.

XXX. Karlus iterum in Saxoniam pergit.

XXXI. (64) Per idem tempus Romani Leonem Papam de Pontificatu ejiciunt, oculos eruere moliuntur, linguam abscindunt, in custodiam retrudunt, unde per Albinum Cubicularium noctu per murum in funde deponitur, ad Winigisum Ducem Spolitanum, qui circa Urbem cum exercitu consederat, pervênit, qui curam ei adhibuit, & in Saxoniam ad Regem dirigit; qui eum honorificè susceptum in Sedem Apostolicam restituit, & Romanos, qui hanc tyrannidem exercuerunt, in exilium mittit.

XXXII. (65) Karlus Romam pergit; Leo Papa ante diem Natalis Domini tertium de omnibus, quæ à Populo Romano ei objiciebantur, coram Rege & Populo Francorum dato sacramento purificatur, & (66) in die Natalis Domini ante Missarum solennia in Ecclesia Sancti Petri coram sacratissimum corpus ejus, Coronam Imperialem capiti Regis Leone Pontifice imponente, ab ipso Pontifice, & ab omni Populo Romano atque Francorum Augustus appellatur Anno Incarnationis Dominicæ DCCC.

XXXIII. (67) Legatio (68) Græcorum ad Augustum veniens pacem petit. (69) Hraban Diaconus factus.

XXXIV. (70) Amormulus Sarracenorum elefantum unum cum aliis muneribus pretiosis dirigit. Paulinus Patriarcha Forijuliensis obiit, & Ratgarius (71) Abbas factus.

XXXV. (72) Item legatio (73) Græcorum simul cum Legatis Imperatoris Karli, quos direxerat in Græciam, ad Villam Regiam, quæ dicitur Salz vênit. Imperator pergit in Bajoariam; ibi vênit legatio Avarorum, qui omnem terram Imperii sui sub ditione Imperatoris Karli subdunt.

XXXVI. (74) Karlus Imperator Saxones absque bello à propriis finibus expulsos in Franciam conlocat. Alcuinus XIV. Kal. Maji obiit, & (75) Ricboto eodem anno moritur.

XXXVII. (76) Leo Papa iterum in Franciam vênit.

XXXVIII. (77) Imperator Karlus inter filios suos idest Karlum, Pippinum, Hluduvvichum dividit.

XXXIX. Grimoaldus Dux Beneventanus moritur, & mortalitas maxima in Monasterio (78) Sancti Bonifacii, ita ut fratrum j niorum plurimi morerentur, & Eggi moritur, & Hutuman, & Meginrat Sanctorum aufugiunt pueri puerorum, & pessimè (79) custo consiliis pravis conviciis multis tunc lacerea erat.

XL. (80) Et Carlus filius Imperatoris Caroli perrexit cum exercitu Francorum in Winidos

---

(52) A. C. 788. apud Freherum. In Pithœana autem editione, refertur hoc perperam ad A. C. 787.
(53) A. C. 789. apud Pithœum & Freher.
(54) *Helbia* idem est atque *Albis* fluvius, qui vernaculo sermone nunc dicitur *die Elbe*.
(55) A. C. 791. apud Pith. & Freher.
(56) A. C. 793. apud Pith. & Freher.
(57) A. C. 792. apud Pith. & Freher.
(58) A. C. 794. apud Pith. & Freher.
(59) A. C. 794. apud Pith. & Freher.
(60) A. C. 796. apud Pith. & Freher.
(61) Quod Leo III. fuerit nonagesimus octavus Pontifex Romanus, testatur etiam Anastasius Bibliothecarius.
(62) A. C. 795. apud Pith. & Freher.
(63) A. C. 796. apud Pithœum & Freher.
(64) A. C. 799. apud Pith. & Freher.
(65) A. C. 802. apud Pith. & Freher.
(66) A. C. 801. apud Pith. & Freher.
(67) A. C. 802. apud Pith. & Freher.
(68) Irenes videlicet Imperatricis Constantinopolitanæ.
(69) Rabanus Maurus.
(70) A. C. 802. apud Pith. & Freher. Utrobique autem pro *Amormulus Sarracenorum* legitur *Aaron Rex Persarum*.
(71) Is est Ratgarius Abbas Fuldensis. Vide Annales Francorum à Pithœo & Frehero editos ad ann. 802.
(72) A. C. 803. apud Pith. & Freher.
(73) Nicephori videlicet Logothetæ; Imperatoris Constantinopolitani.
(74) A. C. 804. apud Pith. & Freher.
(75) Is est Richbodo, sive Richboto, qui ex Abbate Laureshamensi factus est Archiepiscopus Treverensis. Vide Chronicon Laureshamense à Frehero editum in actis Annorum Dominicæ Incarnationis 785. & 805.
(76) A. C. 804. apud Pith. & Freher.
(77) A. C. 806. apud Pith. & Freher.
(78) Hoc est Fuldensi.
(79) Locus corruptus, de cujus emendatione & vero sensu nondum mihi liquet.
(80) A. C. 806. & 808. apud Pith. & Freher.

nidos ultra flumen (81) Albia; ſed tamen eo tempore non proſperatus eſt tranſitus ejus ſed plurimi Francorum occiſi ſunt.

XLI. Imperator ad Aquis totum annum ſedit, & (82) Richolfus ad Monaſterium (83) noſtrum Fulda, ideſt, Sancti Bonifacii, miſſus eſt Abbatis & Fratrum cauſâ; & Eccleſia Sanctæ Mariæ in monte dedicata.

XLII. Mortalitas boum maxima penè in tota Europa, nec non & hominum plurimorum, & (84) Hruothruda filia Imperatoris & Pippinus filius ejus. Imperator vênit in Saxoniam. Eclypſis Solis II. Kal. Decembris.

XLIII. Hyems fuit duriſſima, perdurans uſque ad finem Martii menſis, & duo filii Imperatoris, ideſt, (85) Pippinus moritur, & (86) Karlus moritur.

XLIV. Facta eſt conturbatio non minima in Monaſterio Sancti Bonifacii, & fratres XII. ex ipſa familia perrexerunt ſimul cum Abbate Ratgario ad judicium Imperatoris Karli, nec tamen ita commotio illa quievit, ſed poſt Richolfus Archiepiſcopus Magontiacenſis, & Bernharius Epiſcopus civitatis Wangionum, & Hanto Epiſcopus Auguſtenſis, & VVolgarius Epiſcopus Eccleſiæ VVirzaburg, cum ceteris fidelibus, qui ſimul ad illud Palatium convenerunt, juſſu Imperatoris ſanaverunt commotionem illam in Monaſterio Sancti Bonifacii. Eo anno dedicata eſt Eccleſia Sancti Joannis Baptiſtæ in Auſtrali parte Monaſterii juxta flumen Giralahha.

XLV. Richulfus Archiepiſcopus Magontiacenſis Eccleſiæ defunctus eſt V. Idus Auguſti, & Placitum magnum in menſe Auguſto ad Aquis factum eſt, & Karlus Imperator conſtituit (87) Hlodoveum filium ſuum ſimul imperare cum eo, imponens diadema capiti ejus. Poſtmodum in Majo menſe habitum apud (88) Magontiam, in quo præſederunt Riculfus Archiepiſcopus, & Hiltibaldus Archiepiſcopus Colonienſis.

I. (89) Karlus Imperator moritur ad Aquis V. Kal. Februarii die Sabbati, Anno Dominicæ Incarnationis DCCCXIV. Indictione III. & regnavit Hlodoveus filius ejus pro eo. Eo anno placitum ſuum cum Francis Imperator Hludovvichus habuit Kalendis Auguſti menſis, & Legati Græcorum auxilium petebant ab eo contra Bulgares & cæteras Barbaras gentes. Eo tempore Hieroſolyma vaſtata eſt à Perſis, & perſecutionem magnam in Orientalibus partibus Chriſtiani habebant. (90) Hraban ordinatur ad Presbyterum X. Kal. Januarii ab (91) Heiſtolfo Archiepiſcopo Magontiacenſi.

II. Hludovvichus Imperator ſuum Placitum cum Francis in Saxonia ad Phaderobrunnen habuit, & illuc vênit filius ejus Hludharius Rex Bajororum, & alius filius, ideſt Pippinus Rex (92) Æquitaniorum, Bernhartus quoque filius Pippini Rex Langobardorum, & erat illud Placitum Kal. Julii menſis.

III. Anno III. Hluduvvichi factum eſt Concilium magnum in Aquiſgrani in menſe Auguſto, & præceptum eſt, ut Monachi omnes curſum Sancti Benedicti cantarent ordine regulari, & duo Codices ſcripti ſunt, unus de vita Clericorum, & alter de vita (93) Nonnarum. Eo anno Leo Papa obiit, & ordinatus eſt Stephanus pro eo in Epiſcopatum Romanæ Eccleſiæ; qui in menſe Octobre vênit ad Hluduvvichum Imperatorem civitate Remis, & reverſus eſt in pace. Piccopinus de amicis Regis, qui & filiam Imperatoris duxit uxorem, defunctus eſt.

IV. (94) Anno quarto conventum ſuum habuit Hluduvvichus Imperator cum Francis in Aquiſgrani menſe Junio, & in dicto ordinatus eſt filius ejus Hludharius in Imperatorem, ut conſors Regni fieret cum patre. Eo anno Stephanus Papa deceſſit, cui ſucceſſit (95) Paſcualis in Pontificatu. Bernhardus quoque Rex Italiæ ſeditionem levavit contra Imperatorem, & Hluduvvichus Auguſtus Italiam cum exercitu perrexit. Eodem anno Ratgarius Abbas (96) depoſitus eſt.

Huc uſque vetuſtiſſimi illi Annales Francorum Laureshamenſes, & Fuldenſes ab Anno Chriſti DCCXIV. uſque ad An. DCCCXVII. pertingentes, qui poſtea diverſis temporibus, & locis à diverſis aucti & continuati ſunt.

Idem Lambecius ibid. pag. 377. n. 28.

Decimus ſextus Codex ad vitam & res geſtas Imperatoris Caroli Magni pertinens, de quo aliàs prolixiùs acturus ſum, eſt membranaceus in quarto, & inter MStos Codices Hiſtoricos Latinos ducenteſimus ſexageſimus ſextus. Continet is incerti cujuſdam Autoris antiqui, qui tempore Imperatoris Caroli Magni vixit, Annales Francorum ab anno Chriſti DCCXCIV. uſque ad an. DCCCIII. Scriptus eſt hic Codex tempore ipſius Caroli Magni, uti manifeſtè apparet cum ex charactere, qui aliis ejuſdem ævi Codicibus MStis ad unguem congruit, tum ex notabili quodam antiquæ iſtius Theotiſcæ ſive Germanicæ linguæ, qua ipſe Carolus Magnus tamquam patria uſus eſt, fragmento, quod jam memoratis Annalibus immediatè ſubjungitur. Quandoquidem igitur Annales iſti nec nimiùm prolixi ſunt, nec ante hac, quod ſciam, ab aliis editi, bona fide integros eos hìc publico, quantum per defectum, qui eſt in principio, & per nonnulla præ vetuſtate vix ampliùs legibilia loca poteſt fieri.

cum

(81) *Albia* pro *Albis*. Supra legitur etiam *Helbia* ſive *Elbia*.

(82) Richolfus, ſive Richulfus, Archiepiſcopus Moguntinus. Eſt autem *Richolfus*, ſive *Richulfus* idem nomen atque *Hilphricus* ſive Hilphreich, vide ſupra.

(83) Hinc colligi poſſe videtur, Auctorem horum Annalium pertinuiſſe ad Monaſterium Fuldenſe. Sed eodem modo appellat idem Auctor ſupra etiam Monaſterium Laureshamenſe Monaſterium noſtrum.

(84) A. C. 810. apud Pith. & Freher.

(85) A. C. 810. apud Pith. & Freher.

(86) A. C. 811. apud Pith. & Freher.

(87) Ita ibi ſcriptum eſt. Qui quidem locus valde eſt notabilis, quoniam eo probari poteſt, unum atque idem eſſe nomen *Ludovici* & *Clodovæi*.

(88) A. C. 813. apud Pith. & Freher.

(89) A. C. 814. apud Pith. & Freher.

(90) Rabanus Maurus.

(91) Succeſſit is Richulfo.

(92) Æquitania pro Aquitania.

(93) *Nonna* pro Sanctimoniali, ſeu fœmina Deo conſecrata. Vide Voſs. Gloſſar. Latino-barbarum lib. 2. cap. 13.

(94) A. C. 817. apud Pith. & Freher.

(95) *Paſcualis* pro *Paſchalis*.

(96) Nempe Fuldenſis, apud Pith. & Freher. ea de re hæc leguntur: *Ratgarius Abbas Fuldenſis Cœnobii accuſatus à Fratribus, & convictus deponitur.*

(97) reliquo devoto populo. Quibus (98) resedentibus apud Christianissimum Principem Carolum, pervênit ad aures eorum Hæresis illa, quam Elipantus (99) Dolitanus Episcopus cum alio Episcopo Felice nomine, sed (100) infelix in dictis cum sociis eorum adserebant (1). Agebant namque, quòd Dominus noster Jesus Christus in quantum ex Patre ineffabiliter ante secula genitus, verè sit Filius Dei, & in quantum ex Maria semper Virgine carnem assumere dignatus est, non verus, sed adoptivus filius esset. Sed sancta & universalis Synodus hoc nefandum dictum non consensit, sed ita alloquitur, dicens: *Dei ergo Filius hominis factus est; Filius natus secundùm veritatem naturæ ex Deo Dei Filius, & secundùm veritatem naturæ ex homine hominis filius, ut veritas geniti non adoptione, non appellatione, sed in utraque nativitate Filii nomen nascendo haberet, & esset verus Deus, & verus hominis filius.* Et in ipsa Synodo advênit Tassilo, & pacificavit ibi cum (2) Domno Rege, abnegans omnem potestatem, quam in Bajoaria habuit, tradens eam Domno Regi, nec non & Festrada Regina ibi defuncta est. Et Rex inde revertens perrexit in Saxoniam, & Saxones venerunt ei obviam ad Eresburg, promittentes Christianam Fidem, & jurantes quod sæpe fecerunt; & tunc Rex credidit eis, & dedit eis Presbyteros, & resedit apud Aquisgranum.

XXVIII.

DCCXCV. Sed & etiam tunc apud (3) Aquis-Palatio Domnus Rex celebravit Pascha; & infidelitas, unde consueverat, à parte (4) Saxanorum exorta est; quia cùm Domnus Rex super alias gentes venire voluisset, nec ipsi ad eum pleniter venerunt, nec ei solatium, ut ipse jusserat, transmiserunt. Tunc iterum cognita infidelitate eorum, Rex cum exercitu suo super eos veniens, alii ei pacificè obviam venientes ex parte Saxanorum, & cum eo in solatio suo ipsum iter expleverunt; & ipse cum exercitu suo ad (5) Albiam pervênit, sed & alii circa paludes Albiæ, & in Wihmodingas ad eum pleniter non venerunt. Domnus Rex tamen resedens apud (6) Bardunvvih tantam multitudinem obsidum inde tulit, quantam numquam in diebus suis, aut in diebus patris sui, aut in diebus Regum Franchorum inde aliquando tulerint. Sed & tunc omnes ad eum venientes, excepto (7) his, quos jam supra commemoravimus, & hi, qui trans (8) Albe erant; ipsi ad eum pleniter adhuc non venerunt, eo quòd (9) Vassum Domni Regis (10) Wiziun Regem Abotridarum occiderunt; ideo non credebant, quòd in gratia ejus pervenire potuissent. Ceteri autem ad eum omnes pacificè venerunt, & jussionem suam promittentes implere; & ita Domnus Rex iterum credens eis, nullum voluntate interficiens; fidem suam servando. Tunc ad (11) Aquis-Palatio de terra (12) Avarorum Regulus quidam, nomine (13) Todanus, ad Domnum Regem veniens cum omnibus suis; quem Domnus Rex honorificè suscepit, & baptizari jussit, & eos, qui cum eo venerunt, & cum magno honore & donis eum remeare fecit ad propria. Et in eo anno à parte Avarorum venerunt thesauri magna multitudo; pro quibus Domnus Rex omnipotenti Regi gratias agens, distribuit ipsum thesaurum inter Ecclesias, Episcopos, seu Abbates, & Comites; nec non & universos fideles suos de eodem thesauro mirificè honoravit. Et in ipso die, id est VIII. Kal. Januarii sanctæ memoriæ Domnus Adrianus Summus Pontifex Romanus obiit, pro quo Domnus Rex, postquam à planctu cessavit, orationes per universum Christianum populum infra terminos suos fieri rogavit, & eleemosyna sua pro eo multipliciter transmisit, & (14) epitaphium aureis literis in marmore conscriptum jussit in Francia fieri, ut illud (15) partibus Romæ transmitteret ad sepulturam Summi Pontificis Adriani ornandam.

XXIX.

DCCXCVI. In ipsa æstate transmisit Rex Carolus Pippinum filium suum cum suis, quos in Italia secum habebat, & Bajoarios cum aliqua parte Alamanniæ, (16) in finibus Avarorum, & coadunatus est Pippinus cum omnibus, quos pater ejus ei transmisit in solatium, & transito (17) Danovio cum exercitu suo pervênit ad locum, ubi Reges Avarorum cum Principibus suis sedere consueti erant, quem & in nostra lingua (18) Hringe nominant, & inde tulit thesauros multiplices, & transmisit patri suo; & ipse postea cum exercitu suo & magnis thesauris Avarorum pervênit in Franciam. Et ipso anno ipse Rex Carolus demoratus est in Saxonia cum duobus filiis suis, idest Carolo, & (19) Clodoveo, & circuivit terram Saxanorum, ubi rebelles fuerunt, incendendo & vastando eam; & captivos inde ducebat viros, & mulieres, & parvulos, & prædæ innumerabilem multitudinem. Et tertium exercitum suum Carolus Rex in eadem æstate transmisit in fines Saracenorum cum Missis suis, qui & ipsi ibi fecerunt similiter; vastaverunt terram illam, & redierunt cum

(97) pertinent hæc ad annum DCCXCIV.
(98) Ita ibi scriptum est pro *residentibus*.
(99) Ita ibi scriptum est pro *Toletanus*.
(100) Ita ibi scriptum est pro *revera infelice*.
(1) Ita ibi scriptum est pro *ajebant*.
(2) Ita ibi scriptum est Domnus pro Dominus.
(3) Ita ibi scriptum est pro *Aquisgrani Palatio*.
(4) Ita ibi scriptum est pro *Saxonum*.
(5) *Ad Albiam* pro *ad Albim*.
(6) *Bardunvvih* pro *Bardunvvich*; uti aliàs sæpè solum H usurpatur pro CH.
(7) *Excepto his* pro *exceptis his*.
(8) *Albe* pro *Albim*.
(9) *Vassus* pro *Vassallo*, sive cliente certa fide obstricto. Vide Voss. Glossar. Latino-barb. lib. 3. cap. 54.
(10) Apud Pith. & Freher. vocatur *Vvilzan*.
(11) *Ad Aquispalatio*, pro *ad Aquisgrani palatium*.
(12) *Avarorum*, pro *Avarum*, sive *Abarum*. Vide Ortelii Thesaur. Geograph. v. *Abares*.
(13) Apud Pith. & Freher. legitur *Tudum*, & qui hoc loco Avari sive Avares vocantur, illi appellantur ibi Hunni.
(14) Editum est integrum hoc epitaphium.
(15) *Partibus Romæ* pro *Romam*.
(16) *In finibus* pro *ad fines*.
(17) *Danovio* pro *Danubio*.
(18) *Hringe* sive *Ring* vocabulum est merè Germanicum, & significat hic locum rotundum, sive orbiculatum, in meditullio castrorum, vel munimenti, vel consessus alicubi situm, quem honoris & securitatis causa Rex cum optimatibus suis obtinet.
(19) *Clodoveus* idem hic est nomen atque *Ludovicus*. Vide etiam supra.

cum pace ad Regem Carolum ad Aquis-Palatium.

XXX.

DCCXCVII. Iterum (20) eodem anno introivit Rex Carolus in (21) Saxonia, & pervênit ad pagum, qui dicitur Wihmuoti, ubi firmitas eorum facta fuit, & ipsa firmitate interrupta, introivit Rex cum exercitu suo in pagum illum, vastavit, & incendit pagum illum. Et tunc denuo venerunt ad eum omnes (22) Saxoni de universis finibus & angulis, ubi habitabant, & tulit inde aut obsides, aut de ipsis, quantum ipse voluit; & de Fresionibus similiter; & Rex Carolus rediit in Franciam, & post aliquantas hebdomadas iterum intravit in Saxonia, & ibi habitavit ipsam hyemem, & fecit Sedem suam juxta locum, ubi Timella fluit in (23) VVisaraha, quem etiam (24) Heristelli appellavit, eo quòd sub exercitu suo fuerunt constructæ ipsæ mansiones, ubi habitabant.

XXXI.

IPso anno fuit Rex Carolus in Saxonia, & apud (25) Haristallio novo ipsam hyemem ibi resedit, & ibi celebravit Pascha; quem locum, ut nos audivimus, ipse Rex ita appellavit, quia ab (26) hoste ipso ipsæ mansiones, in quibus habitabant, constructæ sunt. Et in ipsa æstate pervênit cum exercitu suo ad Bardunvvih, & illi omnes se tradiderunt in manus ejus; & tulit inde illos (27) Capitanios, quos voluit, & de obsidibus quantum ei voluntas fuit. Et interim congregati sunt Sclavi (28) nostri, qui dicuntur (29) Abotridi, cum Missis Domni Regis ad illos Saxones, qui in Aquilonis parte abierant, & vastaverunt terram illam & incenderunt; & illi Saxones congregaverunt se in unum, & commissum est forte prœlium inter eos; & quamvis illi Abotridi (30) fanatici erant, tamen Fides Christianorum & Domni Regis adjuvit eos, & habuerunt victoriam super Saxones, & ceciderunt de ipsis Saxonibus ante eos in ipsa pugna duo millia DCCCCI., & in North-Thuringos ibi provenerunt ipsi Sclavi ad Domnum Regem, & honoravit eos Domnus Rex, ut digni erant, mirificè. Et inde Domnus Rex remeavit ad Franciam, & de ipsis Saxonibus tulit secum quos voluit, & quos voluit dimisit; & ipse pervênit ad (31) Aquis-Palatio, & ibi hiemavit.

XXXII.

DCCXCIX. Iterum Domnus Rex Karolus apud Aquis-Palatio celebravit Pasca. Et instigante Diabolo Romani comprehenderunt Domnum Apostolicum Leonem in ipsis letaniis, quod est VII. Kal. Maji, & absciderunt linguam ejus, & voluerunt eruere oculos ejus, & eum morti tradere. Sed juxta Dei dispensationem malum, quod inchoaverunt, non perfecerunt. Et Domnus Rex eodem anno introivit in Saxoniam, & resedit ad Padresbrunna, & ibi vênit ad eum Domnus Leo Apostolicus, quem antea volebant Romani interficere, & suscepit eum Domnus Rex honorificè, & multis donis & honoribus eum honoravit, & postea cum pace & honore magno eum remisit ad propriam sedem. Et Missi Domni Regis deducebant eum honorificè, & eos, qui in mortem ejus consiliati sunt, transmiserunt ad Domnum Regem, & (32) SUNT MODO, ut digni sunt, in exilio. Et Domnus Rex inde tulit multitudinem Saxanorum cum mulieribus & infantibus, & collocavit eos per diversas terras in finibus suis, & ipsam terram eorum divisit inter fideles suos, idest, Episcopos, Presbyteros, Comites, & alios Vassos suos, & ibi ad Padresbrunnam ædificavit Ecclesiam miræ magnitudinis, & fecit eam dedicare, & post hæc reversus est in pace ad Aquis palatium, & ibi resedit.

XXXIII.

DCCC. Ipsam hyemem resedit apud Aquis-Palatio, & circa Quadragesimæ tempus circuivit Villas suas, seu etiam corpora Sanctorum, usque dum post Pascha pervênit (33) Torones, ubi corpus Beati Martini requiescit; & fuerunt cum eo filii sui Carolus & Pippinus. Sed & (34) Clodovæus ibi advênit filius ejus; nec non (35) Liutgardis conjux Domini Regis ibi defuncta est, & facta ibi oratione solenniter, & cum pace reversus est ad propriam Sedem. Et in æstivo tempore congregavit Optimates & fideles suos ad Mogontiam Civitatem; & cùm cognovisset undique per omnes fines suos pacem, rememoravit de injuria, quam Romani Apostolico Leoni fecerunt, & direxit faciem suam, ut iret partibus Romæ, & ita fecit. Et ibi fecit conventum maximum Episcoporum, seu Abbatum cum Presbyteris, Diaconibus, & Comitibus, seu reliquo Christiano populo; & ibi venerunt in præsentia, qui ipsum Apostolicum condemnare voluerunt, & cùm cognovisset Rex, quia non propter aliam justitiam, sed per invidiam eum condemnare volebant, tunc visum est & ipsi piissimo Pincipi Carolo, & universis Episcopis, & Sanctis Patribus, qui ibi adfuerunt, ut si ejus voluntas fuisset, & ipse petisset, non tamen per eorum judicium, sed spontanea volun-

(20) *Eodem* pro *eo*.
(21) *In Saxonia* pro *in Saxoniam*; uti aliàs sæpè.
(22) *Saxoni* pro *Saxones*.
(23) *Vvisahara*, Visurgis.
(24) Vocabulum merè Germanicum, quod compositum est ab *Heer*, hoc est, *exercitus*, & *fiell*, hoc est *locus*.
(25) Ita hic scriptum est, at paulo ante legitur *Heristelli*.
(26) Ita hic scriptum est, at paulo ante legitur; ab ipso Caroli Magni exercitu mansiones illas fuisse constructas.
(27) Ita scriptum est.
(28) Locus notabilis. Opinor autem, Sclavos illos, qui ad Mare Balticum habitarunt, ab Auctore horum Annalium hic cognominari *nostros* ad differentiam Sclavorum, quorum sedes inter Dravum & Savum amnes etiam nunc Sclavonia appellatur.
(29) Abotridi illi sive Obotridi habitarunt in Ducatu Mechlenburgensi. Vide Helmoldi Presbyteri Bosoviensis, & Arnoldi Abbatis Lubecensis antiquum Chronicon Sclavorum, ut & Alberti Crantzii Saxoniam, Vvandaliam, & Metropolim.
(30) *Fanatici*, hoc est, *Gentiles*, sive Ethnici.
(31) Ita semper ibi scriptum legitur, nempe *ad* vel *apud Aquis palatio*, pro *Aquisgrani Palatium*.
(32) Locus notabilis; unde rectè colligitur, Auctorem horum Annalium eodem tempore, ubi illa contigerunt, vixisse.
(33) Cæsarodunum Turonum, nunc *Tours*.
(34) Ita ibi scriptum est pro *Hlodoveus*, sive *Lodoveus*, hoc est *Ludovvicus*.
(35) Notabilis locus. Vocatur enim ea aliàs *Hildegardis*. Vid. Pith. & Freher. Annal. in actis hujus anni.

luntate se purificare debuisset: & ita factum est. Et ipso sacramento expleto, incipiebant illi sancti Episcopi cum universo Clero, seu ipso Principe Carolo, cum devoto Christiano populo hymnum: *Te DEUM laudamus*, *Te Dominum confitemur*. Quo expleto & ipse Rex, & universus populus fidelis cum eo dabant *laudem DEO*, quia ipsum Apostolicum Leonem & sanum in corpore, & in animo custoditum meruerunt habere, & ipsam hyemem Romæ fecit.

XXXIV.

DCCCI. Et quia jam tunc cessabat à parte Græcorum nomen Imperatoris, & fœmineum Imperium apud se habebant, tunc visum est & (36) ipso Apostolico Leoni, & universis sanctis Patribus, qui in ipso Concilio aderant, (37) seu reliquo Christiano populo, ut ipsum Carolum Regem Francorum Imperatorem nominare debuissent, qui ipsam Romam tenebat, ubi semper Cæsares sedere soliti erant, seu reliquas sedes, quas ipse per Italiam seu Galliam, nec non & Germaniam tenebat, quia DEUS omnipotens has omnes Sedes in potestatem ejus concessit ideo justum eis esse videbatur, ut ipse cum DEI adjutorio, & universo Christiano populo petente, ipsum nomen haberet. Quorum petitionem ipse Rex Carolus denegare noluit, sed cum omni humilitate subjectus DEO, & petitioni Sacerdotum, & universi Christiani populi, in ipsa Nativitate Domini nostri JESU Christi ipsum nomen Imperatoris cum consecratione Domni Leonis Papæ suscepit. Et ibi primus omnium ipsum Sanctam Ecclesiam Romanam de ea discordia, quam inter se habuerunt, ad pacem & concordiam revocavit, & ibi celebravit Pascha. Et appropinquante æstivo tempore direxit iter suum partibus Ravennæ, justitias & pacem faciendo; & inde pervênit in (38) Francia ad sedem suam.

XXXV.

DCCCII. Eo anno (39) demoravit Domnus Cæsar Carolus apud Aquis palatium quietus cum Francis sine hoste; sed recordatus misericordiæ suæ de pauperibus, qui in Regno suo erant, & justitias suas pleniter habere non poterant, noluit deinfra palatio pauperiores Vassos suos transmittere ad justitias faciendum propter munera, sed elegit in Regno suo Archiepiscopos, & reliquos Episcopos, & Abbates cum Ducibus, & Comitibus, qui jam opus non habebant super innocentes munera accipere, & ipsos misit per universum Regnum suum, ut Ecclesiis, viduis, & orphanis, & pauperibus, & cuncto populo justitiam facerent. Et mense (40) Octimbrio congregavit universalem Synodum in jam nominato loco, & ibi fecit Episcopos cum Presbyteris, seu Diaconibus relegi universos Canones, quos sancta Synodus recepit, & Decreta Pontificum, & pleniter jussit extradi coram omnibus Episcopis, Presbyteris, & Diaconibus. Similiter in ipsa Synodo congregavit universos Abbates, & Monachos, qui ibi aderant, & ipsi inter se conventum faciebant, & legerunt Regulam sancti Patris Benedicti, & eam tradiderunt sapientes in conspectu Abbatum; & Monachorum: Et tunc jussio ejus generaliter super omnes Episcopos, Abbates, Presbyteros, Diacones, seu universo Clero facta est, ut unusquisque in loco juxta constitutionem Sanctorum Patrum, sive in Episcopatibus, seu in Monasteriis, aut per universas sanctas Ecclesias, ut Canones viverent, & quicquid in Clero, aut in populo de culpis aut de negligentiis apparuerit, juxta Canonum auctoritatem emendassent; & quicquid in Monasteriis seu Monachis contra Regulam Sancti Benedicti factum fuisset, hoc ipsum juxta ipsam Regulam Sancti Benedicti emendare fecissent. Sed & ipse Imperator, interim quod ipsa Synodus facta est, congregavit Duces, Comites, & (41) reliquo Christiano populo cum legislatoribus, & fecit omnes leges in Regno suo legi, & tradi unicuique hominum legem suam, & emendare ubicumque necesse fuit, & emendatam legem scribere, & ut Judices per scriptum (42) judicassent, & munera non accepissent; sed omnes homines, pauperes & divites in Regno suo justitiam habuissent. Et eo anno pervênit elefans (43) in Francia.

XXXVI.

DCCCIII. Ipso anno Imperator Carolus celebravit apud Aquis Palatium Pascha, & Conventum habuit ad Moguntiam, & ipse sinè hoste (44) fecit eodem anno, excepto quod (*) scaras suas trasmisit in circuitu, ubi necesse fuit.

Hucusque vetustissimi illi Annales Francorum, ipsius Imperatoris Caroli Magni ævo non solum compositi, verum eodem etiam tempore propria Auctoris eorum manu exarati: quorum multiplices ac nimium manifestos barbarismos & solœcismos nemo, nisi genii & morum illius ævi omnino imperitus, admirabitur, multoque minus in malam partem accipiet. Uti enim in Prolegomenis ad Vitam Sancti Anscharii à Sancto Remberto conscriptam, & libro primo Historiæ Hamburgensis à me subjunctam, jam pridem monui, ita etiam nunc moneo, antiqua hujusmodi monumenta non ideo studiosè investigari, & in lucem protrahi, quòd Latino-barbarum illud & solœcum scribendi genus per se dignum sit, ut conservetur, verum quia sub sordido & aspernabili verborum tegumento sæpe pretiosa multarum rerum notabilium notitia latitat.

(36) Ita ibi scriptum est, nempe *ipso* pro *ipsi*.
(37) *Seu* pro *&*; uti hic aliàs passim.
(38) *In Francia* pro *in Franciam*.
(39) Ita ibi scriptum legitur pro *commoratus est*.
(40) Ita ibi scriptum est pro *Octobri*.
(41) *reliquo Christiano populo*, pro *reliquum Christianum populum*.
(42) *judicassent*, *accepissent*, & *habuissent*, pro *judicarent*, *acciperent*, & *haberent*.
(43) *Elefans*, pro *Elephas*.
(44) *fecit*, pro *fuit*.
(*) *Scara* vox merè Germanica est, quæ interdum significat quamcunque hominum turbam, hic autem cohortem militarem.

Gen-

Gentilot. Catalog. Hist. Prof. n. CXV. olim 265.

MEmbraneus foliorum 8. *est Codex ille antiquissimus literis Gothicis, sive Toletanis ab Ulphila Gothorum Episcopo inventis scriptus, ut putat Lambecius, qui de eo agit, & Annales Francorum ab anno Incarnationis Domini* 714. *usque ad annum Ludovici Pii IV. seu annum Christi* 817. *in eo comprehensos, integros edidit Comment. lib.* 2. *à pag.* 364. *usque ad pag.* 373. *At enim vero eos Annales, paucissimis verbis exceptis, diu ante Lambecium ex Codice Bibliothecæ Regis Christianissimi vulgaverat Quercetanus Scriptor. Histor. Franc. Tom.* 3. *à pag.* 504. *usque* 509. *Sunt pars prior Chronici, quod ipse Hildensheimense inscripsit. Ego, ut eruditi de scriptura judicium ferre possint, illius specimen in æs incidi curavi, & adposui.*

Apud eumdem Gentilott. Hist. Prof. num. DCXLVI. olim 266.

MEmbraneus foliorum num. 8. *initio & fine mutilus, seculi IX. ut apparet; in quo hæc continentur.*

I. Fragmentum Annalium Francicorum ab anno 794. *usque ad annum* 803. *Auctore non designato. Ejus quod superest, initium hoc est:* cum reliquo devoto populo. Quibus resedentibus (*sic*) apud Christipianissimum Principem Carolum pervenit ad aures eorum hæresis illa *&c. Finis:* & ipse (*Karolus*) sinè hoste fecit eodem anno, excepto quod scaras suas transmisit in circuitu, ubi necesse fuit. *Integrum istud fragmentum vulgavit Lambecius Lib.* 2. *Comment. à pag.* 377. *usque* 383. *Unde vero is compererit, scriptum fuisse propria, ut ipse loquitur, Auctoris manu, juxta cum ignarissimis scio.*

II. Fol. 5. *Dialogus Christi &c.*

Ex ejusdem Gentilotti Catalogo num. DCLIV. olim 323.

III. A fol. 55. *Annales Francorum à morte Caroli Martelli, idest ab anno* 741. *usque ad annum* 828. *qui Annales, modico intervallo relicto Eginharto, sinè ulla inscriptione, eademque manu, connectuntur. Manu non admodum vetusta prætexta est iis Annalibus hæc nota:* Hucusque Eginhartus est editus; quæ sequuntur, à me reperta sunt. *Quam notam fortè adscripsit Justus Reuberus, qui ignorans, eos Annales ab Hermanno Comite à Nuenare jam publici juris factos, eosdem intexuit Syntagmati Scriptorum rerum Germanicarum, quod vulgavit anno* 1584. *fol. Eorum porro Annalium initium sic se habet:* Hoc anno Carolus Major-domus diem obiit, tres filios heredes relinquens *&c. Finis:* ubi & missam *&c.*

Ex eodem Gentilotti Catalogo num. DCCCCLXXXX. olim 147.

MEmbraneus constans foliis 97. *sub finem Seculi* 13. *aut initium* 14. *scriptus, in quo continentur Caroli Magni Vita, aliique Annales Francorum hac serie.*

I. Caroli Magni Vita per Eginhartum &c.

II. A fol. 15. *Annales Francorum ab anno* 741. *usque ad* 829. *quos Hermannus à Nuenare Sacri Imperii Germanici Comes de Auctoris nomine dubius princeps edidit. Marquardus Freherus Adelmo, vel secundùm alios Ademaro Monacho Benedictino, Justus Reuberus Astronomo cuidam Ludovici Regis domestico, Duchesnius Eginharto adscriptos recudi fecerunt. Duchesnii conjecturas confirmat hic Codex. Vid. ejus Præfationem Tom. II. Script. Hist. Franc. pag.* 232. *Inscriptio horum Annalium miniata sic se habet:* Incipit Liber de gestis rebus à Karolo Magno (*) *Initium:* Hoc anno Karolus Major Domus diem obiit, tres filios heredes relinquens Carolomannum scilicet, Pippinum, atque Griffonem *&c. Finis:* Ibi & Missam Sancti Martini *&c.* celebravit. *Atque ad hunc modum desinunt editiones Nuenarii, Freheri, & Duchesnii. Reuberus laciniam adtextam habet è Vita Ludovici Pii desumtam.*

Ex eodem Gentilot. Catalogo num. DCCCCLXXXIII. olim 163.

MEmbraneus foliorum 80. *septingentos ab hinc annos scriptus, & optimæ notæ. Continentur eo Annales Francorum, qui Fuldenses appellantur. Ab anno C.* 714. *usque ad annum* 887. *inclusive. Primus hos Annales edidit Petrus Pithœus usque ad annum* 893. *quam editionem pluribus in locis suppletam, emendatam, & usque ad annum* 900. *perductam renovarunt Marquardus Freherus Tom. I. Scriptorum rerum Germanicarum, & Andreas Duchesne Tom. II. Scriptorum Hist. Francorum, à pag.* 531. *In Codice nostro sinè ulla inscriptione sic incipiunt:* Pippinus filius Ansgisi Dux Francorum post mortem VVolfaldi Ducis partem Austriæ regebat *&c. Desinunt:* unde mente consternati, pariterque confusi discesserunt.

Sebastianus Tengnagelius diligens plane Cæsareæ Bibliothecæ olim curator contulit hunc Codicem cum Pithœana editione, & ad oram MS. adnotavit locos tum discrepantes, tum in vulgato exemplo non inventos. Eos locos Tengnagelii judicia secutus Lambecius Tom. II. pag. 345. *ubi hunc Codicem recensuit, omnes protulit. At si posteriores editiones Freheri, & Chesnii, quas ignorare is non potuit aut saltem non debuit, cum MS. contulisset, tunc utique eo labore supersedere potuisset; cum omnia illa supplementa vel in utraque, vel in alterutra editione habeantur, ut cuivis, qui comparationem instituet, perspicuum fiet. Excipias tamen velim in actis anni* 781. *verba illa:* San-

(*) Malè à Lambecio sic ponitur; *Incipit Liber secundus de rebus à Karolo Magno gestis.*

Sanguis etiam è terra ac de cœlo perhibetur fluxisse, *quæ in neutra editione comparent. Et in actis anni* 883. *verba*: in terminis, *quæ absunt ab utroque exemplo excuso sinè ullo, ut mihi videtur, incommodo. Adde in actis anni* 717. *editiones exhibere*: ad prædicandum verbum divertit: *ad prædicandum verbum Dei venit. Item in actis anni* 785. *verba illa*: quæ vocatur Hartrati *omissa à Duchesnio, à Frehero poni. In actis anni* 805. *editiones habent* Sabariam *rectiùs, quàm MS. in quo legitur* Sarabiam, *atque ut interpretatur Lambecius* Sagabriam, *ut consideranti patebit. Emendationem à Lambecio allatam in actis anni* 815. *esse à secunda eaque recenti manu. Verba illa* Guntharius Coloniæ Civitatis Episcopus pœnitentia ductus *&c. quæ ad annum* 873. *retrahi jubet Lambecius, in MS. omnino non exstare, in quo post hanc pericopen*: Scripturam autem utriusque partis quisquis curiosus scire desiderat, in nonnullis Germaniæ locis poterit invenire. *Mox sequitur annus* 874. *ad hunc modum incipiens*: Hludovicus Rex mense Augusto ultra Danubium *&c. Ac tamdem in actis anni* 875. *scias τὸ* moritur *à secunda manu ad oram Codicis adjectum esse, pro quo ambæ editiones habent* obiit. *Quod attinet ad supplementum annorum sex ex hoc Codice à Lambecio vulgatum; exstant quidem eorum ac etiam plurium annorum gesta in Frehero, Chesnio; sed dissimili oratione ac stylo scripta sunt.*

Quæ sequuntur, nunc primùm addita sunt ex Codice MSto Cæsareæ Bibliothecæ.

Ex ejusdem Gentilotti Catalogo, ubi describitur Codex MStus Augustæ Bibliothecæ inter Historicos profanos juxta Gentilotti recensionem num. 600. *olim* 317.

M*Embraneus foliorum* 19. *sæculi undecimi, ut videtur, ac probæ notæ, in quo insunt Annales Francorum, qui* Fuldenses *appellantur à Cœnobio Benedictino, in quo scripti fuisse creduntur ab Anno Incarnationis Domini DCCXIV. usque ad annum DCCCCI. Sinè ulla inscriptione incipiunt* Pipinus filius Anchisi (*filii Domini Arnolfi Mettensis civitatis Episcopi gloriosi*) post mortem Volfaldi Ducis partem Austriæ regebat, obtinuitque Regnum Francorum per annos XXVII. cum Regibus Hludavvico, Hildeberto, & Dagoberto. Moritur Anno secundo Anastasii Imperatoris, ab Incarnatione Domini Annis DCCXIV. &c. *Finem infra dabo. Hos Annales princeps edidit Petrus Pithœus, sed non ultra annum DCCCCLXXXXII. Annorum XVII. auctarium adjecit Marquardus Freherus, & utraque ista editione inter se comparata eosdem corpori Scriptorum Historiæ Francicæ inseruit Andreas Quercetanus tom. III. a pag.* 531. *Quoniam verò Codex Marci Velseri, ex quo accessionem illam depromsit Velserus, folio uno imminutus erat, eamque ob causam tam in Freherianis, quàm Duchesniano exemplis in Anno DCCCXCIII. ingens est lacuna, idcirco eam beneficio integri ejusdem præstantissimi hujus Cæsarei Codicis explebimus. Itaque post verba* exercitum per circuitum distribuit, *ubi desinunt gesta anni DCCCXCIII. in excusis, in MS. sequuntur hæc*: Ipse super verticem montis ad auxiliandum aggredientibus murum cum signis constabat. Mirabilis vigor utrisque animi datur & expugnandis & expugnatoribus; utrique in acie ut murus inter eos constanter applicati sunt. In primo enim impetu pugnæ talis sonitus ferientium per scuta lapidum datur sentiri, ut hominibus castra Regis servantibus, quæ ultra unum milliarium posita erant, tonitrum simulabatur audire, maximis cum laboribus Palatinis militibus coram Rege certantibus. Tamdem ad murum usque perventum est. Scuta super se in modum tecti conducta sustollunt, murum antiquitus fundatum perfodere temptant, ut desuper miseri urbani lapidibus dolia plena incassum submittentes, lanceis perjactatis ad ultimum propugnacula murorum conantes super eos proicere omni nisu, impulsu pectorum instantes, Dei nutu murum usque ad fundamentum prolabi fecerunt. Fit à populo clamor forinsecus perturbato cum fuga intrinsecus, ex omni parte exercitus Urbem invadendo, ut turbo dispoliat. Ambrosius Comes auctor contentionis contra Regem quamdam turrim, fugâ præsidium quærens, ascendit, sed non utile. Nam præ furore judicio exercitus captus, & mox patibulo suspensus est. Uxor verò ejus & filii cum magno thesauro Regi præsentati sunt. Episcopus etiam ejusdem Civitatis nomine Adalbertus ibi comprehensus est, & Haddoni Episcopo servandus conceditur. Hinc tantus terror totam Italiam invasit, ut maximæ Urbes, Mediolanum scilicet, & Papia, sponte ad Regem venientes se subdidissent. Primores itaque Marchenses, qui fuerunt Italici Regni, Adalbertus videlicet, fraterque ejus Bonifacius, Hildibrandus quoque, & Gerhardus, Regi se præsentavere. Sed præsumptuosè se inbeneficari ultra modum jactantes, omnes capti sunt, & in manus Principum dimissi ad custodiendum. Sed non diu Rex hoc sustinuit. Nam misericordia motus permisit eis absolutionem, juramento ei fidelitatem promittere eis disposuit. Quorum duo Adalbertus, & Bonifacius, fidem mentientes, fugâ à Rege defecerunt. Rex propter nimiam longitudinem itineris languescente exercitu usque Placentiam veniens, reversus est Pascha prope Castello Eboregia, quod tunc & firmissimas clausa (*clausas scribendum puto*) obseratas, desuper posito lapideo Castello. Comes VVidonis nominè Ansger cum satellitibus Rudulfi Regis de Burgundia ad hoc transmissis, ne via ibi redeunti Regi daretur, obsessum defendebat. Rex namque per occupatam viam sinè periculo suorum non posse expugnari sentiens, per viatores cum duro labore exercitus Alpes ascendens, propter magnitudinem exercitus per prærupta saxi devians, cum magno periculo suorum mirum in modum cum equis per præcipitium rupis, quasi per murum à summo deor-

deorsum transilientes passim per scopulos, datis quibusdam gradibus, quasi locus respirandi, in angustam Vallem tertio demum die prolapsi convenerunt. Rex ante se directo exercitu Rodulfum Regem fugere compulit. Ipse per superiorem Burgundiam in Alamannia Curtem Chirchheim Regina sibi occurrente se recepit. Vormacia habitum est generale conventum. Ibi inter alia Karolus puer indole juventutis Hludovvici Karoli de Occidentali Francia Regis filii filius, nepos Regis ad eum veniens, quem Rex cum dilectione suscepit & absolvit. Alamanni cum manu valida super Rodulfum Regem cum Zuentabaldo filio Regis de concubina transmittuntur. Ille se defendens objectione alpium, Alamanni devastata magna illius regionis parte revertuntur in sua. Wido Italici Regni tyrannus morbo correptus obiit. Cujus filius Lantbertus eodem modo Regnum invadendo affectatus est. Zuentibaldus Dux Maravorum, & vagina totius perfidiæ, cùm omnes regiones sibi affines dolo & astutia perturbando humanum sanguinem sitiens circumiret, ultimum hortando suos, ne pacis amatores, sed potiùs inimici domesticis persisterent, diem ultimum clausit infeliciter. Avari, qui dicuntur Ungari, in his temporibus ultra Danubium peragrantes, multa miserabilia perpetravere. Nam homines & vetulas matronas penitus occidendo, juvenculas tantùm, ut jumenta pro libidine exercenda secum trahentes, totam Pannoniam usque ad internecionem deleverunt. Pax tempore autumni inter Bajoarios & Maravos compacta est. Missus Leonis Imperatoris Græcorum ad Regem Urbe Radisbona Anastasius cum muneribus vênit, quem Rex audivit, & eodem die absolvit.

DCCCXCV.

Fames valida per universam Bajoariorum provinciam excrevit, ita ut per plurima loca inedia morte consumerentur. Engildico Marchensis Bajoariorum honoribus privatus est, in cujus locum Luitpoldus nepos Regis subrogatus est. Hildigardis filia Hludovvici Francorum Regis contra fidelitatem Regis agere accusata, inde publicis honoribus deposita, in Bajoaria quadam Insula palude Chiemicse nominata inclusa est. Convenientibus itaque de toto Hlutharico Regno, Saxonia, Bajoaria, & Alamannia, & Francia XX. & VII. (*) Episcopis Curte Triburia magnus Synodus habebatur, præsidentibus scilicet Metropolitanis Addone Magontinæ Urbis Archiepiscopo, Herimanno Coloniæ Agrippinæ Urbis Archiepiscopo, Ratbodo Treverensi Archiepiscopo, multa quidem pro utilitate Christianæ Religionis tractantes, eademque statuta memoria retinendum successoribus suis propriis capitulis scripta commendaverunt. Regale equidem placitum Vormacia habitum est. Ibi Edo Rex Galliæ ad fidelitatem Regis cum muneribus veniens, ab eo honorificè susceptus, & post paucos dies in sua, prout venerat, placabili licentia reversus est. Zuentibaldus ergo filius Regis infulam Regni à patre suscipiens, in Burgundia & omni Hlutharico Regno, receptis ejusdem Regni Primoribus, Rex creatus est. Per idem tempus magni terræmotus in plurimis locis Occidentalium Francorum visi sunt. Legatos Obodritorum Curte Regia Salz munera secum deferentes, ad Regem pacifica optantes pervenerunt. Quos Rex ut audivit, sine mora postulata annuens, & abire permisit. Avari terminos Bulgarorum invadentes, ab ipsis præventi sunt, & magna pars eorum exercitus interfecta est. Mediante mense Julio habitum est Urbe Radisbona generale conventum. Ibi de Sclavonia omnes Duces Boemaniorum, quos Zuentibaldus Dux à consortio & potestate Bajoaricæ gentis per vim dudum divellendo detraxerat, quorum Primores erant Spitignevvo, Viutilza, ad Regem venientes, & honorificè ab eo receptis per manus, prout mos est, Regiæ potestati reconciliatos se subdiderunt. Iterum Rex à Formoso Apostolico &c. *Quæ dehinc sequuntur, jam sunt edita. Malè tamen in exemplis vulgatis narrationi Anni insequentis, quæ incipit*: Igitur propter nimiam intempestatem (*MS.* tempestatem) *præfigitur nota Anni DCCCXCV. loco DCCCXCVI. quæ signata est in hoc Codice: id quod jam observavit Pagius Critic. in Annal. Baron. ad An.* 894. *n.* 1.

(*) In subscriptionibus Actorum XXII. tantùm nomina consignata sunt.

F I N I S.

SUPPLEMENTUM,

SIVE

FRAGMENTUM
CONCILII ROMANI

HABITI ANNO CHRISTI DCCCLXIII.

Nunc primùm luci redditur

EX MANUSCRIPTO CODICE

BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ.

IN FRAGMENTUM CONCILII ROMANI

MONITUM

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

SEdente in Apostolica Cathedra Nicolao I. habita est Romae complurium Episcoporum Synodus, quam Labbeus intulit in Tomum VIII. Conciliorum pag. 767. ac subinde in suam eorumdem Conciliorum editionem Cl. P. Harduinus: uterque vero eamdem spectare ad Annum 863. nos monuit. Praeposita est hujus Concilii Actis Epistola ipsius Nicolai I. tum subsequuntur *Capitula V.* quorum etiam est mentio apud Gratianum in Decreto. Quinque tantummodo dixi hactenus edita; sed alia ibi sancita fuisse, quum inter Ambrosianae Mediol. Bibliothecae MStos Codices olim versarer, deprehendi in Cod. D. 76. eaque in mea adversaria retuli, aliquando editurus. Nunc ergo eadem paucis aliquot notis aucta Lector quoque accipiat, ad Seculi IX. Historiam Ecclesiasticam aliquid lucis allatura. Ad *Johannem Archiep. Ravennatem* quod attinet, in hoc Romano Concilio anathemate perculsum, legendus est Anastasius Bibliothecarius in Vita Nicolai I. Tom. III. Rer. Italicar. cujus etiam verbis Baronius ad Annum 861. rem quomodo peracta fuerit describit. In haec autem verba loquitur Anastasius: *Eodem tempore Papa praedictus ter ad Synodum suis literis eum* (idest Johannem Ravennatem) *vocavit; & ille venire contemnens, a Sancta Synodo communione privatus est.* Tum dicere pergit, ipsum Ravennatem ad patrocinium Ludovici II. Augusti Ticinensi in Urbe morantis confugisse, atque cum Augusti Legatis Romam accessisse. Pontifice in suis decretis constante, is abiit; at non modico tempore interposito agnoscens, nihil aliud quàm animum humilem & obsequentem posse delinire strenuum Disciplinae assertorem Nicolaum, victas manus dedit, atque in altero Concilio Romano sub certis conditionibus & pactis communioni fidelium restitutus est. Haec fuse narrata ab Anastasio. Nunc vero animadvertendum est, primum Concilium Romanum, ubi de pravis actibus Johannis Ravennatis actum fuit, primùm fuisse editum a Claris. Bacchinio ex insigni Tabulario Cathedralis Mutinensis in Appendice ad Agnellum: idemque habes rursus evulgatum Tom. II. Collectionis hujus. Habita vero dicitur illa Synodus. *Pontificatus Domni Nicolai Summi Pontificis & universalis Papae Anno IV. Imperii piissimi Augusti Ludovici Anno XI. die octavo decimo, mense Novembris, Indictione X.* hoc est Anno 861. Sed quum Johannes in sua pervicacia persisteret, in altero subsequente Concilio itidem Romano adversùs illum anathema est pronuntiatum. Spectat autem Synodus ista ad Annum 863. atque ad illam referenda sunt Acta, quae nunc publici juris facio. Tertium Concilium pariter Romanum, in quo reddita est eidem Johanni gratia Apostolicae Sedis, viderint alii, quo Anno sit statuendum.

SUPPLEMENTUM CONCILII ROMANI Habiti Anno Christi 863.

CAP. VI.

De Johanne Archiepiscopo Ravennate.

JOhannem Archiepiscopum Ravennatem, quem pro quibusdam necessitatibus Ecclesiasticis, & diversis præsumtionibus ad Synodum convocavimus; & quia à Nandeciso (1) Polensi Episcopo, nostro Præsulatui contra eum libello porrecto, pessimo hæreseos errore irretitus dicitur, & viva voce profertur, venire distulit atque contemsit, & pro illato crimine purificare se noluit: secundùm sanctionem XIX. Capituli Chartaginensis Concilii, Sacrarum Missarum sollemniis, Corpore etiam & Sanguine Domini nostri Jesu Christi separamus, atque in præsenti Synodo excommunicamus, usque dum in nostra præsentia veniens hìc Romæ purificationis ipsius videamus integritatem. Si qui verò illi communicare præsumserint, pari subjaceant excommunicatione constricti.

CAP. VII.

Quia Dominus Jesus Christus carne tantummodo passus est.

VEraciter quidem credendum est, & omnimodis profitendum, quia Dominus Noster Jesus Christus Deus & Dei Filius passionem Crucis tantummodo secundùm carnem sustinuit, Deitate autem impassibilis mansit, ut Apostolica docet auctoritas, & Sanctorum Patrum luculentissimè doctrina ostendit.

CAP. VIII.

De his, qui Divinitatem passibilem dicunt.

HI autem, qui ajunt, quia Redemtor noster Jesus Christus & Dei Filius passionem Crucis secundùm Deitatem sustinuit, quoniam impium est, & Catholicis mentibus execrabile, anathema sint.

CAP. IX.

De his, qui dicunt, quia in Baptismate originale piaculum non omnibus dimittatur.

OMnibus enim, qui dicunt, quòd hi, qui sacrosancti fonte Baptismatis, credentes in Patrem, & Filium, Sanctumque Spiritum, renascuntur, non æqualiter originali abluantur delicto, anathema sit.

CAP. X.

Statuta Concilii Beatissimi Leonis IV. Papæ inviolata permaneant.

OMnis enim, qui à præsenti statuto Concilio sacra statuta venerandi Concilii Beatissimi Leonis (2) prædecessoris nostri IV. Præsulis violare tentaverit, ut post discessum beatæ memoriæ Sanctissimi Benedicti Pontificis antecessoris nostri actum recolimus, anathematis vinculo innodamus.

CAP. XI.

Ut electionem Romani Pontificis nullus contradicere præsumat.

SI quis Sacerdotibus (3), seu Primatibus, Nobilibus, seu cuncto Clero hujus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ electionem Romani Pontificis contradicere præsumserit, sicut in Concilio Beatissimi Stephani (4) Papæ statutum est, anathema sit.

CAP. XII.

De his, qui Episcopum percutere præsumserint.

DE his autem, qui Episcopum percutere, verberare, aut cædere præsumserint, ut anathematis subjaceant periculo, sancimus, & inviolabili promulgatione statuimus.

---

(1) Ignotus fuit Episcopus iste Ughellio, ac proinde in Italia sacra adjungendus Catalogo Polensium Episcoporum.

(2) Cujus Concilium ab Holstenio editum rursus in suam Collectionem intulit Labbeus Tom. IV.

(3) Ad quos eo tempore spectaret electio Romani Pontificis, animadverte.

(4) Gratianus c. 28. dist. 33. Decretum Stephani Quarti Papæ, quem alii Quinctum appellant, refert, ubi statuitur, quae ratio adhibenda in posterum foret in electione Romani Pontificis. At qui Baronius, Binius, Papebrochius, Natalis Alexander, aliique Catholici, figmentum hoc & imposturam putarunt hominum impense faventium auctoritati Imperatorum, quo tempore fervebant bella inter Sacerdotium & Imperium. Contra Pagius in Critic. Baronian. ad ann. 897. germanum foetum esse Decretum illud contendit, non quidem Stephani IV. qui anno 817. vivere desiit, sed Stephani V. vulgo appellati VI. qui anno 896. Papa electus est. Verum Acta Concilii Romani nunc mihi evulganda famosam hujusmodi controversiam dirimere posse videntur. En ut Nicolaus I. de *Electione Romani Pontificis* agens, ac turbas in ea exoriri solitas eliminare cupiens, confirmat, & observandum decernit, quidquid *in Concilio Beatissimi Stephani Papae statutum est*. Ergo Decretum Stephani procul dubio Quarti eam in rem praecesserat. Hoc autem vix aliud esse potuerit, quam quod Gratiano laudatur; cui tamen si velis aliquid superadditum a subsequutis Pontificibus, non repugnabo. In Concilio quoque Romano habito sub Lamberto Imperatore, atque adeo non anno 904. ut putavit Baronius, & post eum Labbeus Tom. IX. pag. 502. Collect. Concilior. sed quidem anno 898. roboratur *antiqua consuetudo* observata in electione Pontificis. *Si antiqua* tunc erat *consuetudo*, ergo ad tempora usque Stephani IV. Papae illius initia non immerito deducantur.

Explicit Concilium Beatissimi Nicolai Papæ.

ORATIO

ANONYMI CUJUSDAM EPISCOPI

HABITA

IN CONCILIO ROMANO

ANNO DCCCLXIV.

Nunc primùm in lucem effertur

EX MANUSCRIPTO CODICE

BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ.

IN ORATIONEM SUBSEQUENTEM

MONITUM

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

G*Unthariuſ* Archiepiſcopus Colonienſis, & *Zachariaſ* Epiſcopus Anagninus, Seculo Chriſti Nono diuturnum negotium faceſſere viſi ſunt Apoſtolicae Sedi. Uterque ſacris interdictus in Romano Concilio ſub Nicolao I. Papa, Anno 863. ſuae praevaricationis poenas dedit. Quae eorum facinora fuerint, ſi quis reſcire cupit, tum Anaſtaſium in Vita Nicolai I. tum Baronium adeat in Annalib. Eccleſiaſt. ad praefatum Annum 863. Acta quoque Conciliorum ad ea tempora legat; neque enim in re adeo ſtudioſis Eccleſiaſticae Hiſtoriae nota exſpatiari lubet. Nunc ad eorum cauſam uberius dignoſcendam adjungenda & *Oratio Anonymi cujuſdam Epiſcopi*, habita in Synodo Romana, ut arbitror, Anno 864. quae hactenus lucis uſurâ, quantum quidem novi, caruit. Eam, quum olim Mediolani eſſem, mihi ſuppeditavit pervetuſtus Ambroſianae Bibliothecae Codex MStus; eamque nunc veluti non contemnendam Eccleſiaſticae eruditionis atque Hiſtoriae laciniam profero. Conſtat autem ex Annal. Bertinian. quos habes Tom. II. Collectionis hujus, Anno 864. Ludovicum II. Auguſtum, virum ceteroqui mitem, ſuggeſtionibus Gunthariì ad iram adeo fuiſſe concitatum, ut Romam properarit, ibique execranda in Pontificem & Clerum Romanum perpetrari ſiverit. Verum Nicolaus Papa, Eccleſiaſticae diſciplinae acerrimus tutor, neque precibus, neque minis, neque vi adhibita a priſtina ſententia dimoveri ſe paſſus eſt. Una illius arma fuere *Litaniae*, & *generale jejunium ſibi & Romanis* indictum, *ut Deus Apoſtolorum ſuffragiis praefato Imperatori mentem bonam, & reverentiam erga divinum cultum, & Apoſtolicae Sedis auctoritatem donaret*. Eo etiam tempore, cum in Germania, tum Romae fervebat magna animorum contentione cauſa *Teutbergae Reginae*, quam legitimo antea ſibi matrimonio junctam Lotharius, Lotharii I. Auguſti filius, & Lotharingiae Rex, non ſine bonorum omnium indignatione repudiarat, ut pellicem Waldradam in ſuum thalamum ſuperinduceret. Appellaverat autem Teutberga ad Apoſtolicam Sedem. Ludovicus II. tunc Imperator, Lotharii fratris ſui veſano affectui patrocinium praeſtans, ea etiam de cauſa in Nicolaum Pontificem exarſerat, quod Theutgaudum Trevirenſem, & ſupra memoratum Guntharium Colonienſem Archiepiſcopos, Lotharii Legatos, reos videlicet protecti impii facinoris compertos, excommunicatione percutiens, e gradu ſuo dejecerat.

Ea igitur occaſione, hoc eſt Anno 864. veri mihi videtur ſimile, emerſiſſe in Concilio Romano Orationem, ſive Allocutionem, quam nunc publici juris facio. Heic enim de *Teutbergae Reginae* negotio agitur, quae etiam *olim ad hanc Sedem Apoſtolicam veniſſe* dicitur. Agitur de propoſita reſtitutione Gunthariì, Theutgaudi, & Zachariae, *qui non ſolum correctionem ſuam nequaquam oſtendunt, & delicta ſua, quae etiam terras, ut fertur, occupant, non confitentur, verum etiam, ſicut multorum relatio & ſcripta teſtantur, vetitum ſibi officium quidam horum* (ideſt Guntharius) *uſurpare refertur.* Et profecto in Annalib. Bertinianis ad eumdem Annum 864. Ludovico II. Imperatore jubente ex Urbe Guntharius recedens, & *Coloniam veniens*, *Miſſas celebrare, & ſacrum Chriſma conficere, ut homo ſine Deo, praeſumſit*. Inſuper petit Sermonis hujus Auctor, *ut ſuggeratur piiſſimo noſtro Imperatori, Deique cultori, & Eccleſiae Chriſti tutori, ut ſicut progenitores Chriſtianiſſimi & Orthodoxi Imperatores fuere, & ipſe illorum veſtigium ſequens, Chriſti Eccleſiae honorem ampliavit & decus; ita Romanam Eccleſiam, caput omnium, cujus eſt defenſor & Advocator, defendat, exaltet* &c. *& ſolicite perſcrutari debeat, qui ſint illi, qui lucra corporum, an qui penitus lucra animarum quaerant* &c. Haec omnia eo nos deducunt, ut intelligamus, ad nullum Annum juſtius, quam ad 864. referendam eſſe hanc Orationem, quam Lectori tamdem ſiſto.

ORATIO
ANONYMI CUJUSPIAM EPISCOPI
HABITA
IN SYNODO ROMANA
Anno Christi 864.

Quod vestra Deo digna Paternitas, ac in Christo diligenda Fraternitas in unum hodie convênit, immensas omnipotenti Deo grates referimus, quia in tanto venerandorum Patrum, discipulorumque Christi Collegio nihil aliud enixius tenendum fore existimamus, nisi quod & divinæ placeat Majestati, & ad sanctæ Dei Ecclesiæ statum & exaltationem prorsus attineat. Præcipuè cùm Veritas dicat. *Ubi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Et Psalmographus: *Ecce quàm bonum*, inquit, *& quàm jocundum habitare Fratres in unum*. Quod cùm ita sit, humili prece deposcimus, ut nos, qui minimi sumus omnium vestrûm, si ea fortè scriptis, aut verbis protulerimus, quæ reprehensione digna sunt, fraterno corripiatis & instruatis affectu. Quoniam in his, quæ Divinis apta probantur mandatis, & mysticas Sanctorum Patrum non violant sanctiones, vos sequi parati sumus, & in nullo à vestris salubribus disciplinis ac monitis dissentire. Tamen quid nos de quibuslibet Clericis, qui à sancta & prima Sede Apostolica damnantur, sentiamus, breviter ad vestram divinitus inspiratam reducimus memoriam. Scitis enim meliùs ipsi, quia præ omnibus Christi Ecclesiis per potestatem Beatissimi Petri Apostoli sancta Romana Ecclesia obtinet Principatum, ita ut illa suo cuncta judicio comprehendat, & de ejus nemini judicare judicio liceat. Siquidem, ut arbitramur, non interim tamen testificamur, nullus ab ea depositus est restauratus; & si forsitan est, non utique indiscretè. Quia Christus futurorum præscius optimè quidem præscivit, minimè in Sede Petri Apostoli sui fore sessurum Pontificem, qui injustè judicaret, aut deponeret quemquam, quem oporteret justè postmodum restaurare. Ad quod pertinere potest hujus Ecclesiæ vox, quam per Apostolum cognovistis. *Si hæc, quæ destruxi, iterum reædifico, prævaricatorem me constituo*. Beatus autem Papa Gelasius in Epistola ad Episcopos per Dardaniam constitutos inquit: *Sed nec illa prætерimus, quòd Apostolicæ Sedi frequenter, ut dictum est, more majorum etiam sinè ulla Synodo præcedente exsolvendi, quos Synodus iniqua damnaverat, & damnandi, nulla existente Synodo, quos oportuit, habuerit facultatem. Sanctæ memoriæ quippe Athanasium Synodus Orientalis addixerat, quem tamen exceptum Sedes Apostolica, quia damnationi Græcorum non consensit, absolvit. Sanctæ memoriæ nihilominus Johannem Constantinopolitanum Synodus etiam Catholicorum Præsulum certè damnaverat, quem simili modo Sedes Apostolica etiam sola, quia non consensit, absolvit*. Ecce non quos ipsa Sedes, sed quos iniqua, vel æqua Synodus damnaverat, resolvisse refertur. Item illic: *Nec planè tacemus, quòd cuncta per Mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum Sedes B. Petri Apostoli jus habeat resolvendi, utpote quæ de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio. Siquidem de qualibet ad illam Mundi parte Canones appellare voluerunt, ab illa autem nemo sit appellare permissus*. Et infra: *Ut ergo*, inquiens, *sola jus habuit absolvendi eos, quos Synodica decreta perculerant, sic etiam Synodo in hac eadem causa plurimos etiam Metropolitanos damnasse cognoscitur*. Item ipse Sanctus Papa Gelasius in Commonitorio, quod Fausto Magistro fungenti Legationis officio Constantinopoli dedit, ita scribit: *Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus Sanctæ Sedis examen voluere deferri; ab ipsa verò numquam prorsus appellari debere sanxerunt. Ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare judicium, nec de ejus umquam præceperunt judicio judicari; sententiamque illius constituerunt oportere dissolvi, cujus potiùs sequenda Decreta mandarunt*. Hi enim si talia in Sacerdotio positi commiserunt, qualia si ante Sacerdotium vel Clericatum committerent, ad Clericatus officium non promoveri debuerant, quomodo nunc restaurari post lapsum debeant non advertimus. Quibus secundùm Apostoli Petri vocem *meliùs erat non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato*. Possunt enim per hoc exemplum homicidæ, & adulteri vel ceteri nec ipsa fortasse communionis gratia digni quantum ad nefas attinet, restaurari. Undè non solùm generalis Ecclesiæ, & Petri specialiter privilegii vilescit auctoritas, verumetiam multifariæ occasionis dilatatur iniquitas.

Igitur Apostolica Sedes juxta illud, quod in Epistola Sancti Papæ Leonis ad Pulcheriam Augustam legitur, *severiùs agit cum obduratis, & veniam cupit præstare correctis*. Quia & omnipotens Deus, ut alia nunc omittamus, Petrum lachrymantem suscepit, & peccantibus Angelis non pepercit. Cujus exemplo Discipuli ejus, & ovium suarum Pastores edocti eos, qui solvendi fuerant, absolverunt, & ligandos vel condemnandos, ut prætulimus, perenniter, non solùm præsentialiter, sed & absentialiter ligaverunt, ac damnaverunt. Denique

que qui istos damnavit, veteris constituti fuit exsequutor, non novæ constitutionis exstitit auctor. Et nescimus, quam veniam, aut misericordiam postulent qui numquam nisi misericorditer judicati sunt, ut opinamur, & numquam facinora, quæ perpetraverant, quibuslibet evidentibus gemitibus deplorarunt. Præfatus enim Papa Gelasius in eodem Commonitorio inter cetera & ad locum ait: *Legatur, ex quo est Religio Christiana, vel detur exemplum in Ecclesia Dei, à quibuslibet Pontificibus, ab ipsis Apostolis, ab ipso denique Salvatore, veniam nisi se corrigentibus fuisse concessam*. Auditum autem sub isto Cœlo nec legitur omnino, nec dicitur, quod eorum voce deprimitur. *Date nobis veniam, ut tamen nos in errore duremus*. Id quoque parum est. Ostendant, qui nobis Canones nituntur opponere, quibus hoc Canonibus, quibus regulis, qua lectione, quove documento sive à majoribus nostris, sive ab ipsis Apostolis, quos potiores merito fuisse non dubium est, seu ab ipso Domino Salvatore, qui judicaturus creditur vivos & mortuos, si vel factum est umquam, vel faciendum esse mandatur? Mortuos suscitasse legimus Christum. In errore mortuos absolvisse non legimus. Et qui hoc certè faciendi solus habuit potestatem, Beato Petro principaliter mandat Apostolo: *Quæ ligaveris super terram, ligata erunt & in Cœlo, & quæ super terram solveris, soluta erunt & in Cœlo*. Super terram, inquit; nam in hac ligatione defunctum numquam dixit absolvi. Quod ergo numquam factum est, vel mente concipere formidamus, scientes, in divino judicio non posse penitus excusari. Item illic illud quoque ridere me libuit, quod ait: *Si necesse fuerit veniam postulare*. Existimans nimirum, tunc se peccatorum veniam postulare, si ei concedamus, ne peccare desistat: immo etiam, quod absit, cum eodem consentiamus nos quoque peccare. Nescio, inter quæ Mundi prodigia hæc vox possit admitti . . . . Concordat huic sententiæ Beatus Papa Gregorius, qui sic misericordiam impendi proximis jubet, ut qui impendit, sui prius valeat misereri. Nam in Libris moralium ita scribit: *Ille quippe bene agit quæ pia sunt, qui scit prius servare quæ justa, ut collatus in proximos rivus misericordiæ de justitiæ fonte ducatur. Nam multi proximis quasi opera misericordiæ impendunt, sed injustitiæ facta non deserunt. Qui si veraciter proximis misericordiam facere student, sibi ipsis debuerant justè vivendo misereri. Unde scriptum est: Miserere animæ tuæ placens Deo. Qui enim misereri vult proximo, à se trahat necesse est originem miserendi. Scriptum namque est: Diliges proximum tuum, sicut te ipsum. Quomodo ergo alteri miserendo pius est, qui adhuc injustè vivendo fit impius sibimet ipsi? Unde per quemdam Sapientem dicitur. Qui sibi nequam est, cui bonus erit? Ad exhibendam quippe misericordiam, ut indigentibus plenè exterius valeat impendi, duo sibi necessaria congruunt. Idem homo qui præbeat; & res, quæ præbeatur. Sed longè incomparabiliter melior est homo, quàm res. Qui itaque indigenti proximo exteriorem substantiam præbet, sed vitam suam à nequitia non custodit, rem suam Deo tribuit, & se peccato. Hoc, quod minus est, obtulit auctori; & hoc, quod majus, servavit iniquitati*. Cyprianus autem Carthaginensis Episcopus in quadam sua ait Epistola: *Properandum non puto: non incautè aliquid & festinanter gerendum; ne dum temerè pax usurpatur, divinæ indignationis offensa gravius provocetur*. Et aliàs: *Sufficiat*, inquiens, *lapsis ruina una, ne volentes surgere, sua circumventione præcipitentur*.

His igitur succinctè prolatis, absit à nobis, ut veniam, vel misericordiam asseveremus denegandam esse correctis. Sed ut ad istos stilum reflectamus, si de misericordia suæ restitutionis, aut de misericordia alius alicujus beneficii quæstio agitatur, quare palàm non dicitur, sed astutè misericordia imploratur? & de qua misericordia dicatur, vel unde misericordia quæratur, silentio tegitur? Quòd si de misericordia beneficii alicujus dicitur, etiamsi habent beneficia, nos præsumentes suggerimus, ut habeant ampliora. Si autem de misericordia suæ restitutionis illorum conscientia tenet, an non, ignoramus. Siquidem conscientiæ omnium Deus est cognitor & scrutator. Nos tamen nullius conscientiam judicare valemus. Contra quos sapientissimus Salomon ait: *Qui celat delicta, non dirigetur. Qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur*. Verumtamen, sicut jam fassi sumus, si adulteri & criminosi possunt ad Sacerdotium promoveri, restituantur isti in suis honoribus, qui dudum in Sacerdotio constituti, non sunt veriti criminosi vocari. Ceterùm perpendite, quæsumus, qualiter isti correcti sunt; qui non solùm correctionem suam nequaquam ostendunt, & delicta sua, quæ etiam terras, ut fertur, occupant, non confitentur, verumetiam, sicut multorum relatio & scripta testantur, vetitum sibi officium quidam horum usurpare refertur; quidam autem ante audientiam contra Canones communicasse, sicut se murmur Ecclesiæ habet (proh dolor!) criminatur. De talibus enim prædictus Cyprianus Episcopus dicit: *Si quis autem pœnitentiam agere, & Deo satisfacere detrectans infelicissimè, & satellitum ejus partes gesserit, & hæreticæ factioni conjunxerit, sciat se postea ad Ecclesiam redire, & cum Episcopis & Plebe Christi communicare non posse*. Item ipse Sanctus in Epistola ad Plebem: *Ut non facilè aliquis communicet, nisi prius pœnitentiam egerit*, refert. *Audio tamen, quosdam de Presbyteris nec Evangelii memores, nec quid ad nos Martyres scripserint, cogitantes, nec Episcopo honorem Sacerdotii sui & Cathedræ reservantes, jam cum lapsis communicare cœpisse, & offerre illis & Eucharistiam dare, quando oporteat ad hæc per ordinem pervenire. Nam quum in minoribus delictis, quæ non in Deum committuntur, pœnitentia agatur justo tempore, & exomologesis fiat, inspectâ vitâ ejus, qui agit pœnitentiam; nec ad communicationem venire quis possit, nisi prius illi ab Episcopo & Clero manus fuerit imposita: quanto magis in his gravissimis & extremis delictis cautè omnia & moderatè secundùm disciplinam Populi observari oportet*. Et paulò post: *Vel vos itaque singulos regite consilio ac moderatione vestra, & secundùm divina præcepta lapsorum animos temperate, ut nemo importuno adhuc tempore acerba poma decerpat, nemo navem suam quassatam & perforatam fluctibus, priusquam diligenter refecerit, in altum denuo committat; nemo tunicam scissam accipere & induere properet, nisi eam ab artifice perito sartam viderit, & à fullone curatam receperit*; & reliqua.

Sed

Sed his paulisper ad sanctam vestram memoriam, Patres, & reverendi Dei Ministri, reductis, nobis videtur, ut primùm causa *Theobergæ Reginæ*, quæ primùm læsa est, & olim ad hanc Sedem Apostolicam veniens, sicut scitis, inter alia cum juramento dicebat, quòd ante inter Paganos aufugeret, quàm faciem *Lotharii gloriosi Regis* videret. Certè nisi, ut æstimamus, timorem mortis illa pavesceret, hoc nullatenus ex ore suo proferret. Vos autem, quos Dei gratia medicos animarum fecit, juxta qualitatem morborum medicamina languentibus adhibete. Nos verò inutiles, & omnium vestrûm minimi considerationem vestram sequi parati sumus; sed de judicio Sedis Apostolicæ, ipsius Beati Papæ Gelasii inhibiti sententiâ, retractare non audemus. Jam verò si ita placet, ea, quæ ipsa Sedes judicavit, quod vix sinè discrimine fieri potest, retractet. Potestas enim illi à subditis non adimitur. Videat tamen quæ faciat, ne in Divino judicio coram summo Deo, qui omnium potestatum jura gubernat, & cunctis seculis dominatur, districtam rationem ponat. Porrò si quis nos cogere conans, ad Sedis Apostolicæ retractandum judicium unanimitatem nostram commoverit, prævideat, unde causa prævaricationis sumat exordium, & quò finis conclusio dirigat cursum. Nos enim petimus, & humiliter suggerendo precamur, ac per omnes Dei virtutes, quantum possumus, adjuramus, ut si placet de Sedis Apostolicæ judicio retractari, & quod inhibitum est judicari, hoc agatur consilio & tractatu non solùm nostrorum, sed etiam istorum Regnorum Episcoporum, nec non &, si fieri potest, Orientalium utcumque Antistitum, ubi scelera, quorum ultio falsò injusta dicitur (proh dolor!) sunt admissa. Rursum petimus & humiliter obsecramus, ut suggeratur piissimo nostro Imperatori, Deique cultori, & Ecclesiæ Christi tutori, ut sicut progenitores ejus Christianissimi & Orthodoxi Imperatores fuere, & ipse illorum vestigium sequens Christi Ecclesiæ (Deo gratias) honorem ampliavit & decus; ita Romanam Ecclesiam caput omnium, cujus est defensor & advocator, defendat, exaltet, & protegat, & in aliquod præcipitium nos numquam mergi permittat; quatenus sempiterna laus & gloria, simulque copiosissima merces illi divinitus augmentetur. Suggeratur etiam illi, & ab ejus Majestate flexo poplite postuletur, ut sollicitè perscrutari debeat, qui sint illi, qui lucra corporum, an qui penitus lucra animarum quærant, & sui corporis incolumitatem velint. Potiùs nos audiat salubria suggerentes, quàm alios unum horum tantummodo suadentes. Præcipuè quum nos non nostra, sed ea, quæ sunt Jesu Christi, quæramus; & pro salute, statu, & exaltatione totius sui Imperii sempiternum ac immensum Imperatorem momentaneis precibus imploremus.

Auctoritatem autem Antiocheni Concilii, quæ inter cetera nostræ suffragatur suggestioni, ecce subjecimus, nam ejusdem Concilii Capitulo duodecimo definitum est: *Si quis à proprio Episcopo Presbyter, aut Diaconus, aut à Synodo fuerit Episcopus fortè damnatus, & Imperatoris auribus molestus exstiterit, oportet ad majus Episcoporum converti Concilium, & quæ putaverint habere juxta, plurimis Episcopis suggerant, eorumque discussiones ac judicia præstolentur. Si verò hæc parvipendentes molesti fuerint Imperatori, hos nulla venia dignos esse, nec locum satisfactionis habere, nec spem futuræ restitutionis penitus opperiri*. Postremò jam, quia compellimur, & à Sedis Apostolicæ majori auctoritate atq; judicio ad minorem, quod non debet fieri, proclamatur, habemus alias auctoritates, quæ nos sinè omnium Episcoporum tam Orientalium scilicet, quàm Occidentalium, quos diximus, præsentia de his aliquid examinare non statuunt. Denique jam fatus Sanctus Cyprianus Carthaginensis Episcopus in Epistola ad Plebem de quinque Presbyteris ait: *Placuit tam nobis, quàm Confessoribus, & Clericis urbicis, item universis Episcopis nunc in nostra provincia vel trans mare constitutis, ut nihil innovetur circa Lapsorum causam, nisi omnes in unum conveniremus*. Et iterum in alia Epistola: *Audiant*, inquiens, *quæso patienter consilium nostrum, exspectent regressionem nostram, ut, cùm ad vos per Dei misericordiam venerimus, convocatis Coëpiscopis pluribus, secundùm Domini disciplinam & Confessorum præsentiam, vestram quoque sententiam, Beatorum Martyrum literas & desideria examinare possimus*. Hæc igitur propter improbitatem quorumdam sub brevitate transcurrimus, ne nostrum auditum misericordiæ tantùm januis claudere velle dicamur, cum nemo nesciat sanum sapiens, nec etiam *Guntharium* & *Zachariam* lateat, quòd ad illicita compellimur, & ad Ecclesiæ læsionem prohibita contingere cogimur. Judicatum est enim justè de illis, & per Sedem Apostolicam, ubi totius judicii summa potestas est & auctoritas, de his exstat deliberatum, à quo nemo est appellare permissus; de cujus judicio retractari non licet; cujus sententia debet fine tenus insolubilis permanere, si Christianitatis vigorem & opus quis non cœperit conculcare. Porrò si in mundanis quislibet suspectum habet Judicem, præsentiam Ducis requirit; si Ducem suspectum habet, Præsidem adit; si & ipsum suspectum habet, ad Imperatorem, à quo jam non est appellandum, recurrit: quanto magis in Ecclesiasticis id observandum est, ut si aliquis judicatur ab inferioribus, debeat ad sublimioris Sedis, hoc est Apostolicæ judicium proclamare? Ab illa autem judicatus qualiter ad inferiores debeat proclamare, nullis exemplis, nullis judiciis, nullis legibus, nullisque Traditionibus omnino reperimus.

FINIS.

ACTA
CONCILII TICINENSIS

Anno DCCCLXXVI.

HABITI PRO ELECTIONE

CAROLI CALVI

IN REGEM ITALIÆ

Auctiora nunc prodeunt

EX MANUSCRIPTO CODICE

AMBROSIANÆ BIBLIOTHECÆ

UNA CUM ANIMADVERSIONIBUS

CLARISSIMI VIRI

JOSEPH ANTONII SAXII

EIDEM BIBLIOTHECÆ PRÆFECTI.

IN ACTA CONCILII TICINENSIS PRAEFATIO LUDOVICI ANTONII MURATORII.

VUlgatissima erant Acta Concilii Ticinensis, Anno 876. habiti, in quo Carolus Calvus Francorum Rex, Romanorum Imperator a Johanne VIII. Summo Pontifice jam constitutus, ab Episcopis etiam atque Optimatibus Italici Regni Rex Italiae electus & consalutatus est. Ea quippe inter Annales Francorum a Pithoeo, & Du-Chesnio editos, tum in Annalibus Baronianis, in Labbeana Conciliorum Collectione, inter Concilia Gallica a Sirmondo collecta, atque inter Capitularia Regum Francorum a Baluzio illustrata repetitis editionibus prostabant; ac proinde nullum mihi obversatum fuerat consilium de iis recudendis. Verum quum me per literas certiorem fecisset Cl. Vir *Joseph Antonius Saxius* Ambrosianae Bibliothecae Praefectus, eorumdem Actorum locupletius exemplum in praelaudata Bibliotheca adservari, immo is pro antiqua sua erga me benevolentia eadem descripta ad me misisset, continuo intellexi, publicam eruditionem atque utilitatem exigere, ut quae ex eo Concilio supersunt, utpote auctiora, in Collectionem hanc inferrentur. Nam ut ut paucula sint, magni tamen momenti exhibent monumentum cum ad eorum temporum Historiam, tum ad politicum Italiae regimen, quod est ad ea tempora, certius agnoscendum. Quod antequam praestem, producere juvat, quae in hanc rem doctissimus *Saxius* ad me perscribenda duxit, Praefationis etiam locum apud Eruditos habitura.

CLARISSIMO AC DOCTISSIMO VIRO LUDOVICO ANTONIO MURATORIO JOSEPH ANTONIUS SAXIUS BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ PRÆFECTUS S. P. D.

» SCrutabar privati mei cujusdam studii consilio Codicem manuscriptum Bibliotheeæ Ambrosianæ, qui complectebatur Epistolas Johannis VIII. Summi Pontificis, descriptas è pergameno Vaticano, Langobardicis literis, ut ibi asseritur, exarato; cùm ecce occurrit non spernendæ antiquitatis Monumentum, Fragmentum nempe Synodi Ticinensis, celebratæ Anno DCCCLXXVI., cùm Carolus Calvus, post acceptam Romæ Imperii coronam, promoveri quoque ad Italicum Regnum, Episcoporum, atque Optimatum suffragio curaret. Exilui ad inexpectatam hanc sortem, cùm probè scirem nondum hæc Acta integra prodiisse, & apud Sirmondum, Balutium, Labbeum, aliosque hujusmodi rerum Collectores ea tantùm legi, quæ recitat Synodus Pontigonensis, in qua Ticinensi peractæ Electioni Gallicanorum Antistitum votum accessisse narratur. At mutila ea sunt, nec sincerum exhibent textum ea in re, quæ præcipuum hujus Synodi momentum fuit. Quæ enim de Ansperto Mediolanensi Archiepiscopo, universi Cœtus nomine sententiam dicente, de Electione ipsa *in Regem Italiæ* Caroli Calvi, deque præstito ab utroque vicissim juramento in Exemplari Ambrosiano leguntur, Pontigonensis Synodus prorsus silet. Gratam

„ me itaque cum Tibi, Vir Clarifs. , tum Eruditis omnibus operam facturum
„ putavi fi eadem ad Te illico, in cenfum magnæ Collectionis Rerum Italic. re-
„ ferenda tranfmitterem. Defumta hæc dicuntur *ex Volumine Capitularium, & Con-*
„ *ciliorum Gallicanorum apud Sanctiffimum Dominum Noftrum*; fed valde dolendum,
„ quòd non integra Scriptor inde produxerit; poft relatos enim viginti titulos re-
„ rum, quæ in Ticinenfi hoc Conventu ftatuta fuere, fubdit: *Habentur hæc Capi-*
„ *tula integra, & prolixa in ipfo Exemplari, fed propter feftinationem, Ego Fontana con-*
„ *traxi*. Emendandæ illius calami culpæ nihil intentatum reliqui; Egi fiquidem
„ cum Amicis per Epiftolas Romæ, ut Vaticana primùm Bibliotheca confulere-
„ tur, num pretiofa hæc antiquitatis fupellex eidem obtigiffet; verùm ab ipfis
„ accepi, inanem fuiffe Illuftrifs. ac Reverendifs. Majellæ Cuftodis laborem; cùm
„ jamdiu à pluribus ætatibus in more pofitum fit, ut ex literariis Summorum
„ Pontificum fpoliis nihil in Vaticanam inferatur, fed in hæreditatis partem illa
„ quoque familiæ Gentilibus cedant. Converfa inde eft folicitudo ad erudita
„ Principum Romanorum fcrinia exploranda, fed undique incaffum cura & pre-
„ ces rediere; quis enim divinare poffit, quæ illius, infignis alioquin voluminis
„ fortuna fuerit? Contuli me itaque ad Labbeum, & Balutium, ut intelligerem,
„ an contracta à Fontana rerum feries editis Synodi Pontigonenfis, *Capitulis* ref-
„ ponderet, atque eadem illa effe prorfus inveni; nifi quòd nonnulla præpoftero
„ ordine in manufcriptis titulis defignantur ac vulgatus textus exponat; quæque
„ hic quindecim tantùm numeris comprehendit, illi in viginti fejunxerint. Quo-
„ circa fatìs fuperque penfatam hujufmodi jacturam crediderim, cùm peti poffit
„ ex editis, quod Codicis noftri expleat lacunam; atque ita invidente licèt nobis
„ primævum volumen injuria temporum, integrum adhuc Concilium hoc dari.
„ Sed pofces fortaffe Vir Præclariffime. Quis hic Fontana, vindicatæ è tene-
„ bris antiquæ hujus memoriæ gratiâ pofteris commendandus? Non is certè ve-
„ nalis tantummodo, aut rudis Exfcriptor fuit, cùm infperfæ non raròeruditis
„ notis memoratæ Johannis VIII. Epiftolæ hominem prodant in fuperiorum æta-
„ tum recondita hiftoria eximiè verfatum. Præterea ex eodem Codice apertè
„ colligitur, infudaffe illum eruendis undique antiquis monumentis, ut Carolo
„ Sigonio Italici Regni hiftoriam texenti fuppetias ferret; quinimmo ad eundem
„ dirigit adnotationes aliquas fuas, quibus illuftrari poffent aut etiam caftigari
„ nonnulla, quæ ille jam fcripferat. Propterea affirmare non dubitaverim illum
„ eundem hunc effe, cujus gratam mentionem Sigonius inferuit indici Auctorum,
„ quorum ftudio, aut fcriptis in Regno Italico defcribendo fe profeciffe teftatur;
„ inter poftremos enim recenfetur *Johannes Baptifta Fontana Mediolanenfis, qui nuper*
„ *magno hiftoriarum detrimento eft mortuus*. Deceffiffe illum immatura abreptum mor-
„ te, utpote annos tantummodo triginta tres natum, dolens fcribit Philippus Pi-
„ cinellus in Athenæo Literatorum Mediolanenfium; ubi etiam plura de nobili
„ illius familia, fumma doctrinæ opinione; ac libris tum editis, tum manufcriptis,
„ ad æternam tanti Viri memoriam literis configna vit.
„ Cæterùm hujus Synodi Ticinenfis, eo prorfus modo, quo in Codice noftro
„ defcribitur, meminit Sigonius *De Regno Italiæ* ad Annum DCCCLXXVI. edi-
„ tionis Bononienfis Anni MDLXXX. ubi compendiaria narratione quidquid in ea
„ geftum eft refert, ejufque verba in fuis Bafilicæ Ambrofianæ monumentis re-
„ cudit Puricellus ad annum eundem; nec dubium eft, quin à memorato Fontana
„ Romæ tunc degente hiftoricam hanc lucem Sigonius acceperit. Nunc Synodum
„ ipfam producimus, quæ quantum illuftrandæ antiquitati, atque Italicæ gloriæ
„ promovendæ conferat, nemo digniùs æftimaverit, quàm Tu, qui vafto labore
„ erudita omnia rudera evolvens, tantam eidem lucem affundis. Etfi enim Scrip-
„ tores ferme omnes Mediolanenfes à Gregorio Magno Pontifice Maximo fplen-
„ didum illud Privilegium trahant, quo Archiepifcopus nofter donatus dicitur
„ jure eligendi Italici Regis poft decimum quartum à Prædecefforis obitu diem;
„ quique modeftiùs rem agunt, Carolum Magnum infignis hujus muneris Aucto-
„ rem faciant, nullum tamen veftigium tantæ exercitæ auctoritatis univerfa illo-
„ rum temporum refert hiftoria. Primum hoc exemplum eft, in quo tutum
„ figat pedem, venditati antiqui juris eximium decus; five enim Lodovico II. Im-
„ peratore finè liberis decedente, fefe tandem in libertatem, tot triftibus bello-
„ rum eventibus antea concuffam, affertos putarent Italici Optimates; five op-
„ portuna arrepta occafione diffidii inter defuncti Augufti confanguineos antiquum
„ aliquod jus prætenderent, aut novum condere meditarentur, certum eft ab hac
„ Caroli Calvi inauguratione tantum roboris acceffiffe auctoritati Mediolanenfium
„ Præ-

„ Præfulum, utpote dignitate atque opibus fupra cæteros Italiæ Proceres emi-
„ nentium, ut fuo propemodum nutu de Italico Regno decernerent, evectis ad
„ hanc fupremam dignitatem, aut etiam depulfis Principibus. An verò legitimo
„ jure, an injuriâ Francici Imperii hæc ab Italis peracta fint, quæftio eft, ut
„ optimè nofti, à Doctiffimo Viro, Florentinæ libertatis difquifitione celebri, re-
„ centiffimis typis difcuffa, quam tamen attingere in præfens minimè fas eft, cùm
„ neque id modus Epiftolæ ferat, nec patiatur doctrinæ tuæ amplitudo, cui ali-
„ quid fuggerere idem effet ac ligna, ut ajunt, in fylvam inferre.

„ Id unum filentio præterire haud opportunum reor frequentiffimos à me per-
„ lectos Scriptores tum exteros, tum domefticos, qui fidentiffimè afferunt, Jo-
„ hannem ipfum Summum Pontificem huic Synodo interfuiffe, atque in ea effu-
„ fum in laudes Caroli Calvi, plenis Epifcoporum, & Optimatum fuffragiis ei-
„ dem confirmaffe Imperium ac Regnum. Quod quàm à vero longè fit, Synodi
„ ipfius ad Te nunc miffæ exemplar docet, in qua Archiepifcopus folus Mediola-
„ nenfis Anfpertus primas egiffe vices legitur; miror que hinc magis à Pagio Ju-
„ niore in Breviario Romanorum Pontificum teftem adduci potuiffe Continuato-
„ rem Aimoini, quòd videlicet Johannes Papa cum Carolo Calvo Nonis Januarii
„ Roma folvens, Ticinum petierit, & in eadem Civitate Conventus Epifcopo-
„ rum celebratus fit, menfe Februario, in quo Imperium eidem Carolo Romæ
„ collatum, omnium confenfu à Johanne Pontifice, *ibi præfente*, iterum fuerit
„ confirmatum. Continuator enim Aimoini non aliud profert, quàm quod in An-
„ nalibus quoque Bertinianis, iifdem prorfus verbis defcribitur. *Nonis Januarii*
„ *Roma exiens* (Carolus Calvus) *Papiam rediit, ubi & Placitum fuum habuit*: nihil
„ de Johanne Pontifice, nihil de confirmato Imperio innuens. Occafionem huic
„ errori datam crediderim tum à Petro Pithœo, qui primus Romanum Conci-
„ lium evulgans, in quo verè à Johanne Pontifice confirmatum Carolo Calvo Im-
„ perium fuit, illud celebratum menfe Februario tradidit; quocirca cùm idem
„ menfis, ac etiam annus Ticinenfi Synodo affignetur, cum ea confundi facilè po-
„ tuit: tum à notis margini Annalium Baronii adjectis, ubi enim ad Annum
„ DCCCLXXVI. refertur, *Sermo Domini Apoftolici Johannis in Synodo Epifcoporum.*
„ *Omnibus generationibus, immo cunctis mortalibus liquet &c.* in margine adnotatur: *Ti-*
„ *cinenfis Synodus, in qua Joannes Papa confirmat Carolum Imperatorem.* Verba enim
„ hæc, quibus inchoatur fermo, certiffimè fpectant non ad Synodum Ticinenfem,
„ fed ad Concilium Romanum, ut conferenti patebit. Errorem autem malè
„ affignati menfis, annique optimè Pagius fenior in ejufdem Critica emendavit;
„ neque enim menfe Februario, fed Julio, aut Anno DCCCLXXVI., fed fub-
„ fequenti celebratum Romanum Concilium ex coævis hiftoriis evincitur. Hæc
„ in præfenti adnotare neceffarium duxi, ne auctoritas eorum, qui Concilia hujuf-
„ modi commifcuere, Lectores impofterum fallat.

„ Poft Synodum Ticinenfem, nonnulla etiam Pontigonenfis Conventus Acta
„ exhibet Codex nofter. Relatis enim Cifalpinorum Antiftitum fubfcriptionibus,
„ fubdit Fontana: *Poft has fequuntur fubfcriptiones Legatorum, & Gallicorum Epifcopo-*
„ *rum, qui immediatè poft Longobardos fubfcribunt Concilio Ticinenfi, fed fortè ut Sigonius*
„ *monuit, relecto in Conventu Pontigonenfi.* Et fanè res ita fe habuit; nam profecto
„ in Gallias Cæfare, Concilium Pontigonis coactum eft, ibique Decretis jam an-
„ tea in Papienfi Conventu pronunciatis, relectifque illa in Synodo Tranfalpini
„ Epifcopi fubfcripfere. Hæc omnia aliquibus meis animadverfionibus aucta ad
„ Te mittere ftatui, ut amorem meum erga Te probarem, atque optimo confi-
„ lio Tuo de Italica illuftranda hiftoria, pro virium mearum tenuitate infervi-
„ rem. Perge incœptum Opus fervidis conatibus explere, meque inter Tuî aman-
„ tiffimos numera. Vale.

Ita ad me erudite pro more Saxius, cujus etiam breves Notas ipfis Actis fubji-
ciam. Nunc praemonitos Lectores volo, Synodum hanc revera Ticini celebratam
fuiffe non Anno DCCCLXXXVII. ut in exemplo Ambrofiano legitur, fed qui-
dem Anno DCCCLXXVI. Carolus enim Calvus *VIII. Kal. Januarii*, hoc eft Na-
tali die Domini Anno DCCCLXXV. Imperialem coronam Romae fufceperat.
Cujus rei locupletiffimum teftem habemus Farfenfe Chronicon infra edendum,
ubi ejufdem Imperatoris Diploma occurrit, paucis poft diebus conceffum Mona-
fterio Farfenfi, cum hifce notis Chronologicis: *Data VII. Kalendas Januarii Anno*
XXXVI. Regni Domni noftri Karoli in Francia &c. *& Imperii ejus Primo. Actum in*
Sancto Petro Indictione IX. Decurrere coepit *Indictio Nona*. Septembri menfe Anni

 875.

875. atque adeo male calculos initurus foret, quisquis ad Annum 876. Romanam Calvi coronationem referret. At Româ digressus Carolus *Nonis Januarii* Anno 876. recta, ut habet Annalista Bertinianus, *Papiam rediit, ubi & Placitum suum habuit.* Sub *Placiti* nomine designantur heic ea ipsa solemnia Regni Comitia, quae a recentioribus edita, atque heic recusa, *Concilii* nomen praeferunt. Haec autem celebrata dicuntur *Mense Februario*, & quidem recte. Nam Puricellius in Monum. Basilic. Ambrosian. ejusdem Caroli Diploma profert, datum *IV. Kal. Martias* Ambrosiano Cœnobio. Diligentissimus quoque Sigonius Lib. V. de Regno Italiae, referens ejusmodi Comitia, auctor est ab eodem Augusto *III. Kalendas Martias privilegia Caroli Magni, Pii, Lotharii, ac Ludovici nepotis, ut vocat, sui, Ecclesiae Cremonensi fuisse firmata.* Ego Lectori rem non ingratam facturum me puto, si idem illud Diploma produxero, expeditum *in Sancta Sophia juxta Papiam;* ut hinc luculentius appareat, iis ipsis diebus Carolum Calvum Ticini fuisse versatum. Illud ego descripsi ex vetustissimo Regesto Episcopii Cremonensis, unde & Sigonius lucem hujus rei acceperat.

Caroli Calvi Imperatoris Praeceptum, per quod Benedicto Cremonensi Episcopo, ejusque Ecclesiae, omnia illius bona & privilegia confirmat. Anno 876.

„ IN nomine Sancte & individue Trinitatis. *Karolus* ejusdem Dei omnipotentis
„ gratia Imperator Augustus. Si erga loca divinis cultibus mancipata propter
„ amorem Dei, ejusque in eisdem locis sibi famulantibus opportuna beneficia lar-
„ gimur, premium nobis apud Deum eterne remunerationis rependi non diffidi-
„ mus. Igitur omnium fidelium Sancte Dei Ecclesie, ac nostrorum presentium
„ videlicet & futurorum, comperiat magnitudo, quia vir venerabilis *Benedictus*
„ *Cremonensis Ecclesiæ Episcopus* detulit obtutibus nostris quasdam pie recordationis
„ *Avi nostri Karoli*, nec non & *Patris nostri Hludovici*, simulque etiam *fratris nostri*
„ *Hlotharii*, & *nepotis nostri Hludovici* auctoritates praeceptorum, in quibus conti-
„ nebatur, qualiter ipsi omnes res Episcopatus sui, Sancte Marie videlicet, &
„ Sancti Stephani, que ibidem a longo tempore usque nunc pertinent, tam Mo-
„ nasteria, quamque & Xenodochia, seu Ecclesias baptismales, & reliquas pos-
„ sessiones, & predia ad ejusdem Episcopatum pertinentia, sub sua haberent de-
„ fensione atque inmunitatis tuitione. Unde memoratus *Benedictus* Presul nostram
„ petiit pietatem, ut easdem auctoritates nostro confirmaremus precepto. Cujus
„ precibus pro mercedis nostre augmento libentissime annuentes, hos Celsitudinis
„ nostre apices decrevimus fieri, per quos precipimus, modisque omnibus confir-
„ mamus, ut quicquid ad predictam Ecclesiam a longo tempore Reges, vel alii
„ quilibet homines largiti sunt *&c.* Reperimus quoque in auctoritate bone memo-
„ rie *Avi nostri Karoli*, qualiter ipse ad prefatam Cremonensem Ecclesiam quasdam
„ res condonaverat, & inde *Nepos noster Hludovicus Imperator* sui precepti auctorita-
„ te ad eamdem Sedem concesserat, locum videlicet, qui dicitur Tecledus cum
„ Brisivola & Cucullo, vel omnia ad ipsa loca pertinentia, & Portum, cujus
„ vocabulum est Vulpariolus, cum militorum transitorio usque in Caput Addue,
„ cum molatura de molendinis & portoribus usque in Caput Addue: quas res &
„ loca *Hlotharius frater noster*, & inde *Hludovicus Nepos noster* per sua precepta in jam
„ dicta confirmaverunt Ecclesia. Que omnia veraciter cognoscentes, placuit no-
„ bis nostram superaddere auctoritatem, per quam concedimus, ut prefata do-
„ na, sicut a Fratre nostro & Nepote concessa sunt, ita in futuro ipsa Sedes te-
„ neat, & nullus Missus, neque Judex publicus, neque ulla persona *&c.* Quin &
„ idem Presul adjecit, quod quidam Longobardorum, vel aliarum gentium ho-
„ mines sua peragentes negotia, ripaticum non solvissent; indeque auctoritatem
„ ei firmamus, sicut Antecessores nostri, *&* *Nepos noster Hludovicus* concessit. Unde
„ præcipientes jubemus *&c.*

„ Signum KAROLI gloriosissimi Imperatoris.

„ Audacher Notarius ad vicem Gaugini recognovit.
„ Data III. Kal. Martii, Anno XXVI. (*) Regni Domni Karoli Imperatoris
„ in Francia, & Imperii ejus Primo.
„ Actum in Sancta Sophia juxta Papiam feliciter in Dei nomine Amen.

Quod

(*) *In Regesto legebatur* XXII.

Quod unum mihi addendum superest, vix e mente mea dubitationem evellere possum, num in memoratis hisce Comitiis Carolus tunc primum Rex Italiae electus fuerit. Hoc quidem Acta sonant; sed mihi abhorrere a consuetudine ceterorum Principum videtur, qui non antea ad Imperiale fastigium ascendere soliti fuerunt, quam Regni Italici habenas ac titulum consequuti fuissent. Ludovicum Pium excipio, quia tunc Bernardo ejus nepoti Langobardicum Regnum parebat. Profecto quum difficilia tempora instarent Calvo, quippe Ludovicus ejus frater, Germaniae Rex, & natu etiam major, ad Italiae ac Imperii coronam & ipse anhelabat, immo arma eam ob caussam jam arripuerat, fieri facile potuit, ut Carolus nihil sibi cunctandum ratus satius duxerit praeoccupare Imperiale nomen, & benedictionem Pontificis, quam consistere ad colligenda Italicorum Procerum vota divisa. Attamen suspicari adhuc cogor, Carolum Calvum tum terrore injecto potentiae suae, tum eo quo potuit Optimatum, Populorumque consensu, Regnum Italicum prius sibi conquisivisse, ac deinde Romam convolasse. Uti habet Annalium Fuldensium Scriptor, ut primum Ludovici II. Augusti obitum *Carolus Galliae tyrannus comperit, illico Regnum Italiae invasit*. Deinde Carlomanno fratris filio contra se cum validis copiis irruenti, ad fauces Italiae vires suas objecit, eumque aut vi aut muneribus in Germaniam regredi coëgit. Quo facto demum *quanta potuit velocitate Romam profectus est*. Ad haec Annalibus Bertinianis fidem rei facientibus, Carolus post unctionem Imperialem *Româ exiens, Papiam rediit*. Ergo ante coronationem Romanam, ideoque Anno 875. Carolus Langobardici Regni Sedem pacifice ingressus fuerat; vixque excogitari potest, quin ibi se Regem Italiae instituendum atque acclamandum sine mora curarit. Quod si Anno subsequente 876. ex Urbe Ticinum regressus, electionem a Regni Proceribus quaesivit, haec fuerit potius praecedentis confirmatio, atque ut ex concordibus Optimatum Langobardicorum suffragiis, quorum nonnulla ante desideraverat, electio sua eo magis legitima evaderet, enixiusque consolidaretur. In Pontigonensi quoque Synodo, eodem Anno celebrata, Francici Regni Patres Carolum ipsum, quamquam tot ante Annos Francorum Regem, *elegerunt sibi protectorem ac defensorem esse*: cujusmodi verbis secundùm editionem Pithoei, Labbei, & aliorum, usi sunt & Italici Episcopi atque Optimates in Ticinensi Concilio Praeterea Johannes VIII. Summus Pontifex, Anno subsequente 877. in Romana Synodo ejusdem Caroli electionem rursus firmavit, ac ratam habuit. Atque haec pauca licuerit mihi edisserere, quando uberiora & clariora eorum temporum monumenta sperare non licet. Nam quod est ad Ambrosianum Actorum exemplum, nulla mihi dubitatio restat, quin ad Sigonium conterraneum meum Fontana miserit, quando Sigonius ipse in Libris de Regno Italiae ad Annum 876. integram Praefationem qualis heic deprehenditur, exhibet ab iis verbis: *Nos Anspertus cum omnibus Episcopis &c.* Ego hoc ex Puricellio supra laudato in Monumentis Basilic. Ambros. num. 127. didici; neque enim in Sigoniani Operis editionibus, quibus utor, ego ejusmodi verba reperio, minimeque compertum habeo, quam editionem Puricellius, ista describens, fuerit sequutus.

CON-

CONCILIUM TICINENSE

In quo Carolus Calvus Imperator ab Ansperto Mediolani Archiepiscopo, & aliis Italici Regni Optimatibus in Italiæ Regem electus fuit.

GLoriosissimo & à Deo coronato magno & pacifico Imperatori Domino nostro Carolo perpetuo Augusto. Nos quidem *Ansbertus* cum omnibus Episcopis, Abbatibus, Comitibus, ac reliquis, qui nobiscum convenerunt Italici regni Optimates, quorum nomina generaliter subter habentur inserta, perpetuam optamus prosperitatem & pacem.

JAm quia Divina pietas vos Beatorum Principum Apostolorum Petri & Pauli interventione per Vicarium ipsorum, Domnum videlicet Joannem Summum Pontificem & universalem Papam (1) vestrum ad profectum Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque omnium incitavit, & ad Imperiale culmen Sancti Spiritus judicio provexit. Nos unanimiter vos protectorem, dominum ac defensorem omnium nostrum, *& Italici regni Regem* (2) eligimus, cui & gaudenter toto cordis affectu subdi gaudemus, & omnia, quæ nobiscum ad profectum totius Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque omnium salutem decernitis & sancitis, totis viribus, annuente Christo, concordi mente, & prompta voluntate observare promittimus.

Anspertus Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopus subscripsi.

Joannes Sanctæ Aretinæ Ecclesiæ humilis Episcopus subscripsi. (3)

Joannes Episcopus Sanctæ Ticinensis Ecclesiæ subscripsi.

Benedictus Cremonensis Episcopus subscrip.

Theudulphus Tertonensis (4) Episcopus subscripsi.

Adalgaudus Vercellensis Episcopus subscrip.

Azo Eporediensis Episcopus subscripsi.

Gerardus exiguus in exigua Laudensi (5) Ecclesia Episcopus subscripsi.

Hilduinus Astensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Leodoinus Mutinensis Episcopus subscripsi.

Hildradus Albensis Episcopus subscripsi.

Ratbonus (6) Sedis Augustanæ Episcopus subscripsi.

Bodo humilis Sanctæ Aquensis Ecclesiæ (*Episcopus*) subscripsi.

Sabbatinus Januensis (7) Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Filbertus (8) Comensis Episcopus subscrip.

Adelardus servus servorum Dei Veronensis Episcopus subscripsi.

Ego Paulus Sanctæ Placentinæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Ego Andreas Sanctæ Florentinæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Ragniensis (9) Abbas subscripsi.

Signum Bosonis inclyti Ducis, & Sacri Palatii Archiministri, atque Imperialis Missi.

Signum Ricardi Comitis.

Signum VValfredi Comitis.

Signum Luitfredi Comitis.

Signum Alberici Comitis.

Signum Supponis Comitis.

Signum Hardingi Comitis.

Signum Bodradi Comitis palatii.

Signum Cuniberti Comitis.

Signum Bernardi Comitis.

Signum Airboldi Comitis.

Juramentum Ansperti Archiepiscopi. (10)

SIc promitto ego, quia de isto die in antea isti Seniori meo, (11) quamdiu vixero, fidelis & obediens & adjutor, quantumcumque plus & meliùs sciero, & potuero, & consilio & auxilio secundùm meum ministerium in omnibus ero absque fraude & malo ingenio, & absque ulla dolositate vel seductione seu de-

(1) Legendum *Patrem*, ut in omnibus editis hujus Concilii actis.

(2) Quæ diverso charactere in hoc capite signantur, nunc primùm prodeunt ex MSto Ambrosiano exemplari.

(3) In MSto Ambrosiano Fontana adnotavit: *Hic erat Nuncius Sedis Romanæ*. Citra verum tamen, si de hac Synodo loquamur; neque enim ille se Legatum appellat, nec si id munus egisset, secundo post Anspertum loco se subscribere debuisset. Præterea nullum extat vestigium, quòd Synodus ista coacta sit Pontificia auctoritate; quin immo ex epistolis ipsis Johannis VIII. colligi videtur, quòd ipso inconsulto Concilium hoc celebraverit Anspertus; minatur enim eidem, epistola CLV. Labbeanæ editionis, Canonicas pœnas, si Carolomanno sese ab Italico Regno ob valetudinis vitium expediente, de nova Regis electione extra Romanam Synodum ageret, aut Regem aliquem absque illius consensu reciperet; quod certè indicendum non erat tanto severæ jussionis strepitu, si Ticinensis electio Caroli Calvi, annuente ipso, aut mandante peracta fuisset. Sed cur itaque Johannes Aretinus Episcopus subscripsit? P. Eustachius à Sancto Ubaldo in sua Dissertatione *de Metropoli Mediolanensi* ex hac ipsa Synodo arguit Aretinum Episcopum, sicuti & Florentinum hic pariter subscriptum, Insubricæ nostræ Metropoli tunc paruisse; contendit enim contra Ticinensis Ecclesiæ propugnatores, Synodum hanc Provincialem fuisse. Quæ ille ibidem argumenta in hanc rem cumulat, apud ipsum videat Lector num. 176. 249. & seqq.

(4) Lege *Terdonensis*, seu *Dertonensis*.

(5) Malè in Harduino legitur *Laudunensis*, & *Laudicensis* in altero Concilio Ravennæ celebrato anno DCCCLXXVII.

(6) *Ratbornus* in Labbeo, aliisque.

(7) Meliùs quàm in Labbeo, aliisque, apud quos legitur *Jenuensis*.

(8) Alii legunt *Eilbertus*.

(9) Sirmondo, & Labbeo *Raginerius*, Du-Chesne, & Balutio *Reginerius*.

(10) Eadem hac formula usus est Hincmarus Archiepiscopus, jussus cum aliis Episcopis juramentum præstare Carolo Calvo, eaque relata est inter Acta Concilii Pontigonensis. A Pitheo inscribitur *Generale omnium Fidelium sacramentum*.

(11) Citra dubium est *Senioris* nomen hoc loco nihil aliud referre, quàm *Dominum*; cuilibet enim vetera monumenta volventi passim occurrit hujusmodi appellatio ita accepta, & docet altera Synodus Ticinensis edita Tomo II. hujus collectionis pro electione, seu confirmatione VVidonis in Regem Italiæ. Ibi siquidem pluries ab Episcopis *Senior* vocatur.

deceptione, & absque respectu alicujus personæ, & neque per me, neque per missum, neque per literas, sed neque per emissam, vel intromissam personam, vel quocumque modo, vel significatione contra suum honorem, & suam Ecclesiæ atque regni sibi commissi quietem & tranquillitatem, atque soliditatem machinabo, vel machinanti consentiam, neque aliquod umquam scandalum movebo, quod illius præsenti vel futuræ saluti contraria vel nociva esse possit. Sic me Deus adjuvet, & patrocinia. (12)

Quòd Rex Carolus juravit Ansperto Archiepiscopo, atque Optimatibus regni Italici.

Et ego quantum sciero & rationabiliter potuero, Domino adjuvante, te Sanctissime ac Reverendiss. Archiepiscope, & unumquemque vestrûm, secundùm suum ordinem & personam honorabo, & salvabo, & honoratum & salvatum absque ullo dolo, ac damnatione, vel deceptione conservabo, & unicuique competentem legem, ac justitiam conservabo, & qui illam necesse habuerint, & rationabiliter petierit, rationabilem misericordiam exhibebo. Sicut fidelis Rex suos fideles per rectum honorare, & salvare, & unicuique competentem legem, & justitiam in unoquoque ordine conservare, & indigentibus & rationabiliter petentibus rationabilem misericordiam debet impendere, & pro nullo homine ab hoc quantum dimittit humana fragilitas per studium, aut malevolentiam, vel alicujus indebitum hortamentum deviabo, quantum mihi Deus intellectum, & possibilitatem, & si per fragilitatem contra hoc mihi surreptum fuerit, cùm recognovero, voluntariè illud emendare studebo, sic &c.

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Incipiunt Capitula, quæ Domnus Imperator Carolus Hludovici piæ memoriæ filius unà cum consensu & suggestione *Reverendiss. ac Sanctissimi Domini Ansperti Archiepiscopi Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ*, (13) necnon Venerabilium Episcoporum, & Illustrium Optimatum, reliquorumque fidelium suorum in regno Italico ad honorem Sanctæ Dei Ecclesiæ, & ad pacem ac profectum totius Imperii sui, fecit anno Incarnationis Domini nostri Jesu Christi DCCCLXXVII. (14) Regni verò sui in Francia XXXVI. Imperii autem sui primo, Indictione IX. mense Februarii, in palatio Ticinensi.

TITULI CAPITULORUM.

Cap. I. *Ut Sancta Romana Ecclesia sicut est caput omnium Ecclesiarum, ita ab omnibus honoretur.*

II. *Ut honor Domno & spiritali Patri nostro Joanni Summo Pontifici & universali Papæ ab omnibus observetur.*

III. *Ut in termino Beatorum Petri & Pauli Apostolorum nemo aliquam vastationem facere præsumat.*

IV. *Ut Ecclesiasticus honor, & Sacerdotalis atque Clericalis reverentia in omnibus custodiatur.*

V. *Ut Imperialis honor ab omnibus fideliter observetur, & præcepta à nullo violentur.*

VI. *Ut Episcopi ministerium suum secundùm sacros Canones peragant prædicando, corrigendo, confirmando.*

VII. *Ut Episcopi præcipuè per se prædicationem, & per suos exerceant, secundùm jussionem Domini Nostri.*

VIII. *Ut seculares & fideles laici diebus festis in civitatibus ad publicas stationes occurrant.*

IX. *Ut nullus Presbyter latibulosa Missarum officia celebrare præsumat, sinè Episcopi licentia.*

X. *Ut Episcopi proximum Ecclesiæ suæ claustrum instituant, in quo ipsi cum Clero regulariter Deo militent.*

XI. *Ut Presbyteri residere cogantur, sintque subjecti in omnibus suo Episcopo, secundùm Canonicam auctoritatem.*

XII. *Ut à domibus Sacerdotum propter malæ opinionis famam habitacula fœminarum penitus tollantur.*

XIII. *Ut venationem nullus in Sacris Ordinibus exerceat, neque arma militaria portare audeat.*

XIV. *Ut res Ecclesiasticas nemo auferre præsumat, & alienata libellario, vel emphiteutico jure recuperentur.*

XV. *Ut Ecclesias Baptismales, quas Plebes appellant, secundùm consuetudinem antiquam filii instaurent.*

XVI. *Ut Episcopi Comites, & Vassos Regios in Parochia sua diligant, & econtra illi Episcopos.*

XVII. *Ut prævideat unusquisque secundùm ministerium suum, ne prædæ & devastationes fiant.*

XVIII. *Ut mortuo Episcopo nullus facultates diripiat, sed Erogatariis, & Eleemosynariis Ecclesiæ confugiatur.*

XIX. *Ut Decimæ collaborationum, & animalium, secundùm sacra præcepta sinè fraude offerantur.* (15)

XX. *Ut nemo Fidelium quoquo modo celet aliquem, quem sciat esse Regi infidelem.*

Quæ sequuntur desumpta sunt ex editione Capitularium Franc. Balutii tomo II.

CAPUT I.

Ut Sancta Romana Ecclesia, sicut est caput omnium Ecclesiarum, ita ab omnibus honoretur, & veneretur; neque quisquam contra jus & potestatem ipsius aliquid injustè agere præsumat: sed liceat ei debitum tenere vigorem, & pro universali Ecclesia pastoralem exhibere curam, atque sacris precibus omnium pro omnibus interpellare auctorem.

II.

Ut honor Domno & Spiritali patri nostro Joanni Summo Pontifici & universali Papæ ab omnibus conservetur; & quæ secundùm sacrum ministerium suum auctoritate Apostolica decreverit, cum summa veneratione ab omnibus

(12) In juramento memorato Hincmari, postrema hæc verba ita leguntur: *Sic Deus me adjuvet, & ista Sancta Patrocinia*, idest *Reliquiæ Sanctorum*, ut explicat Ducangius in Glossario.

(13) Etiam hæc verba diverso charactere signata nunc primùm prodeunt ex MSto Ambrosiano.

(14) Mendum scripturæ; constat enim edita hæc esse anno superiore.

(15) Decretum hoc in editis ponitur sub num. XI.

bus suscipiantur, & debita illi obedientia in omnibus conservetur.

III.

Et licèt in omnibus id observare velimus, præcipuè tamen sancimus, ut in termino Beatorum Petri & Pauli Apostolorum Principum nemo in eundo, & redeundo, vel ibi morando, aliquam vastationem, & deprædationem facere præsumat; & quæ ipsius Sanctæ Ecclesiæ propria sunt, nemo aliqua iniqua machinatione, sinè voluntate ipsius Sacri Pontificis sibi vindicare præsumat. Quod si quisquam fecerit, restitutis malè præsumtis, immunitatem ipsius Ecclesiæ persolvat, & bannum nostrum tripliciter componat.

IV.

Ut Ecclesiasticus honor, & Sacerdotalis, atque Clericalis reverentia, debita competentique sinceritatis religione ab omnibus amplectatur, & in omnibus custodiatur, sicut avi & genitoris nostri monent edicta.

V.

Ut Imperialis honor ab omnibus fideliter observetur; & quæ ab eo seu per epistolam seu per legatos præcipiuntur, à nullo impunè audeant violari.

VI.

Ut Episcopi ministerium suum, secundùm sacros, & à Sancto Spiritu promulgatos Canones peragant; Parrochias suas absque alicujus impedimento, prædicando, corrigendo, & confirmando circumeant; & in hoc agendo nullus ei contraire, & quod ad ministerium illorum pertinet contradicere in ipsis Parrochiis audeat, vel eis exinde aliquam molestiam inferat; sed adjutor, si oportuerit, invitatus à Pontifice quisque Ecclesiæ filius existat; ut liceat eis criminalia scelera, & alia quæque corrigenda inquirere, discutere & dijudicare canonicè. Quod qui temerare protervè præsumserit, triplicem legem & triplex bannum nostrum persolvat.

VII.

Ut Episcopi secundùm sacram jussionem Domini Nostri Jesu Christi prædicationem per se, vel per suos congruenter exerceant, & Presbyteros suos ut similiter faciant instruere procurent.

VIII.

Ut Seculares & fideles laici diebus festis, qui in Civitatibus sunt, ad publicas stationes occurrant: & qui in villulis & possessionibus sunt, ad publicum officium in Plebem festinent.

IX.

Ut nullus latibulosa Missarum in suis domibus officia celebrare præsumat sinè sui rationabili licentia Episcopi.

X.

Ut Episcopi in Civitatibus suis proximum Ecclesiæ claustrum instituant, in quo ipsi cum Clero secundùm Canonicam regulam Deo militent.

XI.

Ut Episcopi Sacerdotes suos ad hoc constringant, ut Ecclesias non relinquant, & alibi habitare præsumant. Sint etiam subjecti proprio Episcopo secundùm Canonicam auctoritatem, nec per contumaciam ab eorum potestate dissiliant. Neque seculari potestati ad hoc eis commendare se liceat, aut eos quilibet recipere audeat, aut contra Canonicas leges, & debitam Episcopi potestatem quodammodo defensentur. Hujusmodi verò Sacerdotes Episcopalis illico censura disciplinis Ecclesiasticis subdat. Nec fas est omnium eorum sollicitudinem Episcopos non gerere, quibus in committendis sacris Ordinibus dignum visum est communicasse.

XII.

Ut à domibus Sacerdotum, propter malæ opinionis famam, habitatio fœminarum penitus tollatur; neque illi in domos illarum intrare indiscretè præsumant, ne nomen Dei, quod absit, per illos blasphemetur, per quos laudari piè & jugiter debet.

XIII.

Venationem quoque nullus tam sacri ordinis exercere præsumat; neque arma militaria pro qualicumque seditione portare audeat, aut habitum quemlibet tantum apicem Sacerdotii non decentem assumat.

XIV.

Ut res Ecclesiasticas tam mobiles, quàm & immobiles nemo invadere, vel auferre præsumat; & quæ à Rectoribus Ecclesiæ hactenus, ob timorem vel favorem, alicui libellario, vel emphyteuticario jure dolosè, vel cum damni detrimento Ecclesiæ amisisse videntur, ad pristinum jus revertantur: quatenus liceat illis, quibus earum cura commissa est, quieto & pacifico ordine eas tenêre, & pro nobis, ac regno nobis à Deo commisso orare, pauperibusque debita stipendia erogare, familiam Ecclesiæ justè & rationabiliter regere, & gubernare. Transgressoribus autem indicimus injustè præsumta restituere, & sicut superiùs præfixum est, triplicem legem, & triplex bannum nostrum persolvere.

XV.

Ut Ecclesias Baptismales, quas Plebes appellant, secundùm antiquam consuetudinem Ecclesiæ filii restaurent.

XVI.

Ut Episcopi Comites & Vassos nostros in Parrochia eorum manentes paterno amore secundùm Ecclesiasticum ministerium diligant. Ipsi verò Comites & Vassalli, seu reliqua generalitas prædictos Episcopos ut sanctos patres honorent & venerentur, & ad ministerium illorum peragendum, ubicumque potuerint, eos adjuvare decertent. Si verò, quod non optamus, eis infesti, quominus quæ Dei sunt exercere possint, reperti fuerint, aut ipsi contra leges officia sua violaverint, & eos, quos venerari debent, inquietaverint, secundùm Capitulare avi & genitoris nostri emendent. Qualiter quoque Presbyteros ac reliquos gradus honorent, ipsius Capitularis forma doceantur. Ipsi nihilominus Episcopi, singuli in suo Episcopio, Missatici nostri potestate & auctoritate fungantur.

XVII.

Ut Episcopi, & Comites in suis ministeriis commorantes in suis consistant domibus cum suis Vassallis, neque præsumant occasione hospitii in pauperioris cujusdam vicini domo, nisi rogati, commorari; quia ob hoc maximè deprædationes & discordias hactenus pullulasse manifestum est. Prævideant quoque, secundùm ministerium unusquisque suum, ne in potestate illorum prædæ & devastationes fiant. Et si aliqui hoc facere tentaverint, omni sua virtute illis resistant. Et si ipsi per se constringere illos ad emendationem non potuerint, constitutis Missis nostris renuntient, ut ipsorum judi-

judicio legaliter secundùm Capitulare avi & genitoris nostri emendent. Quòd si & ipsi hoc emendare nequiverint, ad nostram notitiam perducant.

XVIII.

Ut quotiens Divinum judicium aliquem Ecclesiæ Præsulem è seculo vocaverit, nullus ad suimet perditionem facultates ejus invadat, diripiat, & ad jus suum transferat, sed Erogatariis, & Eleemosynariis Ecclesiasticis, cum ipsius Ecclesiæ constituto OEconomo, liberum sit, canonico more, justè rationabiliterque deputata successori futuro reservare, vel quibuscumque, sicut expedit, pro ejus spiritu distribuere. Quod qui iniqua cupiditate transgredi præsumpserit, ut superiùs prælibatum est, irrefragabiliter multetur.

XIX.

Ut decimæ collaborationum, & animalium secundùm sacra præcepta Domino absque fraude, & aliqua retractatione offerantur; & in potestate Episcopi maneat, qualiter Presbyteris dispensentur canonice.

XX.

Ut nemo fidelium nostrorum quodammodo aliquem celet, quem nostrum scierit infidelem esse, neque ei sustentationem quamcumque præstare pertentet, si eum ad nostram fidelitatem revocare nequiverit. Quicumque autem contra hæc fecerit, prædecessorum & progenitorum nostrorum judicium experietur.

Anspertus Archiepisc. Mediolanensis subscripsi.

Joannes humilis Aretinæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Adalardus servus servorum Dei Sanctæ Veronensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Adalgaudro Vercellensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Azo Eporediensis Episcopus subscripsi.

Benedictus Episcopus Cremonensis subscripsi.

Hildradus Albensis Episcopus subscripsi.

Gerardus exiguus Laudensis Episcopus subscripsi.

Joannes humilis Sanctæ Ticinensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Theudulphus Terdonensis Episcopus subscripsi.

Hilduinus Astensis Episcopus subscripsi.

Sabbatinus humilis Januensis Episcopus subscripsi.

Signum Bosonis Ducis & Missi Italiæ atque Sacri Palatii Archiministri.

Signum Bernardi Comitis.

Signum Berdradi Comitis Palatii.

Signum Richardi Comitis.

Signum Airboldi Comitis.

Signum Cuniberti Comitis.

Signum Supponis Comitis.

Signum Alberici Comitis.

Signum item Bernardi Comitis.

Signum Hardingi Comitis.

Signum Berardi Comitis. (16)

Joannes Tuscanensis Episcopus Legatus Sanctæ Sedis Apostolicæ, & Domini Joannis Summi Pontificis Papæ Vicarius interfui, consensi.

Ansegisus Senonum Metropolis Episc. Sanctæ & Apost. Sedis (*Vicarius*) in his, quæ superscripta sunt interfui, consensi, & subscripsi.

Et Joannes Aretinus Episcopus Sanctæ Sedis Apostolicæ Legatus interfui, & subscripsi.

Hincmarus Remorum Episcopus subscripsi.

Aurelianus Lugdunensis Episcopus in Christi nomine roboravi.

Otrannus Viennensis Ecclesiæ Episcopus.

Bertmundus Ebredunensis Ecclesiæ Archiepiscopus.

Walterus (17) humilis Aurelianensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Gislebertus Carnotensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Hadebertus Sylvanectensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Valpertus Valentinæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Agenulfus Gabalitanensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Frotarius Archiepiscopus consensit, & subscripsit.

Joannes Rotomagensis Ecclesiæ Archiepiscopus subscripsi.

Rangenelmus Tornacensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Gerboldus Cabullonensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Hildebodus Suessionensis Episc. subscripsi.

Rostagnus Sanctæ Arelatensis Ecclesiæ humilis Episcopus subscripsi.

Ingelvinus Sanctæ Parisiensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Odo Belgivagorum Episcopus in Christi nomine subscripsi.

Bernarius Gratianopolitanæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Brico Wapricensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Alduvinus Avenionensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Hildebrandus Sagensis Episcopus subscripsi.

Ragenfridus Meldensis Episcopus subscripsi.

Signandus Constantiensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Anselmus Lemovicensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Wilelmus Carducensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Otulphus Sanctæ Tricassinæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Arnaldus Leucorum Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Teutricus (18) Vesuntinorum Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Adalgaricus Augustudensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Wido Vallavensis Episcopus subscripsi.

Wilebertus humilis Catalaunorum Episcopus subscripsi.

Heirardus Luxeviensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Æterius Visuariensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Hedenulphus Laudunensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Lupus Albiensis Ecclesiæ Episc. subscripsi.

Ber-

(16) Nemo ex Conciliorum Collectoribus, quos viderim, quique Concilium Pontigonense describunt, iteratas hasce Italorum Antistitum, & Optimatum subscriptiones retulit. Leguntur tamen in Capitularibus Regum Francorum à Balutio editis, ubi de hac Synodo loquitur. Id factum crediderim, quòd primò subscripserint electioni in Regem Italiæ Caroli Calvi; postmodum ipsius jam electi decreta firmaverint, non omnes tamen, ut ipsæ subscriptiones docent.

(17) Aliis *Ratbertus*.

(18) *Theodoricus* in editis.

Bernardus (19) Sanctæ Viridunensis Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Franco Tungrorum Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

Wala Autissiodorensis Episcopus subscripsi.

Albustus Abbas in Monasterio, quod dicitur Bethleem, sive Ferrario, subscripsi. (20)

Sequebatur etiam deinde in originali.

PRidie Idus Julii in loco, qui vocatur Pontigonis, ita à Legatis Sedis Apostolicæ Leone Apocrisario, Petro, Joanne, itemque Joanne Legatis, ac Ansegiso Vicario ejusdem Sedis, & ab omni Concilio definitum est de Adalgondo (21) Presbytero. Quia Domnus noster Joannes Sanctissimus Papa nos quidem, me scilicet . . . . . & Leonem Gabinensem Episcopum S. R. E. Missum, & Apocrisarium, & Petrum venerabilem Forosempronienſem Episcopum ad hoc in has partes direxit, sicut pridem Episcopos, Joannem videlicet, & Joannem mandaverat, quia diutiùs morari nequimus, ab ipso revocati, & vestram beatitudinem longiùs fatigare noluimus, hos Fratres nostros, Joannem videlicet Aretinum, & Joannem Tuscanensem Episcopos commorari decrevimus, usque dum res optatum finem accipiat in Synodo, in qua auctoritate Apostolica liberè omnia definire poterunt, grataque erunt. (22)

(19) *Berardus* apud omnes.

(20) Subscriptiones istæ diverso ordine in editis referuntur, neque omnes in Ambrosiano Codice extant, quæ ibi leguntur; nonnullæ etiam voces diversimodè inflectuntur, sed ea adnotare non placuit, ne Lector gravetur, cùm facilè conferri hæc possint cum vulgatis.

(21) Apud alios Conciliorum editores vocatur *Adalgaudus*.

(22) Habentur hæc prolixiùs in editis Actis Concilii Pontigonensis; sed cùm nonnulla differant, ea etiam addere non ingratum putavi.

FINIS.



ANONYMI
SALERNITANI
PARALIPOMENA

HOC EST

RELIQUA PARS HISTORIÆ AB EO CONSCRIPTÆ NONDUM EDITA

Ab Anno circiter 760. usque ad Annum circiter 960.

NUNC PRIMUM PRODIT

EX MANUSCRIPTO CODICE

P. EUSTACHII CARACCIOLI

CLERICI REGULARIS;

ACCEDUNT NOTÆ

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

IN ANONYMI SALERNITANI PARALIPOMENA
PRAEFATIO
LUDOVICI ANTONII MURATORII.

MEminerit Lector, sibi ante oculos jam versatum fuisse *Anonymum Salernitanum*, in Tomo nempe antecedente Secundo pag. 281. curâ meâ recusum, & ampla jamdudum Praefatione ornatum a Cl. Viro Camillo Peregrinio, qui eum primus tenebris ereptum in palaestram Literatorum eduxit. Sed simul quisque meminerit, non universam illius Historiam, sed excerpta tantum, ac frusta fuisse ab eodem Peregrinio evulgata. Mirabar ego hominis consilium, qui non doctrina minus quam ingenio subacto illustris, in animum induxerit, laceratum potius, quam integrum nobis exhibere vetustissimum Scriptorem, Scriptorem nimirum Decimi a Christo nato Seculi. Immo, ne quid dissimulem, paene Peregrinio vitio dabam, quod quum Langobardicam veterem Historiam sibi illustrandam sumsisset, nihil moratus Italicorum Historicorum per ea tempora penuriam, & contemta Eruditorum siti, tantam Salernitanae hujusmodi Historiae partem deperire, sciens, ac volens, sivisset, unde instituto suo accessio non levis fieri potuisset. Et ille quidem, ut vir plane sagax, meas quamquam tunc nondum nati, immo & ceterorum hac de re querelas praesensisse ac praeoccupasse videtur. Audi quid ille habeat in Praefationis suae calce ad Anonymum ipsum, de quo nunc agimus, pag. 286. Tom. II. Collectionis hujus: *Si quis vero*, inquit, *a me petet, cur subscriptas potius, quam alias ejusdem Historiae partes evulgaverim, videat is quaeso, an petitioni tunc suae satisfecissem, quando non has, sed alias, nec tamen integram Historiam, edidissem; quam sane provinciam ejusdem Anonymi civibus jure merito relinquendam putavi*. Ita is, & procul dubio ludens, quo interrogationem, simulque vota nostra eluderet.

Itaque mihi in id solicite intento, ut quaecumque medii aevi Italica monumenta supersunt, congeram, nihil antiquius fuit, quam ubique magna animi contentione rimari, petere, ac instare, quo mihi tamdem, ac universae Reipublicae integram *Anonymi Salernitani* Historiam compararem. Potissimum vero Neapolitanos Cives aliquot doctrinae gloria praestantes, quorum in me studium ac benevolentiam senseram toties, diu precibus paene in hac re defatigaram; quum ecce mihi opem tulit Clarissimus Vir *Nicolaus Carminius Falco*, Neapolitanae Urbis illustre ornamentum, quem Theologiae, Jurisprudentiae, & Graecarum Latinarumque literarum eruditio jam celebrem fecit, ac celebriorem etiam effectura est, ubi nobilem Dionis Cassii Historiam, cujus hucusque tres posteriores tantum Libros paene in vitam revocavit, ac edidit, integram nobis ac illustratam dabit, pro ut ipse sperare nos facit. Is inquam, vix meam de reperiundo, simulque evulgando Anonymo Salernitano solicitudinem audivit, quum sponte, ut est non minus disciplinarum copia, quam humanitate praestans, & publicae utilitatis amantissimus, mihi antigraphum obtulit, ac describendum permisit. Erant autem Peregrinio Historiae hujus exempla duo in Codicibus ex vulgari papyro compactis, neque tamen antiqua, utpote ex altero Frecciano, & ne ipso quidem vetusto, expressa. Vaticana quoque Bibliotheca, & Columnensis, & Aniciana in Urbe, ejusdem Historiae Codices adservare dicuntur. Mihi igitur Clarifs. Falco alterum exemplum procuravit, quod est penes doctissimum ac piissimum P. D. Eustachium Caracciolum Clericum Regularem, cujus postremum decus est ex nobilissimis Marchionibus Torellae originem traxisse, & cui peculiare studium fuit congerere quidquid antiquitas ministrare potest ad cognoscendam potissimum Neapolitani Regni Historiam. Et quidem in isto quoque exemplo omnia occurrebant, quae Peregrinius se in Frecciano conspexisse fatebatur, nisi quod Amanuensis, quo ego sum usus, antiquis Frecciani exempli sphalmatis sua etiam suc-

ſuccenturiavit, ad quae tollenda, quamquam non modicum temporis ac diligentiae adhibuerim, me tamen vadem non praeſtarem, omnia, quod optabam, a me fuiſſe ſublata. Neque enim mihi eam licentiam tribuere conſuevi, ut alienis ſenſis, quoties ea minime aſſequor, ſive ſint ex Auctoribus ipſis profecta, ſive ex Librariorum oſcitantia procedant, imaginationes meas ſubſtituere velim; ſed ea tantum expurganda novi, quae legitimus Critices uſus adulterina eſſe in Codicibus ſatis aperte docet, reliquis ſubobſcuris meliorum judicio dimiſſis.

Interim mecum Lector intente perſcrutetur velim, quae olim ratio Peregrinio ſuaſerit, ut quaſdam tantum Anonymi hujus partes, non vero integram Hiſtoriam in publicum diem efferret. Duplicem divinare liceat. Altera fuerit, quod Scriptor iſte, puerilis ſane ingenii, uti poſt Peregrinium, qui idem jam diu ſenſit & monuit, unuſquiſque continuo ſentire poterit, aniles quaſdam fabulas, praeſertim ubi tempora Caroli Magni deſcribit, nimia credulitate hauſit, iiſque non ſecus ac gemmis nihil titubans narrationem ſuam ornavit; has autem in Hiſtorici dedecus vergere, atque ex ejuſmodi ineptiis reliquam Hiſtoriae faciem conſpurcari, immo veris ipſis rebus per haec fidem detrahi putarit. Fuerit altera, quod poſteaquam *Herchempertum*, jam ab Antonio Caracciolo, & mox ab ipſo Peregrinio editum, Salernitanus iſte non leviter expilaſſe deprehendebatur, nullius emolumenti videbatur repetita accipere a poſteriore Hiſtorico, & quidem minoris pretii viro, ea, quae ex primigenio fonte facile ac purius peti poterant, & petenda rectius jam erant. Mihi vero contraria ſententia placuit, atque in eam quoque Eruditorum Senatum conceſſurum confido, ſimul ac legerint, ac rite perpenderint, quaecumque antea abdita Salernitani noſtri ſcripta, nunc me curante, luce donantur. Quantis enim tenebris Italica Hiſtoria Seculi Noni ac Decimi prematur, jam norunt Literati viri, & ego ſaepe ac ſaepius non ſatis dolui. At quando illuſtres rerum noſtrarum Scriptores per illa tempora proferre non licet, quis non videt, vel triobolares & plebejos, dum ea aetate floruerint, & ſcripſerint, ambabus ulnis nobis excipiendos, & magni etiam faciendos? Utique ea Secula noſcere cupientibus praeſtat habere Hiſtoricos, quales poſſumus, quam nullos. Neque vero adoptatae a Salernitano fabulae nonnullae juſtam praebere poſſunt cauſam, quare illius Commentarios averſari velimus. Enimvero de pleriſque rudium Seculorum Hiſtoricis actum fuiſſet, ſi apud majores noſtros obtinuiſſet tam delicatus rigor. Actum quoque foret de compluribus hactenus luce carentibus, ſi in animum induceremus, nullos alios amplecti, quam qui a fabulis penitus immunes ſe produnt. Olim nempe rudes homines, & parum in Critica Arte exculti, quo mirabiliora audiebant, licet ficta, licet popelli ſomnia (neque enim Impoſtorum ſemen umquam exaruit) eo avidius excipiebant, literiſque mandabant. Quo vitio quum fere omnes Seculis iis laborarent, nemo tamen mihi ſuccenſeat, ſi dixero, Monachos potiſſimum nimia hujuſmodi credulitate excelluiſſe, & pronos in fabulas ruiſſe: nimirum quod ex iis non pauci, ſimplex hominum genus, quum ab imponendo aliis nimis alieni forent, ne ab aliis quidem ſibi imponi ſuſpicarentur. At ii ipſi Monachi ita nobis, & veterum monumenta, & illorum temporum vera geſta ſervarunt, ut ſi iidem defuiſſent, atque ſi ipſos audire nunc deſinamus, exſanguis omnino neceſſe ſit reſtet plurium Seculorum cognitio. Critici ergo eſt ab antiquorum fabulis certa ſecernere, & in iis ipſis fabulis interdum vera exſpicari: nihil vero facile aſpernari.

Salernitanus autem noſter, ut ut fateri cogamur fabulis nonnumquam indulſiſſe, numquam tamen dixeris a ſe ficta venditaſſe. Et quod maximi faciendum eſt, plura minime dubia de antiquis Beneventi, Salerni, & Capuae Principibus in uſum noſtrum ſcripſit, quae non aliunde ſperes, & e quibus Regni nunc Neapolitani, & Seculi IX. & X. Hiſtoria plurimum lucis accipiat. Quod ſi *Herchempertum* is non uno in loco depopulatus eſt, nemo tamen inficias iverit, quin plerumque ab eo derelicta enarret, aut ab ipſo traditis aliquid adjungat. Potiſſimum vero quae poſt Erchemperti mortem literis conſignata in hoc Libro occurrunt, uni Salernitano nos debemus accepta referre. Quare non ſolum ſine haeſitatione, ſed ingenti cum gaudio illius *Paralipomena* evulgare conſtitui, in eam ſpem ductus, fore ut ceteri faterentur, hinc non parum accedere poſſe ad Italicae eruditionis promtuarium. *Paralipomena*, inquam, ſive quae relicta ſunt, & nondum edita a Camillo Peregrinio; neque enim defuere, qui mihi auctores erant, ut illis etiam rurſus editis, atque cum hiſce conjunctis, integram heic & continuatam Anonymi Salernitani Hiſtoriam Lectori ſiſterem. Sed quoniam tam illa, quam iſta unum Opus eſt complexurum, nulloque negotio. Lector, quae heic omittun-

tuntur, mutuari potest ex praecedente Tomo II. chartae omnino parcendum duxi, & ea dumtaxat, quae hactenus desiderabantur, huic Tomo commendare satius putavi. Et praecipue quod Peregrinius a se edita cum luculenta Praefatione, tum Notis eruditis ornavit, quae sive repetiissem, sive omisissem, utrumque incommodo minime caruisset.

Nunc aliquid de ipso *Anonymo Salernitano* ad memoriam revocandum est, ex iis videlicet, quae jam Peregrinius erudite pro suo more est commentatus. Patria procul dubio ei Salernum fuit: genus Langobardicum, quum gentem illam ubique laudet. Illustri etiam loco natum ea produnt, quae de Abavo suo *Rodoalt* habet num. LIII. auctor enim est, ipsum una cum *Radolfo germano suo* sub Sicardo Principe Beneventano Neapolim se recepisse, addens: *ipse Rodoald abavus meus extitit*. Non consuevere infimae conditionis homines arbores Genealogicas domi habere. Majores etiam suos, si patrem, aut avum excipias, plerique ignorant. Praeterquamquod illic res gesta prodit, de illustribus viris agi. Ecclesiasticae quoque militiae addictum fuisse Anonymum nostrum, sunt quae persuadent: passim quippe Sacrae Scripturae phrasibus atque auctoritate utitur, & in Sanctorum Patrum scriptis minime hospitem se se exhibet, usque adeo, ut non immerito ipsum *Monachis Benedictinis* accensendum Peregrinius opinetur. Quod postremum sententiâ quoque meâ suspicari, affirmare tamen praefracte non liceat; nusquam enim Monasterii sui, suorumque Abbatum meminit: a quo Monachus vix temperasset in tot rerum gestarum, bellorumque narratione contexenda. Idque in causa fortasse fuerit, quod Clarissimus Vir Mabillonius in Annalibus Benedictinis eum inter Scriptores instituti sui minime numerarit. Frustra vero hactenus quaesitum illius nomen, ac proinde ei indita *Anonymi Salernitani* appellatio. Cardinalis Baronius in Annalibus Ecclesiasticis, Gaspar Musca, & post eum Ferdinandus Ughellius in Catalogo Salernitanorum Antistitum, immo & ipse Leo Marsicanus Episcopus Ostiensis in Chronico Casinensi, quibus Historia haec non nota solum, sed in usu etiam fuit, eamdem sub nomine *Erchemperti*, sive *Heremperti*, laudarunt. Non alia profecto ratione, nisi quia tum antiqui tum recentes Codices ipsius Herchemperti Historiam huic praefixam complectebantur, ibique unus hic titulus occurrebat: *Historia Heremperti Viri illustris ex prosapia Principum Langobardorum*: scilicet nulla subinde epigraphe addita subsequenti Historiae Salernitani nostri, quae tamen absque dubitatione alia est ab Herchempertina. Liceat mihi nunc meam exerere conjecturam, quam prout volunt excipiant, aut despiciant Lectores; mihi enim idem fuerit. *Ardericum* fuisse nomen Auctori huic, facit ut suspicer unum Carmen in calce Historiae hujus legendum, *Rofrit*, sive *Roffrido Comiti* dicatum, cujus laudes Poëta multis prosequitur. Ita se habent priores quatuor versus.

O Comes excelso praefulgens culmine Rofrit,
Pectore Pierium percipe Poema pio.
Mos tuus, & species nam prodit, & actio, quicquid
Ardericus refero, haec ego pauca boans.

Cur enim aliis potius, quam ipsius Historiae Auctori Carmen hoc tribuas? Profecto Salernitanus noster Musis litabat, easque excolebat; versus etiam pangebat, & quidem improbos, uti adhuc testatur illius Carmen heic itidem legendum, quo suum Librum Pandulpho Caputferreo Beneventano ac Salernitano Principi dicat. Par utrobique stilus, eaedemque Poëticae Charites, indicare omnino videntur *Ardericum Salernitanum* utriusque Carminis, & per consequens Chronici ipsius Auctorem. Et quidni? quum Historia haec complectatur quidem Epitaphia nonnullis Principibus, aut illustribus viris posita, congestaque ab ipso Historico; sed nullum alterius Poëtae Carmen. Quod spectat ad illustrem illum *Roffridum Comitem*, ad quem Ardericus Poëta scribit, ne hoc quidem ab aetate *Anonymi Salernitani* abhorret. Ut infra dicam, floruit iste circiter Annum 980. Adi nunc Vulturnense Chronicon editum part. II. Tom. I. Rer. Italicar. ubi Charta refertur pag. 493. scripta Anno 1003. nempe donatio facta ab illustri femina *Maria filia bonae memoriae Roffridus Comes, & uxore Potefrit*. Ergo vixerit in Capuano, aut Salernitano Principatu circiter Annum 980. *Roffridus* iste *Comes*; atque is facile fuerit ille *Comes Rofrit*, in cujus laudes *Ardericus* se se effundit, ita ut congruentibus personis, locis, atque temporibus, idem cum isto Arderico fuisse censeri possit, qui hactenus *Anonymus Salernitanus* est nuncupatus.

Annum indicavi 980. quo Scriptor iste vixerit, & Historiam suam elucubrarit. quam sententiam rite jam dudum statuit & firmavit Peregrinius. Nimirum ad ea usque tempora constat illius narrationem pertingere. Ad haec Historiam ipsam Pan-

Pandulfo Caputferreo dicat, qui currente Anno 978. Principatum Salernitanum Beneventano & Capuano conjunxit: idque Anonymus (sive is sit *Ardericus Salernitanus*) populis iis felicitati tribuit. Denique enarrata violenta morte Adelchisi Principis Beneventani, quae circiter Annum 879. contigit, dicere pergit de loco necis: *Ab illo tempore nequaquam ibidem herba orta est, donec usque nunc nostris quoque temporibus centum anni expleti sunt*. Si post expletos a caede illa centum annos scribebat Salernitanus noster, ergo is florebat circiter Annum 980. Ceterum jam Peregrinius animadvertit, Scriptorem hunc Grammaticali eruditione pueriliter distentum fuisse: cujus rei exempla in his quoque Paralipomenis occurrunt. Indulgendum tamen homini, hujusmodi merces tunc venditanti, quippe ignorantia meliorum disciplinarum longe lateque iis temporibus regnante, famam saltem ex hisce minimis studiosi literarum sibi conquirebant. Immutata quidem sunt tempora; sed nobis felicibus nefas foret iis insultare, aut irasci, quod pari scientia ac felicitate minime fruerentur. Atque haec mihi commemoranda erant de pervetusto Scriptore isto, cujus *Paralipomena* tamdem Lector accipiat. Subjungebantur in calce Codicis Carmina quaedam, inscripta tumulis olim Illustrium Virorum, atque alia nonnulla antiquitatis rudera, e quibus nihil deperditum volui.

Copia

Copia Historiarum (1) Heremperti Viri illustris ex prosapia Principum Langobardorum.

IN nomine Domini, & Salvatoris nostri Jesu Christi. Incipit Liber quarumdam Historiarum, Dominorum diversorum, guerrarum Regni Italiæ, prout inventum fuit in quodam antiquo Libro literarum Langobardarum; cujus Libri principium non continebatur, & propter hoc sicut incipiebat prædictus Liber suas Historias recitare, ita nos incœpimus in præsenti Libro ipsius Historiam scribere & continuare.

ANno ab Incarnatione Domini Quingentesimo Septuagesimo (2) quarto, incœpit Regnum Italiæ per Reges Langobardorum. Quorum primus
Alboinus, qui regnavit annos III. menses VII.
Cleph regnavit annos V.
Authari (3) annos IX.
Agilulphus regnavit an. XII.
Adebaldus crinutus an. X.
Ariobaldus regnavit an. X.
Rothari regnavit an. XIII. m. VI.
Roboaldus regnavit m. IV.
Aripert regnavit an. IX.
Grimoaldus regnavit an. IX.
Bertharit regnavit an. XIV.
Cunipert regnavit an. XIV.
Liutpert regnavit an. XI. m. VII.
Aripert alter regnavit an. XII.
Anspran regnavit m. III. dies V.
Liupran. regnavit an. XXXIII.
Hilpran regnavit m. VIII.
Rachis regnavit an. V. m. III.
Aistolfus regnavit an. VIII. m. VI.
Desiderius regnavit an. XV. m. X.
Et sic complentur an. CXI. in quibus præfati XX. Reges regnaverunt in Regno Italiæ, prout particulariter superiùs denotatur. Quo tempore capta fuit Papia, Incarnationis Domini eo tempore ibat annus CLXXV.
Post verò prædictos XX. Reges, pervênit dominium Regni Italiæ ad Carolum Imperatorem succedentem Regi Desiderio supradicto secundùm quod in antea pleniùs enarrabimus. Qui Carolus Imperator fuit ex genere Regum Franciæ infrascriptorum, qui regnaverunt in Francia ante præfatum Imperatorem Carolum per tempora infrascripta.
Pipinus senior regnavit in Francia an. XXVII.
Carolus regnavit in Francia an. XXII.
Pipinus, & Carolus Mannus Reges in Francia an. X.
Pipinus regnavit an. XXVII.
Carolus, & Carolus Magnus regnavit an. IV.
Carolus Imperator, de quo prædiximus, regnavit in Italia an. XXXVIII. imperavit an. XIV.
Pipinus in Italia imperavit an. XXII.
Ludovicus imperavit an. XXV.
Lotharius imperavit an. XXX.
Ludovicus imperavit an. XXVIII.
Carolus imperavit an. VI.
Carolus imperavit an. VIII.
Guido imperavit an. VIII.
Lambertus imperavit an. IV.
Ludovicus imperavit an. XII.
Berengarius regnavit an. XXII.
Hugo Rex an. XX.
Lotharius an. XI.
Verengarius an. XI.
Otto Imperator Augustus an. XXI.
Otto Imperator an. XII.

ANno ab Incarnatione Domini DLXVIII. Principes cœperunt principari in Principatu Beneventi, quorum primus vocabatur Zotto.

Ari-

(1) Hujus Historiam jam supra editam habes Tom. II. Rerum Italic. pag. 238. immo & recusam Tom. V. pag. 15. qualem Antonius Caracciolus Cler. Regular. omnium primus protulerat. Et quidem in Codice eodem, unde Anonymus Salernitanus desumtus est, legebatur idem Herchemperti Opusculum, atque ita ipsius nomen in titulo occurrebat, ut Baronius putarit, omnia etiam, quae ab Anonymo Salernitano profecta sunt, uni Herchemperto esse tribuenda. Eumdem vide in Annal. Ecclesiastic. ad annum 871.

(2) Ut in Notis ad Paulum Diaconum, & in Langobardicarum Legum Prologo adnotatum fuit, Langobardi anno Christianae Aerae 568. Italiam ingressi sunt. Quei ergo ad annum 574. exordium Langobardici Regni in Italia protrahatur? Ticinum post triennalem obsidionem in Alboini potestatem cessit: ex quo saltem anno decurrere ei coepit Regiae in Italia potestatis Epocha. Quare haec emendanda; & praecipue quum infra Zottonis Beneventani Ducis ex gente Langobarda exordium referatur ad annum 568.

(3) Ne fidem facile adhibeto Chronologicae huic Tabulae in assignandis Regni annis singulis Langobardorum Regibus; nam aut Auctoris, aut Librariorum vitio numerus annorum ab auctoritate Pauli Diaconi, aliorumque certiorum monumentorum, interdum deflectit. Ego emendare, aut plura adnotare superfluum duxi.

Arichis sedit an. L.
Ayo filius ejus sedit an. I. & m. II.
Radoaldus sedit an. V.
Grimoaldus sedit an. XXV.
Romoaldus filius sedit an. XVI.
Grimoaldus sedit an. III.
Gisulfus filius ejus sedit an. XIV.
Romoaldus filius ejus sedit an. XXVI.
Audelajus sedit an. XI.
Gregorius sedit an. VII.
Godescalcus sedit an. III.
Gisulfus sedit an. XIV.
Liutprandus an. VIII. m. III.
Arichis sedit an. XXIX. m. V.
Grimoaldus filius ejus an. XIX.
Grimoaldus alter Storesays an. XI. m. I. & dies X.

A

Sico exul de Civitate Spoletina an. XII. m. II.
Sicardus filius ejus sedit an. VI. m. X.
Radelchis sedit an. XI.
Radelgarius filius ejus sedit an. III. m. III. dies XXI.
Ayo frater ejusdem Radelchis an. VI.
Ursus filius supradicti Ayonis an. I.
Postea dominati fuerunt, in Principatu Beneventi annos IV. Simbaticius Stratigo, & Georgius Patricius Græci, qui tunc in tempore præerant in Apulia pro parte Imperatoris Constantinopolitani.
Guido Marchisis tenuit postea præfatum Principatum an. I. m. VIII.
Radelchis Princeps sedit an. I.

ANO-



ANONYMI SALERNITANI CHRONICON INCIPIT.

CAPUT PRIMUM.

Residente in Apostolica Sede Zacharia Papa, qui ob reverentiam Principis continuò inclinatus in universo Italiae populo XX. (4) annorum spatio, pacem & concordiam ordinavit, *Carolus* (5) *Mannus* filius *Caroli Francorum Regis*, praesentis vitae relinquens gloriam, atque potestatem terrenam, ad Beatum Petrum Apostolorum Principem devotus cum aliquantis suis advênit fidelibus, se seque eidem Dei obtulit Apostolo, atque in spirituali habitu se fore spondens permansurum. Clericatus jugum ab eodem sanctissimo Pontifice suscepit, & inter alia multa dona obtulit Beato Petro Apostolo, & ante Confessionem ejus, Arcum argenteum majorem pensantem libras LXX. Et post aliquid temporis ad Beati Benedicti Monasterium, quod in Aquinensium finibus situm est, profectus, factus est Monachus, in quo suam finire vitam jure professus est jurando. Ipsis itaque temporibus *Rachis Langobardorum Rex* ad capiendam Civitatem Perusiam, sicut cetera Pentapoleos Oppida vehementi profectus est cum indignatione; quam & circumdans, fortiter oppugnabat. Hoc audiens sanctissimus Papa, continuò spe divina fretus, assumtis aliquantis ex suo Clero, nec non & optimatibus, quanto citiùs ad eamdem perrexit civitatem, impensisque eidem Regi plurimis muneribus, atque officiosè eum deprecans, opitulante Domino adjutore, valuit animum ejus ad spirituale studium inclinare. Et post aliquantos dies idem *Rachis Rex* relinquens Regalem dignitatem, devotè cum uxore, & filia (6), ad Beati Petri Principis Apostolorum perrexit limina, acceptaque à praefato Sanctissimo Papa oratione, Clericus effectus, Monachi indutus est habitu cum uxore, & filia. Regnavit ipse annos IV. menses IX. fuit Langobardis pius atque amabilis, & multa per singulos homines largitus est.

CAP. II.

POst hunc in Regnum elevatus est *Aystulfus* vir per omnia astutissimus, & ferox. Per

(4) Corrige scribens *XI.* annorum: tot enim sedit Zacharias Papa.

(5) Quae sequuntur totidem verbis legas apud Anastasium Bibliothecarium in Vita Zachariae Papae Tom. III. pag. 164. Rerum Italicarum. Perperam vero scripsit Salernitanus Carlomanni patrem Carolum fuisse *Regem*.

(6) Vulgatus Anastasius habet: *cum uxore & filiis*. Ego lubentius Salernitani lectionem amplector, quam & Leo Marsicanus in Chronico Casinensi sequutus est. Si enim Ratchisio Regi fuissent liberi masculini sexus, quis tam facile sibi persuadeat, ipsum omnes a successione Regni exclusos voluisse? Consulere etiam non pigeat *brevem Descriptionem postremorum quinque Regum Langobardorum* apud Peregrinium Tom. II. Rer. Italicar. pag. 229. ubi Ratchisio filia tribuitur *Ratruda* nomine, quae cum Tasia matre mutato habitu sanctimonialem vitam elegit, nullis masculis nominatis.

Per idem tempus *Eutychius Romanorum Patricius* se Ayſtulfo tradidit (*); ſimulque Jacupulum (7), atque Ferrariam, ſeu Iſtriam pugnando obtinuit. Per idem tempus invidia Diaboli inter *Stephanum Papam Romanum*, Langobardos, & gentes Francorum, Alamannorum, Burgundionum ſuperſeminavit zizaniam, hoc ordine, quod inferius declaratur. Igitur (8) dum idem Papa jam fatum Langobardorum Regem iteratis vicibus, innumerabilia tribuens munera ei, precari dignaretur pro gregibus à Deo ſibi commiſſis, ſed & pro univerſo Exarchatu Ravennæ, & ab eo nihil de hac re obtinere cerneret, per quemdam peregrinum miſit literas Pipino Regi Francorum, nimio dolore huic Provinciæ inhærente, conſcriptas. Ad hunc etiam inter alia verba dicendo miſit ut ſuos huc Romam mitteret Nuntios, per quos ad ſe eum accedere faceret.

CAP. III.

Et dum validè ab eodem Langobardorum Rege Civitates, & Provinciæ Romanorum opprimerentur, ſubitò applicuit Nuntius præfati Regis Francorum nomine *Rodigandus Abbas*, per quem miſit in reſponſis, omnem voluntatem ac petitionem præfati Papæ velle adimplere; & poſtmodum alios familiares nuntios eſſe ſubjunxit. Cùmque à Langobardis, ut præfatum eſt, antiqua Romana Urbs, & Caſtra univerſa diſtringerentur, ita etiam, ut Ciccanenſe Caſtellum, quod Colonorum Sanctæ Dei Eccleſiæ exiſtebat, uſurparent. Quo peracto ipſe *Papa Stephanus* propter nimium amorem Urbem deſerit, ut ad *Aiſtulfum Regem* properaret; ſecutique ſunt eum plures Romanorum, & ceterorum principalium, flentes, ululanteſque, & nequaquam eum penitus ambulare ſinebant. Qui videlicet Sanctiſſimus Vir ſe ſe in Dei virtute & protectione Beatorum Principum Apoſtolorum confidens, laborioſum aggreſſus eſt iter, aſſumens ſecum Sacerdotes, Proceres etiam, & ceteros Clericorum ordines, nec non & ex militia optimates. Igitur appropinquante eo ferè per quadrageſimum milliarium Langobardorum fines, in una nocte ſignum in Cœlo magnum apparuit, quaſi globus igneus, à parte Auſtrali declinans, à Galliæ finibus in Langobardorum partes. Itaque unus ex eiſdem Francorum Miſſis ſcilicet Authcarius Dux quantocyùs præcedens Ticino eum præſtolatus eſt. Cùm verò jam appropinquaſſet præfatus Papa Civitatem Papiam, direxit ad eum fatus Rex Aiſtulphus miſſos ſuos, obteſtans, quòd nulla penitus ratione auderet verbum illud dicere petendi Ravennatium Civitatem, & Exarchatum ei pertinentem, vel de reliquis Reipublicæ locis, quæ ipſe, vel Prædeceſſores Langobardorum Reges invaſerant. Ille verò ita ei miſit in reſponſis, aſſerens, quòd per nullius trepidationis terrorem ſileret. Conjungente verò eo Papiam in civitatem, & Regi præſentato, plura illi tribuit munera, & nimis eum obſecratus eſt, atque lachrymis profuſis ei petiit, ut Dominicas, quas abſtulerat, redderet oves, & propria propriis reſtitueret, ſed nullo modo apud eum impetrare valuit. Prædicti verò Francorum Miſſi imminebant fortiter apud eumdem Regem Ayſtulphum, ut præfatum Papam pergentem in Franciam relaxaret. Ad hæc convocans dictum Papam, interrogavit, ſi in Franciam properandi eſſet voluntas: quod videlicet ille nequaquam ſiluit, ſed ſuam illi probavit voluntatem. Unde ipſe Rex, ut leo dentibus fremebat; pro quo etiam diverſis vicibus ſuos ſatellites ad eum clam miſit, ut illuc minimè pergeret. Quod dum ille fortiter reſtitiſſet, abſolutus eſt ab eo; & de Papia movens, ſuum in Franciam profectus eſt iter. Et poſt ejus abſolutionem adhuc nitebatur Langobardorum Rex à prædicto itinere eum deviare: quod minimè ipſi Papæ placuit.

CAP. IV.

Unde & cum nimia celeritate, Deo prævio, ad Francorum conjunxit Clauſas, quas ingreſſus cum iis, qui cum eo erant, confeſtim laudes Deo omnipotenti reddidit; & cœptum gradiens iter, ad venerabile Monaſterium Sancti Chriſti Martyris Mauritii pervênit; in quo & conſtitutum erat pariter ſecum Francorum Regem convenire, in quo & aliquantis demoratus diebus, ubi (9) Ambroſius Primicerius febre correptus defunctus eſt. Audiens verò idem *Pipinus Rex* Pontificis adventum, nimis feſtinanter in ejus advênit occurſum, unà cum conjuge, filiis, & Primatibus. Pro quo, & non per pauca millia, filium ſuum *Carolum* in occurſum ipſius Papæ direxit cum aliquibus ſuis Optimatibus; ipſeque in Palatio ſuo, quod vocatur Pontiana, ad ferè trium millium ſpatium deſcendens de equo, cum magna humilitate terræ proſtratus, unà cum ſuis filiis, & Optimatibus eumdem præfatum Papam ſuſcepit; cui & vice ſtratoris uſque ad aliquantum locum juxta ejus ſellam properavit. Tunc prædictus Pontifex cum omnibus ſuis extenſa voce, glorioſas & excelſas laudes omnipotenti Deo ferens, uſque ad præfatum Palatium pariter cum jam dicto Rege omnes profecti ſunt. Mox ibidem Beatiſſimus Papa præfatum Chriſtianiſſimum Regem lachrymabiliter deprecatus eſt, ut per pacis fœdera cauſam Beati Petri, & Reipublicæ Romanorum diſponeret; qui de præſenti jurejurando eidem Beatiſſimo Papæ ſatisfecit, omnibus ejus mandatis & admonitionibus ſe ſe totis nixibus obedire, & uti placitum fuerat, Exarchatum Ravennæ, & Reipublicæ jura, ſeu loca reddere modis omnibus.

CAP.

(*) Eutychium Patricium fugiſſe Conſtantinopolim, ſcribit Rubeus in Hiſtoria Ravenn. ſed quibus ille tabulis aut teſtibus haec narret, non video.

(7) Parum attenti Amanuenſis error. Scribendum omnino videtur *Comiaclum*, quam Civitatem Ferrarienſi agro conterminam revera Langobardus Graecis eripuit, eorumque temporum acta apud Anaſtaſium memorant.

(8) Quae ſubſequuntur mutuatus eſt noſter, immo iiſdem interdum verbis, ab Anaſtaſio Biblioth. in Vita Stephani III. ſive II. Vide Tom. III. Rer. Italic. pag. 167. Sed quae apud illum fuſius, heic brevius traduntur, & expunctis etiam probroſis iis nominibus, quibus apud eumdem Anaſtaſium Reges Langobardi, Romanis infenſi, ſaepe onerantur.

(9) Primicerium hunc comitem Stephano II. Papae fuiſſe, auctor eſt Anaſtaſius, ſive qui illius Vitam ſcripſit apud Anaſtaſium. Sed ne gry quidem habet idem Anaſtaſius de ejus morte.

CAP. V.

Pipinus jam dictus Rex cum admonitione, gratia, & oratione ipsius Pontificis absolutus, in loco, qui dicitur Carisiaco, pergens, ibique Proceres cunctos Regiæ suæ potestatis congregans, & eos, tanti Patris sancta ammonitione imbutus, statuit cum eis, ut quæ semel Christo favente unà cum eodem Beatissimo Papa decreverat, perficeret. Interea *Rex Aystulphus Carolo Manno* fratri benignissimi *Pipini Regis*, à Monasterio Sancti Benedicti, quod est inter Montem Casinum, & Sanctum Germanum in Terra-Laboris (10), in quo devotè per evolutum temporis spatium Monachus degebat, diabolicis suasionibus suadens, in Franciæ Provinciam ad objiciendum, atque adversandum causam redemtionis Sanctæ Dei Ecclesiæ, & Reipublicæ Romanorum direxit. Dumque illuc conjunxisset, nitebatur omnino, & vehementer decertabat Sanctæ Dei Ecclesiæ causam subvertere, juxta quod à præfato Rege Aystulpho fuerat directus. Sed propitiante Deo minimè valuit sui germani Christianissimi *Pipini Regis Francorum* in hoc firmissimum cor inclinare; potiùs autem compertâ *Aystulphi Regis* versutiâ, tota virtute idem Pipinus Rex professus est decertare, sicut pridem jamfato spoponderat Pontifici. Tunc pari consilio inito, juxta id, quod præfatus Carolus Mannus Deo se voverat Monasticam degere vitam, in Monasterium eum illuc in Franciam collocaverunt, ubi & post aliquantos dies divina vocatione de hac luce migravit. Porrò *Pipinus Rex* direxit suos Missos *Aystulpho Langobardorum Regi* pro pacis fœdere, & proprietate Sanctæ Dei Ecclesiæ restituenda; atque bis & tertiò juxta sæpe atı Papæ admonitionem eum deprecatus est, & plura ei pollicitus est munera, ut tantummodo propria restitueret Ecclesiæ. Sed ille peccato imminente obedire distulit. Ad hæc cernens idem Francorum Rex, quòd astutissimi Aystulphi nequaquam valeret quoquo modo saxeum mollire cor, generalem contra eum decrevit facere motionem. Et dum jam ferè medium itineris spatium Francorum exercitus graderentur cunei, rursum ipse Pipinus Rex Missos sævissimo Aystulpho Regi direxit, ut si aliquo modo potuisset, vel serò tamdem, ejus sedare sævitiam, propria propriis redderet absque humani sanguinis effusione. Sed ipse Rex Aystulphus animosè fortiter resistebat. Interea erat Pipinus Rex simul cum Pontifice jam dicto, qui direxit literas eidem Aystulpho, per omnia divina mysteria, & futuri examinis diem conjurans atque obtestans, ut pacificè sine ulla sanguinis effusione propria sanctæ Dei Ecclesiæ, & Reipublicæ Romanorum redderet. Sed sublimitate ejus obsistente, nequaquam acquiescere voluit. Potiùs è contrario minas & indignationes præfato Pontifici, & Pipino Regi, & cunctis Francis direxit. Tunc fisus in omnipotentis Dei misericordia antefatus Pipinus Rex, iter suum profectus est, præmittens ante suum occursum validissimos ex suis Proceribus, & cum eis exercitales viros ad custodiendum proprias Francorum Clusas; ibique conjungentes remoti residebant, proprii Regis præstolantes adventum. Audiens itaque audax ille Aystulphus, paucos fuisse Francos illos, qui ad custodiam propriarum advenerant Clusarum, confidens in sua ferocitate subitò aperiens Clusas, super eos diluculo cum pluribus irruit exercitibus. Sed justus Judex Dominus victoriam paucissimis illis tribuit, & multitudinem illam Langobardorum superantes, trucidaverunt, ita ut ipse *Aystulphus Rex* fugâ arreptâ, vix ab eorum manibus evadere potuisset; & usque Papiam Civitatem absque armis fugam arripuit, in qua præ timore Francorum cum aliquantis se retinuit. Ipsi verò Franci introëuntes Clusas, spolia multa abstulerunt. Conjungens verò Francorum Rex Pipinus, & sequipes etiam ejus antefatus Papa, usque ad muros Civitatis Papiæ utrique venêre: quam & obsidentes per aliquot dies viriliter, eam Francorum exercitus constrinxit. Tunc præfatus Papa Pipinum sæpefatum deprecatus est, ut jam ampliùs malum non proveniret, neque sanguis effunderetur Christianorum. Ad hæc Pipinus Francorum Rex eiusdem audiens admonitionem adimplevit: sicque Deo dilectam pacem ineuntes inter Romanos, Francos, & Langobardos, obsides Langobardorum idem Francorum Rex abstulit. Spopondit ipse Aystulphus cum universis suis Judicibus sub terribili, & fortissimo sacramento, atque ejusdem pacis fœdera per scriptam paginam affirmavit, se illico redditurum Ravennatium Civitatem cum universis Civitatibus. Et post hoc ad invicem segregati fuerunt. Sed ille Langobardorum Rex incidens quod jurejurando promiserat, reddere distulit.

CAP. VI.

Cum ipse *Papa Stephanus* Romam cum suis pervenisset, universus sexus, & ætas Deo gratias agentes, clamabant, & dicebant: *Venit Pater noster, & post Deum salus nostra.* Post aliquanta temporum spatia furore vehementi repletus Rex ille Langobardorum Aystulphus, non solùm ea, quæ promiserat, minimè adimplevit; sed cum universo Regni sui Langobardorum populo Romanam advênit Urbem, quam & per trium mensium spatia obsidens, atque ex omni circumdans parte, quotidie fortiter oppugnabat, & omnia extra Urbem ferro & igne devastans, atque funditus demoliens consumsit, ut Romanam capere potuissent Urbem. Nam & multa corpora Sanctorum effodiens, eorum sacra mysteria (11) abstulit. Castrum itaque illud Narniense, quod pridem reddiderat, à jure Beati Petri abstulit. Hæc dum gesta fuissent, *Stephanus Papa* per marinum iter suos ordinans, & in Franciam dirigens Missos cum quodam religioso viro Guarnerio nomine, per ordinem omnia retulit *Pipino Regi Francorum*. Ad hoc verò Pipinus Rex, de quo diximus, fervore Fidei motus, iterum

(10) Nisi hoc sit additamentum recentioris alicujus, sive adnotatio e margine in textum illata, animadvertendum est heic, veluti res rara apud Auctorem plane vetustum, nomen *Terrae Laboris* pro Campania, quippe ejusmodi nomine Provincia illa sero, hoc est circiter annum 1090. donata creditur. Vide Campaniam Peregrinii.

(11) Ac Ticinum advecta in sacra ibi Templa collocavit, uti infra additur. Quanta autem Ticini foret olim & adhuc sit sacrorum corporum copia, te docebit *Aulicus Ticinensis* suo loco in Collectione hac edendus. In hoc eodem argumento fuse versatus est Romualdus a Sancta Maria Auctor *Papiae Sacrae*.

iterum cum Dei virtute generalem faciens motionem, in Langobardorum partes conjunxit, & Clausas funditus eorumdem evertit Langobardorum. Conjunxerunt itaque Imperiales Missi, Georgius scilicet & Johannes directi ad prædictum Francorum Regem, quos suscipiens jam fatus Papa, eisdem motionem Francorum, & præfati Regis nuntiavit: quod quidem illi dubium habuerunt credendi. Et adhærens eis Missus Apostolicæ Sedis, iter arripuerunt; & pergentes marino itinere, quanto citiùs Marsiliam venerunt; in quam ingredientes didicere, jam præfatum Francorum Regem Langobardorum fines fuisse ingressum. Itaque unus ex ipsis Georgius nomine prænominatum Francorum assecutus est Regem, quem & in finibus Langobardorum non procul à Papia reperit civitate, & nimis eum deprecans, atque plura spondens tribuit Imperialia munera, ut Ravennatium urbem & ceteras ejusdem Exarchatus Civitates, & Castra ad Imperialem tribuens concederet ditionem. Sed ille Rex Francorum taliter dedit responsum: *Quomodo talia alienare potero, cùm non pro alia re, quàm pro Sancto Petro certamen gesserim?* asserens & hoc, quòd eum nulla thesauri copia suadere valeret. Prædictum verò Imperialem Missum, ut ad propria remearet, direxit, qui & sine effectu Romam conjunxit.

CAP. VII.

Dum verò Francorum Rex Papiam obsidens constringeret civitatem, tunc *Aystulphus Rex* ferocissimus Langobardorum, ut veniam illi tribueret, & quas priùs contemserat conscriptas in pacti fœdere reddere Civitates, se modis omnibus professus est redditurum. Et denuo confirmato anteriore pacto, quod per lapsam VIII. Indictionem inter partes provenerat: restituit ipsas præfatas civitates, addens & castrum, quod cognominatur Comiaclum: de quibus omnibus receptis civitatibus per donationem in scriptis Apostolicæ Sedi commisit possidendas. (12) Aystulphus Rex, de quo præmisimus, regnavit annos VII. menses V. Fuit audax, & ferox, & ablata multa Sanctorum Corpora ex Romanis finibus in Papiam detulit. Construxit eorum Oracula, ubi & Monasterium Virginum, & suas filias dedicavit. Idemque etiam fecit Monasterium in finibus Æmiliæ, ubi dicitur Mutina, loco qui nuncupatur (13) *Nonantula*; nam pro ejus cognato *Abbate Arsenio* (14) ibi Virorum Cœnobium fundatum est; nec non sibi ad sacra Monachorum Cœnobia (15), per certas Provincias multa est dona argitus. Sed valde dilexit Monachos, & in eorum est mortuus manibus.

CAP. VIII.

Tunc *Desiderius* (16) quidam Langobardorum, qui ab eodem Aystulpho Rege in partes (17) Thusciæ erat directus, audiens obiisse præfatum Aystulphum, illico aggregans ipsius Thusciæ universi exercitus multitudinem, Regni Langobardorum nisus est arripere fastigium. Hujus personam despectui habens *Ratchis* dudum Rex, & postmodum Monachus, germanus præfati Aystulphi, sed & alii plures Langobardorum Optimates cum eo, eumdem *Desiderium* spernentes, plurimam Transalpinæ, vel ceterorum Langobardorum exercituum multitudinem aggregantes, ad dimicandum contra eum profecti sunt. Ut hæc præfatus *Desiderius* audivisset, prædictum *Papam Stephanum* deprecatus est, ut sibi auxilium ferret, quatenus ipsam Regalem dignitatem valeret assumere, spondens jurejurando, omnem prædicti Pontificis adimplere voluntatem; insuper & Reipublicæ propria se redditurum professus est. Tunc idem Pontifex, inito cum suis consilio, Paulum suum germanum cum aliis Missis in partes Thusciæ ad prædictum *Desiderium* misit, cum quo loquentes, per scriptam paginam hoc, quod spoponderat, Desiderius terribili juramento firmavit. Hoc verò pacto, statim suum Missum prædictus *Papa Stephanus* exhortatoriis literis præfato Ratchisio, & cunctæ genti Langobardorum direxit, properans & *Fulradus* venerabilis *Abbas* cum aliquantis Francis in auxilio ipsius Desiderii. Sed & plures exercitus Romanorum, si necessitas exegerit, in ejus disposuit occurri adjutorium. Et suffragantibus prædicti Pontificis Deo receptis precibus, ita omnes Deus disposuit, ut sinè ulla animarum periclitatione antefatus Desiderius per jam dicti coangelici Papæ concursum eamdem, quam ambiebat, assumeret Regalem dignitatem. Dum verò hoc ageretur, direxit Missum suum præfatus Pontifex, & abstulit ipsas Civitates, quas se prædictus Desiderius Rex reddere (18) promiserat.

CAP.

(12) Hactenus Stephani II. Papae Vita, qualis est in Collectione Anastasii. Quae sequuntur de Aystulpho, debemus Salernitano nostro, suntque addenda Langobardicae Historiae Pauli Diaconi. Vide etiam Romualdi Salernitani Chronicon Tom. VI. Collectionis hujus, qui paria narrat, & Anonymum nostrum prae oculis habuisse non est tamen dicendus, uti reliqua ejus narratio evincit.

(13) Celeberrimi hujus Monasterii, quod adhuc in Mutinensi agro existit, amplissimisque reditibus, & jurisdictione Episcopali, ac lata Dioecesi fruitur, originem & Historiam habes Par. II. Tom I. Collectionis hujus. Vide in hoc eodem Tomo quam magnifice de eo senserint Farfensis Monasterii Chronographus, & Ugo Abbas.

(14) Scribendum *Anselmo* ex supralaudato Chronico *de fundatione Monasterii Nonantulani*: idque extra omnem dubitationem, quum in sententiam hanc antiqua monumenta, & Monasterii continuata traditio omnino conveniant.

(15) Desiderari censeo *fundanda*. Conveniunt haec cum iis, quae Nonantulanus Monachus Part. II. Tom. I. Rer. Italicar. pag. 193. habet de fundatis a Sancto Anselmo primo Nonantulae Abbate Monasteriis & Xenodochiis, & immani Monachorum copia eidem subjecta.

(16) Haec desumta, immo descripta, ex Vita Stephani II. Papae apud Anastasium. Vide Tom. III. Rer. Italic. pag. 171.

(17) Cujus Provinciae Dux etiam fuisse creditur, sed paucis fortasse mensibus. Si Tuscorum exercitum Desiderius congregavit, cur non & arbitremur, eumdem Tusciae praefuisse? Attamen Romualdus Salernitanus Tom. VI. Collectionis hujus, eum tantummodo *Aystulphi Comestabulum* appellat; ac proinde alio titulo, & ob alia negotia, is fortasse in Tusciam fuerit missus.

(18) Hactenus Anastasiana Vita Stephanii II. Papae. Nunc suis verbis reliqua enarrare pergit Salernitanus.

CAP. IX.

CUmque per (19) XX. & VIII. annos placidè Langobardos regisset, omnis tunc Italiæ finis valde quievit. Tantùm in initio sui Regni Spoletini, & Beneventani rebelles fuerunt. Qui hyemis tempore cum suo exercitu pergens, per pugnam ad suum reduxit servitium. In præfati Desiderii temporibus floruit in Arte Grammatica *Diaconus Paulus*, qui fuit ortus ex Forojuliensis civitatis parentibus, secundùm seculi dignitatem non infimis; & ille præcelsus, atque carus ipsi Regi, & omnibus erat in tantùm, ut ipse Rex in omni arcano verbo Consiliarium eum haberet. Per idem tempus Pipini filius Carolus suam (20) filiam sibi in matrimonio sociavit. Et aliam præfatus Rex habuit filiam, cui nomen *Adelperga* fuit, quam nuptui tradidit *Arichi Beneventanorum Duci*. Sed de prædicto *Paulo*, unde fecimus mentionem, licèt inculto sermone, aliquid de gestis ejus huic Historiæ intexere cupio. Et, ut prædictum est, ab omnibus erat dilectus, & meritò proinde ei concessit gratia Christi, ut ab omnibus amaretur. Et quomodo homo eum exosum habere poterat, qui erat à Christo dilectus? Sed dum iniqua cupiditate Langobardi inter se consurgerent, quidam ex Proceribus Langobardis talem legationem mittunt *Carolo Francorum Regi*, quatenus veniret cum valido exercitu, & Regnum Italiæ sub sua ditione obtineret, asserentes, quia istum Desiderium tyrannum sub potestate ejus traderent vinctum, & opes multas cum variis indumentis, auro, argentoque intextis, in suum committerent dominium. Quod ille prædictus Rex Carolus cognoscens, cum Francis, Alemannis, Burgundionibus, nec non & Saxonibus, cum ingenti multitudine Italiam properavit. Postquam in Italiam *Rex Carolus* vênit, *Rex Italiæ Desiderius*, à suis quippe, ut diximus, fidelibus callidè est ei traditus; quem ille vinctum suis militibus tradidit; & ferunt alii, ut lumine eum privasset. Atque ipse *Carolus Rex* firmatus est totius Italiæ. Solus *Dux Arichis* Benevento remansit, jussa ejus contemnens, pro eo quòd capiti suo pretiosam deportaret Coronam. Ut cognovit talia Rex Carolus, valde est iratus, atque nimirum per jusjurandum asseruit dicens: *Nisi sceptrum, quod in mea manu gesto, Arichis percutiam pectus, vivere nolo*. Ipse, de quo prædiximus, Paulus bis denique Regi Carolo mortem (21) molitus est pro sui Regis Desiderii fide. Cùmque talia Regi Carolo relata à suis fidelibus fuissent, toleravit propter nimium amorem, quo

A eum diligebat. Sed dum tertiò perpetrasset, talibus eum Rex allocutus est verbis: *Dic mihi*, inquiens, *Diacone Paule, pro qua re bis terque nostræ reverentiæ mortem molitus es?* Ille, ut erat magna nimis audacia, ei responsum reddidit: *Fac, quod facturus es; quia veritatem dico; & falsum ex ore meo nil profero. Fui quippe fidelis quondam Desiderii Regis, & ipsa fides apud nos hactenus manet*. Cùmque in patulo, omnibus assistentibus Proceribus, talia protulisset verba cum jurgiis suis, præcepit militibus, qualiter eum sinè mora privarent manibus. Sed dum Ministri talia implere vellent, ipse piissimus Rex præ nimio amore,

B quo eum diligebat, & propter ejus sagacitatem alta trahens suspiria, has in voces erupit: *Heu proh dolor!* inquit, *quomodo manus ejus abscindimus, ubi tam elegantem Scriptorem reperire valemus?* Assistentes denique, ut prædiximus, Proceres, nec non & Optimates, qui eum exosum habebant, propter quamdam, ut diximus, Desiderii Regis fidem, in hunc modum responsum dederunt: quia *si hunc Diaconum, o Rex, illæsum sinis abire, Regnum tuum stabilitum minimè habebis*. At Rex talia depromit verba: *Mihi*, inquit, *dicite, quod exinde vobis comparet*. Et illi dolosa voce dixerunt. *Illico evellantur ejus oculi, ut nec cedulas, nec literas contra vestram Dignitatem, nec contra vestrum Imperium hactenus peragat*.

C Cùmque severitatem simul, & duritiam in suis militibus cerneret, se se validè perturbavit, cogitans, qualiter eum de dicta pœna liberaret, adjiciens: *Ubi tam industrissimum, atque præclarissimum Poëtam, nec non & Historiographum invenire queamus?* Hiis dictis, Optimates ejus siluerunt, & ipsius præceptis missus est in exilium, ut illic cruciaretur: quod factum est. Dumque vinctus, ut diximus, in Insulam deveniret in exilium, diu illic nempe cruciatus est. Sed ipsum Paulum, veritatem, quæ Christus est, amantem veritas ipsa per magnam suam potentiam mirabiliter liberavit. Nam quidam homo, qui sæpissimè ejus famu-

D latui inerat, clam de dicta Insula eum expediit, & cum eo Beneventum repedavit. Cùmque nuntiatum esset Principi Arichiso, magno gaudio est repletus, eo quòd à multis ante temporibus formam ejus cernere optaret. Atque ex ore ejus dulcia verba in arcano sui pectoris cum equitibus in ejus misit occursum. Cùmque Beneventum introisset, super collum ejus ipse piissimus Princeps ruens, flebat planè præ gaudio, & eum osculabatur. Ipse, de quo jam diximus, Paulus ad quondam sui Domini filiam vênit, atque uxorem præfati Principis *Adelpergam* nomine, de qua jam supra diximus,

---

(19) Corrige amanuensis, ut censeo, errorem, & scribe *per X. & VIII. annos*. In fragmento Historico apud Peregrinium Tom. II. Rer. Italic. Desiderius regnasse dicitur *XIX. annos*, sublatus e medio, sive in captivitatem adductus anno 774. Ego lubentius annos tantum XVIII. Regni illi tribuerem. Nam ut cetera mittam, habetur in ditissimo Episcopii Lucensis Archivo Carta, eaque autographa, scripta *anno Regni ejus quinto decimo, & filio ejus idem Domno nostro Adelchis Rege anno Regni eorum duodecimo, sexto Calendas Julias, per Indictione nona*: hoc est anno 771. Ab hoc anno computa nunc usque ad 774.

(20) Idest Desiderii Regis filiam, *quam* tamen, *incertum qua de causa, post annum repudiavit*: sunt verba Eginharti in Caroli M. Vita. Ac proinde nescio, quam rectè scripserit Monachus Sangallensis (NotKerum nonnulli appel-

E lant) Lib. 2. de reb. gest. Caroli M. apud DuChesnium Tom. 2. rer. Francic. *Filiam Desiderii Longobardorum Principis duxit uxorem, qua non post multum temporis, quia esset clinica, & ad propagandam prolem inhabilis, judicio sanctissimorum Sacerdotum relicta &c.* Quei iste tam sero novit, quod ignotum Eginharto fuit, in Caroli M. aula enutrito? Illud quidem constat, Stephanum III. Papam adeo moleste hujusmodi conjugium tulisse, ut ad Carolum ipsum, ejusque fratrem, acerbissimas scripserit literas, quas habes in Cod Carol. num. XLV. & apud Baronium ad annum 770.

(21) Eadem de Paulo Diacono refert Leo Marsicanus Lib. I. Cap. XV. Histor. Casin. Tom. IV. Rer. Italic. uti verisimile est, ab Anonymo nostro mutuatus. Verum jamdiu Clariss. Mabillonius in Annal. Benedictin. narrationem hanc ad fabulas amandavit.

mus, & humiliter subdidit adjiciens: *Sum fraudatus à genitore tuo piissimo; non me fraudavit Dominus de suis natis; insuper & ostendit mihi suam sublimissimam prolem*. Ipsa Principissa piissima inter dicta verba dolenter flebat.

Arichis, de quo prædiximus, piissimus Princeps . . *& desinit* . . ab ipso Arichis Principe acciperet.

Quæ heic omittuntur, jam habet edita Tom. II. pag. 287. Rer. Italic.

CAP. X.

Qui dum properasset Salernum, cum suis non paucis fidelibus ipse, de quo jam diximus, Arichis cum magno apparatu eum suscepit, sicuti nunc sermo subsequens declarat. Tunc Arichis exercitus copiam adunari fecit, quatenus ipsum Missum honorificè cum magna sublimitate reciperet, & diverso habitu variisque instructus armis ante oculos Legatorum, appareret. Nam in scalis ipsius Palatii adolescentes hinc inde astare fecit, deinde senes undique circumstantes cum baculis in manibus, inter quos ipse Princeps in throno aureo, in eorum residens medium. Cùmque urbem ipse Legatus cum suis appropinquasset, non paucos ex suis Proceribus, in eorum misit occursum, sed dum eis appropinquassent (22); putaverunt, ut ipse Princeps inter eos esset, & inter se se sciscitabant, qualis esset forma ipsius, ut eum penitus adorarent. Sed dum eis responsum est; quòd illic minimè esset, gradierunt simul, & dum sunt Urbem ingressi statim Palatium adierunt. Cùmque ad scalas jam fati Palatii pervenissent, reperierunt adolescentes, quos dudum diximus, hinc inde accinctos astare. Quod dum talia Legati cernerent, putaverunt, ut illic ipsum Principem invenirent; sed responsum est: *in aurea perambulate*. Dum paulisper alium in locum devenirent, cum aliis indumentis juvenes floridas ætates habentes reperierunt hinc inde astare, omnino eum putantes, ut inibi esset. Responsum est: *in aurea pergite*. Cùmque admirati, in aurea paululum properarent, invenerunt jam fatos canos cum variis indumentis, jam pro certo existimantes, intentisque oculis imaginem illius videre cupientes. Sed responsum est: *ite in aurea*. Dum properassent in aulam, in qua ipse Princeps erat, cernerunt ibidem astare senes venustam formam habentes, & ipsum Arichis in throno aureo, in medium eorum residentem. Mox quippe ipse Princeps de aureo, in quo residebat, throno resiliit, cùmque, ut invicem se adorare adjungerent .... Arichis eos delusit, sceptrum, quod manu gerebat, projecit. Protinus ipse Legatus ut vidit, mox submisso vultu eum elevavit, atque ipsi Principi detulit, eumque protinus adoravit, asserens: *non sicut audivimus, vidimus; sed plus planè vidimus, quàm audivimus*. Cui denique ipse Princeps Arichis ad vesperam diversos cibos, vini quoque præcipua, variaque potionum genera transmisit, atque in regia aula eum cum suis fidelibus morari jussit.

CAP. XI.

Alia nempe die ipse Princeps, visitandi causa ad eum vênit, eumque percontari cœpit de ejus sospitate, cui ille: *Meliùs numquam aliquando memini me esse, quàm nunc*. Et videns omnem sapientiam Arichis, & Palatium; quod ædificaverat, & cibos mensæ ejus, & habitacula servorum, & ordinem ministrantium, vestesque eorum, & pincernas, miratus est valde adjiciens: *Verus est sermo, quem audivi in terra mea super sapientia tua, & super gloria tua. Non credebam narrantibus mihi, donec per me metipsum veni, & vidi oculis meis, & probavi, quòd media pars nuntiata non fuerit*. Hiis dictis, ipse Arichis suum filium, ut diximus, *Grimoalt* cum aliis obsides dedit, atque dona ei plurima largitus est. At illi vale facientes Principi laboriosum iter arripuerunt. Ferunt planè nonnulli, quòd ipse sæpe dictus Carolus in Legati formam se transformasset, ut auditam Arichis magnitudinem cernere posset, & quòd ipse Legatus, quem supra diximus, Carolus fuisset.

CAP. XII.

Igitur *Grimoalt*, dum devenisset cum suis Papiam, cum gaudio ab ipso Rege acceptus est, moratusque est apud eum temporibus multis. Ipse sæpe dictus Arichis erga Dei præcepta se se cooptabat, atque creberrimè pauperibus eleemosynam condonabat. Factum est, ut una die ex more quemdam Presbyterum proprio ore clamaret, quatenus pro suis delictis mitissimum Agnum mactaret. At ille postpositâ verecundiâ, mox ingressus est Ecclesiam, Missamque, quamvis fœdatus, canere cœpit: altitonus Dominus suum Angelum è Cœlo cum spongiis misit, eumque abluit; & nullus nisi Arichis cernere potuit. Sacrificio ex more peracto, sordes, quas Angelus diluerat, super eum injecit, & Princeps Presbyterum jam fatum ante suum obtutum venire jussit, eumque delicatiùs percontatus est videlicet de re, quæ acciderat. At ille seriatim, licèt clam, omnia enodavit, qualiter cujusdam viri fœminam stuprasset, & non lotus sacrificium, licèt non dignus, Deo obtulisset. At ille contestans eum, ut nullo modo hujus rei assensum daret. Vir ille, cujus mulier fœdata fuerat, omni nisu decertabat, quatenus Presbyterum illum extingueret: unde non modicè ab ipso Principe est objurgatus, inferens minas, occisurus fore illum, & domum suam cremandam. Quid multa dicam? Quadam die super eum clam vênit, fortique ictu percussit, & in terra mortuum stravit. At Princeps ex improviso virum illum cum uxore, & liberis clausa domo (licèt non rectè gessisset) igne cremari fecit. Uxor illius prægnans erat, & vi-

(22) Parem quæso animadverte (dicamne Historiam an Fabellam?) Tom. II. pag. 124. Scriptor. Francicor. Du-Chesnii, ubi Monachus Sangallensis, quem NotKerum quidam appellant, Lib. II. de Reb. bellic. Carol. M. narrat, Legatum quemdam Graeci Imperatoris ad Carolum invisendum venisse, atque non semel deceptum, quum ante deductus fuerit ad Proceres Palatii splendido apparatu variis in locis dispositos, quam ad Carolum perveniret. Rumores vulgi, sua quaeque magnificantis, ambabus olim ulnis excipiebantur, atque imperterrite in chartam illati, ad alias gentes transmeabant, & ad nos usque transierunt.

vicina partui dedit sinè (23) ossibus filium, ut patenter daretur intelligi, quòd misericordiam sinè discretione haberet; sicut enim suus natus carnem habebat, & tamen fortitudinem amiserat, unde . . . . . sinè mora poposcit; & quemadmodum misericordia sinè discretione nihil valet, sic ille infantulus sinè ossibus nihil valebat.

CAP. XIII.

Quædam mulier virum proprium habebat, & cum alio viro se commiscebat. Factum est, ut una nocte, unà cum adultero, virum proprium strangularet; & dum ipse ingentem vocem emitteret, inquit ad suos: *Surgite, quia meus vir apoplexia est penitus extinctus*. Dum ex more vicini & consanguinei circumquaque altrinsecus flerent, cum magno obsequio ad sepulcrum usque perduxerunt, eumque humarunt. Dum ad aures Principis pervenisset, quòd non propria morte fuisset extinctus, statim comprehendi virum illum, qui mulierem defuncti fœdaverat, jussit; & verba talia promit: *Nisi extemplò, quod clam gessisti, nobis enodaveris, illico nimirum morieris*. At ille quod nequiter gessit, per omnia propalavit. Princeps idem alta trahens suspiria, tamdem in voces erumpens, inquit ad suos: *Virum istum comprehendite, eumque super mortuum facie ad faciem districtum colligate; & quid exinde Redemtor humani generis judicaverit, intimate*. Quo peracto tertio die indagari jussit, quid exinde fuisset factum. Tunc repererunt virum illum, qui fuerat strangulatus, desuper stratum, os naresque sui peremptoris corrosisse. Proinde huic Historiæ hæc conscripsimus, ut fideles à muliere aliena sibi omnino caveant, & ultionem divinam metuant.

CAP. XIV.

Quidam illo in tempore Patriarcha Constantinopoli erat vir bonus & justus, sed carnali amore nimiùm fœdatus in tantum, ut neptem suam quasi Eunuchum in domo propria haberet, & eam undique insignibus vestimentis fulciret. Ille Patriarcha morti approximavit, atque omnibus suum nepotem, qui videbatur, commendavit. Dum obiisset, unà omnes illam, quæ erat fœmina, cunctis irascentibus, (24) Præsulem elegerunt. Præfuit illis fermè unum & semis annum. Intempesta nocte, quando sopore corpora fessa premuntur, malignus spiritus ante stratum, ubi Arichis dormiebat, se se obduxit, & vocem emisit asserens: *Quid agis Arichis?* At ille insolito clamori dum aures innecteret, idem Diabolus: *Propalabo tibi quid feci. Constantinopolitani non virum sed fœminam habent pro suo Patriarcha, ideoque terra illa sui Redemtoris detinetur ira*; & hæc dicens abscessit. Idem Princeps statim suos Constantinopolim Apocrisarios direxit, & cuncta, quæ ei Diabolus propalaverat, aperuit. Illi verò curiosius indagarunt, & qualiter per Arichisum promulgatum fuerat, repererunt: & tunc pestis ipsa quievit.

CAP. XV.

Interim protelata verba omittamus, & stylum ad propositam rem revocemus. Ipse, de quo præmisimus, Arichis cùm regnasset Annos (25) XXVII., & menses sex, jam ætate maturus, apud Salernum placida morte quievit, atque juxta Ecclesiam Dei Genitricis Sedis ipsius humatus. Per idem tempus, ut diximus, Sanctæ ipsi Ecclesiæ (26) *Robertus Episcopus* præerat, qui ob amorem tanti viri super tumulum ejus, ejusque uxoris, & filii, cameram instruere fecit. Fuit autem vir mitis, audaxque, & apprime liberalibus disciplinis imbutus, &, ut jam diximus, hanc civitatem undique munivit, atque in ea miræ magnitudinis, immo & pulchritudinis Palatium construxit, & ibidem in Aquilonis parte Ecclesiam in honorem Beatorum Petri & Pauli instituit, quæ, ut ajunt, dum olim asylum Principis fuisset, & ipse Princeps Idolum jacens illuc invenisset ex auro fabrefactum, inde ipsam Ecclesiam deauravit. Sufficiant quæ de *Arichis*, ejusque prole effavimus; nam sæpe dictus Paulus in locum, ubi eorum corpora requieverunt, plenissimè ea versibus illustravit, quos nos huic Historiæ inseri fecimus.

CAP.

(23) Vide quot aniles fabulas heic nobis propinet Salernitanus noster. Haec aliaque ejusmodi Camillum Peregrinum deterruisse reor, ne integrum ejus Chronicon evulgaret. Nemo inficias ierit, quin egregios Scriptores ac Libros veterum Monachorum Respublica dederit; sed multos etiam ex iis novimus nimia credulitate laborantes, & prodigia ultra quam par erat somniasse, aut ab aliis lubentissime accepta literis comendasse.

(24) Palmaris haec fabula de Patriarchissa Constantinopolitana, & de Arichisi Principis visione attente consideranda: hinc enim ab aemulis aut hostibus Sanctae Romanae Ecclesiae desumta videtur ridenda plane, atque ab ipsis Heterodoxis jam ejurata fabella Johannæ Papissae. Quod in Graeca Ecclesia olim factum confinxere nugivenduli, Romanae quoque Cathedrae accidisse alii commenti sunt, & quidem serius. Nunc audi Leonem IX. Papam anno 1053. in haec verba scribentem ad Michaelem Patriarcham Constantinopolitanum: *Absit autem, ut velimus credere, quod publica fama non dubitat asserere, Constantinopolitanae Ecclesiae contigisse, ut Eunuchos contra primum Sancti Nicaeni Concilii capitulum passim promovendo, Feminam in Sedem Pontificum suorum sublimasset aliquando. Hoc tam abominabile scelus, detestabileque facinus, etsi enormitas ipsius vel horror, fraternaque benevolentia non permittit nos credere &c.* Sed longe ante Leonem IX. calumniam hanc venditabat bonus Salernitanus noster. Johannae vero Papissae scoena post annum tantummodo 1250. erupit atque invaluit. Ipsa vero Leonis IX. Epistola evincere potest, tantam abominationem in Cathedra Petri numquam fuisse invectam, & ne rumorem quidem temporibus Leonis IX. ejusce flagitii fuisse. Quei enim tanta confidentia Graecis haec objecisset Romanus Praesul, si in Romana Sede illud idem antea contigisset, aut saltem contigisse fama, licet in hoc mendax, tulisset?

(25) Parum attentum & heic amanuensem deprehendo; etenim scribendum *annos XXVIIII. & menses VI.* In Catalogo Ducum Beneventanorum praefixo huic Libro, *anni XXIX. & menses V.* Arichisio tribuuntur. Alii *annos XXX.* nempe incompletos eum regnasse tradunt. Vide infra ejus Epitaphium, ubi *ter binis lustris* rotundo numero, versus causa, patriam rexisse dicitur.

(26) Sive *Rodepertus* Episcopus Salernitanus. Haec eadem Anonymi nostri verba adfert Ughellius in Cathalogo Episcopor. Salernitan. *sub nomine Heremperti*.

CAP. XVI.

Ut retro traham stilum, aliquid inter plura, qualiter dictus Princeps se gerebat, fidelibus innuam, ut Prælati sæpissimè exemplum teneant, & subjecti omnimodo gaudeant. Ipse, de quo præmisimus, Arichis erga Dei culturam se se crebrissimè coarctabat, & undique prospera illi Dominus condonabat: Nam Argivos potenti dextera superavit, & in fugam nimirum compulit ire; qua peracta victoria in elationem non est ductus, sicut tyranni assolent facere, & ad deteriora perveniunt; sed Creatori, qui conterit bella, immensas gratias exhibebat. Ipse inopes & debiles diverso habitu induebat, cibariaque abundanter nimiùm tribuebat; & Redemtor mitissimus vices, nec non & gloriam illi largiebatur; & sua arva illæsa obtinebat; & omnes sub sua ditione lætabantur & exultabant.

Enodare fidelibus volo . . . *& desinit* . . . . Principem sublimarunt.

Prætermissa heic quære Tom. II. pag. 288. hujus Collectionis edita à Peregrinio.

Hæc de pluribus pauca dixisse sufficiat. Nunc quæ à *Diacono Paulo* eleganti viro prolata sunt, minimè obmittamus; sed huic Historiæ enucleatiùs inserere faciamus.

Lugentum (27) lachrymis populorum roscida tellus
Principis hæc magni nobile corpus habet.
Hic namque in cunctis recubans celeberrimus Heros
Præpollens Arichis, o decus, atque dolor.
Tullius ore potens cujus vix pangere laudes,
Ut dignum est, posset, vel tua lingua Maro.
Stirpe Ducum Regumque satus, ascenderat ipse
Nobilior generis culmina celsa sui.
Formosus, validus, suavis, moderatus, & acer,
Facundus, sapiens, luxque decorque fuit.
Quod Logos effinxit, moderansque quod Ethica pangit,
Omnia condiderat mitis in arce sua.
Strenuus, eloquii divini cultor, & index,
Pervigil in lachrymis tempora noctis agens.
Anteibat juvenes venatu, viribus, armis:
Flaminibusq; (28) ipsis flamina sancta dabat.
Ter binis lustris patriæ sic rexit habenas
Fluctibus, ut luntrem (29) Navita doctus agit.
Sollicitè gratiam pacis servavit amator,
Consilio cautus, providus, atque sagax.
Cum natis proprium nil ducens tradere (30) censum,
Insuper & Patriæ promtus amore mori.
Mæstorum solamen erat, solamen egentum,
Hos satagens verbis, hos relevare manu.
Ornasti patriam doctrinis, mœnibus altis.
Hinc in perpetuum laus tua semper erit.
Tu (31) requiesque tuis, portusque, salusque fuisti,
Gloria, deliciæ, tu generalis amor.
Heu mihi quàm subitò perierunt omnia tecum
Gaudia, prosperitas, paxque, quiesque simul.
Planctus ubique sonat; te luget sexus, & ætas
Omnis, & ante omnes, tu Benevente, doles.
Nec minùs excelsis nuper (32) quæ condita muris
Structorem Orbe tuum, clara Salerne gemis.
Apulus, & Calaber, Vulgar (33), Campanus, & Afer.
Quosque Siler potat, Romuleusque Tibris.
Quique bibunt Ararim te flent, Histrumque, Padumque.
Æstimet adfinis, seu peregrina phalanx.
Tam felix olim, nunc namque miserrima Conjux,
Regali in thalamo quam tibi junxit amor,
Eheu perpetuo pectus transfixa mucrone
Languida membra trahens, te moribunda dolet.
Viderat unius heu nuper funera nati;
Ast alium extorrem Gallia dura tenet.
Huic geminæ natæ vernanti flore supersunt,
Solamenque mali, sollicitusque timor.
Has cernens, reddi vultus sibi credit amatos.
Heu trepidam faciunt: fluctuabunda pavet.
Solatur tantos spes hæc utcumque dolores,
Quòd te pro meritis nunc Paradisus habet.
O Regina potens, Virgo, Genitrixque Creantis,
Prosit ei huc sacro membra dedisse Lari.

Vixit autem quinquaginta tres annos. Obiit VII. Kal. Septembris Anno ab Incarnatione Domini DCCLXXXVII. Indictione (34) IX. Donna Adelperga Principissa filios Romoald, Grimoald, Egisiphum, Theoraldam, & Adelcisam.

CAP. XVII.

Item alii versus, quos super tumulum Romoald filii Arichis reperivimus.

Alta ruit subitò Beneventi gloria tristis,
Quam tenet hic Tumulus: væ tibi Barda cohors.
Hìc Arichis dormit magni pulcherrima proles,
Unica spes Patriæ, murus, & arma suis.
Cujus fessa Patris bene jam virtute senectus
Tuta regebatur, tutio matris erat.
Hic novus à multis Arichis vocabatur herilis,
Moribus, & forma, consilioque vigens.
Grammate (35) præpollens, mundana lege togatus,
Divina instructus nec minùs ille fuit.
Relligione Patrem æquiparans, matremque pudore,
Il-

(27) Epitaphium Arichisii Beneventani Principis, Auctore Paulo Diacono, si huic nostro fides. Jam illud habebamus cura Camilli Peregrinii, & recusum habemus supra Tom. II. pag. 310. hujus Collectionis. Sed illud repetere juvat, quum Codex, unde haec fuere descripta, nonnullas variantes Lectiones exhibeat minime contemnendas.

(28) Hoc est, ut conjicio, Sacerdotibus ipsis, aliisque religiosis viris, consilia sancta ac Religionis cultum & amorem inspirabat.

(29) Pro *lintrem*, sive naviculam.

(30) Nempe Carolo Magno, cui *geminam sobolem*, Erchemperto teste, *vice pignoris tradidit, hoc est Grimoaldum, & Adelgisam, simulque cunctum thesaurum suum*, ut ditionem ac libertatem sibi servaret.

(31) Rectius heic, quam apud Peregrinium.

(32) Peregrinius legebat, *nuperque condite clare Salerne*. Melius heic: nempe *clara Urbs Salerne*.

(33) Hoc est *Bulgarus*. Regnum tunc Bulgariae florebat. V consonans pro B, & contra B pro V olim, ac praecipue apud Apulos & Siculos in usu.

(34) Ita quoque in aliis exemplaribus. Sed scribendum *Indictione X.* quae illo anno ante Kalendas Septembris decurrebat. Et quidem ante eum, sed eodem anno Romualdus filius e vivis excesserat *Indictione decima*, ut infra illius Epitaphium praefert.

(35) Peregrinius legit *Gromati pollens*. Num hic Princeps Agrimensoriae Arti operam dedit? Apage. Recte Codex noster. In *Grammatica* sive eruditione peritissimus fuit Romualdus; Legum quoque scientiam, ac Theologiam sibi pararat. En Distichi hujus sensum.

Illius, heu, tristes quos malè flamma creat.
Subditus ad mortem, dulcisque parentibus usque
Nullus plus voluit ampliùs, aut potuit.
Ceu Abraham genitor, Isaac, sic iste peregit:
Oblatus tacuit jussa parentis agens.
Traditus ob patriæ populi cunctique salutem
Se opponens voluit pro pietate mori.
Obvius occurrit Regi, immunesque phalangi
Munivit fines, o Benevente, tuos.
Tu placida Regis sedasti mente furorem
Obruta Gallorum (36) *te ira loquente fuit.*
O Romuald mitis Ductor, sinè felle suavis,
Terrea liquisti Regna, superna tenes.
Terreno verbis placuisti quàm bene Regi!
Cœlesti meliùs nunc sinè fine places.
Hoc lachrymans cecini David (37) *ego flebile Carmen*
Præsul, cui semper te sinè velle mori est.

Vixit An. XXV. Depositus est XII. Kal. Augusti Principante patre Anno XXX. Indictione percurrente Decima.

CAP. XVIII.

FErtur à multis, quòd properante Rege Carolo in Campaniæ finibus, statim, ut diximus, ipse Arichis obviam ei Præsules misit, & cum ipsis Romoalt, qui fastigium cum patre Principatus habebat; sed valde nimiùm ab ipsius Præsulibus ipse Rex fuerat exoratus, ut ipsum Romoald suo patri transmitteret, & Grimoald filium suum libenter acciperet: quod ille, ut ferunt, audita admonitione tantorum Patrum, talia fieri dixit, sic denique illo redeunte, & Grimoald, ut diximus, illuc properante, sicuti jam quippe declaravimus.

Cùmque talia peracta fuissent, Beneventanorum populus, qui suis ductoribus semper fidelis exstitit, nuntiandum protinus *Carolo Regi* mittunt, ut citiùs *Grimoald* Beneventum mitteret, ut Principatum, quem suus Pater amiserat, ipse nempe occuparet. His auditis Rex statim, ut ad se citiùs *Grimoald* veniret, jussit. Cùm verò venisset, & ante suum conspectum astaret, ipse Rex, ut erat benevolus, cum magna mœstitia ei dixit humili voce: *ut mihi relatum est: Tuus pater mortuus est.* Ille ut erat sagax, strenuusque, in hunc modum Regi responsum dedit: *Domine, piissimeque Imperator, quantum prorsus conjicere valeo, sospes est Pater meus, & gloria ejus viget, & opto, ut vigeat per secula cuncta.*

His auditis, Rex taliter quippe est eum allocutus: *Verè tuus genitor ex hac luce subtractus est.* Tunc idem Grimoald: *A die, Domine Imperator, qua huc sub vestra ditione allatus sum, nec genitorem, nec genitricem, nec ullum quippe ex nostris stigmatibus* (38) *habui, nisi te Rex.* Proceres quippe, qui ante ejus sistebant obtutum, nimiùm collaudabant strenuitatem ejus, asserentes: *Dignum* (39) *est, ut Samnitum Ducatum Beneventanum ad istius Grimoald ditionem perveniat.* Cùmque Rex aures innecteret in sermones, quos audiebat à suis fidelibus, conversus ad Grimoald: *Vis arva tua repedare?* Qui ait: *Domine volo.* Item Rex: *Et si malis, unum, quod à te quæro, nostræ eminentiæ per jusjurandum promitte, ut statim dum Salernum fueris ingressus, muros ejus à fundamento diruas, & ad solum usque perducas. Sic facies & Consiæ, simulque & Aggerentiæ.* Quod ille nimirum per jusjurandum spopondit omnia esse facturum.

Ipse sæpe dictus Rex equos, familiamque atque dona plurima est ei largitus, eumque Dominum Beneventum misit, admonens, ut ei quam spoponderat fidem servaret. At ille valefaciens Regi, cum suis fidelibus iter arripuerunt. Sed ipse Rex è suis fidelibus duos præclarissimos cum ipso Grimoald misit, Autharim videlicet, & Paulipert, ut quemadmodum suæ dignitati, sic per omnia illi fidem servarent. Et idem Grimoald, ut eminentiores, atque cum honore eos in sua patria obtineret, & domos, & prædia plurima eorum ditioni tradidit, & ex nobili genere eis puellas copulavit.

CAP. XIX.

DUm simul, ut diximus, caperent iter, pervenerunt in Beneventanis finibus non procul Capuana urbe; sed antequam Vulturnum fluvium transmearent, immensa Langobardorum plebs in occursum ejus vênit, atque cum gaudio est ab eis exceptus. Qui dum catervatim Beneventum properassent, promiscui sexus ferè milliarium unum ab urbe exierant, cum hymnis & canticis Deo gratias referentes, id ipsum annectentes: *Veni pater noster & post Deum salus nostra.* Dum urbem fuisset ingressus, statim Dei Genitricis Ecclesiam adiit, atque in faciem in pavimento se extensum prostravit, & veniam ab ipsa Dei Genitrice efflagitabat. Cùmque per paucos dies à Beneventanis illic detineretur, Salernum vênit. Sed dum Salernitanis fuisset cognitum, repentè ex urbe egressi sunt, tam virorum, quàm fœminarum omnis sexus, omnisque ætas ei obviam, & magna multitudo ferè per milliarium unum cum hymnis, & canticis dicens: *Veni Domine, veni, qui proprium tuum corpus non es veritus pro tuis ovibus tradere.* Atque in hunc modum simul reiterabant voces. Cùmque urbem Salernitanam fuisset ingressus, illico Dei Genitricis Ecclesiam adiit, atque ab ipsa, ejusque prole veniam poposcebat; & super sepulcrum veniens patris ac fratris, multùm illic flevit. Cùm venirret verò ad Palatium cum suis Proceribus, illic cum magno gaudio simul sunt epulati. Dum verò talia patrata fuissent, ipse, de quo jam diximus, Princeps cunctos suos Optimates accersiri fecit, quatenus prorsus quod dudum Regi spoponderat, panderet. Sed dum Optimates talia nimirum cognovissent conturbati sunt valde, adjicientes: *Quomodo tam præclarissimam civitatem ad solum usque prosternes, sicut tu Do-*

(36) Haec plane apud Peregrinium vitiata, qui habet *& ira loqui fecit*.
(37) Beneventanus Episcopus.
(38) Scilicet ex nostris affinibus, sive ex nostra cognatione. Eo sensu usitata vox Auctori nostro *Stigma*, ut arbitror, pro *Stemma*.
(39) Non ob istud callidum tantummodo responsum Carolus Grimoaldum dimisisse mihi creditur, sed quia post Arichisi obitum Graeci multa minabantur, immo cum Beneventanis consilia miscebant; & ad rebellionem proni erant Populi, si Grimoaldum Carolus eis negasset. Et profecto Graeci cum Adelgiso Desiderii olim Regis filio arma parabant. Rex ergo, ut majora pericula averteret, satius duxit sinere Grimoaldum abire. Vide Epistolas 73. 86. & 90. Codicis Carolini.

Domine asseris, quàm ut meliùs scis, tuus nuper piissimus Genitor ampliavit mirabiliter? His auditis Princeps ad instar sui Genitoris blanditer alloquens eos: *Aliter facere nequeo, quia per jusjurandum Regi asserui omni modo talia adimplere*; Dum Optimates illius voluntati obtemperare mallent, taliter proruperunt in verba: *Dominus noster es: quod bonum & utile tuis comparet oculis, facito*. At ille: *Eamus*, inquit, *in locum, qui Veteri nuncupatur, & plus tutissimam civitatem, quam ista est, ibi construamus*.

CAP. XX.

CUmque cum suis Proceribus illuc, ut diximus, carperet iter, locum, quem ipse circumspexerat, famulis suis præcepit hinc inde muris ædificari. Et statim reversus Salernum, & electa manu cum valido exercitu Consiam pergit; & loci, qui erat tutissimus sinè muris, muros illic inventos disrupit, ut civitas omnino diruta esse videretur. Deinde Aggerentiam vênit, eamque funditus diruit, & ad solum usque prostravit; & eam plus meliùs, quàm ipsa vetustissima fuit, in locum alium ædificavit. Nam non procul ab ipsa civitate mons ingens erat, in quo ascendens, eum vehementer lustravit; cùmque oculis ipsius placuisset, ibidem construere Civitatem dixit, quam mox inchoaverunt. Atque ipse Princeps ibidem, & per Apuliæ fines est demoratus, donec ipsa civitas ad culmen usque perducitur. Deinde Calabriæ fines perambulavit, cui dona, simulque & magna exenia sunt oblata.

CAP. XXI.

HIs itaque gestis callem nimirum, quem reliquerat, repedavit; cùmque venisset Salernum, dum portam ipsius cum suis ingrederetur; ipse Princeps alta trahens suspiria tamdem in vocem prorupit: *Civitatem hanc præclaram quomodo inquirimus? Per quantum conjicere valeo, illa, quæ cœpta est, usque ad callem ipsius scopulis plena est, nec oneratum vehiculum, nec plaustrum illuc ducere valemus; & quod exinde peragam, nescio, utrum illam perficiam, an istam, in qua nunc degimus, diruam*. Cui unus ex Langobardis ad hæc ita respondit: *Quod das donum mihi, Domine mi, si sic faciam, ut ista civitas semper illæsa permaneat, & quod Regi spopondisti, adimpleas?* Ad hæc Princeps: *Pete quod vis*. At ille: *Nihil aliud peto, nisi ut protinus des mihi* (40) *varium indumentum, quo olim vester Genitor in Paschali festivitate utebatur*. Item Princeps: *Difficilem postulasti rem: attamen si perficis, quod promisisti, ego te induam ipsum*. Tunc nimirum ipse, ut erat consilio sagax, tale prorsus dedit responsum, & ait: *Ipsum murum ab Oriente, qui est situs juxta Faustini rivum, protinus diruamus; quia nempe machina, quam nos Patriam nuncupamus, ibidem valde videtur esse contraria, eo quòd ipsa terra ultra Faustini rivum eminet muro. Ex hac parte paululum murum ipsum construamus, & omnimodo jam ab hostibus ex hac parte metus nihil habemus. Ipsum alium murum, qui est ex Occidentis parte, ultra ipsum priorem statim murum ædificemus, & est tutamentum contra marinos hostes: & tunc denique quod dudum Regi promisisti, omnimodo videtur esse completum*. Tunc omnes, qui aderant, mirati sunt valde, quòd tam salubre consilium citiùs potuisset reperiri; & protinus idem Princeps indumentum deferri jussit. Cùmque illud detulissent ante suum obtutum quidam ejus famuli, illico ipse Princeps eum tulit, atque sicut promiserat, eum induit; nam quod ex ejus ore procedebat semel, nullatenus retrorsum rediebat, præmia non captans, sermone immobili exstans.

CAP. XXII.

CUmque fuissent patrata talia, ipsa, quæ inchoavit, operari desierunt; & de hac præclarissima civitate quod vir ille magnificus dixerat, omnimodo adimplere studuerunt; & Deo tuente illæsa usque nunc hactenus manet. Ipse, ut diximus, Grimoald ad instar sui Genitoris undique murare istam Civitatem cœpit, atque à parte Australi antemurale fecit. Fuit vir miræ fortitudinis, consilio cautus, cor denique capax. Et quid multa referam? erat promtus ad omne bonum. Sufficiant de Grimoald pauca, quæ diximus; nam quidam illorum cognitus & per omnia probabilis Amicus, plenissimè acta, quæ in hoc Mundo gesserat, versibus illustravit, quos nos huic Historiæ scribere curavimus.

Magnus erat Princeps Arichis, *lux, nostraque salus,*
Restituenda Deo hìc sua membra dedit.
Nec non hìc Romoald, *ipsius maxima proles,*
Sub Patre jam Princeps, hìc requiescit humo.
Vir quoque magnificus Grimoald, formosior illis
Urbs, situs est Princeps inter utroque loco.
Sensus, & eloquiis formam describere laudis
Hujus non posset pleniùs ulla manus.
Gloria magnificis de Lango maximè Bardis
Præcelsa ex horum stirpe superstes erat.
Regalis genere existens ab utroque parente
*Cras cedit, gesta * sub dota genus.*
In terris pollens nimiùm pulcherrimus annus
Spes jam Samnitis certa salutis erat.
Mirandus specie, sed plus mirabilis actis,
A puero micuit, promptus ad omne bonum.
O dolor immensus, proh ultimæ damna ruinæ,
Quam gens Bardorum fraude sub alta tulit.
A Patre pro patria directus Regius obses
Placavit patriam funus ad usque patris.
Cum (41) *Danais bellum felici sorte peregit,*
Finibus & pellit belliger ipse suis.
Extera Regna sibi terenda (42) *pace subegit.*
Dilectus cunctis terribilisque fuit.
Pertulit adversas Francorum (43) *sæpe phalangas;*
Salvavit patriam sed Benevente tuam.

Sed

(40) Pellis albae ac pretiosae genus. *Vajo* dicitur Italis. Pluribus ex hisce coagmentatis vestes aut fiebant, aut subsuebantur.

(41) Contigit hoc eodem anno, quo is e Gallis Beneventum regressus est. Poeta Saxonicus apud Du-Chesnium ad annum 788. testis est, Graecos in Calabria forti cum classe contra Beneventanos processisse: quare
,, *Occurrere Duces Caroli, quibus illa tueri*
,, *Cura fuit loca, praecipue Grimoldus, in ipso*
,, *Dux anno factus patre pro defuncto Aragiso &c.*
,, *Cedit Achiva cohors, Danaum dant terga phalanges &c.*

(42) Num *terrenda?* ut sit pace, quae terrebat, quia is in pace armatus. An potius *subegit*, idest coegit, extera Regna sibi pacem tenere?

(43) Vide Erchempertum num. VI. supra Tom. II. Collectionis hujus.

Sed quid plura feram? Gallorum fortia Regna
Non valuere hujus subdere colla sibi.
O quàm longinquo fuerat dignissimus ævo,
De quo tantus erit tempus in omne dolor.
Post casum infaustum, qui Regna Latina *
[illegible] ...uentis
[illegible]ste suæ gentis spes, requiesque fuit.
Terrenas gazas numquam servavit amando
Sed mox captivis, indigenisque dedit.
Itala, Romana, Illyrica, Hebræa, Afra, Pelasga
Morte tua Princeps gens sinè fine dolet.
Mors tibi non nocuit; sed nos linquendo peremit,
Dulcis alumne, suo quòd tenet atra die.
Vixisti septem ....
Sed cunctis seclis laude perennis eris.
Sint satis hæc breviter de te prolata legenti,
Plenus laude tua, qua ..... *mundus adest*

CAP. XXIII.

IGitur *Grimoald*, postquam tenuit Principatum Samnitum annos videlicet XIX., & menses VI. vocante eum divina providentia, de hac luce extinctus est, atque reconditus in jam dicta Ecclesia Sedis Salernitanæ juxta sepulchrum patris, fratrisque, de quo prædiximus.

Carolus (44) cùm jam evolutis multis quippe temporibus regnasset, Pipino suo filio Regnum tradidit, præsentisque vitæ relinquens gloriam, atque potestatem terrenam, ad Beatum Benedictum devotus cum aliquantis suis advênit fidelibus, seque eidem Dei contulit Confessori, atque in spirituali habitu spondens permansurum, & ibidem professus est Monachus, & in quo sanctam finire vitam jure professus est jurando. Igitur dum venisset Monasterium, quod prædiximus, quod est situm in Casinum Castrum, cum omni humilitate Abbati, qui tempore illo ipsi Ecclesiæ præerat, se subdidit, atque cum omni mansuetudine sæpissimè Monachis exhibebat obsequium. Quid multa referam? Qui ante purpuratus, contextisque ex auro gemmisque vestibus indui solitus erat, postquam vili tectus est tegmine, pauper ipse pauperibus ministrabat, & juxta dicta Apostoli, qui ait: *Non tantùm coram Deo, sed coram omnibus hominibus, Caritatem servantes*, sic idem non tantùm Domino exhibebat servitium spirituale sed membris ejus, idest iisdem Monachis, sedulum cum omni humilitate sinè querela exhibebat obsequium.

CAP. XXIV.

MIhi de ejusdem Caroli humilitate pauca huic Historiæ inserere placuit, ut possit liquidiùs agnosci, quàm humilis iste fuerit, quantæque innocentiæ, & sanctitatis. Dum denique (45) Abbas, qui tempore ipsi Monasterio, ut diximus, præerat, cujus nomen memoriæ non retinemus, eum exprobraret, sicuti Abbatum mos est, ut per exprobationem, quæ Monachis à foris infertur, de intus quod animo gerant cognoscere valeant: sic idem Abbas in multis argumentis dura loquendo, irascendo, minando, præsentabat. Sed ille nimirum omnia tolerabat. Quid multa referam? paucas oviculas ei ad pascendum commisit. At ille cum omni, ut diximus, humilitate sui Abbatis obtemperans mandatis omnimodo se se respondit esse facturum. Cùmque ad pastum per multos dies portaret, ac reduceret, una die denique in latronem (46) incidit. Sed cùm super eum irruit, ille nequaquam est ei superbè allocutus, adjiciens: *Fac quippe quod vis. Tantùm ne oviculas tollas: de meis planè indumentis quod velis accipe*. At ille nimirum funditus eum spoliavit. Cùmque se denudatum cerneret, (47) parvipendens quòd tegumentum femoris perdidisset, non valens ferre verecundiam, celeriter super eum irruit, eumque in terra protinus prostravit, tantum femoralia ei violenter eripiens; & cetera nolens contendere patienter illa auferre permisit. Quippe quæ acciderant, fama pandente ordinem rei ipsius, nempe quidam illico cucurrerunt nuntiare Abbati. Ipse Abbas, cùm rem inusitatam audisset, statim ad eum vênit, eumque vehementer increpavit, qualiter ut jam diximus de intus mores ejus cognoscere valeret; Sed ille nihil aliud nisi *Pater peccavi* respondebat: quo dum Abbas talia cerneret, eum præcipua vestimenta induere fecit.

CAP. XXV.

ET alia nempe die rursum præcipiens, ut solitâ obedientiâ illico perageret. Sed ille statim claustra relinquens, oviculas ad pastum deduxit. Dum verò ad horam, qua solitus erat, nitebatur quippe reverti, una ex ovibus valde claudicabat pede: quod ille dum cognosceret, quòd ad Monasterii claustra solitâ horâ venire nequiret, eam super humero proprio longiùs deportavit. Cùmque longo itinere eam detulisset, coinquinatus est nempe locatione (48) ejus. Ad hæc ipse taliter fertur dedisse responsum: *Non propter te hæc quippe patior, sed propter Dei jussa & Abbatis mei. Meis peccatis merentibus talia perago; nam propter te, non dico proprio humero portare, sed etiam despectui habere vellem de tuo contingere*. Quid multa dicam? usque Cœnobii claustra eam planè perduxit; Sed dum Fratres Monasterii talia cernerent, cum ingenti cursu id ipsum nuntiare studuerunt Abbati: quod ille audiens celeri cursu nimirum ad eum vênit, & in verba talia prorupit: *Dic mihi*, inquit, *Carole frater, pro qua re solitâ horâ huc nequisti venire?* At ille: *Una ex oviculis minimè valebat gradere: proinde, mi Pater*,

(44) Sed quis iste Carolus? Utique *Carlomannus* Pippini Francorum Regis frater, qui numquam Rex fuit. Noster vero supine nimis heic nobis exhibet Carolum ipsum Magnum Augustum, seculo renuntiantem, & Monachum in Casinensi Coenobio agentem; simulque etiam confundit Pippinum ejusdem Caroli M. patrem cum Pippino Caroli M. filio, Italiae Rege, oblitus nempe quae recte supra attulerat ex Anastasio Bibliothecario.

(45) Ex Anonymo nostro quae sequuntur, mutuatus plane fuisse videtur Leo Marsicanus Lib. I. Cap. VII. Chronic. Casinens. Vide Tom. IV. Collectionis hujus pag. 269.

(46) Leo Marsicanus sive Ostiensis habet *quidam latrunculi*. Sed rectius haec procedunt, si Carolomanno Monacho cum uno tantum homine pugna fuit.

(47) Excidisse videtur *reliqua, sed aegre ferens, quod &c.* Infra tamen eodem verbo utitur Anonymus, atque in significatione *magni faciendi*. Ego utrobique restituerem *perpendens*.

(48) Amanuensis error. Scribe *lotio*, vel *lotione*. Marsicanus habet *perfundi eum lutio contigit*.

ter, solitâ horâ huc properare nequivi: Cùmque Abbas crebrissimè eum tentaret, & omni parte se superatum cerneret, aliquantis è suis Monachis Fratribus se sociavit, atque simul cum eis sermonizabat de exemplo tantæ humilitatis, tantæque tentationis, quòd ille, qui dudum fuerat Rex, talia tolerabat; Nam decreverunt omnimodo in jam dicta obedientia minimè iret: tantùm ibidem excoleret hortulum. Ecce quantæ humilitatis vir iste fuit, qui cùm fuisset præcelsus Rex oves ei commissas pascebat. Et quid multa dicam? uni homunculo se ad spoliandum tradidit. Quod non pro re alia huic Historiæ inseruimus, nisi ut nunc (49) Monachi radicem omnium bonorum humilitatem habeant, atque cum omni nixu & alacritate unusquisque inter se planè obedientiam peragant, & jussa Abbatis quasi Dei metuant, & crebrissimè sanè Caroli obedientiam ante oculos ducant. Nam si ait: *Radix omnium malorum superbia est*, sic nimirum omnium bonorum radix comprobatur esse humilitas.

CAP. XXVI.

Denuo de ejusdem Caroli humilitate dicere cupio. Ipse jam dictus, ut nuper diximus, dum ab eo, ejusque exercitu mensis unius die Martis capta esset Papia, Romam vênit, & ibidem introivit; & ab Adriano Papa in capite ejus (ut retro redeam) pretiosa imposita est Corona (50). Ipso denique tempore Imperator, qui præerat, eidem Carolo hujusmodi Epistolam (51) misit.

Imperator Augustus Patricio Carolo salutem.

„ Scias, quia tibi dirigo aureorum centum „ millia. Rursus si ad me veneris, do tibi mille millia, & totam ex topaciis Coronam; insuper & sex mille milliaria de terra „ Asiæ; quin etiam & super omnes Patricios meos te collocabo, Legionem Bulgarorum unam, & Persarum alteram, Armeniarumque tertiam, quæ ejiciat Normannos „ de Europa, subjiciantque tibi Asiæ omnia „ Regna. Vale mi prime Consul.

Item Epistola, quæ est transmissa ab Imperatore Augusto Imperatori.

CAROLUS.

„ Gratias referimus multas vobis de tot „ muneribus, quæ mihi promisisti; sed „ honorem nullum mihi fecisti, quando Consulem me scripsisti, quia licèt honorem, & „ terram habes majorem centupliciter, quia „ tantum est Asia, quantum Europa, & Africa, tamen caput Mundi Roma est, quam „ teneo. De meo autem adventu sciatis, quoniam ad vos non veniam, nisi quando resurgent mortui in die Judicii; quia sicut „ Romanorum Regnum est sicut fuit, meis „ verò temporibus volo, si placet Domino, ut „ consistat. Valete. Et scias, quoniam dirigo tibi centum canes.

Quod nos huic Historiæ proinde inseruimus, ut per omnia ejus humilitatem nimirum ostenderemus. Numquid non poterat illum vocitare, sicut ipse Imperator potuit ipsum? Sed humilitatem, ut diximus, quæ omnium bonorum radix est, secutus, ad optimum namque fructum pervênit. Igitur cùm in prædicto Monasterio aliquo tempore perdurasset, tamdem longæva ætate divina vocante potentia placida morte quievit, atque ibidem digno tumulo est humatus. Iterum ad Historiæ retexendum ordinem redeamus.

CAP. XXVII.

Igitur *Paulus*, de quo superiùs mentionem fecimus, cùm (52) funus vidisset *Principis Arichis*, ejusque proles regnaret, præsentis vitæ relinquens gloriam, ad Beati Benedicti pergens nimirum Cœnobium, ibidem Sanctæ Religionis indutus est habitum, atque spopondit usque ad suæ vitæ exitum omnimodo esse ibi mansurum. Dum verò per aliquot dies percurrentes illic moraretur, tantæ innocentiæ, tantæque humilitatis . . . . simulque silentium deferebat ultra humanum usum. Sed dum ab Abbate, simulque etiam à fratribus de tali re coërceretur, quod non esset bonum uti immoderato silentio, & secundùm dicta Sanctorum Patrum valde nimirum videtur esse contrarium; ipse verò, ut erat sagax prorsus, atque strenuissimus, deliquisse se respondebat, & simul ajebat: *Inania verba multa quippe jam olim nimiùm loquutus sum, justum est, ut nunc ab illicitis nimiùm me subtraham, dicente quippe Beato Papa Gregorio: qui non commisit illicita, licitis utatur, & qui commisit illicita, ab illicitis subtrahat se. Proinde, mi Pater, à licitis nimirum, quæ mihi præcipis me subtrahere cupio*. Ad hæc ipse Abbas: *Sufficiant quæ Pater noster Benedictus in sua Regula edidit*. Ipse verò talia audiens, à nexu, quo se districtiùs ligaverat, solvit, atque se nempe regulans cum aliis fratribus quiescebat.

CAP. XXVIII.

Sed dum valde fuisset oratus à Patre ipsius Monasterii, simulque & à Fratribus, in prædicta Regula quidquid obscuriùs ibidem reperire potuit, mirabili relatione in patulo pro-

(49) Hinc elucere potest, uti Peregrinius adnotavit, haec a Monacho literis consignata fuisse.

(50) Uti rursus vides, Carolum Magnum cum Carlomanno ejus patruo noster confundit. Minime vero contemnendum, quod ille addit de *Corona* ab Hadriano I. Carolo Magno imposita anno 774. quum nempe is primum Romam profectus est. Corona haec fuisse videtur *Diadema Patriciatus*; Patriciis enim, ac praecipue Romanorum, *aureus circulus* deferri consuevit. Consule Du-Cangium in Glossario Latino ad vocem *Patriciatus*.

(51) Et quidem commentitiam, immo plane ridendam, uti & subsequens Caroli responsum. Parce Camille Peregrini, si quas tu nugas prodere religioni tibi duxisti, ego nullo amore neque odio ductus, facile evulgo. Ad Veritatis regnum, atque ad Historiae antiquae integritatem pertinet nosse etiam, quam male composita forent olim ingenia, & quam latus esset fabulis aditus vel inter eos, qui prae ceteris operam literis dabant.

(52) Non post mortem Arichisi Principis Beneventani, sed longe antea, hoc est vix Langobardorum Regno exciso, Paulum mundanis rebus valedixisse, Clarifs. Mabillonius in Annalib. Benedictin. veri similius putat.

protulit, Codicemque illum (53) *super Regulam* appellari præcepit. Scripsit etenim & nonnulla alia Opuscula sermone luculento. Cùmque diu illuc in sancta conversatione moraretur, jam ætate maturus hujus vitæ cursum explevit, atque ibi in prædicto Monasterio, quod Aquinensium finibus situm est, ubi ipse Beatus Benedictus decubuit, digno tumulo est humatus, atque super ejus tumulum partim, quæ in hoc Mundo gessit, partim de ejus prudentia, quæ in tempore produxisset de sacris literis, exaratum (54) invenimus. Fuit vir per omnia sagax, divinæque legis disertus, & apprimè liberalibus disciplinis imbutus. Patriarchæ Aquilegiæ Civitatis fuit Diaconus. Ipsum Palatium, quod Princeps Arichis struxit in memorata Salernitana Urbe, undique ipsum versibus illustravit. Sed quia propter longum tempus fuerunt vetustate attriti, numerare, legereque illos non potuimus. Nam si unam quippe paginam fuissemus nacti, comparare illos profectò potuissemus Maroni in voluminibus, Catonique, sive profectò aliis Sophistis.

Interim nunc generalis Historiæ revertamur ad tramitem, & omnimodo de Regibus obmittamus retexere. Tantùm de Principibus, qui fuerunt in nostris videlicet partibus, partim quæ in hoc Mundo gesserunt, partim de eorum audacia, quibusve temporibus durarunt, huic compendioso subnecto sermoni: Hac denique tempestate jam fatus *Rodopertus*, cùm jam perevolutis aliquot annis Salernitanam Sedem rexisset, longæva ætate hujus vitæ cursum explevit.

CAP. XXIX.

Defuncto itaque *Grimoald*, Ildrici filius *Grimoald* (qui lingua Teodisca, quam olim Langobardi utebantur, *Storeseyz* fuit appellatus; & nos in nostro eloquio, *qui ante obtutum Principum & Regum milites hinc inde sedendo præordinat*, possumus vocitare) in Principali dignitate est elevatus. Cùm verò ad Principale, ut diximus, pervenisset fastigium, non sicut Antecessores ejus Principes se gerebat, sed elationes, atque avaritias, simulque & discordias inter Langobardos fortiter inferebat, & per mendaciosa eloquia per omnia cunctis cernentibus se ostendebat: unde sæpissimè Principibus, sive Regibus, sive Prælatis aliis solent de hac re exinde evenire clades. Per idem tempus Francorum (55) exercitus Beneventanis finibus adiit, & quidquid reperire potuit, incendiis, rapinisque demoliti sunt, ut talia Grimoald audiens hæsitare quasi cœperit, quatenus nempe castra eorum expiare valeret. Unde unus è Beneventanis in hunc modum Principi est effatus: *Si Domini nostri prorsus comparet voluntas, ego illuc pergo, & omnia castra illorum lustro*. Erat denique audax ille, nobilissimusque vir: cui Princeps illico: *Stabulum nostrum pete, & qualem volueris equum exinde tolle*. At ille ad Comitem Stabuli properavit; sed antequam patefierent fores illius, baculo, quem in manu gestabat, liminare nempe percussit. Equi verò sunt perterriti; sed tantùm qui priùs caput levavit, comprehendi jussit; atque ipse equo ascenso per devia silvasque tamdem phalanges Francorum properavit. qui dum explorasset omnia castra eorum, sine mora ad Dominum suum est reversus. Cùmque in patulo omnibus assistentibus, Principi omnia, quæ vidisset, panderet: ipse Princeps talia verba depromit: *Validusne est, super quem equitasti, equus?* Ipse ei nempe protinus manus ostendit; habebat denique eas obduratas propter equi virtutem. At Princeps: *Sit tibi concessus*. At ille eum protinus adoravit. Cùmque talia assistentes cernerent, unus ex his, qui cum ipso, qui Francorum phalanges exploraverat, jam nuper consiliaverat, quatenus ipsum Principem vita privaret, putans, quòd ipsum consilium Principi panderetur, vocem emisit magnam: *Melius vestræ dignitati intimabo, quam iste*. Ad hæc Princeps: *dic*; at ille nimium parvipendens (56) de re, quam promiserat, dixit: *Putavi, mi Princeps, de alia re quòd ipse fuisset locutus: proinde talia quippe deprompsi verba*. Cui Princeps taliter cum ira exorsus est verba: *Si illico coram nostris servientibus, quæ nuper gessisti, in patulo non prodideris, sine mora te perire faciam*. At ille cuncta, quæ clam dudum gesserat, pandens, ordinem rei exposuit, quomodo cum illo, de quo supra diximus, consiliaverat, ut ipsum Principem privaret vita. Et statim ipse Princeps famulis suis præcipit, quatenus sine mora ipsum, qui hæc dixerat, ut fertur, de hac luce extingueretur: qui mox nimirum quod eis præceptum est, quamvis cum severitate, adimplere studuerunt. Quo facto idem Princeps, ascito viro illo, qui phalanges exploraverat Francorum, ei dixit, ut unum ex duobus eligeret, aut amissionem amborum oculorum, aut esset privatus manibus. Ille districtiùs suas manus ligari præcepit; sed dum una die, simulque una nocte talia sustinuisset, & nec manus ad os ducere, nec suum corpus undique muniri posse conspiceret, atque eas ad corporis munditiam minimè exhibere valeret, se nimirum jussit absolvi; deinde ex omni denique parte oculos tegere dixit. Dum verò ligatos una die, unaque nocte haberet, & manus ad os ducere, totumque munire corpus valeret, amissionem duorum oculorum elegit. Et inter hæc verba, quæ

(53) Atqui supra laudatus Mabillonius in Annal. Benedictin. ad annum 840. contendit, falso hunc Librum Paulo Diacono fuisse tributum, ejusque Auctorem fuisse *Hildemarum* Monachum, qui circiter annum 850. floruit. Codices antiquos *Hildemarum* praeferentes in hanc rem laudat. Verum non parvi hoc in loco facienda est auctoritas Anonymi nostri, nempe ut videtur, Monachi, & quidem vetustissimi, Paulum Diaconum interpretem Regulae Benedictinae testantis. Hunc non satis novit Mabillonius. Hugo etiam Menardus *Rutbardo Monacho* Rhabani auditori expositionem hanc olim tribuebat. Ego nihil statuo. Adeat Lector, si lubet, quae adnotavit Angelus de Nuce ad Lib. I. Cap. XV. Leonis Ostiensis Tom. IV. pag. 285. Rer. Italicar.

(54) Carmen Hilderici innuere videtur, quod habes ante Paulli Historiam de reb. gest. Langob. Tom. I. hujus Collectionis, & in Notis Mari ad Petrum Diaconum Tom. VI.

(55) Nullum verbum de expeditione hujusmodi in Beneventanos habet Erchempertus. Id autem accidisse videtur anno 812. quo secundum Annales Francorum Carolus M. *cum Duce Beneventanorum Grimoaldo* (nempe Storesaiz, qui anno 806. Principatum inivit) *pax facta est, & tributi nomine XXV. millia solidorum a Beneventanis soluta*.

(56) Immo *perpendens*. Ita & supra. Librariorum indoctorum munuscula haec putato.

quæ diximus, affatim efflagitabant Pontifices ad ipsum, & Optimates, forsitan ipsum Principem veniam ei tribueret. Et dum nullo modo veniam impetrare valerent, tertia denique die statim famulos suos idem Princeps misit, eumque luce privavit.

CAP. XXX.

DUm tam crudelis, tamque tyrannus esset, nec non & pejora Beneventani cernerent, de morte ejus cogitare cœperunt, sed omnimodo nequibant profectò insurgere propter rixam, quam ipse Princeps inter eos inferebat. Cùm hæc ageret ipse supradictus Princeps, per universas dictas Civitates, nec non & Provincias suos Missos misit, quatenus fine mora omnis sui exercitus copiam in unum adunarent. Quo facto eminentiores illorum ad se fecit adscire; sed dum essent congregati in unum, ipse denique Princeps taliter prorupit in vocem: *Eja consanguinei, nec non & ex meis stigmatibus, simulque mei Proceres, cunctique mei fideles, pariter ineamus consilium, quo ex nostris finibus superba gens protinus evellatur. Cupiunt denique à nostra parte censum obtinere, quod nuper soliti erant accipere. Quid exinde vobis comparet mox nostræ eminentiæ intimate*. Cui pro cunctis quidam Mayo Castaldius taliter verba depromsit. *Aurum, argentumque, mi Princeps, satis apud nos abundè redundat. Si vestræ ditioni comparet, exiguam partem inde demus, & nostram terram illæsam obtineamus*. Et continuò ab uno ex hiis, cui nomen Ramfo fuit, qui præerat ipso tempore Campsiriis, (57) est ei responsum: *Talia minimè, Domine mi, peragamus: melius multo est pugnando mori, quàm hic infelicius vivere. Numquid non planè, mi Princeps, legisti, & quomodo proprias ædes patres nostri reliquerunt propter vectigalia, quæ Guandali ab eis exposcebant?*

CAP. XXXI.

HIs auditis Princeps confusionem ferre non volens, contra eosdem Francos decrevit facere munitionem, & cum magno exercitu obviavit eis. Quod cùm cognovisset Francorum exercitus, omnes ad bellum sunt præparati. Et priusquam Grimoald bellum cum eis iniret, à quatuor videlicet partibus tubas intonare præcepit, moxque audaciter super eos irruit, & Deo prævio, ultima cæde eos prostravit, ceteros in fugam compulit ire. Cùmque utræque acies procul prorsus sequestrarentur, unus è Francis audacior ceteris nominatum supra Castaldium acclamavit Rampho, ut pariter cum eo singulare certamen iniret. Ille ut erat magnanimus, audaciter exiit obviàm ei; sed dum se adjungerent in unum, illico super eum ipse Gallus irruit, atque cum omni nisu nitebatur illū vita privare. Sed Rampho ejus ictibus fortiter resistebat, atque super eum vênit, & citiùs de hac luce eum privavit. Quo comperto Galli, videlicet obiisse validissimum illum sodalem, confusionem ferre non valentes, clam tela Ramphonis lateri mittere jusserunt. Cùm talia quidam Sclabus jussa perficeret, ipse Rampho ibidem diem clausit extremum. Ut mortem illius comperit Grimoald, mansit cum magna mœstitia, & qui ante durior erat, postmodum quippe immensas lacrhymas effundebat, & cum magno ululatu, totiusque exercitus, perturbatus Grimoald Ramphonis corpus elevans, eum Beneventum perduxit, atque digno in loco eum tumulari præcepit.

CAP. XXXII.

MAyo, de quo jam supra diximus, dum inchoatum vidisset bellum, ut nonnulli ferunt, innuit fugam, atque post victoriam absconsum in quodam molino reperiunt; quem Grimoald comprehendi jussit, atque eum venire fecit in medium, quem aspiciens dura eidem Mayoni verba depromsit: *Dic mihi*, inquiens, *Mayo, pro qua re nos, bello inchoante, protinus liquisti, & te incolumem reddidisti? Nonne ipsa erant verba, quæ dudum dicebas, ajens, cum Gallis prœlium minimè committeremus?* Et hæc dicens turpiter eum comprehendi fecit, atque in aselli dorsum ponere jussit, & per plateas à famulis suis fecit ejus cedere dorsum. Effugatis Francis, Beneventani magno tripudio revertentes, cuncti læti ... manebant: alii in domibus, alii in prædiis gradiebant nimirum, & exultabant, & non erant, qui exterrerent eos.

CAP. XXXIII.

HAc tempestate erat quidam vir insignis in Civitate Spoletina nomine *Sico*. Cùm fuisset nimium apud *Pipinum* (58) *Regem* de quadam re infamatus, Civitatem propriam linquens, cum uxore, & filiis, & cuncta sua suppellectili, cum servis, ancillisque, ut maria transmearet, atque ut Constantinopolim pergeret, est profectus. Cùmque Beneventum cum suis properaret, audiens hoc *Princeps Grimoald*, non paucos ex suis fidelibus in ejus misit occursum; sed dum simul graderentur, à foris portam, quæ Aurea dicitur, applicuerunt. Cùm ipse Princeps diversos cibos, vina quoque præcipua, variaque potionum genera transmisisset eidem, post meridiem per semet ipsum illuc gradiens, eum quò tenderet, requisivit. Cui ipse Sico: *Pro nulla re alia extera Regna peto, nisi propter quod insidiam Domini nostri Regis vitare studeo, qui me valde habet exosum; & vereor, ne una die incidam in manus ejus. Proinde, mi Princeps, propria desero, & aliena quæro*. Idem Princeps: *Aliquem parem ex meis Proceribus tecum venire jubebo, fiantque conscii vestri itineris, donec Hydruntum properetis, atque in diversis Civitatibus & Castellis solamen vobis exhibeant*. Hiis itaque gestis, ipse Princeps urbem ingressus est, atque cunctos suos Optimates jussit congregari in unum, & dum simul sunt congregati, sermonem ipse Princeps talem depromit: *Quomodo tam nobilissimum, atque præclarissimum Virum in extera Regna sinimus ire?* Ad quæ pro cunctis *Radelchis Comes Consinus* in hunc modum Principi est effatus: *Si velis hìc in nostra urbe illum, Domine, detinere, solamen à vestra Dignitate, & à tuis fidelibus poterit quippe sufficienter habere. Sed prorsus* exinde

(57) Num potius *Compsinis*? hoc est *Consinis*, quibus ille tunc praefuerit Comitis aut Castaldii titulo. Si ita foret, Radelchis post illum *Comes Consinus* fuisset.

(58) Scilicet Caroli M. filium, atque Italiae Regem.

valde veremus, ne à parte Regis nostræ Patriæ exinde eveniat clades. Ad hoc Princeps: *Si Dei, & ejus Genitricis suffragium obtinemus, citiùs ad dimicandum cum eis valido exercitu, Deo prævio, audaciter pergemus; meliùsque multo est pugnando mori, quàm alienæ genti colla subdere*.

CAP. XXXIV.

CUmque placuissent omnibus, qui assistebant, talia, decreverunt, ut ipsi Siconi cum omnibus suis Optimatibus quæ de ipso decreverunt per ordinem omnia depromeret. Cui ille: *Melius est, mi Domine, nostris filiis, & uxori apud vestram gratiam manere cum exiguo pane & aqua, quàm in extera gente præcipua vina, pluresque dapes, opesque plurimas obtinere*. Ad hæc Grimoald: *Caro nostra es: mane apud nos; quia de quibus dixisti rebus, satis à parte nostra poteris ipse habere*. Quapropter domos, prædiaque ejus ditioni tradidit; atque post hoc non paucis percurrentibus diebus Acheruntiam ei ad obtinendum tradidit, quæ est nimirum spatiosa terra, & ad venatum omnimodo apta pro eo quòd ipsum Siconem, suamque prolem talia diligere cognovit. Hiis ita gestis non parvam mœstitiam Beneventanis, simulque & sævitiam exinde invexit; & inter se planè mussitantes, non ipsam civitatem proscripti, sed Beneventani geniti obtinere quippe debuerant: & murmur magnum exinde inter eos erat. Sed *Grimoald* omnia tolerabat, & proinde talia quippe operabatur propter illorum discordiam. Cùm venisset ipse Sico cum suis Aggerentiam, à cunctis terræ illius hominibus dilectus est valde, pro eo quia quidquid habere poterat, eorum ditioni tradebat; nempe omnia inter se dispertiebatur; Habebat ipse, ut prædiximus, Sico filios duos floridam ætatem gestantes. Major denique *Sicardus* vocabatur; junior verò *Siconolfus* appellabatur. Sicardus verò erat statura pusillus: Siconolfus planè erat statura procerus; amboque validissimi in omnibus prorsus rebus se ostendebant, & crebrissimè venatùm pergebant. Sicuti ipsorum mos erat, dum ex more una denique die prorsus processissent venatùm, ingentem reperierunt cervum, quem cum omni nixu sequi ipsum non desinebant. Sed dum longiùs cervus ipse petere videretur, Sicardus suum germanum est allocutus: *Mi frater, cervum illum sequi nempe sinamus; sed utcumque fuerit, famuli nostri illum sequantur*. Ipse Siconolphus dum sui germani voluntati obtemperare vellet, suis famulis sequendum dimisit, & cum Sicardo Aggerentiam est regressus. Dum percontaretur à genitore, utrum reperissent aliquam venationem, an non illi quicquid gesserunt per ordinem ei nuntiaverunt. Sed dum illorum famuli cervum sequi non desiissent, in silva quippe condensa, non procul à Consia civitate, cum ipso pervenerunt. Cùm verò cervus fuisset cognitus, cum ingenti cursu illuc pervenerunt alii famuli; & terga vertentibus aliis, qui adventum Consanorum præstolaverunt, cæsi fuerunt, & cervum tulerunt; & illorum nimirum canes; & quibusdam ex hiis vehementer dorsum cæderunt, annectentes: *Non sufficit vobis Aggerentia? Consiam vobis jungere quæritis?* Illi deferentes cervum, cum canibus se præsentaverunt *Comiti Radelchisio*. Dum verò Radelchisio omnia gesta nuntiata fuissent, magno gaudio est repletus, pro eo quòd ipse Siconem, ut supra diximus, exosum habebat. Denique dum confusi, atque cum magna verecundia Siconis famuli rediissent, ipse Sico ut erat sapiens, minimè exinde se perturbavit. Filii denique ejus cum magna iracundia permanserunt; sed ipse Sico illorum duritiem molliebat; & pacificè idoneos suos Missos Radelchisi Comiti misit, adjiciens: *Dicite*, inquit, *Comiti Radelchisi: ejus cervus ei fuit transmissus à Domino: canes meos dirigat mihi. Sed non rectè homines illius gesserunt, eo quòd famulis nostris dorsum cæderunt*. Cùm denique Radelchisi talia perlata fuissent, taliter verba depromit: *Siconi*, inquit, *dicite: advena in nostram ingressus est patriam: numquid ut judicet? Plus eum affligam: insuper & canes minimè reddi sibi faciam*.

CAP. XXXV.

HIs auditis Sico, ejusque proles confusionem ferre non valentes, vehementer ira commoti sunt, manifestasque injurias vindicare nituntur; statimque audaces Consam viros misêre ut exinde prædam acciperent. Cùm talia fuissent peracta, atque nimirum Radelchi nuntiata: illico ascenso equo, occasione accepta, cum non paucis suis adiit Beneventum, & cum magna sævitia Principi est locutus, asserens: *Unum superbum advenam hic tenuisti, nec non & Aggerentiam ei tribuisti si placet, Consam quoque ei concede, quam valde jam deprædatus est*. Ipse Princeps ut cognovisset Radelchis sævitiam, taliter est eum allocutus: *Radelchis exinde minimè perturberis, quia vestram voluntatem adimplere volemus*. Et statim unum ex suis misit, quatenus illic sinè aliqua dilatione Sico ante ejus obtutum deveniret. Et dum Siconi in hunc modum perlatum fuisset, nimis quippe exterruit, adjiciens: *Quomodo illuc pergo, qui sum in hac terra accola? Si Beneventum adeam, Radelchisi planè consanguinei vivere me non sinent*. Et cum suis consilium iniit, quatenus navim emeret, ut possit Constantinopolim properare. Hoc consilium sinè Aggerentinis peractum est. Sed dum in patulo nempe exiit, Aggerentini in hunc modum responsum Siconi promserunt. *Constantinopolim quare Sico tendere cupis? Numquid scis callem ejus, aut per baratri fluctus adhuc perambulasti? Arcta est denique via; & illuc minimè pergito*. Hoc quippe dicentes, mox ad tellurem prostrati, eumque vehementer obsecrabant, quatenus eos minimè esset relicturus, adnectentes: *Durum est planè, quia si nos tu deseris, omnimodo ad nihilum perveniemus. Tamen, si vestræ dignitati comparet nos minimè linquere, nos pariter tecum moriemur; extemplòque nos exinde ineamus fœdus, quatenus terram nostram illæsam obtineas*. Protinus planè talia ipsi jurando firmaverunt. Quo facto ipse Sico in hunc modum Principi effandum direxit: *Illuc venire minimè valeo præ nimio corporis mei tædio*. Sed dum Principi nuntiatum fuisset, confusionem ferre non valens, contra eum decrevit facere monitionem(59); & congregato valido exercitu, cum

(59) Scribe *motionem*, hoc est expeditionem bellicam.

cum cunctis suis paribus Aggerentiam vênit, & non procul ab ipsa civitate castra posuit. Cui Radelchis: *Numquid non Principi Domino nostro dixi, quia ipse Sico est tyrannus, & elatione tumidus, superbiaque apud eum redundat?* Ipse verò, ut erat callidus, dissimulabat se audire. Conjungens verò Beneventanorum *Princeps Grimoald*, sequipes etiam ejus antefatus Radelchis, usque ad portam civitatis Aggerentiæ, utrique venerunt; qui obsidentes, per aliquantos dies viriliter cum Beneventanorum exercitu conflixerunt. At Sico contra intus fortiter resistebat. Sed ipse Princeps simulans se molestia corporis detentum, ut exercitus à prædatione cessaret, procul ab ipsa civitate tentoria figere jussit.

CAP. XXXVI.

UNa denique die Radelchis cum magna quippe audacia Consanos, quos ipse nutrierat, tollens, addidit sibi aliquam partem exercitus, & cum ingenti virtute usque ad portam ipsius civitatis pervênit. Sed dum Siconi fuisset cognitum, nominativè duos filios suos acclamavit, quatenus cum audacibus viris super eos irruerent, & ultima cæde eos vastarent; ac deinde si victores redirent, veraces eos filios appellare valeret; sin autem, ex alio patre genitos eos omni modo asserebat. Ipse verò Sicardus unà cum suo germano Siconolfo, ceterisque Aggerentinis expeditis juvenibus, hostium castra irrumpentes, magnas eisdem inferebant undique clades, & non longiùs ab ipsa civitate eos persequi non sinebant. Ipse autem Radelchis cum ceteris coëtaneis suis vix evasit.

Sed dum Principi relatum fuisset, à foris minas, & indignationes præfato Siconi, & cunctis Aggerentinis inferebat; de intus magnum gaudium exinde habebat, atque suis Optimatibus talia verba referebat: *Unum exterum hominem propter vos habere non valeo*. Cùmque à quibusdam talia Radelchi nuntiata fuissent, illico ad eum vênit, & in verbis talia promit: *Audivi, mi piissime Princeps, quòd dignitas tua aliquam murmurationem erga suam fidem habeat, & exinde non parva mœstitia mihi nempe evênit*. Cui Princeps: *Verè valde malè mihi videtur persequi exulem, quem olim in fide mea suscepi*. Ad hæc Radelchis: *Crastina die, mi Princeps, ante vestrum obtutum, si vestræ dignitati comparet, eum sistere faciam*. Et statim cum duobus viris Aggerentiam adiit, atque ipsius fores pulsari præcepit. Cùmque viri ipsi, qui observabant fores, quidnam esset inquirerent, responsum est, quòd *Radelchis Comes* hîc esset. Mox notum fuit Siconi; qui ut talia audivit, miratus est valde, atque portularium percontavit: cum paucis, an cum multitudine esset ille. Non esse nisi cum duobus viris respondit. Cui Sico: *Ei protinus planè aperi*. Et statim ingressus est Aggerentiam. Sed dum pervenerunt in unum, invicem se adoraverunt, atque ad Ecclesiam pariter pervenerunt. Cùmque accincti Ecclesiam introissent, statim ipse Radelchis omnes de Ecclesia ipsa ejecit; tantùm ipse cum dicto Sicone ibidem sunt demorati. Cui Radelchis: *Inter nos ineamus fœdus; & sponde mihi, ut nullum consilium me absente peragas; & de meo nimirum honore si non augeas, ne minuas. Et ego cum omni nixu omnimodo decertabo, si propitium Christum habeam, ut obtineatis principalem honorem*. Sed dum in illis verbis Sico aures innecteret, metuens ne de eo illusionem faceret, in excessu mentis opprimit eum stupor, & nequibat ei responsum reddere. Cui Radelchis: *Nil metuas*, inquit, *quia per jusjurandum statim tibi promitto talia omnimodo adimplere*. Sed dum in se est ipse Sico reversus talibus eum allocutus est verbis: *Vereor in tali me quippe obice claudere, quia sum prorsus exul, & ex meis stigmatibus nullum habeo: valde metuo, ne domui meæ exinde consumtio perveniat*. Ad hæc Radelchis: *Ne timeas*, inquit: *tantum, ut diximus, per jusjurandum sponde*. At ille respondit, se omnia adimpleturum.

CAP. XXXVII.

SEd cùm fuissent talia patrata, ex Urbe statim egressi sunt, atque ubi ipse Princeps cum suo exercitu erat, pervenerunt. Statim ipse Sico pedibus provolutus veniam poposcebat. Ipse Princeps per semetipsum eum de terra elevavit, eumque osculatus, noxam ei condonavit, atque ut comes ejus itineri esset, ei protinus intimavit; & cum magno gaudio catervatim Beneventum pervenerunt. Cùmque per aliquot dies, absentibus filiis, & uxore, Sico apud Beneventum maneret, uxor ipsius prolesque valde erant exinde mœsti. Sed ipse Sico commeatu accepto honorificè eos Beneventum vocari fecit, atque Siconi idem Princeps, præcipiens, ut minimè ipse Aggerentiam pergeret, sed quæcumque fiscalia ibidem fuissent reperta, proles illius, & ipse inde acciperent, ac Apostolo . . . . . terræ illius suaviter judicarent. Cui Sico: *Quidquid Dominus meus servo suo dixerit, sciat omnimodo eum ei esse impleturum*. Interea ipse, de quo diximus, Radelchis quoscumque exosos ipse Princeps habebat, suo lateri adhærebat; quotquot ipse Princeps respuebat, ipse recipiebat; cui ille minas, dulcia verba ipse referebat. Cùm talia ipse Princeps cognovisset, accersito eo clam ei dixit: *Ut video, erga me controversiam nempe peragis: quos ego sperno, tu recipis*. Cui ille: *Talia perago ego, Domine, non propter me, sed propter vestram dignitatem, ut omnes in vestra fide permaneant*. Quæ cùm audisset Princeps, exinde recepit satisfactionem: ipse verò hàc illàcque nimirum facere non desinebat.

CAP. XXXVIII.

PEr idem tempus apud Beneventum erat illustris vir nomine *Rofrit*, (60) cum germano suo nomine *Potelfrit*, filii cujusdam nobilissimi Viri *Dauferii*; (61) sed ipse Rofrit erat callidus, & omni versutia plenus; Potelfrit denique, licèt fuisset magnus, tamen erat erga Dei cultores benevolus, ac benignus. Rofrit verò quanto magnus erat, tanto nimirum humiles opprimebat. Et cùm cognovis-

(60) Ad quem fortasse pertinet Carmen funebre, quod in calce hujus Historiae habes.

(61) Vide Erchempertum Tom. II. pag. 239. Collectionis hujus, quo etiam teste discimus Dauferium conspirasse in Grimoaldum Principem, ac deinde venia data in gratiam receptum.

visset, quòd Radelchis de tali re decertaret, & putaret, ut ipse Principatus honorem obtinere valeret, propter invidiam alta trahens suspiria, tamdem intra se cogitavit, qualiter ei omnimodo valeret esse contrarius. Una denique die dum sæpedictus Sico pergeret ad balneum, ipse Rofrit nempe talia cernens, famulis suis prorsus præcepit, ut citiùs cum eo ad balneum properarent, ut quoniam nequibat in patulo cum ipso sermocinari, saltem nempe loqui cum ipso in balneo valeret. Sed ut diximus, dum balneum introiisset, Siconem ibidem invênit, atque juxta eum resedit. Dum denique Sico capud sapone inungeret, clam Rofrit dorsum ejus cœpit abluere dum Sico sciscitabat, ac diceret: *Quis est ille, qui meum dorsum aqua perfundit?* ipse statim dorsum linquens, aquam capiti ejus fundere cœpit, adnectens: *Sile Sico, nunc sile, quia Rofrit ego sum*. Cùm verò Sico vocem ejus cognovisset, illico exiliens cum magno pavore dixit: *Quid est, quòd de me illusionem, simulque & injuriam facis? Quis talia cognoscet, & non irridebit mihi?* Cui Rofrit: *In proximo, si propitium Christum sentiam, tuo capiti septatam* (62) *habebis Coronam*. Ad hæc Sico: *Exul ego sum: mihi autem talia minimè dicite*. Ipse idem Rofrit: *Tantùm mihi per jusjurandum sponde, ut de meo honore, si non augeas, nec minuas, quia Deo propitio omnimodo talia studenter adimplebimus*. Ad hæc Sico: *Terra vestra est: in vestra denique potestate sum: quod bonum quippe, & utile vestris comparet oculis, facito. Ego nempe de tuo honore si non augmentabo, nec diminuam*. Ab illo denique die studenter quippe ipse Rofrit, exinde omnimodo decertabat.

CAP. XXXIX.

Ipse, de quo diximus, Princeps avaritiæ, simulque & discordiæ garrulus erat, & injusta consilia cum suis cognatis eis sæpissimè inferebat; nec non & illustrissimos viros minis & indignationibus vehementer afficiebat; inopes verò, & ignobiles vehementer opprimebat. Et, ut fertur, equo unius illustris Viri, cujus nomen *Dauferius* fuit, pater, ut diximus, Rofrit, & Potelfrit, usque ad nates in scalis ipsius Palatii caudam turpiter cædere fecerunt. Dum sui cognati talia operarentur, populusque terræ illius talia cerneret, prosternatis animis, de morte ejus, ut diximus, cogitare cœperunt; sed metuebant planè inter se de tali re in patulo talia pandere. Causam verò, ob quam terga equi fœdarunt, subsequens sermo declarat. Domus sæpe dicti Dauferii erga plateam erat nimirùm constructa: factum est namque, ut Princeps inde transiret cum cognatis. Foràs nempe projecit aquam, nimirum Dauferii famulus nescientibus cunctis, ita ut super nates equorum, super quos equitabant Principis cognati, tangeret aqua. Denique ipsi valde irati sunt, manifestasque injurias vendicare nituntur, adnectentes: *Ex animis suis cognovimus, nempe honoris injurias videlicet nostri*. Dum verò cum ira Palatium adiissent, rem, quæ acciderat intimaverunt Principi. At Princeps fatuus in hunc modum promit talia dicta: *Ite mei, vestrasque injurias vindicate, cognati*. Cùm verò Dauferius devenisset Palatium, illi namque quosdam ex suis miserunt, &, ut diximus, album Dauferii equum turpiter fœdarunt. Quidam enim Potelfrit ejus filium acclamans, quæ acciderant pandit per ordinem rei. At illi ut erant astuti, illum equum ad propriam domum miserunt, aliumque equum venire fecerunt. Dum illorum pater ex more solito, ut in equum ascenderet, deveniret, suum equum ibidem minimè invênit, atque famulum suum percontavit: *Quidnam est factum de meo equo?* Ille excusationem inferens, inquit: *Equi inter se, mi Domine, fremuerunt, & retinaculum equi Domino nostro ruperunt; sicque & per plateas, & inhonesta loca deambulante, atque in luto se volutante, proinde nequaquam potui illum huc deferre*. Ille verò hæc audiens, equum ascendit, & rediit domum.

Itaque cùm sæpedicti filii domum rediissent, mœsto vultu se genitori objecerunt. Dum percontarentur à genitore, cur non sicut heri, & nudius tertius suis natis facies cerneret: ipsi nempe in hunc modum talia verba promserunt: *Utinam nuper mortui fuissemus quando in cunis bajulabamur, & non hactenus in hac urbe mansissemus, ut tam fœdum nostri honoris hodie cerneremus*. Cùmque propter hæc pater in sermonem filiorum aures innecteret, valde est exinde exterritus, adjiciens: *Si Dei, meique benedictionem adipisci valeatis, quidquid scitis nobis evidentiùs intimate*. At illi omnia ei patefecerunt. Dum verò talia audivisset, mox valde infremuit, asserens: *Nec Dei, meique benedictionem perfruatis, si injuriam meam continuò non vendicatis*. Tunc Dauferii proles tali sermone stimulati, quæ nuper in pectore clam gerebant, jam in patulo nimirum pandebant, atque hàc illàcque pro Principis morte videlicet discurrebant. Asseruerunt que erga se quemdam crudelissimum virum, Agelmundus nomine. Sic denique, & per jam dicti Radelchis suffragium, super Principem inruerunt, atque is, ut prædiximus, Agelmundus abstracto gladio cum paucis plagis eum vita privavit. Regnavit quippe annos videlicet XI. & menses VII. Ad Langobardos fuit austerus; sed tamen audax, & velox fuit, & pro sua denique sagacitate adeptus est Principalem dignitatem, quam nos, licet in fine annectere cupimus huic Historiæ.

CAP. XL.

Tempore quo Grimoald antecessor istius *Grimoald*, Langobardorum Regni moderabatur habenas, & sub eo iste Grimoald, *Storesaiz* illius videlicet fuit: per idem tempus *Caroli filius Pipinus* (63) cum valido exercitu Beneventanos fines adiit, atque in locum, qui Teinvius dicitur, tentoria figi jussit, quatenus inde valido exercitu valeret Beneventum undique obsidere; Cùmque per aliquot dies ibidem degeret, quidam inops inibi erat, & quotidie virentem herbam Pipini equo in humero deferebat; & sæpissimè ipse Pipinus Rex eum cer-

(62) Pro septam, circumdatam.

(63) Expeditio haec in Beneventanos facta videtur anno 791. Astronomus enim in Vita Ludovici Pii Tom. II. Du-Chesnii haec habet: *Ludovicus eo anno fratri Pippino suppetias ferre jussus in Italiam transvehitur: Tum ambo Beneventanam provinciam ingrediuntur, cuncta obvia populantur, Castro uno potiuntur. Inglorios autem inde recessisse, quae sequuntur satis persuadent.*

cernebat, atque alimoniam ipsi deferri jubebat. Erat inops ille per omnia similis *Grimoald*, ut diximus, *Storesaiz*. Quadam verò die congregavit idem Storesaiz quos noverat validos, suosque sodales, & suos consanguineos, & non plures viros, & ivit contra hostes Francorum. Qui cuneatim gradientes, pervenerunt in quemdam firmissimum locum, non procul à castris eorum, atque inibi reperierunt inopem illum, ut supra diximus similem Grimoald; & eum perduxerunt, annectentes: *Ecce homo per omnia similis tui*. Ille ut erat sagacissimus taliter prorupit in vocem: *Eja mei coëtanei, unà pariter ineamus consilium, quatenus superbæ gentis partem exercitus conteramus. In proverbiis nempe olim à majoribus nostris dicebatur: quòd esset melius Consilium, quàm Valetudo. Inopem hunc protinus exuamus, atque suis tegumentis me induite; & ipsum inopem districtiùs apud vos detincte: & ego illuc pergam, virentemque herbam feram, sicut iste solitus erat*. Sic namque eum per omnia percontavit, quò iret, & in quo loco herbas deferret, & quo modo dispensatorem vocitaret. Cùmque ab eo omnia cognovisset, profectus illico, atque proprio humero virentes herbas Samnitia bajulavit. Quem cùm vidisset *Pipinus Rex*, putavit ut ipse esset, qui solitus erat, & ei tribui annonam jussit. Ipse enim Grimoald omnia eorum castra lustravit, atque enumeravit, & reversus ad suos, eos admonuit ut minimè metuerent. Et noctis tempore irruit super eos, & attrivit maximam partem Gallorum in tantum, ut etiam properarent ad Regis tentorium, undique inferentes cladem. Et nimirum per callem, quem didicerat, iterum repedavit, & cum magno gaudio reversus est Beneventum suo Principi gaudium enuntians. Ipse denique Grimoald Princeps singulis dona largitus est, sed plus omnibus Grimoald dedit.

CAP. XLI.

Cum hæc Rex Pipinus audisset, exterruit, asserens: *Rem hanc quis fecit?* Et ille homo, qui similis erat Grimoald, per omnia ei protinus intimavit. Ipse Rex: *Cognomen quomodo habuit?* Inops ille dixit: *Grimoald Storesaiz vocatur*. Rex inquit: *Si Storesaiz talia gessit, Princeps ergo terræ illius majora faciet horum*. Quamobrem est exinde motus, atque sua repedavit ad arva. Namque de hac re ipse Grimoald pervênit ad Principalem dignitatem. Hæc nos de Grimoald primùm scire sufficiat; nunc namque ad aliorum facta succinctè curramus, ut acta, quæ in hoc Mundo gesserunt, districtiùs indagemus.

Dum talia patrata fuissent, intestinus gladius inter Beneventanos exortus est pro Principali ambitione; sed maxima pars populi *Radelchisio* adhærebat, annectens, dignum fore talem virum Beneventanorum Principatum obtinere. *Rofrit* denique, de quo superiùs fecimus mentionem, exinde omnino decertabat, quare tantum dignitatis præmium obtineret, unde fecerat Siconi jusjurandum. Quid multa referam? Inter agmen populi se Radelchis objecit, atque vocem emisit magnam, & inquit: *Ex nostris prorsus omnimodo minimè Principem faciamus; sed exterum hominem Siconem Principem sublevemus, & forsitan Deo volente nostræ Patriæ invidiam exturbemus*. Dum talia Radelchis promeret, omnis denique vulgus, nec non & sublimes voluntati ejus obtemperantes adjecerunt: *Bonus est sermo, qui ex ore tuo processit: quod inchoasti etiam perfice*. Idipsum Rofrit ajebat dicens, dignum fore talem virum, tantæ dignitatis fastigium obtinere. Ita omnipotens Deus disposuit, ut sinè ulla animarum periclitatione antefatus Sico, jam dicti Radelchis concursu, eamdem, quam ambiebat, assumeret Principalem dignitatem.

CAP. XLII.

Cum talia gesta fuissent, *Dauferius*, de quo jam supra diximus, ad animum mente revolvens facinus, quod antea gesserat, affligebat se exinde valde; atque pœnitentia ductus, sinè mora in Hierosolymam est profectus mirum in modum, & re scilicet inaudita. Illuc enim eunte, & inde Beneventum remeante, non valde exiguum lapidem in ore gestavit, & tantummodo quoties cibum potumque sumebat, illo carebat. Et, ut fertur, in Dei Genitricis Sanctæ Beneventanæ Sedis hactenus manet, & proinde accepit ipsum cognomen *Propheta Dauferius*. Radelchis domum cùm rediisset cum suo filio, uxor illius nimirum percontavit: *Quid, & qualiter gessistis hodie?* Cui Radelchis, *miserum*, ait, *Principem elegimus*. Ad hæc mulier: *Quare dicis miserum? pro qua re non appellas eum gloriosissimum?* At ille: *Exter est nempe: sicut volumus, sic eum habemus: quando nolumus, tenemus: quando volumus, eum spernimus*.

Uxor verò illius conversa ad virum suum, suumque natum, depromit tum talia dicta: *Accipite ergo animis, atque nostra figite dicta. Ecce dies venit, prædo in quo dirus, atque audax, callidissimus callidiora prædecessoris sui stigmata revolvet. Quid est, quod dicis exterum? Numquid non Sico genuit filias, & eas Beneventanis mox viris copulabit, & tunc sic eum appellabis exterum? Tantùm meis acquiesce consiliis, & beatus tibi, mihique fueris, si meos obtinebis sermones*, inquiens ad virum. *Indagemus omnimodo exinde hoc, & cui suas filias copulet. Si unam ex eis nostro filio societ, felicius nobis fuerit; sin autem, statim Mundum linque, Monachicum induas habitum, & non parvum exenium illi deferas, filiumque nostrum illius ditioni commenda, quia quantum conjicere valeo, minimè eos linquet securos*.

CAP. XLIII.

Ipse sæpedictus Sico Princeps omnibus hominibus benignissimus, ac mansuetus nimirum se commendabat, atque plurima dona eis condonabat, & nullum consilium absente Radelchi peragebat. Factum est namque, ut dum Radelchis degeret Consiæ, Princeps Sico eo absente iniret consilium. Ut talia audivit Radelchis, nimis quippe exterruit, atque mira taliter prorupit in voce: *Ego jam nuper superavi falconem: restat mihi vulpem*. Cùmque à quibusdam Principi clam delatum fuisset, nimis iratus est; atque sinè mora suas filias Beneventanis viris copulat. Unam ex eis cujusdam nobilissimi Viri *Azonis* filio tradidit, cujus nomen *Julenda* fuit; aliam namque sociat cuidam Viro *Ursi* filio; tertiam ipse cuidam

dam *Rademundo* copulat: aliorum memoriam non retinemus. Ut talia comperit Radelchis, nimis exterruit, atque consilium, quod uxor sua dederat, studenter animadvertit adimplere. Scalponem (64) nempe argenteum cum 200. solidis tulit, atque ipsi Principi detulit. Cùm talia ipse Princeps cerneret, hujusmodi verba depromit: *Ego copiosas opes vobis largiri cupio; & vos defertis mihi vestra propria?* Ad hæc Radelchis: *Imploro vestræ dignitatis gloriam, quatenus munus nostrum exiguum faciatis recipere*. At ipsum ab illo per semet recepit. Tunc idem ipse Radelchis nimis eum efflagitabat, ut Monasterium pergere ipse Princeps relaxaret. Ut talia ipse Princeps comperit, hujusmodi tunc promit dicta: *Nequaquam tuis acquiesco præceptis, nec à latere meo te faciam alienum*: hoc namque non de intus, sed à foris promebat, & talia ipse facere gratulabatur. Cùmque ante eum staret, & obsecraret, voluntati ejus licentiam dedit; & commeatu accepto suum illi commendavit filium. Atque (ut fertur) sibi in collo funem ligavit, & suis servis præcepit, quatenus eum per longa terrarum spatia traherent usque ad Benedicti Sancti (65) Cœnobium. Dum devenisset cum pluribus opibus ad prædictum Monasterium, quod est in Castro situm Casino, valde ibi se affligebat. Uxor ejus habitum sanctæ Religionis induta in Ecclesia Sancti Laurentii, quæ sita est in territorio Consano, ordinibus, jejuniisque, vigiliisque valde se ibidem macerabat. Sic factum est, ut longo tempore in tali re utrique perdurarent. Sed justus Judex Dominus, ut flagitiosos corroboraret, tale demonstravit denique signum. Dum Radelchis uxor defuncta fuisset, Radelchis in Casino degens cognovit per spiritum suæ conjugis exitum, atque Abbati fratribusque talia nuntiavit; qui mox notaverunt horam, expeditumque virum Consam miserunt. Qui dum venisset curiosus perquirens, eâdem horâ cognovit exitum ejus, qua vir ejus fratribus nuntiavit.

CAP. XLIV.

AGelmundus denique, de quo supra mentionem fecimus, dum deambularet juxta Siler fluvium, ancipitrem in manu gerens cum paucis suis sodalibus, cùm se unusquisque, ut mos est, sequestraret ad capiendas aves, subitò ipse Agelmundus conspexit *Grimoald Principem*, quem ille dudum extinxerat, furentem cum albo equo, sicuti sedere solitus erat, evaginatoque gladio contra se venientem. Qui, ut assolet humana fragilitas, in fugam conversus est, quem vir ille, qui ei apparuerat, velocissimo cursu sequutus est, atque inter ambas scapulas forti ictu eum percussit. Statim evomere sanguinem cœpit, atque usque retro caput suum retorsit, & ampliùs illum non vidit, & ad suos sodales magnam vocem emisit. Cùmque venissent, omnia quæ acciderant per ordinem eis depromit. Ipsi verò talia audientes mirati sunt valde. Ipse, ut diximus, Agelmundus post hoc factum exitiali morbo defunctus est. Equidem, ut arbitror, & quantum conjicere valeo, non pro alia re talia facere Dominus voluit, nisi ut omnes injicere manum suam in Dominum metuant, atque ejus jussa quasi Dei denique peragant. Poterat enim Dominus clam illum pro reatu, quod in suo Domino gessit, percutere, atque eum obruere, ut ab humanis oculis esset absconditus; sed ut diximus, pro suis, quas redemit, ovibus talia demonstravit, ut quem admonitiones, vel minæ, atque supplicia non terrent, corrigat nuntia morte.

Sico Princeps, de quo præmisimus . . . . . . & definit . . . . nimirum valeret.

Vide Tom. II. pag. 20. bujus Collectionis ubi sunt quæ heic omittuntur.

CAP. XLV.

PEr idem tempus *Agarenorum* genus Siciliam invasit. Sed quomodo terram illam attriverint, materiam subministremus. Erat vir prædives quidam in Siciliæ finibus Eufimius (*) nomine, qui desponsaverat puellam, Homonizam nomen gerentem, miræ pulchritudinis. Illo denique tempore quidam Græculus Siciliæ præerat. Acceptâ pecuniâ ab alio viro, desponsatam Eufimio auferens, alteri viro eam denique tradidit. Quod dum in patulo exiit, atque Eufimio nuntiatum fuisset, talia verba depromit: *Meam namque fœdastis uxorem: hoc peream anno, si non fœdari facio plurimorum uxores*. Quapropter cum servis suis navem ascendit, Africamque properavit, atque Regi terræ illius hujusmodi verba depromit: *Multarum navium navigium dirige mecum, quibus spatiosam terram vestræ ditioni committam*. Ut Rex barbarus talia audivit, nimis gavisus est, atque sinè mora omnem navalem exercitum parari jussit, & dum fuisset in unum congregatum, Rex ille barbarus exorsus est verba: *Omne consilium ab isto nostro viro amicoque percipite, atque ejus jussa quasi nostra metuite*. Et sic dicens, dona eis scilicet condonavit; sed amplissima plus omnibus Eufimio dedit. Cùm verò Siciliam properassent, protinus eam invaserunt, atque multas opes ibidem reperierunt. Cataneam ingrediuntur, multorumque populorum faciunt stragem vix paucis evadentibus, qui in tutissima Castra, & montium confugerunt juga. Sed & ipsum Græculum ibidem necaverunt; ceterosque illius sequaces, atque ab illo tempore Siciliam dominari cœperunt. Audito hoc, *Princeps Sico* valde est exinde mœstus, atque Coronam jam minimè posuit, prædicans futurum gladium inter agmina Langobardorum. Pro una denique puella, sicut aliàs, multæ denique judicatæ. Et quia ante omnes inter se in unum copulabantur, & exultabant: postmodum propter unum Græculum immensas lachrymas effundebant. Et quia dudum in matrimonio per Calabriæ fines gradiebantur, postmodum ab Agarenorum parte venumdaban-

(64) An potius *Scaptonem*? Ignotus Casinensis num. 10. Tom. II. Rer. Italicar. pag. 267. auctor est, Siconolfum Salernitanum Principem e Casinensis Coenobii thesauro asportasse *Baciam unam, & Scaptonem unum Constantinopolitano deaurata fabrefacta vasa opere*. Scalpo itaque, sive Scapto, vas quoddam fuisse videtur. Vide Du-Cangium ad vocem *Scapton*.

(65) Aliis verbis eamdem Dauferii poenitentiam enarravit Erchempertus num. IX. Tom. II. Collectionis hujus pag. 239.

(*) Eum Johannes Diaconus in Vitis Episcopor. Neapolitan. part. II. Tomi I. hujus Collectionis *Euthymium* appellat, cujus narrationem vide pag. 313. ejusdem Tomi.

bantur. Ipso denique tempore Sicilienses vectigalia nimirum Langobardis exhibebant propter negotium, quod in Calabriæ finibus peragebant.

CAP. XLVI.

GRavis sanè per idem tempus inter Rofrit, & Alfanum (*) Abbatem discordiæ rixa surrexit, jam Azone defuncto. Sed ipse Princeps ut mos est, minimè se perturbabat exinde, & ovanter exinde permanebat. Factum est autem eo tempore: Princeps in angonem decidens morti approximavit; quem Langobardi vita excedere existimantes, ejus filium *Sicardum* ante ejus obtutum perduxerunt, atque ut eum salutiferis monitis illustraret, eum vehementer efflagitabant. At ille conversus ad filium, promit, tunc talia dicta: *Est mihi libertas tecum secreta loquendi; consilium ne sperne meum: tibi prospera monstro. Nec Rofrit Alfano subde, nec Alfanum Abbatem Rofrit ditioni tribue.* Erat siquidem *Alfanus* ipse Diaconus, & ut jam diximus, Abbas, qui necnon & largus manu nimirum pluribus hominibus erat, victum opesque, & tegumenta eis scilicet condonabat. Hæc dicta sufficiant: nunc jam ad admonitionem jam dicti Principis redeamus, inquiens ad filium: *Habeant inter se rixam, & tu eorum ditioni imperabis. Te absente fac minimè committi pugnam. Tuum germanum alienum à latere tuo minimè sine; Et semper salvus eris, si mea monita obtinebis.* Et hæc dicens, spiritum exhalavit. Tenuitque ipse Principatum annos (66) XII. menses III. Fuit autem corpore validus, audacia primus, statura procerus, non minus consilio, quam viribus decoratus.

CAP. XLVII.

SIcardus Princeps, dum pater suus obiit, monita genitoris funditus ex animo repulit, nihilque ex eis in mente retinuit. Ipso denique tempore *Neapolitanus* (67) *Dux*, quod jurejurando promisit tributum, distulit dare. Post aliquantum temporis spatium furore repletus vehementer Princeps Langobardorum *Sicardus*, cum universo Principatu suo Langobardorum, Neapolitanam advenit urbem, quam & trium mensium spatio, atque & omni circumdatam parte quotidie fortiter expugnavit eam, omnia extra urbem ferro, & igne devastans, atque funditus demoliendo consumsit, ut Neapolitanam capere potuisset urbem, nam & corpora Sanctorum effodiens, eorum sacra mysteria abstulit.

CAP. XLVIII.

HÆc dum gesta fuissent, Neapolitani deintus veniam poscebant; sed ipse Princeps ironiam eis faciens, juxta ipsius civitatis mœnia, telam ordire denique fecit. At illi tanto metu percussi sunt, ut sermones, non lapides ei injicerent; sed consilium inierunt, quatenus iram ejus sævissimam mollirent. Tunc bonam famam habentem Monachum miserunt, ut ab eodem Principe veniam obtineret. Dum Monachus ante tentorium Principis devenisset, mox tellure prostratus, pro suis Civibus veniam poscebat, atque ut ejus ditioni demum Cives deservirent, vehementer asserebat. Ipse Princeps misericordia motus in eamdem civitatem jam dictum *Rofrit* Legatum denique misit. Dum Rofrit Neapolim introisset, civitatem ipsam undique expiavit, atque in ejus platea montuosam terram cernere cœpit. Sed dum sciscitaret, atque diceret, quid velit hoc esse: illi Neapolitani nimirum talia verba promserunt: *Nostræ ædes semper tritico sunt plenæ; sed tritico remanente, proinde ipsum in platea ejecimus; sed jam denique periit.* Sed aliud non èrat, nisi nimirum arena; & parva tritici grana super arenam sparsa habebant; & jam ipsa denique renascebant. In hunc modum virum strenuissimum illuserunt, quia jam valida fame oppressi erant, & mensis Julius ipso tempore percurrebat, & inchoante mense Maji ipse jam dictus Princeps ipsam civitatem circumdedit. Atque ut ferunt plurimi, quod ..... Vas, *flascones* vocant. solidorum plenum dederunt Rofrit in tali ordine, ut citiùs regredi Principem faceret. Dum Rofrit ad Dominum suum venisset, talibus eum est allocutus verbis. *Mi Domine Princeps, hìc minimè maneamus, & ad propria regrediamur, atque illis dimitte denique noxam, & omni anno vestræ eminentiæ solvant tributum, quia modiorum multorum triticum ibidem ego vidi; proinde, si placet, per paginam scriptam vestræ ditioni tributa persolvant.* His auditis, Princeps acquiescit denique sermonibus suis, atque talia fieri jussit. Sic namque per paginam scriptam talia firmaverunt; atque ipsum fœderis scriptum in sacro Salernitano Palatio adhuc hactenus manet, & in sua inchoatione hujusmodi textum invenimus. *En ego Sicardus Domini gratia Princeps concedo vobis Neapolitanis pacem, & firmissimam libertatem.* Et ibidem continetur numerus solidorum, & fœdera pactionum, quæ omisimus planè sigillatim retexere cuncta. Hiis ita gestis callem, quem relinquerat, iterum repedavit, atque cum magno tripudio Beneventum remeavit.

CAP. XLIX.

CUm verò Beneventum regressus fuisset, cœpit hujusmodi vanitati deservire, atque aliorum uxores stuprare, necnon insatiabiliter se exinde gerebat. Una denique die per plateam dum deambularet, ut moris est, fe-

---

(*) Non indicat Auctor, cui Monasterio Alfanus praefuerit. Laicum ego fuisse puto, & pro infelici eorum temporum usu, sive abusu, ei commendatam fuisse aliquam Abbatiam. Erchempertus num. XII. haec tantum habet de Sicardo: *Alfanum virum illustrem ac fortissimum robore, laqueo suspendi fecit.*

(66) Peregrinius in suis Catalogis pag. 319. & 320. Tom. II. hujus Collectionis Siconi Beneventano Principi tribuit *annos XV*. Propterea vereor, ne Librarius heic pro V. quod facile est, legerit II. Ex ejusdem Peregrinii Chronologia Sico ad plures abiisse creditur anno Christianae Aerae 833. & revera in Chronico Vulturnensi part. II. Tomi I. Rer. Italic. occurrunt tria Sicardi ejus filii, & in Principatu successoris Diplomata, data *anno primo*, & quidem anno 833. eorumque unum scriptum est Februario mense.

(67) Ex Johanne Diacono, a quo conscriptas dedi Vitas Neapolitanorum Antistitum part. II. Tom. I. hujus Collectionis pag. 313. *Stephanus* tunc fuisse videtur *Consul & Dux Neapolitanae Civitatis*. Narrat autem idem Johannes obsidionem patriae suae ab eodem Sicone peractam.

fœminæ ad videndum eum ire cucurrerunt. Ille verò retro caput revolvens, speciosissimam mulierem cujusdam viri Nannigonis uxorem ibidem conspexit. Dum eam vidisset, statim eam concupivit, atque in ejus amorem vim caloris sui ignis accendit; & clam dicendo, continuò misit ad illam, ut opes à parte Principis obtineret multas: tantum ejus animo consentiret. Illa verò talia audiens, se se valde perturbavit, ac in hunc modum promit tunc talia dicta: *Opes, & gloriam sibi habeat multas: mihi nihil est necesse habere, nisi jussa viri mei timere, & illi pudicitiam reservare. Si demum talia renuntiare reiteraverit, sciat, illa viro meo prodenda*. Dum in hunc modum Principi delatum fuisset, magìs magìsque urebatur, & crebrissimè ex corde sciscitabatur, quatenus ipsum facinus adipisci veleret. Tunc Nannigonem ad se fecit accersiri. Sed dum vocatus venisset, & ante suum conspectum astaret, Princeps est taliter ei locutus: *Volueram te Legatum Africam mittere, quatenus ad nos, Deo volente, cum honore à parte Regis terræ illius reverteris*. Audito hoc Nannigo nimis quippe se turbavit, adjiciens: *Quomodo illuc pergam, qui sum valde infirmus? Et mi Domine metuo, ne illic mihi mors eveniat*. At Princeps: *Excusationem mihi exinde minimè annecte: tantum, ut diximus, celeriùs perfice*. Ille denique dixit: *Fidelis tuus sum: fiat, ut comparet voluntati tuæ*; Cùmque ille nescius perrexisset, ipse Princeps ad uxorem suam continuò famulos suos misit, quatenus per vim ad se adducerent. Quo facto, vi opprimit eam: Illa verò dum stuprata domum rediisset, neque balneis, neque unguentis minimè usa est; illotaque facie manebat, necnon sordidis indumentis utebatur; nec in strato dormiebat, sed in terram prosternebat se. Et si quislibet de tali re eam coërcebat, ut non esset bona immoderata mœstitia: illa ajebat: *Non pro alia re talia denique facio, nisi propter viri mei absentiam*.

Factum est autem, dum vir suus regrederetur, & dum redisset domum, eam mœstam reperit, atque incomposito capite, vestibus vilibus, nec non & turbulentiis indutam; sciscitansque eam dixit: *Pro qua re hispido capite, illotaque facie manes?* At illa: *Protinus gladium*, ait, *evagina, & meum mox collum abscinde, quia fœdata sum ab alieno viro*. Cùm cognovisset omnia Nannigo, quæ fuissent facta, valde ingemuit, atque suæ conjugi affavit: *Illico balneum perge, atque jucunditatis vestibus te nimirum indue, & de tali re minimè hisce*.

CAP. L.

Ipse Princeps adhuc sinè uxore erat, & multa illicita sæpissimè committebat. Factum est autem, ut exinde cum suis Optimatibus una die sermocinaret, qualem sibi copularet uxorem, aut ex Rege filiam, aut ex stigmatibus: unde ejus Optimates exinde fortiter adhortabant, ut forsitan à perpetrato scelere eum sic deviarent. Sed callidus ille *Rofrit* clam est ei locutus, nec filiam Regis, nec de illius stigmatibus pulchram invenire valebis, qualem unam, quæ in nostro territorio degit. Hiis auditis, Princeps amplexus est eum, & affatim efflagitabat, qualiter proprium ejus diceret nomen. At ille protinus suam cognatam de pulchritudine laudavit. Idem Princeps: *Vellem videre eam*. Ipse verò ovanter dixit: *Ego tibi eam demonstro*, adjiciens, *illotaque facie eam tibi ostendam; & si vestris oculis comparet, lateri vestro eam sociate*; sin autem, *omnimodo sit occultum. Ad tuum cernendum pratum te simula ire; & ego denique cras ad laxandum* (68) *potionem potabo. Dum exinde redeas, ad domum meam quasi visitaturus veni, & illota facie ante me sistere illam faciam: tu nempe eam aspice, atque formam ejus perlustra. Ego te interrogabo: optimum estne pratum illud? Tu Domine, mihi responde, utrum optimum, an non*.

CAP. LI.

Alia die Princeps non cum plurimis ad pratum cernere properavit, & statim regressus est urbem. Dum portam civitatis introiisset, conversus ad suos hujusmodi verba depromit: *Ad visitandum Rofrit pergamus, quia, ut mihi relatum est, ad relaxandum potionem potavit*. At illi: *Domine, eamus*. Dum pervenisset ad ejus domum, & Rofrit fuisset intimatus; ipsa verò, ut mos est innuptæ puellæ, fugere tentavit: sed Rofrit nequaquam sinit ire. Dum introgressus fuisset ipse Princeps, ubi Rofrit manebat, eam valde est contemplatus, atque nimis ejus oculis placuit. Dum eum sciscitaret Rofrit, ac diceret; *Optimum estne pratum illud, quod expiasti hodie, mi Princeps?* At princeps protinus ait: *Optimum*. Et hæc dicens ad Palatium rediit, moxque rem illam, quam gesserat, suis Optimatibus propalavit, protinusque ipsam puellam desponsavit.

Sed non ut sapiens, sed ut fatuus talia gessit; non illius mores, sed pulchritudinem expiavit; proinde nempe ad exitum durum pervênit. Libet nobis, pro qua re vir ducit uxorem, huic Historiæ intexere, ut non pulchritudo, sed mores quærantur. Tribus de causis Uxor ducitur. Prima esto causa prolis, de qua legitur in Genesi: *Et benedixit eos dicens: Crescite, & multiplicamini*. Secunda est causa adjutorii, de qua ibidem in Genesi dicitur: *Non est bonum esse hominem solum: faciamus ei adjutorium*. Tertia causa incontinentiæ: unde dicit Paulus Apostolus: *Qui se non continet, nubat*. In eligendo marito per uxores spectari solent Virtus, Genus, Pulchritudo, & Sapientia. At Sapientia potentior est ad amoris affectum, sicut & in fœminis mores. Sed ipse Sicardus mores minimè requisivit. Refert hæc, quæ supra diximus quatuor Virgilius de Ænea, quòd iis Dido impulsa est in amorem ejus. Pulchritudine: *quem sese ore ferens?* Virtute: *quam forti pectore, & armis?* Ratione: *heu quibus ille jactatus fatis; quæ bella exhausta canebat*. Genere: *credo equidem (nec vana fides) genus esse Deorum*. Item in eligenda uxore quatuor res impellunt hominem ad amorem, Pulchritudo, Genus, Divitiæ, Mores. Meliùs tamen, si in ea mores, quàm pulchritudo quærantur. Nunc autem illæ quæruntur, quas aut divitiæ, aut forma, non quas genus, aut mores commendat, sicut jam dictus Sicardus gerit. Ideo *fœminæ sub viri potestate consistant*, quia levitate

(68) Idest ventrem pro more veteris Artis Medicinae.

tate animi plerumque decipiuntur; unde & æquum erat, eas auctoritate viri reprimi: Proinde & veteres voluerunt fœminas innuptas, quamvis perfectæ essent ætatis, propter ipsam animi levitatem in tutelam (69) consistere. Interim ad Historiæ retexendum ordinem redeamus.

CAP. LII.

ROfrit verò dum Principissa facta est sua cognata, in superbiam atque in elationem plus magis tumuit; necnon & tyrannum omnibus hominibus se ostendebat; & cum *Alfano* jam dicto *Abbate* in patulo sæpissimè reconflictabat. Factum est autem, ut ipse Rofrit fuerit missus cum pluribus viris per Calabriam, simulque & Apuliæ fines à prædicto Principe, ut vectigalia exinde exigeret. Cùmque reversus fuisset, cum magno gaudio ab ipso Principe est exceptus; assignavit enim omnem videlicet censum, & ex suis sumtibus, ut nonnulli ferunt, ducentos ei detulit solidos, quos ille nequaquam acquiescere, ut eos acciperet, voluit. Illo verò diu eum obsecrante, eos recipi jussit, atque annectit: *Postula à me, quod vis*. At ille: *Nil aliud à Domino meo quæro, nisi protinus mihi condonet protectionem, quatenus inimici mei sævitiam obterere valeam*. At Princeps plurima ei jussit ostendi arma, inquiens: *Quæ ex his volueris, tolle*. Dum loricam, quæ suis placuisset oculis, suo corpori induisset, & spatam suo lateri annexisset, galeamque suo capiti posuisset, lanceamque in sua manu injecisset: de intus exiit foras, clypeoque bajulante. Dum mussitatam rem Beneventani cernerent, mirati sunt valde, asserentes: *Quid velit hoc esse?* Idem Rofrit: *Arma*, ait, *meus mihi Dominus dedit, quatenus atterere valeam inimici mei sævitiam*. Cùmque in patulo cunctis audientibus verba talia promisisset, atque Alfano Abbati in hunc modum relatum fuisset: nimis quippe pertimuit in tantum quòd misit ad suos mox coëtaneos, suosque sodales, amicosque, ut in unum congregarent se & cum eis consilium exinde iniret. Et consilium inierunt, quatenus propriam relinquerent urbem, atque Neapolim properarent: quod factum est.

CAP. LIII.

CUmque Neapolim adiissent, à cunctis terræ illius hominibus dilecti sunt valde. Et quamplurimi fuerunt ipsi viventes, qui cum Alfano Abbate illuc properaverunt; & Beneventani, & Salernitani CCCC. fuerunt, inter quos *Rodoalt* cum suo germano *Radolfo* affuerunt: *ipse Rodoald abavus meus exstitit*. Ipse sæpe dictus Alfanus unà cum suis, ut diximus, sodalibus per Beneventanos Salernitanosque fines peragrantes, incendiis rapinisque cuncta, quæ reperire potuerunt, demolientes, iterum Neapolim revertebantur. Cùmque creberrimè talia iterarentur, prædam ovium, equorum, & de ceteris animalibus cunctatim Neapolim deportaverunt. Cùmque Beneventani agricolas denudatos sustinere jam omnimodo non valerent, consilium inierunt, quatenus eos cum dolo superarent; & statim ad eos miserunt, ut cum ipso Principe pacem firmarent, atque per sacramenta exinde inirent.

CAP. LIV.

DUm Alfano Abbati delatum fuisset, exinde mox cum suis consilium iniit ne fortè pacifica cum dolo verba ipse Princeps illis transmitteret; atque ei dicendum miserunt, quòd *minimè nos sub ejus ditione degemus, nisi priùs Episcopi, sanctique Monachi, Presbyteri, Diaconesque, seu nobilissimi viri exinde nos per sacramenta firment*. Cùm talia *Principi Sicardo* nuntiata fuissent, protinus per paginam scriptam eis misit promendum sacramenta: *ut dicendo misistis, vobis persolvimus*. Atque specialiter Alfanum in hunc modum videlicet per epistolam allocutus est: *Jusjurandum vobis facimus solum, quòd Salernitanam urbem ingrediatis, atque mecum de vestro honore consilium iniatis. Si vobis comparet in pristinam redire gratiam, ita fiat; sin autem, salvus regrediaris*. Dum verò Alfanus talia cognovisset, & putaret quòd non dolo ipsa verba idem Princeps promisisset: unum ex suis virum strenuissimum Salernum misit, quatenus ipsa sacramenta reciperet.

Cùm verò Salernum introisset & ante Optimates, qui ibi erant, & coram Principe pervenisset: ipse Princeps ut erat nequitia plenus, statim accersiri fecit Præsulem, seu Presbyteros, idipsum & Monachos, quod ipsum missum, quod Abbas Alfanus quæsivit; & totidem sacramento juraverunt, ut ipsi Abbatem Alfanum salvum ingredi, & salvum regredi facerent. Cùm verò Alfano missus rediisset, & omnia, quæ acta essent, intimasset; statim ipse Alfanus cum paucis vênit Salernum. Dum portam ipsius Civitatis introiisset, Palatiumque properare voluisset, callidus ille Rofrit Principi hujusmodi verba depromit: *Mi Princeps, sacramentum completum est: sanus urbem ingressus est, sospes regrediatur, atque in patibulo suspensus intereat, quatenus nempe ejus fama pervolet undique, ut talia committere minimè aliquis audeat*. Hæc cùm audisset Princeps, turpiter eum comprehendi jussit, atque non procul ab ipsa Civitate super mare subtus viam, qua Nuceriam, Veterimque (*) pergitur, levato ligno eum suspendi jussit. Dum verò famuli jussa Principis fecissent, atque eum comprehendissent, ipse denique, ut ferunt, valde eos exorabat, quatenus cum eo lentè scilicet peragerent; atque psallendo usque ad locum pervênit; & sic exitiali morte defunctus est. Atque nonnulli ferunt, ab illo tempore gelu, glaciesque in tellure videlicet Salerni decidit ad fruges demoliendum.

CAP. LV.

QUæstionem aliquam de perjurio libet me huic Historiæ intexere, ut possit quilibet cognoscere omnimodo, quàm valde sit metuendum spernere juramentum, atque præclarissimum Doctorem in medium adjiciam Epi-

(69) Idest *sub mundio*. Ita praecipue statutum in Legibus Langobardicis, quas dedi part. II. Tomi I. hujus Collectionis.

(*) Adhuc veteris nominis vestigia supersunt; appellatur enim *Vetervio* Leandro Alberto, & *Castello Vietri* Magino.

Episcopum Augustinum. Tam (70) magnum peccatum est falsum jurare, quia propter reatum falsæ jurationis Dominus prohibuit omnem jurationem. Cur enim dictum est: *Non perjurabis? Ego autem dico vobis: non juratis omnino, nec per Cœlum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum pedum ejus est; neque ad quodcunque juramentum, nec per caput tuum, quia non potes facere capillum tuum album aut nigrum. Sit autem sermo vester est est, non non. Si quid ampliùs est, à malo est*. Dicit aliquis: cùm Dominus juraverit, quare suis jurare prohibuit? Dico, quia non est peccatum verum jurare; sed quia grande peccatum est falsum jurare. Longè est à peccato falsum jurandi, qui omnino non jurat. Dominus ergo quid prohibuit jurare? Supra ripam te voluit ambulare, ne pes tuus labatur in angusto, & cadas. Aliquando homo nolens jurat, cùm verum putat, quod jurat: non est quidem tantum peccatum, quantum ejus, qui scit falsum esse, & tamen jurat. Herodes infelix, ne Dominum offenderet perjurando, Dominum offendit servando. Ecce puella petiit caput Johannis sancti: quid debuit facere Herodes? Consilium illi demus. Parce Johanni: perjurium suademus. Si dixerimus: noli perjurare, ad scelus implendum provocemus. Antequam ergo deveniatis ad istud, ... incipite, tollite de ore vestro temeritatis jurationem. Occurrit mihi tale exemplum. Juravit sanctus David, Nabal occisurum se esse: incautus fudit orationem, & cœpit ire, ut faceret quod juraverat. Occurrit ei Abigail uxor Nabal; rogavit flexis genibus; flevit amarè; à sanguine revocavit. Ecce Sanctus David non quidem iratus sanguinem hominis fundit; sed eum falsum jurasse negare quis potuit? De duobus peccatis elegit minus; sed minus fuit istud in comparatione pejoris; Si quis autem te provocaverit ad jurationem, ut sibi existimet satisfieri posse, si juraveris de illa re, quam te putat commisisse, & forsitan facinora maneant in illo . . . . mala suspicis, si juraveris: tu non sic peccas, quomodo ille, qui provocavit: quicumque homo provocat ad jurationem, & scit ipsum falsum juraturum esse, vincit homicidam, quia homicida corpus occidit, ille animam, immo duas animas & ejus sic, quem jurare provocavit, & suam.

CAP. LVI.

SI verum esset quod dicis, falsum esset, quod ille dicit & jurare compellis, & jurat, & perit. Et tu quid invenisti? immo, & quia tu peristi, quia de illius morte te satiare voluisti. At illi quid dicam, quod numquam dixi caritati vestræ. Fuit hic homo simplex quidam benè fidelis à multis nostris cognitus Tutus-Lymenus vocatus. Ab illo audivi quod dico. Nescio quis negavit ei; vel quid commodaverat, vel quod ei debebatur, & hominis fidei se commisit, commotus provocavit eum ad jusjurandum; Ille juravit, iste perdidit, sed ipso perdente, ille periit: Dicebat ergo iste Tutus-Lymenus, ipsa nocte exhibitum se fuisse ante Judicem in magno impetu, atque terrore; & dum pervenisset ad præsentiam excelsi cujusdam, & admirabilis viri, cui parebat officium simile excelsorum, jussum fuit perturbatum retro vocari. & interrogatus fuit his verbis: *Quare provocasti hominem ad juramentum?* Respondit ille: *negavit mihi rem meam*. Idem dixit ei: *nonne meliùs rem tuam, quàm exigebas, perderes, quàm animam hominis falsa juratione opprimeres?* Prostratus jussus est cædi, cæsus est tam graviter, ut in dorso evigilantis vestigia plagarum apparerent. Sed illi dictum est posteaquam emendatus est: *Parcitur innocentiæ tuæ, de cetero cave, ne facias*. Fecit ille quoddam magnum peccatum, & emendatus est; sed multò gravius peccatum faciet, qui post istum sermonem meum, & exhortationem tale aliquid fecerit. Nunc quæ obmisimus, iterum retexamus, & de perjurio pauca promisisse sufficiat.

CAP. LVII.

DUm verò ipse Princeps post factum facinus, cum non paucis ex Salernitana urbe foràs ad exercitandum devenisset, atque Silarim (71) Lirinum fluvium transmearet, Rofrit ille callidus homo est ei loquutus: *Retro mi aspice Princeps, & nefandum pendentem aspice Alfanum*. Cùm taliter ipse Princeps fecisset, statim una ex suis . . . . . obriguit, atque ab illo jam tempore sospes exinde minimè fuit. Per idem tempus Agarenorum gens, cùm jam Siculorum Provinciam aliquandiu tenuisset, ad nos inhians conabatur transire ad Italiam occupandam. Dum verò cum multitudine navium fretum illud transmeasset, finè mora Brundusium civitatem pugnando ceperunt. Sed dum Sicardo fuisset cognitum, statim immensam multitudinem Langobardorum coadunari jussit; & dum in unum essent congregati, ipse Princeps hujusmodi exorsus est verba: *Mei nimirum fideles estote fortes in bello, atque Agarenorum gentis nefandæ nempe atterite colla. Sit vobis suffragium Dei Genitricis Virginis*. Atque hæc dicens, non procul ab ipsa civitate cum ipsis pariter properavit, & illis illic relictis, cum paucis Beneventum revertitur. Cùm verò adiissent Brundusium, astutissima Agarenorum gens non procul ab ipsa civitate foveas faciunt, & se de intus communiunt. Dum hàc illàc catervatim Langobardi graderentur, ipsi immensam multitudinem cernentes, à foris in patulo minimè exiebant. Sed accidit, ut una die post prandium tubis clangentibus vocesque magnas emittentibus, & perstrepentibus, Agarenorum exercitus exiit, ubi occultæ foveæ erant, atque ibi ad bellum se præparabat, dum nescientes Langobardi ipsa decipula, forti animo super eos inruerent. At illis retro terga dantibus, & Langobardis eos sequi non desinentibus, pars ex eis maxima in foveis ceciderunt, reliquis terga dantibus. Agareni eos nimirum necaverunt. Ibi maxima pars Beneventanorum, Salernitanorum, & de ceteris aliis civitatibus perierunt; tantique ibi viri fortes propter contem-

(70) Excerpta haec fuere ex Sermone CCCVIII. Sancti Augustini secundum editionem Benedictinorum Congregat. Sancti Mauri.

(71) Si, ut vidimus supra, Alphano vita erepta *super mare subtus viam, qua Nuceriam, Veterimque pergitur*, non intelligo, quei Sicardus, dum Silarum amnem transmearet, illius cadaver intueri potuerit. Sed alius a Silari amne fuerit Silaris Lirinus. Ego fluviolum heic indicari suspicor, e Cava in Salernitanum sive Paestanum sinum effluentem ad Occidentem Salerni. Hunc *Silarim Lirinum* appellarint, ut a Silaro celebriore fluvio distinguerent.

temtum malum & improvisum debellati sunt. A quanti potuissent per unum consilium, & salubri concordia multa millia prosterni æmulorum. Cùm verò confusi sua arva repeterent, atque Sicardus multorum exercitum coadunari jussisset hostium; audito hoc ab Agarenorum exercitu, urbem ipsam, in qua morabantur, igne cremaverunt, atque Siciliam adierunt.

CAP. LVIII.

Circa hæc tempora Amalfitanus populus Salernum per vim transfactus est in hunc modum, sicut subsequens sermo declarat. Facta est non minima dissensio inter utrumque B populum, Amalfitanum, & Salernitanum. Itaque dum sui Regni gubernacula præfatus Princeps moderatissimè gubernaret, & primi civitatis, ejus consilio, & fortitudine summa pollerent, quidam Amalfitanorum majores natu, linquentes natale solum, se hujus dominatui sponte propria subdidere. Qui cùm ab eo perciperent infinita bona, missis clam epistolis, blandè suos semper affines atque germanos monebant, quatenus propria linquerent, & ad prædicta dona quantocitiùs festinarent. Qui cùm talibus, ut dictum est, monirentur, nequaquam huic rei acquietis excitarentur, & quiescere maluerunt. Interea factum est, ut Tyrrheni æquoris insulas, Ausoniæque universa C loca idem Princeps circuiret, ut quatuor corpora Sanctorum, quotquot invenire posset, Beneventum cum debito honore deferret. Atque per idem tempus ex Insula Liparitana (72) Bartholomæi Beati Apostoli corpus Beneventum cum magno gaudio deferri jussit. Cùm talia Amalfitani cernerent, & metuerent, ne fortè propria frustarentur Patrona, scilicet Sanctæ (73) Triphomenis, cujus in portu Regino (74) illo denique tempore sacrum corpus tegebatur, plebe jam ducta in consilium, dantibus operam natu majoribus Amalfitanorum, antequam ipsa Civitas ab inclyta Langobardorum gente desolaretur, ablata est à propria Aula, ubi erat nativa pinus, & cum ingenti D honore Amalfiam devehunt, atque in Ecclesiam Beatissimæ Virginis Mariæ ejus sacrum corpus honorificè collocaverunt. Sed dum ejus sacrum corpusculum Amalfiam transvectum fuisset, una mulier impudentior ceteris ex membris illius fecit rapinam, furtumque quod poterat, diripuit. Expleta igitur octava die, excursa in tempestate noctis, quando sopore gravi corpora fessa premuntur, in extasi *Petrus Amalphitanus Episcopus* positus, videt in visione jam dictam Martyrem Christi rubicundam pallio coopertam, atque compellatione minaci dicentem: *Cur Episcope meum tumulum temerè ausus es violare, pariterque meum* E *cunctis corpusculum revelare populis, & ex corpore meo quosdam artus violenter divellere? Nempe quia nullus pudor mei erga te fuit. Scias, te proximò mori, meritòque cadaver tuum ex sepulchro expellendum.*

CAP. LIX.

His namque præmissis, cùm non multò post ipsius terræ desolatio immineret: Langobardorum phalanx cum magna audacia à prædicto Sicardo Principe absoluta Amalfiam devênit; atque ipsa civitas sine humani sanguinis effusione scilicet capta & depopulata est. Hujus siquidem civitatis loca, dum hàc illàc pergerent, lustrando, circuierunt cubiculorum penetralia, & aditus Ecclesiarum, si fortè thesauros occultos invenirent, præsertim cùm opibus plures essent ditati. Tamdem aliquando veniunt ad locum, ubi Episcopus in vicino sepulchro jacebat; qui dum sperarent ob fabricæ recentis obstacula, quòd in Præsulis tumulo aurum, argentumque laterent, confringentes inveniunt Episcopi cadaver jam fœtidum, & in monumento, compage corporis, & penè membris omnibus solutum. O incomprehensibile Dei judicium! Turba omnis retrocedere coacta est, & sepulchrum dimissum est patens. Peracto igitur excidio, cunctisque mœniis dirutis civitatis, adhuc ibidem Civibus commorantibus, canes rabido ore latrantes, maturo cursu currentes abstrahunt ex tumulo prædictum cadaver Episcopi, uti vaticinatum fuerat à sancta Christi Martyre, ac eidem Episcopo revelatum, quæ nos plenissimè omnia diximus.

CAP. LX.

Langobardi denique omnia, quæ in ornatu ipsius Ecclesiæ, ac illorum ædibus invenerunt, diripientes, necnon sacratissimum corpus sanctæ Martyris Triphomenis secum gestantes. Ita factum est, ut per circuitum cuncta depopularentur; & non solùm civitatis munitio intrinsecus, sed & extrinsecus prædia cuncta concussionibus subjacerent: & sic magno gaudio Salernum perveniunt, atque dictum sanctum corpusculum per jussionem jam dicti Principis cum debito honore Beneventum perducitur. Revera dum unà conversarentur, unusque fieret populus Amalfitanus, Salernitanusque, & ipse Princeps conabatur, quatenus Salernitani cum Amalfitanis inter se inirent connubia, & unus efficeretur Populus. Denique plurimis utrique augerentur, tamen pœnitudine moti ob Langobardorum stropham, qui eos Principi concussabant, quòd Duci Parthenopensi quidam Amalfitanorum flexerunt caput.

CAP. LXI.

Dum talia peracta fuissent, ipsum suum germanum *Siconolfum* Beneventani concitare cœperunt, addentes, quia omnimodo satagebat, quatenus honorem Principalem arriperet. Dum hujusmodi dicta *Princeps Sicardus* audisset, nimis incunctanter talia credidit, & omnino conabatur, qualiter eum de jam dicta gloria deviaret. Quid multa dicam? eum com-

(72) Corpus nempe, quod non Romam delatum, sed adhuc Beneventi adservatum colitur, uti multis ostendit Eminentiss. olim Cardinalis Vincentius Ursinus Beneventi Archiepiscopus, nunc Pontifex Maximus Benedictus XIII.

(73) Cujus dies festus in ea regione celebratur Nonis Novembris. Vide Ughellium in Catalogo Episcoporum Minorensium Tom. VII. Ital. Sacr. ubi ex Anonymo nostro, immo ex Actis uberioribus hanc eamdem translationem narrat. Acta ipsa expilasse noster videtur.

(74) Ughellus legit *Reginellae*, & in altero loco *Regininae*. Locus ille temporibus nostris *Minori* appellatus, Episcopatu auctus est pro more Neapolitani Regni, ubi nunc tot pœne Episcopi, quot alibi Parochi.

comprehendi jussit, atque eum invitum Clericum fecit. Feruntque alii, quòd postquam ad Diaconatus honorem eum per vim sublimasset, necnon & Evangelium in Ecclesia legere eum fecisset, postremò vinctum illum Tarentum misit, & in ardua custodia retrudi jussit, quæ fuit olim ad receptum pluvialis aquæ constructa, quam nos Cisternam nuncupamus.

CAP. LXII.

His ita peractis Princeps idem cum paucis suis fidelibus ludi causa, seu arte venationis in prædium Tabellaniense devênit, qui dum ibidem moraretur, atque suam conjugem accedere fecisset, atque sæpissimè exercitandum cum suis iret: una die accidit, ut Principissa sub tentorio resideret, atque in conca argentea pedes lavaret. Factum est autem, ut ante jam dictum tentorium, quidam vir nobilissimus cum famulo suo transiret, atque verso capite eam denique vidit. Dum illa cognovisset, quòd eam nudis pedibus vidisset, mox talia viro suo intimavit annectens: *Si illico exinde me non vendico, morti incumbo*. At Princeps ait: *Exinde fiat, ut comparet voluntati tuæ*. Illa potestate accepta, statim famulos suos clam Beneventum misit, quatenus jam dicti viri uxorem cum verecundia ad eam accirent. Dum famuli ejus talia fecissent, atque usque ad suras vestimenta abscidissent, eam abduxere, ubi fati ad tentoria degebant. Dum eam cernisset Principissa, ipsam statim per cuncta castra deportari jussit. Cùm deportata fuisset ad locum, ubi vir ejus manebat, cum suis coëtaneis ad tabulam ludebat, protinus suus germanus hujusmodi eum est allocutus verbis: *Abi, frater, aspice, & delectus* (75) *tuæ Conjugis cerne*. At ille nihil ei respondit: erat enim ardens in animo suo, atque ipse ad tabulam ludebat; & eam minimè vidit. Alia nempe die idem Princeps, ut mos est, cum suis Optimatibus cum accipitre juxta aquosa loca gradiebatur, quatenus quaslibet aves caperent. Qui dum accipitrem suum (ut fama est) mitteret, & unam coturnicem unguibus captasset, ad castra reversi sunt. Dum tentorium ipse Princeps adiisset, vir ille, cujus uxor fœdata fuit, hàc illàc discurrebat, quatenus inveniret, qui eum adjuvaret ad vindicandum suum dolorem. Sed cum non paucis de ipsa re ad alium annecteret, & vicissim inter se sermocinarentur: factum est, ut Nannigo inde transiret. Quem cùm ii vidissent, protinus eum vocaverunt, atque ei omnia intimaverunt. Ille ut talia audivit, nimis gavisus est, annectens: *Nisi extemplò talia committimus, statim ejus ditioni intimabo*. Illi verò statim ad ejus tentorium venerunt, atque extracto gladio non paucis plagis eum peremerunt. Ferunt namque nonnulli, quòd dum illi tentorium introiissent, & ipse Princeps Nannigonem ibidem cernisset, tale fertur dedisse responsum: *Misericordiam*, ait, *Nannigo nunc mihi facite*. Ille denique respondit: *Mihi mea facinora Deus minimè indulgeat, si ego indulsero tibi*. Et sic evaginato gladio eum penitus sauciavit, atque nimirum de hac vita extinxit. Suam conjugem *Adelchisiam* nomine, de qua supra mentionem fecimus, cum verecundia consanguinei sui Beneventum deducunt. Et meritò, quandoquidem per vim illa, suusque vir multas incommoditates aliis intulerunt, necesse fuit, ut quandoque & ipsi pejora horum perciperent. Ajunt planè non pauci, & verius est, quòd ipsa *Adelchisia* filia fuisset *Dauferii*, qui cognominatus fuit *Mutus* propter impeditiorem suam linguam. Eo vivente Princeps Sico suum filium per ordinem, quem supra diximus, Sicardum, ea videlicet admonuit futura.

CAP. LXIII.

Igitur dum Sicardus fuisset (76) extinctus, Beneventani *Radelchis Principem* sublimarunt, qui tenuit pacificè Principatum tantùm duobus & dimidio anno. Sed ut mos est Principibus, seu Regibus in sui inchoatione honoris, plures ex una urbe idoneos viros exturbant; & sic ille conatus est facere, atque non paucos ex Beneventanis exiliavit, inter quos *Dauferium* cognominatum *Mutum* cum suis natis, qui in finibus perrexerunt Nuceriæ in loco, ubi Forma dicitur.

Comperta evidentiùs *Sicardi Principis* morte, populus Amalfitanus illico sanctuariis Dei ornamenta diripiens, igneque supposito, antiqua civitatis (77) mœnia concremans, cum ingenti gaudio ad propria reversus est. Ajebant Amalfitani vicissim inter se: *Ille, qui nobis opes varias tribuit abundanter, extinctus est. Veniet ignotus alius: in servitutem nos deducet, filiasque nostras tollet, & suis servis dabit*. Proinde Salernum reliquerunt, atque ad propria redeunt, atque, ut diximus; opes varias abstrahunt, ditatique sunt valde: quia illo tempore per sua prædia Salernitani degebant, & mensis Augusti eo tempore percurrebat: proinde Amalfitani talia operarunt.

Exiliati interea, dum aliquo tempore perdurassent, novissimè jam dictus *Dauferius*, unà cum *Guaiferio*, *Majoque* suis filiis clam Salernitanis mittunt, afferentes: *Tam præclarissimam urbem, qualem vos obtinetis, & sub ditione Beneventi persistitis, valde etenim videtur esse ignaviæ. Si vestræ nobilitati comparet, clam Tarentum mittamus, quatenus annuente Deo, Sichinolfum illinc accersamus, ipsumque Principem sublevemus; & nobis, vobisque tunc feliciùs fuerit, cùm tantæ dignitatis fastigium obtineamus*. Dum in hunc modum Salernitanis relatum fuisset, exinde gavisi sunt, adnectentes: *Talia valemus minimè facere, nisi suffragium Amalfitanorum obtineamus. Forsitan per mare ipsum videlicet furabimus*. Quapropter Amalfitanis miserunt, necnon per Epistolam in hunc modum verba promserunt: *Incendia, rapinas, aut qualescumque incommoditates in nostra urbe gessistis: sint vobis dimissæ. Unum est, quod petimus, ut secretè omnimodo nobiscum decertetis, quatenus Sichinulfum germanum defuncti Principis nostri erga nos obtinere valeamus*. Ut talia Amalfitanus Populus comperit, valde gavisus est, atque ut id fieret, clam moliebatur, & inter

(75) Amanuensis errorem puto. Num *delictum*? Opprobria posceret locus.

(76) Id factum anno 839. & quidem post mensem Martium, ut ex Charta Chronici Vulturnensis part. II. Tomi I. hujus Collectionis.

(77) Idest Salerni, quo se antea Amalphitani receperant.

inter se per jusjurandum exinde firmati sunt. Et partim Salernitani, partimque Amalfitani navim ascendunt, iterque arripiunt. Sed cùm Tarentum adiissent, partim ex eis urbem ingressi sunt, partim in navi relicti sunt. Dum mixti Salernitani cum Amalfitanis per civitatis plateas graderentur, necnon mercimonia secum gestantes, fictilia videlicet vasa, seu quaslibet alias res, & tota die properarent, quasi negotiatores, dum finis diei data fuisset: illi, ut diximus; hàc illàc gradiebantur, quasi Mauri, & hujusmodi emittebant voces, quatenus aliquis eis daret mansionem. Sed dum approximabant, ubi ipsi catervatim (78) degebant, voces claras emittebant. Hæc auribus carcerarii accipientes exinde & ipsi voces emiserunt, asserentes: *Scopis mundatam domum nimirum habemus: venite, & hac nocte hic manete, & quodlibet munus exinde date*. At illi dixerunt: *Et vobis damus munera, & grates referimus multas*. Dum illorum domum Salernitani, & Amalfitani ingressi fuissent, statim plures ex numismatibus carcerariis dederunt dicentes: *ad forum pergite, daspesque nobis emite, necnon præcipua vina, diversasque potiones, quia valde sumus fessi, longo itinere gradientes*. At illi sumto pretio adierunt forum.

CAP. LXIV.

ERat tunc ipsa civitas opulentissima, minimèque ab Agarenis adhuc attrita. Dum carcerarii remeassent, detulerunt secum vina præcipua, variaque potionum genera, cibariaque optima. Cùm verò Salernitani cum Amalfitanis, carcerariisque simul recumberent, atque vicissim, ut mos est, verba protulerunt: Salernitani, Amalfitanique hac arte carcerarios deluserunt: pocula aqua implebant, & ipsi eam propinabant; carcerariis portantes, ut hii de vino biberent. Similiter & vina optima ipsi potabant. Et dum valde essent temulenti, major ex iis omnimodo talia fertur verba promsisse: *Nos opprimit sopor: jam denique dormiamus*. Salernitani ajebant: *Iterum optimum vinum potemus*. Illi jam dementes effecti dixerunt: *Nimirum sic faciamus*. Statim oblata sunt vascula plena, atque illi funditus ea potaverunt. Dum verò Langobardi, Amalfitanique talia cernerent, è vestigio cum omni solicitudine & arte qua poterant carcerem ingrediuntur. Sed cùm Siconolfus talia comperisset, pavor opprimit eum; putabat nempe, ne fortè æmuli ejus essent, qui eum sæpe angebant. Sed cùm ei Salernitani omnia intimassent, & quare ad eum venissent, recipit vires. Sic denique Dei nutu foras eum abstrahunt, & maturè ad navem deducunt, atque cum omni nixu satagebant, qualiter Salernum in proximo adirent. Quid multa dicam? Deo annuente sulcantes æquora, mari tranquillo ovantes Salernum veniunt, atque ipsum met *Siconolfum Principem* sublimarunt.

Adelchisi Rofrit filius . . . . *& desinit* . . . . . delicatiùs perquiramus.

Quæ heic omittuntur, petenda sunt ex Tomo II. pag. 290. hujus Collectionis utpote jam edita à Peregrinio.

CAP. LXV.

R*Adelchis* collecta multitudine hostium (& ut plurimi ferunt, cum equitibus XXII. millia fuerunt) Salernum pervênit. At Salernitani, Capuani, Aggerentini, nec non & Consani, & Amalfitani cum magno apparatu exierunt obviam eis, & haud procul à Salernitana civitate bellum nimirum inchoarunt. Sed *Siconolfus Princeps*, cum ceteris suis forti animo pugnantes, Beneventanis inferebant undique clades atque non pauci ex eis sauciati in terra prostrati sunt, & non exigui ex eis extincti sunt. Dum Beneventanus exercitus suorum interitum conspiceret, in fugam conversus est, relinquensque omnem suppellectilem, vix ex eorum manibus absque armis fugerunt. Sed dum Salernitani eos persequi non desiissent, plurimos ex eis comprehenderunt, atque magno triumpho ad propria redierunt, adducentes secum spolia multa, ditatique sunt valde. Inde ipse Siconolfus validum exercitum congregans, sinè mora Beneventanos fines invadit. Sed dum Beneventanis fuisset cognitum, repente ex urbe egressi sunt, & contra Salernitanos totis viribus pugnaturi pervenerunt. Dum utræque acies approximassent, moxque bellum inchoant: tamdem Salernitani terga dantes, quamvis non pauci ex eis sauciati, suos repedant fines.

CAP. LXVI.

CUm verò talia peracta fuissent, non parva dissensio inter Salernitanam, & Beneventanam civitatem exorta est; atque vicissim inter se denique consurgebant. Sed dum creberrimè talia iterarentur, audito hoc ab Agarenorum gente, generalem faciunt motionem; Calabriæ fines adeunt, circumque loca pervadunt. Tarentum veniunt, eamque sinè mora ceperunt. Inde ipsi in Apuliæ fines perveniunt, penè omnes civitates Apuliæ depopulantur; homines, qui ad instar segetum excreverant, occidunt. Compertâ eorum famâ Salernitani, atque Beneventani statim, ut unus Princeps alium superaret, Agarenis legationem mittunt, quatenus cum eis fœdus inirent. Illo denique tempore super Agarenos quidam nomine *Saothan* præerat, atque in civitate Barim denique residebat. Alius Agarenus *Apollafar* nomine Tarenti degebat, & ipse illo tempore Agarenis, qui in Calabriæ finibus demorabant, præerat. Cùm conspicerent, quòd à Langobardis pro pacis fœdere alternatim vehementer efflagitarentur, plus eorum colla se obdurabant, atque in hunc modum Beneventanis Legatis verba promserunt: *Vobiscum omnino pacem inimus; sed cum Salernitanis fœdus minimè intramus*. Hoc autem dicebant, quatenus eorum terram prædari valerent: quod factum est. Dum verò copiosa multitudo plebis Agarenorum Beneventum fuisset, & Princeps Radelchisi eos cum honore recepisset, statim per Salernitanos fines eos denique misit. Et dum juncti Beneventani, Agarenique graderent, nimirum, omnes, quos inveniebant, nempe debilitabant; & quicquid reperire poterant, demoliebantur.

Sed

(78) Scribendum omnino videtur *carcerati*, aut *catenati*. Locum enim appetebant, ubi incarcere detinebatur *Siconolfus*, defuncti Principis Sicardi frater.

Sed dum Agarenorum gens absoluta à *Radelchisio* Apuliam reversa fuisset, statim *Siconulfus Princeps*, scilicet auribus audierat, ut Radelchisi Princeps Beneventanus non parvam thesauri copiam Ecclesiæ Dei Genitricis abstulisset, atque Agarenis ipsum scilicet condonasset: sic idem Siconulfus Ecclesiam Dei Genitricis Sedis Salernitanæ ingressus est, atque exinde auri copiam abstrahens, Tarentum ipsum videlicet misit, quatenus Apollafari ipsum daret, eumque vehementer efflagitaret. Hoc dum fuisset factum, mixti Salernitani cum Agarenis per fines Beneventanos peragrant, incendia miscent, atque plurimos hominum enecant. Pene non procul à Beneventana civitate perveniunt, omnia diripiunt, Salernum redeunt. Dum verò una die Princeps Siconulfus cum ipso Apollafar ad exercitum foras devenissent, necnon vicissim inter se, sicut mos est, cum equitibus consurgerent, atque exinde utrique gauderent, Salernum nimirum redeunt. Sed dum scalas Palatii adiissent, per easque ascendere maluissent, Princeps Siconulfus cum eo nimirum ludebat; atque apprehenso ejus brachio, nisu quo valuit super gradum, in quo stabat, altiùs eum elevans, eum in tertio superiore gradu deposuit & amplexatus est eum, & osculavit. Ille verò alta trahens suspiria, tamdem in vocem erupit: *Ab hodierna die me minimè habebis amicum, quia probasti, illusistique mihi*. Erat denique ipse Agarenus natura pusillus, & animo, & viribus pollens: Dum illa Princeps audiret, & diceret, quia *non pro dolo, sed pro delectatione talia gessi*: ille per Dominum Cœli juravit, ut minimè jam cum ipso fœdus iniret. Statim ex urbe cum suis egressus est, & callem, quem reliquerat, iterum repedavit, Tarentumque scilicet remeavit. Illico Beneventum misit, quatenus cum Principe Radeschisio fœdus iniret. Ut talia Radelchisi audivit, valde gavisus est, atque ut id fieret omnimodo gratulabatur, & nimirum inter se fœdere sunt uniti, exinde cum paucis Apollasar adiit Beneventum; ubi cùm venisset, cum magna solemnitate eum Radelchisi suscepit, necnon per jusjurandum inter se sunt firmati. Statimque Tarentum misit, ut totus suus exercitus Salernitanos fines invaderet, atque funditus eos subverteret. Ut talia Agarenis nuntiata fuere, potiùs Salernitanos fines adeunt, & quicquid reperire poterant, nimirum demoliunt; perveneruntque ad fluvium, qui Tuscianus dicitur; hàc illàcque decurrentes, vastantesque omnia, & homines quotquot reperiri poterant denecantes, aliosque secum gestantes; & sic cum magno gaudio ad propria redierunt, spolia multa nimirum secum gestantes.

CAP. LXVII.

Comperto igitur evidentiùs à Siconulfo Agarenorum adventu, illic strenuissimos suos Optimates aliquando scilicet tollens, ad suum Cognatum *Guidonem*, (*) *qui illo tempore Tuscis* (79) *præerat*, misit, quatenus sinè mora veniret, suumque Cognatum ab oppressione Agarenorum liberaret. Ut relatum *Comiti Guidoni* in hunc modum fuisset, cum valido exercitu Salernum vênit, & statim utcumque cum suis cum magna audacia veniunt Beneventum; & dum muros civitatis properassent, unus ex Salernitanis in hunc modum verba depromit: *Ubi est*, inquit, *Ferrarius* (80) *noster? aut quid agit?* Cui protinus est responsum: *Forfices fingit, quatenus Clericum* (81) *unum tondeat*. Ipse Radelchisi; aliquando in adolescentiæ suæ tempore, cùm Aurifices plurimos Beneventum haberet, eorum domos peragrabat, quatenus exiguum saltem ex ipsa arte disceret, sicut mos est quippe juvenibus; sed quantum ad genus pertinet, ex illustribus & ex magno stigmate fuit nimirum natus. Tusci planè, necnon Spoletini, simulque Salernitani undique Beneventum circumdant; crebrissimè fortiter eam expugnabant; omnia extra urbem ferro & igne devastant, qualiter jam attribuere suo juri valerent; sed Beneventani Agarenique de intus fortiter resistebant.

CAP. LXVIII.

Factum est autem, ut una die Agarenorum Dux Apollasar ad portam ipsius Civitatis staret, atque dum Tuscorum, Spoletinorum, Salernitanorumque hinc inde exercitus per tutissima loca deambularet, castra illorum ipse exploraret, & quotquot conspiceret extra castra gradere, illico suo cum armigero Alim nomine super eos irruebat, atque plurimos ex eis in terram prosternebat. Cùmque sæpissimè talia ageret, necnon multos ex eis sauciaret, atque jugularet: factum est, ut Guido cum suo armigero Fraumisi nomine illuc transiret. Ubi ipsum Apollasar vidisset, erga eum minimè consurgit; sed mox Radelchisi acclamans, ei in verbis talia dixit: *Per Dominum Magnum* (sicuti jurare solitus erat) *si cras talia peragit Guido, qualia hodie gessit, vinctum in hac urbe cras illum tibi demonstro*. Cui protinus Radelchis: *O si talia ergo cernissem, vestræ virtuti triumphus accresceret, & nostræ patriæ salus adveniret*. Alio die maturè ad locum prædictum Apollasar cum jam dicto suo armigero vênit, & Guidonem expectabat. Dum ex more Guido cum jam dicto armigero suo juxta civitatis mœnia hàc illàcq; gradere-tur, quatenus inveniret locum ubi sui pugnare valerent, Apollasar eum vidit, atque ascenso optimo equo, unà cum suo armigero à tergo Guidoni vênit, atque attincto Guidone cum magna virtute super eum irruit, ejusque galeam fortiter ictu percussit, eamque super faciem illius obduxit, ita ut minimè videre valeret; apprehensàque equi (82) retinâ, celeriter

(*) Nempe seniorem, Spoleti Ducem, in Annalibus Francorum celebrem.

(79) Immo *Spoletinis*. Erchemperto quoque num. XVII. Tom. II. Rerum Italicar. ista eadem memoranti appellatur *Dux Spolitensium*. Attamen idem Scriptor infra num. XXV. *Tuscos* pro Spoletinis accepisse videtur. Adi, si lubet, Valesium in Notis ad Panegir. Berengarii Tom. II. pag. 389. hujus Collectionis, ceterum iis temporibus Adelbertum, Marchionem ac Ducem, Tusciae praefuisse exploratum est.

(80) Idest *Radelchis* Beneventanus Princeps. Quare ita appellatus fuerit, illudendi, ut puto, causa, infra Scriptor noster nobis edisserit.

(81) Hoc est, *Siconolfum* Salerni Principem. Clericum ideo irrisionis causa eum appellabant, quod a Sicardo fratre, ut supra visum est, Diaconatum amplecti coactus fuerat.

(82) Idest Habena, secunda syllaba brevi. Hinc habes, quam antiqua origo sit, & usus Italicae vocis *Redine*, *Redina*. *A Retineo* prodiit vox *Retinaculum* pro loro sive habena equorum, Virgilio in Georgicis usurpatum. Ex *Retinaculo* efformata *Retina*.

riter eum Beneventum ducebat, & armiger illius retro sæpissimè Guidonis equum hostis tundebat. At ille in extasi denique erat, & quicquid ageret penitus ignorabat. Sed prædictus Guidonis armiger, cùm talia cognovisset, moxque equum super quem residebat, cum calcaribus nimirum cruentavit, atque super Alim Apollafar armigerum cum fortissimo animo vênit, & cum nisu quo valuit, corpus illius lancea perforavit. Ut suum armigerum Apollafar extinctum vidisset protinus Guidoni equum reliquit, ipsumque Guidonem lancea, quam manu gerebat, in pectore forti ictu percussit, perforavitque ejus loricam, & in exiguum eum in pectore sauciavit. Dum verò Guido relictus fuisset, atque in pavore esset, simulque minimè teneret ejus equum (nimirum Apollafar sequebatur): sed suus armiger ejus concedit equum .... eumque in fronte percussit, retroque eum sinè mora compulit ire. Et dum sauciatus Guido castra repeteret, illico ad eum omnis populus fluxit, atque sigillatim eum percontabant de insolita re, quæ acciderat. Ipse verò minimè eis responsum reddebat; sed dum seriatim ab ejus armigero nuntiatum fuisset, protinus arma arripiunt, totisque viribus ipsam urbem pugnare cœperunt, intantum ut non pauci ex ea urbe vulnerati, atque aliquanti extincti sint. Hiis ita gestis ortus est vesper, & jam fessi tentoria redierunt.

Alia verò die Guido unà cum Siconulfo, ceterisque aliis Optimatibus inter se consilium iniunt, quatenus Guidoni (83) fœdus ulciscere valeant. Sed dum simul sunt congregati, ipse Guido tunc promit talia verba: *Dicite*, inquit, *mei fideles, meique consanguinei: quid faciam de verecundia, quæ mihi nimirum hodie accidit?* At illi nempe hujusmodi verba promserunt: *Tamdiu quippe urbem hanc cum multis machinis expugnemus, donec per vim eam nostris viribus obtineamus, eamque funditus depopulemus, tuumque fœdus pariter ulciscamur.* Comes inquit: *Nequaquam talia faciamus; sed antea legationem illis prorsus mittamus, ut quatuor Agarenos statim in nostra ditione mittant. Si renuunt talia facere: quod estis fati, omnimodo facere satagamus. Et si nostræ voluntati obtemperant, Agarenorum colla vincemus; & cum eis pacem denique iniamus.* Dum Legati Guidonis civitatem ingressi fuissent, necnon Principi Radelchisi omnia, quæ prædiximus, intimassent: ille cum suis exinde consilium iniit, & inito consilio Legatis depromit talia dicta: *Rem, quam poscitis, nequimus facere hodie: cras omnino satagemus, quatenus vestram voluntatem adimplere valeamus.* Die autem alia in stratu, in quo Apollafar dormiebat, armatos milites misit, eumque comprehenderunt, & ad portam civitatis cum nudis pedibus detulerunt. Dum eum nudis pedibus Radelchisi vidisset, mox talia verba depromit: *Ad suos*, inquit, *nudis pedibus eum defertis?* At Apollafar verso capite, torvoque aspectu promit talia dicta, & spu-tum contra Radelchisim projiciens, inquit: *Non habens curam de capite nostro, de pedibus nostris perquiris?* At ille cum rubore mox inde se movit, & ipsum Apollafar cum omnibus suis subditis ad Guidonem misit. Ille verò statim eos puniri jussit.

CAP. LXIX.

Dum talia peracta fuissent, Beneventani unà cum suo Principe de intus veniam poscebant, munera necnon plurima promittebant (Siconolsus enim omnimodo satagebat, ut minimè Guido ad sensum illorum cor inclinaret) & ad ipsum iterum atque iterum talia gestare maluerunt: ut ad propria ipse Guido reverteretur: sed minimè illorum annuit precibus. Sed dum cernerent Beneventani, ut minimè postulationes eorum audiret, mille promittunt solidos, tamen ut medietatem Principatus, quem Sicardus tenuerat, Radelchisi cederet, & medietatem Siconolfi juri nimirum traderet. Hoc audito Guido exinde cum suis consilium iniit, qualiter exinde quid ageret ei indicarent. Illi verò in hunc modum verba promserunt; *Prolixo enim tempore hic manemus: si vestræ eminentiæ comparet, jam ad propria revertamur; atque inter se spatiosam dividant terram, quia ambobus sufficit, atque eorum subditis.* Dum verò omnia Siconolfo fecisset cognita, illico tale fertur dedisse responsum: *Omnia, quæ vestræ sublimitati comparent, nos illico adimplemus. Volueram ego Principatum obtinere, scilicet quemadmodum genitor, germanusque meus dominaverunt. Nunc verò qualiter vobis comparet, taliter peragamus.* Statim ad ipsum Beneventum miserunt, qualiter Radelchisio in hunc modum verba prædicerent, ut citiùs Principatum ipse cum suis divideret. Moxque cum suis Radelchisi consilium iniit, quatenus ipsum Principatum dispartire valerent; sed nequibant mox talia adimplere. Protinus ex Beneventanis Toto nomine hujusmodi verba depromit: *Quid nostris viribus obtinendum traditis, si ventura hac nocte ipsum dispartio?* Deinde ait Princeps: *Nequaquam acquiesco sermonibus, quia omnimodo talia adimplere valebis*, id ipsum, omnisque populus hujusmodi verba promebant. Iterum ipse Toto: *Quantum, ut jam dixi, id mihi dabis, si ego, quod pollicitus sum adimpleo?* Item Princeps ait: *Pete quod vis.* Ille verò quoddam Castellum ab eo exposcit. Idem Princeps: *Facilem rem postulasti; & tantùm, si perficis, quod promisisti, statim illud juri tuo trado.* Ille namque ut erat astutus, ipsa nocte mirabiliter dividit illud, maturèque surrexit, & Palatium adiit, & omnia quæ gesserat eis intimavit, annectens: *Si placet, his finibus terminetur.*

Inter (84) *Salernum, Tarentum, Latinianum, Cassanum, Cusentiam, Malbitum, Misiniam, Compsam, Montellam, Rotam, Salernum, & Sanctum Severinum. De Salerno, Sarnum, perparvulum Castrum, Cimiterium, Fur-*

(83) Ideſt opprobrium. Liutprandus Rex in Lege 82. Lib. VI. part. II. Tomi II. hujus Collectionis simili voce utitur, inquiens: *Cui talem turpitudinem fecerit*. Praeterea in Lege 47. *Senatoris filia* ff. de Ritu Nuptiar. nobilis mulier, quae corpore quaestum fecerit, libertino impune nubere potest, *nec enim bonos ei servatur, quae se in tantum foedus deduxit*. Suspicatur Aleander, legendum ibi *scelus*, sed sine tabulis. Tum illic, tum apud nostrum adhibita est vox *foedus* pro re foeda, sive foeditate. Supra etiam vidimus, *foedare mulierem*.

(84) Prostat Charta divisionis factae anno 851. inter Radelchisum, & Siconolfum, Tom. II. pag. 260. Rer. Italicarum.

Furlile (85) *locus; Capua, Tianum, Sora, & medius Castaldatus Acheruntinus, qua parte conjunctim est cum Latiniano, & Compsa. Inter Beneventum & Capuam sit finis ad Sanctum Angelum ad Cerros, & perexiens per Serram Montis-Virginis, usque ad locum, qui dicitur Fenestella. Inter Beneventum, & Salernum sit finis ad locum, qui dicitur ad Pellegrinos, ubi est ex utraque parte XX. milliaria. Inter Beneventum, & Consiam sit finis idipsum Stafilum ad Frequentum, ubi & antiquo XX. milliaria sunt per partes.*

CAP. LXX.

DUm talia Princeps Radelchis unà cum suis Proceribus audissent, mirati sunt valde, atque inter se exinde invicem nimirum colloquebantur, asserentes. *Quis talia ausus esset & promere, & perficere, sicut Toto perfecit?* Statim per scriptam paginam, Siconolfo, Guidonique mittunt nuntiando. Dum paginam quidam ex eis legisset, nimirum & ipsi valde sunt mirati, & exinde statuerunt, quatenus antè obtutum *Ludovici Regis* talia firmarent, & ipse Guido mille solidos jam dictos tollens unà cum suo Cognato, populum Beneventanum deserunt, & ad propria redeunt. Atque plurima dona Guidoni suo Cognato Siconulfus denique dedit, & sic nempe ad invicem sunt sequestrati.

CAP. LXXI.

AB illo denique tempore Salernitani peculiarem obtinent Principatum, & ipsum fœderis scriptum in hac Salernitana urbe adhuc hactenus manet, & sufficienter ab illustrissimis viris nimirum firmatum. Et tantùm nomina illorum non prætermittam. In primis *Radelchisi* Princeps propria manu scriptus inibi erat. Id ipsum *Majelpoto, Rofrit, Bernardus, Toto, Johannes, Tasillo, Guala, Dauferi, Matenolfus, Poto, Petrus, Cardelaitu, Gualeiri, Ermengardus, Adelchisi, Tassilo, Rodersi, Johannes, Arichisi, Adechisi, Auderi* (86) *Episcopo, Adelpertus, Guaiferi Comes, Rodoalt, Radelgari, Radefrit, Azzo, Adelricus, Adelverto, Saductus, Landemari, Pandenolfo, Ingebrandus.*

CAP. LXXII.

DUm talia patrata fuissent, mox *Radelchisi Princeps Beneventanus* Totonem vocavit, & ei ad obtinendum Castellum cum suis Optimatibus, sicuti eum exoraverat, tradidit. Atque dona ei demum promittebat, & ab omnibus sæpissimè nimirum collaudabatur; & meritò, quia vix à multis hominibus per multos dies sperari non potuissent, quæ mox à viro sagacissimo sunt nimirum completa.

Hac denique tempestate Amalfitani nimirum *Principi Siconolfo*, & Salernitanis omnimodo obediebant; & is ad instar sui germani plurima illis prædia condonavit; & illi, ut diximus, fideliter nimirum obtemperabant, licèt in sua urbe habitare, quemadmodum soliti erant, volebant. At Salernitani, quanti ex his remanserunt, eos ab hac urbe, licèt non fuissent cum illis, qui mœnia antiqua, Ecclesiasque cremaverant, ac denudaverant, foràs expellunt, habitandique locum eis in veteri dant. Amalfiam denique ad habitandum ire minimè audebant, quia jam omnimodo minimè ab illis recipiebantur. Et, ut ferunt, in veteri habitaverunt, usque in tempus *Principis Guaiferii*. A tempore prædicti Guaiferii ad hanc urbem ad habitandum revertuntur propter Agarenorum metum.

CAP. LXXIII.

DEnique libet *Amalfitanorum* originem, partim, prout à majoribus nostris mihi relatum est, partimque ut à veteranis illorum libenter audivi, necnon in authenticis Libris nomina Judicum, Comitumque reperi scripta, annectere huic Historiæ: quia hactenus cunctis mansit incognitum, ex qua provincia orti, cujusve fuissent generis, & ordinis, seu officii, & quorum Regum Imperatorumve temporibus dimicassent; nec antecessorum nostrorum industria perquirere jure fecit, nec ulli sagaci ratione notum est. Ego verò, & veluti avidus indagator, quotquot ex regionibus viros comperi, indesinenter perquirere curavi, ut si apud eos aliquid de gestis triumphisque prædictorum Amalfitanorum scripta continerent, vel apud notos & cognitos fortè reperire potuissent, fideli ratione nostræ ignaviæ rescriptum traderent. Sicque factum est, ut hæc, quæ subter annectimus, nostræ notitiæ pro prædictorum Amalfitanorum origine sint cognita & ostensa.

CAP. LXXIV.

TEmpore quo Constantinus Imperator Romanorum Regni moderabat habenas, & primi civitatis ejus consilio, & fortitudine summa pollerent, dum sui Regni gubernacula prædictus Imperator moderatissimè gubernaret, atque ei prodigia magna Dominus nimirum ostenderet: per inspirationem divinam propriam civitatem linquens, cum uxore, & natis, & suis proceribus, cunctisque Optimatibus, necnon & militibus Constantinopolim venit, atque ipsi civitati nomen dedit: nimirum quæ antea fuit à Bizante quodam Rege Bizantia appellata. Romam quippe Beatorum Petri & Pauli juris reliquit. Dum verò unusquisque nimis satageret, qualiter cum suis quippe opibus Constantinopolim properaret: factum est, ut multæ naves oneratæ sulcantes æquora illuc gradere festinarent. Sed dum simul alternatim deambularent, pervenerunt in Sclavorum fines; moxque procella cunctarum exorta est, mareque vehementer intumuit; & dum diu fluctuaret, duæ ex iisdem navibus sinè hominum interitu naufragatæ sunt. Sed dum eorum scilicet res deperissent ibidem, nec sumtum haberent, quatenus naves fractas soldarent, hinc incolas loci illius exorarunt, ut ibidem ad habitandum cum eis locum nimirum darent. Illi verò talia audientes hujusmodi verba promserunt: *& terram ad habitandum vobis præbemus, & sumtum vobis vestrisque uxoribus abundanter tribuemus.* Vocaturque nomen loci illius nimirum *Ragusia*. Ha-

(85) Peregrinius habet *Furculum*, & *Furculis*.

(86) Peregrinius legit *Advim. Epo.* Scilicet breviatum verbum minime animadvertit. Cujus autem loci Episcopus fuerit hic Auderis, mihi incompertum est.

Habitaveruntque ibidem temporibus multis. Sed dum à Ragusianis sæpissimè opprimerentur, & omnimodo jam sustinere nequirent, mox furtim naviculas illorum ascendunt, Italiamque cum uxoribus, & natis, suaque supellectili quique properarunt. Nam donec Ragusii demorarunt, à jam dictis illius habitatoribus terræ *Romani* sunt vocitati. Ac ubi Italiam adierunt, veneruntque in locum, qui *Melfis* dicitur, ibi multo postea tempore sunt demorati, & inde sunt *Amalfitani* vocati: locus namque dedit nomen illis. Ab illo denique tempore Amalfitani sunt vocati, sicut Suevi, à Monte Suevo, de quibus Lucanus:

Fundit ab extremo flavos Aquilone Suevos.

Item Alani dicti fuerunt à Latri fluvio ultra Danubium; & populi habitantes juxta Lemannum fluvium, Alemanni vocantur: de quibus idem Lucanus:

Deseruere cavo tentoria fixa Lemano.

CAP. LXXV.

Igitur dum prolixo tempore ibidem Amalfitani morarentur, Italiaque diversis potestatibus diversarum gentium mutarentur: locus ille, quo Melfitani degebant, afflictus est, & verentes, ne eos nimirum in servitute atterrerent, & sustinere jam omnino non valentes, clam exinde sunt moti, & pervenerunt ad locum, qui *Ebolis* dicitur, qui est prope Salernitanam urbem X. ferè passuum millia, & de districtu, ac de jurisdictione urbis ejusdem. Sed opprimebantur ab incolis loci illius, & illi nimirum metuebant, ne à majoribus in servitute ampliùs nimirum opprimerentur, quàm dum oppressi in Ragusio fuerant. Sed quidam ex eis dum perambularent hàc illàcque negotiando pervenerunt in locum, ubi *Scala* dicitur, & dum fuissent ab hominibus, qui ibidem morabantur, multùm rogati, ut ibidem paululum permorarentur, illi per dies aliquot ibidem manserunt, atque deinde descenderunt in locum, ubi nunc Amalfitani degunt, locumque illum undique circuierunt, eumque vehementer expiantes, tamdem ad suos reversi sunt. Dum omnia, quæ vidissent, eis retulissent, atque eis tutissimum locum, & abundantiam aquæ nimirum collaudassent, minimè eorum verbis crediderunt; sed statim strenuos illuc viros miserunt. Sed cùm omnem ipsorum locum delicatiùs explorassent, eorumque oculis vehementer complacuisset, remearunt cum magno gaudio nempe ad suos, intimantes eis, quia *tutissimum locum reperimus: tantùm eamus, ibique scilicet quiescamus, quia ibidem ab hostibus omnimodo metus nihil habebimus.* Cùm talia Amalfitani certo certiùs cognovissent, moxque clam exinde sunt moti, & cum uxoribus, liberis, & omnibus, quæ portare poterant, Scalam deveniunt locum, eumque citiùs invadunt, atque nomen ipsi loco dederunt, (87) sicut in Historiis legimus, ut Medi à Rege suo cognominati putantur namque Jason Peliaci Regis frater Thessalia pulsus est cum Medea uxore sua, cujus fuit privignus Medus Rex Atheniensium, qui post mortem Jasonis Orientis plagas domuit; ibique Mediam urbem condidit, gentemque Medorum nomine suo appellavit. Sed invenimus nimirum in Genesi quòd Madas auctor gentis Medorum fuisset, à quo & cognominati, ut superiùs dictum est. Sic denique Trojanorum gens antea Dardanida à Dardano nominata; nam Dardanus, & Lasius, sicut in Historiis perhibetur, fratres fuerunt, & ex Græcia sunt profecti. Ex iis Lasius ad Thraciam; Dardanus ad Phrygiam pervênit, ibique primus regnavit; post quem filius Eritonius, deinde nepos ejus Tros, à quo Trojani nuncupati sunt. Inde verò *Amalfia* ab Amalfitanis est nominata. Atranum nempe est dictum ab Obscuro; nam *atrum* obscurum dicimus, & profectò congruè, quia ardua mole saxorum desuper hinc inde extenditur.

CAP. LXXVI.

Primo anno, quo egressi sunt de Salerno per Indictionem III. pridie Kal. Septembris prædicti Malfitani, Anno (88) primo Principis Radelchisi, *Comitem* præposuerunt quemdam *Petrum* nomine. Subsequenter alio anno *Sergium Comitem* ordinarunt filium *Gregorii Comitis*; deinde *Ursum* filium *Mauronis Comitis*; & post eum. *Cunari Comitem*. Etiam *Sergium Comitem* filium *Constantini Comitis*. Post ipsum Comitem duos per annum: hii sunt *Lupus*, & *Jaquintus Comites*. Deinde incipit præesse *Marinus* solus. Sequitur post eum *Urso Comes* cum *Fluro Comite*; & post eum *Musco Comes* cum *Sergio Comite*. Et iterum *Leo Comes* cum *Manno Comite*. Post eum *Urso Comes* cum *Sergio Comite, qui dicitur de Marina*. Iterum *Tauro*, & *Constantino Comitibus*. Deinde *Sergius* prædicti *Marini* sedit annos III. Temporibus *Mauri Præfecti Bonus*, & *Johannes Comites*; & post ipsos anno uno occiso *Mauro Præfecto*, cui successit *Sergius* filius Magistri militis in die XIII. Eique successit *Urso Comes*. Post menses III. *Sergius Comes* filius *Petri*. Et post dies XX. *Ursus Comes* in die VI. introivit *Dominus Marinus*; & post eum *Dominus Pulcari*. Isti sunt Comites, quos in Archivis illorum reperi scriptos. Atque hæc, quæ devota industria indagavimus de Genealogia, seu de sagacitatibus Malfitanorum nobis dicta sufficiant.

CAP. LXXVII.

Igitur *Siconolfus*, Principatu denuo confirmato, cum suis scilicet exultabat, atque sæpissimè eis dona tribuebat. Factum est autem, ut una die in sella ad secessum resideret, & ante obtutum ejus *Dauferii filius Guaiferius* staret, & in hunc modum verba Principi promit: *Talem minimè locum invênit homo, qualem ad secessum meum & suum Dominum occidendum.* Ut talia Princeps Siconolfus audisset, nimis quippe exterruit, atque sinè mora lanceam miræ magnitudinis ad cameram deferri jussit. Die verò altera finxit se Siconolfus, ad sellam quasi ex more residere atque Guaiferium jam fatum illuc jussit nimirum accersiri. Dum ante ejus obtutum Guaiferius adiisset, mox talibus eum Princeps Siconulfus allocutus est

(87) Certe Amalfim, sive Amalfiam Romani veteres non agnoverunt. Attamen Anno 596. jam erat *Amalfitanorum Episcopus Pimenius*, cujus mentionem ad eum annum reliquit Gregorius Magnus Papa in Epist. 23. Lib. VI. Indict. XIV.

(88) Primus Radelchisi Beneventani Principis annus est Aerae Christianae 839. Hoc ergo anno Amalphitani excessere Salerno.

est verbis: *Tu heri mihi dixisti, quòd non esset locus aptus, nisi ad secessum ad Principem occidendum. Et ego nunc dico* (acutam lanceam ei demonstrans) *minimè reperi locum in dolo ad suum inimicum occidendum, quàm eum in secreto vocatum*. Hæc autem audiens auribus Guaiferius, mox valde pertimuit, atque in hunc modum promit tunc talia dicta: *Scit Dominus meus Princeps: non in dolo talia promsi; sed pro affectu nostri Domini Principis talia nimirum gessi*. Ipse Princeps Siconulfus hujusmodi verba depromit: *Conjicio, quòd mei, & tui mores non conveniunt. Vade, & in alia terra morare. Dominum, quære, quia me post hunc sermonem minimè habebis*.

CAP. LXXVIII.

DUm Guaiferius talia verba audisset mox eum opprimit mœror, atque sinè dilatione Neapolim properavit, jam uxore defuncta, ut diximus, non propria morte. Nam cùm fuisset à quodam Guaiferio intimatum, quòd sua uxor ab alieno viro esset stuprata, statim ille, ut erat audax, evaginato gladio eam protinus de hac luce extinxit. Cùm verò Guaiferius Neapolim moraretur, *Sergius*, qui tunc Magister militiæ præerat, ei alimenta, tegumentaque plurima exhibebat. Factum est autem, ut eo tempore Princeps Siconulfus cum non paucis suis fidelibus ludi causa, & observandæ venationis, in prædium deveniret, ubi Cervania dicitur. Sed dum hàc illàcque, ut mos est, alternatim discurrerent, ingentem singlerium (89) reperiit. Dum verò omnes fatagarent, qualiter ipsum extinguerent, Princeps Siconulfus omnes anticipat, eumque forti ictu percussit, atque in terram videlicet protinus mortuum rutavit (90). Sed dum paulisper ipsum aprum fatageret, mox eum febris invasit, acrique cœpit ardore fatigare, atque omnes illius artus depressit. Mox tubam nixu, quo valuit, nimirum insonuit; & dum insolitam vocem tubæ sui Optimates audirent, illico omnes ad eum cucurrerunt. Ille verò ut acciderat rei pandens ordinem, statim quamvis cum mœrore Salernum rediit. Cùm verò fuisset Salernum ingressus, cunctos suos Optimates congregari jussit in unum, & dum simul sunt congregati, ipse Princeps tunc promit talia dicta: *Omnes mei fideles, meique consanguinei, pariter ineamus consilium, qualiter per omnia meus infantulus Sico sit vobis commendatus*. At illi una voce dixerunt: *Sicut per omnia fuimus Genitori fideles, sic nimirum erimus demum illi, & plus*. Hæc autem dicentes immensas lachrymas invicem effundebant. At Princeps dexteram sui filii *Siconis* tenens, cuidam *Petro*, qui eum ex sacro fonte susceperat, tradidit. Crucem denique in alia manu tenens, dixit: *Crux ista erit testis inter te, & me. Hodie intueatur Dominus, & judicet inter nos, si post meum obitum afflixeris filium meum, & si introduxeris alium super eum Seniorem. Nullus sermonis nostri testis est absque Deo, qui præsens respicit*. Sed dum diu, ut fati sumus, æstuaretur febribus, luce extinctus (91) est. Suæ conjugi hic non parum mœrorem reliquit, tenuitque Principatum Salernitanum annis X. & aliquot mensibus. Fuit autem corpore prævalidus, statura procerus, & multa per singulos homines largitus est dona.

CAP. LXXIX.

DUm verò Princeps Siconolfus obiisset, Petrus namque puerum regebat; Salernitani ei omnimodo obtemperabant. Per idem tempus Salernitani cum Beneventanis alternatim inter se pacem ineunt; atque Petrus, qui puerum regebat, multitudinem hostium congregans unà cum *Adelchiso Principe Beneventano* Barim cum magna virtute perveniunt, quatenus Agarenorum gentem debellarent. Cùm talia Agareni, qui Barim morabantur, comperissent, repentè cum grandi strepitu eis obviam exierunt, & sinè mora bellum cum eis inchoaverunt. Sed cùm Langobardi totis viribus diu cum eis pugnassent, tamdem Agareni terga dederunt. Sed dum omnimodo Langobardi decernunt, ut eos ultima cæde vastarent, subitò cuneus validus alius Agarenorum ex adverso cum ingenti virtute super Langobardos irruit. Sed dum Langobardi tam fessi essent, ut omnimodo illorum impetum sustinere nequirent, statim in fugam omnes conversi sunt, plurimis ex eis interemtis, & non paucis sauciatis. Postremò quamvis confusi sinè effectu ad propria redeunt. Agareni quippe omnes simul sunt denuo congregati, & protinus per Beneventanos, Salernitanosque fines pergunt; quicquid reperire poterant, ad instar plurimarum locustarum demoliunt, multosque homines necant; uxores, liberosque eorum duxerunt captivos, vix paucis evadentibus, qui per tutissima castra & juga montium fugerunt. Tamdem Agareni suos fines repedant, spolia multa secum gestantes.

CAP. LXXX.

SEd dum talia patrata fuissent, quidam adulatores jam fati Petri promebant, ut Principalem honorem ipse arriperet, atque in illius nomine Annales (92) scriberet. Illo verò die exinde minimè eis obtemperavit; tamdem voluntati eorum assensum dedit, & particeps factus est tantæ dignitatis. Sed cùm talia reperisset *Petri filius Ademarius*, id ipsum & ille omnimodo satagebat exinde, quatenus ad tantæ sublimitatis fastigium perveniret. Quid multa dicam? Cùm patri suo fuisset cognitum, ille, qui ei minas, indignationesque opponere, & eum objurgare debuerat propter hujusmodi ambitionem: jusjurandum, quod pollicitus fuerat, oblitus est, eumque socium in Principalem honorem ascivit. Sed *Siconolfi filius Sico* ei deterior erat; nullum ei honorem exhibebat; immo consilium inter se ineunt, quatenus de hac urbe omnino eum exturbarent: sic idem Petrus promissiones, quas Siconolfo promiserat, funditus oblitus fuerat, & quod jurejurando juraverat; atque ipsum Siconem ad se excivit, & ei hujusmodi verba depromit: *Volo te Italiæ Regi Ludovico* (93) *mit-*

(89) Idest aprum, nunc Gallis *sanglier*. Num ab Italia in Galliam vox ista olim concessit?

(90) Peregrina sane vox, sed barbaris seculis minime indigna. Nunc *lo stese morto a terra*. Num *rutavit* pro *urtavit* Italica & Gallica voce?

(91) Scilicet Anno 851. quo ipso concordiam inierat cum Radelchiso Principe Beneventano.

(92) Hoc est in publicis Chartis nomen suum cum Annis Principatus adnotandum juberet.

(93) Scilicet Secundo hujus nominis, neque tantum Italiae Regi, sed etiam Romanorum Imperatori. Acta haec fuere circiter Annum 854.

mittere cum honore, *quatenus ibidem astutiam hujus Mundi discas*. Cui ille: *In potestate vestra sum: quod vestris oculis comparet*, *facito*. Hoc autem faciebat, ut suus filius Ademarius obtinere valeret solus Salernitanum Principatum.

Dum verò *Ludovico Regi* cum plurima ope ipse Sico transmissus fuisset, eum libenter suscepit, moratusque est apud eum aliquot annos. Sed dum adolescens factus fuisset, ex more ipsi jam dictus Rex (94) arma donavit, atque cum honore Salernum (95) misit. Cùm autem Capuam cum suis subditis venisset, à cunctis terræ illius hominibus dilectus est valde, eo quòd esset adolescens floridam ætatem gerens, micantibusque oculis procerus valde. Et ut diximus, ab omnibus diligebatur, sed maximè à *Landone* (96) tunc *Comite*; simulque & à suo germano *Landolfo Episcopo* nimio diligebatur affectu. Sed cùm aliquot dies ibi degeret, seque cum juvenibus terræ illius exercitaret; ille verò tantæ fortitudinis erat, ut targâ, quam in manu gestabat, Amphitheatrum, quod olim ibidem constructum fuerat, & est miræ altitudinis, & fortis pulchritudinis, exsuperaret, dum patri filioque Principibus fuisset cognitum, repentè ibidem satellites suos miserunt, atque clam per haustum læthale ipsum Siconem fecerunt spiritum exhalare.

CAP. LXXXI.

PEr idem tempus *Lando*, ut diximus, *Capuanus Comes* unà cum prædicto suo germano *Landolfo Episcopo*, ceterisque aliis Capuanis civitatem ædificare conati sunt ad pontem, qui Casilinus dicitur juxta Vulturnum fluvium, quia ipsa civitas, quæ fuit in monte Trifisco, à *Landolfo genitore istorum* constructa creberrimè ab igne consumebatur. Sed dum *Principi Ademario*, genitore extincto, nuntiatum fuisset, & ei à quodam de ipsa jam dicta civitate intimatum fuisset, valde iratus est, atque multitudinem hostium congregans, cum valida manu Capuam vênit, & turrem, quæ nunc cognominata est Sancti Angeli, protinus diruit, & ad solum eam usque prostravit. Et Capuani nil ei adversùs fecerunt propter jusjurandum, quod ei jam dudum juraverant; sed potiùs ad eum efflagitandum mittebant, ut opus eorum minimè impediret, licèt ipsi ei minimè se credebant. Dum verò finè effectu Ademarius reversus fuisset, Capuani minimè denique ipsam civitatem operari desierunt; & ferunt nonnulli, quòd hìc inibi Ademarius, ut eam destrueret, perrexisset: sed nihil ei profuit, &, Deo tuente, usque nunc illæsa hactenus manet.

Factum est autem, ut Comes Capuanus Lando eo tempore pro aliqua re Neapolim perrexisset, atque cum *Sergio Magistro militiæ* in unum sermocinatus est. Sed cùm notum fuisset *Guaiferio*, qui inibi exiliatus jam prolixo tempore moratus fuerat, atque sine uxore adhuc manebat, mox Palatium adiit, atque illi Sergio verba depromit: *Exoro te valde*, *quatenus Landonem in secreto vocari facias*, *eique secretè injungas*, *& filiam suam mihi in matrimonium tradat*. Sed dum ipse Sergius differret talia facere, per semetipsum Guaiferius Landonem vocavit, eique secretè hujusmodi verba prædixit: *Volo*, *quatenus mihi in matrimonium tuam filiam tradas*. Ille verò ut talia audivit, miratus est, eique cum rubore dixit: *Duas filias habeo*: *qualem ex eis volueris*, *tolle*. *Tamen scito*, *quia ipsa formosior unum habet oculum glaucosum*: *ipsam opto ut habeas uxorem*. Et statim utrique Capuam venerunt. Dum verò Lando Guaiferium Capuam, sicut decebat, honorificè deduxisset, ad suamque domum cum sublimitate, sicut ei decebat, eum deportasset, suæ binæ filiæ in occursum venientes jam residebant. Tunc ad Guaiferium protinus Lando ait: *Ex his elige*, *qualem vestris oculis comparet*. Ille verò quamvis cum rubore *Landeclajæ* dexteram apprehendit; & licèt unum oculum habuisset fœdatum, decora facie, aspectuque delectabilis erat; & ut meliùs dicam, illo in tempore illius mores sexum femineum transcendebant. Cùm verò honorificè nuptiæ peractæ fuissent, accidit ut *Princeps Ademarius*, nescio pro qua re, illuc suum fidelem quemdam nomine Montùla mitteret. Sed dum Capuam venisset, Lando Comes taliter prorupit in vocem: *Acriùs te exoro*, *quatenus pro nostro amore Dominum Ademarium enixiùs exores*, *ut generum meum Guaiferium sua arva repetere jubeat*. Sed dum Montula illius verba auribus audisset, tale fertur promsisse responsum: *Nequimus talia nunc polliceri verba*, *quia*, *quantum conjicere valeo*, *de hac re ipse Princeps minimè nostras annuet preces*. Cui Lando: *Scit Deus*: *nisi mihi exinde jurejurando satisfeceris*, *minimè illuc repedabis*. At ille necessitate compulsus, quod ab eodem popoſcerat, ei omnia adimplevit. Quapropter dona ei Lando plurima dedit; & sic Montula Salernum repedavit. Dum verò Salernum, ut fati sumus, introisset, enixiùs Adelmarium Principem obsecrabat, quatenus Guaiferium ad propria regredi faceret. Ille verò omnimodo de tali re sæpissimè resistebat. Tamdem ejus postulationibus annuit, ipsumque Guaiferium cum uxore, servis, ancillisque, & cum multitudine suppellectilis, opeque plurima regredi ad sua propria jussit.

CAP. LXXXII.

RAdoalt (97) *Episcopus* dum aliquo tempore Salernitanam Sedem, ut superiùs fati sumus, rexisset, per idem tempus ab Agarenorum gente capta est civitas Canusiæ (98), quæ

(94) Hoc est militem fecit, eumque armis militaribus cinxit. Qui mos ab antiquis Germanis profectus, in Gallias a Francis, & ipsis Germaniae populis, invectus, in Italiam subinde penetravit. Ejus autem exempla occurrunt in Vita Ludovici Pii, ac in aliis antiquorum Libris. De re alioqui nota videndus Du-Cangius in Glossario Latino, & ad Joinvillam.

(95) Quare ergo Siconem *Siconulfi filium exulem fecisse* dicitur Ludovicus II. Augustus apud Herchempertum num. XX. Tom. II. pag. 242. Collectionis hujus? Veri similiora enarrasse videtur Salernitanus noster, inspecta potissimum probitate Imperatoris illius.

(96) Scilicet Capuae, & a Landulpho Capuano pariter Episcopo.

(97) Ughellius in Catalog. Episcopor. Salernitan. hunc floruisse scribit Anno 818.

(98) Post Annum tantummodo 827. capta fuerit haec Civitas a Saracenis, eo enim tantum Anno Siciliam invasere Saraceni. Vide Historiam Saracenico-Siculam part. II. Tom. I. Rerum Italicarum.

quæ sita fuit in Apuliæ finibus. Sed Dei nutu Petrus, *qui illo tempore illi civitati præerat Episcopus*, cum suis non paucis fidelibus evaserunt, atque Salernum venerunt, opes plurimas secum deferentes. Dum verò Salernum aliquo tempore cum suis mansisset. Rodoalt jam dictus Episcopus diem clausit extremum. Quapropter omnes exorarunt, ut per aliquot annos ipse *Petrus Episcopus* ipsius Ecclesiæ facultates nimirum regeret. Ille verò dum talia audisset, in hunc modum illis respondit: *Ad regendam Ecclesiam præesse me dico: in* (99) *Sedem ipsius Ecclesiæ minimè ascensurus sum*. Sed dum aliquo tempore ipsam jam dictam Ecclesiam moderatissimè gubernaret, de suo sumtu Ecclesiam prædictam Sanctam Sedem in honorem Beati Johannis Baptistæ miræ magnitudinis construxit, licet minimè eam usque ad culmen perduxit, quia divina vocante potentia de hac luce extractus est. Quo defuncto, *Ractulus* (100) quidam *Episcopus* ordinatus est; cùmque hic obiisset, *Magnaldus Episcopus* ordinatur; quo mortuo, præclarissimum quemdam *Alonem Episcopum* ordinarunt. Fuit autem vir bonus, Ecclesiæque reparator. Fecit autem miræ pulchritudinis Lectorium ex gisso. Sed dum & ipse in Domino obdormisset, *Landemarium*, qui ex Nuceriæ finibus fuerat ortus *Episcopum* sublimarunt. Cùmque & hic obiisset temporibus prædicti Principis Siconulfi quemdam *Bernardum* (1) *Episcopum* ordinarunt. Fuit autem ex civitate Catiana (2) ortus, parentibus quidem non infimis. Fecit in eadem Ecclesia Campanile miræ pulchritudinis, & Ecclesiam Sancti Johannis Baptistæ, quam *Petrus* (3) *Episcopus*, Grimoaldi Principis cognatus, à novo fundamine construxit, iste eam omnino consummavit, atque tribunam pulchris figuris scilicet illustravit, & multa corpora Sanctorum undique adunavit. Nam cùm imminente Agarenorum populo metueret, ne à propriis frustaretur Patronis Sanctis Martyribus Fortunato, Gajo, & Anthes, eorum sacras reliquias à propria Aula, ubi per longa tempora requieverant juxta fluvium, qui Lirinus dicitur, idem egregius Præsul abstulit, easque cum debito honore intra civitatis mœnia in Ecclesia jam dicti Sancti Johannis honorificè collocavit. Ibique Altare in honorem sanctorum Martyrum Fortunati, Gaji, & Anthes, simulque Beatorum omnium Apostolorum dedicavit. Idem ipse cum multitudine Clericorum, necnon & Laicorum, non procul à civitate jam dicta ad locum pervênit, qui dicitur Fayanum, de finibus Salernitanis, & cum magna reverentia, orationibusque assiduis Beatorum Confessorum pariterque Pontificum corpora, ubi per longa tempora requierunt, Cirini & Quingesi abstulit; atque in syndone munda involuta, cum sacris mysteriis ab ipso jam dicto Episcopo deferebantur. Sed dum paulisper per equum, in quo ipse Episcopus residebat, deportata fuissent, statim calcaria, quæ in pedibus Episcopi erant annexa, protinus in terram projecta sunt, sic tamen ut fibulæ aptatæ essent, tamquam si in pedibus Episcopi fuissent. Quo comperto omnes de tali miraculo omnipotenti Deo gratias reddiderunt; atque omnis populus, qui ibi erat, necnon & Clerici cum cereis & lampadibus, discalceatis pedibus, cum magno gaudio Salernum venerunt, & eorum sacra mysteria honorificè collocarunt; necnon & Ecclesiam in honorem eorum dedicaverunt, ubi sæpissimè signa & miracula Jesus Christus Dominus noster ad laudem sui nominis facit usque ad hodiernum diem.

CAP. LXXXIII.

Dum talia peracta fuissent, res mira in illo tempore in hac Sancta Sede accidit, quod minimè omittam retexere. Nam cùm sæpissimè nocte dieque idem *Præsul Bernardus* in sacra oratione diu persisteret, & quotidie sacrificia Deo offerret, & clam diu, ut diximus, pervigil in lachrymis nocte dieque persisteret: factum est, ut ex more unà cum suo familiari Diacono Ecclesiam Dei Genitricis introiisset, & ante Altare pro suis delictis suffragium vehementer efflagitaret: subitò intempesta nocte Dei Genitrix cum suis Virginibus à vestibulo cum claro lumine super eum vênit. At ille dum insolitos tantos splendores cernisset, immenso pavore pervasus mox in faciem ruit. Sed dum Sancta Dei Genitrix cum suis Virginibus super eum paululum staret, una ex his Virginibus Dei Genitrici in hunc modum verba depromit: *Mea Domina mitissima, servus tuus sit tibi commendatus*. At illa dulcia verba depromsit: *Natum meum, & Dominum meum exoravi, quatenus in cœtu Confratrum ipsum recipiat, & ab ipso piissimo* exau-

(99) Ergo Administrator, sive Commendatarius tantum fuit iste Petrus Salernitanae Ecclesiae, neque inter Salernitanos Episcopos numerandus, uti censet Ughellius supra laudatus.

(100) Ughellio est *Rostulus*, & vixisse dicitur circiter Annum 844. Sed nostro acquiescendum potius, quam Ughellio, qui in eo ipso loco, ubi de hoc Episcopo loquitur, non semel cespitat. Illi *Radelchis* est *Rodelchis*: *Sigenolfus* appellatur pro *Siconolfo*. Ambo dicuntur *Principatum jure belli occupasse*, & *Lothario Italiae Rege usos*, eumdem Principatum divisisse. Quei res processerit, supra habes. *Ludovicus* autem *Secundus* Augustus, non *Lotharius* funestissimae illi discordiae finem fecit.

(1) Neque heic praetereundum, confusam omnino (quod est ad haec tempora) ac vitiatam Salernitanorum Praesulum Chronologiam ab Ughellio dari, immo a Gaspare Musca, qui Ughellio pracivit. Ibi serius, quam par esset, statuuntur anni *Ractuli*, *Magnaldi*, *Alonis*, & *Landemarii*. Inter *Magnaldum* & *Alonem* interponitur *Teupus* quidam Episcopus, quem tamen Historicus noster tam vetustus, & de rebus Patriae scribens, minime agnovit. *Landemario* successisse dicitur *Petrus Episcopus* contra Salernitani nostri fidem, qui *Landemario* successorem dat *Bernardum*. Petrus ille non alius fuerit, quàm Petrus infra appellatus ab ipso Ughellio *Tertius*. Certe is Anno 881. sedebat, ut ex ejus Diplomate constat. *Bernardus* vero ei successor datus longe ante illum sedit. Longe, inquam, antea: nam disertis verbis ab Historico nostro *Bernardus* dicitur ordinatus *temporibus Principis Siconolfi*, qui, uti vidimus, anno 851. vivere desiit. Ughellius vero, & Musca scribunt, Bernardum anno 909. electum, finem vivendi fecisse anno 942.

(2) Ughellius *Civitatem Latinianam* ei patriam tribuit. Utri fides? Ego neutram Urbem agnovi. An *Cancia* in Capuano Principatu posita, & Johanni Diacono memorata in Vit. Episcoporum Neapolitan. part. II. Tom. I.?

(3) Idest Canusinus Episcopus, ut arbitror, cui Salernitana Ecclesia regenda tradita est, & cujus mentio supra. Incertum, num *cognatus* ei fuerit *Grimoaldus Aricbisi filius*, an ejus successor alter *Grimoaldus Storesaiz*, ambo Principes Beneventani.

exaudita sum: & his dictis cum ipsis Virginibus cœlo recepta est. Cùm verò jam dictus Diaconus, qui in angulo ipsius Ecclesiæ stabat, & pro suis delictis Dominum vehementer efflagitabat, omnia, quæ acciderant audisset, & vidisset, statim Nocturnum sonari jussit. Sed cùm uterque sexus Ecclesiam adiissent, invenerunt ipsum Episcopum ante Altare in extasi denique stratum. Sed cùm ab ipso Diacono omnia, quæ acta fuerant, eis intimatum fuisset, unà omnes gratias Deo, ejusque Genitrici reddiderunt, dicentes, quia respexit Dominus humilitatem servi sui, ipsumque Episcopum de pavimento, in quo prostratus jacebat, cum magna reverentia honorificè levaverunt, eumque in domum, ubi solitus erat requiescere, detulerunt. Cùm namque non multos post dies ad pristinam valetudinem venisset, eo ordine ipsum miraculum hominibus pandebant, quemadmodum à Diacono antea eis fuerat propalatum: erat enim mitissimus, & Ecclesiæ reparator.

CAP. LXXXIV.

SEd dum sæpissimè Legati Agarenorum Salernum venissent, & jam dictus Sico, Petrusque Rectores Salernitanis præessent simul: accidit, ut unus eminentissimus Agarenus fuisset missus à *Saothan* (4) Domino Salernum. Sed cùm Salerni venisset, cum magna sublimitate eum susceperunt, & ad Episcopum illum miserunt, quatenus in domo, ubi Bernardus Præsul morari solitus erat, degeret: Dum fuisset factum, ipse Præsul exinde valde ingemuit, atque ex intimo cordis anhelitum trahens tamdem de intus vulnus foris erupit, & quasi pro causa dictorum Principum Romam properavit. Cùmque Romam venisset, aliquo tempore ibidem moravit, & à Papa, qui tunc in tempore aderat, & ab omnibus Romanis nimio diligebatur affectu. Sed dum bis terque à prædictis Principibus per epistolam efflagitatus esset, quatenus ad propria remearet, ille diu distulit redire. Tamdem exoratus ab omni Populo Salernitano, & plus nimirum à Clero, illis epistolam in hunc modum misit: *Si illuc me habere cupitis, ædem mihi aliam in loco alio ædificate, quia post hæc minimè, ubi moravi habitabo*. Et specialem quemdam suum famulum Gualpertum nomine per epistolam in hunc modum est allocutus: *Præcipiendo tibi dirigo, quatenus cum omni solicitudine domum pulchritudinis miræ, quamvis exiguam, construere facias, mansiunculas in ea faciens*. Etiam miræ pulchritudinis ...... pingere jussit. Sed dum jam dictus Præsul Salernum regressus fuisset, omnis Populus, omnisque ætas gratias Deo reddiderunt dicentes: *Veni Pater noster, & orator patriæ nostræ*. Dum in pristinum honorem jam dictus Coangelicus Præsul rediisset, iterum Ecclesiam inibi miræ pulchritudinis construi fecit, & pavimentum parvulis tessellis in vario colore componi jussit. Libet me ejus Etymologiam fidelibus pandere. Vocantur autem *Pavimenta*, eo quòd paveantur, idest cædantur: Unde & pavor dicitur, quia cædit cor. Distant autem *Pavimenta* ab *Ostracis*; nam Ostracus est pavimentum testarum, eo quòd fractis testis calce admisto feriatur; testæ enim Græcè *Ostraca* dicuntur. Hæc autem exigua verba me de Pavimento dixisse sufficiat. Nunc ad obitum jam dicti Episcopi stylo propria revertamur. Dum ipsam Ecclesiam consummasset, variis pulchrisque figuris eam decoravit, atque in honorem Domini & Salvatoris ipsam dedicavit; ejusque confratris Felicis, & multis aliis corporibus Sanctorum ipsum sacratissimum Altare replevit. Sed dum feliciter ipsam jam dictam Sedem X. (5) annis, & mensibus VI. gubernasset, eum divina pietas vocavit, atque tenebras reliquit Mundi, & perpetuam lucem adeptus est. Interim quæ obmisimus, subtiliùs nunc perquiramus.

CAP. LXXXV.

ADemarius jam dictus unà cum conjuge sua *Guimeltruda* nomine, avaritiæ, simulque & discordiæ labe fœdati erant, atque suos subditos variis casibus cruciabant. In tantum enim Guimeltruda exarserat in avaritiam, ut si quislibet homo sinè herede illo tempore fuisset, & illi intimatum esset, suo viro protinus nuntiabat, & sive prædium, sive supellectilem defuncti, sicuti mos est per Præceptum, statim ab ipso ipsa obtinebat. Et si eam aliquis efflagitaret, ut virum suum rogaret, tale ipsa quid responsum reddebat asserens: *Minimè pro vestris partibus res ipsas accipere volui, sed magna postulans, res ipsas nos denique à parte viri mei obtinemus*. Dum talia Salernitani manifestiùs cognovissent, multi ex eis exinde in unum sunt congregati, atque inter se exinde colloquebantur de tanta cupiditate; sed minimè valebant mox in eum consurgere, licèt ante illius obtutum mœsti sistebant. Ipse verò Ademarius sæpe dictus, unà cum sua, ut diximus, conjuge, dum plurimas opes congregassent, plus magìs ad ipsas congregandas animos accendebant, ita ut pro re denique parva amiserint magna. Quid multa referam? Mortuo bonæ memoriæ *Præsule Bernardo*, statim *suum filium Petrum* (6) electum sublimarunt, & quemadmodum præerant Laicis, ipsi etiam Clericis præesse cupiebant. Sed non in longum eorum facinus permansit. Demum Salernitani omnes in unum congregati, & invicem inter se colloquebantur, quatenus in dolo suum Principem comprehenderent, annectentes: *Nituntur imponere jugum in cervicibus nostris, & omnia quippe funditus suis ditionibus congregant, & nostros sermones derident*. Vereor, ne fortè à sagacissimo viro, qui liberalibus disciplinis apprimè est imbutus, *imponere* reprehensionem habeat. *Imponere* est aliquid, sive incorporale, vel corporale alteri rei ponere super; sed & *Imponere* per fraudem facere aliquando dicitur: unde & impostura, ut cùm ar-

(4) Nempe Saracenorum Duce, sive *Soldano*, qui, uti vidimus, *Siconolfo* Salerni Principe vivente, hoc est inter Annum 841. & 851. in Calabria incubabat; & nunc dicitur Legatos misisse ad *Siconem* & *Petrum Principes Salernitanos*, qui post Annum 851. Principatum tenuere, sed paucis annis. Hinc iterum habes, quibus temporibus floruerit *Bernardus Episcopus*, cujus Sedis initium Ughellius & Musca altero ineunte Seculo commemorarunt.

(5) Non ergo *XXXII*. ut Ughellius scripsit.

(6) Heic iterum deprehendimus Ughellium e via aberrantem. Statuit enim Bernardi Salernitani Episcopi successorem *Rachenaldum*, quum teste Anonymo nostro ei *Petrus* successerit, Ademarii Principis filius; & quidem ante Annum 861.

argentum, aurumque violari & adulterari dicitur; & qui hoc facit, impostor vocatur. Unde & vulgò, qui aliquid fraudis facit, aut simile, à cunctis solet impostor appellari: unde Beatus Gregorius inter ceteros sic ait: *Cœpit illum Simulatorem, & verbo rustico Impostorem clamare*. Item in Genesi: *Et quare imposuisti mihi; tu es enim Saul*: hoc est, quare me simulatione decipere, & fraudem facere voluisti? Et Sanctus Augustinus: *Ideo miser sibi imponit; sibi enim fraudem facit, qui perdit meliora, amando pejora*: credo enim, quia sufficiunt testimonia prolata.

CAP. LXXXVI.

AT Salernitani uno agmine incedentes, suum Principem Ademarium comprehenderunt, & in ardua custodia eum incluserunt, omnes enim exosum habebant, & minimè unusquisque se perturbat; & ut diximus, pro exigua re perdiderunt etiam ampla. Postremò lumen oculorum amisit. Cùm verò talia patrata fuissent *Dauferius* quidam *Mayonis filius*, qui fuerat *Gauferis* germanus, omnimodo satagebat unà cum collectaneis suis, ut Principatum Salernitanum arriperet. Sed dum diu exinde cum suis sodalibus decertaret, quamvis finè effectu Principatum gestare maluerit, ipsum *Dauferium Principem* sublimarunt; & quasi si fuisset firmatum de omnibus, in Palatio manebat. Hoc autem factum est finè Salernitanorum nutu, quia juvenes illi Beneventani fuerunt, & partim à Selernitanis suffragium habuerunt. Sed cùm talia Salernitani cognovissent, ut finè eorum suffragio Princeps sublimatus fuisset, exinde in unum conjuncti sunt, & dum simul de prædicta re sermocinarentur, & *Guaiferius* patruus jam dicti Dauferii inter eos esset, ipse Guaiferius tale fertur dedisse responsum: *Usque nunc partem cum Tyranno habuimus: & Tyrannum elegerunt. Valde etenim nobis stultum esse videtur, & nobis nostrisque filiis oppressionem fore si eum illico non ejicimus foràs*; Sed dum Salernitani hujusmodi verba captassent, valde se exinde perturbaverunt, atque in hunc modum verba promserunt. *Nos pariter super eum irruamus, eumque citiùs per vim foràs ejiciamus; & qualem competentem postmodum nobis Principem sublevemus*. quidquid multa dicam? Cum magna virtute Palatium ascenderunt, atque Dauferium cum suis, ut diximus, hinc inde stipatum in throno residere reperierunt. Cui pro cunctis Guaiferius sic pectore fatur: *Dic mihi*, inquit, *Dauferi, quis tibi temerarius ausus est promere, ut in tantam vesaniam curreres*? Et statim cum furore ei præcepit, quatenus finè mora exinde exiliret. Ille verò, quamvis cum timore, ei respondit: *Isti comites fratres quamvis indignum elegerunt me sibi in Principem*. At illi cum grandi strepitu omnes super eum irruerunt, eumque protinus comprehenderunt, & eos, qui eum adjuvare conabantur, fustibus attriverunt; & sic Dauferium cum suis germanis in obscura carcere recluserunt. Cùm namque talia peracta fuissent, omnis Populus, necnon & sublimes unà omnes, *Guaiferium* (7) *Principem* sublimarunt. Ademarii filius, qui fuerat ordinatus electus, Petrus nomine, cùm accidisse patri quæ supra jam diximus, audiret, etiam ille vero metu perculsus Sanctum Angelum, qui situs est in monte, qui Aureus dicitur, cum exiguis Cleris vênit. Sed dum Guaiferium Principem fuisse factum innotuit, statim ille misit, quatenus illum apprehenderent. Sed dum illuc bis terque misisset, & ob loci munitionem eum apprehendere minimè valuisset, tamdem spontanea voluntate ipse Petrus ipsorum manibus se nimirum tradidit. At illi comprehenderunt eum, Salernumque adduxerunt. Sed quid de illo factum sit, penitus ignoramus, videlicet utrum eum damnaverint, an illæsum illum ire permiserint: plura ferunt plurimi.

CAP. LXXXVII.

R *Adelchis*, ut supra diximus *Beneventanus Princeps*, dum tenuisset Principatum Samnitum per annos XI. & menses XI. ex hac luce extinctus (8) est. Ejus filium *Radelgarium* Beneventani Principem sublimarunt. Et ipse denique præfuit illis Princeps annos III. & menses VI. Sed quæ prœlia gesserint, cujusque fortitudinis fuerint, minimè ad notitiam nostram usque pervênit. Sed dum Radelgarius (9) extinctus de hac luce fuisset, *Adelchis* frater ejus Principatum Samnitum obtinuit. Dum verò Principatum summum obtinuisset, statim fœdus firmissimum cum Guaiferio iniit, atque pari consensu legationem *Ludovico* miserunt *Regi*, quatenus cum valido exercitu veniret, & unà cum ipsis Agarenos de finibus Italiæ exturbaret, quia eam valere jam denudatam habebant.

CAP. LXXXVIII.

DUm in hunc modum *Ludovico Regi* delatum fuisset: diu venire distulit. Hac tempestate Imperator Constantinopolitanus erat ipse *Basilius*. Dum ipse Basilius cerneret ab Agarenorum manibus Calabriam, simulque & Apuliam esse detentam, & nullo modo per suos subditos illos exinde ejicere valeret, legationem & ipse Ludovico Regi protinus misit, quatenus cum suo exercitu veniret, & Agarenos de Ausoniæ finibus suâ potentiâ ejiceret, munera infinita illi mittens. Cùm verò Ludovico Regi munera simulque & epistola ei prolata fuissent, & jam bis exinde & ter à Principibus jam dictis efflagitatus vehementer fuisset: statim universum suum exercitum congregari jussit in unum; moxque Romam properavit, & non exigua munera in Sedem sacratissimam Beatorum Apostolorum obtulit; & à Papa, qui tunc in tempore aderat, oleo (10) un-

(7) Hic anno 861. Principatum Salernitanum iniit.
(8) Scilicet Anno 852.
(9) Cujus mors in Annum 854. incidit.
(10) Exploratum jamdiu est, Ludovicum II. Augustum Anno 850. a Leone IV. Romano Pontifice Imperiali corona redimitum fuisse. Attamen Salernitanus noster vel post illum Annum nominare pergit eumdem tantummodo *Regem*. Id ab eo factum puto, quod Ludovicus vivente adhuc Lothario I. Augusto patre suo, Romanorum Imperator inunctus fuerat; ac propterea Historicus noster eum, post patris mortem, rursus coronatum censuit. Constat etiam ex Annalibus Bertinianis Tom. II. Collectionis hujus eumdem Ludovicum Romae Anno 873. a Johanne VIII. Papa coronam accepisse. Sed coronatio ista aut Imperatoria non fuit, aut certe post bellicam Ludovici expeditionem heic enarratam peracta. Quare quid heic sibi velit Chronographus iste, non intelligo.

unctionis est unctus, coronaque suo capite septus, & ab omnibus Imperator Augustus nimirum est vocatus. Dum verò talia fuissent ordinata, cum valido, ut diximus, exercitu ad Campaniæ fines vênit, & suum adventum nuntiandum Principibus misit, quatenus & ipsi cum suis hominibus ad bellum se præpararent.

CAP. LXXXIX.

CUm aliquo tempore Dauferius prænominatus unà cum suis germanis tenti essent in carcere cum ingenti dolore, taliter prorumpunt in verba: *Pro nulla alia re nos in vinculis macerat nefandissimus noster patruus Guaiferius, nisi ut nostras opes sibimet societ: quod facere omnimodo non prævalet*. Ut verba inepta Principi Guaiferio fuissent comperta, valde iratus est, & in verbis talia promit: *Nisi protinus omnes facultates illorum ante nostram ditionem præsentaverint, illico eos lumine cœli privari facio*. Sed ut germani minas Principis comperissent, statim omnes suas opes ante illius obtutum venire faciunt. At Princeps continuò à loco, in quo nexi erant, jussit absolvi, & ante suum aspectum jussit venire, & in hunc modum verba prædixit: *Opes vestras tollite, & ubi vobis competens videatur, pergite. Tantùm in nostra arva minimè nimirum morate*: At illi, licèt cum mœrore, Neapolim adierunt.

CAP. XC.

DUm Principi Guaiferio adventus Imperatoris Ludovici fuisset cognitus, protinus in diversis suis finibus misit, quatenus omnes in civitatem, ubi ipse degebat, sine dilatione properarent. Dum omnes simul in unum adiissent, ipse Princeps in hunc modum promit tunc talia dicta: *Dicite*, inquit, *mihi fideles meique consanguinei, qualiter, vel quomodo Imperatorem Ludovicum recipiamus*, etenim, *ut mihi relatum est*, *Ademarium nobis illæsum poscere cupit*. At illi in hunc modum Principi verba promserunt: *Nos Domine ante rem talia operemus, ut illæsum ipse Imperator Ademarium minimè reperiat*. Et statim rem ipsam *Rachanaldo* (11) *Episcopo* indicare studuerunt; erat siquidem Rachanaldus in hac Sede Salernitana Episcopus ab ipso Guaiferio præordinatus. Fuerat denique inclusus, non pro alia re, sed pro perpetua vita. At ubi etiam intimatum fuisset, ut Præsulatus honorem ipse gereret, ex improviso inde exiit, & ad tantæ sublimitatis fastigium ipse pervênit. Sed ut eum interrogaverunt, utrum Ademario, qui in carcere nexus erat, eruerent oculos, an non, ipse prædiceret: (ipse in hunc modum verba depromit:) *Non dico, ut illius oculos eruatis; sed tantùm fuerat bonum, si minimè ille lumen aspexisset*.

CAP. XCI.

IGitur Princeps Guaiferius collecta multitudine Imperatori Ludovico obviam exiit haud procul à Salernitana urbe ad locum, cui Sarnum nomen est. Utrique inibi in unum venerunt. Prædictus autem Imperator Ludovicus Ademarium ab ipso Principe expetiit, quatenus illæsum illum suis vivumque traderet. Cui Princeps; *Quid est, quod Dominus noster ipsum nimium anxiè quærit? Est namque jure privatus, & vestræ Sublimitati jam quid est opus?* Et è vestigio nimirum clam ipse Guaiferius famulos suos Salernum misit, & in arduo carcere Ademarium luce privarunt justo Dei judicio. Nam Redemtor noster Petro sic ait: *Omnis enim, qui acceperit gladium, gladio peribit*. Ademarius jam fatus unà cum suo genitore *Siconem liberum Siconolfi* Galliæ extorrem fecerunt; postremò per haustum lethalem eum fecerunt spiritum exhalare. Genitor prædicti Ademarii, ut diximus, Siconem salvum facere præstiterat bis terque jusjurandum suo genitori. Unde hortamur, atque omnibus modis vos fideles omnes non modicè obsecramus, ut Prælatis omni moderamine subjiciatis, atque fidem servetis, dicente Apostolo: *Subditi estote omni creaturæ* (subaudi omni homini): quanto magìs illi, cui fidem accommodatus es? Ea interim, quæ obmisimus, rursus indagemus.

CAP. XCII.

ET ut certo certiùs Imperator Ludovicus Ademarium effossis agnovisset oculis, cum omni suo exercitu Beneventum (12) abiit, dignèque eum *Beneventi Princeps Adelchisius* accepit. Atque cum ipso Imperatore ipsi Principes Apuliam properarunt, & civitatem Barim, ubi Sagdan Agarenus cum non paucis degebat, cum omni conamine undique constrixerunt, & variis machinis expugnare cœperunt. Hiis itaque gestis prædictus ille *Rachinaldus Episcopus* sæpissimè Ecclesiam Dei Genitricis nocte, dieque pergebat, & pro suis delictis Dominum indesinenter efflagitabat. Factum est autem, ut ex more intempesta nocte Ecclesiam jam dictam introiisset, atque ante vestibulum jam fessus resideret: illico apparuit ei Mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus cum immenso splendore. At ille ut eum conspexit, obriguit, & in faciem ruit. Cui Dominus trina voce prædixit: *Scis meum nomen*? Idem Episcopus: *Scio, & verè scio*. Ad hæc Redemtor subjunxit: *Utinam fuisses calidus, aut frigidus*: hoc est nec in Fide fervidus, nec in totum fidelis. Hæc dicens cœlo receptus est. Prædictus ille Præsul statim clanguit, & cuncta, quæ ei dicta fuerant à piissimo Domino, suis Clericis enodavit. At illi cognoverunt, quòd pro nulla alia re Redemtor talia dignatus est promere, nisi ut suos fideles enormiter à recto tramite deviantes duceret, atque suis Electis denique sociaret.

CAP.

(11) Quem electum Salernitanum Episcopum Anno 942. Ughellius scribit. Quam male calculos ille inierit, aut Gaspar Musca, qui in Salernitanorum Praesulum Vitis contexendis ei praeluxit, Lector, vel me tacente, intelliget, quum Rechanaldus floruerit, antea quam Ludovicus II. Augustus ab Adelgiso Principe Beneventano fuerit ignominiose captus, hoc est ante Annum 871.

(12) Expeditio haec Ludovici II. Augusti in Saracenos referenda videtur ad Annum 866. vel ad sequentem. Annales enim Bertiniani hoc innuere videntur. Vide etiam Chronicon Vulturnense part. II. Tom. I. pag. 403.

CAP. XCIII.

Imperator jam dictus Ludovicus unà cum ipsis Principibus Apuliam, simulque & Calabriam properarunt, atque minutas civitates suo dominio pacificè subjecit, & quotquot ex Agarenis reperiunt, denique trucidavit; Sed imminente peccato Neapolitani Agarenos suscipiunt, alimentaque illis nimirum præbent. Expulsis, ut diximus, Agarenis ab Italia tamen Barim, ubi ipse Sagdan præerat, & aliquantæ aliæ civitates illis omnimodo resistebant propter Agarenorum metum. Sed ut cognovisset ille Imperator, quòd minimè Barim expugnare valeret, & quòd non haberet marinos hostes, statim Constantinopolim Basilio Imperatori legationem misit, quatenus sinè mora navalem exercitum mitteret, ut Barim unà cum ipso posset atterere. *Basilius Imperator Græcorum*, ubi hujusmodi verba captasset, valde gavisus est, atque sinè mora non pauca scelendria misit, & qui illis præesset, quemdam *Patricium Gregorium* nomine direxit, eumque admonuit, ut solerter invigilaret, & strenuè pro suo posse decertaret. Ille verò unà cum suis blandissima æquora omni nisu sulcantes, Barim adierunt, & ab Australi parte undique eam obsederunt. Cùmque per multos dies undique eam obsiderent, atque variis machinis Langobardi, Francique scilicet expugnarent: idem Imperator Basilius quemdam Johannem Patricium Imperatori Ludovico Legatum misit, atque ad eum vehementer redarguendum direxit, eo quòd ipse Ludovicus se *Imperator Augustus* in epistolis, quas dudum ipsi Basilio direxerat, scribi jusserat; & quòd pauci essent, & sic infimi, ut si Græcorum exercitus ad illos adire potuissent, & si ferrei Franchi fuissent, Græci labentes sinè dilatione ad nihilum deduxissent. Ille namque Ludovicus confusionem sufferre non valens Autprandum fidelem ac familiarem suum cum luciflua Epistola Constantinopolim direxit, ut de omnibus, unde illum redarguendo miserat, mira relatione dicta ejus compesceret: & ideo illam huic Historiæ innectere facimus.

CAP. XCIV.

„ IN nomine (13) Domini nostri Jesu Christi Dei æterni. Ludovicus divina ordinante providentia Imperator Augustus Romanorum. Dilectissimo, spiritualique fratri nostro Basilio gloriosissimo, & piissimo æquè Imperatori novæ Romæ. Probabile quidem, & laudabile constat, aliquem fratrem fratris monitis quasi quibusdam flatibus ad ignem Caritatis accendi; probabilius autem est, sic ipsius ultroneæ voluntatis ad hoc motibus inflammari. Sed probabilissimum est, quandocumque viam quemquam virtutis arripere, & magis magisque miris successibus in sublime proficere. Nam ille semper miles à Duce magis diligitur, qui post veniens hostium vires fortiter premit, quàm is, qui maturiùs quidem accessit, sed fortè aut nihil, aut certè modicum gessit. „ Secundùm quam regulam divinitus sublimatum Imperium nostrum ex die, qua cœpit erga fraternitatem tuam dilectionis radicem in corde suo plantare, multiplices fructus exhibere non destitit, non minùs quàm quæ nostra, quàm quæ vestra sunt procurans & vendicans. Quamvis quæ circa Missos nostros de tua familiaritate, & benignitate te gloriaris egisse: nos priùs erga *Johannem famosissimum Patricium* gessisse patescat; quem revera non sicut amicum, vel quemadmodum fratris, idest Imperii tui hominem, sed quasi consanguineum nostrum, & tamquam Excellentiæ tuæ sobolem tractavimus, & dileximus; nec hunc penes nos positum aut tarditas umquam temporis, aut intima locorum à penetralibus nostris fecere extorrem. Ceterùm spiritualem fraternitatem tuam miramur tot sermonum ambages contentiosiùs adversùs Apostolum prætendentem qui dicit: *Si quis vult contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus*; Neque Ecclesia Dei; cùm Imperii dignitas apud Deum non in vocabuli voce, sed in culmine pietatis gloriosa consistat; nec nobis quod appellatu mirandum, sed quod sumus, providendum. Verùm quia de Imperatorio nomine multa nobis scripsisti, cogimur & nos quoque ad scripta tua quædam rescribere, ne si usquequaque super hoc siluerimus, non ut contentionem vitantes, sed quasi ratione convicti, siluisse ab insipientibus videamur.

CAP. XCV.

„ INdicat itaque dilectio tua, se maledictum Legis pavescere, & idcirco terminos æternos transferre, & veterum Imperatorum formas commutare, ac præter canonica, ac paterna præcepta conversari renuat & recuset. Et tamen qui sunt illi, vel ubi, vel unde fuerunt prolati termini æterni, vel veteres formæ, aut illa canonica, ac paterna præcepta, minùs apertè declarat, nisi fortè super Imperatoris nomen velit hæc cuncta sentiri. Verùm apud nos multa lecta sunt, multa quidem indefessè leguntur: numquam tamen invenimus terminos positos, aut formas, aut præcepta prolata, neminem appellandum *Basileum*, nisi eum, quem in Urbe Constantinopoli Imperii tenere gubernacula contigisset, cum singularum gentium monumentis, interim postpositis, sacræ nobis affluenter Historiæ monstrent, plurimos fuisse *Basileos* nuncupatos, & non solùm electos quosque, quales videlicet fuere Melchisedech, & David, verùm etiam reprobos, quales Principes Asyriorum, Ægyptiorum, Moabitarum, & ceterarum nationum (quas dinumerare longum esset) exstitisse probantur. Ergo cùm ita sit, frustra causandum ducit prudentia tua, alios præter te *Basileos* non appellandos, nisi fortè radendos ducat totius Codices Mundi, in quibus penè cunctarum gentium Principes à temporibus priscis, & deinceps *Basilei* inveniuntur scripti. Et certè ut de Latinis „ Co-

(13) Epistolam hanc Cardinalis Baronius in suos Annales antea integram intulit ad Annum 871. ex hoc eodem Chronico excerptam. Du-Chesnius quoque inter monumenta Scriptorum Francic. Tom. III. eamdem exhibet. Rursus heic ipsam accipere, Lectorem non pigebit, quum multa habeat Codex noster, unde Baronianae editioni plurimum lucis ac subsidii accedat. Ego paucula tantum attingam.

„ Codicibus interim taceamus : si Græcos , & noviter editos , revolvas Codices , invenies procul dubio plurimos tali nomine vocitatos , & non solùm Græcorum , sed & Persarum , Epirotarum , Indorum , Bithyniensium , Parthorum , Armeniorum , Saracenorum , Æthiopum , Guandalorum , & Gothorum , atque aliarum gentium Prælatos *Basileorum* appellatione veneratos . Intuere igitur , frater , & considera , quòd multi fuerunt . qui *Basilei* diversis temporibus , & in diversis locis , & nationibus nuncupati sunt , vel hactenus nuncupantur . Et noli vel nobis , quòd dicimur invidere , vel tibi singulariter usurpare , quod non solùm nobiscum , sed & cum pluribus Præpositis aliarum gentium possides . Grave namque vitium est , singularis dignitatis fastigium , quod qui in principio ambierit , quid ei , ambiendo talia , contigerit , commemorare nolumus , ne fraternitas tua commemoratum ad injuriam suam existimet .

CAP. XCVI.

„ Dicis autem , quòd quatuor Patriarchales Sedes , unum Imperium inter sacra mysteria memorari , à Deiferis Apostolis usque nunc traditum habeant . Moxque hortaris , ut persuadeamus eis , quòd nos *Imperatorem* appellent : quod tamen nec ratio dictat , nec opus est . Primò quidem , quia nobis non congruit alios , qualiter nos vocent instruere ; deinde verò quia nobis etiam minimè suadentibus tam Patriarchas singulos , quàm ceteros homines , qui sub cœlo sunt , excepta fraternitate tua , tam honoratos , quàmque privatos , tali nos novimus appellare cognomine , quoties eorum accipimus Epistolas , & Literas invenimus ; præsertim cùm & ipsi patrui (14) nostri gloriosi Reges absque invidia Imperatorem nos vocitent , & Imperatorem esse procul dubio fatentur , non profectò ad ætatem , qua nobis majores sunt attendentes , sed ad unctionem & sacrationem , qua per Summi Pontificis manus impositionem , & orationem divinitus sumus ad hoc culmen provecti , & ad Romani Principatus Imperium , quo superno nutu potimur , aspicientes . Porrò si unum Imperium Patriarchæ inter Sancta Sacramenta & sacrificia memorant , laudandi sunt , non utique inconvenienter agentes ; unum est enim Imperium Patris , & Filii , & Spiritus Sancti , cujus pars est Ecclesia constituta in terris , quam tamen Deus non per te solum , nec per me tantùm gubernari disposuit , nisi quia sumus tanta ad invicem caritate connexi , ut non jam divisi , sed unum existere videamur . Non autem credimus , Sanctissimos Patriarchas sic tui memoriam facere , ut aliorum quoque Principum (ut mittamus nostram) mentionem prætereant , cùm pro hujusmodi etiam Apostolus orare jusserit , cùm persequerentur Ecclesiam , ut securam & tranquillam vitam agerent cum omni pietate : præsertim cùm eos etiam pro impiis orare non diffidamus , sub quorum ditione consistunt , sicut Judææ quoque Populus in Babyloniam ductus pro Rege Babyloniæ per Hieremiam jubetur orare ; nam in illorum pace fidelis etiam populus constituit pacem .

CAP. XCVII.

„ Illud autem mirari meritò possumus , quòd tua Sublimitas ad novam vel recentiorem appellationem aspirare nos autumat , cùm quantum ad generis lineam pertinet , non sit novum , vel recens , quod jam ab avo nostro , non jam usurpante , ut perhibes , sed Dei nutu , & Ecclesiæ judicio , Summique Pontificis per impositionem , & unctionem manus obtinuit , sicut in Codicibus nostris invenire facilè poteris . Verùm quid mirum , si novum sit , cùm omne vetus à novo principium habeat , & non novum à veteri . Et certè cùm primi Romani Principes imperare cœperunt , novum fuit ; Sed de die in diem devênit in vetustatem . Non ergo quæcumque novitas in culpa est , sed reprehensibilis injusta novitas . Unde & Apostolus cum dilecto discipulo scriberet , non ait : *Vocum novitates devita* ; *sed profanas vocum novitates devita* . Sanè antiquam esse nostri Imperii dignitatem , nullus ambigit . qui vel nos successores antiquorum Imperatorum esse non nescit , vel divinæ pietatis divitias non ignorat . Nam quid mirum , si in fine temporis palàm exhibuit , quod ante tempora in abdito consilio suo prædestinavit ?

CAP. XCVIII.

„ Sed nec hoc ambitione caret , quod asseris , Principem Arabum *Protosymbolum* (15) dici , cùm in voluminibus nostris nihil tale reperiatur & vestri Codices modò *Architon* , modò *Regem* , vel alio quolibet vocabulo nuncupent . Verùm nos omnibus Literis Scripturas Sacras præferimus , quæ per David non *Protosymbolos* , sed *Reges Arabum* , *& Saba* perspicuè confitentur . *Chaganum* (16) verò non *Prælatum Avarum* , non *Cazarorum* , aut *Nortmannorum* nuncupari reperimus , neque *Principem Bulgarum* , sed *Regem* , vel *Dominum Bulgarum* . Quæ omnia idcirco dicimus , ut quàm aliter se habeant , quæ scripsisti legens in Græcis voluminibus ipse cognoscas , quos nimirum suis cognominibus acquiescere perhibes , nec tamen propria ipsorum cognomina recolis . Verùm idcirco ab his , & ab omnibus astutè *Basilei* debitum vocabulum adimis , ut hoc soli tibi non tam propriè , „ quàm

(14) Ii erant Carolus Calvus Franciae Rex , & Ludovicus Germaniae Rex .

(15) Certe in Historia Miscella Tom. I. pag. 138. Collectionis hujus legitur : *Mortuus est Mubavias Protosymbolus Saracenorum* &c. Ideſt *Amira* , sive Princeps . Utuntur hac voce non pauci ex Scriptoribus Historiae Byzantinae . Vide Du-Cangium in Glossario Graeco .

(16) Uti adnotatum a Valesio ad Panegyricum Berengarii Tom. II. pag. 393. Collection. hujus , *Hunni* ac *Avares* eadem gens fuere , qui postea *Hungri* seu *Hungari* appellati sunt , & adhuc appellantur . Eorum Reges olim *Chagani* , seu *Cagani* , & *Cacani* appellatione singulari distinguebantur , ex *Cham* seu *Can* derivata , quae *Principem* significat Paulus Vvarnefridi Lib. IV. Cap. 39. de Gest. Langobard. *Rex Avarorum* , *quem sua lingua Cacanum appellant* . Sigebertus quoque ad Annum 520. scribit : *Ab hinc Regnum Hunnorum annotare cessabo* , *quia omnes gentis illius Reges Caganos vocatos lego* . Alios testes omitto .

„ quàm violenter inflectas. Illud autem ridere libuit, quod de Imperatoris nomine dixisti, neque paternum esse, neque genti convenire. Quomodo enim paternum non est, quod jam in avo nostro paternum fuit. Quomodo autem genti non conveniat, cùm sciamus, ut de ceteris brevitatis gratiâ taceamus, ex Hispanorum, Isaurorum, & Cazarorum gente imperatores Romanos effectos? Neque enim veraciter asseverabis, Nationes has gente Francorum aut Religione, aut Virtutibus clariores; & tamen admittere non renuis Imperatores ex hiis, & prædicare non despicis. Porrò de eo, quod dicis, non in tota nos Francia imperare, accipe, frater, breve responsum. In tota nempe imperamus Francia, quia nos procul dubio retinemus, quod illi retinent, cum quibus una caro, & sanguis sumus, ac unus per Dominum spiritus. Præterea mirari se dilecta fraternitas tua significat, quòd non *Francorum*, sed *Romanorum Imperator* appellemur. Sed scire te convenit, quia nisi Romanorum Imperator essemus, utique nec Francorum. A Romanis enim hoc nomen & dignitatem assumsimus, apud quos profectò nimirum primò tantæ culmen sublimitatis, & appellationis effulsit, quocumque gentem & Urbem divinitus gubernandam, & Matrem omnium Ecclesiarum Dei defendendam, atque sublimandam suscepimus, à qua & regnandi priùs, & postmodum imperandi auctoritatem prosapiæ nostræ seminarium sumsit. Nam Francorum Principes primò Reges, deinde verò Imperatores dicti sunt, hi dumtaxat, qui à Romanis Pontificibus ad hoc Oleo Sancto perfusi sunt. In qua etiam Carolus Magnus abavus noster unctione hujusmodi per Summum Pontificem delibutus, primus ex gente & genealogia nostra, pietate in eo abundante, & Imperator dictus est, & christus Domini factus est; præsertim cùm sæpe tales ad Imperium sunt adsciti, qui nulla divina operatione per Pontificum ministerium, propositi solùm à Senatu & Populo, nihil horum curantibus, Imperatoria dignitate potiti sunt. Nonnulli verò nec sic, sed tantùm à militibus sunt clamati, & in Imperio stabiliti sunt, ita ut etiam eorum quidam à fœminis, quidam autem hoc, aut alio modo, ad Imperii Romani sceptra promoti sunt.

CAP. XCIX.

„ POrrò si calumniaris Romanum Pontificem, quòd gesserit: calumniari poteris & Samuel, quòd spreto Saule, quem ipse unxerat, David in Regem ungere non renuerit. Verùm super hoc si est, qui Summo Pontifici saltim unum faciat (17) motum, congruo profectò illius non carebit responso. Sed interim si paginas revolvas Græcorum Annalium, & (18) quæ indiscriminatè ab alienis, per vos nequaquam defensi, & quæ à vestratibus Pontifices Romani pertulerunt, perscruteris, profectò invenies, unde illos justè non valeas redarguere. Verùm hæc illi, quæ extrinsecus agebantur, facilè parvipenderunt; nisi quæ intrinsecus per diversas hæreses perimere conantium molimina deprehenderunt. Unde meritò Apostatis desertis (quæ enim communicatio Christi cum Belial?) adhæserunt genti adhærenti Deo, & ipsius Regni fructus facienti. Quoniam personarum non est acceptor Deus, sed ut eximius Apostolus innuit, *in omni gente qui timet Deum, acceptus est illi*. Ergo cùm ita sit, cur nos fatagis reprehendere, quoniam ex Francis oriundi, Romani moderamur habenas Imperii, cùm in omni gente qui timet Dominum, acceptus sit illi? Et certè Theodosius major, & filii ejus Arcadius, & Honorius, atque Theodosius minor Arcadii filius ex Hispanis ad Romani Imperii culmen assumti sunt: & tamen non invenimus, quòd aliqui clamaverint, vel reprehenderint Theodosium, quòd non Romanus, sed Hispanus existeret, vel restiterint, vel prohibuerint filios ejus in loco patris, & honore succedere: quemadmodum, ut (cum pace tua dicamus) nunc tua conari videtur diligenda fraternitas, & sustinenda dilectio, quasi gens Francorum non pertineat ad hereditatem, de qua Pater ad Filium loquitur: *Postula*, inquiens, *à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam*, & cetera. Et alibi: *Glorificantes me glorificabo*, & alia innumerabilia.

CAP. C.

„ ERgo frater carissime, desine in hoc contentiosiùs agere; desine adulatoribus quibusque aures tuæ pietatis inflectere. Denique gens Francorum multos & fœcundissimos Domino fructus attulit, non solùm citò credendo, verùm etiam nonnullos alios salutiferè convertendo. Unde vobis à Domino jure prædictum est: *Auferetur à vobis Regnum, & dabitur genti facienti fructus ejus*: Sicut ergo potuit Deus de lapidibus suscitare filios Abrahæ, ita potuit de Francorum duritia suscitare Successores Imperii. Et sicut si christi sumus secundùm Apostolum, Abrahæ semen existimus, ita si sumus christi, omnia possumus per gratiam ipsius, quæ possunt illi, qui videntur existere christi. Et sicut nos per Fidem Christi Abrahæ semen existimus, & Judæi per perfidiam Abrahæ filii esse desierunt: ita quoque nos per bonam opinionem, idest Orthodoxiam, regimen Imperii Romani suscepimus. Græci verò propter Cacodoxiam, videlicet malam opinionem, Romanorum Imperatores existere cessaverunt, deserentes non solùm Urbem & Sedem Imperii, sed & gentem Romanam, & ipsam quoque linguam amittentes, atque ad alia transmigrantes.

CAP.

(17) Baronius legit *unum faciat muttum*, & asterisco adjecto vitiatam vocem monet. Sed revera retinendum *muttum*, quam vocem Italica & Gallica Lingua adhuc servant, nempe *Motto*, & *Mot*. Antiquitatem autem vocabuli hinc intelligis. Cornutus in Persii Satyr. I. *Proverbialiter dicimus*: *Muttum nullum emiseris*; *idest verbum*. Consule Menagium in Origin. Linguae Italicae. Supra etiam vidimus *clamati*: nunc dicimus *chiamati*.

(18) Est apud Baronium: *utique discriminatos ab aliis, per quos* &c. Nullus ibi sensus. Amplectere lectionem Codicis nostri.

CAP. CI.

Sed ne, frater desiderabilis, tristitia cor tuum repleat, audi sequentia: quia *non repulit Deus plebem suam, quam praescivit*. Dico ergo, numquid sic offenderunt, ut caderent? absit. Sed illorum delicta honor noster, & diminutio ipsorum plenitudo nostra effecta est. Cùm enim fracti sunt rami, nos inserti sumus in illis. Cùm oleastri quidem amodo fuissemus, & socii radicum, & pinguedinum olivae effecti sumus. Dicimus ergo: fracti sunt rami, ut nos insereremur: & bene. Non enim nisi propter credulitatem non rectam fracti sunt; nos autem fide stamus. Qui habet aures audiendi, audiat. Sed dicis, quòd esset tempus, secundùm quod fraternitati nostrae repromiseris, quando & hac potiremur appellatione, si Deus ad finem ea, quae consiliati sumus, perducere voluisset: equidem de consilio, quod asseris, quae diximus, haec ipsa & nunc dicimus; Non enim est in nobis Est, & Non, & à Verbo nostro nec ad dexteram, nec ad sinistram divertimus; sed in ipso immoti persistimus. Appellationem autem illam, sicut hactenus nec nos, nec patres nostri per carnem & sanguinem possedisse dignoscimur, ita quoque de cetero non immeritò possidere contendimus. Per patres enim nos, & non per filios, consuevimus honorari; & apud nos gloria non à filiis ad patrem, sed à patribus in filios derivatur. Quod enim nos *à Patre luminum, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum*, sumsimus, neque à filio, neque per hominem, aut ab hominibus accipere volumus.

CAP. CII.

Postremò scito, quia qui *Riga* quemque appellat, quid dicat, nec ipse novit. Siquidem etiam si linguis omnibus more Apostolorum, immo Angelorum loquaris, cujus linguae sit *Riga*, vel cui dignitati sonus ille barbarus congruit, quod *Riga* dicitur interpretari non poteris. Nihil enim fortè ad idioma propriae Linguae tractum *Riga Regem* significare monstraveris. Quod si ita est, quia non jam Barbarum, sed Latinum est, oportet ut cùm ad manus vestras pervenerit, in Linguam vestram fideli translatione vertatur. Quod si factum fuerit, quid aliud nisi hoc nomine Basileus interpretabitur? quod non solùm veteris sed novi Testamenti omnes Interpretes attestantur. Unde si in alteris personis hoc detestaris vocabulum, stude ex omnibus tam Latinis libris, quàm Graecis, sive *Regis*, sive *Basileos* nomen eradere.

His itaque super hoc ita praelibatis, obstupescimus in iis quae Serenitas tua prosequitur dicens: Suis, idest Graecis, Barim (19) ex parte sua debellantibus, & elidere decertantibus, nostros vel solùm intuitos, vel prandiis dissolutos, nullum auxilium praestitisse; hancque ideo civitatem capi minimè potuisse: cùm nos sive intuendo tantùm, sive prandendo, sive aliud quid agendo, Barim tamen, licèt perpauci, & sine tenus impugnasse, & ope divina cepisse (20) noscamur. Vestri autem sicut bruchi multitudine apparentes, & sicut locustae primum impetum dantes, eo ipso quo conatum suum in prima fronte monstraverunt, pusillanimitate superati protinus infirmati sunt; & more locustarum repente quidem salierunt, sed confestim fatigati quasi à nixibus volandi deciderunt; ac per hoc neque intuendo, neque prandendo, neque bellando quibuslibet insignibus triumphi monstratis, motu subitaneo & clandestino recesserunt, & inefficaces; nonnulli econtra, Christianis solummodo captivatis, ad propria repedarunt. Ergo, frater noster, noli de cetero Francos ridere, quia etiam inter mortis vicina, student & prandia, & omnia Caritatis indicia proximis exhibere, & tamen à proposito non lentescere; quoniam secundùm Apostolum sciunt abundare, & penuriam pati, & saturari, & esurire, & (ut compendio dicamus) omnia possunt in illo, qui eos confortat.

De paucitate verò quid miraris, si pauci fuerunt, & tamen multa lucra detulerunt? Praeterea qua de re pauci fuerunt nostri, pridem dilectioni tuae patefecimus; sed quoniam nos super hoc pulsasti, denuo nostrum sume responsum. Cùm enim diu demorante Stolo fraternitatis tuae, illius jam minimè praestolaremur adventum, & in anno ipso de obsidione Bari nihil omnino fieri putaremus, omnes ad suas aedes redire permiseramus, hiis solùm retentis, quos ad prohibitionem recipiendorum alimentorum sufficere credebamus. Et hoc est, quòd Stolus insperatus apparens non nisi paucos nostros invenerit. Verumtamen isti pauci, & adhuc pauciores, quibusdam horum diverso languore gravatis, effecti, antequam Baris caperetur, tres Ammireodas, qui totam Calabriam depopulabantur, & innumerosam multitudinem Saracenorum prostraverunt, & magnam vestratibus salutem divino brachio contulerunt. Quare non solùm Calabritanorum, Hismaëlitûm ingens ex tunc facta est diminutio; sed & Barensium potentatus omnimodo dissolutus; ac per id ad capiendum facilis adinventio. Cujus facti trophaea vestros credimus tuo Imperio retulisse, & opera Dei, quae taceri non debent, mirabiliter enarrasse.

CAP. CIII.

Ceterùm fraternitatis tuae dilectionem rogamus, nullam *Nicetae Patricio* molestiam inrogare, pro eo quòd nostrum tam insolenter offenderit animum. Nam licèt adeò protervus, & contumax erga nostrum fue-

(19) Non uno anno obsessum ac oppugnatum a Ludovico II. Augusto *Barium*; qui & variam fortunae aleam ibi sensit. Anno 867. primum ad eam Urbem contra Saracenos castra posuisse videtur. Inde vero fugatus, obsidionem rursus instituit fortassis Anno 869. de qua re vide Chronicon Vulturnense, part. II. Tom. I. hujus Collectionis pag. 403.

(20) Anno 871. (quamquam mihi suspicio erepta non sit de Anno 870.) videtur Barium a Ludovico II. receptum. Et quidem a Francis potius ac Italicis devictam Urbem fuisse hinc intelligimus, quàm a Graecis simul junctis, uti Porphyrogenneta in Vita Basilii Imperatoris scripsit. Quare cum Baronio Epistola haec recte refertur ad Annum 871.

„ fuerit Imperium, ut fidelium quoque no-
„ strorum numerosa multitudo in eum seve-
„ riore mente commoveretur, nisi à nobis
„ causâ tui honoris pariter & amoris præven-
„ ta compesceretur: tamen malum pro malo
„ retribuere non tulimus, nec debemus. Et
„ idcirco te deposcimus, si quid minarum su-
„ per ipsum potestatis tuæ fortassis imminet,
„ celeris benignitatis tuæ manu pro nostro
„ removeatur amore.
„ Non autem tales *Apocrisarios Apostolicæ*
„ *Sedis* esse, vel professio decet, vel eruditio
„ dictat, vel conversatio anteacta demon-
„ strat, quales illos scripta prædicant, quæ
„ nobis fraternitas tua direxit. Electos enim,
„ & approbatos eos tam spiritualis Pater no-
„ ster summus Pontifex, quàm Ecclesia per
„ diuturna tempora scientes, & Ecclesiasticæ
„ correctionis negotia strenuè peragentes, ad
„ preces sublimis à Deo servandi Imperii tui,
„ illos direxisse noscuntur. Unde & decuerat
„ Excellentiam tuam ita munitos eos remit-
„ tere, ut in nullos vel piratarum, vel alio-
„ rum pravorum incursus inciderent: Grave
„ namque contra te super hoc tam spiritualis
„ Patris nostri Apostolici Papæ, quàm totius
„ Ecclesiæ Romanæ murmur accenditur, eo
„ quòd illos à Sede Apostolica tam desidera-
„ biliter expetieris, sed tam improvida dis-
„ pensatione remiseris.

CAP. CIV.

„ ET *Nicetas* quidem *Patricius*, Hadriatici
„ freti servator cum classibus destinatus,
„ accepta quasi pro hujusmodi re occasione,
„ multas prædas ab ipsis Sclavonis abstulit,
„ & quibusdam Castris diruptis eorum homi-
„ nes captivos abduxit. Nec tamen quæ præ-
„ fati venerabiles Apocrisarii perdiderunt, hac
„ tenus restituta sunt. Sanè spiritualem nolu-
„ mus tuam ignorare fraternitatem super ca-
„ stra nostra diruta, & tot populis *Sclavoniæ*
„ (21) *nostræ* in captivitate sinè aliqua parci-
„ tate subtractis, supra quàm dici possit ani-
„ mum nostrum commotum. Non enim con-
„ gruè gestum est, ut eisdem Sclavonis nostris
„ cum navibus suis apud Barim in procinctu
„ communis utilitatis consistentibus, & nihil
„ sibi adversi aliunde imminere putantibus,
„ tam impiè domi suæ quæque sua diriperen-
„ tur, sibique contingerent, quæ si prænosce-
„ rent, nequaquam prorsus incurrerent. Qua
„ de re desiderabilem dilectionem tuam hor-
„ tamur, & admonemus, quòd mox id corri-
„ gere jubeat, & ipsos captivos ad propria
„ cum suis reduci præcipiat, si Caritatis vin-
„ culum numquam inter nos fore cupiat dis-
„ solvendum. Nullus enim mortalium hacte-
„ nus Imperium nostrum (22) talia commisisse
„ recolit; ac per hoc nisi correptionem jussio
„ tua præveniat, justè severitatis nostræ pro-
„ ximè ultio procul dubio subsequetur, nec
„ poterit remanere penitus impunitum, quod
„ in contemtum nostrum tanta temeritate con-
„ stat fuisse patratum.

CAP. CV.

„ NIhilominus etiam innotescimus, obstu-
„ puisse nos, talia de Missis nostris au-
„ dientes, qualia tuæ nobis dulcedinis literæ
„ intimarunt: adeò quippe illos inordinatè
„ significas ambulasse, ut semper evaginato
„ gladio deportato, non solùm jumenta, sed
„ & homines interficerent. Quæ res si ita se
„ habuit, mansuetudini nostræ valde displi-
„ cet, & ut ad certitudinem perducatur, ve-
„ hementer exoptat. Verùm & ipsi diligen-
„ ter à nobis inquisiti, tale quid gessisse mo-
„ dis omnibus negaverunt; & quia non est,
„ qui in faciem illos arguat, non est profectò
„ eis neque convictis, neque confessis, justæ
„ correptionis aliquid ingerendum. Verùm
„ nos illos nec ita educavimus, nec ita docui-
„ mus, ut ad talia, qualia perhibes, labe-
„ rentur, Et ideo de illis quicquam eorum
„ credere facile non judicavimus. Ceterùm
„ indecorum sonuit, quod fraternitas tua per-
„ hibuit dicens, suos non gladiis, sed denti-
„ bus nostros dilaniavisse, nisi causâ timoris
„ tui minimè coërcerentur: cùm si non essent
„ in Imperio tuo, nil tale sibi prætenderent;
„ sed nec in Regno tuo positi quicquam ho-
„ rum penitus formidarent. Quinimmo nec
„ tanti numeri viros, & alios adhuc totidem
„ (Deo gratias) expavescerent.

CAP. CVI.

„ POstremò de *Neapoli* (23) nobis in Chri-
„ sto fraternitas tua monuit, quasi mise-
„ rimus populum nostrum ad incidendas ar-
„ bores, & messes igne cremandas, & hanc
„ ditioni nostræ subdendum. Cùm licèt ab
„ olim nostra fuerit, & parentibus nostris piis
„ Imperatoribus tributa persolverit; verùm
„ nos ab ejus civibus, præter solitas functio-
„ nes, nihil exegimus, nisi salutem ipsorum,
„ videlicet ut desererent contagia perfidorum,
„ & plebem desisterent insequi Christianorum.
„ Nam Infidelibus arma, & alimenta, & ce-
„ tera subsidia tribuentes, per totius Imperii
„ nostri litora eos ducunt; & cum ipsis toties
„ Beati Petri Apostolorum Principis fines fur-
„ tim deprædari conantur, ita ut facta videa-
„ tur esse Neapolis Panormum (24), vel Afri-
„ ca. Cùmque nostri quique Saracenos inse-
„ quuntur, ipsi ut possint evadere, Neapolim
„ fugiunt: quibus non est necessarium Panor-
„ mum repetere, sed Neapolim fugientes,
„ ibidemque quousque perviderint latitantes,
„ rursus improviso ad exterminia redeunt.
„ Super quibus illos sæpe monuimus, sed ex
„ monitione pejores fiunt, adeò ut Episco-
„ pum (25) proprium, quoniam eos, ut vita-
„ rent

(21) Regni Italici fines penetrasse in Histriam quoque & Dalmatiam ex Annalibus Francorum constat. Lata significatione eae etiam Provinciae sub *Sclavoniae* nomine a nonnullis comprehenduntur, fortasse quod & ipsae Lingua Sclavonica utantur. Sed praestare nolim, quin aliqua Illyrici pars, adhuc Italicis Regibus subjecta heic indicetur.

(22) Baronius legit *vestrum*. Quaenam lectio sequenda sit, aliorum judicium esto.

(23) Nempe ea Civitas iis temporibus ab Italico Regno exclusa, a suis regebatur *Ducibus*, qui & *Consules* & *Magistri Militum* appellabantur. Ii tamen supremam Graeci Imperatoris ditionem super se agnoscebant.

(24) Tunc enim Sicilia universa Saracenorum jugo premebatur.

(25) Nempe *Athanasium* spectatae sanctitatis virum, cujus Vitam ac aerumnas descriptas habes a Johanne Diacono in Vitis Episcopor. Neapolit. part. II. Tom. I. Rerum Ital. pag. 316.

„ rent consortia malignorum monitabat, ex „ urbe projecerunt; Illustres, ac Proceres civitatis compedibus obsignarunt. Ergo si societatem non dissolverint Infidelium, secundùm Apostolum, qui præcepit dicens: *Nolite jugum ducere cum Infidelibus*, & Pastorem ac Episcopum proprium non receperint, (26) portionem eorum ponemus cum hiis, quorum libenter amplexi sunt unionem, & in una lance appendemus utrosque. Quoniam non solùm qui faciunt talia, sed qui consentiunt facientibus, dignos morte judicat memoratus insignis Apostolus: præsertim cùm unanimiter arma contra Christianos ferant, & dimicent; & si quos Fidelium capere possunt, Saracenorum manibus tradant, cum ipsis ad bellum uno impetu procedentes.

CAP. CVII.

„ De cetero, frater carissime, noveris, cum virtute summi Opificis nostri exercitum nostrum ordine prænotato, Bari triumphis nostris submissa, Saracenos Tarenti (27) pariter, & Calabriæ mox mirabiliter humiliasse pariter, & comminuisse, ac hos celeriùs, duce Deo, penitus contriturum, si à mari prohibiti fuerint escarum admittere copias, vel etiam classibus à Panormo, vel Africa suscipere multitudines. Quapropter spiritualis fraternitas tua, quia per * situm nostrorum cunei populorum in utrisque locis vix aut numquam . . . . . studeat necesse est sufficientem stolum destinare, qui & illos à recipiendis alimentis à mari coërceat; & si plurimos contigerit, sicut sæpe nuntiatur, pessimæ gentis advenire catervas, faciliùs illis resistere divino munitus brachio valeat. Nam ipse Stratigus Georgius, licèt solerter invigilet, & strenuè pro suo posse decertet, non tamen sufficiet obviare, si plures inimicorum naves ex parte qualibet apparuerint; non videlicet, nisi pauca prorsus (*) chelandia possidens. Et quia nonnulli Saracenorum Panormi latrunculi cum sagenis, solatio & refugio jam Neapolitanorum memoratorum freti, per Tyrrhenum mare debacchantur, oportet, ut ad hos capiendos tuæ fraternitatis Stolus sinè dilatione mittatur. Isti sunt, qui & Calabritanis Saracenis indefessè stipendia præbent, & hiis, qui Panormi sunt, auxilia quotidiana ministrant: Unde si capiantur sagenæ, maxima ex parte Saraceni, tam Panormi, quàm Calabriæ, constringentur. Nos enim Calabriâ, Deo auctore, purgatâ, Siciliam pristinæ disponimus secundùm commune placitum libertati restituere. Quod tanto erit utrumque facilius, quanto illi divinâ dexterâ, aptis navibus, & latrunculis, fuerint ampliùs & celeriùs infirmati. Nulla ergo tarditas, frater carissime, nulla mora in mittendo stolo proveniat, ne vel per escarum à mari receptarum abundantiam, vel per adventantium Saracenarum classium numerositatem horum vires non infirmentur, sed roborentur; & sic roborentur, ut postea difficiliùs infirmentur. Sed & frustra nostri per siccum indefessè certamen arripient, si sic ipsi per æquora fuerint aliqua stipendia, vel copiosam multitudinem consequuti. Postremò misimus desiderabili fraternitati tuæ Auprandum fidelem, ac familiarem hominem nostrum, qui quædam, quæ huic desunt Epistolæ, viva voce tuo à Deo tuendo reserabit Imperio, qui à diligenda nobis in Christo fraternitate tua susceptus benignè, non (exceptis VIII. diebus) quæsumus ullo modo retardetur, sed celeriùs ad nos, quia ita convenit, nulla impediente mora, Deo propitio remittatur.

CAP. CVIII.

Interim tramitem, quem reliquimus, districtiùs gradiamur. Memoratus *Imperator Ludovicus*, antequam Baris caperetur, tres Ammiradas, qui totam Calabriam depopulabantur cum numerosa multitudine Saracenorum, missis suis fidelibus prostravit; & non solùm Calabritanorum Ismaëlitûm ingens tunc facta est diminutio, sed etiam Barensium potestatum omnimoda dissolutio. Sed dum per prolixa tempora, eam videlicet undique obsedisset, postremò à Francis, & Langobardis est capta. Ipse namque Sagdan (28) in unam Civitatis illius turrem se communivit, & nominativè *Beneventanum Principem Adelchisium* acclamavit, inquiens: *In fide tua me suscipe, quia teste Deo tuam filiam incontaminatam penes me habeo*: habuerat enim nuper eam obsidem, & minimè, licèt infidelis, adhuc contaminaverat. Quo audito Princeps Adelchis statim ab ipso Imperatore eum expetiit, & accepit (29), necnon & duos alios sodales. Et totâ Apuliâ, simulque etiam Calabriâ, Deo propitio, ab hostibus potenter ereptâ, cum ingenti tripudio Beneventum venerunt.

CAP. CIX.

Cumque Beneventano hostiliter insequeretur sua conjux; atque mulieres illorum omnimodis nimirum fœdaret; & ipsa Beneventanos variis injuriis afficeret, asserens ad suos, quia minimè se sciunt communire Beneventi clypeis: dum ferè spatio trium annorum ipse memoratus Ludovicus unà cum dicta uxore Beneventanis præesset, Beneventani eum extra urbem expulerunt in hunc modum, quemadmodum sequens sermo declarat. Ignis undique succenditur, ubi ipse Imperator cum sua conjuge degebat; & sic arma tulerunt, & ibi

(26) Ea enim de causa Sanctus Athanasius Neapolitanus ad ipsum Ludovicum Augustum se se contulerat.

(27) Obsidionem ejus Urbis Anno eodem 871. quo hanc Epistolam scripsit Ludovicus Imperator susceperat, ut constat ex Chronico Vulturnensi part. II. Tom. I. Collectionis hujus pag. 403.

(*) Genus navigii. *Chelendria*, *Chelindros*, *Salandras* alii appellarunt.

(28) Idem est ac *Saotban* supra num. LXVI. memoratus, Princeps, sive Dux Saracenorum in Apulia. Ejusdem quoque mentionem habes apud Erchempertum num. XXIX. ibique *Sangolam* dicitur. Constantinus Porphyrogenneta in Vita Basilii Macedonis *Soldanum* illum appellat: nos nunc *Sultanum* dicimus. Et quidem veri videtur similius, appellationem hanc non ejus nomen, sed dignitatis titulum expressisse.

(29) Supra laudatus Porphyrogenneta, *Soldanum* hunc in potestatem Imperatoris venisse, atque ab eo Capuam perductum tradit. Italico homini de Italicis rebus scribenti fortassis heic fides major adhibenda.

ibi cum grandi strepitu adierunt. Ille Imperator veniam postulabat; & inter hæc verba suam conjugem cum magna ira injuriis afficiebat afferens: *Numquid dicebas, quia Beneventani minimè se sciunt munire clypeis? Cerne nunc, qualiter undique se communiunt, atque ad bellum promto animo sunt parati?* Quapropter per jusjurandum juravit, ut citiùs unà cum suis Beneventum linqueret, & sinè mora Galliam properaret, & nulla damna, vel oppressionem in illorum ampliùs arva iniret. Et statim (30) cum suis omnibus exinde est motus, Galliamque properavit, licèt aliquanto tempore eum in custodia habuissent. Sed antequam Adelchis memoratus Princeps eum apprehenderet, consilium exinde petiit à prædicto Sagdan Agarenorum Rege, qui tunc in carcere tentus erat, videlicet utrum apprehenderet, & ex urbe ejiceret Imperatorem, an non, ipse prædiceret: Cui Sagdan: *Nequaquam talia facito, quia quantum conjicere valeo, minimè me Agareni prætermittunt, sed indesinenter perquirunt.* Ad hæc Princeps: *Confiteor, quia pluribus prædicta res innotuit.* At Sagdan, ut erat sagacissimus, in hunc modum verba depromit: *Quod inchoasti, perfice* (31), *ne fortè consilium promulgetur.* Et sicut diximus superiùs, Augustum ex urbe sua expulit, omnemque thesaurum ejus Beneventani diripiunt, ditatique sunt valde.

CAP. CX.

FActum est autem, ut aliquanto tempore post decessum Imperatoris Ludovici *Guaiferius Princeps Salerni* balneum pergeret; sed dum regredi unà cum suis Palatium maluisset, quidam Agarenus in foro Salernitanæ civitatis residens, Guaiferium acclamans inquit: *Da mihi, obsecro, tegmentum, quod in capite tuo geris;* At ille protinus suo capite denudato, illico Agareno fasciolum condonavit. Dum autem jam fatus Agarenus Africam proprium solum adiret, & cerneret, quòd omnis navalis exercitus altrinsecus ad pugnam se præpararet, quatenus Italiam pergeret, & nominativè castrametaretur in Salerno, eamque diversis machinis expugnaret; & dum illuc Amalfitani adessent: ipse Agarenus uni illorum talia verba depromsit: *Vidistine Guaiferium Salernitanorum Principem, aut scis eum?* Cui Amalfitanus: *Et scio eum, & creberrimè, quando illic sum, ante illius obtutum sisto.* Ipse quidem Agarenus: *Per filium Mariæ obtestor, quem ut Dominum colitis, ut fideliter mea dicta illi innuas, ut omnimodo undique urbem suam reædificari faciat, & antemuralem illum, qui est juxta mare, sinè mora in altum elevet, & unam turrim in uno capite, & aliam in alio, simulque & in medium non exiguas . . . . . & præparet se ad prœlium, quia omnes ex multitudine, quam cernis, illuc properant. Et si te percontat; quis tibi talia intimavit, illi dicito, quia Agarenus, cui fasciolum condonasti, ipse talia verba depromit. Tamen incunctanter credat. Agareni illius nomen Arrane.*

CAP. CXI.

CUm in hunc modum Amalfitanus ille, Flurus nomine, seriatim Guaiferio Principi omnia propalasset, quæ audierat, quæque viderat, valde est nempe perterritus; nimiumque illius dicta credens, illico deposita omni segnitia, cum omni conamine undique urbem Salernitanam muniri jussit, atque quemadmodum Agarenus sagacissimus depromserat, à parte Australi turrim miræ magnitudinis, necnon & altitudinis, condere fecit. Illam verò, quæ est ab Occidente, Capuani construxerunt, eo quòd tunc sub ditione Salernitanæ civitatis degebant. Aliam namque Salernitani construxerunt, quæ dicitur Mediana. Et secus illam turrim aditum civitatis fecerunt, & ferris & ferris illam munierunt. Illam verò, quæ est ab ortu Solis, Tuscianenses (32) operarunt, etenim illi illo in tempore ferè duo millia fuerunt.

Altitonus Dominus, qui proprium suum cruorem pro suis ovibus fudit, quatenus protoplasti contagionem deleret, nolens suos perire, Hismaelitùm animum adversùs suos suscitavit, ut flagitia, quæ erga ipsum salvatorem (Imperatorem scilicet) Beneventanæ Campanæque patriæ gesserant, ulcisceretur; & quemadmodum olim Judaicum populum Allophilis subjiciebat, eo quòd ab ipso se alienarant: sic nimirum nunc Agarenorum Regem, cui nomen Abdila fuit, adversùs Christianos suscitavit, ut variis cruciatibus quippe attereret, & post corpora diu castigata animas ad Cœlorum gaudia conferret. Agarenorum Rex, de quo prædiximus, Abdila cum (33) XII. millibus pugnatorum per Calabriam Salernum vênit, & nonnulla Oppida Calabritanorum cepit. Sed antequam civitatis mœnia appropinquaret, *Princeps Beneventi Adelchisi* cum omnibus suis prœliatoribus ociùs Salernum vênit, ut unà cum Guaiferio bellum cum Saracenis iniret. Et statim ex urbe Salernitana cum ingenti audacia & Salernitani, & Beneventani exierunt, & ad bellum se altrinsecus præpararunt. Agareni etiam contra omnimodo cum immani stridore se ante faciem illorum objecerunt. Sed dum utræque acies appropinquassent, & nec Agareni, nec Langobardi terga darent, sagax ille Beneventanorum Princeps Adelchis de equo, super quo residebat, illico exiliens, in faciem ruit, quatenus catervam Agarenorum contemplari valeret. Sed minimè talia facere potuit propter densitatem equorum, & pedestrium; quare continuò equum ascendit, & Guaiferio Principi verba depromsit: *Urbem propiam ingrediamur, & inter nos consilium ineamus,* quia

(30) Non certe statim; auctor enim est Herchempertus num. 34. Tom. II. Rer. Italicar. *consistente ipso Augusto in custodia*, Saracenos in Salernitanum agrum irruisse, divinamque ultionem non in XL. dies a Deo dilatam. Et sane Salernitanus ipse infra addit, Ludovicum Augustum *aliquanto tempore in custodia habitum*. Haec Anno 871. peracta.

(31) Paria scribit Constantinus Porphyrogenneta in Vita Basilii, *Seodano*, sive *Soldano* captivo consilium tribuens abominandi hujus facinoris.

(32) Nempe *Tusci*, qui eo tempore mercaturae causa Salernum incolebant. *Tuscianenses* eos alii appellavere.

(33) Corruptum locum puto, & Erchemperto praeeunte scribendum *XXX. millibus*. Profecto Saraceni, qui tanto tunc terrore & rapinis Salernum, Capuam, Neapolim, & Beneventum afflixere, copiis & viribus non modicis ejusmodi rem tentarunt. Acta haec Anno 871. exeunte.

quia quantum æstimare valeo, minimè cum illis certare valemus. Quapropter urbem jam dictam sunt nimirum ingressi, & consilio inito ab invicem sunt sequestrati. Beneventani properè ad sua propria redierunt, & Salernitani mœnia Civitatis ascenderunt, & omnimodo munierunt. Agareni à foris undique tentoria fixerunt, & hinc inde cuncta forinsecus stirpatim deleverunt, occisis innumerabilibus colonis. Et ex parte depopulati sunt Neapolim, Beneventum, & Capuam. Quid multa dicam? crebrissimè Oppida universa atterebant.

CAP. CXII.

Circumdata namque terribiliter urbe, atque inauditè ad capiendum eam novis certaminibus per plurimum temporis pugnaverunt. At contra Guaiferius, ut erat magnanimus ac imperterritus, eis fortiter resistens, nunc ex muris, nunc per improvisam irruptionem plurimam suorum hostium partem attrivit; & licèt pro paucitate sui exercitus, acies contra Agarenos in patulis pavebat dirigere, tamen expeditis suis irruentibus incessabiliter hinc atque inde subitò inimicorum prostrabat catervas. Sed prædictus Rex quanto plus sibi attentiùs cernebat obsistere, tanto eis ferventiùs nova certamina objiciebat. Sed Agareni quotidie augebantur, & Salernitani nimium debilitabantur.

CAP. CXIII.

Factum est autem, ut una die cum ingenti audacia Agareni juxta mare deambulassent, & usque ad portam jam fatam armati venissent. Sed prædictus Princeps non finiit, ut ex suis quisquam saltem illis calculum jactaret. Interim Agareni ad castra reversi sunt. Sed dum crebrissimè talia iterarent, & nec lapis aliquis in illos injiceretur, inter se decreverunt, ut frequenter in armis perambulassent, putantes ut metuerent Salernitani aliquam rem improbam illis objicere. Cùm hujusmodi sæpissimè iterare satagerent, & Christianos injuriis lacesserent: Salernitani freti de Dei potentia, illico audaci animo super Agarenos irruunt eosque undique comminuunt, multos ex eis interimunt, ita ut cruore illorum litora maris replerent. Comperto suorum Agarenorum interitu, fistulæ, sambucæ, & musicorum universa genera cecinerunt, tubisque clangentes, ac perstrepentes undique mari, & terra præfatam urbem impugnare cœperunt in tantum, ut si divina pietas abesset, capi potuisset. Nam plurimi ex Salernitanis vulnerati, pauci verò extincti. Sed valde . . . . erant denique valde percussi, nam mane à Solis ortu certamen iniebant, quatenus Salernitani pugnam soli tamdiu sustinere nequirent, & illi valerent, denique laniarent; & versa vice sic serotina ut à Solis occasu peragebant. Ille Agarenorum Tyrannus in sanctissima æde Beatorum Fortunati, & Gaji, & Anthes cum suis satellitibus degebat, atque in luxuriis, & variis inquinamentis fervebat in tantum, ut ille Abdila thorum sibi parari jusserit super sacratissimum Altare, ibique puellas, quas nequiter deprædaverat, deludebat. Sed non diu perstitit tam immane contagium, immo & præsumptio, annuente Divinitate. Nam cùm ei fuisset oblata quædam Christiana, necnon & speciosissima puella, continuò ad thorum suum illam deportari jussit. Sed dum eam stuprare satageret, & illa omni nisu resisteret ei, immo & ei propria lingua diceret: *Ante morti incumbo, quàm sacratissimum Altare nimirum polluam, quia multa sacrificia super illud oblata sunt*: Tyrannus Rex verba illius deludens, vi eam opprimere tentabat: cùm repentè per Angelorum manus trabs ex alto diruptus est, & super Abdilam Regem decidit, & sinè mora extinxit. Et mirâ Dei potentiâ puella illa minimè est ab ipso trabe contacta, & illæsa permansit. Et ne fortè Agareni fingerent, quòd non fuisset gestum per Dei clementiam, sed casu accidit, quomodo creberrimè conspiciuntur per vetustatem plurimæ Ecclesiæ dirutæ, & non solùm trabes, sed & parietes usque ad solum prostratæ: haud procul ab ipso Altari sectum (34) nimirum fuit, & ubi contumax ille, Deoque odibilis super sacratissimum Altare Dei ludebat, trabem projecit, eumque mortuum stravit. Et hactenus à parte Australi in testimonium reliquit Redemtor suis fidelibus caput de ipsa trabe. Et non solùm Tyrannum illum, sed etiam plures illorum subitaneo contagio perdidit, & extemplò de hac luce abstraxit. Ab illo namque die, quamvis Gentiles minimè jam dictam Ecclesiam eo ordine intraverunt, Christiani indesinenter Redemtorem omnium collaudabant. Agareni econtra minimè obstupescebant. Extincto, quemadmodum diximus, Rege illo tyranno, Agareni illico Regem procreaverunt nomine Abemelec, licèt fuisset Eunuchus, erga res humanas audax fuit, & sagax.

CAP. CXIV.

Per idem tempus Comites duo, amboque nominis unius *Lamberti* (35) vocitabantur, Augusti furorem metuentes, Beneventum recesserunt, & ab Adelchisio honorificè suscepti sunt. Cùmque in hac obsidione prope terminaretur annus, & nullum suffragium Salernitani obtinerent, & sæpissimè cum Agarenis certamen inirent, factum est, ut unus eminentissimus Agarenus, tres testiculos gerens, voce ingenti clamaret, ac promeret: *o execrande fili Petre, veni, & ineamus singulare certamen: & tunc conjicere poteris Agarenorum virtutes*. Sed dum diu exultaret, eademque verba repeteret, Petrus ille, fixus in Redemptoris clementia, audaci animo Agareno exiit obviam, suos interminans, ut nullum auxilium illi cederent. Agarenus ille penes civitatis mœnia cum ingenti audacia vênit, lori-ca-

(34) Lego potius *tectum*, videlicet pars illa tecti, unde trabs cecidit. Posceret etiam locus, ut scriberetur *procul*, pro *haud procul*.

(35) Erchempertus etiam, & Leo Ostiensis *duos Lambertos* ad Arichisium Beneventanum Principem se recepisse scribunt. Horum certe unus Spoletano Ducatui praeerat, & celebris est in Historia. Alter plane incertus. At Ignotus Casinensis apud Peregrinium Tom. II. pag. 267. Collection. hujus ita rem narrat: *Lampert filius VVidonis, & Ildepert Comites nisi sunt manus erigere contra Hludovicum Imperatorem* &c. *Demum ante faciem ejus fugerunt Beneventum apud Adelchisum Principem* &c. Pro altero Lamberto hic *Ildepertum* habet. Verum cum Scriptore nostro consonant Annales Bertiniani ad Annum 871. Tom. II. Collection. hujus, quos vide, si lubet.

eaque indutus, & caput galea septus, sex . . . . manu propria gestans, super eum irruit. Petrus ille jam dictus impetus illius omnimodo evitavit. Sed dum iterum Agarenus cum expedito equo super illum venisset, & lanceam omni nisu, ut eum protinus in terram straret, misit: Christianus quamvis cum metu agiliter feritam illius evasit, & continuò Dominum invocans, & suos Martyres, ante quorum Ecclesiam certamen iniebat, scilicet Sanctos Cosmam, & Damianum, hastam, quam manu gestabat, in illum protinus misit, eumque inter duas percussit scapulas; & statim vitalis calor aufugit, & sinè mora extinctus est. Christiani unà omnes Dominum collaudabant, necnon & vires recipiebant; & Agareni plus plenè erga Christianos premebant mandatum, ut machinam, quam nos Petrariam nuncupamus, construerent miræ magnitudinis, & valde turrim unam, quæ nunc dicitur Solarata, attererent. Salernitani nullo modo resistere valebant, & nesciebant, quid agerent, statimque *Landemarius filius Ademari* talia verba depromsit: *Securem mihi acutam deferte, & adjuvante Deo ego illuc pergo, & quantum valeo machinam illam confringam*. Statim acutam securim ei obtulerunt, & illico per murum eum deposuerunt, & cum ingenti audacia illuc properavit, & dextera lævaque profanas: . . . . . prostravit, & machinam vehementer quantum valuit, excidit, & ocyùs mœnia adiit. Et in eadem turre illico machinam construxerunt, & jam minimè eadem parte metum habuerunt.

CAP. CXV.

HElim filii erant quatuor, qui sæpissimè vehementer Salernitanos atterebant, eo quòd præ ceteris Agarenis eminentiores erant, & præpotens statura illorum erat una, & similes equos habebant, & inter omnes illi anticipabant. Unus illorum audacior ceteris Salernitanis quotidie acclamabat: *Unus ex vobis veniat, singulare certamen mecum iniat, & tunc experiri valebitis, qualis est Helim filius*. Tunc unus ex Salernitanis Landemarius nomine ocyùs urbem egressus est, & omni modo ad bellum se præparavit; Dum ergo Helim filius super eum magna virtute veniret, eum forti ictu percussit; sed Domino non sinente, nequaquam illum umquam sauciavit. Revolvente itaque illo ocyùs equum, qualiter eum prosterneret, ille Christianus non segniter se gessit; sed continuò omni nisu lanceam in illum protinus misit, & secus illum percussit. Ille verò jam nequaquam cum illo certamen iniit, sed ad suos reversus est, & non diu supervixit.

CAP. CXVI.

JAm Redemtor à suo populo iram & indignationem abjiciebat, & gratiam condonabat. O incomprehensibilia Dei judicia! Castigat, & salvat; castigat, quatenus unusquisque cognoscat, quia omnis virtus, & gratia, nec non & sapientia ab ipso Domino est, cum ipso fuit, & est ante eum. Nam ipse dixit: *Ego occidam, & vivere faciam*. Delinquente suo populo castigat, quia propter scelera tradidit suos injustos, & indisciplinatos, quatenus eos variis cruciatibus atterat, & ut recogitent & intelligant, quia à se nihil sunt; & ut talia recogitaverint, statim iram suam ab eis amovet, & profanos conterit. Guaiferius verò pro sua obsessione primò *Petrum cognatum suum*, & *Guaimarium filium suum* Legatum ad jam fatum Augustum misit, quos ille consilio *Præsulis Landolfi* (36) retinuit, & exilio destinavit. Postea duos filios reliquos suscepit.

Sed dum fames valida prædictam urbem consumeret, conjux Dauferii Principis per semetipsam per muros civitatis gradiebat, alimentaque defensoribus deferebat nimirum, & confortabat. Cùmque se præfatus Princeps jam, ejusque Concives undique artatos se aspicerent, ita ut extra murum egredi non auderent, & crebrissimè sævissimis prœliis vexarentur, funditusque ab eis spes salutis esset ablata, & capiendos se fore universos, à prædonibusque dirimendos, valido ululatu flerent, & eos valida fames attereret in tantum, ut canes & mures comederent: decreverunt, ut si annum continuum misericordia Dei abesset, Agarenis se subderent.

CAP. CXVII.

PEr idem tempus Amalfitanis *Marinus* præerat, qui parem (37) cum Agareno primatum habebat, sed Salernitanos pleniter diligebat. Statim ut hujusmodi dicta audiebat, valde se perterruit; atque illico omnes suos vocavit, & in verbis talia promsit: *Eja mei consanguinei, meique fideles, inter nos consilium iniamus, quatenus Salernitanis subveniamus*. Et probum consilium inierunt, suaque alimenta omnia dispertierunt, & arte, qua poterant, clam Salernitanis obtulerunt, eosque refoverunt; necnon & consilium dederunt, ut solemniter invigilent, & nimirum decertent.

CAP. CXVIII.

HIs ita gestis *Præsul Landolfus* per semetipsum Papiam pergens, quatenus *Imperatorem Ludovicum* suppliciter exoraret, ut patriæ prædictæ subveniret. Sed ut talia perficere mos est, Gallis ipsis, quos cum suo exercitu in prædiis reperit, statim suum adventum misit denique intimandum. Ille solitâ clementiâ non negavit, & honorificè ante suum obtutum venire jussit. Cùmque à longè, ubi ipse Augustus in throno aureo residebat, & secus ipsum similiter sua conjux residebat, & hinc inde Optimates assistebant, advenisset: honesta voce prædixit: *Aspice Domine de sede sancta tua, & cogita de nobis*; & inter verba immensas lachrymas fundebat, & se in faciem stravit. At ille Imperator illico suos Proceres illuc misit, eumque à terra levaverunt, & cum magno honore ad ipsum Augustum perduxerunt. Imperator eum seriatim percontavit: *Pro qua re præsidium à nostra mansuetudine poscitis, quando nuper perfidi Beneventani me meamque conjugem turpiter comprehenderunt, nec-*

(36) Scilicet Episcopi Capuani, de quo multa habes infra, & apud Herchempertum, aliosque a Peregrinio editos. Nempe illum Ludovicus Augustus *tertium in Regno suo constituerat*, eodem Herchemperto teste.

(37) Sensum non assequor. Legerem: *qui pacem cum Agareno primitus habebat*.

necnon & in carcerem injunxerunt? Cui Præsul: *Audi me, benignissime Imperator. Rex omnium rerum propter nos in hunc per uterum Virginis vênit Mundum, ut qui eramus sub nodo Diaboli absolveret; nam & pro crucifigentibus se oravit, addens hoc: Pater ignosce illis; non enim sciunt quid faciunt. Et nisi ipse misericors orasset, nequaquam ad Petri verbum uno die tria millia, alioque die quinque millia, postea multa millia ex Judæis, qui Dominum comprehenderant, credidissent. Ipse etenim dixit: Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Et paulò post adjecit: Ego sum via. Et nemo potest gaudia cœlestis patriæ attingere, nisi per Christum. Nunc ergo qui est via, invitat & vos, qui quamvis honorem terrenum gestetis mortales homines estis. Quapropter imitate Redemtorem, & Agarenos, Deo propitio, debellate. Et dum fideles suos ab oppressione humana eripitis, ipse vos ab invisibilibus hostibus potenter liberet, atque inter Sanctorum agmina copulet.* Cùm hæc, & hiis similia promeret, ut mos est fœminarum sæpe adversa dicere, sic uxor præfati Augusti tentavit dicere. Sed vir suus illius verba omnimodo abdicabat, & flebat. Et statim omnes suos Proceres vocari jussit, & in verbis talia promit: *Omnes parati estote, quatenus Agarenos de finibus Italiæ exturbemus, vel exstirpemus.* Et vinum, ut illorum mos est, adscire fecit. Cùmque pincerna Imperatoris cum aureo poculo vinum dedisset exiguum, deinde sumsit, & statim pincernæ poculum reddere voluit. At Imperator adjecit: *Vestro famulo poculum reddite, sitque vobis donatum.* At ille capite inclinato resalutavit eum.

CAP. CXIX.

Die verò altera Præsuli jam dicto præbuit commeatum, eique promisit, ut non multò post illum subsequeretur. At ille dicens: Vale, arva sua cum gaudio repedavit. Imperator prædictus, collecta multitudine Campaniæ finibus vênit, & locum, qui Patenara dicitur, adiit, quò ad eum Legati de diversis urbibus venerunt, inter quos *Landolfus* jam dictus Præsul, & nepotes sui ex diverso venerunt. Illico ubi venerunt, omnes suos Proceres sibi sistere jussit, & tunc promsit talia verba: *Consilium unanimiter faciamus, quatenus catervas Hismaëlitùm, Deo prævio atteramus.* Et vehementer indagavit, quot tunc essent. At Præsul: *Sunt V. millia super Capuam.* Idem Imperator: *Æstimo, quòd plus.* Ad hæc Episcopus: *Confiteor Domine, quia X. millia super Capuam, & X. millia super Beneventum. At reliquum vulgus degit in Salerno.* Et continuò unus ex circumstantibus tellure tenus prostratus, & pedes Imperatoris amplexatus est, asserens: *Da mihi, obsecro, potestatem, quatenus cum Agarenis certamen iniam.* At Imperator cum fletu subjunxit: *Nequaquam talia facio*: quia immaturæ ætatis erat, namque ferè XV. annorum, & vocabatur *Gontar* (38) nomine, & nepos erat prædicti Imperatoris. Sed cùm pedes illius diu teneret, tamdem baculum, quem manu gestabat, illi dedit, annectens: *Sit Dominus in suffragium vestrum.* Comitemque dedit *Suavium* nomine. Et cum magna audacia Capuam venerunt, Missamque ab Episcopo Landolfo audiverunt; & Corpore, & Sanguine (39) Domini nostri Jesu Christi participati sunt. Et continuò Saracenis cum Capuanis obviam exierunt. Cùmque unus Diaconus Petrus nomine illuc proficisci armatus voluisset, neque ipse Episcopus sinebat eum; ille verò nullo modo obtemperans dictis ejus, profectus est; ipse Episcopus publica voce ei depromsit. *Vide, quia minimè es reversurus*: quod ita factum est.

CAP. CXX.

Guntar Comes jam dictus unà cum *Suavio*, & cum omnibus suis adversùs Agarenos sunt egressi sociantes sibi Capuanos. Sed dum utræque acies inter se appropinquarent, & non Agareni Gallos aspicerent, neque Franci Agarenos propter aëris densitatem: tamdem jam fatus Guntar, dum fremitus æquoris, stridorque Agarenorum aures ejus percuteret: illico *manus ad hos*, dicens, *manus*, & dentibus frendens, clangere jussit tubas; moxque super eos irruit, ultimaque cæde eos vastavit. Novem millia ex eis prostravit; ipse verò Guntar ibidem occubuit, & exigui alii præter ipsum jam dictum Diaconum. Mille verò, qui evaserunt, absque armis fugerunt. Sed ut talia comperit *Landolfus*, qui illo tempore Suessanis præerat, acie illis cum suis exiit obviam, & omnes, quos inveniebat, nempe debilitabat, ut de mille pauci Salernum adirent.

Idem Imperator clementissimus suos, videlicet Ardingum, & Remedium Beneventum misit, quatenus unà cum jam dicto Adelchisio Agarenos debellarent. Dum autem Beneventum adiissent, Missam ab Episcopo (*Aione, ut puto*), qui in Sancta Beneventana Sede præerat, audierunt, & incunctanter unà cum Beneventanis, & memoratis ambobus *Lambertis*, qui ibi exiliati degebant cum suis hominibus, obviam Agarenis perrexerunt. Agareni ad locum, cui Mamma nomen est, degebant. Cùmque haud procul Beneventani Agarenos lustrarent, & metuerent, ne fortè Agareni fugam arriperent, hac arte eos denique deluderunt. Omnes ramos de arboribus cæderunt, & unusquisque ante se propriis manibus tenuerunt, & sic contra Agarenos densi nimirum properarunt. Sed dum Agareni à longè conspicerent, & requirerent, quid esset æstimare: alii dicebant: *mons quasi contra nos venit*. Sed dum Christiani approximassent, statim ramos jactarunt, & armis se munierunt. Sed dum hujusmodi Agareni conspicerent, quamvis territi, & ipsi ad pugnam se præpararunt. Cùm autem Pagani altrinsecus inchoassent pugnam, diu pugnarunt viriliter: tamdem Franci, nec non & Beneventani eos fortiter debellarunt, adeò ut pauci ex eis remanserunt, qui devia, silvasque petierunt; postremò quamvis confusi Salernum remearunt.

CAP.

(38) Nempe Gontharius, quo nomine alii appellati reperiuntur. Is *Comes* infra dicitur.

(39) Tunc enim adhuc in usu erat, ut Laicis quoque praeter Corpus Domini, Sanguis etiam ad sacram mensam traderetur.

CAP. CXXI.

SEd dum res, quæ acciderat, *Regi Abemelech* feriatim promulgaffent, valde eft perterritus; fed ad folitam vergens iniquitatem, immo & fævitiam, fuos omnes ad bellum præparari juffit, ne fortè ex improvifo Francorum Scara (40) fuper eos irrueret. Quapropter Agareni funt in unum conjuncti, & inter fe hujufmodi verba depromferunt: *Venient attamen fuper nos Francorum cunei, & debellabunt nos, quemadmodum fodales noftros proftrarunt*; Sed cùm Regi fuiffet cognitum, his verbis exorfus eft: *Mihi de ipfa civitate promiffiones non paucæ venerunt, ut omnimodo nobis fe fubdent: & quomodo tam præclariffimam civitatem linquamus?* At Agareni metuentes adventum Francorum, illico fuper fuum jam dictum Regem irruunt, eumque comprehenderunt, manufque vinxerunt, & in navim retrudunt, & iter arripiunt. Sed priufquam fugam (41) arriperent nefanda gens, hujufmodi fignum de Cœlo Redemtor multis oftendit: flammam igneam per marinum præpete curfu in medio navim jecit, quam mox fequuta eft tempeftas, quæ cunctas liburnas fruftatim difrupit. Alii verò Calabriam adeunt, eamque intra fe divifam reperientes, funditus depopularunt. Reliquerunt autem non modicam fuppellectilem, & immenfa tritici, ordeique modia. Sed dum talia Salernitani confpicerent, putaverunt quòd conficte talia facerent, ftatimque aliquantos expeditos miferunt juvenes, qui omnia denique igne confummarunt, putantes facere rectiùs, in peffimum corruere.

CAP. CXXII.

MEmoratus Auguftus per femetipfum Capuam vênit, & mortuorum corpora contemplavit, invênitque corpus prædicti fui Nepotis, totumque corpus fauciatum. Diu illuc flevit, adnectens: *In hoc enim cognofco, quòd de noftro ftegmate duxit profapiam*. Deinde cum uno exercitu Beneventum cupiebat pergere, ut, fi valeret, eum denique obtineret; fed fuis prædictam rem minimè propalavit. Sed dum altrinfecus inter fe fifcitarent, ac promerent: *Quò pergit Dominus nofter?* & nullus fciret, quò pergeret: illico *Gualperto* (42) *Epifcopo*, qui ceteris eminentior erat, indicare ftuduerunt. At ipfe Præful Auguftum inde percontatus eft: fed quæ clam geftabat, minimè promulgavit. Dum mœnia Beneventi cunctatim adiiffent, ftatim Beneventani undique fe munierunt, ipfumque Imperatorem variis injuriis afficiebant adjicientes etiam: *Quò pergis? Numquid, numquid Beneventum ingredi cupis?* Ludovicus autem volens, quemadmodum diximus, Beneventum acquirere, fed minime valens, ad propria receffit, conjugem, natamque fuam Capuam relinquens. Qua occafione arrepta, *Præful Landolfus*, de quo fupra diximus, *Principem Guaiferium*, qui illuc perrexerat, ut fe ad Augufti folamen annecteret, cui noviter juraverat ipfe, & alii, Capuam apprehendi fecit, & in cuftodia retinuit. Sed quia non ea contigere illis, quæ putabant, dimiffus eft; & *filios Landonis Landonem*, & *Landolfum* (43) cognatum fuum pro fe obfides dedit, quos fecum remeans Augufta detulit, & Ravennam exilio reliquit. Sed non diu ipfe Auguftus fupervixit, & diem claufit extremum; ficque filii Landonis, & Princeps Guaiferius abfoluti funt. Qui dum ad proprium folum repedaffent, filios Pandonis extra urbem fuam exules invenerunt, fociatique funt illum: quorum nexionem ut ille Præful Landolfus doluit, mox Principem Guaiferium in fuum fuffragium evocavit, qui fine mora veniens, utrofque fratres famulatui fubdidit illius.

CAP. CXXIII.

REceptis viribus Agareni Tarentum (44) receperunt, eoque minimè jam metuebant adventum Ludovici; audierant enim, qualiter confusè abfcefferat. Ceperunt ergo pedetentim Barim, & Canenfem validè depræ̆darunt. Quibus ter occurrit *Adelchis Beneventanorum Princeps* in finibus Apuliæ, quibus nihil prævalens, invictus, & triumphator abfceffit. Quo tempore, & *Imanus*, qui à *Saogdane* exul fuerat, ab Africa cum Annofo veniens, Tarentum intravit, & Rex effectus eft, egreffufque Beneventum, graviter deprædavit Telefam, & Alife, & tantam victoriam adeptus eft, ut Saogdanem fæpe dictum ab Adelgifio in poteftatem recolligeret; nam Annofum, & Adelbue ante Apocrifarios miferat. Hoc audientes, qui Barim refidebant, *Gregorium* (45) *Bajulum Imperialem Græcorum*, qui tunc in Hydronto degebat, cum multis exercitibus afciverunt, & Barum introduxerunt ob Saracenorum metum; qui ftatim apprehenfum Ganft (46), illiufque primores Conftantinopolim mifit, ut (47) quolibet mirando jurejurando dederat fidem. Interea Græci fæpiùs Legatos Beneventi, & Salerni dirigebant, ut ab iis auxiliarentur contra Agarenos, fed hi uno animo eorum fpernebant flagitationes.

Tunc Salernum, Neapolis, Gajeta, & Amalfia pacem habentes cum Agarenis, navalibus incurfibus Romam gravi anguftiabant depopulatione. Sed cùm Carolus Ludovici (48) filius fceptrum infigne Romam fufcepiffet, *Lam-*

(40) Bellatorum acies, qua voce faepe ufi eorum temporum Scriptores.

(41) Saracenorum caedes tum Capuae tum Beneventi, eorumque fuga e Salernitana obfidione contigere Anno 872. Vide Part. II. Tom. I. Rer. Italicar. pag. 245. ubi Chronicon Arabico-Siculum ad eum Annum haec habet: *Periit exercitus Moslemiorum in Salernah*.

(42) Cujus Sedis incertum. Florebat iis temporibus Gualpertus Patriarcha Aquilejenfis. Sed Patriarcham Hiftoricus appellaffet.

(43) Ita quoque Erchempertus num. 36. Peregrinius legit *Landonulfum*. Pro *cognatum fuum* Erchempertus pofuit *cognatos fuos*: hoc eft confanguineos.

(44) Teftem quoque hac de re habes Anonymum Cafinenfem Tom. II. pag. 267. Rer. Italicar. Cui adde Herchempertum num. 38.

(45) Hujus etiam mentionem habet Herchempertus num. 38. atque inde haec mutuatus fuiffe videtur nofter.

(46) Ita quoque in Herchemperti textu. Sed utrobique legendum puto *Gaft*, ideft *Gaftaldium* urbis.

(47) Ut nemo non videt, vitiata haec funt. Erchempertus num. 38. legit: *ut quibus jurejurando fidem dederat*. Fortaffis *ut ut cuilibet* in noftro legendum.

(48) Scilicet Ludovici Pii filius, & patruus Ludovici II. quem *Calvum* appellare confuevimus. Erchemperto dicitur *Carolus Judittae filius*: recte & ipfe: *Sceptrum* autem Romanum Carolus Calvus fufcepit Anno 775.

Lambertum Ducem, (49) & *Guidonem germanum illius*, *Johanni* (50) *Papæ*, qui tunc in tempore aderat, in adjutorium dedit, cum quibus Capuam, & Neapolim profectus est. Sed Salernitanorum Princeps Guaiferius in cunctis obtemperans, (51) & fœdus rupit, & multos ex eis peremit. *Sergius* (52) verò *Magister-militum* consilio Adelchisi Principis, & prædicti Lamberti deceptus, noluit se ab illis alienare, qui statim anathematizatus est, & cum Guaiferio belligerare cœpit. Unde contigit, ut ipso VIII. die anathematis XXV. Neapolites milites apprehensos decollari fecit: sic enim monuerat Papa. Quo etiam anathemate multatus idem Sergius non multò post à proprio germano (53) captus est, Romamque mittitur suffossis oculis, ibique miserabiliter finivit vitam. Ipse autem frater ejus in loco ipsius se ipsum instituit.

CAP. CXXIV.

Ut retro sermonem traham, cùm Ludovicus supradictus præerat Samnitibus XXXII. Philosophos illo tempore Beneventum habuisse perhibetur. Ex quibus illorum unus insignis *Ildericus* nomine inter illos degebat, & non solùm liberalibus Disciplinis apprime imbutus erat, sed etiam probè virtuti deditus, cujus facta minutatim obmittimus pandere; sed quamvis exigua, omnimodo non prætermittam. Dum idem Ludovicus quadam die Notarium suum vocasset, & ei præcepisset, quatenus epistolam componeret, eamque quodam loco dirigeret: Notarius verba Augusti oblitus est. Die verò altera recordatus est rei, quam ei præceperat, sed nequibat in mentem venire, qualiter ei intimaverat: unde non exiguum exinde angustiatus est. Postremò ad virum Dei Ildericum properavit, adjiciens: *Mi pater, præcepit mihi Augustus heri, quatenus juxta morem epistolam componerem: ego autem oblitus sum dicta illius, & quid faciam nescio. Tantùm te enixiùs exoro, ut mihi auxilium impendas*: Cui Principalis dixit: *Et quomodo scire potero quod auribus non audivi, dicente Domino: Nemo scit hominum, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* Ad hæc Notarius: *A Deo, & ejus Genitrice obtines*. Idem Vir Dei Ildericus statim Dei Genitricis Ecclesiam est ingressus, & indesinenter Sanctam Dei Genitricem, ejusque Natum efflagitavit, ut secreta rei suo servo intimaret. Illico domum suam abiit, & prædictum virum flentem reperit, eumque consolari cœpit, & adjecit: *Sede; citò scribe*. Sed dum ille cum stupore resideret, ei præcepit, quomodo scriberet, & qualiter verba distingueret, quemadmodum Augustus ei depromserat. Cùmque juxta morem Augusto epistolam ille Notarius cum magno gaudio detulisset, eamque legisset, in hunc modum verba depromsit: *Veritatem mihi dicito: qualis fuit vir ille, qui hanc epistolam indicavit?* Cui Notarius: *Confiteor, Domine, quia dictorum tuorum oblitus sum, & quid agerem nesciebam. Quapropter perrexi ad virum Dei Ildericum, eique omnia intimavi. At ille illico Ecclesiam est ingressus, & dum paulisper ibidem moraretur, ad me est reversus, & omnia, quæ cernis, mihi studenter indicavit*. Statim Augustus mirari cœpit, & Principem Adelchisium acclamavit, & ei verbis talia promit. *Volueram veraciter agnoscere, in hac urbe, quis liberalibus disciplinis super omnes est deditus*. At Princeps cœpit nominare ceteros Sapientes: verùm virum Dei Ildericum obmisit. Tum Augustus: *Numquid scis Ildericum?* Cui Princeps: *Veraciter scio; sed eum exosum habebam, eo quòd ei non adulatoria verba, sicut ceteris, sunt exhibenda*. Quapropter Rex omnia suis Optimatibus enodavit, & ab illo die magnam ei reverentiam obtulerunt. Sed virum Dei nec adversa, nec prospera urgebant; sed plus planè in jejuniis, & in vigiliis se se cohortabat in tantum, ut in terra positus cœlestia obsequia auribus hauriret, atque fidelibus intimaret. Agmina verò Angelorum ante obtutum Redemtoris sistebant, & in hunc modum laudes in versibus referebant: *O Redemtor Mundi, & Salvator hominum Christe, pœnitentes, & dolentes suscipe, & qui sunt septi peccatorum pondere*. Cùmque vir Dei aures in Angelorum dicta innecteret, statim eadem propria manu scripsit, & suo ingenio accommodavit similia, quæ nos huic Historiæ necti jussimus.

Angelicam Dominus naturam condidit olim,
Humanamque simul laudis honore suæ.

CAP. CXXV.

Cumque Ildericus Angelorum dicta hausisset, illico & ipse hujusmodi verba depromsit:

Hic Opifex Mundi, verbo qui cuncta creavit,
Ex nihilo finxit omnia nempe simul.
Absque labore labor, cui posse & scire quod esse;
Cujus opus velle est, cui labor alta quies.
Laudet eum hinc Cœlum, cuncta & cœlestia semper
Luminis Angelici castra beata nimis.
Laudet eum tellus, omnisque creatio Mundi,
Omne genus hominum, reptile, belva, volans.
Dicunt, dicamus: tibi sit Rex gloria perpes,
Omnia qui retines, jure regisque tuo.
Te decet omnis honos, tibi virtus, gratia cessit;
Quem dignè metuunt, Inferus, arva, polus
Une, ac Trine Deus, Lux, & Sapientia vera,
Regnum immortale ut sinè fine tenes,
Tem-

(49) Scilicet *Spoleti*. Et *Guidonem* ejus fratrem, aut ex fratre nepotem, qui Lamberto in Ducatu successit. Istorum Ducum genus adhuc perquam obscurum est, neque facile verum statuatur. Inter ceteros *Guido* Spoleti Dux, qui subinde Romanum Imperium, adnitente contra Berengario, est assequutus, *Lamberti filius* in Annalibus Francorum dicitur. Verum ab Erchemperto num. 58. a Leone Marsicano, & infra a Salernitano nostro aperte appellatur *Guidonis senioris filius*. Horum auctoritati, quia res Italicas novisse certius, quam Annalistae Fuldensis, & Metensis, Regino, aliique exteri Scriptores, sunt credendi, si nos plus hac in re dareremus, consentientem habebimus ipsum Hadrianum Valesium in Not. ad Panegyr. Berengar. pag. 400. & 401. Tom. II. Rer. Italic.

(50) Hoc est hujus nominis Octavo. Acta sunt haec Anno 876. & 877.

(51) Ex Erchemperto ista descripsit Salernitanus noster. Apud eum recte pro *obtemperans* scriptum *contendens*. Ergo ita corrige, aut scribe *Adelgiso obtemperans*.

(52) Ideft Neapolitanorum Dux, qui cum Saracenis faciebat.

(53) Athanasio videlicet Episcopo Neapolitano, qui postea ex vitiis suis famosum sibi nomen comparavit.

Tempora tu condens solus, & sinè tempore regnans;
Verè ut principium, sic tibi finis abest.
Principium, & finis; primus, novissimus es tu,
Quem currunt infra tempora, secla, dies.
Cuncta arcens mutas, & non mutaberis umquam.
Semper eras, qui nunc, semper erisque manens.
Quem Cherubim, Seraphim cunctis cum cœtibus Orbis
Proclamant Sanctum, concelebrantq; tremunt.
Tu pietas, bonitas, requies, patientia, paxque
Vita, salusque, decus, castus amorque timor.
Simplicitas prudens es tu, prudentia simplex
Te rectè metuit Mundus, adorat, amat.
Quæsumus, ut cœli citò des mihi tegmina Christe
Unà & laudemus te tua membra caput.
Longanimis, verax, fortis, mirabilis, alme
Terribilis, mitis, suscipe vota, precum.
Cunctorum factor, tu censor, tutor, & altor,
Rex Regum, populo parce tremende tuo.
Confer opem famulis, veniam da, destrue culpas,
Dæmones expelle, noxia cuncta fuga.
Duc Cœlis plebem, tuus emit quam cruor Agni,
Denuo quam peperit spiritus, atque latex:
Respice propitius gemitum, suspiria, voces,
Ad te clamantum, ac miserere pie.
Sancte tua Jesu sic morte tuere Redemtor,
Pestiferos perimat ne leo, sive draco.
Sit tibi cunctipotens benedictio, sitque potestas
Secla per immensa, sit vigor omnis. Amen.

CAP. CXXVI.

Adelchis verò cùm Castrum Trevetense obsidere cuperet, & dum maluisset propriam urbem adire, à longè conspexit suos contra se properare. Statim *Ajonem* (54) *Episcopum* vocavit, eique dixit: *Si evenit aliqua inepta res absque jussione omnipotentis Dei?* Sciebat enim illorum consilium, & volebat retribuere malum. Cui Episcopus: *Non: Sed dicit Apostolus: Date locum iræ.* Ille Princeps nequaquam ab eorum aspectibus declinavit, sed ut eis approximavit, dulcia verba depromsit; & illi salutaverunt eum. Sed dum paulisper simul ambularent, ab Agarenis nimirum, & nepotibus extinctus (55) est. Fuit autem sagax, & sagacissimus, qui præfuit Beneventanis annis XXIV. cum dimidio. Et statim in loco ejus *Gaideris filius Radelgari*, nepos extincti, ordinatus est; & statim ejectus Gailo (56), & Guidaferius gener illius. Hic etenim principare voluit; cujus cupiditate socerum suum peremit. Hic quoque susceptus est ab Athanasio Episcopo, & Magistro-militum. Ubi corpus illius volutatum est, & cruor tabefactus, ab illo ergo tempore nequaquam ibidem herba orta est, donec usque nunc nostris quoque temporibus centum anni expleti sunt, & sic herba gignere cœpit. Quapropter quantum conjicere valemus, omnipotens & misericors Deus delicta illorum, quæ in suo Domino gesserunt, obmisit, atque cœlestia regna partecipavit.

CAP. CXXVII.

His quoque diebus *Landulfus* (57) jamfatus Præsul languore percussus interiit. Videntes autem nepotes sui dispositionem, in unum collati, diviserunt inter se sub jurejurando Capuam æqua distributione; sed sacramentum fraternum non diu exstitit illæsum. Cupiditate enim exorta filii *Pandonis Landenulfum, & Atenulfum* fratres suos, filios *Landenolfi*, dolo ceperunt, & custodiæ indiderunt. Sed ut cœpta breviter prosequar, Landolfi filii uniti cum filiis Landonis, ad suffragium *Principis Guaiferii* se contulerunt, a quo aliquando tutati sunt. Similiter *Pandonulfus* ad eumdem Guaiferium Legatum cum variis chirographis misit; sed ab eo minimè receptus est, favens supradictis fratribus. Cernens autem prædictus vir omnimodo se destitutum, *Gaiderisium Principem, & Gregorium Augusti Bajulum*, qui tunc cum dicto Guaiferio Nolam ad colloquendum in unum convenerant, ad Beneventum properanter Legatis invitabat, ut quàm primùm venirent eum ad adjuvandum, & esset illis subditus. Quibus ex diversis sinè mora per Cajacium advenientibus, ab occasu juxta urbem Capuanam resederunt. Princeps Gaiferius econtra ab ortu Solis adveniens, Amphitheatrum applicuit, & vallata est civitas hostibus. Inter hæc Pandonulfus renuit subdi Gaiderisio Principi Beneventano, sicut promiserat, renitente maximè Landone filio Landolfi cognati ejusdem Gaiderisii. Qua de re, & dictus Bajulus, & idem Gaideris alienati sunt ab illo. Mox alii per urbem Capuanam, nonnulli per Linaris (58) fluvium transmearunt partem ad alteram; Guaiferio autem Principi, proprio Domino, sociati sunt. Et recollectis Landonolfo, & Atenolfo fratribus dictis, volentes Pandonolfum subdere Guaiferio Principi; sed non quiverunt, eo quòd nolebat fratrueles suos recipere infra urbem: idcirco à Guaiferio respuebatur. Recognoscentes autem supradicti viri versutias Pandonolfi, ad propria reversi sunt. Guaiferius tunc remansit Capuam.

Hac quoque tempestate penè omnes Capuæ illustres, & omnis vulgus cum uxoribus, & liberis, omnibusque suppellectilibus, urbem egredientes, alii filiis Landonis, nonnulli ex eis filiis Landonolfi adhæserunt. Factaque est inter eos valida concertatio, & pessima desolatio. Namque Guaiferius Princeps hostiliter juxta murum urbis residens, obsidebat eam; ultra fluvium verò cum Francis *Lamberti Comitis* Landonem constituit. Alio quoque Anno superveniens jam fatus audax Guaiferius ille Princeps cum Amalfitanis tempore messionis, obsedit dictam urbem undique, donec inter se fratres sub sacramento pacem inierunt; & sic Guaiferius Princeps cum Amalfitanis, & Salernitanis propriam adiit urbem.

CAP.

(54) Beneventanum.
(55) Adelgisi Principis mors Anno 878. aut 879. accidit.
(56) Erchempertus num. 39. *Cailo & Duiferius*. Scribo *Daiferius*, aut *Dauferius*, ut infra diserte habet noster num. CXXX. In altero Codice Erchemperti, uti Peregrinius monuit, non legitur *&*, quasi hæc de uno homine scribantur.
(57) Capuanus Episcopus & Princeps.
(58) Quinam sit hic fluvius Linaris, Capuani doceant. Equidem non novi. Sed Erchempertus, quem noster heic & supra totidem fere verbis descripsit, habet: *nonnulli lintris fluvium*. Librarius ad vocem ignotam forsasse cæspitaverit.

CAP. CXXVIII.

PEr idem tempus *Athanasius Præsul* Neapoli militum Magister præerat. Qui, ut præmisimus, exulato fratre, cum Agarenis pacem iniit, ac populum infra portum æquoreum, & urbis murum collocans, omnem terram Beneventanam, necnon Salernitanam, simulque & Romanam, simul etiam & partem Spoleti diruentes, cunctaque Monasteria, & Ecclesias, omnesque urbes, & oppida, & vicos, montes, colles, insulasque deprædarunt. A quibus & Sancti Benedicti Cœnobia (59) decentissima toto Orbe veneranda, & Sancti Vincentii Martyris Monasterium igne exustum est, aliaque innumerabilia exusta sunt. Sed dum creberrimè Agareni huc illucque pergerent, omniaque denudarent, & maximè Salernitanorum tellurem attererent, atque demolirent: habitandi locum sibimet elegerunt, ubi Cetara dicitur, non procul à Salernitana civitate, & undique, ut diximus, præfatam urbem affligebant, in tantum ut altrinsecus, inter se fœdus inirent Agareni, sicut & Salernitani. Sed non probum consilium inierunt; clam enim arma tulerunt, & ubi Agareni sinè exercitatione degebant, audaci animo properarunt quatenus profanos potenter attererent; Sed justus Judex Dominus minimè Christianis victoriam tribuit, eo quòd oblivifcerentur jusjurandum, quod Agarenis juraverant. Nam Agareni protinus cedulam, ubi indita erat Sanctissima, & inseparabilis Trinitas, lanceæ nexuerunt, & in hunc modum promserunt. *O Jesu Mariæ fili, in hoc cognoscemus veraciter, si Cœlum terramque regis, & totius es creaturæ Dominus, si istos perjuros potenter atteres.* Sed illico Salernitani terga dederunt, & partim percussi in mare se necaverunt, partimque gladio ceciderunt; reliqui quamvis confusi per devia, silvasque propere adierunt. Ibi magna pars Salernitorum interiit; & sic putantes rectiùs facere, corruerunt in pessimum. Qua occasione, ut diximus, Agareni agmine uno coacti stirpitus à foris cuncta demolierunt in tantum, ut Salernitani potiùs mortem, quàm vitam cuperent. Nam & à foris civitatis mœnia quis egredi minimè valebat; & si quis temerarius propter necessitatem foris mœnia properabat, statim Agareni eum debilitabant. Factum est autem quadam die, ut Salernitani non pauci adolescentuli in unum se congregarent, atque extra urbem exilirent, forsitan ut fruges aliquas reperirent, ibique refocillarent. At dum non procul ab urbe properarent, & mala, ceteraque alia poma gustarent, & altrinsecus se onerarent, tamdem adierunt locum, ubi Agareni degebant; & dum ex improviso Salernitani cum magno strepitu Dominum invocarent in suffragium, super Agarenos irruerunt, eosque fortiter debellarunt, adeò ut nec unus evaderet: & sic magno tripudio Salernum remearunt, suppellectilem, multaque spolia secum gestantes. Ab illo ergo die vires Christiani sumunt, & multi ex eis perierunt.

CAP. CXXIX.

UT retro redeam, quod ipse sæpedictus Princeps Guaiferius gessit mirabiliter, loco proprio inseram. Dum idem Princeps Salerno, Capuæque, simulque etiam diversis Castellis, & civitatibus præesset, & ad præsidium undique illi adirent: factum est, ut una die non exiguum triticum à Capuana urbe Salernum sui famuli cum plaustris vectarent. Sed, ut cognitum Neapolitanis fuisset, repentè ex sua urbe prosiliunt, quatenus triticum Neapolim nimirum veherent. Sed ut comperit audax ille Langobardorum Princeps Guaiferius, illico ex sua urbe cum paucis, scilicet XVIII. egressus est, & agiliter illuc profectus est. Sed dum à longe cernerent Neapolitani Salernitanos, cœperunt inter se promere: *Legati sunt isti*. Sed dum eis approximassent, continuò ille Princeps Guaiferius suo filio *Guaimario* talia verba depromsit. *Vide fili: ubi ego super Neapolitanos irruo, statim ex adverso forti ictu percute*. Et protinus galea ex suo capite exilivit, & magnam vocem emisit: *Ego sum*, inquit, *Guaiferius*: & continuò super eos irruit, ultimaque cæde eos vastavit, adeò ut exigui ex eis evaderent: qui fuerunt firmiter ducenti: aliquanti comprehensi. Sed dum unum adolescentulum inter eos comprehendissent, ille adolescens veniam postulabat: at Princeps cuidam suo fideli verba depromsit, quia eum de hac instabili luce extingueret; qui statim cum ingenti virtute per medium cerebrum mucrone percussit, ita ut pars capitis dextera parte læva humero superjaceret; & jam exanimatum corruit miserabiliter corpus; & sic magno cum gaudio Salernum regressus est.

CAP. CXXX.

CIrca hæc tempora Guaiferius sæpedictus Princeps Monachus effectus est, languore depressus gravi. Quapropter Cœnobium Beati Benedicti anxiabiliter pergere cupiit, ut ibidem vitam finiret. Et statim per marinum iter Neapolim profectus est. Sed ut cognitum fuit *Dauferio suo nepoti* cum ceteris suis sociis, qui tam prolixo tempore inibi exiliati degebant, statim magno ululatu fremere cœperunt. At Princeps illis hujusmodi verba prædixit. *Nequaquam gaudete, quia minimè Salernum revertemini, quia Guaimarius filius meus illic est*. Sed cùm Cœnobium prædictum properare satageret, in itinere diem (60) clausit extremum. Et quia in incursione Agarenorum corpus illius ad Cœnobium Benedicti Patris non valuit ferri, Theani in claustro ejus Ecclesiæ humatum est.

CAP. CXXXI.

PEr idem tempus Beneventani cum suo Principe *Gaiderisi* foràs deambulabant; sed dum devenissent ad locum, ubi extinctus fuit memoratus *Princeps Adelchis*, statim unus Clericus Ereciprettus nomine talia verba exorsus est: *In hoc loco nefandissimum Principem non paucis plagis extinximus*: illico ultio divina

(59) Pergit noster expilare Erchempertum. Vide Chronicon Casinense Leonis Marsicani Tom. IV. Collection. hujus, & Vulturnense part. II. Tomi I. ubi de his agitur.

(60) Guaiferii Salernitani Principis mors ad Annum 880. referenda videtur.

vina eum percussit; nam mox ipse Gaideris famulis suis præcepit, ut brachia illius abscinderent: quo facto prolixo tempore miserabiliter vixit.

Eodem namque tempore suasus jam dictus Gaideris, à *Landone* cognato suo alienatus, *Pandolfo* sociatus est, filiamque ipsius suo tradidit filio. Sed in proximo à Tribulibus dicti Landonis captus, custodiæ mancipatus est; ejusque in loco (61) *Radelchis filius Adelchisi* Princeps est constitutus, qui tribus vixit annis imperans; tum à Beneventanis ejectus est, & *Ajo* (62) *frater ejus* loco ipsius subrogatus est. *Gaideris* verò Francis traditus in custodia, fuga lapsus, pervênit urbem Barensem, quo morabantur Græci, à quibus missus est urbem Regiam *Basilio pio Augusto*, à quo honoratus, ditatusque donis Imperialibus Oriam urbem ad convivendum accepit. Inter hæc Agareni totam supradictam terram crudeliter laniabant, ita ut desolata terra, olim cultoribus, vestibus, rebusque repleta, fatisceret.

CAP. CXXXII.

TUnc agmina Agarenorum in unum congregata funditus, ut diximus, omnia denudabant; atque priùs Agropoli (63) morarunt, deinde per juga montium degebant, omniaque demoliebantur. Hiis diebus *Athanasius Præsul Neapolitanus*, de quo præmisimus, missis Apocrisariis in Siciliam Agarenis ad radicem montis Vesuvii residentibus, *Sichamum Regem* exposcit, & illis veniens præfecit. Sed justo Dei judicio primo omnium super eum insurgens cœpit Neapolim affligere, & devorare omnia exteriùs, ac puellas, equos, & arva vi expetere. Hoc turbine exagitatus, & ut Apostolicum anathema, (64) quo erat innodatus, à se, & urbe sua expelleret, Guaimarium Principem cum omni suo exercitu validissimo Salernitanorum, Cunsinos quoque necnon & Capuanos, seu etiam cetera Castra in adjutorium advocavit, & Saracenos ab eodem loco vi repulit. Hoc facto non multo post prædictus Præsul à Guaimario Principe, qui eum ab oppressione Agarenorum eripuerat, liberatus (65) est. Agareni namque in unum sunt coacti, & Garilianum properarunt, & ibidem prolixa tempora nimirum morarunt, & undique Capuam, Beneventum, Salernum, Neapolim affligebant. Sed Athanasius ad solitam vergens fallaciam, cum Agarenis pacem iniens, Salernitanorum fines fortiter affligebat.

CAP. CXXXIII.

B*Asilio* (66) *Serenissimo Augusto* hiis diebus defuncto, duo filii in ejus Imperium sunt electi, idest *Leo* primogenitus, & *Alexander* subsequens; & tertius *Stephanus* nomine Archiepiscopatum ejusdem urbis (ejecto Photio qui à *Nicolao primæ Sedis Episcopo* ob invasionem Episcopatus, adhuc superstite *Ignatio*, perpetuo anathemate fuerat multatus, & à Johanne (67) Papa, (ut ita dicam) ignaro ad pristinum gradum resuscitatus) regendum cœpit. *Leo* jam dictus non (68) diu supervixit. Ipse *Alexander* dum germani sui vidisset interitum, in magnam superbiam est elevatus, & non tantùm coram hominibus, sed & contra Dominum conabatur se jactitare: Nam LXX. (69) statuæ, quas olim Romani in Capitolio consecrarunt in honorem omnium gentium, quæ scripta nomina in pectore gentis, cujus imaginem tenebant, gestabant, & tintinnabulum uniuscujusque statuerant, & Sacerdotes die ac nocte semper vicibus vigilantes eas custodiebant. Quæ gens rebellis in Romanorum Imperatorem consurgere conabatur; statua illius gentis commovebatur & tintinnabulum in collo illius resonabat, ita ut scriptum nomen continuò Sacerdotes Principibus reportarent, & ipsi absque mora exercitum ad reprimendum eamdem gentem mittebant. Sed dum fuissent prædictæ statuæ æreæ Constantinopolim deportatæ, ille jam fatus Alexander hujusmodi verba depromsit: *Illo denique tempore Romanorum Imperatores erant gloriosi, quando istæ statuæ venerabantur*. Unde statim sericis vestibus vestire jussit, & singulas circumdedit. Nocte igitur subsequente, cùm se sopori dedisset, vir clarissimus ei apparuit, & comminanter super eum vênit, eumque in pectore forti ictu percussit, & nomen suum protinus propalavit adjiciens: *Ego sum*, inquit, *Romanorum Princeps Petrus*. Et statim cum magno tœdio evigilavit, sanguinemque suum vomere cœpit, & sic exitiali morbo defunctus (70) est. Eo defuncto Constantinus Imperatoris filius Leonis, quem supra memoravimus, in Imperium est electus.

CAP. CXXXIV.

AYo *Beneventi Princeps* ante Principatum, & postea, partim imbecillis, partim roboreus exstitit. Post hæc Princeps prædictus animosè cum Beneventanis, & Capuanis (71) egredientium filiis Landonolfi Amalfitanos habentibus certamen iniit, & aliquandiu pugnatur juxta portam urbis, cùmque neutra pars alteri cederet, utræque acies ad sua reversæ sunt.

Eo tempore Guaimarius supradictus Princeps Salerni per semetipsum Constantinopolim est profectus, & honorifice ab Augusto susceptus est. Patriciusque factus, & donis regalibus ditatus, cum magno honore ad propria remeavit.

Per

(61) Anno 881. Principatum Beneventi iniit. Haec & sequentia ex Erchemperto desumta.

(62) Qui Beneventi Princeps constitutus est Anno 884.

(63) Idest *Acropoli*, quae Urbs Lucaniae olim Episcopalis fuit, atque ita appellata, quod in promontorio sita foret ad oram maris Tyrrheni. Nunc excisa.

(64) Anno 881. a Johanne VIII. Papa anathemate perculsus fuit irreligiosus ille Episcopus, quod cum Saracenis tam arctum fœdus iniisset.

(65) Quaedam heic desiderari videntur. Consule Erchempertum num. 49. Tom. II. pag. 249. Collection. hujus.

(66) Qui Anno 886. diem supremum obiit. Haec eadem habet Erchempertus num. 52.

(67) Scilicet Octavo hujus nominis Papa, qui Photium a Nicolao I. damnatum Anno 863. & 868. nimia facilitate restituit in Sedem Constantinopolitanam Anno 879.

(68) Quare? quum Leo iste Graecorum Imperator, post Basilii patris mortem ultra XXV. annos thronum Constantinopolitanum tenuerit. Plane illud *non* expungendum videtur.

(69) Anilis fabula.

(70) Anno scilicet 915. si Pagio acquiescendum est. Sed mihi res incerta, neque vacat altius penetrare. Vide Chronicon Vulturnense part. II. Tom. I. Rer. Italic.

(71) Locus corruptus, quem attingere vix audeo. Legerem: *& Capuam egredientibus filiis &c.*

Per (72) idem tempus valde inter se Capuani, & Neapolitani certamen iniebant. Nam *Athanasius Episcopus*, *& Magister militum*, omnimodo satagebat, quatenus Capuanos sub sua ditione attribueret, & inter fratres discordias crebrissimè seminabat. Successit ergo, ut Decivilis Gaetanorum Dux clam Saracenos ad prædandum Capuam mitteret. Itaque statim CXX. Agareni missi Theanum abierunt, super quos Lando ceu leo audacter cum suis irruens, usque ad ultimam internecionem protrivit eos, ita ut de tanto numero non ampliùs quàm quinque evaderent, ceteris interfectis, ni fallor, CXV. Tum Athanasius cernens se superatum, callidè cum Capuanis pacem fecit, & tempore vindemiæ unà cum Græcis super Capuanos irruit, apprehensis multis, & præstantissimis viris, peculiisque non modicis. Ab illo igitur tempore omnia circumquaque devastans Liburiam vendicabat sibi. Nam & Saracenos Agropolitanos clam evocavit, & Capuam misit, ubi tunc egredientes Capuam restiterunt valde eis. Ob hoc, & absque præda, castra repedarunt. Itaque ille, prout mente conceperat, novis & inauditis machinis insurgebat adversùs Capuanos, adeò ut tempore Quadragesimali cùm omnis plebs Christicola, & præterita deflet mala, & poscit à Deo ut flenda minimè committat: ipse mediante festo Dominico, subsequente crepusculo, collectis Græcis Materensibus, Agarenis, & Neapolitibus, consilio Guaiferii, urbem Capuanam tentaverit invadere, ascensis muro quasi CCC. viris armatis diversorum generibus armorum. Sed omnes, Domino adjuvante, alii ex eo sponte desilierunt, quidam cervice tenus imis jacti sunt; nonnulli verò gladio occubuerunt. Ex Capuanis autem unus solus Monericus nomine, & ut fertur, à suis extinctus est. Bellum quidem hoc navatum in muro, arbiter, Judex non per belligerantes & armipotentes egit viros; sed per impuberes mirificè gessit ad laudem nominis sui. Nam & Salernum per Agarenos priùs, & postea per Græcos capere multoties molitus est; sed minimè talia facere potuit, viriliter ei resistente Guaimario Principe.

CAP. CXXXV.

Eodem quoque tempore *Guido* (73) *filius Guidonis senioris* super Agarenos in Gariliano castrametatus (ut retro redeam) hostiliter irruens, castra eorum diruta deprædavit, & aliquantos eorum gladiis interfecit; aliqui montium per opaca, ut aqua, diffusi sunt. Hic ante Capuam appropians, ultra transvadavit, & ad pontem, qui Teudemundi vocatur, castrametatus resedit aliquandiu; & continuò ex cibariis, frumento, aliisque victualibus per Capuanos ejus milites refocillati sunt; Capuani tamen cum eodem Duce non sunt fœderati. Sed cùm retroverteretur, urbemque prædictam transiret, metu coacti subdiderunt se illi. Illo abeunte, Athanasius prædictus, suffragante Græcorum auxilio stipatus, à foris omnia denudabat. Post hæc suggestum est eidem Duci, ut adveniret quanto citiùs, & liberaret confidentes. Qui mox veniens Capuam, *Ayonem* (74) *Principem* à Benevento ad se venientem consilio Capuanorum cepit, & sub custodia Beneventum duci fecit; in quam introiens ordinavit eam. Inde proficiscens, Sipontum est ingressus, & prædictum Principem reliquit in castris. Cùm autem cognovissent Sipontini Ayonem Seniorem suum captum, in supradictum Ducem unanimiter irruentes, clauserunt eum quodam in Templo, captis ejus Optimatibus. Hic illicque tunc missum est, ac adductus est Ayo, & redditus suis. Alia verò die sacramento dato vix cum dedecore elapsus est.

CAP. CXXXVI.

Per idem tempus Monasterium Beati Benedicti à Saracenis priùs dirutum, Anno Domini DCCCLXXXIII. ab *Angelario Venerabili Abbate* cœptum est ædificari de jussu Domini Anno DCCCLXXXIV. mense Augusto. Hiis ita gestis Athenolphus Spoletum pergens, dato pretio, Suavium Castaldeum Marsorum cum aliis sociis Bassis quasi ad CCC. armatos secum adduxit; cum quibus consilium iniit, ut Castaldatum Capuanum illi firmaretur. Sed ingredientes Capuam, cùm hæc adimplere nequissent, dicti Franci ad sua reversi sunt. Quid multa feram? Omnimodo Athenolphus satagebat, quatenus solus Castaldatum obtineret. Quapropter consilio habito cum suis, Sadi cognatum suum ad Athanasium sæpe jam dictum sub dolo misit, ab eo auxilium poscens, ut adjuvaretur singulariter fieri Comes Capuæ. Hoc autem audiens, gavisus est, & spopondit in omnibus se auxiliaturum. Cùmque hoc à plurimis terque quaterque Landoni fuisset relatum ille solita segnitie detentus, pro nihilo ducebat hujusmodi nuntium. Quid multa dicam? Athenolphus per semetipsum Neapolim adiit, & fœdus cum Athanasio iniit, & spopondit *Landolfum filium suum* obsidem dare, & properè sine mora est reversus. Sed dum cerneret sibi tempus adesse, quòd cœperat perficere, & consanguineos suos æmulos ibidem non esse: cùm omne tempus advenisset, Sabato primo Epiphaniæ, advocatis sodalibus suis super filios Landonis irruit, eosque ex urbe ejecit. At illi Theanum adierunt, Landenolfus, Pando, & nepos ejus. Athenolphus Castaldatum Capuanum singulariter suscipiens, continuò se (75) Miles appellari jussit, moxque prædictum filium suum ad Athanasium obsidem direxit, sicut sacramento pollicitus fuerat, & Liburiam, & Capuam jurejurando illi concessit.

CAP.

(72) Quae sequuntur, ex Erchemperto Anonymus noster descripsit, multis tamen breviatis.

(73) Erchempertus quoque num. 58. (quem noster expilavit) *Guidonem* hunc *filium Guidonis senioris* appellat. Is autem certe est, qui post Caroli Crassi mortem Romanorum Imperator creatus est.

(74) Acta haec fuere Anno 884.

(75) In Erchemperti Historia num. 65. quam noster, ut saepius innui, his in locis totidem paene verbis descripsit, legitur: *continuo se Comitem appellari jussit*. Non abjicienda tamen Scriptoris nostri lectio: constat enim, veteres Principes Militiae honore, sive Militari cingulo (idque solemni ritu peragebatur) fuisse donatos, antea quam populos aut acies regerent.

CAP. CXXXVII.

HIs quoq; diebus *Theophylactus Stratico*(76) à Bari Theanum hostiliter vênit hyemis tempore, Agarenos tentans impugnare; nihilque proficiens, infructuosus abscessit. Adiensque Neapolim, *Marinum Castaldeum Castri Sanctæ Agathæ Ayoni Principi* rebellem percepit; & Apuliam rediens, nonnullas munitiones ejusdem Ayonis vi apprehendit. Unde occasione arrepta, idem Ayo adversùs Augustale dominium rebellionis jurgium initiavit: quod suo loco inseretur.

Dum *Princeps Guaimarius* Constantinopolim, ut superiùs diximus, adhuc degeret, Athanasius dolo concepto in opus erumpens, Græcos, & Neapolites suos, seu omnes Capuanos generaliter convocans, super Avellanum misit Castellum, cui tunc præerat *Landolfus Suessanus*. Mox autem ut illis supervênit exercitus, fraude illorum, qui intus erant, captum est, apprehenso in eo Landolfo, & filio ejus juniore, nuruque illius, uxore videlicet Landonis, qui cum Guaimario profectus fuerat.

Per idem tempus Agareni, qui in Gariliano degebant, omnia denudabant. Et quando cum Salernitanis pacem iniebant, Neapolitanos, Capuanosque graviter affligebant; & quando Neapolitanis pacem dabant, urbem Salernitanam, seu Beneventanam hostiliter atterebant. Sed dum plura Castella invasissent, & Christianos palàm venumdarent, pervenerunt ad Castellum, cui nomen est Monte, & undique eum circumdederunt, eumque hostiliter expugnare cœperunt: Sed Christiani, qui de intus degebant, omnimodo resistebant. Sed dum Castellum illud obsedissent, in tantum, ut etiam veniam postulassent, adhuc ajebant: *Tamdiu illud Castellum expugnemus, donec per vim illud obtineamus, omnesque, qui in eo degunt, gladio transverberemus*. At illi preces Domino obtulerunt, & ab eo mirabiliter liberati sunt. Nam illico columba tam miræ pulchritudinis ex adverso veniens, undique Castellum illud circumvolitavit; deinde intro ingressa est, Ecclesiæque resedit. Sed cùm diu resedisset, illico omnipotens Deus tenuem nubem super Castellum obduxit, & abundantia aquæ Christianis pluit, tanta denique, ut omnes altrinsecus se satiarent, & vascula alternatim replerent. Et ut certo certiùs Agareni cognoscerent, quòd per deificam virtutem fuisset gestum, à foris Castellum illud ne una quidem stilla tetigit. Sed dum illi talia manifestiùs cognovissent, exinde sunt moti, adjicientes: *Deus magnus illos defendit*. Propter quæ pacem illis dederunt. In solemnitate Viti Martyris fuit hoc miraculum factum.

CAP. CXXXVIII.

HIis itaque decursis suasus præfatus Lando à Capuanis per quamdam tractoriam plaustro suppositam intromissus, Capuanam urbem ingressus est; atque ad Episcopalem abiit Aulam, ubi pauci ex suis congregati sunt. Athenulfo accelerante, tunc commissum est prœlium, mortuoque Gualano illustri viro . . . . . . (77) militiam promsit idem Athanasius, eamque sivit in tantum prorumpere, ut etiam Beneventi fines bis terque prædari faceret. Ayo autem Bari tunc Princeps degens, validè impugnabat Græcos. Cùm verò intellexit Neapolitanos residere super Capuam, & radicitus eamdem vastare: statim recto itinere super eos audaciter adventare studuit. Sed quidam naturaliter zizaniorum sator Dauferius urbem Beneventi subdolè egressus, ac si sequuturus Principem prædictum Ayonem, ex diverso Capuam citiùs properavit, & dicto exercitui Ayonis adventum indicavit. At Neapolites, Græcique, relictâ Capuâ, Neapolim sunt reversi. Ayo autem iter, quod cœperat, peregit; illisque minimè repertis, Liburiam cum magna audacia est ingressus, cum quo & Athenolphus abiit, & exustâ totâ penè Liburiâ, ac deprædatâ, populisque, & animalibus ablatis, puteisque lapidibus repletis, Amphitheatrum profectus est: Quo residens, per aliquot dies machinis, & diversis telis fortiter expugnavit. Tamdem abiens, super Castrum Sanctæ Agathæ insedit, atque Marinum Castaldeum, sibi rebellem in fide ad se remeantem abscessit. Tum aliquandiu Beneventi commorans, per Sipontum Barim reversus est. Et quia ut erat audax, minimè in propria residebat, sed certaminis campum quærebat. Athenolfus autem à Guaimario diffidens, eo quòd Landenolfum, Pandonemque, ceterosque alios germanos, qui erant per ipsum Athenolphum à Capuana urbe expulsi, in urbe Salernitana recepisset, atque crebrissimè terram illius deprædarent. Quapropter Ayoni Principi se subdens per sacramentum, ab eodem Principe in adjutorium sui CXX. bellatores suscepit, cum quibus totam Liburiam graviter deprædavit. Guaiferius enim, qui jam prolixa tempora Amphitheatrum degebat, per quem omnia mala in Capuana, Beneventanaque pervenerunt, à suis comprehensus est, vinctumque Athenolfo adduxerunt, opesque ejus inter se altrinsecus dispertierunt, atque se omnes Athenolfo subdiderunt; factumque est gaudium magnum, pax, & securitas; cœperuntque præesse, qui subesse soliti erant.

CAP. CXXXIX.

INterea videns se Athanasius in omnibus superatum, pudore abjecto pacem expetiit, fœdusque adeptus est, prævioque jurejurando pacti sunt ad invicem. Sed non diu perduravit sacramentum illæsum. Denique Agareni hàc illácque discurrentes, invitantur ab omnibus, omnia devorant, universa consumunt, & contra Neapolim, & Salernum unanimiter consurgunt. Sed Salernitanorum Princeps Guaimarius viriliter illis restitit; nam misso suo ex improviso exercitu, in itinere, quod Nuceriam pergit, catervam reperiunt Agarenorum, cum quibus bellum inchoarunt; atque Deo prævio Agareni devicti sunt; nam plurimi extincti sunt, aliquanti comprehensi; reliqui quamvis confusi per devia silvasque ad sua propria adierunt. Salernitani verò cum magno gaudio Salernum remearunt, suppellecti-

(76) Sive *Stratigo*. Ita appellati Militiae Duces, Magistri militum, & Provinciarum Rectores a Graecis.

(77) Heic una pagina excidisse videtur. Verum quae desiderantur, habes apud Erchempertum num. 68. Verba etiam sequentia apud nostrum descripta fuere ex eodem num. 71.

lectilem Agarenorum secum gestantes. Usque hodie locus ille *Pugna* dicitur.

Princeps audax, de quo præmisimus, Ayo à Benevento, ut diximus, per Sipontum Barim profectus est, super quam *Constantinum Augustorum Bajulum* (78) *& Patricium*, insidentem reperit, rebelles Imperatorum viriliter impugnantem. Adversùs quem dictus Princeps Ayo, ut erat magnanimus, audaciter insurgens, quamvis fultus auxilio Agarenorum, & vallatus agmine pedestrium Apuliensium, primo impetu victor existens, plures interfecit. Dehinc à Constantino, qui cum tribus millibus equitum in tuto consistebat loco, valde contritus, vix cum aliquantis urbem ingredi valuit Barum, reliquis aut gladiis, aut traditis captivitati. Et post eum magnis vocibus pedestres clamitabant. *Mi Domine Ayo paululum erga nos revertere, quia pedestres deficiunt*. Et usque hactenus proloquio utuntur Salernitani, & Beneventani verbo illo. Ayo infra urbem Barum residens suffragium poposcit Athenolfi, quem providè protexerat, immo ab hostibus potenter eripuerat, & non invênit. Gallos quoque, & Agarenos promisso auro sæpiùs mixtim invitans, obtinere nequivit. Nam à Guaimario Principe præsidium minimè poscebat, eo quòd Græci Salernitanam urbem omnimodo die noctuque custodiebant, & nimium evigilabant propter Agarenorum metum. Prædictus Princeps Ayo &c. *Vide Tom. II. pag. 291. & desinit*: illum videlicet revocabant.

CAP. CXL.

PRinceps sæpedictus Guaimarius, quamvis fœderatus unà cum filio suo, qui & ipse *Guaimari* nomine Salernitano Principatui præerat: attamen variis casibus ipse senior Salernitanos atterebat, licèt filio minimè complacebat. Salernitani valde nimirum fremebant; unde inter se conveniebant, & sæpissimè consiliabant. Tamdem quæ clam consiliarunt; in opere proruperunt, Legationem Magistro militiæ sæpe fato Athanasio, qui illo tempore Neapolitanis præerat, miserunt, dicentes: *Nobiscum inite fœdus, quatenus herum nostrum comprehendamus, aliumque Principem sublevemus*. *Herus* namque *Dominus*, aliquando *Sacerdos*, aliquando *vir fortis*, vel *potens*, vel *sapiens*; nam inter tres sensus dividitur, ita characteribus discrepans. Cum H aspiratione enim, sicut nunc annotavimus, Dominum dicimus; sinè aspiratione Sacerdotem; cum diphthongo autem, virum fortem, aut sapientem dicimus. Credo equidem, quia peritis sufficiunt testimonia ab imperito prolata. Iterum quæ obmisimus, delicatiùs prosequamur.

Athanasius prædictus cùm hujusmodi verba accepisset, valde gavisus est, atque ut id fieret, omnimodo gratulabatur; & Salernitanos exinde cohortandum misit, ut cœptum opus usque ad finem perficerent. Statimque Beneventum miserunt ad virum quemdam *Siconolfum* nomine, ut solicitus se gereret, quatenus si dignum fuerit, accipiat Principatus honorem. Fuerat namque idem Siconolfus filius cujusdam Sicardi. Sicardus dictus ex Beneventana civitate fuerat ortus, & unusquisque cum suis germanis exinde expulsus Salernum venerat, & aliquandiu ibidem morarunt. Deinde dictus Sicardus, unà cum prole sua est motus, & Neapolim adiit. Iterum verò, per suggestionem Principis Radelchisi, ejusque concivium, Beneventum regressi sunt, nominati: alii consanguinei Salernum remearunt. Ipse Siconolfus Beneventum minimè amabat: quapropter à Principe jam dicto Radelchisio Avellinum obtinendum suscepit: unde indesinenter, nocte dieque exinde satagebat, si forsitan arripere valeret principalem honorem. Unde legationem misit fato Athanasio, ut eum omnimodo adjuvaret ad obtinendum principalem honorem. Ille procax, immo denique Deo odibilis, qui fuerat bis terque cum Guaimario accomodatus, fidem datam oblitus, & abjecto pudore, Siconolfo misit intimandum, ut exinde indesinenter decertaret. Et adjecit: *Ego nunc mitto Salernum, & huc accersam Guaimarium juniorem Principem; & dum venerit, ex improviso eum comprehendo, ocyùsque vobis nuntiamus: Vos namque sinè aliqua hæsitatione arripitis principalem honorem*.

CAP. CXLI.

SEd dum Siconolfo hujusmodi verba delata fuissent, valde gavisus est, & clam omnia Salernitanis, qui in illo consilio erant, studenter intimavit. Statim, ut diximus, ille nefandissimus Præsul Athanasius nuntiandum Salernum misit, ut citiùs Guaimarius incunctanter Neapolim perveniret, essetque cum eo consiliaturus. Illico Guaimarius junior veloci cursu aliquantos secum ex Salernitanis tollens, ad Athanasium, cum quo dudum fœdus gesserat, pergere cœpit. At Salernitani agmine uno coacti arma cum ingenti audacia sumunt, mœniaque ascenderunt, tubisque cecinerunt. Et illico Avellinum miserunt, ut sinè mora Siconolfus prædictus veniret, & Principatum Salernitanum obtineret, *quia nos turres, mœnia, & portam, quæ dicitur Rotensis, possidemus*. At ille expectans responsum ab Athanasio, minimè est profectus. Unus ex Salernitanis Ursus nomine, Johannis filius cognomento Mauchus, agiliter Principem Guaimarium est subsecutus, atque in extremis Nuceriæ finibus eum reperit; & quæ acciderant, studenter indicavit. Ille Princeps, quamvis territus, civitatem rediit, erat enim adhuc adolescens; sed dum portam prædictam veniret, unà cum suis satagendo intrare, minimè potuerunt; quia Salernitani cum grandi strepitu super illos irruerunt. Quapropter idem Princeps portam, quæ est juxta mare, venerunt, ut unà cum patre properarent in exilio. Sed Johannes, quem supra memoravimus, hasta, quam manu gerebat, equi caput, super quo equitabat dictus Princeps, percutiens, in verba talia prorupit: *Revertere, revertere adolescens, atque pariter contra æmulos pergamus, eosque fortiter debellemus. Sin autem, illic nimirum pariter moriamur*. Statim cum ingenti audacia per plateas alias inibi abierunt, bellumque inchoarunt; sed pars Principis terga dederunt. Cùmque iterum utraque acies in unum adissent, idipsum pars Principis fugere tentavit; sed ipse Princeps cœpit plurima dona promittere, omnesque ad se vocare: quare multi cœperunt sodales suos linquere, proprioque Domino adhærere. Idem ipse Princeps voces magnas emittebat, & adversarios proprio nomine

(78) Melior haec lectio, quam quae apud Erchempertum num. 76. ubi *Augustorum Aulicum*.

mine acclamabat, asserens: *Inepta relinquite, & ad me properate, quia teste Deo omnia, quæ adversùs me gessistis, dimitto*. Et plurimi Principem sociabant, suosque relinquebant. Sed dum quidam Rodolgrimus proprios deserens Principi satageret se sociare, ejus filius Grimoalt nomine post eum cum magna virtute lanceam misit, ut patrem extingueret, sed nequivit. Quapropter quantum valuerunt, diu cum eis pugnarunt. Tamdem spe salutis ab eis ablata, eò quòd pars Principis prævalebat, & non tantùm telis à terra, sed etiam per murum, undique se arctatos aspicerent: turrem illam linquere cœperunt. Alii autem Principi per vim se subdiderunt; alii autem per murum cervice tenus à foris se jactaverunt. Cùmque Ursus filius Johannis, qui illo in tempore Palatii Scriba fuerat, prosperum sibi suisque sociis minimè fore conspiceret, turrem illam descendit, portasque aperuit, & quid ageret, nesciebat: statim una vetula ei est allocuta: *Ut video, tua sapientia versa est in stultitiam: tui pereunt, & tu hìc degis?* Illico quidam famulus Lodelgardi Diaconi advênit, qui ferebat equum cum sella. At Ursus exinde de equo famulum ejecit, & incunctanter illum ascendit, Neapolimque adiit. Ceteri alii, qui non evaserunt, valde sunt attriti, atque diversis suppliciis sunt macerati. Tamdem vincti Sirensum sunt deducti, & in ardua custodia sunt retrusi.

CAP. CXLII.

JAm dictus autem Guaimarius unà cum genitore prædictam urbem vehementer dominaverunt, necnon ab Agarenorum manibus eripuerunt. Erat siquidem illo tempore, ut diximus, sclavus Rodoalt vir strenuissimus, & dictis Principibus per omnia fidelissimus. Factum est autem, ut immensa multitudo Agarenorum Salernum, licèt per pacem, tamen in dolo tenderent, ut prædictam urbem invaderent. Cùmque portam dictæ civitatis introissent cum armis, Rodoalt ille sagacissimus, illorum cognoscens sævitiam, Principi studuit indicare. Illi verò non segniter exinde se gesserunt, & focos per plateas Salerni accenderunt, totamque noctem insomnem duxerunt. Alia die arma Agarenis tulerunt, & minimè Agareni urbem prædictam cum armis introibant.

Radelchis memoratus Princeps . . . .
Vide Tom. II. pag. 294. & desinit . . . . . .
suis ovanter rediit.

CAP. CXLIII.

IN ipsius temporibus inventum (79) est sacratissimum corpus Beati Matthæi in Lucaniæ finibus, atque cum debito honore per jussionem jam fati Principis Salernum deducitur. Sed quot signa, & miracula, & quomodo fuerit repertum, omnimodo nunc pandere obmittimus. Postmodum Deo annuente fidelibus innotescamus, atque huic Historiæ annectere faciamus.

Dum ipse *Landolfus* (80) præfuisset Samnitibus annos . . . . . (81) ab hac luce subtractus est. Beneventanorum Principatum ejus filii Pandolsus (82), & Landolfus bifariè regebant. Eo tempore Sanctæ Sedi Romanæ præerat Papa Johannes (83), filius cujusdam Alberici Patricii. Dum esset adolescens, atque hujusmodi vitiis deditus, undique hostium gentes congregari jussit in unum, & non tantùm Romanum exercitum, sed & Tuscos, Spoletinosque in suum suffragium conduxit, Populus quoque multus in armis, & cum magna virtute Capuanus properabat. Illico *Princeps Landolfus* consanguineos suos Salernum misit, quatenus eminentissimum *Principem Gisulfum* enixiùs obsecrarent; ut in ejus adjutorium sinè dilatione veniret. Ille verò talia audiens, protinus eum magna audacia, magnoque apparatu cum omnibus suis illuc properavit. Sed dum Romani, Spoletinique, & Tusci, adventum Principis Gisulfi reperissent, magno metu percussi, suos repetunt fines.

CAP. CXLIV.

DUm verò fama ejusdem Principis Gisulfi, & undique per diversas civitutes ejus gloria nimium flagraret, legationem illis Papa Johannes misit, quatenus in unum se conjungeret. Quapropter ipse Princeps minimè est moratus, atque cum magno apparatu per marinum iter Terracinam est profectus. Quo tempore jam dictus Papa cum non paucis Romanis ad eum venerunt; sed cùm faciem Principis, ejusque apparatum, Nobiliumque multorum, gloriamque illius cernerent, mirati sunt valde, dicentes: *Plus nunc vidimus planè, quàm nuper audivimus*. Et inter se fœdus alternatim inierunt, atque ad invicem sunt separati. Quid multa referam? Regnum Græcorum, Agarenorum, Francorum, Saxonumque nimirum ei obediebant; (84) atque suum Principatum illæsum obtinebat; & omnis populus sub sua ditione positus gaudebat, & exul-

(79) Translatio ista Corporis Sancti Matthaei Apostoli ab Ughellio refertur ad Annum 954. Et eo quidem tempore Salernitanis praeerat *Gisulfus I. Princeps*, cujus ante mentionem fecerat Historicus noster in parte illius jam edita a Peregrinio pag. 298. Tom. II. hujus Collectionis. Sed fortasse anticipandum tempus; Sequitur enim noster enarrare gesta *Landolfi I. Principis Beneventani*, qui Anno 943. diem supremum obiit.

(80) Scilicet eo tempore Beneventi & Capuæ Princeps, fato functus, ut dixi, Anno 943.

(81) Numerus annorum Landolfi I. heic desideratur. Sed vide Stemma Principum Langobardorum ex genere Atenulfi Comitis Capuae & Principis Beneventi, cujus Landolfus iste fuit filius, a Peregrinio editum Tom. II. Rer. Italicar. pag. 326.

(82) Ambos Landolfi I. filios appellat Salernitanus noster. Sed fallitur. *Pandolfus* enim *Landolfi* ejusdem, qui Secundus appellatur, filius fuit, uti evidenter liquet ex Chartis Monasterii Vulturnensis pag. 422. & seqq. Part. II. Tom. I. Collectionis hujus, & ex iis, quae adnotavit Peregrinius in Hist. Princip. Langobardor. *Pandulfus* autem cum patre *Landulfo II.* regnare coepit Anno 943.

(83) Nempe X. Papa. Hic autem a nostro dicitur *filius cujusdam Alberici Patricii*. *Cujusdam* pro *quondam*, uti in Antiquitat. Estensib. pag. 316. aliis exemplis ostendi. Filius, inquam, *Alberici*, non autem *Adelberti* Tusciae Marchionis, uti habet corruptus Liutprandi Ticinensis textus, quem emendandum monui Tom. II. Rer. Italicar. pag. 476.

(84) Aut vitiata vox, aut mitius exponenda. Scilicet cum eo amicitiam servarunt, aut ei munera conferebant, ut sibi amicum, sive minime adversantem haberent.

exultabat; & non erat, qui exterreret eos.

Per idem tempus pestis valida fuit infra Principatum Salernitanum, & multi ex eis interemti sunt, domusque plurimæ vacuæ remanserunt, donec Cives cum magna instantia precum Dominum obsecrarunt: & tunc pestis ipsa quievit. Tanta denique pluviarum abundantia fuit, antequam pestis ipsa eveniret, tantaque tonitrua, & coruscationes, quales numquam seniores nostri noverunt, atque pars montium ciciderunt.

Hac tempestate Italiæ Rex præerat. *Vide Tom. II. pag. 299. & desinit* . . Salernitanis jam credebant . . . . .

Tumulus Dauferandæ (85) *uxoris Roffridi V. Cl.*

CAP. CXLV.

N*Obilis, ac celebri proavorum fœmina stirpe,*
Vivâ manens meritis hìc sua membra locat:
Hæc viduata viro, cujus per sæcula fama est,
Ferre pudicitiæ vovit ab inde jugum:
Dauferanda *huic patrio datum est de nomine nomen*
Regia progenies cujus ubique patet.
Quanta tamen Rofrit *fuerit, qualisque jugalis*
Quisquis hoc ignorat, nec . . . . . (*) *capit:*
Carpere quos pariter dum vitæ contigit auras,
Plura Deo statuunt templa referta bonis.
E quibus hoc unum est, quo se natumque recondit
Mater, & in tabulis consociare jubet,
Sanctorum meritis ut captent præmia vitæ,
Hiis pete, qui nostrum advena gramma vides.
Ter ternis vitæ consummans tempora lustris,
Septenis Martis Idibus æthra petit.
Obiit die XVI. Kal. Novembris.

Tumulus Adelferii (86) V. Cl.

C*Lausus in hoc tumulo juvenis quiescit humatus,*
Exspectans iterum surgere vivus ab hoc.
Dictus Adelferius *fuerat de nomine quondam,*
Utroque ingenuus nempe parente fuit.
Robustus, strenuus, primævo in flore puellus,
Insidiis socium deperit, atque ruit.
Quatuor expletis lustris, annoque secundo
Procubuit moriens, hacque locatur humo.
Huic, rogo, mortales veniam implorate peremto,
Crimine demisso scandat ut astra poli.

Tumulus (87) Roffridi V. Cl.

B*Ardorum fulget magno de germine* Rofrit,
Cui Palatina micat intima valde domus.
Nobilis iste fuit multùm; sed dives in urbe,
Et multas nimium novit habere dapes.
Jocundus semper, necnon facundus Amicus,
Atque probus famulis verba jocosa dabat.
Formosus facie, rubroque hic crine refulsit,
Mellifluam vocem promsit ubique suis.
Ditavit famulos, coluit sed rura potenter;
Dona dedit multis, auxit & ipse domum.
Bis senis vitæ complevit tempora lustris,
Æterni spatii cœpit habere viam.
Christicola, culpis hujus deposce Tonantem,
Habens * *vestigia* (88) *spiritus intrat aquas*
Sed Paradisiacas epulas sinè fine capescat,
Nec meritis propriis hunc stimulare sinant
Angelicis manibus septum hinc inde precare
Spicula ne possit magna timere mali.
Nec totum cecini. Pro magnis suscipe parva.
Sacra poli pateant Regna beata tibi.

Carmen (89) Anonymi Salernitani hujus Historiæ Auctoris ad Pandulfum Principem Capuæ, Beneventi, & Salerni.

V*Ir bone, dulcis, amans, mitis, Serenissime Princeps.* (90)
Armis, ajo, Dei auxiliove potens.
Hanc, quam misit iners, cape, deprecor, Historiolam.
Perlege cuncta libens, abdita corde tege.
Hanc quia insontem lacerant, quicumque supersunt,
Et rodunt fantis famina vera crebro.
Et si indigna tuli imprudens, prudentiùs en tu
Ignosce ignaro, aut calamo reseca.
Aurea nam Capua sinè Principe desiit esse.
Ticinum (91) *geminum heu viduata manes.*
Judicibus tumuit sive subjecta superbis,
Hostibus innumeris hinc spoliata gemit.
Sentibus & rhamnis tabefactaque tota fatiscit,
Civibus exuta, atque referta feris.
Lux redit ecce nova, altorem cùm suscipit, illi:
Te quoque magnanimum gaudet adesse patrem.
Gemmea nunc iterum exultans urbs cantibus, odas
Principe sub tanto euge canendo boat.
Lusibus exultat, gaudet, splendet, nitet omnis
Ætas, conditio, sexus uterque nimis.
Tempore præterito tellus divisa malignè
Unitur tuo ecce, tuente Deo.
Aëra, Terra, Polum, Freta, Mundi climata tota
Alleluya canant laudis amore tuæ.
Tu fretus pietate Dei exime gente profana.
Christicolum populum, oro, mucrone tuo.
Te Deus ipse regat, foveat, Virgoque Maria,
Concio Apostolica, agmina sancta novem.
Det

(85) Titulum ego apposui. Nobilis haec mulier, uti ex Carmine constat, patrem habuit *Dauferium* fortassis Magnatem illum Beneventanum, qui Grimoaldo Storesaiz Principi Beneventano circiter Annum 815. rebellis fuit, & Erchemperto memoratur num. VII. Conjux *Rofrit* Dauferanda dicitur; hic autem *Rofrit* is esse potuit, qui ab Anonymo nostro num. 28. appellatur *filius cujusdam nobilissimi viri Dauferii*. Si vero hic Dauferius, cognomento *Propheta*, idem forte fuerit, ac Dauferius rebellis Grimoaldo; alium Dauferanda parentem habuerit: De *Rofrit*, sive *Roffrido* multa refert noster num. XLVI. & seqq. Vide infra ejus Tumulum.

(*) Fortasse desideratur *metra*.

(86) Et heic titulum addidi. Adelferius hic num ille, qui ab ipso Anonymo nostro inter edita a Peregrinio pag. 280. Tom. II. Collect. hujus appellatur *Gastaldus Oppidi Avellini*, & *nepos magni Rofrit*?

(87) Qui *Rofrit* a nostro appellatur, ac saepe in hoc eodem Libro memoratus est num. XLVI. & seqq. vir inter Beneventanos nobilissimus, & Sicardo Principi carissimus.

(88) Imperiti amanuensis sphalma, conjectura mea, ita corrigendum. *Abiens ne Stygias spiritus intret aquas*. Equidem novi, illud *abiens* non bene sedere; verum non ita Poeta iste delicatus, ut eum dedeceat Prosodia aliquando contemta.

(89) Hoc idem habes jam editum a Peregrinio pag. 306. Tom. II. Rer. Italicar. sed non pigeat rursus legere.

(90) Idest Pandulfus cognomento Caputferreus, qui Principatum rexit Beneventi, Salerni, & Capuae, atque etiam Dux fuit Spoleti, & Marchio Camerini. Ejus mors ad Annum 981. spectat.

(91) Hoc est alterum Ticinum; ita enim Beneventum appellat, uti jam Peregrinius adnotavit.

Det tibi lætitiam vitæ, Regnique triumphum.
Post funus tribuat Regna beata tibi.
Tu quoque belligerator Ave, fortissime Princeps
Salve, & ubique vale tempus in omne tuum.
*De instructore * blebe in Carminis hujus*
Commendo in sursum, vir pie, sive potens.

Romani (92) Pontificis incerti epistola ad quemdam Constantinopoli agentem.

„ QUoties de urbe Regia ad nos aliquis venit, curæ nobis est de corporis sospitate vestri perquirere; sed peccatis nostris facientibus, & semper audio quæ me tœdet audire, quia in tanta tenuitate, atque debilitate vobis referunt dolores excrescere. Sed oro omnipotentem Dominum, ut omnia, quæ in corpore vestro aguntur, ad salutem animæ dirigantur, flagella temporalia æternam vobis quietem præparant; & per eos dolores, qui cum fine sunt, gaudium vobis sinè fine concedat. De Beati Petri Apostoli rebus, quamvis parva sunt, quæ offerantur, pro magna semper benedictione suscipienda sunt; quoniam & hic nobis valebit majora impendere, & apud omnipotentem Deum beneficia æterna præstare, quæ petimus sinè injuria suscipi. Quoniam non in hoc vobis nostra oblatio, sed sancti Petri Principis Apostolorum offertur.

Catalogus prædiorum Potonis ditissimi viri.

REcordatio facta à me. Ego (93) Poto de Curtis, & rebus substantiæ meæ, quas mihi nunc pertinere videntur, inde notitiam facimus vobis filiis, & nepotibus meis, de iis Curtis nostris, quæ per singula loca habemus:

In primis Curtem in Serra.
Curtem in Potesanu.
Curtem in Perticata.
Curtem in Casale Johannis.
Curtem ad Rubianum.
Curtem in Ruite clari.
Curtem in Padule.
Item subscriptæ Curtæ fuerunt Causilioni.
Datæ fuerunt nobis per Autulum Aurificem.
Curtem de Marmuni.
Curtem de Rivalvini.
Curtem de Pitilianu.
Curtem in Materno propriu loco Gelegete.
Curtem in suprascripto loco Gelegete.
Curtem in Catole.
Curtem ad Salicem, qui fuit de Alaxis.
Curtem in Termule.
Curtem in Madanicu.
Curtem in Aquasata.
Curtem in Porticello.
Curtem in Malliano.
Curtem in Portari.
Curtem in Gejura.
Curtem in Pescolari, quam à Brando, & Ancelfrit carrubiatam habuimus.
Curtem in Felictu.
Curtem in finibus Salernæ in Barbazano.
Curtem in Campo Famelicu, ubi ad Sanctum Doninum vocatur.
Curtem ad Lunatis.
Curtem ad Buinianum.
Curtem in Cauduni.
Curtem in Triciu.
Curtem in Salice.
Curtem in Cardulisi.
Curtem in Ambicitu.
Curtem in Moliarino.
Curtem in Criti, quæ dicitur de Criveristi, quam per Donatum, & Johannem emtam habuimus.
Curtem in Sabezana.
Curtem in Banie, ubi dicitur ad Sanctam Felicitatem.
Curtem in Vinianu.
Curtem in Planu.
Curtem ad Auri.
Curtem in Tamaricellu.
Curtem in Scarpulani, quæ dicitur de Mais.
Curtem in Mussanis.
Curtem in Mequana.
Curtem ad Iscla.
Curtem in Teternu.
Curtem in Petoranu.
Curtem ad Testazzu.
Castanietum in silva, quæ dicitur de Furti, propinquo Casali de Pergole.
Castanietum ad Sanctum Trifonem propinquo ipsi Curti Potenandi. Pastulum nostrum infra Civitatem Arpu, & Fabianu, quam habuimus per Galpertum, & Gualfasum germani.
Curtem ad Rustinum.
Curtem de Sinderisi in Canose, quæ fuit commune cum Curte Domini Siconi portionarii nostri.

Hæc omnia suprascriptæ Curtis, quæ habuimus in finibus Beneventanæ, excepto ipse Curti, quas habuimus in Latinianu, quæ non sunt hîc abbreviatæ.

Hæc omnia suprascriptæ Curti, quando vobis opportunè fiunt, inquirite ipsa munimina, & invenietis ibidem, quod vobis necesse erit facere. Et orate pro me, & pro genitore vestro.

Arderici (94) Carmen ad Roffridum Comitem illustrem.

O Comes, excelso præfulgens culmine Rofrit,
Pectore Pierium percipe Poema pio.
Mos tuus, & species nam prodit, & actio, quicquid
Ardericus refero, hæc ego pauca boans.
Promere nam dignum nequeunt te pagina, mille
Ora,

(92) In Codice subsequebantur quisquiliae, quas deperire non sivi. Hanc autem Epistolam ad illustrem quempiam virum scripsisse mihi videtur unus ex Romanis Pontificibus. Quis vero, mihi ignotum. Num Gregorius Magnus? Certe ab ejus stilo minime abhorret. Ulterius inquirere non vacat.

(93) Radelchis Beneventanus Princeps in Capitulari divisionis Principatus Anno 851. quod habes pag. 260. Tom. II. Collectionis hujus, in fine pollicetur, se redditurum Siconolfo Principi Salernitano captivos quosdam, si & ille sibi reddiderit *Potonem nepotem meum*. Ad hunc Potonem spectare suspicor indiculum harum *Curtium*, tum quod ditissimus ac illustris vir heic designatur, tum etiam quod ipse memorat *Curtem de Sinderisi in Canose* (idest, ut puto, in agro Canusino) *quae fuit commune cum Curte Domini Siconi portionarii nostri*. Nomen *Siconis* cum adjecto titulo praeclarissimo *Domini*, mihi innuere videtur *Siconem*, qui *Radelchisum* in Beneventano Principatu praecessit.

(94) Vide Praefationem meam in hunc Librum, ubi quae mea conjectura sit de hoc *Arderico*, & *Roffrido Comite* heic laudato, exposui.

Ora, stilique. Loquar parcius ipse tamen.
Stirpe satus celsa, renites virtutibus almis,
Ardentes oculos cordis in arce gerens.
Carne es sic pulcher, sic pulcher acumine sensus,
Alter te ut nullus pulchrior esse queat.
Es patiens, verax, solers, mitissimus, insons,
Præsagus, promtus, dapsilis, atque potens.
Tu concors, prudens, dives, moderatus, honestus,
Nosceris in cunctis Orbis, opime, locis.
Facundus, castus, clemens, cautusque, benignus,
Jucundus, miserans, fortis, amandus, amans.
Famosus, clarus, verecundus, promtior, audax,
Angelicus, dulcis, æquus ubique manens.
Longanimis, lætus, vivax, elegansque, quietus,
Pacificus, largus, magnanimisque, sagax.
Astutum, sobrium, parcum, facilemque, piumque
Te cecinit Mundus omnis amore sacro.
Communem, gratum, justum, fidumque, pudicum,
Te docet, ac humilem, actio sancta tua.
Te Paradisi acuit divino dogmate fervor.
Fastibus, & dapibus frueris axe datis,
Astrigeros calles reptas pro moribus Aulæ:
Scandere jam summos crederis, alte Comes.
Urbs valet in magno ceu sistens monte latère,
Sic latitare tua jam bona cuncta queunt.
Qualiter abscondi poterunt magnalia tanta,
Quæ tellus, quæ æther clamitat, atque tonat.
Te bona cuncta volunt; vis tu bona cuncta, tenesque
Te fugit omne malum, tu fugis omne malum.
Sardius, & cuncti lapides, pariterque smaragdus,
Te decorant, vellet sicque beryllus, onyx.
Jaspis, carbunculusque, topacius, atque hiacynthus,
Chrysolithus, nec non teque zaphyrus amant.
Te varius Secli flos, te redimicula cuncta,
Te nix, crystalli, te aurea flamma cupit.
Tu Coluber prudens, simplex sine felle Columba,
Fessorum requies, spes inopumque manes.
Aut sensus præfert te te Salomonicus amplus,
Vultu Absalonico, superorumque decus.
Robore Samsonem, Achitofel consultibus arces.
Te piè omni populo Græcia major alit.
En quia te tantum virtutum culmen adhæsit,
Ut mihi sis carus, opto precando Deum.
Te genus, & sensus det cunctis esse sodalem,
Te mihi propitium præstet amica fides.
Ne exiguum spernas me, qui præ nectare mellis
Diligo te: placeat sed sociare mihi.
Hinc ego te patrem, matrem, fratremque sororem
Optatam reputem, corpore, corde dolens.
Laudum jamque precum finito Carmine, Christus
Concedat nobis, dicta quod ista docent.

Carmen in laudem Landulfi (95) Principis Capuani, aut Salernitani.

Eja fratres decantemus Carmina dulcissima,
Ad Landulfi Domini laudem sublimis Patritii,
Ac ejus recenseamus cuncta felicissima.
Ortus fuit ex Bardorum stemmate clarissimo.
Illi, de quibus duxit parentes propaginem,
Omnium Vardiginarum exstitere Principes.
Sapiens in verbis iste, prudens in operibus;
Audax nimis, velox, fortis, Rex David ut extitit.
Sicut navigator desiderat ad portum venire,
Ita Scriptor Librum desiderat finire.

(95) Inter tot Landulfos Principes a Peregrinio memoratos in Stemmate Atenulfi I. pag. 326. Tom. II. Rer. Italicar. etsi non constet, quis fuerit memoratus heic Landulfus, attamen Landulfum IV. qui cum Pandulfo Caputferreo patre per ea tempora regnavit, heic innui verisimilius puto; is enim Anno 980. quo Salernitanus ipse floruit, & Capuae ac Salerno est dominatus.

DEO GRATIAS.

CHRONICON
FARFENSE,
SIVE HISTORIA
MONASTERII FARFENSIS
AB EJUS ORIGINE,
HOC EST
Ab Anno circiter DCLXXXI. usque ad Annum MCIV. deducta,
AUCTORE
GREGORIO MONACHO
ET CHARTOPHYLACE EJUSDEM CŒNOBII,
NUNC PRIMUM
E MANUSCRIPTO CODICE CARACCIOLANO
DESCRIPTA,
ET JURIS PUBLICI FACTA.
Accedunt breves Notæ
LUDOVICI ANTONII MURATORII.

IN CHRONICON FARFENSE PROLEGOMENA LUDOVICI ANTONII MURATORII.

NIhil est, quod ultra Lectores moneam, Chronica quoque Monastica non solum ad Ecclesiasticam, sed etiam ad Secularem Historiam plurimum subsidii adferre posse. Jam illud, vel me tacente, apud Eruditos compertissimum est. Tum late olim propagatus fuerat, atque ad tantum potentiae, pariterque opum cumulum, Benedictinus Ordo sensim conscenderat, ut Monachis plura cum Seculi atque Ecclesiae Principibus negotia forent, ipsique eorum Abbates in Romanorum Pontificum, Imperatorum, ac Regum Curia cogerentur interdum versari, & ad ardua etiam Reipublicae consilia ac munia adhiberentur. Inter cetera vero Italiae Monasteria *Farfense* potissimum olim splenduit, in agro Sabinensi, & Ducatu Spoletano, ad fluvium Farfam situm, & circiter quadraginta passuum millia ab ipsa Urbe Roma distans. Ibi *Sanctus Laurentius*, si Chronographo nostro in hoc fides, natione Syrus, sive Latinus, Episcopatu deposito, Monasteriolum primus aedificavit, atque a secularium rerum tumultu segregatus, diem clausit extremum. Ughellus in Italia Sacra eum inter *Sabinenses Episcopos* recenset; tum quae jam statuerat, oblitus, eumdem *Spoletanis Episcopis* accenset: quod postremum etiam Clariss. Mabillonius in Annal. Benedictin. & Campellus in Hist. Spolet. sunt opinati. Mihi utrumque sine legitimis tabulis, sine idoneis testibus affirmatum videtur; incertaque, non secus ac de loco Episcopatus, omnia puto, quae de illius tempore recentiores attulerunt. Et ne ipse quidem Farfensis Chronici Auctor, cui, & Petro Damiani, hanc Sancti Laurentii Episcopi mentionem debemus, haec novit. Stetit Farfense Monasteriolum Sanctae Mariae, donec Langobardi Anno 568. in Italiam irruentes, atque in Orientalem plagam fortunato victoriarum successu penetrantes, locum populati, desertum prorsus reliquere: quod calamitatis genus insigni etiam Cœnobio Casinensi, aliisque sacris locis, lacrymabili tempestate illa accidisse, veteres tradunt Historici. Nullus deinde per annos multos sacro aedificio everso cultus, sed demum circiter Annum 681. illuc divertens *Thomas Presbyter*, e Maurienna Galliae Transalpinae Civitate oriundus, instaurandum suscepit Monasterium, cui *Faroaldus Dux Spoletanus* paucos post annos praedia complura largitus, privilegia etiam amplissima contulit, aliaque ab Apostolica Sede impetravit. Tanta subinde Cœnobio huic magni nominis fama, ac opum copia accrevit, ut quamquam gravibus nonnumquam, tum internis, tum externis procellis quateretur, attamen splendorem suum semper retinuerit, & spirituali non solum & poene Episcopali, sed etiam temporali in plura Castella jurisdictione donatum fuerit: quam dignitatem nostris quoque diebus tuetur Eminent. S. R. E. Cardinalis Franciscus Barberinus, perpetuus ejusdem Monasterii Abbas Commendatarius. Atque heic praecipue commemoranda est magni momenti sententia, quam in hoc eodem Chronico sine ulla dubitatione protulit Chronographus noster ad Annum 927. in haec verba scribens: *Igitur per multa annorum curricula Monasterium hoc a Sanctis Patribus honestissime ac religiosissime disponebatur, atque in dies augebatur, & accumulabatur in spiritualibus corporalibusque beneficiis, non mediocriter, sed perfecte; ita ut in toto Regno Italico non inveniretur simile huic Monasterio, nisi quod vocatur Nonantulae*. Haec desumsit Chronographus ex Opusculo Hugonis Abbatis, cujus infra mentio mihi recurret. Et quidem heic ingens decus Farfensis Coenobii nobis occurrit, quando ne ipsum quidem Casinense Monasterium excipitur, quamquam a tot seculis celeberrimum ac ditissimum. Unum *Monasterium Nonantulanum* dicitur certare iis temporibus potuisse cum Farfensi; quae res in singularem Mutinensium gloriam cedit,

cedit, ut nemo non videt, quum in agro nostro situm olim fuerit, & adhuc sit hoc Monasterium, & fruatur pinguibus reditibus, & propria ac ampliori etiam Dioecesi quàm Farfense Monasterium.

Itaque celeberrima haec Farfensis Coenobii dignitas aliquem poscebat, qui ejus Privilegia, atque Abbatum seriem & acta describeret. Fortassis excitarat laudabilem quamdam aemulationem in Farfensium Monachorum praecordiis Casinense Chronicon, iis ipsis, ut conjecturae ferunt, temporibus tanta cum sui laude editum a Leone Marsicano Episcopo Ostiense, cui locus est datus in Tomo IV. Collectionis hujus. Neque enim ejusmodi decore fraudanda videbatur illustris, & non impar Farfensium Congregatio. Inventus est igitur Monachus, qui hanc Spartam exornandam suscepit, efformavitque Chronicon nunc mihi in lucem proferendum. Fuit is *Gregorius*, ejusdem *Farfensis Monasterii Monachus & Chartophylax*, sive *Archivo Praefectus*, & quidem synchronus eidem Leoni Marsicano, immo ante eum e vivis ereptus. Sunt ejus verba infra in Chronico legenda: *Trigesimus septimus hujus sacratissimi Coenobii Pastor exstitit Domnus Abbas Berardus, noster ab annis primaevis heic receptor, & nutritor diligentissimus*. Berardus iste Abbas, primus hujus nominis, Farfensi Monasterio praeesse coepit Anno 1047. & post longam vitam Anno 1089. diem supremum obiit. Eo ergo tempore Gregorius noster, pro ut in usu tunc erat, puer educandus sub Monachorum Farfensium disciplina, ac praecipue sub Berardi I. egregii Abbatis cura, est traditus. Ipsomet etiam Chronographo teste, vix postremum spiritum emiserat Berardus iste Abbas, quum orta est inter nos dissensio de Abbate eligendo; ac demum, ut ille scribit, *nedum humato praedicto Pastore, Domnum Rainaldum elegimus*. Quae verba, uti & quae sequuntur, satis indicant, immo crederem, *Gregorium Monachum*, hujus Chronici Auctorem, jam Anno 1080. non solum Monastica veste indutum, sed etiam novi Abbatis electioni suum votum addidisse. Verum si quis uberiora de Gregorio isto cupit, accipiat, quae de eo scripsit Johannes Grammaticus, illius in Coenobio Farfensi consodalis & aequalis, in Praefatione ad Chartarii Farfensis Volumen Tertium, de quo infra mihi erit sermo. Ita ille, monente Cl. V. Mabillonio in Musaei Ital. Tom. I part. II. *Incipit Prologus Domni Johannis Grammatici super hujus operа Libri, Imperante Domno Henrico Quarto, Romanorum Patricio & Imperatore, ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi Anno MXCII. Indictione XI. Decimo tertio Kal. Majas, divina inspirante gratia, placuit Domno Beraldo Reverentissimo Abbati hujus Ecclesiae Farfensis* (is est Berardus II. Abbas) *nobilissima gente progenito Florentiae Urbis, quatenus hujus sacri Coenobii universa Privilegia & Praecepta, nec non & Tomos, & legales Chartas, nimia jam vetustate jam poene consumta, in unum volumen colligerem, eaque ad memoriam posteritatis studiosissime declarata, veracissime transcripta relinquerem. Eo scilicet modo, quo scripta erant per manus confratris nostri magnae sagacitatis GREGORII, Comitatu Sabinensi oriundi in Castro Catinensi, nobilissimis parentibus progeniti, & nostrae Ecclesiae fere ab infantia lacte enutriti*. Catinum ergo Castrum, paucis a Farfense Monasterio passuum millibus distans, Patria *Gregorio* nostro fuit; parentes vero *nobilissimi*, fortasse quod illi Castro dominarentur. Subdit Johannes Grammaticus versus quosdam de *Gregorio* nostro, ejusque fratre *Donadeo*, quos ambos eorum pater in Monasterio Farfensi Deo obtulisse memoratur cum non modica pecuniae summa, sub Berardo I. Abbate. Inde vero elicias, Donadeum natu majorem Anno 1068. finem vivendi fecisse, & Gregorium ipsum e vivis ereptum Anno XVIII. post susceptam Monasticam vestem. Hinc minime constat, quo Anno revera Gregorius finem vivendi fecerit. Sed quum is Anno 1089. uti significavimus, jam Monachorum albo fuisset inscriptus; & Thodinus alter Monachus testetur, se Chartarum collectionem ab Anno 1098. continuasse, quam Gregorius Chronici hujus Scriptor, ipsius Thodini, sive Theodini consanguineus, *prae caligine oculis persequi minime potuerat*, usque ad Annum saltem 1100. vitam produxisse Gregorius credendus est. Verum in Chronico ipso Acta quaedam referuntur ad Annum 1104. spectantia, quæ si a Gregorio ipso scripta sunt, necesse est credere, eo usque, & fortassis ultra inter vivos ipsum fuisse versatum. Ego tamen haec potius arbitror additamenta per alium quempiam facta; jam enim Gregorius Anno 1098. oculorum vitio laborare coeperat. Certe non ipse, sed alter post ejus mortem in Librum hunc intulit Privilegium Henrici Regis V. Imperatoris IV. datum Anno 1118. nam ante ea tempora Gregorius noster desiisse vivere censendus est.

Opus autem istud dicavit Chronographus *Beraldo Abbati*. In ea fuit sententia celeberrimus Mabillonius tum in Musaeo Italico, tum in Annalibus Benedictinis, significari heic *Berardum* hujus nominis *Primum*, Farfensem Abbatem, qui, uti supra monui, fato postremo functus est Anno 1089. Unde hoc ille hauserit, incomper-

pertum est mihi. Equidem video, multa heic narrari de successoribus Berardi I. ac praecipue de *Berardo* aut *Beraldo III.* sive *Berlando*, qui Anno 1099. Farfensis Abbas renuntiatus est. Ergo aut ista Auctorem non habent Gregorium Chronici Scriptorem, aut si habent, par est credere, jamdiu e vivis sublato Berardo I. & regente Monasterium Berardo II. aut hujus successore Beraldo Abbate, haec literis consignata a Gregorio fuisse. Quod animadvertas etiam velim, ille in Praefatione conqueritur, *Antecessorum* Abbatum culpa sibi quae ad victum vestitumque necessaria sunt, defuisse. Immo quum duos alios praegrandes Libros improbo labore jam conscripsisset ad utilitatem Monasterii haec addit: *Deo teste, recte profiteri valeo, illum priorem & magnum Librum me non fecisse de hujus Monasterii substantiis, vel adminiculo cujusquam Praelati, sed de manuum mearum laboribus*. Uti vidimus, sub Berardo I. Abbate Monasticam professionem amplexus est Gregorius; non ergo ad eum querimoniam detulisset de *Antecessoribus*, aliisque *Praelatis* sibi parum aequis, ubi eidem Berardo I. Librum hunc dicasset. Itaque videndum, num potius Berardo II. Florentino, aut Beraldo Abbati (sive illum Berardum III. appellare mavis) nuncupatum fuerit Chronicon istud. Eamque opinionem vehementius persuadere mihi videtur, quod jam absoluta praecedentium *duorum Voluminum* conscriptio fuerat, hoc est opus non nisi plurium annorum labore complendum. Sed quando monuimus, praeter Chronicon hocce a Gregorio nostro *Volumina duo* digesta fuisse, quae longe ante hocce Chronicon ille complevit, locus poscit, ut quid illic quoque hominis industria complexa fuerit, edisseram. Scilicet infatigabilis iste Monachus, hortante Berardo, sive Beraldo Abbate, universas Chartas, cunctaque Privilegia ac Instrumenta Archivi Farfensis (cui praefuisse creditur) sua manu descripsit, atque in duo Volumina redegit, ambo ingentis molis, multique operis. Primum in Praefatione ad Secundum Librum vocat *Cleronomialem, idest hereditalem*; alterum vero *Largitorium, vel Notarium, eo quod res Monasterii notet ab ejus Rectoribus possessas, vel alicui petenti legaliter sive usualiter largitas*. Similis subinde Liber a *Johanne Grammatico*, uti jam significavi, concinnatus fuit, nulla ab ambobus vitiosae Latinitatis mutatione facta. Illic ergo collectae Romanorum Pontificum Bullae, Imperatorum Diplomata, Ducum, Episcoporum, aliorumque piorum hominum Donationes, tum *Placita*, & *Judicata*, *Concambia*, *Libelli emphyteuseon*, & Chartae quaelibet reliquae ad Farfense Monasterium spectantes ab origine loci usque ad Annum ferme MXCVIII. Pretiosa sane Volumina, & auro minime redimenda; quippe tantam antiquitatum segetem complectuntur conjunctam simul, qualem vix alterum in Italia Monasterium ostendere possit. Quodque non mediocri felicitati tribuendum, tam insigne Chartarium temporum injurias hucusque evasit, & adhuc incolume in Farfensi Coenobio adservatur. Magno olim usui fuerant Volumina haec Clariss. Mabillonio, ut ipse testatur, ad contexendos Benedictini Ordinis Annales; & aliquot monumenta inde excerpta idem etiam evulgavit. Aliis quoque Eruditis ad nostra usque tempora patebant; sed nescio quo fato paucos ante annos in custodiam tradita, & nemini, aut paucis jam invisenda, utilitate, quae inde maxima evenire poterat, eruditam gentem fraudare pergunt. Familiaris autem olim fuit & aliis Monasteriis, atque Episcopiis, saluberrimus hic usus inferendi in unum Codicem quidquid ex antiquis Chartis supererat, ut si hae tot casibus obnoxiae de medio tollerentur, Chartularia illa subsidiariam opem praestarent. Verum pleraque ex istis Chartulariis jam irreparabili jactura perierunt; nonnulla vero, excisis jamdudum ac deperditis membranis omnibus, illaesa perdurant, & locum Archivi expilati, aut igne absumti nunc tenent.

Sed ne satis quidem religioso ardori suo fecisse visum est Gregorio Monacho, quamquam ad umbilicum perduxisset praegrande Chartarium Coenobii Farfensis. Intellexit ille demum terrori futuram Monachis tot veterum tabularum syllogen, ac spissum illud Opus vix paucis fore legendum. Quamobrem in animum induxit, ut idem scribit in Praefatione, *de priori Chartario magno, & sequenti breviori Libello, tertium Opus efficere brevissimum, ut lectus & relectus sine toedio hic Liber, & frequentius, magnam solertiam, utilissimamque cautelam praebere valeat eo utentibus, & notitiam bonorum omnium hujus Monasterii administret praesentibus, posterisque Rectoribus, fastidio magnae remoto rei, studioque adhibito perfectae utilitatis*. Tertium ergo Volumen hoc a Gregorio Monacho confectum, nihil aliud est quam *Chronicon Farfense*, quod nunc primum publici juris facio. Nimirum intulit ille in hunc Librum praeclariora quaedam ex Privilegiis sacri illius loci, & reliqua fere omnia monumenta, quae in ambobus praecedentibus magnae molis Codicibus integra legebantur, heic brevitate compendiosa innuit ac memoravit. Ad haec addit originem Monasterii, sin-

singulorumque Abbatum seriem, & acta, quaecumque rescire potuit, immixtis etiam quibusdam ad Historiam temporum pertinentibus. Ex his constat Farfense Chronicon, ab Anno circiter 680. (quo condita sive restaurata fuit Farfensis una cum Coenobio Ecclesia) deductum ad Annum circiter 1104. Si pretium Operis quaeras, libens ego fatebor, eadem heic occurrere incommoda, quae in *Chronico Vulturnensi* Part. II. Tom. I. Rer. Italic. jam per me evulgato animadverti. Nempe universa ferme, quae heic habentur, in recensendis oeconomicis Monasterii monumentis versari. Nullas virtutes, nulla Abbatum aut Monachorum egregia facta prodi, neque interseri Principum Seculi; aut sacrorum Pontificum res gestas: quod praestitit laudabili consilio in sua Casinensi Historia Leo Marsicanus. Accedit alterum, & quidem longe molestius incommodi genus, videlicet immanis illa enumeratio quarumcumque donationum, emtionum, permutationum, atque emphyteuticarum concessionum, immo & Servorum, rerumque deperditarum, pro ut ea offerebat Farfense Tabularium. Tot quisquilias, tot levis aut nullius momenti rudera antiquitatis, e quibus nil umquam delectationis, & vix lucri tantillum ad eruditionem exprimere quisquam possit, quis legere sustineat? aut legere pervicaciter volens, a toedio, afflatibusque hypocondriacis quei sibi caveat? Equidem ego omni misericordia abjecta, & calamo constantissime arrepto, magnam ex his partem deleveram, & ab inutilium herbarum congerie campum hunc expurgaram. Verum obstitere alio consilio ducti Amici non pauci, quibus religio videbatur sinere vel unam hinc lineam tolli. Scilicet urgebat illos metus, ne si mutilatum darem hocce Chronicon, complures suspicarentur, inde aliquid fuisse detractum, quod evulgari non pateretur politica aliqua ratio, & tamen prodire omnium Eruditorum interesset. Repetebam & ego, non inanem prorsus videri horum congeriem, quando si nihil aliud praestarent, illud certe efficerent in omnium conspectu posita, ut efficacius intelligeremus, quanta praediorum, Castellorum, Servorum, aliorumque bonorum & jurium copia in unum Monasterium ex industria Monachorum, piorumque hominum largitione olim effluxerit. Illud denique succurrebat, quandocumque velit, posse unumquemque nullo negotio sibi adimere, aut praecavere toedium atque fastidium, saltu citissime facto e sterili loco in fertiliores partes ipsius Libri. Quamobrem quale accepi Chronicon, illud ante Lectorem sisto, qui si de nimia indulgentia mea querelam instituet, meminerit, alios non defuturos fuisse, qui de me conquererentur, si haec rigide breviare & recidere in animum induxissem.

Ceterum sunt alia non pauca in hocce Chronico, quae utilitatem ejusdem ac pretium summe commendant. Nam ut mittam, celebris loci Historiam hinc illustrari, & Farfensium Abbatum seriem, eorumque acta in lucem revocari, non aliunde speres tantum praesidii ad intelligendum ordinem Ducum Spoletanorum post Pauli Diaconi Historiam. Et profecto, uti a Vulturnensi & Casinensi Chronico tam multa ministrantur ad notitiam, antiqui Ducatus Beneventani, ejusque Praesidum, ita & ope Chronici hujus lux multa affulget vetusto Ducatui Spoletano, ejusque Ducibus ac Civitatibus, immo & ipsi finitimo Romanorum agro ac Urbi. Comites etiam, & Gastaldios non paucos inde nos dignoscimus, aliaque non satis nota Monasteria, multosque Episcopos, praecipue Sabinenses, ac Reatinos, e quibus suppleatur Italia Sacra Ughellii. Sed est, quod pluris etiam faciamus. In tanta penuria Historicorum Italicorum medii aevi, mirum est quantopere haec ipsa Chronica Monastica, quamquam in multis exsucca, parumque voluptatis Lectoribus quibusdam delicatulis allatura, inserviant ad rudium Seculorum mores eruditionemque in meliori lumine collocandam. Illinc haurimus politici regiminis ac judiciorum ritus, illinc Magistratus varios, servorum, ac liberorum hominum statum, illinc diversas contractuum formas, & acta publica, atque innumera alia, ex quibus mortales in Italia vitam suam olim atque acta componebant. Denique quum heic occurrant tot Diplomata ac Bullae, nemo non videt quantum ad Historiam Romanorum Pontificum, atque Imperatorum & Regum, quae apud nos per ea tempora non parum manca est atque jejuna, haec ipsa Monastica eruditio conducat. Cujus rei nihil attinet exempla adferre, quum obvia sint, immo & ex hoc ipso Chronico per alios petita jamdudum ante omnium oculos versentur. Franciscus enim Du-Chesnius in Tomo III. Scriptor. Hist. Francor. pag. 650. Anno 1641. Lutetiae Parisiorum varia *Excerpta Chronici Monasterii Acutiani, sive Farfensis in Ducatu Spoletano*, hoc est hujus ipsius Chronici edidit. Leoncillus etiam in Libro de Episcopis Spoletanis, & Bernardinus ex Comitibus Campelli ad contexendam *Spoletanam Historiam* Anno 1672. Spoleti aeneis typis descriptam, multis in locis eodem Farfensi Chronico sunt usi. Tum celeberri-

berrimus Vir, ac insigne Benedictinorum Monachorum Congregationis Sancti Mauri ornamentum, Johannes Mabillonius, in concinnandis *Annalibus Benedictinis*, & Cl. V. Carolus Du-Cangius in conficiendo *Glossario mediae Latinitatis*, idem Chronicon saepe ac saepius laudantes, in suam utilitatem converterunt. Atque heic etiam mihi memorandus magni nominis Vir Antonius Pagius, qui quum auctoritatem Farfensium Excerptorum a Du-Chesnio editorum, ad Annum 839. num. III. *Criticae Baronianae*, causa decernendae cujusdam quaestionis adhibuisset, demum haec subdit: *Mabillonius in Musaeo Italico Tom. I. part. II. pag. 62. qui in illo Monasterio fuit, dicit Chronicon dignum esse, quod integrum edatur, ob varia Acta publica, quae in illud inserta sunt.*

Quae quum ita sint, jam habet Lector, quid me solicitaverit ad conquirendum, atque in Collectionem hanc tamdem inferendum Farfense Chronicon, Librum videlicet hucusque, si Excerpta a Du-Chesnio edita excipias, luce destitutum. Et quidem quum olim studii literarii amore per Italicas Urbes vagarer, Codicem unum MStum ejusdem Chronici obvium habui. Sed quum nulla mihi tunc obversaretur cogitatio de suscipienda Collectione Rerum Italicarum, paucis inde selectis Diplomatibus contentus, reliquum dimisi. Monuerat itidem supralaudatus Du-Chesnius, in Farfensi Monasterio adservatum tempestate sua fuisse vetustissimum ipsius Chronici Codicem, unde *jussu & auctoritate Eminentissimi Cardinalis Francisci Barberini* (nempe senioris, cui tunc Farfensis Abbatia commendata suberat) descripta fuere Excerpta per ipsum evulgata. Neque me fugiebat, in pluteis locupletissimae Bibliothecae Barberinae eamdem Historiam MStam haberi. Verum quod olim Eruditis facile patebat, hisce temporibus Codicum istorum possessores religioni sibi ducunt vel ostendere, nedum quidpiam describendi copiam facere. Attamen Librum tanta animi constantia per universam Italiam venari perrexi, ut eo demum reperto, antigraphum inde mihi impetrarim. Hoc autem munus debeo doctissimo ac ornatissimo Viro *Nicolao Carminio Falconi*, Neapolitano, Latinae non minus quam Graecae Linguae peritissimo, & profanae pariter atque Ecclesiasticae Eruditionis egregio cultori, qui ob tres postremos Dionis Cassii Libros, poene sua cura ac studio regenitos, & Graece ac Latine editos, jam magnam suo nomini famam comparavit; longe tamen majorem comparaturus, si integrum illum Historicum cum Graecis Codicibus collatum, suisque Notis emendatum atque illustratum, uti is meditatur, aliquando evulgabit. Norat ille adservari Farfensis Codicis exemplar apud P. Eustachium Caracciolum, ex celebratissima Neapolitana Familia Principum Torellae, Clericum Regularem, suisque Ordinis Consultorem, ex moribus aeque atque ex singulari doctrina & generis nobilitate eximium, & summe commendandum virum. Clarissimus ergo Falco, ubi vota mea intellexit, nihil cunctatus, Caraccioli Codicem mihi exscribendum curavit, nulloque negotio impetravit. Neque enim magnanimi viri suis opibus consepultis, avarae gentis in morem, indormiunt, sed iis in communem utilitatem liberalissime expositis, gaudent & alios uti; & dum in Rempublicam beneficia conferant, nihil sibi deperditum, sed cum foenore auctum putant. Lectores aliquid, quod in Amanuense, quo ego sum usus, desiderent; interdum enim occurrent nonnulla ab ipso, ut puto festinante vel non intellecta, vel prave descripta: quae certe singula purgare mihi Mutinae agenti non licuit. Sed nihil horum obstare debet, quo minus Lector benivolo excipiat animō alioquin utilem Librum; & paucula demum errata condonanda sunt homini textum ipsum non sine ingenti difficultate propter compendiarias notas describenti. Ego vero, quò Chronicon idem gratiore aspectu se legendum Eruditis praeberet, addidi quaecumque congerere potui Diplomata integra, aliaque monumenta ad Farfense Monasterium spectantia, quae in Chronographi textu tantummodo indicata fuere, uti & breves aliquot Notas, ubicumque opportunum aut necessarium duxi. Et quidem spero fore, ut haec ipsa veterum Chartarum accessio, quarum praegrandis usus esse solet, ad amplificandam Eruditionem rudium Seculorum, pretium Libri non leviter augeat, atque enixius Lectori commendet.

Quod reliquum est, sero nunc & frustra mecum expostulo, quod olim mihi fortuna obtulerat, ego vero e manibus meis excidere sum passus, Opusculum MStum *de Destructione Monasterii Farfensis editum a Venerando Patre Hugone Abbate ejusdem Monasterii*. Institutus fuit Hugo iste Farfensium Abbas Anno 997. non legitimis artibus, sed postea emendatione suscepta solertissimus vir, ac disciplinae regularis restaurator evasit, ut ex Chronico isto patebit. Quum me tunc temporis nondum ullum invasisset consilium de concinnanda Collectione, quam postea sum aggressus, integrum, quod poteram, Opusculum minime descripsi; sed ex-

cerpsisse contentus nonnulla, quae digniora mihi videbantur, a ceteris abstinui. Juvat nunc eadem Excerpta huc inferre, quandoquidem Chronographus noster, quamquam ejusdem Opusculi non ignarus, illud tamen Chronico suo adjungere noluit; nam & ex his paucis luculentius intelligemus, quanta olim foret sacri illius loci dignitas atque amplitudo, antequam Saraceni tantam Civitatibus Italiae cladem inferrent. Haec ergo scribebat Hugo Farfensis Abbas.

„ Igitur per multa annorum curricula supradictum Monasterium a dictis Patribus honeste ac religiosissime dispositum est, atque de die in diem augebatur, ac accumulabatur in spiritualibus & corporalibus beneficiis non mediocriter, sed perfecte poene usque ad completum Imperium Francorum Regum, qui post expulsionem Langobardorum Regum Italicum Regnum strenue potenterque per multa spatia temporum honorifice gubernarunt, Ecclesias Dei exaltando, pauperes recreando, justitiam & legem ubique adimplendo. Postea vero quando illorum potestas ab Italico Regno, peccatis facientibus, coepit cessare, praedictum Regnum paulatim coepit annullari. Denique ipsis recedentibus, culpis Christianorum cooperantibus, Paganorum multitudo, idest Agarenorum gens, Italiam intravit. In tantum vero, causante malitia Italorum, crevit illorum potestas, ut *a Traspido usque ad fluvium Padum* perpaucae essent Civitates, videlicet exceptis *Roma* ac Ravenna, quas ipsi non destruerent, aut non suo dominio subjugarent. Quas vero Provincias & Urbes vi obtinebant, omnino depopulabantur, cunctaque ibi inventa sibi diripiebant. Sub hac vero tempestate *Petrus venerabilis Abbas* jam dictum Monasterium religiosissime gubernabat, & sub ejus magisterio multa Fratrum caterva non solum in ipso capite Monasterii, verum & in cunctis eidem subjectis Cellis in omnibus, quae ad Deum pertinent, ex integro pulchre ac docte vigebat. &c.

„ Ipsa major Ecclesia tota plumbeo tecto cooperiebatur. Altare quoque principale, Ciborium totum ex lapide Angehino habebat. Librorum volumina quanta & qualia, vel quam diversis aureis argenteisque operibus ac gemmis, lapidibusque pretiosis intexta habebantur, longum est enarrare. Vestes quoque majoris Altaris deauratae atque gemmatae tot erant, quot Festivitates majores, idest Annunciatio, Nativitas Domini, Circumcisio, & Adventus Spiritus Sancti, nec non Assumtio Sanctae Mariae, & Nativitas ejus. Diei namque Judicii talis ibi erat vestis terribilis, ut quisque eam videbat, statim timore incredibili, ac pavore graviter replebatur, ita ut sine memoria mortis per plures dies esse non poterat. Ornamenta vero alia, quae ad usum Ecclesiae pertinent, quam plura & magnifica erant, quis valeat comprehendere? Basilicae aliae absque majore quinque erant ibi; quarum una, quae adhuc stat in honorem Sancti Petri constructa, in usu Canonicorum habebatur; secunda vero & tertia ad opus erant infirmorum Monachorum. Harum vero duarum una erat pro infirmis, qui non convalescebant; alia vero pro illis, qui proximabant morti, simul adjunctis domibus & balneis, ad utrorumque ordinum utilitatem compositae habebantur. Quarta autem in Palatio Regali constituta erat, quod ibi honorificum satis aedificatum erat, in quo Imperatores hospitabantur, quando illuc visitandi gratia veniebant. Quinta vero Ecclesia erat extra muros ipsius Monasterii aedificata in honore Sanctae Mariae, parva quidem, sed mirifice constructa, ubi mulieres conveniebant orationis causa & visitationis. Quia ut senum refert relatio, antiquitus nulla mulierum intra muros illius ingrediebatur Monasterii; sed quotiescumque Reginae, aut aliae mulieres, causa, quam supradiximus, faciebant ad se venire Abbatem ipsius loci aut Fratres, quos volebant, ut cum eis de spiritualibus agerent, quae oporterent. Officinae cunctae laterculis coopertae habebantur; pavimenta vero lapidibus quadratis & sectis omnia strata erant, ut usque hodie ex parte apparet. Arcus deambulatorii per totum circuitum habebantur intus & foris; quia uti erant claustra ad utilitatem Monachorum, ita erant extra ad utilitatem Laicorum. Foris vero Claustrum totius Monasterii ex omni parte erat fortiter munitum, & turritum ad instar fortis Civitatis. Placita quoque & judicia numquam ibi exercebantur; sed habebant unum Palatium ultra Rivum, qui Riana dicitur, ubi haec gerebantur. Quid multa? *In toto Regno Italico non inveniebatur simile illi Monasterio in cunctis bonis, excepto Monasterio Nonantulae, sed non ex toto, ut plures fatentur.*

„ In tali namque statu illo permanente, ut supradictum, supervenerunt Saraceni, qui cuncta circumquaque jam occupaverant; tamdem ad ipsum devenerunt Monasterium, quod undique circumdantes expugnare moliebantur, sed nequaquam obtinere valuerunt. &c.

Plura

Plura ego non descripsi, fortasse quod reliqua Chronographus noster in suum Librum intulit, qualia esse videntur, quae is longo sermone prosequitur de rebus deperditis aut abstractis e Monasterio Farfensi. Certe ea olim fuit Coenobii illius opulentia, ut Ludovicus Jacobillus in Lib. de Episcop. Spolet. scribat, vetusta superesse monumenta, quae fidem faciunt, *possedisse Farfenses Monachos in variis Provinciis Ecclesias & Coenobia* 683. *Urbes duas, videlicet Centumcellas cum suo portu, & Alatrium; Castaldatus V. Castella* 132. *Oppida XVI. Portus VII. Salinas VIII. Villas* 14. *Molendina* 82. *Pagos* 315. *complures Lacus, Pascua, Decimas, Portoria, ac praediorum immanem copiam*. Ita ille, quorum tot testes habemus, quot veteres tabulas ejus Monasterii Chartularium adhuc incolume servat. Series autem Farfensium Abbatum antiquorum, simulque Ducum Spoletanorum usque ad Annum 1104. facile colligitur ex Chronico nunc evulgando. Attamen me gratiam apud Lectores initurum spero, si & heic subjiciam duos eorumdem Abbatum Indices, quos Clarifs. Mabillonius Tom. I. Part. II. Musaei Italici publici juris fecit, e Farfensi Chartario descriptos. Ita vero se habent.

„ *Index vetustissimus Ducum Spoletanorum & Abbatum Farfensium.*
„ Anno DCLXXX. Sanctus Thomas Abbas.
„ DCXCI. Transmundus Dux, pater Faroaldi.
„ DCCIII. Faroaldus Dux.
„ DCCXVI. Haunepertus Abbas.
„ DCCXVII. Fluvius Tiberis intumuit per dies octo.
„ DCCXXIV. Lucerius Abbas. Transmundus Dux filius Faroaldi.
„ DCCXXXV. Coenobium Domini Salvatoris aedificatum in Letaniis.
„ DCCXL. Fulcoaldus Abbas.
„ DCCXLVI. Lupo Dux.
„ DCCLVII. Albuinus Dux.
„ DCCLIX. Guandelbertus Abbas.
„ DCCLX. Gisulfus Dux Spoleti.
„ DCCLXI. Halanus Abbas.
„ DCCLXIII. Theodericus Dux.
„ DCCLXX. Probatus Abbas.
„ DCCLXXIV. Hildebrandus Dux.
„ DCCLXXXI. Ragambaldus Abbas.
„ DCCLXXXVI. Alpertus Abbas.
„ DCCLXXXIX. Guinichus Dux.
„ DCCXC. Morraldus Abbas.
„ DCCXCVII. Inundatio aquæ fit Romae in Via Lata ad duas staturas.
„ DCCCII. Benedictus Abbas.
„ DCCCVI. Romanus Dux.
„ DCCCXIV. Guinichus Dux.
„ DCCCXVI. Ingoaldus Abbas. Geraldus Dux.
„ DCCCXXXII. Sichardus Abbas.
„ DCCCXXXVI. Berengarius Dux.
„ DCCCXLV. Ecclesiae Apostolorum Petri & Pauli divastantur.
„ DCCCXLVII. Hildericus Abbas.
„ DCCCLVII. Perto Abbas.
„ DCCCLXVII. Domnus Hludovic Imperator venit in hoc Monasterium.
„ DCCCLXXII. Johannes Abbas.
„ DCCCLXXXI. Anselmus Abbas.
„ DCCCLXXXII. Teuto Abbas.
„ DCCCLXXXVIII. Nordebertus Abbas. Spento Abbas.
„ DCCCLXXXIX. Vitalis Abbas.
„ DCCCXC. Petrus Abbas.
„ DCCCXCI. Monasterium Salvatoris a Paganis incenditur.
„ CMXIX. Johannes II. Abbas.
„ CMXX. Rimo Abbas.
„ CMXXX. Ratfredus Abbas.
„ CMXXXI. Theobaldus Abbas.
„ CMXXXVI. Campo Abbas.
„ CMXXXIX. Hildebrandus Abbas.
„ CMXL. Anscharius Marchio obiit.
„ CMXLIII. Sarilo Abbas.
„ CMXLVI. Bonefatius & Thebaldus Duces.
„ CMXLVIII. Dagibertus Abbas.

„ CMLIV. Albericus Princeps Romae obiit.
„ CMLXVI. Johannes Abbas.
„ CMLXVII. Holdericus recessit. Johannes Abbas fit.
„ CMLXXII. Domnus Hugo Abbas nascitur mense Aprili.
„ CMLXXIV. Ecclesia Domini Salvatoris aedificatur in Bojano.
„ CMLXXVI. Hugo Abbas ingreditur Monasterium Sancti Quirici.
„ CMXCVII. Albericus Abbas.
„ CMXCVIII. Domnus Hugo Abbas.
„ MIX. Guido I. Abbas.
„ MXIV. Hugo Abbas reordinatur secundo
„ MXXXVI. Hugo Abbas reordinatur V. Idus Junii.
„ MXXXVII. Guido Abbas.
„ MXXXVIII. Guido II. Abbas obiit.
„ MXXXIX. Hugo Abbas obiit. Suppo Abbas.
„ MXL. Almer. Abbas.
„ MXLVII. Suppo Abbas obiit.
„ MXLVIII. Domnus Berardus I. Abbas.
„ MLXXXIX. Domnus Berardus I. Abbas obiit. Rainaldus Abbas.
„ MXC. Berardus II. Abbas.
„ MXCIX. Berardus II. Abbas obiit.

Finis.

Incipiunt Catalogi omnium Abbatum cum suis temporibus quibus praefuerunt.

„ Laurentius igitur, beatus Fundator hujus Monasterii primus, Presbyter & „ Abbas, temporibus Gothorum prioribus: post cujus obitum Monasterium „ istud a Langobardis destruitur.

„ Thomas autem venerabilis post destructionem restaurator hujus Monasterii „ primus, Presbyter & Abbas temporibus Domni Adeodati Papae, & Constan- „ tini, ac Tiberii Augustorum, atque Johannis VI. Papae, necnon & Gisulfi „ Beneventani Ducis, sive Transmundi & filii illius Faroaldi Ducum Ducatus „ Spoletani. Praefuit vero Annis XXXV. & mensibus VII. ac diebus V. Obiit „ autem IV. Idus Decembris in pace.

„ Haunepertus, Aquitania Tolosanae Civitatis provincia exortus, præfuit An- „ nis VII. mensibus V. ac diebus XVIII.

„ Lucerius ex Maurigena provincia praefuit Annis XVI. menses VI. dies X. „ Obiit XIII. Kal. Julii, temporibus Liutprandi Regis & Transmundi atque Lu- „ ponis Ducum.

„ Fulcoaldus ex Aquitania, temporibus Haistulfi Regis, & Luponis, Trans- „ mundi, ac Albuini Ducum, praefuit Annis XIX. menses VI. dies XII. Obiit „ IV. Non. Decembris.

„ Guandelpertus Presbyter & Abbas ex Aquitania praefuit Anno I. & menses „ VII. quem postulantem absolverunt ab hoc regimine Fratres.

„ Halanus ex Aquitania Presbyter & Abbas temporibus Constantini Impera- „ toris, & Desiderii & Adelchis Regum, & Gisolfi, & Theoderici Ducum. Prae- „ fuit Annis IX. menses III. dies VIII. Obiit V. Non. Martii.

In alio Codice sic.

„ Hic Alanus Abbas in extremo obitus sui die quemdam Episcopum Guicber- „ tum nomine suasit facere promissionem Regulae. Et continuo rudem adhuc & „ hospitem, & Anglorum exortum genere, constituit Abbatem, contra Sanctos „ Canones & Regulam Sancti Benedicti agens. Qui per undecim menses exercuit „ tyrannidem, quosdam ex Monachis caedens, alios in carcerem trudens, alios „ in exilium mittens; & in tantam superbiae audaciam prorumpens, ut nonnul- „ los ejus fugientes vesaniam furoris, seque abscondentes in velamina Altaris, „ exinde pellere faceret. Et quia inconditos habuit mores, rogantibus Monachis, „ jussu Desiderii Regis, Alefridus Castaldus Reatinus eum de Monasterio exire „ compulit, & eligendi Abbatem demum congregationi licentiam dedit. Septi- „ mus ab omni congregatione electus fuit huic Sacro Coenobio Abba Probatus, „ Diaconus quidem, sed Sabinensi Provincia natus &c.

„ Probatus Presbyter & Abbas ex Provincia Sabinensi temporibus Desiderii & „ Adelchis Regum, & Hadriani Papae, & Theoderici, & Hildeprandi Ducum, „ & Karoli Regis, praefuit Annis XI. mens. IV. dies XV. Obiit IV. Idus Augusti.

„ Ragambaldus Presbyter & Abbas ex Gallia, temporibus Karoli Regis & Pi- „ pini filii ejus, praefuit Annos III. mens. VII. dies XXIII. Obiit V. Nonas Martii.

„ Au-

„ Aupertus Presbyter & Abbas ex Parisius Civitate Galliarum, temporibus
„ Karoli & Pipini Regum, & Hadriani Papae, & Hildeprandi Ducis, praefuit
„ Ann. V. menses X. dies XV. Obiit XVIII. Kal. Januarii.
„ Mauroaldus Presbyter & Abbas ex Franciae Guarmacia Civitate, tempori-
„ bus Karoli, & Pipini Regum, praefuit Ann. XII. mens. IV. dies XV. Obiit
„ VIII. Kal. Novembris temporibus Domni Leonis Papae III.
„ Benedictus Presbyter & Abbas, temporibus Caroli & Pipini Regum, &
„ Leonis Papae, praefuit Ann. X. mens. V. dies III. Obiit III. Id. Augusti.
„ Ingoaldus Presbyter & Abbas, temporibus Ludovici Regis, & Leonis Papae,
„ & Stephani Papæ, & Paschalis Papae, & Bernardi Regis, praefuit ....
„ Obiit VII. Kal. Aprilis.
„ Sichardus Presbyter & Abbas, temporibus Ludocvic & Hlotharii Impera-
„ torum, praefuit Ann. XIV. menses VI. dies X. Obiit XIV. Kal. Octobris.
„ Hildericus Presbyter & Abbas, temporibus Hlotharii & Ludocvic filii ejus,
„ Imperatorum.
„ Perto Presbyter & Abbas, temporibus Ludovici Imperatoris.
„ Johannes Presbyter & Abbas, temporibus Hludovici & Karoli filii ejus,
„ Imperatorum.
„ Anselmus Presbyter & Abbas, temporibus Karoli Imperatoris.
„ Teuto Presbyter & Abbas, temporibus Karoli Imperatoris.
„ Nordepertus Presbyter & Abbas.
„ Spemto Presbyter & Abbas, Anno Dominicae Incarnat. DCCCLXXXVIII.
„ Vitalis Presbyter & Abbas.
„ Petrus Presbyter & Abbas Anno Domini DCCCXC. temporibus Guidonis
„ Imperatoris & Lamberti Imperatoris, & Hugonis (a) Imperatoris.
„ Johannes Presbyter & Abbas.
„ Rimo Presbyter & Abbas.
„ Radfredus Presbyter & Abbas, temporibus Hugonis Regis, & Hlotharii
„ filii ejus, & Theobaldi Ducis.
„ Campo Presbyter & Abbas, temporibus Hugonis & Hlotharii filii ejus Re-
„ gum, & Domni Leonis Papae, & Bonefacii, & Thebaldi filii ejus, Ducum,
„ & Bernardi (b) & Adelberti filii ejus, Regum, & Stephani Papae, & Leonis
„ Ducis, & Johannis Papae, & Marini Papae, & Sarilonis Marchionis, & Raine-
„ rii Ducis Sabinensis.

Ex alio Codice.

„ Hildebrandus: iste concubinis & filiis ac filiabus res hujus Monasterii dedit.
„ Dagibertus Presbyter & Abbas praefuit anno ....
„ Adam Presbyter & Abbas praefuit anno ....
„ Sarilo Marchio & Abbas praefuit anno ....
„ Johannes III. Presbyter & Abbas.
„ Albericus Presbyter & Abbas Anno DCCCCXCVI.
„ Hugo: Iste in utroque restitutor, sed & in plurimis discretus largitor, prae-
„ fuit Anno DCCCCXCIX.
„ Guido Presbyter & Abbas, Anno MIX.
„ Guido Presbyter & Abbas.
„ Suppo Presbyter & Abbas, Anno MXXXIX.
„ Almericus Presbyter & Abbas, Anno MXL.
„ Domnus Berardus, Hortanus, & primus, Presbyter & Abbas, MXLVIII.
„ Berardus, Florentinus, Presbyter & Abbas, secundus, praefuit Anno MXC.
„ Domnus Beraldus Diaconus & Abbas, Anno MXCIX. Hic ab Henrico V.
„ Imperatore obtinuit confirmationem omnium sui Monasterii possessionum Anno
„ MCXVIII.
„ Anno MCXL. mense Februario quidam Henricus spontanea voluntate fecit
„ hominium, & juravit fidelitatem Domino Adenulso Abbati venerabili Sanctae
„ Mariae in Farsa, de Podio, quod fuit ante Roccam Septemjanulae, & de ejus
„ pertinentiis.

Quum vero Farsensium Abbatum Index alter MStus ad meas manus venerit, cura doctissimi ac amicissimi viri & concivis mei D. Cassiodori Montagioli, in Benedictinorum familia Sacrae Theologiae Lectoris, ibique continuatam seriem viderim eorumdem Abbatum, accipiat Lector, quae in praecedentibus desiderantur. Beraldum vero *Abbatem XLI.* Catalogus iste appellat, quippe *Oddonem Abbatem XL.*
sia-

(a) *Scribendum* Berengarii.
(b) Berengarii.

statuit, qui Beraldum praecessit, in praecedentibus Catalogis omissum ob ejus tyrannidem, ut puto.

„ Anno 1099. Beraldus Abbas XLI. praefuit annos XIX. quo regente plura „ fuerunt acquisita.
„ 1119. Guido III. Abbas XLII. praefuit annos VI.
„ 1125. Adenulfus I. Abbas XLIII. praefuit annos XXII. Hic ab Innocentio „ II. Papa S. R. E. Cardinalis creatus fuit.
„ 1147. Ronaldus Abbas XLIV. praefuit annos V.
„ 1152. Berardus III. Abbas XLV. praefuit annos II.
„ 1154. Rusticus Abbas XLVI. praefuit annos IX.
„ 1163. Gothifredus Abbas XLVII. praefuit annos V.
„ 1168. Adenulphus II. Abbas XLVIII. praefuit annos XXIII.
„ 1191. Pandulphus Abbas XLIX. praefuit annos XLIV. & ab Innocentio III. „ Papa insigne Privilegium impetravit.
„ 1235. Oderisius Abbas L. praefuit annos III.
„ 1238. Matthaeus I. Abbas LI. praefuit annos IV.
„ 1242. Henricus Abbas LII. praefuit annum unum & aliquot menses.
„ 1243. Philippus Abbas LIII. praefuit annos II.
„ 1245. Stephanus Abbas LIV. praefuit annos II.
„ 1247. Gentilis Abbas LV. praefuit annos III.
„ 1250. Matthaeus II. Abbas LVI. praefuit annos VII.
„ 1257. Jacobus I. Abbas LVII. praefuit annos II.
„ 1259. Nicolaus I. Abbas LVIII. praefuit annos II. post quos depositus fuit, „ & ejus loco substitutus Anno
„ 1261. Peregrinus Abbas LIX. qui praefuit Annos XVI. & Privilegium im- „ petravit ab Urbano IV. Papa, in quo praecipue palam fit, Monasterium Far- „ fense nullius esse Dioecesis.
„ 1277. Moricus Abbas LX. praefuit annos circiter VIII.
„ 1285. Guilielmus Abbas LXI. praefuit annos circiter II.
„ 1287. Jacobus II. Abbas LXII. praefuit annos X. Cujus tempore, Anno sci- „ licet 1292. Nicolaus IV. Papa destinavit in Protectorem Abbatiae Farfensis „ Johannem de Buccamatiis S. R. E. Cardinalem. Quo e vivis sublato, Episco- „ pus Spoletanus fuit electus Administrator; sed duobus annis tantum admini- „ stravit.
„ 1297. Giocerardus Abbas LXIII. praefuit annos X. Anno 1301. Robertus „ Gallus Monachus Cisterciensis, & S. R. E. Cardinalis factus fuit Protector, & „ Administrator Abbatiae. Tum Franciscus Ciacconus, ac deinde per annos XVIII. „ Frater Bonjoannes Episcopus Vigiliensis.
„ 1332. Johannes IV. Abbas LXIV. praefuit annos VIII. & eo mortuo consti- „ tutus fuit Administrator Abbatiae Arnoldus Monachus Cluniacensis, qui prae- „ fuit annos XV. Cujus tempore, anno scilicet 1348. Monasterium Farfense mi- „ serabiliter collapsum spiritualiter, & temporaliter fuit, sicut legitur in quodam „ instrumento petitionis per Monachos Farfenses factae Johanni Abbati Sublacensi.
„ 1350. Arnoldus Abbas LXV. ex Administratore factus Abbas, praefuit annos V.
„ 1355. Araldus Abbas LXVI. praefuit annos VIII.
„ 1363. Sixtus Abbas LXVII. praefuit annos XXV. & obtinuit Privilegium „ valde favorabile ab Urbano V. Papa.
„ 1388. Nicolaus II. Abbas LXVIII. & postremus Claustralium, praefuit an- „ nos XII. Quo vita functo, fuit a Bonifacio IX. Papa constitutus Abbas Com- „ mendatarius Franciscus Carboni, aliàs Tomacellus ejus nepos; eoque introducti „ sunt Monachi Benedictini Germanicae Nationis. Verum Anno 1567. amotis „ Germanis, alios ex Congregatione Casinensi illic constituit Pius V. Pont. Max., „ quibus praeest Abbas Claustralis, huic vero Abbas Commendatarius, qui in „ octo Castella, ac plures pagos temporalem ac spiritualem jurisdictionem exercet.

Neque omittendum Anno 1685. ab Eminentiss. S. R. E. Cardinali Carolo Barberino, tunc Farfensis Monasterii Abbate Commendatario, celebratam fuisse *Synodum Dioecesanam insignium Abbatiarum Sanctae Mariae Farfensis, & Sancti Salvatoris Majoris, Ordinis Sancti Benedicti, invicem perpetuo unitarum*, cujus egregiae Constitutiones Romae Anno proxime sequenti, publicis typis consignatae fuere. Nunc vero eidem Abbatiae Farfensi, ut supra monui, praeest Commendatarius Abbas Eminentiss. Cardinalis Franciscus Barberinus, piissimi patrui successor, & amplissimus virtutum aemulator.

CHRO-

CHRONICON PHARPHENSE

PRÆPOSITO CATHALOGO

IMPERATORUM, ET PONTIFICUM ROMANORUM.

Julius Cæsar primò imperavit an. Urb. Cond. DCXCIX.
Octavianus filius Octavii Senatoris imperavit an. XLVI. vixit LXXVII. Hujus an. Imperii XLII. Jesus Christus filius Dei Dominus noster secundùm carnem natus est, Sexta Mundi ætate secundùm Hebræos. A mundi principio secundùm Græcos anno sexies Millesimo DVIII. Urb. Cond. DCCLI.
Tiberius privignus, gener, & filius adoptione Augusti Imperatoris annos XXIII. Vixit XXVIII. Hujus an. XV. Christus est baptizatus, & XVIII. passus.
Gajus Calligula nepos Tiberii Imperatoris an. III. m. X. d. VIII. Vix. an. XXXIX.
Claudius, Patruus Calligulæ Drusi, privignus Augusti Octaviani. Hujus an. II. Petrus Romam venit Anno Dominicæ Incarnationis XLV. & sedit in Cathedra an. XXV.
Nero, cujus Avunculus Calligula fuit, imperavit an. XIV. vixit verò XXXI. Hujus extremo anno Petrus, & Paulus passi sunt Anno Domini LXX. Passionis XXXVIII.
Galba Senator imperavit men. VII. vixit an. LXXIII.
Otho Lucius imperavit d. V. vix. an. XXXVIII.
Vitellius imp. m. VII. d. I. vix. an. LVII.
Vespasianus illustris imp. an. IX. d. VII. vix. an. LXIV.
Titus filius Vespasiani imp. an. I. m. VIII. d. XX. vix. an. XLI.
Domitianus frater Titi junior imp. an. XXV. vix. an. XXXV.
Nerva imp. an. I. m. IV. d. VIII. vixit LXXI.
Trajanus Consul filius Nervæ adoptatus imp. an. XIX. m. VI. d. XV. vix. LXXIII.
Hadrianus filius Consobrinæ Trajani imp. an. XXI. m. X. d. XX. vixit an. LX.
Antoninus Pius, gener & adoptatus Hadriani, genere clarus imp. an. XXIII. vixit LXXII.
Antoninus Philosophus & secum Verus nobilissimus, imp. an. XVIII. vix. LXI.
Verus Annius Antoninus gener ejus simul imp. an. XI.
Antoninus Commodus imperavit an. XII. m. VIII.
Pertinax Præfectus Imperii imp. dies LXXX. vixit an. LXX.
Salvius Julianus imp. m. VII.
Severus Philosophus Septimius ex Africa.
Tribunus Pertinax vocatus imp. an. XVI. m. III.
Antoninus Marcus Aurelius, & secum Bassianus Caracalla imp. an. VI. m. II. vix. XLIII.
Macrinus Opilius Præfectus cum filio Adumeno imp. an. I. m. II.
Aurelius Antoninus filius Caracallæ putatus Sacerdos Heliogabali an. II. m. VIII.
Aurelius Alexander an. XIII. d. VIII.
Maximus miles an. III. diebus paucis.
Gordianus filius Gordiani & Africæ Proconsul, an. VII.
Philippus cum filio suo Philippo an. V. anno Urbis Millesimo.
Decius Pannoniæ inferioris natus, cum filio suo an. II. Anno Christi CCXLIII.
Gallus Hostilianus, & Galli filius Volusianus imp. an. II.
Emilianus Maurus fuit Imp. m. III.
Gallienus, & frater ejus Valerianus simul, imperavit an. IX.
Posthumius imp. an. X.
Carus diebus II.
Victorinus an. II.
Tetricus Senator imp.
Odenachus.
Claudius post Gallienum an. II.
Quintilius frater Claudii dies XVIII.
Aurelianus an. V. m. VI.
Tacitus m. VI.
Florianus diebus XXII.
Probus illustris an. VI. m. IV.
Carus Narbonensis, & Carinus, & Numerianus, imp. an. II.
Diocletianus Dalmatiæ natus, filius Senatoris Libertinus vix. an. . . . .
Maximinianus cum Diocletiano . . . . . .
Constantius proles Claudii Imperatoris, ex prima conjuge sua Helena habuit magnum Constantinum, ex Theodora quoque tertia privigna Maximiani Imperatoris cognomento Herculei, sex liberos fratres Constantini habuit. Ex quibus exstitit Constantinus Pater Galli Dalmatii, à quo genitus est Dalmatius juvenis, & Julianus Apostata. Imper. an. XIII.
Galerius.
Severus.
Maximianus Socer Constantini.
Maxentius filius Maximiani.
Maximinus.
Constantinus verò Magnus filius Constantii post mortem patris imperare cœpit, atque anno VIII. Imperii baptizatus est à Sancto Silvestro Papa post Tyrannorum interfectionem, scilicet Maxentii Herculii filii, atque Licinii cognati supradicti Constantini. Imp. an. XXXI. vix. LXVI.
Constans.
Constantius an. XXXVIII. vix. an. LV.
Magnentius.
Vetraonius.
Nepotianus filius Sororis Constantini imp. diebus XXVIII.
Gallus.
Julianus an. VII. vix. XXXI.
Jobinianus de Pannonia imp. m. VII. vix. an. XXXIII.
Valentinianus filius Gratiani Tribunus Scutariorum Christianissimus Pannoniæ Urbis an. . . . . imp. an. XI. vixit an. LV. An. Christi CCCCIX.
Gratianus filius Valentiniani Augusti imp. an. VI. vixit an. XXVIII. Valens Arrianus frater Valentiniani Augusti imp. an. V.
Valentinianus filius Valentiniani Augusti.
Theodosius orthodoxus Hispanensis, filius Theo-

Theodosii, imperavit an. XVII. vix. L.
Eugenius.
Arcadius an. XII., &
Honorius an. XXX. filii Theodosii an. Urbis MCXLVIX.
Theodosius filius Arcadii an. IV.
Roma capta est à Gothis an. Urb. Cond. MCLXVII.
Constantius Comes imp. m. VII. &
Theodosius an. XXX.
Valentinianus gener Theodosii Augusti, filii Constantini, & Placida Augusta Soror Honorii.
Martianus an. VII. an. Urb. Cond. MCCXI. Christi CCCCXL.
Maximus imp. m. II.
Roma capta à Genserico, & à Guandalis Urb. Cond. an. MCCXIII. post Alaricum an. XLIV.
Leo an. VII. Urb. Cond. MCCXI.
Leo filius Leonis Augusti.
Majorianus an. IV. Ravennæ imp.
Severus an. IV. ibidem imp.
Antimius an. IV. ibidem imp.
Olibrius m. VII. post quem Lucerius Domesticus Ravennæ imp.
Theodoricus Rex.
Zeno post Leonem imp.
Gensericus Rex Guandalorum.
Odoacer Rex in tota Italia.
Augustulus m. XI. Urb. Con. an. MCCIX. à Gajo Cæsare an. DXVII. Anno Christi CCCCLXXV.
Anastasius hæreticus An. Incarn. CCCCXCII. imp. an. XXVII.
Justinus Catholicus An. Incarnationis DXVII. imp. an. XI.
Justinianus filius Justini Sororis Anno Dom. DXXIX.
Atalaricus Rex an. IV.
Gothis regnavit; post quem Theodatus; deinde verò
Guittigis; tum Hildebaldus; ex hinc Eraricus; post hos autem Totila.
Justinus minor Augustus an. XI. an. DLXVIII.
Alboinus Rex Longobardorum apud Ticinum an. III.
Tiberius an. VII. Langobardi Italiam capiunt.
Faroaldus Dux primus Spoletanus.
Clephus regn. an. I. m. VI. Autharius filius ejus an. VI.
Zotto primus Dux Beneventanus.
Mauritius Cappadox an. XXI. cum Theodosio, & Tiberio, & Constantino filiis suis.
Ariulfus Dux Faroaldo successit apud Spoletum.
Post quem Feudelabius filius Faroaldi Ducis suprascripti. Agilusus regnavit an. XXV.
Focas Augustus Prisci Patricii Strator an. I.
Arichis Dux Beneventanus an. L.
Heracleus filius Heracleani Africam regentis Imp.
Adaloaldus regnavit an. X.
Heracleonas filius Heraclei annos II.
Ajo Dux Beneventanus.
Arioldus an. XII.
Rothar an. XVI. & m. IV.
Constantinus filius Heraclei m. VI.
Tato Dux Spoletanus an. I. m. VI.
Constantinus, qui & Constans filius Constantini an. XXVIII.
Romualdus Dux Beneventanus an. V.
Mezecius Augustus Tyrannus.

Grimualdus Dux Beneventanus an. XXV.
Constantinus filius Constantis Augusti, ann. XXVII.
Transmundus Dux Spoletanus.
Justinianus filius Constantini an. X.
Hic Africam abstulit Saracenis.
Leo an. III.
Tiberius.
Justinianus iterum imperavit cum filio Tiberio an. VI.
Philippus hæreticus qui & Bardanes dicebatur. an. I. m. VI.
Anastasius, qui & Artemius.
Theodosius an. I.
Leo Hæreticus exustor imaginum Sanctorum imp. an. XXIII.
Constantinus an. XXXV.
Leo an. V.
Albuinus Langobardorum Rex de Pannonia Ticinum venit Anno Christi DLXVIII. & ultra annos tres obsessam obtinuit, & regnavit an. III. m. VI.
Cleph. an. I. m. VI.
Post hæc sinè Rege sub Ducibus Longobardi fuerunt an. X.
Faroaldus Dux primus exstitit Spoletanus.
Autharius filius Clephonis regn. an. VI.
Zotto Dux primus Beneventanus.
Agilulfus Dux Taurinatium regn. an. XXV.
Ariulfus Dux Faroaldo successit apud Spoletum.
Post hos Teudelabius filius Faroaldi suprascripti.
Arichis Dux Beneventanus an. L.
Adaloaldus filius Agilulfi an. X.
Arioaldus an. XII.
Rotharius genere Aroduis in an. LXXVII. Longobar. regnavit an. XVI. m. IV.
Ajo filius Arichis an. I. m. V.
Radoaldus Dux Beneventanus an. V.
Grimualdus Dux germanus ejus an. XXV.
Radoaldus filius Rothar regnavit an. I. m. III.
Tato Dux Spoletanus.
Grimualdus gener Ariperti Regis regnavit an. IX.
Transmundus Dux Spoletanus, Comes dudum Capuæ.
Pertarit solus regnavit an. VI.; cum filio suo Cuniperto an. X.
Romualdus Dux Beneventanus an. XVI.
Grimualdus filius ejus an. III.
Gisulfus germanus ejus.
Cunipertus absque Patre regnavit an. XII.
Liutpertus regnavit m. VIII.
Regipertus Dux Taurinensium invaso Regno moritur eodem anno.
Aripertus filius ejus regnavit cum eo, sive solus, usque an. XII.
Faroaldus filius supradicti Transmundi Dux Spoletanus.
Ansprandus regnavit m. III.
Liutprandus filius ejus regnavit an. XXXI. m. VII. obiit Indict. XI.
Romualdus filius Gisulfi Dux Beneventanus.
Transmundus contra Faroaldum Patrem suum rebellans Clericum illum fecit, & Ducatum Spoletanum invasit.
Hildericus Dux Spoletanus.
Agiprandus nepos Regis Dux Spoletanus.
Hildeprandus nepos Liutprandi.
Ratchisius regnavit.
Lupo Dux Spoletanus.
Haistulfus regnavit.

Desi-

Desiderius germanus Ratchisi. Hic perdidit circa An. Incar. Dom. Nostri DCCLXXIV. & unà cum conjuge in Franciam est delatus.
Teudicius Dux Spoletanus.
Hildeprandus Dux Spoletanus.
Guinichis Dux Spoletanus.
Carolus Rex Francorum, & Romanorum Imperator pius, filius Pipini Regis Francorum, coronatus Anno Domini DCCLXXIV.
Pipinus filius Caroli Imperatoris.
Guinichis Dux Spoleti.
Carolus fit Imperator.
Bernardus Rex Langobardorum.
Ludovicus Imperator filius Caroli.
Lotharius filius Ludovici I. Imperator.
Gerundus Dux.
Escrotonius Comes.
Berengarius Dux.
Ludovicus II. filius Lotharii.
Carolus filius Ludovici, Imperator Anno Domini DCCCLXXX.
Carolus Imperator.
Guido Princeps Italiæ imperavit Anno Domini DCCCXC.
Lambertus filius Guidonis Imperator.
Hugo Rex Anno DCCCCXXIV.
Lotharius filius Hugonis regnavit.
Bonifacius, & Tebaldus filius ejus Duces.
Berengarius, & Albertus filius ejus regnarunt Anno DCCCCLI.
Sarlio Marchio.

Leo Dux Sabinensis.
Rayno Dux Sabinensis.
Azo Comes Sabinensis.
Joseph Dux Sabinensis.
Teuzo Comes Sabinensis.
Transmundus Dux.
Otto Primus Imperator An. Dom. DCCCCLX.
Otto filius Imperator.
Pandoltus Princeps, & Marchio.
Benedictus Comes.
Crescentius Comes.
Joannes Comes.
Theophanius imperavit An. Dom. DCCCCXC.
Otto filius Ottonis II. Tertius Imperator Anno Domini DCCCCXCVI.
Rainerius, & Crescentius Comites.
Girardus Comes.
Joannes Comes.
Henricus I. Rex Anno Domini MIII. & Imperator Anno Domini MXIV.
Crescentius, & Oddo Comites.
Odo, & Berardus Comites.
Gregorius Comes.
Odo, & Petrus Comites.
Odo, & Crescentius germani Comites.
Chuonradus Imperator An. Domini MXXVIII.
Crescentius, & Joannes nepos ejus Comites.
Joannes Patricius.
Crescentius, & Otto Comites.
Henricus III. Rex Anno Domini MXL. Idem Henricus Imp. An. Domini XLVI. Ind. VIII.
Henricus Imperator An. Domini MLXXXIV.

Hic desinit Cathalogus Imperatorum.

INCIPIT CATHALOGUS PONTIFICUM ROMANORUM.

Beatus *Petrus* primùm Cathedram Antiochiæ sedit an. VII. Deinde Urbem Romam ingressus Dominicæ Incarnationis Anno XLV. ejus Cathedram sedit an. XXV. m. III. dieb. VII. temporibus Tiberii Cæsaris, Gaji, Claudii, & Neronis. Hic post Incarnationis Dominicæ an. LXX. post passionem verò ejus an. XXXVIII. cum Coapostolo Paulo coronantur Martyrio.

Linus sedit an. XI. m. III. dieb. XII. temporibus Neronis.

Cletus sed. an. XII. m. III. dieb. XII. temporibus Vespasiani, & Titi.

Clemens sedit ann. IX. m. II. diebus X. temp. Galbæ, & Vespasiani. Cessavit Episcopatus dieb. XII.

Anacletus an. XI. m. I. dieb. VII. temporibus Domitiani. Cessavit dieb. XIII.

Evaristus an. XI. m. I. dieb. VII temporibus Domitiani. Nervæ, atque Trajani. Cessavit dieb. XXXV.

Alexander an. X. m. VII. die I. temporibus Trajani. Cessavit diebus XXX.

Xistus an. X. m. III. dieb. XXI. temporibus Adriani. Cessavit d. I.

Telesphorus an. XI. m. II. d.XXII. temporibus Antonini Marci. Cessavit d. VI.

Uginius an. IV. m. IV. dieb. VII. temporibus Severi Marci. Cessavit d. III.

Anicetus ann. VIII. m. III. d. III. temporibus Severi Marci. Cessavit d. XXVII.

Pius an. XI. m. IV. d. III. temporibus Antonini Pii. Cessavit d. X V.

Sother an. IX. m. III. d. XX. temporibus Severi Septimii. Cessavit d. XXI.

Heleuter ann. XV. m. VI. d. V. temporibus Antonini Commodi. Cessavit d. VI.

Victor an. X. m. II. d. . . temporibus . . . . Cæsaris. Cessavit d. XXII.

Zepherinus an. XVI. m. II. d. X. temporibus Antonini Severi. Cessavit d. VI.

Callixtus an. VII. m. II. dieb. X. temporibus Macrini, & Heliogabali. Cessavit d. VI.

Urbanus an. VII. m. XI. d. XII. temporibus Maximi, & Africani. Cessavit d. XXX.

Pontianus an. V. m. II. d. II. temporibus Alexandri. Cessavit d. X.

Antheros an. XII. m. I. dieb. XII. temporibus Maximi, & Africani. Cessavit d. XIII.

Fabianus an. XIV. m. XI. d. XI. temporibus utsupra. Cessavit diebus VII.

Cornelius an. III. m. II. d. X. temporibus Decii. Cessavit d. LXVI.

Lucius an. III. m. III. d. III. temporibus Galli, & Volusiani. Cessavit d. XXXV.

Stephanus an. XIV. m. II. d. XV. temporibus Gallicani, & Maximi. Cessavit d. XXII.

Xistus an. II. m. XI. d. VI. temporibus Valeriani, & Decii. Cessavit d. XXVI.

Dionysius an. II. m. III. dieb. VII. temporibus Gallieni. Cessavit d. V.

Felix an. II. m. V. d. IV. temporibus Claudii, & Paterni. Cessavit d. V.

Euticianus an. VIII. m. X. d. IV. temporibus Aureliani. Cessavit d. VIII.

Gajus an. XI. m. IV. d. IX. temporibus Cari, & Carini. Cessavit d. XI.

Marcellus an. VIII. m. II. d. XXVII. temporibus Diocletiani & Maximiani. Cessavit Episcopatus an. VII. m. VI.

Marcellinus an. V. m. VII. d. XXI. temporibus Maxentii. Cessavit d. XX.

Eusebius an. II. d. XXV. temporibus Constantis. Cessavit. VII.

Melciades an. III. m. VIII. d. XXII. sub Consul. Volusiani & Rufi. Cessavit d. XV.

A Sancto Petro usque ad Sanctum Silvestrum an. CCXC. m. X. d. XII.

Silvester an. XII. m. X. dieb. XI. temporibus Constantini, & Volusiani. Cessavit XV.

Marcus ann. II. m. VIII. d. XX. temporibus Constantini & Nepotiani, & Secundi Coss. Cessavit d. XX.

Julius an. XI. m. II. dieb. V. temporibus Constantis, & Constantini. Cessavit d. XXV.

Liberius an. X. m. III. d. IV. temporibus Constantii filii Constantini. Cessavit d. VII.

Felix an. I. m. III. dieb. II. eodem tempore. Cessavit d. XXXVII.

Damasus an. XVIII. m. II. d. X. temporibus Juliani. Cessavit dieb. XXXI.

Siricius an. XV. m. XI. d. XXV. Cessavit d. XX.

Anastasius an. II. d. XXVI. Cessavit d. XXI.

Innocentius an. XV. d. XXI. Cessavit d. XXII.

Zosimus an. I. m. VIII. dieb. XXV. Cessavit d. XI.

Bonifacius an. III. m. V. dieb. XIII. Cessavit dieb. IX.

Cœlestinus an. VII. m. X. dieb. IX. Cessavit dieb. XXI.

Xistus an. VIII. d. XIX. Cessavit d. XXIII.

Leo an. XXI. m. I. d. XXV. Cessavit d. VII.

Hilarus an. VI. m. III. d. X. Cessavit d. X.

Simplicius an. V. m. I. d. VII. Cessavit m. VI.

Felix an. VIII. m. XI. d. XVII. temporibus Odovacris Regis. Cessavit d. V.

Gelasius an. IV. m. VIII. d. XVIII. temporibus Zenonis Augusti. Cessavit d. VIII.

Anastasius an. I. m. XI. d. XXIV. temporibus Theodorici Regis. Cessavit d. IV.

Symmachus an. XV. m. VIII. d. XXVII. temporibus Anastasii Augusti Cessavit d. VII.

Hormisda an. VIII. d. XVII. Cessavit d. VI.

Joannes an. II. m. VIII. d. XVIII. temporibus Justini Augusti. Cessavit dies LVIII.

Felix an. III. m. II. d. XIII. temporibus Theodorici Regis. Cessavit d. III.

Bonifacius an. II. d. XXVI. temporibus Athalarici Regis. Cessavit m. I. d. XV.

Joannes an. II. m. IV. dieb. VI. temporibus Athalarici Regis, & Justini Augusti.

Agapitus m. XI. d. XVIII. Cessavit d. XXIX.

Silverius an. I. m. V. d. VI.

Vigilius an. XVII. m. I. d. XXVI. temporibus Justiniani Augusti. Cessavit m. III. d. V.

Pelagius an. XI. m. X. d. XXVI. temporibus Narsis Patritii. Cessavit m. II.

Joannes an. X. m. XI. d. XXVI. temporibus Justiniani Augusti. Cessavit d. . . . .

Pelagius an. X. d. X. Cessavit m. VI. d. XXV.

Benedictus an. IV. m. I. d. XXIX. temporibus Justi-

Justiniani Augusti. Cessavit d. X.
Gregorius an. XIII. m. VI. temporibus Tiberii, Mauricii, & Phocæ. Cessavit m. V. d. XVII.
Sabinianus an. I. m. V. d. VIII. Cessavit m. XI. d. XXVI.
Bonifacius m. VIII. d. XXII. Cessavit m. X. d. VI.
Bonifacius an. V. m. VIII. d. XIII. temporibus Phocæ Augusti. Cessavit XIII.
Deusdedit an. III. d. XXIV. temporibus Heleuterii Patricii. Cessavit d. XIII.
Honorius an. XII. m. XI. d. XVI. Cessavit an. I. m. VII. d. XVIII.
Joannes an. I. m. IX. d. XVIII. Cessavit dieb. LIV.
Theodorus an. VI. m. V. d. XVIII. temporibus Theodori Patricii. Cessavit diebus LII.
Martinus an. VI. m. VI. d. XXVI. temporibus Olympii Cubicularii. Cessavit d. XXXVII.
Eugenius an. I. m. IV. d. XIV. Cessavit d. IX.
Vitalianus an. XIV. m. VI. temporibus Constantini Augusti. Cessavit m. II. d. XIII.
Adeodatus an. IV. m. II. d. V. Cessavit m. IV. d. XV.
Donus an. I. m. V. d. X. Cessavit m. II. d. XV.
Agatho an. II. m. VI. d. IV. temporibus Heraclii, & Tiberii. Cessavit an. I. m. VII. d. XV.
Leo m. X. d. XVII. Cessavit m. II. d. XV.
Benedictus m. X. d. XII. temporibus Constantini Principis. Cessavit m. II. d. XV.
Joannes an. I. d. IX. temporibus Justiniani Augusti. Cessavit m. II. d. XIX.
Conon m. XI. temporibus Justini. Cessavit m. II. d. XXVIII.
Sergius an. XIII. m. VIII. d. XXIII. temporibus Justini Augusti. Cessavit d. L.
Joannes an. III. m. II. d. XII. temporibus Tiberii Augusti. Cessavit m. I. d. XII.
Joannes an. II. m. VII. d. XXII. temporibus Tiberii, & Justini Augustorum. Cessavit m. IV.
Sisinius d. XX. temporibus Justiniani. Cessavit m. I. d. XXIX.
Constantinus an. VII. d. XV. eodem imperante. Cessavit d. XL.
Gregorius an. XVI. m. IX. d. XXIX. temporibus Liutprandi Regis. Cessavit m. II. d. V.
Gregorius an. X. m. VIII. d. XXIV. temporibus Leonis, & Constantini Augustorum. Cessavit d. VIII.
Zacharias an. X. m. III. d. XIV. temporibus Ratchisi Regis. Cessavit d. XII.
Stephanus an. V. d. IXL. temporibus Haistulphi Regis. Cessavit XXXV.
Paulus an. X. m. I. temporibus Constantini, & Leonis Augustorum. Cessavit an. I. m. I.
Stephanus an. III. m. V. d. XXVIII. temporibus Desiderii Regis. Cessavit d. IX.
Adrianus an. XXIII. m. X. d. XVII. temporibus Caroli Regis primi.
Leo an. XX. m. V. d. XVII. Hic coronavit Imperatorem. Cessavit d. X.
Stephanus m. VII. temporibus Ludovici Imperatoris. Cessavit d. II.
Paschalis an. VII. d. XVII. Cessavit d. IV. temporibus Ludovici, & Lotharii Imperatorum.
Eugenius an. II. m. VII. d. XXIII.
Valentinus m. X. d. XI.
Gregorius an. XVI. Cessavit d. XV.
Sergius an. III. temporibus Lotharii, & Ludovici. Cessavit d. LXXV.
Leo an. VIII. m. III. d. VI. Cessavit m. II. d. XV.
Benedictus an. XX. m. VI. d. VIII. temporibus Constantini, & Helenæ.
Nicolaus an. IX. m. VI. d. XX.
Adrianus an. IV. m. XI. d. XXII.
Joannes an. X. d. II.
Marinus an. I. m. V.
Adrianus an. I. m. IV.
Stephanus an. VI. d. IX.
Formosus an. V. m. VI.
Bonifacius d. XV.
Stephanus an. I. m. I. d. XX.
Romanus an. IV. d. XX.
Theodorus d. XX.
Joannes an. II. d. XV.
Benedictus an. IV. m. VI. d. XV.
Leo m. I. d. XXVI.
Anastasius an. . . . . m. II.
Lando m. VI. d. XXVI.
Joannes an. XIV. m. II. d. III.
Leo m. VII. d. XV.
Stephanus an. II. m. I. d. XII.
Joannes an. IV. m. X.
Leo an. III. m. VI.
Stephanus an. III. m. IV. d. XV.
Marinus an. III. m. VI. d. XIII.
Agapitus an. X. m. VII. d. X.
Joannes an. IX. m. III.
Benedictus an. II. d. V.
Leo an. I. m. VIII.
Joannes an. VI. m. XI. d. V.
Benedictus an. II. m. VI.
Domnus an. I. m. VI.
Bonifacius m. I. d. XII.
Benedictus an. IX.

Huc usque Catalogus Pontificum Romanorum.



CHRONICON PHARPHENSE.

INCIPIT PROLOGUS.

Excellentissimo, magnisque honoribus Dei nutu accumulato, Patri Reverentissimo, Domino, & Abbati Beraldo, cunctisque senioribus Pharphensis Sanctissimi Conventus, infimus omnium, & cunctorum utinam Monachorum ultimus, Gregorius. Quicquid in hoc ævo sublimius, & in Christo felicius.



NOsse vos credo, Reverentissimi Patres, quoniam Dominus noster Jesus benignissimo nos edocet exemplo Patris cœlestis, cœlestia simul ac terrena moderantis, ut simus *perfecti, sicut & ille perfectus est, qui Solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super justos, & injustos*. Denique dum ipse Salvator in hoc seculo conversaretur temporaliter sinè peccato, multorum turbas virorum, bonorum, sive malorum, amantium se, vel sibi invidentium Pharisæorum, uti bonus Pastor, oves proprias sufferebat misericorditer, & una cum sequentibus discipulis alebat potentissimè. Quod etiam Psalmista refert dicens: *Hoc mare magnum*, videlicet præsens sæculum, *& spatiosum, illic reptilia, quorum non est numerus, animalia pusilla, & magna*. Et paulo priùs: *Omnia à te expectant, Domine, ut tu des escam illis in tempore. Dante te illis, colligent; aperiente te manum tuam, omnia replebuntur ubertate*. A Item alibi: *Oculi omnium in te sperant, Domine, & tu das escam illis in tempore opportuno; aperis manum tuam, & imples omne animal benedictione*. Sic denique, honestissime Pater, vestra nobilitas, in Curia vestræ celsitudinis, diversi moris viros habere consuevit, singulosque ferre in muneribus propriis. Alii namque vobis ferunt quædam acta proficua, alii verba inania, alii adulationes, alii placitas cantiones, alii verò joca lubrica, ut mimones. Omnia transitoria sunt, omnia caduca, omnia terrena, omnia pereuntia, omnia labentia: cuncta tamen vos ferre congruit, ut omnium obsequiis & utilitatibus ad tempus fruamini.

B Sed & Apostolus Paulus, caritate inæstimabili plenus, omnia substinet, & omnibus omnia factus est, ut omnium lucrifaceret. Sed numquid sic utendum est minimis, quemadmodum maximis? Absit; omnis enim Prælatus, nisi tribus muneribus decoraretur, non summus, sed videbitur imperfectus. Videlicet primò ordinatione, qua omnia directè noverit imperare; Deinde terrore; & ex hinc, ubi expedit, amore. Terrorem erga minus solicitos, sive inutiles, suæque ordinationi contrarios; amorem autem adhibet illis, qui libenter obsequuntur suis æquè præceptis. Nam si malis exhibeat bona, & bonis tribuere negligat

gat recta, sit fortitudo perversa, & videbitur hanc stateram fore dolosam, & pondus iniquum: quod est abominatio apud Dominum; quapropter iniqui in pejus proficient, & boni in rectitudine, tamquam desperantes deficient. Sed meliora justis, & media saltem tribuuntur malis, ut justi in melioribus fiant justiores, & perversi esse contendant in mediis correctiores. Ergo ne Prælatus fiat inordinatus, & æquus in muneribus largitor, & æquus omnium subditorum obsequiis inconfuse utatur: & sic in pace omnia membra erunt, & tum propria munera dignè singuli deferentes, suum Dominum glorificabunt, & in proprio honore accumulabunt. Hoc quippe notis omnibus maximè congruit, ut Domino Deo nostro concessa nobis talenta quotidie augentes, resignemus duplicata, & nostris exhibeamus Senioribus obsequia digna. In Dei namque tabernaculo, in deserto quondam ædificato, legimus unumquemque, prout poterat, obtulisse: videlicet aurum, argentum, lapides pretiosos, byssum, purpuram, coccum bis tinctum, hyacinthum, pelles rubricatas, pilosque caprarum. Nos autem non jam in tabernaculo, quod instabile, & in deserto manebat, eadem offerre convenit; sed ea, quæ his significantur muneribus, in Dei Ecclesia, supra firmam petram ædificata, referre oportet: scilicet pro auro sapientiam, non hujus Mundi stultam, sed quæ Dei timore discitur, veram; pro argento Fidei non fictæ, sed firmæ, puritatem; pro lapidibus pretiosis, varias fortesque virtutes; pro purpura, ut pro amicis nostris, idest Deo, vel proximo, effusionem sufferamus sanguinis; pro cocco bis tincto, caritatem Dei, & proximi; pro pellibus caprarum sustentationem in adversis proximorum, nostræ mortalitatis signum; pro pilis caprarum, compassionem in adversis amicorum. In domo quoque Regia vasa sunt plurima, non tantum aurea, & argentea, sed etiam lignea, & fictilia; phialæ etiam, & cyathi proprio habentur munere digni.

Hæc igitur omnia ideo commemoramus, ut nullus se tam pauperculum fateatur, ut quod Deo offerre debeat, non habeat munus. Regnum Dei enim tantum valet, quantum quis habet. A divitibus namque, omnibus relictis, emitur; voluntate tamen bona à pauperrimis acquiritur; hac enim nihil Deo offertur ditius. His nos instructi institutionibus divinis, satagamus fideliter, prout cuique donatur, in Dei Ecclesia fructum offerre utilitatis ne talentum, nobis à Deo gratis concessum, in terra abscondamus, & ex hoc, velut inutilis servus, condemnemur, & in tenebras exteriores mittamur. Sed donec dies est, & alitur in nobis, nostræ utilissima saluti attentiùs operemur, ut in extremo, velut fidelis servus, ad Domini vocem gaudeamus, & æternæ fructum remunerationis, percipere mereamur.

Quibus dictis sanctioribus roboratus, ego infimus omnium, & infelix hujus operis editor, fideliter à vestræ Paternitatis venerabilis sublimi certitudine, & quorumdam præcipuorum servorum admonitionibus cohortatus, semper gliscens, secundùm datam mihi à Deo gratis scientiolam, aliquem offerre fructum utilitatis in Ecclesiam, ad augmentum bonorum hujus sacri Cœnobii, & vestram ædificationem, Domini nostri Reverentissimi, hoc trium assumsi chartularum opus laboris. Quod quia Christo Domino adjuvante, ejusque obtentu integerrimæ Genitricis, in duobus aliis jam expletis voluminibus, magìs utilissimum habemus, ideo nunc brevitatem deflorare curamus, ut & ad legendum levissimum, & ad audiendum laborem plenissimum exercere valeamus. Omne quippe opus, vel Ars, quanto magìs frequentatur, tanto ampliùs indagatur, & perfectiùs operatur. Sic etenim ager sarculis, vel rastellis, aliisque utilissimis obsequiis cultus, purum, & absque zizaniis profert fructum. Scripta quoque Sanctorum Patrum nobis emissa priscorum si sæpiùs ruminentur, magnæ semper utilitatis, & clarior quidem sensus in eis invenitur. Quanto enim plus eas investigamus, tanto magìs, velut discretam frumenti medullam, vinique optimi magìs meracum reperiemus.

Quapropter & nos de priori Chartario magno, & sequenti breviori Libello, hoc tertium studuimus Opus efficere brevissimum, in quo etiam aurificum peritorum mores imitati sumus, qui aurum, vel argentum, igni multoties satagunt purgare, ut opus splendidissimum exinde valeant perpetrare. Enim verò tamquam vina, quæ fæcibus ablatis mera suaviora fundunt, & in altero nitidiori vase recondita potantibus nectaream dulcedinem reddunt, ita hunc chartulæ tertium laborem studuimus breviare, & de ampliori fonte in breviori locello aquam laboravimus puriorem transferre, ut lectus & relectus sinè tœdio hic Liber, & frequentiùs, magnam solertiam utilissimamque cautelam præbere valeat eo utentibus, & notitiam bonorum omnium hujus Monasterii administret præsentibus, posterisque Rectoribus, fastidio magnæ remoto rei, studioque adhibito perfectæ utilitatis. In hoc enim invenientur antiquissima, novaque, & verissima hujus Monasterii, libertas, propria jura, defensio, summa custodia utentibus rectè. Refert enim brevi veracique stylo cujuscumque Abbatis singulas acquisitiones, iniquas largitiones, detestabiles dispositiones, etiam quorumcunque hominum injustas invasiones, & impias direptiones: in quibus omnibus numquam me fallere studiosè, nec in aliquo apponere aliquid, vel minuere, nec à vero aliorsus scribere promitto, teste omnipotente Deo, ejusque tremendo judicio, & nisi quæ æquissima ratione, scriptoque veracissima per omnia fuisse sano judicio capere potero, salvaque semper hujus Monasterii libertate antiqua, videlicet consueta à Pontificibus, sive Regibus, & Imperatoribus largita. Nec mendacio in hæc, sive falsitate laborare debeo, quoniam exinde nil mercis temporale debitum exigo, nullumque præmii munus terreni recipere habeo; quippe qui sæpissimè etiam in rebus mihi concessis, & necessariis, penuriam vel etiam modum patior, cur gratis mendacium, quod ex Diabolo est, mihique lucrum non adfert, agere debeo?

Scribam sanè, prout certiùs nosse potero, huic sacro Cœnobio, & jure, & justè, & legaliter, vel consuetè, pertinentes, & pertinendas hereditates, aut ei à quovis potentissimo concessas per omnia libertates; ulteriusque bona, sive jus Ecclesiæ aut cujuscumque hominis, scienter numquam fraudabo; neque quid iniquum, & perversum videbo hujus Monasterii aliquando fuisse, fraudolenter ascribere studebo. Feret enim impium & detestabile apud Dominum, & tamquam crimen sacrilegii

gii pessimum, & penè homicidis dignissimum, ideoque nullum exinde meritum apud Altissimum, neque per hoc temporale præstolarer commodum: quia Deus Judex justus non pateretur inultum; immo Dei non evaderem judicium, sed æternum dignè perferrem supplicium. Quoniam juxta Sanctum Evangelium: ***Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.*** Ubi attendendum, quia si arbor, quæ licèt non mala dicatur, propter fructum tantùm, quem non facit bonum, in ignem mittetur: putas ubi arbor mala erit mittenda, quæ multa sagacitate, & industria prava, & perversa, malosque fructus exercere nititur? Cavenda est priùs fraus, cavendum mendacium, & detestandæ operationis incestus, & his similes pestes: quoniam hi sunt malæ arboris fructus mortiferi, qui se perpetrantes demergunt in profundum.

Hoc interea vos omnino postulo, Patres, ut Opus istud dignè suscipiatis, & nullis intentiùs occupationibus postponatis, quoniam in futurum & hoc pro maximis rebus poteritis lætari. Nam ego, quamvis magnis videar in caritudine tantillus, tantum in munere argentum vobis decens, vel aurum non habens, Dominus scit, quoniam istud opus maximè huic Coenobio cerno proficuum; idcirco vestræ serenitati, vestrisque temporibus illud exercere Domino adjuvante desidero attentiùs; cum quo etiam opere fidelia obsequia vestro honori conferre studeo, & non adulationes, nec verba inania, nec levitatem pulveris, videlicet ventosi flaminis, sed cordis purissimi sinceritatem, non solùm transeuntis, sed potiùs munus operis æterni vobis ministrare satago.

Quapropter, o venerabiles Patres, non vobis videnda sunt grandia, vel superflua cibi vel potus aut indumenti mei regimina; nec patiamini, obsecro, ceu hactenus, ultra modum me sufferre mei habitus vilitatem, neque erga me tam indiligentes sitis, sicut vestri Antecessores; quoniam, ut verum in Christo fatear, quidam eorum maligni mihi gratis, etiam sumtus necessarios meæ parvitati, & in Libro scribendo, minimè dedere, & uno Deo teste, rectè profiteri valeo, illum priorem & magnum Librum me non fecisse de hujus Monasterii substantiis, vel adminiculo cujusquam Prælati, sed de manuum mearum laboribus, & à quibuscumque acquisitis extraneis, non tamen publicè.

Hoc verò Opus vestræ beatitudini erit perennis memoria, honoris sublimitas, remuneratio perpetua, si tamen in eo fuerit vestræ solicitudini indeficiens sagacitas, & largitio opportuna. Ad quod exercendum si ego segnis in aliquo vobis fortè viderer, deberetis certè, ne deficerem, omni studio curare: multo magìs verò, cùm per omnia solicitum me cernere potestis, tribuere mihi, vel huic Operi commoda, negligere non debetis. Numquid enim cuilibet militi (1) omnia ornamenta, etiam pedum ultima extremaque ligamina, & equum tribuitis phaleratum ad victoriam temporalem exercendam, & non multo post fortè oppresso ab hoste, seu quandoque etiam revincendo, ut aggredi bella continuò possit, defectura ministratis? Hæc omnia magna, & amabilia sunt huic seculo; sed Christi inopibus impossibilia, & maximè despicabilia. At quia ad hominum plausus, & temporale commodum agere conamini, & juxta quod vulgo proverbiatur, *cuncta volenti levia sunt, & omnia nolenti gravia*, labore facili perquiritis, & honorificentissimè non tantùm, & annualiter, sed etiam sæpissimè perficitis, ac solemniter, plusquam vestri Antecessores, & inclyti Comites, etiam sublimiores Potestates, vobisque proximiores, ita ut hodie cunctis viventibus, longè quoque manentibus, sitis notiores. Quæ idcirco putatur à plurimis solicitiori vos exercere sagacitate, quia temporalia solummodo diligentibus magis favere videmini, ac de æternis, & ampliùs proficuis vobis rebus, nullus vestrorum famulorum, nec fidelium, immo nec aliquis confratrum forsitan audet vobis utilissimam facere suggestionem. Omnes enim temporaliter, & ad suum quæstum, vos videntur diligere, & quoquo modo sibi libita vobis festinant rapere; nec animæ suæ parcunt, nec super vobis de crastino cogitare cernuntur, sed donec hodie valent, ita ut vos ad nihilum deducere festinent, & quatenus de ectuose vivatis, & cogitare de crastino minimè valeatis, instant adulationibus; nec deficiunt in postulandis rebus; obliviscuntur à vobis accepta; & dolent se perdidisse aliquantulum dilata. Quia igitur his maximis, aliisque actibus insudatis, ideo à plurimis nobilibus viris penes vos pessimum & detestabile odium contra vos generatis, dum ipsi tam magna, nec norunt, nec valent militibus suis liberè præbere munera memoranda.

Ergo præcelse Pater, omnia hæc, quæ vobis suggerimus fidelissimè, suscipite placidè ac benignissimè, quoniam ea vos semper optamus perficere, in quibus vivatis perpetuè. Obsecro etenim, ut secundùm prudentiam vobis maximè concessam temporalia sic exerceatis, quatenus felici jucunditate omnia pertranseatis, & ad non amittenda præmia quandoque deveniatis. Non enim Deus in hoc regimine vos, vel aliquem prætulit, aut præferri permittit, ut hæc temporalia magis exigat, vel si neglecta fuerint, in judicio requirat; sed potiùs sibi commissi gregis corporum regimen, vel salutem animarum quatenus parvipendat, & non omni exerceat diligentia; nec militum requirit plurimorum summam, vel quidquid præparare satagat, sed magis sibi famulantibus, vel cuique sibi commisso curam solicitè impensam. Ità quòd rectè incedentes, & neque ad dexteram, neque ad sinistram declinantes, omnipotens Dominus custodit in omnibus, & omnia, quæcumque fecerint, semper prosperabuntur; & qui agenda vel salutifera negligunt, justo illos judicio Deus ducit in reprobum sensum, ut ea faciant, quæ non conveniunt, & cùm recta perficere nolunt, facillimè ad iniqua perducuntur exercenda.

Super hæc omnia suggero vobis, excellentissime Pater, quòd memineritis scriptum: ***Quodcumque potest manus tua facere, instanter operare, quia, nec opus, nec ars, nec ratio valet apud Inferos, quò tu properas.*** Inferos dicimus hìc sepulcrum, in quibus locati nil valent

(1) Ut suas temporales ditiones tuerentur, Abbatibus opus erant arma ac milites, atque in hoc etiam Chronico bella per eos gesta traduntur. Verum bene saturatis militibus, misselli Monachi fame aliisque incommodis languere cogebantur. Vide quam opportune bonus Monachus occasionem arripiat arguendi suorum temporum mores.

lent operari. Item scriptura dicit: *Eum, qui potest benefacere, noli prohibere; si potes, & ipse benefac*. Justè enim unusquisque remuneratur de omnibus, quæ in se, vel in aliis bonis aliquo modo exercuerit. Ergo, Pater alme, sit penes vestræ solicitudinis dignitatem omnium subditorum vobis ordinare utilitates; labentia æternis non præferatis; permanentia pro fugitivis non negligatis; uniuscujusque subditi munere fruamini utiliter, & omnium obsequia non ducatis segniter. Nullus ex vobis commissis ex toto vacet, nullus quiescat à bona operatione, ne fortè stolidus in eis quis inveniatur, & arboris infructuosæ maledictione mulctetur. Ulteriùs, quicquid à discipulis delinquitur, à Magistro exigatur. Denique sicut securis sinè præcidente inutiliter cernitur, & nil per se valet operari: sic subditorum opus, vel labor, quasi inanis videtur fore absque Patris spiritualis jussione; idcirco enim nobis regulariter præcipitur, ut cum Abbatis voluntate omnia agantur; nam equus, licèt magnus, licèt validus, licèt fortis videatur, quis tamen sinè insidente, vel conducente, illum audivit triumphasse?

Sed jam ne diu loquendo vestram serenitatem gravemus, à prolixa locutione fideliter exhibita sileamus. Hoc ad ultimum suggerimus, ne nostram scientiolam parvipendatis, sed sic agat, erga me vestra dignatio, ut numquam vacet in me cujuscumque utilitatis operatio. Enimvero, donec vixero adjuvante Dei omnipotentis, ejusque gloriosæ Matris, ac Dominæ nostræ suffragio, non erit segnis, nec inutilis scientiola meæ parvitatis à Deo mihi concessa gratis, ad semper augenda hujus monumenti utiliora, vestroque honori decentiora. Opto autem vos devotissimè operari, solicitè ac discretè, ut in nobis, & pro nobis, ac de nobis, & temporaliter gaudeatis, & uti bonus ac solicitus Pastor, dignos fructus remunerationis, unà cum ovibus fidelibus, æternaliter capiatis. Amen.

EXPLICIT PROLOGUS.

IN-

INCIPIT CHRONICON.

IN illo tempore dixit Dominus Jesus Discipulis suis: *Non est Arbor bona, quæ facit fructus malos, neque Arbor mala, quæ facit fructus bonos, & reliqua.*

Dominus Deus noster, dilectissimi fratres, qui in principio omnia semper novit, ut Scriptura refert, suo jussu potentissimè præcepit dicens: *Germinet terra herbam virentem, & afferentem semen, & lignum pomiferum facientem fructum juxta genus suum.* Ipse enim, ut audistis, in sancto Evangelio, per similitudinem in doctrina sua discipulis suis locutus est, dicens: *Non est Arbor bona, quæ facit fructus malos, neque Arbor mala, quæ facit fructus bonos.* Quam utique similitudinem idcirco proposuit, ut discamus, quemadmodum arborum, etiam hominum diversas fore naturas, & varia munera. Sicut itaque arbores bonæ, sicut & arbores malæ; nam ut arboris bonæ fructus dulcis est & suavis, & ad edendum salubris, cujus folium, juxta Prophetam, semper & viride, & numquam decidens, ita beati viri fructus est *Caritas, & gaudium, pax, patientia, bonitas, benignitas*, & cetera, quæ Apostolus commemorat; cujus etiam *voluntas*, secundùm Psalmum, *in lege Domini permanet, & meditatur die, ac nocte, & omnia quæcumque fecerit, prosperabuntur.* Malæ autem Arboris fructus amarus est, & venenosus, atque mortiferus, viri iniqui, & carnis mala opera significans, quæ, ut idem ait Apostolus, sunt *fornicatio, immunditia, luxuria, Idolorum servitus; veneficia, inimicitiæ, contentiones. Qui enim talia agunt, Regnum Dei non consequentur*; neque enim de spinis colligit ficus, neque de rubo vindemiat uvam; quia quicumque luxuriis, invidiæ, aliorumque vitiorum aculeis sordent, sive stimulis fœdantur, & iracundiæ, contentionis, odii, superbiæque asperitatibus cumulati, insuaves proximis, & quasi intentabiles existunt, exempla, doctrinamque virtutum ministrare proximis nequaquam dignè prævalent. Ficus autem Regni cœlestis dulcedinem, uva verò flagrantiam dominicæ dilectionis significant. Bonus homo de bono thesauro cordis sui non profert malum. Thesaurus cordis intentio est, cogitationis quidem internus arbiter, decernens, cùm aliquem conspexerit, majora velle bona operari, siquidem possit; & licèt ipsa bona minora sint, operantem tamen majori ultione punit, videlicet propter intentionem cordis, quia deteriora, si valeret, operari minimè cessaret. Nam vidua pro duobus numis exiguis, innumeris præfertur divitum donariis. *Ex abundantia* enim *cordis os loquitur*, quia quando cor administrat affluentiùs, hoc etiam os loquitur abundantiùs. Quando verò locutio bona absque operibus attestantibus nihil omnino prosit, subsequens manifestè astruit: *Quid autem vocatis me Domine Domine, & non facitis quæ dico?* Dominum namque vocare, bonæ arboris videtur esse fructus; sed si perversè vivendo præceptis Domini repugnat, bonum non exstitit quod lingua sonuit, quia illud procreavit scientia onusta vitiis. *Omnis, qui venit ad me, & audit sermones meos, & facit eos, ostendam vobis, cui similis est. Similis est homini ædificanti domum.* Homo hic mediator Dei, & hominum, Jesus Christus est, qui Sanctam Ecclesiam, in qua perpetuò maneret, ædificare dignatus est, & consecrare. Cui, videlicet Domino Christo, quique pro modo suo similantur electi, cùm ipsi singuli in suis cordibus specialiter agere curant, quæ Christus generaliter agit in Ecclesia. Qui fodit in altum, & posuit fundamenta super petram; Christus enim ejectis à suorum cordibus fidelium primævæ conditionis, & superfluis cogitationibus, inconcussam mansionem in eis studet stabilire, ipse verò petra est, supra quam fundamenta hujuscemodi domus locavit, sicut enim nil petræ antefertur, cui fundamentum imponitur domus: ita Sancta Ecclesia nihil præponit Fidei Christi, ac Dilectioni, adeò ut pro ipso, etiam mortem non dubitet pati. Inundatione autem facta domui illi, non nocuit flumen, & non potuit eam movere; fundata enim erat supra petram. Patet, quia Ecclesia pulsatur, nec dejicitur; & si quis malè cedentium victus cesserit, huic non pertinet domui, quia non super petram Fidei, sed super arenam levitatis fundatus exstitit. Notandum autem, quòd hæc inundatio tentationum tribus modis Ecclesiam impugnat; videlicet cùm à sua concupiscentia tentatur, aut à falsorum fratrum improbitate fatigatur, aut à rerum externarum appetitur insidiis. Habet etiam tentamenta Dominus, & alibi potestas Inferi nuncupantur. Quæ etsi pulsant, non tamen dejiciunt Christi Ecclesiam. Inundatio verò pro Fide, non subruit domum Fidei; nec debellatur ab extraneis, nec corrumpitur à falsis fratribus, neque obcœcatur fumo propriæ cupiditatis, quia fervet interiùs ardore dominicæ Caritatis.

His Sancti Evangelii, Domino propitio, prout potuimus, prælibatis documentis, libet nunc etiam de hujus Sanctissimi Patris nostri Laurentii gestis disserere aliqua huic lectioni congruentia, ad ejus venerationem, nostramque ædificationem pertinentia. Hic denique gloriosissimus Pater noster, cujus hodie celebramus solemnitatem annua devotione, de Syria Provincia exstitit, qui ab omnipotente Domino inspiratus patriam, parentesque, sive consanguineos dimisit, & cum sanctissima sorore Susanna Romam vênit, & inde ad hæc loca construenda devotus properavit, & tamquam bona arbor, fructus hic æquitatis non cessavit operari. Quo nos exemplo edocti perficere curabimus, cùm de Syria, quæ secundùm Prophetam in Oriente consistit, Hierusalem, & ad loca Romana itidem excelsiora properamus, & patientiâ nostrâ fugimus habere carnis delectationem, parentesque & consanguineos, concupiscentias scilicet, & vitia, relinquimus, & in hoc loco nobis à Deo destinato in ejus servitio permanere studebimus. Et bene de Orientali Syria venimus, cùm Domini jugum, & sanctæ conversationis in primo nostræ ætatis ævo suscipimus, ut quæ ait Propheta in nobis adimpleamus. *Bonum est viro, cùm portaverit jugum ab adolescentia sua, sedebit solitarius, & tacebit super se.* Domum quoque congruam, idest Dei habitationem, in nobis ipsis, sicut supra in sancto Evan-

Evangelio audivimus, unà cum sorore nostra, idest purissima Fide construere, bonisque operibus curemus, & super petram, idest Christum, stabiliamus, ut unà cum beatissimo Patre nostro Laurentio mercedem æternæ remunerationis capiamus, in hoc, quod ipse à fundamentis extruxit, Cœnobio fideliter perdurantes, si quando oportuerit passionibus Christi participemus, ut & Regni ejus, precibus ejusdem Patris suffulti consortes effici mereamur. Credimus enim, & firmissimè tenemus, quoniam si pios mores, actusque sanctissimi hujus Patris nostri Laurentii imitari studuerimus, in domum æternæ mansionis, quam ipse Sanctus justis laboribus acquisivit, ingredi, & cum Sanctis omnibus gaudia æterna percipere valebimus. Ad quæ nos gaudia, obtentu Dei Genitricis, & Dominæ nostræ Mariæ, omnipotens Dominus sua magna miseratione perducere dignetur, qui vivit & regnat in secula seculorum, Amen.

Sanctorum tempora Patrum, sive gesta virorum, cùm piè releguntur, & audientium religiosè auribus notificantur, prudentes ædificantur, & in suis sapientes negotiis illa imitando, cautiores efficiuntur, & feliciter in omnibus prosperantur. Ob hæc præsertim tempora descripta sunt justorum, ut nostra, dum vivimus, cautiori, consimilique felicitate, & absque offensione transeamus. Scriptum est enim, quòd exempla justorum, & actus præcedentium nos cautiores efficiunt; & Dominus in Evangelio: *Qui ambulat*, inquit, *in die, non offendit, quia lucem videt hujus Mundi*. Sicuti denique dies fuerunt, quoniam in luce hujus Mundi, quæ Christus est, ambulaverunt. Qui verò aliorsus, quàm sicut temporibus suis, conatus fuerit ambulare in via, Dei judicium effugere non valet. Licèt enim sibi videatur ad tempus in aliquo prosperari, sed deterius illi erit, cùm hæc dies Domini declarabit, sive vindicabit. Judicium ergo, fratres dilectissimi, omnipotentis Domini timeamus, & sanctorum terminos Patrum in nullo transgrediamur. Quid est autem terminos Patrum transgredi? Hoc est sinistrorsum incedere, & quæ illi gesserunt, videlicet statuerunt, negligere, sive contemnere; illorum enim tramitem si sequimur, in nullo oberrare videbimur; & si tempora quorumcumque Sanctorum incerta habemus, numquid bene acta ab eis spernere debemus? Minimè: nam licèt cujuscumque temporis Sancti exstiterunt, non tamen transitoriè, sed æternaliter vixerunt, Deumque in se non temporalem, sed sempiternum; non localem, sed ubique præsentem, & in omnibus mirabilem, & verbis, & operibus, permaximè ostenderunt. Quorum nos vitam actusque, uti veri filii, Patrum imitari certatim debemus, ut prout potuerimus, in omnibus cum Dei adjutorio prosequamur, ut illorum in æterna Patria societatem adipiscamur. Nam filius, qui patre mittitur, devians jussa patris, nequaquam consequitur hereditatem. Patria namque Sanctorum est Paradisus, ibique fore creditur Patrum hereditas sanctorum, & imitantium filiorum. Deus videlicet, qui non localis, nec temporalis, sed ubique præsens, & sempiternus permanet. Quædam etiam loca suo mancipata cultui suorum Sanctorum inibi commorantium augentur meritis, & crescunt, ipso perficiente, bonis sempiternis. Omnis namque locus aut habitantium beatis meritis augetur, aut culpis delinquentium exterminatur. Revera, quia sæpissimè per hominem locus, aut homo per locum ædificatur. Mirabiliter quoque Dominus in Scripturis suis prædicandus, est etiam metuendus in omnibus, quia dum in terris Sanctorum exaltat habitationes, haud dubium, quin eis æternas in cœlis, ac lucidissimas præparet mansiones. Quoties enim Sanctorum loca divinis cultibus augentur, toties eorum, qui ædificaverunt, merces & corona in Patriæ cœlestis regionibus accrescunt. Verè quoque illis per omnia erit, quorum industria, divini defectio loci, ulteriùs occasio fuerit desolationis. Et si unius Templi violatio sit illi, qui fecerit, perditio; quanto magìs plurimorum? Tot pro certo in uno Templo violantur; & profectò, si consisteret, homines salvarentur.

Nos ergo, fratres, animis caveamus, ne nostris temporibus Templum Dei habitationis violetur, neque negligentes in divinis augmentandis rebus inveniamur. Magìs verò per omnia satagamus, ut Sanctorum augmentantes loca, illorum patrociniis adjuvemur, eorumque meritis ulteriùs in aliquo coæquemur, qui omnia in bonum operari studuerunt, & in vera Fide jugiter permanserunt. Misericors autem, & miserator Dominus, rectè in suis mirabilis prædicatur Sanctis, & Fidelibus, in quibus per singula tempora operatur innumera mirabilia. Ipso denique cooperante, admiranda & stupenda ii gesserunt, & recta nobis gradiendi itinera reliquerunt, in quibus sunt semper decentissimè prædicabiles, & in omnibus imitabiles. In hoc verò præsertim digna illi efferendi sunt laude, quòd ad exemplum Beatissimi Patriarchæ Abrahæ, à propriis domiciliis discedentes, & sua quæque cum parentibus relinquentes, ad exteras properarunt Nationes, quatenus fructum transplantata arbusta expeditiùs operarentur, & dignam posteris reliquerunt veræ imitationem vitæ.

Sic præsens gessit *Beatissimus Pater noster Laurentius, hujus sacri Cœnobii ædificator primus*, cujus hodie solemnia annua veneratione recolimus, quando de terra & de cognatione sua, hoc est de Syria exivit, propriamque domum cum parentibus, & propriis omnibus reliquit, & peregrinationem assumens, in hanc Sabinensem Provinciam, post Beatissimorum Apostolorum vênit ad adorata limina, in qua aliquantisper commoratus, dum Episcopatus (2) honore fungeretur, & Deo, ac hominibus, carus & acceptus haberetur, seculi sublimia sprevit, favores hominum, & ineptas Mundi adulationes contemsit, hujus seculi curis renuntiavit, Episcopatum deseruit, & contemplativam vitam, quæ Christo Domino decens pars est, elegit; & soli Domino vacare desiderans, Monasticum humile indumentum accepit. Sed si forsitan in hoc aliquis pulsatur, & quòd Episcopatum deseruit, cuiquam uis-

(2) Ughellus in Ital. Sac. Tom. I. Campellus in Hist. Spolet. & Jacobillus in Vita Sancti Laurentii Illuminatoris inter Acta Sanct. Bollandi ad diem III. Februarii, censent, Laurentium Farfensis Coenobii primum institutorem, Spoletanum fuisse Episcopum circiter Annum Christi 550. Sed nullum testem antiquiorem produnt hoc ipso Chronico Farfensi, ex quo tamen nil certi deducitur. Vide etiam Mabillonium in Act. Sanct. Bened. Sec.I. pag.231.

displicere videtur: rationem eximii Doctoris Gregorii Beatissimi attendat, & quid de Sanctis Viris ad meliora tendentibus docuerit, non improvidè spernat. Ait enim: *Quoniam sæpe agitur in animo perfectorum quod silentio prætereundum non est, quia cùm laborem suum sinè fructu esse considerant, in locum alium ad laborem cum fructu migrant. Et cùm in aliquo loco minorem sibi fructum adesse conspiciunt, & gravem laborem: ad laborem se alibi cum fructu servant. Nam ubi omnimodè fructus de bonis deest, fit aliquando de malis labor supervacuus; maximè si è vicino causæ suppetant, quæ fructum Deo ferre meliorem valeant. Sic enim per domum lege non constringitur, loco non coarctatur, nec tempore comprimitur; sed quando intrinsecus docuerit, extrinsecus quasi in sua libertate relinquitur. Mentes namque electorum semper ad alta tendunt, & de minimis ad meliora præcellere nituntur. Sicut enim liquor olei in omni alio liquore de imis tendit ad superiora: sic animus Sanctorum de humili justitia ad magna præcepta surgere festinat, sicut scriptum est:* Ambulabunt Sancti de virtute in virtutem, *ut Dominum Deum in Sion valeant contemplari*. Nam quid Beatissimus hic Pater noster Laurentius, non ab re, nec absque omnipotentis Domini voluntate, fecerit in posterum, qui voluerit, perspicere poterit. Fortè igitur *... tempus exigit, idcirco illud viri sapientis efficere maluit: *Sapiens in tempore mores mutat sinè crimine*. Denique & Dominus dicit in Evangelio: *Bona arbor bonos fructus facit*; & sicut venientes in vestimentis ovium cognoscentur utique ab eorum fructibus, sic præsens Pater noster Beatus Laurentius, nunc & in perpetuum cognosci potest; quia fructum, postquam Monachicò habitu indutus est, omnipotenti Deo obtulit meliorem. Cùm enim in quodam puteo loci, qui dicitur Acutianus Sabinensis Provinciæ, immanis draco habitaret, cujus pestiferum flatum nullus mortalium poterat ferre, vir Domini Laurentius a dominis ipsius loci, tam venditione, quàm concessione eumdem locum accepit, & ab eo intra paucos dies, in oratione & jejunio persistens, sævam pepulit, Domini omnipotentis virtute, pestem. Capiat in hoc, cui placet, æquissimam rationem, & attendat, quoniam si Deo displiceret Episcopatus amissio, nullo modo perfici valeret ab eo draconis expulsio.

En audistis jam fructum arboris bonæ in loco utillimo transplantatæ. Audi etiam fructum alium, multo ampliùs decentissimum, sive præstantissimum. Deinde in uno ex his, quæ ei tradita, vel vendita fuerant, locis, idem in isto, cujus vocabulum est Acutianus, unà cum sua germana Susanna, Monasterium hoc in honorem, Sanctæ Dei Genitricis semper Virginis Mariæ, & Sanctorum Joannis Baptistæ, & Joannis Evangelistæ, idem vir Domini Laurentius, non de publico, construxit. In quo facto omnipotens Deus, Beati viri merita sibi placuisse, & quòd Episcopatum deseruerat, se non offendisse, sed magis suæ voluntati acceptum fuisse ostendit. Nam ipso cooperante, & gloriosissima semper Maria Virgine continuò suffragante suis sanctissimis precibus, prædilectus vir Sanctus Laurentius in isto loco ampliùs meritis beatis accrevit, & innumerabilem veniam delictorum animabus hic illum sequentium utriusque generis sexuum à Domino acquisivit. Audentiùs enim & confidentiùs credentes affirmamus; quia, quousque volvetur iste Mundus, ejus laudabile meritum semper accipiet incrementum. Ipsi enim jure debentur incrementa, quia ab ipso exstiterant hujus loci fundamenta. Et sicut ex omnibus super ea bene auctis, eumdem divina dignissimè justitia remunerabit, ita istorum bonorum violatorem, sive distractorem, divina ultio districtissimè condemnabit.

Hoc autem factum Beatissimi Patris nostri Laurentii *Domnum Joannem Papam*, ni fallor, *Sextum* venerabiliter laudasse arbitramur, & Pontificali confirmasse, atque corroborasse Apostolica auctoritate, minimè dubitamus, cùm Privilegium verè paternæ admonitionis, & omnimodæ libertatis, beatæ recordationis Duce obtinente Faroaldo, Domno Thomæ Abbati, & hujus sacri Cœnobii Congregationi, emittere curavit. Si nostrum hunc virum culpandum, vel condemnandum in hoc facto Pontifex decrevisset, nequaquam illum *venerandæ memoriæ de peregrinis venientem* laudasset; nequaquam huic Monasterio ab eo constructo tam præcipuam libertatem concessisset; & si sub tributo, vel censu Romanæ Curtis esse deberet, nullo modo in ipso Privilegio prædictus Pontifex id taceret. Idcirco autem sub tributo, vel censu aliquo illud fore debere non judicavit, quoniam non de publico constructum, sed tantùm emtum, atque ex oblatione fidelium illum fuisse ædificatum certissimè cognovit, veluti in ipso Privilegio apertissimè ostendit.

Ad hæc forsitan aliquis calumniator nobis opponere velit, quòd Beatus Laurentius Episcopus exstitit, ideoque quicquid operatus est, quicquid acquisivit (3) Ecclesiæ illius fore, idest sponsæ debuit, aut dominii ejus, cui pertinet Episcopatus. Contra quæ sit hæc nostra responsio, & fideliter per omnia defensio. Beatus Paulus Apostolus dicit: *Quamdiu vivit vir, uxor ejus sub mariti lege manebit; mortuo viro nubat, cui vult, tantùm in Domino*. Et ut edoceat nos hoc debere eligere in Ecclesiasticis mysteriis, subintulit dicens: *Sacrum magnum hoc mandatum est: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*. Diximus supra, quòd Beatus Laurentius, Episcopatu derelicto, Monachicum induit habitum, & retulimus illum post hoc, omnipotentis Dei cooperatione, miraculo draconis effugati, claruisse, & à Summo Pontifice Joanne non condemnatum in hoc, sed laudatum, & *venerandæ memoriæ* fuisse appellatum, atque Ducis Faroaldi rogatu Domno Thomæ Abbati, & huic Monasterio, non conditionis, non tributi, non census, sed Privilegium totius libertatis, mira caritate missum ab eodem Pontifice fuisse. Perpendat ergo, si placet, oppositoris controversia, quia postquam Beatus Laurentius,

(3) Hinc tantummodo deduci posse videtur, Sanctum Laurentium, Farfensis Monasterii conditorem, Episcopum fuisse in iis partibus, aut finitimis. At quum Coenobium illud situm fuerit in Sabinensi Dioecesi, non autem in Spoletana, æquius etiam foret eum inter Sabinenses Episcopos referre: quod revera fecit S. Petrus Damiani, & post eum Ughellus, quamquam hic inter Spoletanos ipsum rursus recensere videatur. Sed tantae heic tenebrae, ut nemo dispellere possit.

tius, Episcopatu derelicto, Monachicum habitum suscepit, mortuus est Mundo huic, sive debito Episcopali, & Ecclesiæ ejus, quæ jure Sponsa illius vocabatur, dum ipso uteretur, nupsit cui voluit, ut Apostolus præcepit, mortuus in priori Monasterio, jam in alio vivens, in Christo quæcumque gessit & acquisivit, non prioris Monasterii, sed secundi existunt; quoniam Sponsa illa, idest Ecclesia, post eum, alterum virum accepit, qui deberet debitum reddere sibi. Exiens ergo Beatus Laurentius ab ejus debito exstitit per omnia liberrimus: quod bene idem venerabilis Laurentius innotuit, cùm in istius Ecclesiæ abside titulum posuit, in quo refertur, ab eo, & Susanna ejus germana, hoc Monasterium, non de publico, fuisse constructum. Publica enim res est, quæ Regali, Imperiali, aut etiam Senatus, aut civili, vel Pontificali, aut Patriarchali pertinet juri. Ex neutro verò horum hoc Monasterium construitur, sed tantùm de emtu Sanctissimi Laurentii, quod de concessione, sive oblatione ædificatur Fidelium. Cùm autem Beatissimus Pater noster Laurentius diu in hoc Monasterio certamen bonum certasset, cursumque justitiæ consummasset, recipiens à Domino coronam, ex hac luce migravit; cujus sanctum corpus in hac Basilica Sanctæ Dei Genitricis Mariæ à discipulis est humatum diligentissimè & reconditum. Et non post longum temporis spatium venerabilis ejus Soror perrexit ad Dominum, ejusque cadaver in hoc Monasterio à discipulis juxta fratris est sepultum.

Libet autem de hujus Sancti tempore perscrutari Historias, & quo exstiterit ævo perspicaciùs investigare; & quamvis non pleniùs sciri possit pro temporum magna longinquitate, & barbarorum imminente ejus postea loci desolatione: tamen absque ambiguitate novimus, idque in Privilegio Domni Joannis Papæ habetur Beato Thomæ Abbati concesso, *venerabile Monasterium Sanctæ Dei Genitricis semper Virginis Mariæ, quod Laurentius quondam Episcopus venerandæ memoriæ de peregrinis veniens, in fundo, qui dicitur Acutianus, territorii Sabinensis constituit, & propter religiosam ejus conversationem, & divinis servitiis sedulitatem ibidem conversantium loca quædam tam emtu, quàm ex oblatione fidelium acquisivit*. His dictis possumus nosse ab hoc sanctissimo viro, sed non de publico, sacrum hoc Cœnobium constructum fuisse. Quia verò tempus illius conditionis ignoramus, idcirco silere de hoc magis eligimus, quia aliquid perferre mendosum, vel frivolum nolumus; nobis quippe audire mendacium non licet, quanto magis proferre? Legimus tamen in authentico constructionis illius prooemio, quia tempore Romanorum, priusquam Italia Gentilium gladio ferienda traderetur, tres viri de Syria advenerunt, Sanctus Ysaac, Joannes, atque Laurentius cum sua germana sorore Susanna. De quorum primo Beatus Papa Gregorius, qui à Beato Petro exstitit LXVI. & post annos Dominicæ Incarnationis DXCII. mensesque X., atque dies XX. Indictione II. III. Nonas Octobris in Pontificatum est assumtus, imperante Tiberio Augusto, sic in Dialogorum Libro III. Cap. XIV. mentionem faciens ait: *Prioribus quoque Gothorum temporibus fuit juxta Spoletanam urbem vir vitæ venerabilis Ysaac nomine, qui usque ad extrema Gothorum tempora pervênit, quem nostrorum multi noverunt, & maximè sacra Gregoria Virgo, quæ nunc in hac Romana urbe juxta Ecclesias Beatæ Mariæ habitat*. Et post pauca: *Multa autem de eodem viro, narrante venerabili Patre Heleuterio, agnovi, qui & hunc familiariter noverat, & ejus verbis vitæ fidem præbebat. Hic itaque venerabilis Ysaac ortus ex Italia non fuit, sed primùm de Syriæ partibus ad Spoletanam urbem vênit*. Prudens Lector animadverte, quæ fuerint Gothorum priora tempora, vel quæ Romanorum, priusquam Italia Gentili gladio ferienda traderetur.

Constat igitur, quoniam ante præfati gloriosissimi Pontificis non modicum tempus conditum est Monasterium istud, pro eo quòd venerabilis memoriæ Ysaac collegam se Sanctissimi hujus Monasterii Laurentii Abbatis non se vidisse, nec suis temporibus exstitisse descripsit, sed prioribus illorum Gothorum temporibus fuisse manifesta relatione professus est. Nam propria Gothorum tempora, ut veriùs conjici potest, ut in scriptis Chronicæ Historiæ Orosii Presbyteri reperitur, illa fuerunt, quando regnante Arcadio Imperatore, quo tempore Ambrosius, apud Mediolanum; Martinus verò, cujus gloriosus exstitit transitus à Domini passione Anno CCCLXVII. ætatis autem LXXXI. Episcopatus verò XXVI. in Galliis apud Turones, & apud Bethleem Hieronymus, qui expletis XCI. vitæ annis ad Christum migravit, velut sidera radiabant. Radagaisus Rex Gothorum, qui virtute & natura barbarus erat, & Scytha, habens secum CCXC. millia hominum primò Italiam devastavit; itemque post, regnante ejus fratre Honorio, Halaricus Rex Gothorum Romam invasit, partemque ejus igne cremavit IX. Septemb. Anno conditionis ejus MCLXIV. ac die VI. postquam in eam fuerat ingressus, deprædata urbe egressus est, cùm Incarnationis Dominicæ ageretur annus CCCCX. Tunc etenim apud Hippone Regium fulgentissimus, totiusque florebat magister Ecclesiæ Augustinus, qui tertio ipsius civitatis obsidionis anno, mense VI. & LXX. vitæ in Christo quievit. Deinde agente Præsulatum Romanæ Ecclesiæ Leone, à Genserico Roma capta est, postquam primùm eam Halaricus invaserat, jam vix expletis ab eo tempore annis XLIV., à conditione ejus MCCVIII., & ab Incarnatione Christi CCCCLV. Post hæc verò temporibus Agapiti Papæ Anno Dominicæ Incarnationis DXXIX. Gothi urbem possident, eamque direptionibus & incendiis absumunt, quibus temporibus Vittiges regnabat, eoque tempore in Oriente Justinianus imperabat. Denique capto Vittige, Gothi Hildebrandum constituerunt Regem, qui & eodem anno perimitur; & Regnum accepit Ararius, qui nondum anno expleto jugulatur. Item sibi in Regnum præficiunt Baduilam, qui dicebatur Totila. Qui undique exercitu collecto, rursus universam Italiam invadit, urbemque obsessam post XIII. dies intravit temporibus Vigilii Papæ, & Justiniani Imperatoris, scilicet Incarnationis Dominicæ Anno DXL. Indictione XIII. ab Arcadio Rege usque ad Justinum minorem, sub quo Narses Romanorum Patricius cum Totila novissimo Gothorum dimicans, eumque superans, effugavit, annis ferè CLXXIX.

Priora autem tempora Gothorum cœperunt, imperante Valente, quando iidem Gothi, per gentem Hunnorum à sedibus propriis expulsi, tran-

transito Danubio fugientes, à præfato Principe suscipiuntur. Nam temporibus Valentiniani Imperatoris intra Thraciæ fines cùm communiter habitarent, ibi divisi sunt. Fridigernus cum suis Ostrogothis vocatis Orientalem, Alicernus verò cum suo exercitu, cujus vocabulum Visigothi, regionem Occidentalem obtinuit. Hæc ideo prolixiùs narramus, ut priora Gothorum tempora, & novissima eorum, quæ ob narrationem Beati Laurentii hujus Monasterii Abbatis, collegæ Sancti Ysaac, cujus Sanctissimus Papa Gregorius mentionem facit, interposuimus tempus, prout potuimus, edisceremus. Romanorum quoque tempora, priusquam Italia Gentili gladio traderetur ferienda, quando, ut præfatum est, tres viri fuerunt in Syria, ea fuisse arbitramur, quando tota Italia, ab omnium jugo atque oppressione gentium erat liberrima, & ab Orientali jussione Imperii gubernabatur Romanus Populus, scilicet tempore Imperatoris Juliani Apostatæ, Jobiniani, Valentis, Gratiani, Valentiniani, atque Theodosii, præsidentibus etiam Pontificibus Apostolicis, Damaso, Siricio, Anastasio I., Innocentio, Zosimo, & Bonifacio I. quando Placidia Augusta cum filio suo Valentiniano Augusto, Ravennæ, & Honorius Augustus Mediolani residerent; necnon & Pontificibus aliis Cœlestino, atque Xisto III. Nam temporibus Leonis I. clades Guandalica premebat Italiam. Deinde temporibus Papæ Hilarii, Simplicii, & Felicis III. à Rege Odovacro dominabatur.

Hic à Pannoniæ finibus cum fortissima Herulorum multitudine, insuper Turcilinguorum, sive Scirorum auxiliis fretus, Italiam vênit, & regnavit annis XIV. Deinde præsidentibus Gelasio, Anastasio II. Symmacho, Hormisda, Joanne I. Felice IV. Theodoricus regnabat. Post quem præsidentibus Bonifacio II.& Joanne II. Athalaricus regnabat. Exinde Agapito I. & Silverio, Theodatus regnabat. Vigilio etenim præsidente jam Gothis Guitigis regnabat. Nam à tempore Felicis III. qui à B. Petro Apostolo Pontifex quinquagesimus exstitit, & deinde, Italia pertulit gladium Gentilis dominii. Hæc ergo erant Romanorum tempora, quia licèt per Patricios, ulteriùs Cubicularios, sive Exarchas Orientalis Imperii, Romanus Populus aliquo modo gubernaretur, tamen gladio gentis Gothorum, sive Longobardorum tota Italia premebatur. Nam Theodorico Regi Zeno Imperator omnem Italiam per Pragmaticum dedit. Cetera prudenti Lectori relinquimus, ut de tempore prædicti viri Laurentii eligat sibi placitum, quod videatur verius. Quo autem tempore destructum fuerit hoc Monasterium, sicut & constructum, manifestiùs, clariùsque minimè scimus, nisi tantum quod legitur in ejusdem Libro constructionis. Quia post obitum Beati viri Sanctissimi Laurentii, à Longobardis circumquaque interfectis effugatisque habitatoribus, locus ipse desolatus, & in solitudinem est redactus, atque per multa annorum curricula sinè habitatore permansit, scilicet donec à Gallia Maurigena Provincia, vir vitæ venerabilis veniens *Presbyter Thomas* ad Sepulcrum Domini demoraretur, ubi admonitus à Beata Maria semper Virgine Deique Genitrice ad Italiam reversus est, & hoc secundò cœpit Monasterium, & restauravit.

Cujus Beatissimi Thomæ præfati, hujus Cœnobii sacri Abbatis, felix & gloriosum tempus nos per annos Pontificum, & tempora Regum successionesque Abbatum, nec non & chartulæ Indictiones descriptæ secundùm annos ipsius, XXXV. & menses VII., ac dies V. quibus huic præfuit reconstructo ab eo Monasterio, enucleatiùs & perspicaciùs colligentes, invenimus exstitisse circa Incarnationis Dominicæ annos plus minus DCLXXX. & Indictione VIII., & Constantini filii Costantis, & Justiniani filii ejus, ac Leonis, & Tiberii Augusti tempora. Qui Tiberius Leonem Imperatorem, qui Justinianum Augustum projecerat, cepit, ejusque Imperium invasit. Sed hos postmodum idem Justinianus Augustus captos jugulari fecit, & Principatum recepit. A tempore igitur Damasi I. Pontificis, & Apostatæ Juliani Imperatoris, videlicet penè Incarnationis Dominicæ anno CCCLXXXII. usque ad tempus Leonis I. Apostolici, & Theodosii Augusti filii Arcadii, quo tempore Gensericus Romam cepit Anno Christi CCCCLV. tempora fuisse Romanorum arbitramur annorum CXXXI. infra quæ à nostris majoribus existimatum est, secundò hoc Cœnobium à Beato Laurentio fuisse constructum. Deinde ab hoc Leone Præsule usque ad tempus Adeodati Pontificis, quod circa Annos Christi DCLXXVII. extitit, Constantinique Augusti, qui & Constans vocabatur, filii Heraclii Imperatoris, annorum plus minùs CCXXVI. Horum sanè temporibus Sanctus Thomas hoc sacrum Cœnobium reperisse, & restaurasse creditur.

Quomodo autem à Longobardis interfectos, effugatosque hujus loci habitatores, possimus æstimare, nequimus pleniùs nosse, quia temporibus Tiberii Augusti, qui post Justinum minorem annis VII. imperavit, ut refert Isidorus, Longobardi Italiam capiunt, præsidente Sancto Pelagio II. Pontifice, & anno Christi DCLXXVI. quando Sanctum Thomam reperisse, & restaurasse Monasterium hoc differuimus, fuerunt anni plus minùs * LXXXIV. Certè legitur in constructionis proœmio, quòd multa per annorum curricula Monasterium hoc desolatum permansisset. Denique consulentibus Legatis *Faroaldi Ducis*, qui admonitione Sanctæ Dei Genitricis Mariæ plurimas illuc direxerat expensas, vicini ejusdem loci referebant, non se omnino nosse, nec recordarentur hujus Monasterii integritatem. Audierant tamen à patribus suis, qui ipsi præsentes, vel Avos suos meminissent dixisse, quoniam in Casale, qui dicitur Acutianus, juxta tres Cipressos posita sit Ecclesia Beatæ Mariæ miro fabricata decore. Numquid tamen famosum præcipuumque locum per LXXXIV. tantùm annos oblivioni datum fuisse est putandum? Tot enim anni sunt à prima devastatione Longobardorum, usquequo reperit illum Thomas Dei servus. Ergo ut veriùs conjici potest, non Longobardorum, sed potiùs dicenda Gothorum destructio est, vel Vandalorum, vel sicut illa, quæ tempore Leonis Papæ I. vel altera, quæ præsidente Agapito evênit: ex quibus usque ad tempus Adeodati Papæ anni fuerunt CCXXVI. Rectè ergo censendum est, tota illius desolatio exstitisse, & per tot annorum curricula locum hunc oblivioni vel ignorantiæ deditum fuisse.

Hæc omnia idcirco adnotavimus, ut mendacium de hujus loci tempore conditionis, sive destructionis, in nullo proferremus, nec dubia pro

pro certis scribentes falli videremur. In omnibus verò legentes, vel audientes, suppliciter rogamus, ut si in aliquo offendimus stilo, non condemnemur, quia teste omnipotente Deo, quem nemo fallere potest, ejusque, cujus hæc causa est, integerrima Genitrice, nil omnino mendacii proferimus studiosè, nec aliquid transcribere cupimus mendosè; immo ut etiam vera tantùm scribamus in hoc Opere, ipsam, quæ Christus est, obsecro veritatem, & vos pro nobis orate devotissimè.

Quoniam autem tempora Sanctissimi Laurentii subtiliùs indagare hactenus studuimus, ideo in eorum narratione morati sumus. Verumtamen adhuc de ejus amissione Episcopatus aliquid proferamus, & auctoritates Vicariorum Beati Petri Apostoli hìc introducamus, qui sic in decretis suis constituerunt: Callixtus Papa: *Si Episcopus persecutus fuerit in sua Ecclesia, fugiendum illi est ad alteram, eique sociandum docente Domino:* „ Si vos persecuti fuerint in „ una civitate, fugite in aliam. *Si autem utilitatis causa fuerint mutandi, non à se hoc agant, sed fratribus invitantibus, & auctoritate hujus Sanctæ Sedis fiat.* Item Antheros Papa de mutatione Episcoporum scribit: *eam communi utilitate, & necessitate fieri licere, non libitu cujusquam: sed aut vi à propria sede pulsus, aut necessitate coactus, aut utilitate loci, aut electione, aut exhortatione Sacerdotum, & Presbyterorum. Non sunt ergo mutandi Episcopi de civitate in civitatem, nisi utilitate, & necessitate. Negantes autem hoc, licèt spiritualem habeant pietatis virtutem, tamen . . . . . . abnegant, quemadmodum inanes & . . . . . . restiterunt veritati. Nam sicuti Episcopi habent potestatem ordinare regulariter Episcopos, & reliquos Sacerdotes, quoties utilitas, aut necessitas expoposcerit, supradicto modo mutare, & intronizare potestatem habent.* Denique Petrus Sanctus Magister noster, & Princeps Apostolorum, de Antiochia utilitatis causâ translatus est Romam, ut ibidem potiùs proficere posset. Eusebius quoque de parva civitate mutatus est Alexandriam Apostolica auctoritate. Similiter Felix de civitate, qua ordinatus fuerat, electione civium, propter doctrinam & bonam vitam, communi Episcoporum, & reliquorum Sacerdotum, ac propriorum consilio translatus est Ephesum. Hæc igitur præcepta, sive decreta tantorum virorum, & maximè Apostolicorum, qui ausu temerario, vel cujuscunque specie religiositatis, depravat aut contemnit, non modicè offendit, quia ille pertinaciùs Spiritum Sanctum spernit, qui locutus est in Sanctis: quod magìs cavendum est, ne in irremissibilem incidat blasphemiam, de qua neque in hoc seculo, neque in futuro Deus indulgentiam illi tribuat. De uxore autem, idest Sponsa spirituali, dicit Evangelium, quòd *non nisi fornicationis causâ sit dimittenda*, non verò pro majoris utilitatis ratione. Item & illud animadvertendum: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, idest humano vitio, humano emolumento, humana lascivia, humana cupiditate. Nec verò dixit: quod Deus conjunxit, Deus non separabit; sed tantùm homini potestatem abstulit. Nam Deo nihil est impossibile, quippe *omnia quæcunque voluit fecit in cœlo, & in terra.* Denique si Deus uxorem à viro, & virum ab uxore separare aliquando nollet, nequaquam in Evangelio doceret dicens: *Omnis, qui relinquit, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.*

Igitur post obitum Beati viri Sanctissimi Laurentii, peccatis exigentibus Italici populi, ab externarum gentibus nationum Italia capitur, locusque iste desolatur, & in solitudinem redigitur; atque post multa annorum curricula absque habitatore permanens, ab omnibus penè hominibus ubi foret omnino nesciebatur. Cùm verò divinæ placuit pietati, ut restauraretur, almæ Dei Genitricis, & semper Virginis Mariæ admonitus revelatione *Sanctus Thomas*, functus officio Presbyteri, à Hierosolymis, & Sepulchro Domini, quò à Gallia, & Occidente perrexerat, reversus Italiam, repertor, & reædificator hujus sacri Cœnobii mirificus exstitit, & cùm ceu novus hospes in hoc jam invento loco unà cum aliquantis discipulis pauperrimè moraretur, *Faroaldus gloriosus Dux Spoletanus*, in somnio à Beata Dei Genitrice jussus multa Farfensi Monasterio erogavit, & expensas direxit, plurimasque donationes, præcepti per paginas huic sacro Monasterio concessit, quæ præ longinquitate temporum, & incuria custodum multa, nunc minimè cernuntur. Antiquissimi tamen hujus loci venerabiles seniores referebant nobis, sibi ab anterioribus relata veraci relatione, quòd idem Dux Deo sibi suggerente, & Sanctissima Genitrice, huic sacro Cœnobio, & Domino Thomæ obtulerit XI. Curtes, & per eas singulas modia terrarum XI. millia simul congruentia. Acquisivit etiam idem Serenissimus Dux suo obtentu huic Monasterio optimam perfectamque omnium rerum, vel possessionum libertatem à Domno Joanne, ni fallor, VI. Papa, cui ob hoc in hunc modum precatorias direxit literulas.

Faroaldi II. Ducis Spoletani Epistola ad Johannem VII. Romanum Pontificem pro Monasterio Farfense circiter Annum 706.

„ Domino Sancto, ac ter Beatissimo, toto Orbi prædicabili, & nobis in Christo Patri Domno Joanni Papæ Faroaldus filius vester. Credimus Sanctæ Paternitati vestræ non latère, qualiter propter Dei amorem, vel reverentiam Sanctæ Mariæ semper Virginis Genitricis Domini nostri Jesu Christi, Monasterium in territorio nostro Sabinensi consistens, per aliquas donationes nostras in cespitibus, vel servis, vel colonis locum ipsum per Thomam Abbatem, & commenditum nostrum restauravimus, & ibi per præcepti nostri firmitatem locum ipsum venerabilem stabilivimus. Unde utile prævidimus, præsentem nostram epistolam ad vestra per eumdem Thomam dirigere vestigia, propter quod rogantes, ac si præsentialiter, obsecramus, ut pro futuris temporibus vestra Beatitudo pro perpetua firmitate, Privilegium in scriptis eidem loco facere præcipiat, sub ea scilicet ratione, ut quæ nos devotissima voluntate Sanctæ Mariæ Monasterio contulimus, vel pro consolatione peregrinorum, vel utilitate ibidem deservientium, concessimus, inspectas ipsas præceptiones, tali privilegio vestra Paternitas sancta firmare jubeat, ut nul-

„ nullus ullo tempore præsumat aliquas insolentias, aut concussiones facere, aut ipsas res de ipso sancto loco, aut de donatione ipsorum servorum Dei auferre; & qui hæc præsumserit, sub anathematis vinculo vestra Almitas eum alligare jubeat. Salutantes, & commendantes nos Sanctitati vestræ petimus, ut pro nobis orare dignemini. Post autem relectâ Epistolâ petimus, ut eorũ Monasterio reddatur(4) pro perpetua securitate.

Johannis VII. Bulla, qua Monasterio Farfensi privilegia varia concedit circiter Annum 706.

„ JOhannes Episcopus Servus Servorum Dei Thomæ Abbati Religioso, Presbytero, & Congregationi Venerabilis Monasterii Sanctæ Dei Genitricis semper Virginis Mariæ, quod est in fundo Acutiano territorii Sabinensis.

„ Salubre nimis, & complacens Deo, pro securitate, atque immunitate religiosè viventium providentiam facere Pastoralem. Præsertim autem dum religiosis studiis. præ timore divino, etiam secularis potestas se accommodat, & quod pia devotione pro intuitu æternæ vicissitudinis contulit, quibus pro servitio Dei concessum est, illæsum, atque immutilatum perenniter conservari. Hinc est, quòd venerabile Monasterium Sanctæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ, quod Laurentius quondam Episcopus venerandæ memoriæ de peregrinis veniens, in fundo, qui dicitur Acutianus, territorii Sabinensis constituit, & propter religiosam ejus conversationem, & sedulitatem divini servitii, ibidem secum conversantium loca quædam tam empta, quàmque ex oblatione Fidelium acquisivit. Post cujus ad Deum accessum, dum tantam religionem sedulè Deo deservientium agnosceret gloriosus filius noster Faroaldus Dux Spoletanus, etiam ipse pro Dei amore, & sustentatione ibidem secum Deo deservientium, habitacula quædam & loca, atque cultores per donationis paginam contulit, & collaturum se polliceretur, ut sint, qui pro eo, ejusque progenie, orationum hostias frequenter offerant Deo, ut qui collaudatur in terris à fidelibus suis, misereatur de cœlis, & parcat excessibus nostris. Cupit autem, & hortatus est idem gloriosus, ut tam priora, quàm ea, quæ ab eo sunt condonata, de jure ejusdem Monasterii ne in posterum abstrahantur, sed ad sustentationem Congregationis proficiant ibidem conversantium servorum Dei, & per eos possit indigentium & peregrinorum hospitalis susceptio diligentiùs procurari: per quæ pietatis officia donantium animæ, de quorum munere celebrantur, æternam quietem, & receptionem in sedibus beatis inveniant. Expetitioni itaque gloriosæ, atque religiosæ devotionis ejus, ac postulationi vestræ concedentes effectum, ex auctoritate Beati Petri Apostolorum Principis, cui claves Regni Cœlorum à Creatore ac Redemptore nostro Domino Jesu Christo Dei Filio concessæ sunt, ut ligaret in terris, quæ in cœlo liganda sunt, & in terris solveret, quæ in cœlis solvenda sunt, tamquam vicem ejus & locum, dignatione omnipotentiæ ejus, implentes, statuimus, atque decernimus, ut quæque in eodem Monasterio usque hactenus conquisita sunt, vel postmodum conquirentur, sive domicilia, sive loca, colonique, & mancipia, vel quæque animalia, vel mobilia, nullus de eodem Monasterio præsumat usurpare, vel subtrahere, vel per cujuscumque ingenii circumventionem alienare, magis autem pro timore Dei, eorum studio, atque concursu, ut ibidem indiminuta permaneant, procurare. Interdicentes omnibus, sive Episcopi sint, sive Presbyteri, vel Diaconi, vel cujuslibet Ecclesiatici ordinis, seu Laici, cujuscumque sint dignitatis atque militiæ, vel privati, ut nullum sibi jus aliquod, vel susceptionis usum in eo præsumat defendere, neque dationis, aut munerum consuetudinem quamlibet ibidem imponere, vel exigere, neque angariis, & quibuscumque conditionibus novis submittere, scientes, quòd in districto Dei judicio æternæ se pœnæ talia præsumendo submittant. Quæ quatenus per auctoritatem Principis Apostolorum statuuntur, tamquam exors à Fide Christiana contempserit, præter si religiositas tua, vel qui post te præfatum Venerabile Monasterium dispensaverit, spontanea voluntate in tempore dedicationis Ecclesiæ vicinum Episcopum, vel quemcumque de Clero, ad caritatis convivium voluerit convocare, juxta quod Monasterialis mediocritas habet, & victus Monachicus consuevit, in Abbatis invitandi quem velit, erit arbitrio. Si verò quoquo tempore religiosum Abbatem de hac vita migrare contigerit, quem ibidem posita Congregatio de se ipsis, vel ubiubi meliorem invenerint, eligentes, ad dandam ei orationem rogatus atque vocatus adveniat Reverendissimus Episcopus, eumque, dum ipsi voluerint, exhortentur, & post hujusmodi orationem, auctoritate Principis Apostolorum, à Pontifice, qui pro tempore fuerit, Abbatis firmitatem hinc percipiat. Si verò Presbyterum, vel Diaconum sibi desiderat eadem religiosa Congregatio consecrari, eligentes, quem ad hoc aptum de se ipsis, vel ex exteris invenerint, qui primi sunt, ad Reverendissimum Episcopum, qui vicinus est, unanimi voto perducant, ut & ille requisitus regulariter quæque ad disciplinam sacrorum Canonum, & Ecclesiasticam traditionem in Presbytero, vel Diacono, facienda respiciant, si irreprehensibilem & aptum invenerit, hac auctoritate, invocato Dei nomine, solemnem orationem faciens, Presbyterum consecret: nullam tamen ex hoc in eo se ditionem habere cognoscat, neque licentiam habeat ad observationem publicæ Ecclesiæ suæ eum compellere, & de Monasterii mansione subtrahere. Idcirco vestra religio hanc Apostolici privilegii tuitionem indeptam, fructuosum, atque laudabile concessum beneficium demonstret. Ante omnia in Psalmis, & Hymnis, & Canticis spiritualibus, diebus

(4) Suspicionem aliquam confictae serius Epistolae haec mihi movent. Ut quid enim petere, ut Romanus Pontifex Farfensibus Epistolam hanc reddat, quam ipsi ab eodem Faroaldo Duce brevius impetrare poterant? Posteriora tempora exemplum hujus rei suppeditare possunt. Nescio an & illa Secula quid simile, ostendere possint.

" bus ac noctibus, permanentes juxta Monachicam disciplinam, & regulam à Patribus conditam, conversantes, sincero proposito in professione vestra Domino servientes, & ejusdē Monasterii salutarem portum non relinquentes, caritatem invicem, & unanimitatem servantes, nullus sibi proprium aliquod vindicet in honoribus, vel rebus, vel usibus, sed ut Apostolorum Christi discipuli, omnia habentes communia, non divisa, nihilque vobis proprium defendentes, juxta quod ab illis est traditum, & à successoribus observatum, obedientiam habentes religioso Abbati, ac Præposito, & Prioribus vestris (quod est sacrificium spirituale) humilitatem Christi demonstrantes in moribus vestris, benevolentiam quoque atque humanitatem, & compassionem in eis, qui aliquatenus ægrotaverint, vel eguerint, caritatem etiam & religiosæ conversationis studium, ut demonstretis in vobis, & floreat pia professionis integritas, familiares vos exhibentes Deo, religiosæ vitæ sedulitas, & abstinentiæ, atque orationis, perseverantia fructuosa, ut quantum hæc ex puritatis devotione peragitis, tantum Deo in vobis operante ejus clementiæ propinquetis, orantes etiam pro nobis, & pro stabilitate Apostolicæ Dei Ecclesiæ, pro pace, atque securitate totius Populi Christiani, & pro sospitate gloriosi filii nostri, qui pro timore Dei, & religiosæ conversationis augmento, hujus Apostolici privilegii, utpote à Deo inspiratus tuitionem vobis visus est providere, ut & orationes vestras, & æternam de vobis mercedem acquireret. Quod Apostolicum privilegium quicumque ille est, qui in parte, vel in toto contemnere, vel evacuare tentaverit, vel ad resistendum contrariam attulerit voluntatem: noverit se æternæ condemnationi submitti, Judæ fieri traditoris participem, perpetui anathematis vinculo & alienationis à Deo, pro suis se illicitis præsumptionibus submisisse. Benedictionem autem & gratiam à Deo se percepturum non dubitet; sed confidat, qui fideliter observantiæ reverentia, hoc quod sub divino conspectu statuimus, custodit. Bene valete. Data pridie Kal. Julii imperante Domno nostro piissimo PP. Augusto Tiberio Anno VIII. P. C. ejus Anno VI. sed & Theodosio, atque Constantino.

Dedit quoque præfatus *Dux gloriosus Faroaldus* huic Monasterio res in Comitatu Reatino, loco ubi nominatur Clivianus, per designata loca, & eorum vocabula per mensuram modiorum MDCX. fines ejus ab una parte Frontini usque Maclam Felchosam, & Cryptam Machelmi infra suos fines, & omnia in omnibus; & sunt ibi constructæ Ecclesiæ tres, idest Sancti Sabini, Sancti Sebastiani, & Sanctæ Anatoliæ, cum XII. manentibus. Postmodum Domnus Abbas dedit Sanctam Anatoliam, & acquisivit per concambium Sanctam Mariam in Loriano. Omnia alia remanserunt ad opus hujus Monasterii, estque ibi constructum unum Castellum, quod nominatur Corvarum.

Venerabilis verò ac Sanctus Abbas Thomas pretio solidorum aureorum VIII. dato cuidam Barbato, & Valeriano Clerico, & Baroncioni colono, emit Olivellum novum juxta fines Scapiliani; & aureis solidis VIII. de alio Oliveto olivarum talias XII. & solidis IV. alias olivæ talias IV. & pretio aureorum solidorum VI. olivæ talias XI.

Crescente itaque nominis fama Sancti Thomæ Abbatis, & hujus substantiis Monasterii in peregrinis & hospitibus suscipiendis, secundùm Domini præceptum, honestissimè ampliatis, cœperunt multi ex diversis nationibus istum frequentare locum, vel gratiâ visitationis, vel causâ hospitalitatis, vel ad Deum amore convertendi. Quo tempore de Benevento progressi sunt tres viri nobiles, & consanguinei, Sanctus (5) Paldo, Taso, & Tato, qui seculum & sua omnia pro Christo relinquentes, peregrinationis iter assumserunt, & ad prædictum virum Domnum Thomam hîc pervenerunt. At verò venerabilis Thomas cum eis Romam perrexit, eosque secum benignissimè refovens, huc reduxit, & quamquam extra usum fuerit Monasterii, propter ardorem tamen laudabilis eorum desiderii intrinsecus recepit, & cum fratribus communiter participari fecit, & conversationis normam docere in paucis diebus curavit. Post hæc ad Beati Vincentii Martyris in Provincia Samnii super ripam Vulturni fluminis sanctum Oratorium, in quo tunc nulla erat habitatio hominum, præter ferarum latibula, vel latronum, eundi eis indicium dedit, & se ad eos illuc citissimè iturum promisit. Non multò post autem vir Domini Thomas Beneventum profectus est pedester, & ad Curiam perrexit *Gisulfi Ducis*, spectabilis viri. Tunc verò quadam nocte Sancta Dei Genitrix Maria, cum præfato viro venerabile Thoma, eidem Duci per visionem apparens præcepit dicens: *Vide, ut quicquid à te iste postulaverit Peregrinus, ei neque negare debeas, quia vir sanctus est, & orabit pro te*: & hæc dicens abscessit. Mane autem facto idem Dux per suos ministros ad se introductum, prout viderat in visione, illum cognovit; & continuò suo de solio surrexit, & omni in terra prostrato corpore adorans dixit ei: *Alma Dei Genitrix Maria te mihi hac nocte per visionem ostendit: nunc verò quicquid placuerit pete à me; & ego devotus tuæ libentissimè tribuam sanctitati*. At ille: *Unam*, inquit, *parvulam vestræ Celsitudinis pietati postulo petitionem: locum quemdam in Samnii Provincia super Vulturni fluminis ripam in solitudinem redactum, ubi in Beati Vincentii honorem habetur Oratorium constructum, obsecro, ut mihi pietatis vestræ largitio concedere dignetur, quatenus ibidem habitatio debeat esse Monasterii*. Quam petitionem ipse Dux libenter accipiens, hilari vultu respondit dicens: *Ecce, Pater, ipse, de quo postulas, locus ab hac hora in tua permaneat potestate, & firmitatis ex eo accipe præceptum*: quod mox scribere jussit, roboratumque ejus tradidit potestati. Præfatos verò viros vir Domini Thomas in gratiam ejusdem revocavit Ducis, & cum eis festinanter ad eumdem locum pervênit, ubi aliquantis demoratus diebus, multa dedit eis monita salutis, & in quo loco Refectorium, Dormitorium, atque hospitum susceptionem, & omnia opportuna habitacula construere deberent, ostendit. Paldonem quoque, qui his omnibus mitior erat, ut præesset illis in regimine, elegit. Ipse autem Reverendissimus vir Domnus Thomas rever-

(5) Vide Chronicon Monasterii Vulturnensis editum supra in Par. II. Tomi I. Rer. Italic. ubi haec eadem confirmata pæne omnia videas.

versus est Sabinis ad suum Monasterium deferens secum illud, quod ei Gisulfus Dux dederat præceptum. At verò memorati viri, & successores eorum multa per annorum curricula congruis temporibus ad hoc Monasterium Sanctæ Dei Genitricis Mariæ veniebant, & hebdomadas suas in communi officio, sicut & alii fratres, in hoc faciebant Monasterio, atque per dispositionem Domni Thomæ Abbatis ipsum Sancti Vincentii Monasterium ordinabatur.

Hæc autem omnia idcirco veraci relatione brevissimè restringere voluimus, ut præfatum Beati Vincentii Monasterium huic Beatæ Mariæ Cœnobio (6) pertinere, & ejus fore dominii debere, & Canonica, & Legali auctoritate asserere per omnia valeamus; nam venerabilis Thomæ magno studio ac labore, ejusque sancta sagacitate acquisitum est, & almæ Dei Genitricis jussione, à spectabili viro ac Duce benedicto Gisulfo libentissimè concessum est. Non enim ab re idem vir Domnus Thomas hinc usque Beneventum pedetter profectus est, nec frustra gloriosa Dei Genitrix præfato Duci præcepit, ut quicquid ab eo postulasset, neque ei negare deberet: cujus petitione prædictum Beati Vincentii locum omnino desolatum incunctanter restauratum novimus fuisse. De quo non illis, quos præfati sumus, viris, sed sibi suoque Monasterio firmitatis præceptum Sanctus Thomas à prædicto Duce suscepit. Ipsos autem viros cùm in suo Monasterio extra usum ipsius intrinsecus recepit, & divina doctrina instruxit, atque ad eumdem ire locum suasit, & ibidem in quo loco diversa ac utilia Monasterii habitacula construerent, ostendit: profectò intelligi datur, quia & eosdem viros Domino lucratus est, & locum ipsum Beati Vincentii suo huic Monasterio acquirere conatus est; Sed & cùm Paldonem, & .... aliis ibidem in regimine præfecit, & sua, scilicet Domni Thomæ, ejusque Successorum per XI. & ampliùs annos præfatum Monasterium Beati Vincentii dispositione legatum, ordinatum, legaliter edicta conditione per tantum tempus fuisse noscitur possessum, quod Lex humana, & auctoritas divina requirere, vel defendere queunt. Usque ad tempus videlicet Domni Fulcoaldi, qui Prælato, ac Monachis ejusdem Monasterii causâ pietatis, & inconsultè, hebdomadas in coquinæ officio indulsit, & Præceptum, quod vir Domini Thomas à Duce acquisiverat Gisulfo, largiens, ut sui tantùm curam gererent Monasterii, eis deinceps indixit. Quod factum, contra sacros Canones non ignoratur admissum, & contra Sanctorum auctoritates Patrum procul dubio cognoscitur fuisse gestum. Ut autem hoc certissimè comprobemus, enucleatiùs exinde pertractemus, & Sanctorum auctoritates Canonum, Patrumque sententias (7) venerabilium huic Operi inserre procuremus.

Verumtamen primò ea, quæ supra retulimus, recolamus, & cujus fore auctoritatis videantur, perspicacissimè attendamus, & si justa ac legalis ejus acquisitio exstitit, fideliter perscrutemur. Videlicèt, quòd Monasterium Beati Vincentii, labore, studioque, & spirituali industria venerabilis Thomæ, & revelatione atque jussione Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, simulque largitate gloriosi Ducis Gisulfi, huic Monasterio narravimus justè & legaliter fuisse collatum. Deinde si juxta auctoritates Canonum, & Sanctorum decreta Patrum, & Imperatorum, vel Regum, huic Cœnobio editas præceptiones, auferri, vel amitti, sive alienari umquam potuit donum illud ab hoc Monasterio Beatæ Mariæ. In Privilegio rogatu Faroaldi Ducis huic Monasterio concesso sic habetur sine dubio: *Sancimus, atque decernimus, ut quæque in eodem Monasterio usque hactenus conquisita sunt, vel postmodum conquirentur, sive domicilia, seu loca, colonosque, & mancipia, vel quæque animantia, vel mobilia, nullus de eodem Monasterio præsumat usurpare, vel subtrahere, vel per cujuscunque ingenii circuminventionem alienare*. Item in Concilio VII. Toletano Episcoporum XXXVIII. *Quæcumque res Ecclesiis Dei à Principibus justè concessæ sunt, vel fuerint, vel à quacumque persona quolibet territorio non injustè collatæ sunt, vel exstiterint, ita in eo jure persistere firma stabilitate jubemus, ut evelli quocumque casu vel tempore nullatenus possint*. Item in decretis Anacleti Pontificis: *Qui pecuniam, vel res Ecclesiæ abstulerit, rapit, vel fraudat, sacrilegium facit; privilegia enim Ecclesiæ & Sacerdotum sancti Apostoli, jussu Salvatoris, intemerata & inviolata ejus decreverunt manere. Has autem leges Apostolica firmamus auctoritate, & peregrina judicia submovemus*. Lucii Pontificis: *Rerum Ecclesiæ, & oblationum fidelium raptores, atque suarum facultatum alienatores à liminibus Sanctæ Matris Ecclesiæ, anathematizatos, Apostolica auctoritate pellimus, & damnamus, atque sacrilegos eos judicamus, & consentientes eis*. Stephani Pontificis: *Quicquid in sanctis Deo rebus, & Episcopis, & Sacerdotibus injustè agitur, pro sacrilegio reputabatur, quia sacra sunt, & violari à quoquam non debent*: Gregorii Pontificis: *Nullus Episcoporum, aut secularium præsumat, vel de reditibus, rebus, vel chartis Monasteriorum, seu Cellis, aut Villis, quæ ad ea pertinent, quocunque modo, seu qualibet occasione minuere, vel dolos, sive immissiones aliquas facere*. Synodus Romana: *Si quis Episcopus, vel Abbas, rem mobilem, vel immobilem distraxerit, vel Ecclesiæ suæ, vel quacumque occasione ditandi filios, vel parentes, sive uxorem, anathema sit; & quod datum est, nullo modo teneatur; & quamdiu acceptum tenuerit, communione privatus sit*. Augustini Episcopi: *Quæcumque Ecclesiæ offeruntur, sive corporalibus, sive spiritualibus, & quæ ad Ecclesiam ejus, quocumque argumento tolluntur, sive alienando, sive vastando, sive invadendo, sive minorando, sive diripiendo, Christo tolluntur, ideo & qui faciunt, & qui consentiunt, sacrilegii crimen incurrunt, atque lupi, & homicidæ, pauperumque necatores sunt; & insuper anathematis vinculo damnati coram Deo, & Sanctis ejus efficiuntur, & nisi per puram probatam-*

(6) Et quidem Farfenses Monachi sibi confirmandum curarunt *Vulturnense Monasterium* ab Henrico inter Imperatores III. inter Germaniæ Reges IV. ut infra videbis in ejus Privilegio Anni 1084. Verum Vulturnenses Monachi, ut puto, risere hanc fraudem, quum a tot seculis sui juris forent.

(7) Atqui inani labore suis temporibus sententias istas congerebat Chronographus noster, quando Vulturnenses Monachi tot Privilegiis Summorum Pontificum, atque Imperatorum, ac praeterea aliquot Seculorum praescriptione suam libertatem tueri poterant.

batamque, & publicam pœnitentiam, & per Ecclesiæ satisfactiones, & reconciliationem, Regnum Dei non possidebunt. Agathense Concilium: *Mancipium Monachis donatum, ab Abbate non licet manumitti. In Lege autem, omne, quod dabatur Aaron in ostio tabernaculi, ponebat manus suas super caput hostiæ Sacerdos, & nemo poterat commovere, quod signat: omne, quod datur voluntariè Ecclesiæ, cantata oratione, sub se nemo retrahat*. Item: *Hostia pro peccato & delicto, Sacerdotum jure perpetuo erit: ita quod datur Ecclesiæ*. Toletani Concilii Episcopi: *Qui nihil ex proprio suo Ecclesiæ Christi compensaverint, divinam sapientiam metuant, & ex liberis, & familiis Ecclesiæ ad condemnationem suam facere non præsumant. Impium est enim, ut qui res suas Ecclesiæ Christi non contulerit, damnum inferat ei, & jus Ecclesiæ alienare contendat. Tales igitur libe ros successor absque aliqua oppositione ad jus Ecclesiæ revocabit, quia eos non æquitas, sed improbitas, solvit*.

Quibus relatis Veteris ac Novi Testamenti, & Patrum Catholicorum auctoritatibus, omnibus omnino patet, quoniam Ecclesiæ res à nullo, & in nullo queunt aliquo modo distrahi, vel alienari: ideoque quod præfatus Domnus Abbas Fulcoaldus de prædicto Sancti Vincentii Monasterio inconsultè fecit, ab hoc Cœnobio illud alienando, & ut sui tantùm curam gererent illi indicendo, non modicè deliquisse videtur. Nam si juxta Domini vocem, spiritualiter de sponso, ac sponsa sanctitatis dicentis: *quod Deus conjunxit, homo non separet*, & omnis anima sponsa Christi est, omnisque Prælatus, sive Pastor, vicem Christi agere creditur: profectò constat apertissimè, quòd Vicarius Christi sibi commendatam sponsam, idest cujuscumque animam fidelis, sibique subditi, amittere non valet, nec umquam repudiare, nisi fortè ad altiora, vel meliora tendere videatur, vel quod Beatus edocet Benedictus, Regulæ ejusque præceptorum superfluus contemtor reperiatur. Ex Fide una tantùm anima est, ita & lex: quanto magìs plurimæ unius loci animæ à capitis sui non sunt repellendæ compagine. Cujus ergo libertas hæc auctoritatis esse potest, ut sui tantùm cura à subdito geratur, & proprii subjectionem capitis & reverentiam obliviscatur? Denique in Toletano Concilio IV. habetur: *ut liberti Ecclesiæ, qui à patrocinio ejus discedentes, quibuslibet personis adhæserunt, si admoniti redire contemserint, manumissio eorum irrita sit; quia per inobedientiæ contemtum ingrati actione tenentur*. Ad hæc nos liberè fatemur, quòd liberti propriæ sunt Ecclesiæ vinculo indissolubiliter uniti: quanto magìs filii, idest Monachi, perpetuò debent hæreditati inhærere Patris. Sanctus Paulus Apostolus Corinthios, aliosque discipulos *filios*, quia doctrina & prædicatione in Christo eos genuerat, appellat: quid mirum, si istos devotos viros Paldonem scilicet, atque Tasonem, & Tatonem, *filios* sanctissimi Thomæ hujus Monasterii Abbatis censeamus? Nonne ipse illos in regulari tramite educavit? Nonne in eodem loco eos constituens ordinavit? Nonne omnium eorum Monasterii utilitatum habitu & religione instruxit? Quibus autem postmodum ab hujus Patris obsequio idest à patrocinio hujus Cœnobii (quod quidem venerabilis Pater Thomas, Beata Domini revelante Genitrice reperit, & reconstruxit) divelli vel justè alienari valuit? Cujus actores alienationis, sive consentientes eis, vel etiam in hujus noxa perdurantes prævaricationis, in sacrilegii crimen secundùm Canonum statuta incurrere consentitur, & in futuræ judicio damnationis puniri merentur. Quoniam qui licèt parum cuique fraudetur, nisi restituat, frustra apud Deum pœnitebit; quanto magìs qui prædia magna, & amplissimas res alicujus juris fraudaverit Ecclesiæ, puniendus est æternaliter. Servos quoque à proprii servitio Domini discedentes nullus Sacerdotum, nisi redeat ad pœnitentiam, suscipiat. Monachi autem à proprii spiritualis Patris iniquè & inordinatè recedentes tuitione, si æternam cavere cupiunt damnationem, filii more prodigi ad Patris redeant unitatem, & primæ recipiant stolæ dignitatem.

Igitur post amissionem Monasterii Beati Vincentii hoc Cœnobium, non multò post novimus in plurimis fuisse diminutum, & in plurimis vacillatum, & in tantis incommodis occupatum, ut non solùm possessiones requirere longiores, sed vix etiam retinere valeret proximiores. Ideoque, dum tempus exegerit opportunum, ut congruè hæc amissa, vel alienata bona sibi pertinentia reperiantur, & Dei Genitricis suffragio ad hujus sui augmentationem loci recuperentur, vel potiùs recipiantur, operam dare in hoc omnes debemus, quoniam juxta Canonum institutiones & decretum Hilarii Papæ: *Quæcumque inconsultè, & illicitè decessor Episcopus amiserit, vel ab aliis iniquis commissa sunt, ab eo, qui successor est, emendentur*. Item Constitutio scripturæ legis Domini Ottonis Imperatoris, in generali habita Synodo, ubi omnes quoque adfuerunt Episcopi: *Sit ei, qui in regimine successit, libera facultas, omnia, quæ per libellos, vel alia qualibet scriptura alienata fuerint, in proprium jus Ecclesiæ revocare; solusque detrimentum habeat, qui se eo scripto obligavit, atque vinxit. Omne quippe jus, sive Lex, vel quodlibet scriptum, aut consuetudo, si contra Ecclesiæ utilitatem fuerint, in irritum deducenda sunt, & hoc solùm scriptum per legem in talibus causis habeatur, quod Ecclesiæ Dei prosit, & nullo modo obesse possit*. Hìc animadvertendum est, quia si quæ per libellos, vel aliquas scripturas sunt effecta, in irritum sunt deducenda, cùm Dei Ecclesiis obesse videantur: quanto magìs ad jus reducenda sunt Ecclesiæ, quæ neque legaliter, nec alicujus scripturæ munimine, nec in religiosiori commutata loco, sed inconsultè alienata sunt ab Ecclesiæ propriæ jure, & suæ dimissæ libertatis curæ? Silvestri quoque Pontificis: *Nemini Regum, aut cuiquam hominum proprium liceat Monasterium tradere, nisi ad aliud religiosius Monasterium; vel commutare, nisi cum alio Monasterio, vel cuicumque commendato vendere. Hoc etenim divina, & Apostolica, atque Canonica sub anathematis pœna sanxit auctoritas. Quod si factum fuerit, non valebit: sed & ipsum Monasterium in pristinum reformetur*.

Itaque Sanctus Thomas in hoc Monasterio longa per annorum spatia exemplum sanctæ conversationis discipulis dans, factus jam senex, plenusque dierum migravit ad Dominum. Corpusque illius humatum est à discipulis in hac Beatæ Dei Genitricis Basilica. Præfuit autem huic Congregationi an. XXXV. &

& menf. VII. ac diebus V. obiit verò IV. Idus Decembris in (8) pace.

Secundus verò à venerabili Patre Thoma exstitit hujus Monasterii rector *Haunepertus*, Aquitania Tolosanæ civitatis exortus Provincia, qui huic præfuit Monasterio annis VII., & menf. V. ac diebus (9) XXII.

Tertius namque à Beato Thoma in hoc Cœnobio surrexit in regimine *Lucerius* (10), Maurigena ortus Provincia, & à Sancto Thoma à puero sacris literis eruditus. Hic per annos XVI. menf. VI. ac dies X. hoc rexit Cœnobium, & obiit XIII. Kal. Julii. Cui etiam *Transmundus gloriosus Dux Spoletanus, & filius quondam Faroaldi Ducis*, ad hujus Monasterii jus donavit & concessit Ecclesiam Sancti Getulii, ubi ipsius requiscebat corpus, cum omni integritate ejus. Item *Liutprandus Rex* confirmavit Monasterio huic omnia quæcunque singuli Duces Spoletani, seu & reliqui Judices, vel propria ejusdem Ducatus huic contulerunt Monasterio, ubicumque posita sunt, faciens optimæ Præceptum libertatis, in quo etiam post excessum Domni Sancti Lucerii, huic sanctæ Congregationi Abbatem eligendi licentiam tribuit. Prædictus etenim *Dux Transmundus* huic Cœnobio concessit terram in fundo Germaniciano prope Pastinum Sancti Angeli. Item præfatus Lucerius vir venerabilis Abbas per concambium acquisivit duos Casales, idest Asilianum, & Fiolam.

Quartus igitur hujus Congregationis Pater exstitit *Fulcoaldus* (11), natione Aquitanus, & nobili ortus prosapia, qui præfuit huic Sacræ Congregationi annis XXIX. mensibus VI. & diebus XII. Obiit verò in pace IV. Nonas Decembris. Hic propter præceptum firmitatis à *Duce Lupone* acquisivit huic Monasterio Colonos duos, hoc est Colendinolum, & Tursonem, cum eorum rebus omnibus, & substantiis in territorio Reatino ad Sanctum Cassianum; & in alio præcepto ejusdem Ducis petiam terræ unam ex Gualdo Sancti Hiacynthi, item à fluvio Farfæ juxta Fractam Arnonis anteriorem, & prope finem de Corneliano descendentem prope fossatum, qui nominatur Ponticulus, & conjungit Agello, & Fornicatæ, unà cum Casaliculo, qui vocatur Cæsarianus. Et in alio præcepto Gualdum Pontianum, & prope rivum ejusdem Pontiani, usque in Tiberim. Et in alio præcepto ejusdem *Luponis Ducis* Casalem unum, qui dicitur Turris, qui excolitur per Arnonem, Mauronem, Vindemium, Damulonem, & Lucciolonem cum ejus pertinentiis. Et in alio præcepto Monasterium Sancti Petri in Classicella. Et in alio præcepto reconfirmationem duorum Casalium, idest Asiliani, & Fiolæ. Et in alio contextum præcipuum, ut nullæ mulieres habeant licentiam eundi per vias, quæ secus Monasterium percurrunt, nec ad Monasterium ambulandum, nec infra fines, qui prope designati sunt, nisi per viam, quæ Salaria vocatur à Sancto Pancratio rectè in pontem Sancti Viti in Sala, & exinde in Sextum, deinde in Capilianum: per vias istas antiquas habeant mulieres licentiam ambulandi. Similiter & Cellis pertinentibus ad hunc locum, idest de Sancto Angelo, & Sancto Petro, ac Sancto Getulio, constituit idem Dux, ut ibi nullatenus mulieres procedere, aut ambulare debeant. Et in alio præcepto piscatorem unum nomine Sindulum cum sua portione in terra, & aqua in Septipontis. Et in alio præcepto (12) Monasterium Sancti Georgii Martyris, juxta muros civitatis Reatinæ, ut ibidem Sancti-

(8) In margine Codicis scriptum est: *Sanctus Thomas Abbas obiit Anno 707.* Verum Mabillonius V. C. in Annal. Benedict. ejus mortem refert ad Annum 715.

(9) Adnotatur in ora Codicis MSti, Haunepertum e vivis sublatum Anno 715. At secundum Mabillonii calculos ejus mors cadit in Annum 723.

(10) In Farfensis Codicis margine Lucerii Abbatis mors contigisse dicitur Anno 733. Mabillonius eam statuit in Anno 740.

(11) Nescio quis in ora MSti Codicis adnotavit, Fulcoaldi Abbatis mortem accidisse Anno 753. Sed Mabillonius eam nobis exhibet ad Annum 759.

(12) Praeceptum hoc, sive Placitum ex antiquitate sua magni faciendum, jam a Clariss. Mabillonio in Annal. Benedictin. evulgatum locus poscit, ut in Eruditorum commodum heic adjungatur.

Luponis & Hermelindæ Ducum Spoletanorum Præceptum de conditione Monasterii Monialium Sancti Georgii prope Reate sub defensione Monasterii Farfensis.
Anno 751.

„ IN Dei nomine Domnus Lupo, & Domna „ *Hermelinda, gloriosi & summi Duces*, „ Monasterio Sancti Georgii Martyris Christi, sito prope muros Civitatis nostræ Reatinæ, quem Christo protegente Monasterium „ puellarum esse constituimus. Laudabilis & „ misericors omnipotens Deus, qui dedit re„ media nobis mundanda peccata, *sicut rogus*, „ inquit, *extinguitur latice, ita eleemosyna sæ„ va purgantur peccata*. Non te excuses per „ multitudinem divitiarum tuarum; quoniam „ qui nobis dedit, & in alios ipse pro sua „ pietate largitur. Quid modicæ fidei, quid „ adhuc dubii sumus? nam centies retribuet, „ & vita æterna fruebitur, quia Auctor noster „ pro nostra salute suum sanguinem effudit, „ & nos non volumus pro nostro Redemtore „ res nostras amittere? Esto propitius Christe „ delictis nostris, & hoc Monasterium puella„ rum sit tibi placabile, Deus, quod pro no„ stris facinoribus tribuimus, donamus, & in „ æterna traditione concedimus prædictum Mo„ nasterium Sancti Georgii Martyris Christi cum „ omni substantia sua, quam ibidem pertenuit, „ & usque nunc possessum est, in eo ordine, „ ut ibidem congregatio Sanctimonialium fe„ minarum esse debeat, quas ibi Dominus di„ gnatus fuerit aggregare tam incolares (a), „ quam de diversis provinciis, undique Domi„ nus adauxerit, hoc est Langobardas vel Fran„ cas (b); ut secundum Deum & sanctam „ Regulam in ipso sancto Cœnobio vitam suam „ degere debeant, & quotidianis diebus pro „ Christianarum animarum salute hostias & „ Deo laudes referre debeant; & qualiter Do„ minus inspiraverit, omnem ipsam congrega„ tionem, uno consensu sive Priorem eligant, „ sive Abbatissam in Dei timore. Et hoc nam„ que Monasterium, vel ipsa sancta Congre„ gatio, *sub tuitione & defensione debeat esse* „ *Sanctæ Dei Genitricis Mariæ Monasterii in Acu„ tiano*; & nunc ibi modo *Domnolinam Abba„ tissam* constituimus, ut usque dum ei Domi„ nus vitam dignatus fuerit largire, custos & „ rectrix esse debeat regulariter, uti competit „ Dei famulam & Abbatissam. Post verò ejus „ defunctionem, sicut casus humanus fragilis „ est, dum ab hac luce fuerit subtracta, ipsa „ congregatio Monacharum, ut superiùs affati „ sumus, uno consensu, qualis earum congrua „ fuerit, una cum permissione & consensu Ab„ ba-

(a) *Fortassis* incolares.

(b) Id mihi mirum; neque enim Anno 715. vel unus terrae pugillus Francis in Italia erat. Cur non potius *Romanas* virgines finitimas nominavit? Tunc in Italia tantum audias Langobardos ac Romanos: adde etiam, si vis, Graecos.

ctimonialium Congregatio perpetuò sit fœminarum. Et in præcepto *Aistulfi Regis* confirmationem voluminum IV. quæ jam dictus *Lupus Dux* huic concesserat Monasterio, videlicet unius de Corticella ad Sanctum Vitum prope fluvium Farfæ, ubi dicitur Bilianus; alterius de Gualdo Tanciæ Casalem unum ad Sanctum Pancratium; tertii, ut fœminis non per hoc Monasterium, sed per vias antiquas ab eodem Duce signatas transire liceat; quarti verò de Monasterio Sancti Georgii juxta urbem Reatinam, & quodam Rofredo de Casale Sancti Viti, terrulam recisam usque ad fossatum, a latere uno Farsa, & à fronte supra terram Sanctæ Mariæ usque in Vadum. Et medietatem Casalis ad Centum, vel Almianum, vel ad Stabula publica, in placito judicatus revicit. Casales etiam in Gualdo Sancti Hiacynthi, & Tende solidis XX. emit; uti & quamdam portiunculam in Busiano, & in Salice. Et ad pretium equorum sex pro solidis LX. & auri cocti pensantis solidos CCCLX. emit Casalem in Sabinis vocatum Paternum, olivetum, & vassilecam, & molendinum. Et acquisivit in Terentiano Ecclesiam (13) Sanctæ Mariæ, & Sancti Michaëlis Archangeli. Et in Lamniano portionem cujusdam Palumbi. Et in fundo Fornicata portionem Bonæ Ancillæ Dei. Et propter præcepti firmitatem acquisivit à *Duce Lupone* Curticellam unam ad Sanctum Vitum, prope fluvium Farsæ, ubi nominatur Bitianus cum colonis ei pertinentibus, qui resident in Bozano, & in Montaniano, & in Tauriano, & in Ortisiano, & in Maurianula, & in Negotiano, & in Casale Rentiano, & in Toraniano, cum omnibus adjacentiis, & pertinentiis suis. Et suscepit per concambium in Monasterio Sancti Georgii medietatem Casalis, qui dicitur Raulianus. Et revicit per Placitum judicatus Gualdum

„ batis Monasterii Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, vel ejus successoris, qui post ipsum Abbas fuerit, licentiam habeat prædicto tenore, sibi eligere Abbatissam. Quod verò Præceptum offertionis nostræ nullus Gastaldus, vel Actionarius noster de his, quæ nostra constituit largiter potestas, audeat vexare quandoque, sed omni tempore firmum & stabile permaneat.

„ Ex jussione suprascriptæ Potestatis scripsi ipse ego Dagar Notarius.

„ Dat. juss. (c) Spoleti in Palatio, Anno Ducatus nostri in Dei nomine VI. mense Aprili per Indictionem IV. sub Immone Gastaldo nostro feliciter.

(c) In altera Luponis Ducis Charta infra legenda Mabillonius legit *jussum*. Num *juxta Spoletum*?

(13) Quae *Monasterium* appellatur in vetustissimo Placito per Mabillonium supra laudatum edito, atque heic iterum exhibendo, quippe ipsum locus exposcit.

Placitum coram Lupone Duce Spoletano, in quo Monasterium à Claudiano Presbytero ædificatum adjudicatur Monasterio Farfensi, frustra contendentibus Claudiani nepotibus. Anno 751.

„ IN Dei nomine. Dum residerem ego *Domnus Lupo gloriosus & summus Dux gentis Langobardorum* in Spoleto, in palatio, unà cum Judicibus nostris, idest Gademario, Arechis Diacono, Perto Stol. (a) Allone Sculdascio, Camerino Gastaldo de Valva, Immo de Reate Gastaldo, vel aliis pluribus adstantibus, ibi venerunt in præsentia nostra Claudianus Presbyter & Monachus unà cum Vitulo germano suo, & nepotibus suis, idest Ansualdo Presbytero, Saxoreo, Ausone, habentibus cum eo altercationem de substantia sua. At ubi proponebat ipse Claudianus Presbyter dicens: *Sunt modo anni non minus triginta, ex quo habuimus substantias divisas cum istis fratribus meis; & in portione, quæ mihi venit in Terentiano, ædificavi pro anima mea Monasterium Sanctæ Mariæ, & Sancti Archangeli Michaelis. Postea dum mihi contigisset infirmitas, usquequo ad transitum venirem, feci per scriptum, ut omnes portiones substantiæ meæ, vel conquisitum, quod habui, cum ipso Monasterio, post meum discessum reverterentur omnia in dominatum vel potestatem Monasterii Sanctæ Mariæ in Acutiano. Dum hoc factum est, fecit in me Deus suam pietatem, & reductus sum ad medelam salutis de ipsa infirmitate. Modo verò compungente me divina majestate, volo cum omni ipsa substantia esse servus Sanctæ Mariæ, & in Monasterio introire, & regulariter vitam meam ibi finire.* Respondebat pars Vituli & Ansualdi & nepotum meorum, qui causam suam, aliorumque fratrum suorum, qui in Reate remanserunt, vindicabant: *Non faciat Deus, ut veritas sit, sicut proposuisti. Sed nos dicimus veritatem, qualiter acta est causa inter nos de substantiæ nostræ divisione. Verum est, quòd jam plures anni sunt, ex quo habuimus divisas substantias, & in quo modo dicimus. Dum ad dividendum venissemus, habuimus substantias per singula loca, & domum cultam non habebamus, nisi unam Casam in Terentiano: alias Casas tantùm colonicias habebamus. Et dum in plures partes nobis eveniret, ad sortiendum ipsam domum cultam, sic à nobis postulavit iste frater noster Claudianus, ut dimitteremus illi super totam partem substantiæ nostræ ipsam Casam, domum cultam in Terentiano cum omnibus suis pertinentiis in tali tenore, ut commune nobiscum ibidem ædificare deberet Monasterium: ita ut filii nostri ibi tenderent, & in ejus traderentur servitio, & ad discendum literas. Post ejus verò decessum ipsum Monasterium vel ejus partes reverterentur in nostram vel filiorum nostrorum potestatem. Nos verò communiter cum eo construximus ipsum Monasterium, & filios nostros, ut nobis repromitteret, tradidimus ei ad serviendum, & chartulam nobis in eo tenore fecit, ut post ejus obitum nobis remaneret. Modo autem vult eam subtrahere nobis, introiens cum rebus ipsis in Monasterium Sanctæ Mariæ, quod nobis major comparescit præjudicium esse.* Sed proponebat Claudianus dicens: *Quid plura habeo dicere quàm dixi? nequaquam dixerunt verum, nec aliquando placitum istum ad eos feci de mea portione, aut scriptum, ut proponunt.*

„ Dum talia nos qui supra Domnus Lupo eorum cognovissemus intentionem, unà cum prædictis Judicibus nostris, interrogavimus ipsum Claudianum, si haberet chartulam ut dixit, quam in transitu suo fecisset. At ille nobis dixit; *quia ecce chartam præ manibus habeo illam.* Fecimus eam in nostra relegi præsentia. Continebat enim, qualiter priùs dixerat, ut post ejus obitum reverteretur in Sanctam Mariam. Iterum ipsi fratres vel nepotes ejus ostenderunt à parte sua chartam, ut dicebant, quam Claudianus eis fecisset. Fecimus & ipsam relegi. Comparuit fraudulenta, in qua re nec Notarium verum habebant, nec testimonia. Comparuit nobis rectum, & decrevimus Deo medio, unà cum suprascriptis Judicibus nostris, ut pars Claudiani diceret eorum justitiam ad Sancta Dei Evangelia, quòd suam portionem eis nullo modo obligasset, nec chartulam ipsam ad eos fecisset: sed ab illa hora liceret ei cum rebus suis in jam dictum Monasterium introire. Quod de præsenti præparavit se ipse Claudianus facere eis ipsum sacramentum. Ipsi verò donaverunt ei, & amiserunt sacramentum ipsum ante præsentiam Immonis Gastaldi, Andualdi Sculdascii, Theuderadi Presbyteri, Alifredi Actionarii, Teudualdi Gasindii, Guederici, seu Ursi Centurionis, & Probati, atque Gustantii. Et finita est inter eos causa. Quod verò judicatum ex jussione suprascriptæ Potestatis scripsi ego Dagar Notarius, mense Decembri per Indictionem IV. feliciter.

(a) Fortassis & heic legendum *Scul.* hoc est *Sculdascio*.

dum ad Sanctum Hiacynthum cum IX. Casalibus. Et alibi revicit Casalem Tullianum; & in Musini acquisivit talias Olivæ XV. Et ad pretium argenti lib. XX. à quodam Teudone Sancti Salvatoris Monacho, consensu Adrualdi Abbatis ejus, suscepit Casalem, qui dicitur Longitia minor. Et per Placitum judicatus revicit Casalem Turrinianum. Et per concambium à *Teutone Episcopo* suscepit Casalem Junianum, & à quodam Guinelapo &c. acquisivit in Prætoriolo foculares XI. in Acutiano IV. in Ficlinule portionem ejus. In Corneliano, uncias tres, & in Tariano foculares duos; in Secundiliano Casam unam, & Casalem medium. Hic etiam fecit convenientiam de Curte hujus Monasterii in Germaniciano.

Quintus verò in regimine hujus successit Monasterii *Guandelpertus*, & ipse Aquitania ortus, consanguineus quoque præfati Domni Fulcoaldi. Qui unum præfuit annum atque menses VII. Post hoc fratres benignè postulavit, ut absolverent se à cura pastorali, & Pastorem eligerent alium sibi. Quo facto hujus curam regiminis reliquit, & in Firmana civitate Monasterium Sancti Hippolyti à Fratribus accepit.

Sextus denique in hac Congregatione exstitit Pastor *Halanus*, regione exortus Aquitania. Is denique primò in Congregatione fraterna probatus est acie; deinde in Motilla monte, juxta Beati Martini Oratorium, super hoc eminente Monasterium, per annos deguit multos inclausus, contra carnis vitia solus pugnaturus. Ubi inter alia bonæ operationis exercitia multos etiam mirificè exaravit Codices. Ad quem omnis Congregatio concorditer perrexit, & ut sibi præesse deberet, rogavit. Unde illum extrahentes ad Monasterium hoc cum honore perduxerunt, & super se Rectorem posuerunt. Qui præfuit annis IX. & mensibus III. atque diebus VIII. Obiit quoque V. Nonas Martii.

Hic fecit convenientiam unam cum Theodoro habitatore Castri Urbis-Veteris de Monasterio, sive Oratorio Sancti Angeli, quod Pater ejus Cunctarius Presbyter, & Mater ejus Occlivia Presbytera dimiserunt in hoc Monasterio, ut præfatus Theodorus, & ejus hæredes per singulos annos inferant tritici modia X. Vini decimatas XI. fœni carra XX. & molæ utile par unum. Et quando Monachi ibidem venerint quod perdiderint, restituant de suis propriis. Et ad pretium solidi unius, videlicet pacalarda una pro medio, & milii modia VI. pro medio solido, & pro mercede supra solidum in auro unum à quibusdam comparticibus emit terram eorum in Septipontio. Et auri solidis centum ab Allone, & Albuino Monachis Sancti Vincentii consensu *Hermeperti Abbatis eorum*, emit terram cum Oliveto in Valeriano, idest quartam portionem eorum, & XV. talias ex ipso Oliveto.

Quidam autem de Casali Sanctæ Mariæ furatus est equum unum, qui cùm venisset in judicio, pro ipso caballo, & auri solidis centum dedit fidejussoribus, guadimonium; & cùm persolvere nequiret, fidejussores ejus, præsentibus aliis testibus, casam illius cum Oratorio Sanctæ Eugeniæ in Malliano tradiderunt in hoc Monasterio. Deinde contra legem in ipsam casam introivit: quapropter in judicium vênit, & solidorum XX. guadiam dedit, quam minimè recepit. Tunc verò pro compositione culpæ, quàmque pro animæ remedio, eamdem casam cum Oratorio supradicto & casas Massaricias duas in jam dicto Casale Malliano, in hoc Monasterio permanenda tradidit. Post hoc quoque eumdem Casalem Mallianum in placito judicatus revicit; & in alio placito judicatus Ecclesiam Sancti Anthimi in Casali Acutiano revicit. Et per præceptum firmitatis à *Duce Gisulfo* suscepit medietatem gualdi ad Sanctum Angelum in flumen in finibus Ciculani, cum ipsa Ecclesia Sancti Angeli. Et recepit per concambium tres petias, duas modiorum IV. ad Sanctum Petrum, tertiam in Rusia modiorum VIII. & vineam in Petiano tabularum V. Et à quodam Theodorisco suscepit unam casam ad Arcam marmoream, & res ejus in Valle Tibe, in Sepiano, in territorio Sabinensi, in Cesiano Ciculi, & pratum prope civitatem. Et per pręceptum firmitatis Monasterium Sancti Hippolyti, & omnes res cujusdam Gualtarii, in territorio Firmano. Et ad pretium placitum terram in Criptula, prope flumen Farfæ emit modiorum XII. & duas portiones de Oratorio Beati Archangeli Michaëlis in Reate. Quidam autem Corvillus cùm intraret contra rationem in Ecclesia Sanctæ Eugeniæ de Malliano, quam quondam germanus ejus Wido in hoc Monasterio pro anima sua donaverat, & exinde componere deberet solidos XL. donati sunt ei ab Roso Præposito hujus Monasterii. Proinde spopondit, quòd si ipse, aut heredes sui, aliquando contra nos de ipsa Ecclesia Sanctæ Eugeniæ, & de Casale Malliano agere præsumsisset, centum solidos componeret. Quidam quoque Remichis dedit nobis per concambium Casalem, qui dicitur Punianus.

Theodicius autem *Dux* concessit in hoc Monasterio per præcepti firmitatem gualdum Turritum, & dedit licentiam, ut omni tempore X. turmæ jumentorum, & duo millia pecora hujus Monasterii pabulentur cum publicis jumentis atque peculiis in gualdo Asclæ, & Rivo-Curvo, & in monte Calvo, sicut fines eorum gualdium pertinent. Et de Casale Antiano concessa est in hoc Monasterio petia una modiorum X. sub ripa infra congruum Casalem nostri Piniani, & medietas Sancti Felicis in Casale Antiano, & vinea tabularum duarum, & Olivæ taliæ VIII. in pretio unius cavalli. Domnus verò Halanus Abbas recepit per concambium tertiam portionem Casalis in Scondiliano, cum colonis ibidem residentibus; & de Casale Antiano acquisivit partem VIII. & IX. & in Malliano ad Sanctam Eugeniam casam Massariciam unam per comcambium. Et à quodam Scaberto filio Scatolfi suscepit, in hoc Monasterio Curtem, quæ dicitur Cæsonis, à primo latere Forma ad conducendum aquam juxta Monumentum antiquum, usque ad cacumina montis Palumbi; unde revertitur in flumen Mellonum, & ex alia parte flumen usque ad aliorum cacumina montium. A secundo latere rivus ejus exiens de Cisterna usque ad cacumen ejusdem montis, & usque in prædictum flumen, & ex alio latere fluminis usque ad Curtem Hilderici Castaldi, quæ vocatur Pontianus. Et medietatem Curtis Sancti Martini, & totam Curtem de Casalici, & unum Piscatorem in Reate, nomine Petrum, & in Place Casalem unum vocabulo Brustulata. *Theodicius* autem *Dux* per præcepti firmitatem concessit in hoc Monasterio Casalem Paternionem, qui pertinet ad Curtem Germaniciam, cum duabus

bus casis. Domnus verò Abbas per concambium recepit in Casulæ casas tres, & suscepit Casalem Sicinnianum, & Casalem Busianum in Foro novo; & in Eciculis Casalem; in Paterno, & in Sabinis Casalem Cicilianum. Et recepit per concambium Curtem unam in Reate, quæ dicitur Vallantis, & Ecclesiam Sanctæ Cæciliæ in Beruniano. *Theodicius* idem *Dux* licentiam dedit per præcepti firmitatem, ut X. turmæ jumentorum pabulentur æstivo tempore cum jumentis publicis Reatinis in monte Calvo, & in Rivo-Curvo, & postquam exinde jumenta exierint, pabulentur confidenter.

Hic quippe Halanus præfatus Abbas in extremo obitus sui die quemdam *Episcopum Guicbertum* (14) nomine suasit facere promissionem Regulæ, & continuò rudem adhuc hospitem, & Anglorum exortum genere, constituit Abbatem contra sacros Canones, & Regulam Sancti Benedicti agens. Qui per XI. menses exercuit tyrannidem, quosdam ex Monachis cædens, alios in carcerem detrudens, aliosque in exilium mittens; & in tantam superbiæ audaciam prorumpens, ut nonnullos ejus fugientes vesaniam furoris, seque abscondentes in velamine Altaris, exinde pellere fecerit. Et quia inconditos habuit mores, rogantibus Monachis, jussu *Regis Desiderii* Alefridus Castaldus Reatinus eum de Monasterio exire compulit, & eligendi Abbatem demum Congregationi licentiam contulit.

Septimus autem ab omni Congregatione electus huic sacro Cœnobio præfuit Abbas *Probatus* (15), Diaconus quidem de Sabinensi Provincia natus, per Annos XI. ac menses IV. & dies XV. obiit namque IV. Idus Augusti in pace. Qui electus à fratribus, & præordinatus à Domino, in regimine Patris elevatus, culmine cooperuit os fontis aquæ emanantis ab ævo, & traxit aquam à pristino cursu suo ab hoc loco millia III. Porrò hanc fabricari jussit formam per montis hujus latera, & per eam aqua sub terra decurrens obstricta, opitulante Christi gratia, hoc in loco perennis fluit: à quo perfecta est hæc operatio Indictione I. Anno verò V. postquam *Domnus Carolus excellentissimus Rex* Italiam cepit. Huic Patri venerabili data est quædam portio pro animæ remedio in Petiliano, & de Ecclesia Beati Gregorii. *Theodicius* quoque *Dux* pro confirmatione præcepti in hoc Monasterio concessit Gualdum, qui dicitur Alegia. Domnus autem Probatus Abbas ordinavit quemdam Ubaldinum in Cella hujus Monasterii, quæ est in Seprepontio, & suscepit à quodam viro Hilderico Curtem, quæ vocatur Pontianus, & Curtem Cæsarianum, & Papicianum, & Curtem in Lamiano; & in Vico-novo, & plurimis vocabulis, portionem Helenæ ancillæ Dei; & Casalem unum, qui dicitur Pantanula; & Casalem Medianulam, & Casalem Culianum. Adrianus auctoritate Patrum huic Monasterio per privilegium, optimam contulit libertatem in hunc modum.

Hadriani I. Papæ Bulla, qua justitias faciendas inposterum Farfensi Monasterio decernit, Priore Vestiarii Judice ad ejus causas constituto Anno 772.

„ ADrianus Episcopus servus servorum „ Dei. Probato Religioso, Deo amabili Abbati Venerabilis Monasterii Sanctæ „ Dei Genitricis semper Virginis Mariæ siti „ territorio Sabinensi, & per eum in eodem „ Venerabili Monasterio successoribus in perpetuum. Cùm maxima nobis solicitudinis „ cura insistit, solertia atque efficaci studio „ erga Sanctorum loca solicitudine gerendi, „ & indeficienter præcogitandi, ne in rebus, „ vel possessionibus, atque ceteris eis pertinentibus utilitatum stipendiis aliquando „ commoditatis jactura per quarumdam insurgentium causarum eventus quoquo modo inferatur. Idcirco congrua nos procul „ dubio considerationis censura convenit eorum salutis integritatem procurare, & omnes, quæ cunctis retro temporibus supervenerunt, causas justitiæ telo abscindi, atq; „ sub æquitatis intuitu definiri, ut ex hoc & „ eorumdem venerabilium locorum, maximè „ in quibus multitudo Congregationum servorum Dei Monachorum consistens sedulas „ Redemptori nostro referre videntur laudes, „ stabilitatis integritas proficiat, nobisque ob „ hujus pii operis, quod gerimus, copiosa „ in sidereis arcibus à rerum omnium opifice „ Domino Deo nostro adscribatur remuneratio. Ideo constat Deo amabilem Religiositatem tuam nobis intimasse plura incommoditatis damna, quæ vestrum præfatum „ venerabile Monasterium sustinet in suis utique utilitatibus, in eo quòd plures, ac diversi, ac nefarii homines nostræ Romanorum Reipublicæ, tam per furta, quàmque „ per alias perversas operationes, plura mala „ eidem sancto ingerere noscuntur Monasterio: unde crebrò à tua Religiositate nobis „ hac de re interpellatio facta est, ut nostro „ intuitu earumdem causarum merita perpendentes vestro studeremus Monasterio justitiam faciendi. Quod quidem nos, diversis „ superingruentibus causis ex omni parte præoccupati, nequaquam continuò in vestris „ decidendis causis nostrum valuimus accommodare auditum. Pro quo laboriosè tuæ „ Religiositati, vel directis à te Monachis „ utile esse videretur, dum (*sinè*) dilationis „ mora ad easdem vestras decidendas causas „ pervenire. Et ecce nos obnixè, religiosissime Dei cultor, dinosceris poposcisse, ut „ ex nostra persona studuissemus aderari, qui „ sinè nostra inquietudine easdem vestras causas subtiliter perscrutari, vobisque justitias „ facere deberet. Quod quidem libentissimè „ tuæ Religiositatis precibus annuentes, id „ quod à te expetitum est, effectui mancipamus, constituentes ex nostra persona Mic- „ cio-

(14) Gurebertum appellat Mabillonius in Annal. Benedictin. ad Annum 759. qui tamen non aliunde, quam ex hocce Chronico hausit. Vide infra.

(15) Corrigendus heic error, qui in editiones Anastasii Bibliothecarii, atque in ipsam nostram fluxit Tom. III. pag. 182. Rer. Italic. ubi in Hadriani I. Vita haec leguntur: *Tunc praefatus Sanctissimus Pontifex accersiri faciens praefatum* (scribe *Probatum*) *religiosum Abbatem Monasterii Sanctæ Dei Genitricis, siti in territorio Sabinensi &c.* videlicet Farfensis. In MSto Codice Estensi, ubi Vitæ Pontificum ex Anastasio excerptae ante annos quadringentos habentur, *Probum religiosum Abbatem* legitur. Itaque Probatus Abbas ad Desiderium Regem legatus ab Hadriano I. est missus; quod Scriptor noster ignoravit.

„ cionem Notarium (16) Regionarium, & „ Priorem Vestiarii Sanctæ Ecclesiæ, atque „ ejus omnes Successores, Apostolicæ Sedis „ Vestiarii Priores; ut quoties quæcumque „ causa vestro Monasterio accesserit, confe- „ stim ad eos omni in tempore Monachi, at- „ que Missi ipsius Monasterii adveniant, suas- „ que illis referant causas, & ab ipsis Priori- „ bus Vestiarii proprias justitias recipiatis. „ Unde ecce auctoritate Beati Petri Principis „ Apostolorum, cujus licèt immeriti, Deo „ tamen dignante vices gerimus, ita decer- „ nentes sancimus, ut præfatus fidelissimus „ noster Miccio Prior Vestiarii, vel omnes „ quidem pro tempore post ejus decessum „ Priores Vestiarii extiterint, licentiam ha- „ beant potestativè distringendi tam Ecclesia- „ sticam personam, quàmque ex militia exi- „ stentem, vel etiam famulum Ecclesiæ, aut „ servum cujusque, sive ex civitate Romana, „ seu de diversis ceteris locis, & civitatibus „ istius nostræ Romanæ Reipublicæ, sive, ut „ dictum est, liber, sive servus fuerit, & de „ præsenti absque qualibet anteposita occasio- „ ne ipse Prior Vestiarii, qui in tempore fue- „ rit, sinè inquietudinis molestia Beatissimo- „ rum Pontificum, qui in tempore Apostola- „ tus culmen gesserint, plenarias justitias tam „ de furtis, quàm de aliis super accidentibus „ causis partis Monasterii vestri Sanctæ Dei „ Genitricis semper Virginis Mariæ Dominæ „ nostræ, perpetuis temporibus usque in fi- „ nem seculi studeant, & quodcumque ab „ iisdem Prioribus Vestiarii pro ejusdem ve- „ stri Monasterii perficiendis justitiis defini- „ tum fuerit, irrefragabiliter persistat corro- „ boratum. Hæc verò, quæ à nobis pro sa- „ lute antefati venerabilis Monasterii Sanctæ „ Dei Genitricis semper Virginis Mariæ Do- „ minæ nostræ statuta sunt, decernentes co- „ ram Deo vivo, & ejus futuro judicio pro- „ mulgamus firmiter permanenda; & neque „ ullus Successorum nostrorum Pontificum, „ vel alia quæcumque magna parvaque per- „ sona cujuscumque sit dignitatis, quoquo „ modo præsumat contra hæc, quæ à nobis „ statuta sunt, penitus agere. Sed neque „ Prior Vestiarii, qui pro tempore fuerit ne- „ glectum ponere audeat ad faciendas eidem „ sancto Monasterio plenarias justitias. Nam „ si quis (quod non optamus) nefario teme- „ ritatis ausu præsumpserit hæc omnia à no- „ bis statuta atque confirmata refragare, vel „ in quoquam transgredi, sciat se auctorita- „ te Beati Petri Principis Apostolorum ana- „ thematis vinculo esse innodatum, & à Re- „ gno Dei alienum, atque cum diabolo & „ omnibus impiis æterno incendio deputatum. „ At verò qui observator istius nostri Apo- „ stolici Constituti extiterit, divina prote- „ ctione adjutus suorum veniam consequi de- „ lictorum, & vitam mereatur adipisci æter- „ nam. ✠ Benevalete. Dat. X. Kal. Maji, „ imperantibus Domno nostro piissimo Augu- „ sto Constantino à Deo coronato Magno „ Imperatore Anno LIII. & post Consulatum „ ejus Anno XXXIII., sed & Leone Magno „ Imperatore ejus filio Anno XXI. Indictio- „ ne X.

A *Hildeprandus* quoque gloriosus *Dux* per præcepti firmitatem, & ad Anastasii Religiosi Monachi preces concessit in hoc Monasterio, & venerabili Abbati Probato, Gualdum, qui cognominatur Tancia, positum in territorio Reatino, cum Ecclesia Sancti Angeli, seu Crypta illius, cujus fines in alio sic reperiuntur præcepto. In primis à Cancello Sancti Angeli ad arcum Sancti Angeli, deinde in aquam de Mejanula, deinde in confinium Cisternula, deinde per serram Calvisiæ, deinde in aquam Venatoris, deinde in caput Scurusæ, deinde in aquam Plumbiolæ, deinde in vadum Majanili, deinde in lacum Majanili, deinde in Illicem confinalem, deinde in pe- B dem Majanili per semitam, quæ dividit inter Sindolfum, & ipsum Gualdum, deinde in Presam post Fagitum, & redit in aquam Antinianam, deinde in puteum, deinde in compitum Cuculi, deinde in Cancellos Ordiales, deinde in caput de compito, deinde in caput Rosarii sub Macla, deinde sub Aquam-frigidam in fossatum, & inde in Penninum usque in Cancariam, & exinde in Genestritum, & Luparinum, sive Adeodatum, deinde sub saxo Fecederaxini, & Ajonis, deinde per fossatum in viam publicam rectè in saxa in Terrimonem, & ipsum Gualdum, deinde in capite Fenestella, & tunc in capite de Fungita per Vallem Geminam redit in Cancellum C Sancti Angeli. Hæc tradita sunt per Simonem Castaldum, & jussione supradictæ potestatis in hoc sancto Monasterio. Et per primum jam dictum præceptum confirmavit idem Dux piscatores in Marsi, ubi dicitur Secundinus, casam Astisii, & casam Munuli, & casam Gerualdi cum uxoribus, & filiis, & portione eorum, & duas Casas in Juliano, & aliam in Valeriano in finibus civitatis Reatinæ, & in Modiano terras modiorum centum, ubi est Metatus Cavallarii; & unam Curtem in Nautona in finibus Reatinis.

Et idem Domnus Probatus Abbas acquisivit terras secus Gualdum hujus Monasterii, qui dicitur Terculianus; & in ipsa terra stat D Monumentum caput; & Casalem Cicilianum, & alium in Agello. Et præfatus *Dux Hildeprandus* per præceptum firmitatis concessit in hoc Monasterio Massam unam, in qua est Ecclesia Sancti Viti super Farsam, ab uno latere usque ad silicem, qui vadit ad Monumentum longum; ab alia parte usque ad Rivum-curvum; ab alia parte usque ad Rivum de Cancellis, ambo revertentes in Tiberim, unà cum ædificiis, familiis, & servis, vel libertis; & Casales cunctos ad ipsam Massam pertinentes; & fundum Pontianum cum Ecclesia Sancti Valentini in integrum. Et Casalem, qui dicitur Serranus in integrum. Et E Casalem, qui dicitur Canalis, cum Ecclesia Sancti Heleuterii, cum omnibus ad ipsos Casales pertinentibus. Et in alio præcepto Curtem, quæ vocatur Vallantis, & hominem publicum in Petiliano ad Sanctum Gregorium. Et in alio præcepto restituit huic Monasterio Casalem Balberianum per judicium Judicatus. Et in alio præcepto confirmavit in casa Peroris focularem unum; & in alio Judicatu iterum restituit nobis præfatum Casalem Balberia-

(16) In Vita ejusdem Hadriani Tom. III. Rer. Italic. occurrunt alii Notarii Regionarii Urbis. Praeterea Miccio *Prior Vestiarii* dicitur, hoc est Praefectus cimeliis, sive thesauro, ac vestibus Romani Pontificis. Nunc appellamus *Guardarobiere*. In eadem Hadriani Vita memoratur *Prandulus Vestiarius Desiderii Regis*, uti & *Vestiaria* Templorum alibi.

rianum, ubi resistebat *Sinualdus* (17) *Episcopus Reatinus*, qui ipsum Casalem causabatur ad partem sui Episcopatus, in quo etiam Judicatu fertur, quòd aliàs in diebus Castaldi qui erant, aut Judices Ducatus istius, licentiam non habebant absque Duce cuicumque homini donandi Casalem integrum, excepto in modico terrulam, aut casellam absque herede: nam medium, aut integrum, non sine Palatio. Et in alio præcepto confirmavit Monasterium Beati Archangeli Michaëlis, situm juxta civitatem Reatinam foris pontem, in quo etiam sub *Guicperto* (18) *Episcopo* ibidem, & in hoc Monasterio concessit aquam de alveo fluvii Mellini, ubi Molinum ædificare debeant. Et in alio præcepto Casas IV. in territorio Reatino, ubi dicitur Tagianus; & in alio præcepto Casales duos, pertinentes in Curte nostra Reatina, in Massa Nautona, idest Sabianum, & Cicilianum.

Domnus autem Probatus venerabilis Abbas acquisivit medietatem Casalis Marcianelli, ad aquam per formam deducendam in longitudine pedes . . . . fecit pars Alipti donantis, & in latitudine quantumcumque ad ipsam formam opus erat faciendi, & arbores qualescumque in ipso aquæducto incidendi. Et portionem Haleradi, & Ursi germanorum de eodem Casale similiter acquisivit. Et portionem Leonis filii Terdemundi, à quo Casale, qui dicitur Casapendula, & de ipso Casale ad idem opus formæ faciendum. Quemdam autem virum nomine Calventionem collocavit in Casale hujus Monasterii, qui dicitur Verruculæ, unà cum filiis ejus ad persolvendum annualiter in hoc Monasterio grani modia IV. vini tertiam partem, similiter & de carnatico, & hangarias tres. Ipso (19) tempore *Hildeprandus Dux* gloriosus revicit per judicium Judicatus Ecclesiam Sancti Angeli, juxta muros civitatis Reatinæ sitam, ad partem Palatii; nam *Sinualdus Episcopus* illam acquirere ad partem Episcopatus conabatur. Sed Rimo Castaldus asserebat eam pertinuisse ad jus & defensionem Palatii. Tunc judicatum est à Judicibus, ut quicumque de Sacerdotibus electis sacro mandato firmarent, quòd ipsa Ecclesia ad publicum non pertineret; sed ipsi eo ordine noluerunt jurare, & renuerunt ipsum sacrum (20) mandatum. Quidam autem Alefrid dixit: *Si sic jurassetis, malè jurare haberetis, quia ego scio, quòd tempore patris mei Scalptosi, qui fuit Castaldus in Reate, Theodorus quidam eamdem Ecclesiam Sancti Angeli tenebat, & ad publicum* (21) *exinde rationem faciebat*. Item Domnus Abbas Probatus acquisivit in Toligiano terram, ad aquæ formam construendam, & arbores evellendas. Et acquisivit Casalem, qui dicitur Gabinianus, per designata loca: à capite via publica, ab uno latere usque fossatum de Casali Brici; ab alio latere usque limitem, qui vadit ad Monumentum, à pede terram hujus Monasterii; & ibi residentes colonos IV. Et in Cryptule casas duas; & in Foro-novo casas massaricias X. & portionem unam de Gualdo Cariose, & quasdam res in fundo Cesenano de Eciculis, cum tribus colonis. Et in Pompigiano terræ petias duas modiorum VIII. Et quamdam portionem de terra in Selvanione prope Ecclesiam Sancti Felicis hujus Monasterii; & medietatem Casalis Cesarini, & casas cultiles in Octavo cum Ecclesia Sancti Victoris; & unam portionem in Pantana; & casas in Scandrilia, ubi dicitur Occianus, cum Ecclesia Sancti Stephani in Acusclo; & Casalem Cisternula in Scandrilia; & unam Ecclesiam Sancti Heliæ in Beruniano. Et Gualdum in Talli; & de Casale Marcianello uncias tres.

Carolus Magnus Francorum & Langobardorum Rex Monasterio Vulturnensi quædam Privilegia ac jura concedit.
Anno 774.

„ CArolus gratiâ Dei Rex Francorum, & „ Longobardorum, atque Patricius Romanorum, omnibus Episcopis, Abbatibus, „ Ducibus, Comitibus, Vicariis, Domesticis, „ & Centenariis, vel omnibus Missis nostris „ discurrentibus. Quidquid enim ob amorem „ Ecclesiarum, & quietem Servorum Dei „ exercemus, hoc nobis procul dubio, Domino adjuvante ad æternam beatitudinem „ pertinere confidimus. Igitur comperiat magnitudo, seu utilitas vestra, qualiter venerabilis Vir Probatus Abbas Monasterii, „ quod est constructum in honorem Beatissimæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ, quod vocatur Acutianus, in Ducatu „ Spoletano, vel fundato in territorio Sabinensi, missa petitione clementiæ Regni nostri, dixit suggerendo, ut pro mercedis nostræ augmento taliter ei, vel ipsi Monasterio concedere deberemus, qualiter ipsa Casa „ Dei sub tali privilegio esse deberet, sicut „ cetera Monasteria Lirinensium (22), Agaunensium, & Luxoviensium, ubi prisca Patrum Basilii, Benedicti, Columbani, vel „ ceterorum Patrum Regula custodiri videtur: „ ut nullus Episcoporum pro electione Abbatis dationem accipere debeat, & potestatem non habeat de ipso Monasterio auferendi Cruces, Calices, Patenas, Codices, „ vel Reliquias, vel quaslibet res de ministerio Ecclesiæ, nec ipsum Monasterium ponere sub tributo Principum potestatem haberet, nec demum tributum, aut censum „ in supradicto Monasterio eorum exigere „ debeat, sed ipsa Casa Dei, sicut suprascripta „ Monasteria, quæ infra Regna nostra sunt, „ sub eo privilegio & norma Patrum consistat. Cujus petitionem pro divino respectu, „ vel mercedis nostræ augmento noluimus denegare; sed ob amorem Domini Nostri Jesu Christi ita confirmasse vel de novo concessisse cognoscite. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus Episcopus, Abbas, Dux, „ Ca-

(17) Quem ignoravit Ughellus in Italia sacra. Huic Placito assidebant, Mabillonio teste ad Annum 777. in Annal. Benedictinis, *Adeodatus Episcopus Spoletanus*, *Gualterius Episcopus Firmanus*, *Vadepertus Episcopus Balbensis*, *Auderis Episcopus Esculanus*, multique Comites & Gastaldii.

(18) Ne hunc quidem Reatinum Episcopum agnovit idem Ughellus. Infra appellatur *Guibertus*; neque alius esse videtur, quam qui supra appellatus est *Guicbertus Anglorum exortus genere*.

(19) Hoc est Anno 777.

(20) Fortasse *sacramentum*, idest juramentum.

(21) Scilicet ad jus sacri Palatii, quod idem est ac dicere ad jus Imperatoris.

(22) Omnium celeberrima Monasteria in Regno Francorum, qualia & in Italia fuere Casinense, Nonantulanum, Farfense &c.

„ Castaldus, vel quislibet de fidelibus nostris, „ seu juniores (23), aut successores vestri „ prædictum Abbatem, aut Monachos suos, „ vel agentes ipsius Ecclesiæ de rebus præfati „ Monasterii, quæ ibidem ex munificentia „ Regum, aut Reginarum, vel de collatis „ Populi, vel Pontificum, vel quæ ad ipsum „ Monasterium pervenerunt, aut in antea, „ Deo adjuvante largita fuerint, tam per „ venditionis, quàm & donationis, aut ces„ sionis & reliqua instrumenta Chartarum, in„ quietare, aut contra rationis ordinem quo„ quo tempore gerere præsumatis; sed sub „ nostro privilegio quieto ordine residеant. „ Et si quandoque Abbas ipsius Monasterii de „ hac luce migraverit, inter se ipsi Monachi, „ quem digniorem invenerint secundùm Re„ gulam Sancti Benedicti, & sicut eorum or„ do edocet, & rectum est, vel eis in unum „ consentientibus, quem unanimiter elegerint. „ licentiam habeant eligendi Abbatem, & „ neque à nobis, neque à successoribus no„ stris Regibus, id quod pro mercede nostra „ indulsimus, irruptum, aut confractum ali„ quando sit, sed de proprio valeant semper „ gaudere patrimonio, quatenus meliùs dele„ ctet ipsam Congregationem Sanctæ Mariæ, „ pro nobis, vel stabilitate Regni nostri, Do„ mini misericordiam attentiùs deprecari. Et „ ut hæc præceptio nostris, & futuris tempo„ ribus firmior habeatur, vel per tempora „ meliùs conservetur, manu nostra propria „ subter firmavimus, & de anulo nostro sigil„ lari jussimus. Signum Caroli invictissimi „ Regis.

„ Guicbaldus ad vicem Hitherii recognovi. „ Datum sub die VIII. Kal. Jun. An. VII. & „ Primo Regni nostri Domni Caroli gloriosis„ simi Regis. Actum Carilego Palatio publi„ co in Dei nomine feliciter.

Item in alio præcepto: „ Probatus venera„ bilis Abbas petiit clementiam Regni nostri „ suggerendo, & præceptiones tam Regales, „ quàm Ducales, seu & commutationes Ec„ clesiarum nobis ostendit, videlicet, quòd „ Haistulfus fecit eidem Monasterio de Curte, „ quæ dicitur Germaniciana cum omni inte„ gritate sua, & ipsi Actores subtraxerunt de „ ipsa Curte Casales duos Paternonem, quem „ *Theodicius Dux* eidem Monasterio per suum „ præceptum restituit, & Balberianum, quem „ *Hildeprandus Dux* noster ad ipsum Mona„ sterium reddere fecit; & chartas commu„ tationis de Ecclesia Sancti Viti, quam com„ mutavit Halanus Abbas cum *Theotone* (24) „ *Episcopo Reatino*, & per pœnas interpositas „ perpetualiter confirmavit. Et præceptum „ *Hildeprandi Ducis* de Gualdo Tanciæ eidem „ Monasterio emissum, & aliud de Nautona, „ & piscatores in Marsi sex. Et Privilegium, „ quod Domnus Adrianus Apostolicus fecit „ Luponi de Curte Taciana, quam idem Lupo „ per chartas cum ipso præcepto tradidit præ„ fato Monasterio. Et præceptum *Hildepran„ di Ducis nostri*, factum cuidam Theode„ mundo de Gualdo Mojano, quem ipse Theo„ demundus per chartam, & idem præceptum „ tradidit Monasterio Sanctæ Mariæ. Et char„ tam de Casalibus, Ciciliano, & Agello, „ quos Tanclidis quædam tradidit ipsi Mona„ sterio. Unde petiit nobis præfatus Abbas, „ ut denuo per nostrum præceptum, hæc ad „ ipsum Monasterium omnia confirmare debe„ remus. Cujus petitioni, pro reverentia ip„ sius sancti loci, denegare noluimus; sed ita „ præstitisse & confirmasse omnibus cogni„ tum sit.

Guicbertus quoque *Episcopus* tradidit huic Monasterio Ecclesiam Sancti Angeli inter duo flumina ad Pontem-fractum ante civitatem Reatinam, cum omni possessione. In primis Casalem Cicinianum, & Canopem, seu Privatum, & Albicianum, seu Lisinia, & Baivarium, seu Mignanum, & Solinianum, & Quartum, Coccianum, & Longitianum; & in Quiliano, & in Pontiano, seu ad Sanctum Thomam; & Monasterium Sancti Angeli in Narnate. Domnus verò sæpe fatus Abbas acquisivit in hoc Monasterio Ecclesiam Sancti Georgii, quam Ligipertus Presbyter habitator Acutiani, à fundamentis exstruxit, & Curtem Tacianam cum Ecclesiis, & ejus omnibus pertinentiis in integrum.

Octavus itaque hujus fuit Cœnobii Rector *Ragambaldus*, (25) Presbyter in ..... Galliæ civitate ortus, qui præfuit huic Congregationi annos III. menses VII. dies XII. Obiit quoque Quinto Nonas Martii. Quidam interea Paulus filius Pandonis Reatinus querelatus est (26) *Domno Carolo Regi*, dum esset in finibus Florentinis ad Vadum Medianum, de Monasterio Sancti Angeli, juxta civitatem sito Reatinensem, dicens, quòd de suis parentibus fuisset, & sibi pertineret. Tunc inquisitus *Dux Hildeprandus* respondit: *Monasterium istud à Palatii potestate inveni, quod ego donavi Guiberto Episcopo, & confirmavi in Monasterio Sanctæ Mariæ de Acutiano, & per vestræ potestatis præceptum inibi confirmatum est*. Et præcepit illi Domnus Rex, ut revertens Spoletum, cum suis Judicibus causam ipsam inquisitam diligenter finiret. Et reversus Dux cœpit hoc unà cum Judicibus suis solicitè investigare; & adfuit hujus Monasterii Abbas Ragambaldus cum suis Monachis, & dixit, quòd ipsum Monasterium, jam diebus *Theudicii Ducis*, ad partem Palatii per sacrum mandatum firmatum est, & Judicatum exinde factum est per jussionem *Theodicii Ducis*, & per manum Degari Castaldi & Referendarii. Et interrogatus est Pando de ipso Judicatu, confessus est, se illum igni combussisse, quia contrarius illi exstiterat. Sed & Degarus Castaldus dixit: *Ego interfui & ad partem Palatii causa victa est, & ipse Judicatum manibus meis scripsi*. Post hæc Pando dixit, & attestatus est dicens: *Omnia vera sunt, sicut Degarus Castaldus dixit. Et sacramenta exinde facta sunt, & Judicatum ipsum nos combussimus, & exinde nulla alia munimina habemus*. Tunc ab omnibus decretum est, ut idem Pando guadiam cum suis daret ad partem Palatii, & componeret juxta Edicti paginam de ipso Judicatu incenso, & pars prædicti Abbatis haberet & possideret prænominatam Ecclesiam Sancti Angeli. Et ita finitum est, quod etiam Totemanus Notarius scripsit. Do-

(23) Vide Leges Langobardicas, ubi in Notis quid *Juniores Comitum* forent significavi part. II. Tomi I. Rer. Italic.

(24) Et hic addendus Catalogo Antistitum Reatinorum Tom. I. Ital. Sac. Ughelli. *Teuzo* appellatur in aliis monumentis.

(25) Hic Abbas constitutus creditur Anno 78c. aut proxime sequenti.

(26) Habitum est hoc Placitum Anno 781.

Domnus autem Ragambaldus per concambium acquisivit silvam, & terram, ac pratum in loco, qui dicitur Cerquato, super flumen Mellinum, ab uno latere tenente Sancto Jacobo, ab alio Causario; & clausuram in Rosia tenentem caput secus pratum Agionis Presbyteri, & aliud in prato Allonis, plus minùs modiorum VII. Et casam Coloniciam in Pitiliano, qui etiam Sirvilianus nuncupatur, ad Sanctum Gregorium. *Hildeprandus* quoque *Dux* per præcepti firmitatem concessit huic Monasterio, & Domno Ragambaldo Abbati Casales duos, idest Sabianum, & Tucilianum in territorio Reatino demane Prætorii, & aquam in Septepontio. Quidam autem Teuderatus subtraxerat de dote Ecclesiæ Sancti Petri, sitæ in atrio Sancti Angeli super Pontem-fractum, aliquid in Casale Massiniano, quod unà cum Ecclesia Sancti Petri in Ecclesia Sancti Angeli concessum fuerat; & recognoscens se injustè egisse, donavit & concessit portiunculam suam de ipsa dote in jam dicto Monasterio Sancti Angeli. *Carolus* verò *Rex* visis præceptis, & judicatis, quæ *Hildeprandus Dux* vindicata in hoc Monasterio concesserat, per præcepti sui firmitatem omnia confirmavit, unà cum ipsa Ecclesia Beati Archangeli Michaëlis constructa super flumen Mellinum, prope civitatem Reatinam.

Nonus deinceps hujus Congregationis successit Pastor *Altbertus* (27), Parisius civitate exortus Galliarum, qui Annis V. & mens. X. & diebus XV. huic præfuit Congregationi. Obiit verò XIV. Kal. Januarias. Hic venerabilis Abbas acquisivit quamdam portionem in Aufugiano, & de Ecclesia Sancti Laurentii, & pratum in Lauriano territorii Reatini modiorum X. Et Monasterium Sancti Jacobi Apostoli, quod Avus Hilderici Castaldi à fundamentis ædificavit, etiam ipse Hildericus in hoc Monasterio concessit, unà cum Taciperga genitrice sua, & Helciperga conjuge sua. Insuper etiam Curtem Interacrinam, & Casalem Collis Venerii, & Furanianum, & clausuram in Gualdo novo usque in viam, & usque ad X. pera, & usque in Lacuna; & Curtem in Pontiano de Sabinis. Et in Massa Foro novo portionem de Casale Paviano; & Ecclesiam Sanctæ Agathæ prope civitatem Reatinam; & vineam & Casellam in Pectorina, & in Cordale. In Oriano clausuram modiorum XX. Et in Caneria modiorum XX. In Seturiano modiorum XVI. In Illice modiorum VI. In valle Tibe plus minus modiorum centum, & in Caneria plus minùs modiorum L. Et in Place Casalem integrum, ubi Sanctæ Agathes ædificata est.

Decimus quoque huic sacro Cœnobio præfuit in regimine *Mauroaldus*, natione Francus, Guarmatia oriundus civitate, valde Ecclesiasticus vir, qui in hac Ecclesia multum pretiosum ex auro & argento ornatum fieri jussit. Per duodenos quoque annos, menses quaternos, ter quinos dies huic præfuit Congregationi. Obiit in pace VIII. Kal. Novembris. Hic acquisivit Curtem in Asera, & vineam ad Perclasium, & quamdam portionem ad Sanctum Cyprianum in Casale Albiano; & in Sabinis de fundo Prætorio, & de Ecclesia Sancti Valentini in Antiquo, & de Curte in Asculo, ubi dicitur Murrus, & clausuras in Posia ad X. pera, quæ dicitur Frassenetum; & aliam, quæ dicitur Vinealis; & vineam ad Sanctam Agatham, unum caput tenentem in via, quæ vadit ad Sanctam Agatham, alia via inter sepes, & molinum ante portam, inter Ocrinam; & portionem de Ecclesia Sancti Juvenalis intra civitatem.

Quidam Goderisius de Reate fecit querelam, super Monachis istius Monasterii ante præsentiam *Guinichis Ducis*, vel ejus Judicum, dicens: *Isti Monachi de Monasterio Sanctæ Mariæ comprehendunt substantiam meam in Spoleto, & in Terrani, seu Fulginea contra legem.* At contra responderunt Monachi: *Verum est, quia ipsam tu per chartulam obtulisti in nostro Monasterio*. Respondit Goderisius: *Ego quidem chartulam ipsam feci; sed vos per vos ipsas res prehendere non debuistis*. Et relecta est chartula in omnium præsentia, quæ non referebat, ut ad usum fruendi ipsæ res in ejus essent

(27) Hunc *Altipertum*, *Aldipertum*, seu *Alpertum* alii appellant. Ad ipsum spectat Diploma Hildeprandi Spoletani Ducis, jam e Chartario Farfense descriptum, atque in Annalib. Benedictin. evulgatum a Clariss. Mabillonio ad Annum 787. quod quia minime vulgaria complectitur, rursus huc inferendum censui, ut simul Abbatis hujus tempora certius dignoscantur.

Donatio rerum Rabennonis ad Fiscum devolutarum, Farfensi Cœnobio facta ab Hildeprando Duce Spoletano Anno 787.

„ IN Dei nomine regnantibus Domnis nostris „ Carolo & Pippino filio ejus, Anno XIV. „ & VI. Ego in Dei omnipotentis nomine „ *Hildipertus* (a) *gloriosus & summus Dux Ducatus Spoletani*. Manifesta causa est, quia „ *Rabenno filius cujusdam Rabennonis Comitis* „ *Civitatis Firmanæ* habuit in conjugio Haleronam sibi sociatam, quam per diabolicam suasionem quidam Hermifridus violenter tulit „ ei; & sibi eam in conjugio sociavit. Et dum „ ipse Rabenno exinde hic in Palatio nos interpellasset, & judicium exinde cum eodem „ Hermifrido habuisset, sic eidem Rabennoni „ secundùm Legem Langobardorum ambo in „ manus traditi sunt. Postea ipse Rabenno eis „ sua voluntate vitam donavit, & ipsam Haleronam in sua præsentia Sanctimoniali veste „ indui fecit, & per Sacerdotem eam consecravit. Et dum hæc acta fuissent, postea iterum eam sibi in conjugio copulavit, unde „ secundùm Legem omnes substantiæ ipsius Haleronæ ad publicum devolutæ sunt; similiter „ & ipsius Hermifridi omnem culpam remisit, „ & per Launigildum ipsam Spentoni patri suo „ sponte redonavit. Postea verò peccatis imminentibus ipse Rabenno eum simpliciter occidit. Pro quibus secundùm Legem, qualiter Edicti pagina continet, ab omnibus rebus „ supradictis præfatus Rabenno expulsus est, „ & medietas omnis illius substantiæ ad publicum devoluta est. Unde nos qui supra gloriosus & summus Dux pro mercede suprascriptorum Dominorum nostrorum Regum, „ simul & nostra, donamus atque concedimus „ in Monasterio Sanctæ Mariæ in Acutiano, „ ubi ipse Rubenno voluntariè Monachus effectus est, vel tibi, *reverendissime Altiperte* „ *Abba*, Oratori nostro, seu cunctæ Congregationi ejusdem sancti Cœnobii, omnem prædictam illorum substantiam, qualiter secundùm Legem justè & rationabiliter ad publicum devoluta est.

„ Datum jussum Spoleti in Palatio, Anno „ Ducatus nostri XIV. mense Augusto, per „ Indictionem X., sub Goarino Comite genero „ nostro.

(a) Ita habet Mabillonii editio; sed errore manifesto. Iis enim temporibus Spoletano Ducatui praeerat, jam Anno 773. Dux constitutus *Hildeprandus*, uti certa monumenta testantur, immo uti ipse Mabillonius in Annal. Benedict. Chartam hanc innuens agnovit. Amanuensium ergo sphalma corrigendum, atque scribendum *Hildeprandus*.

essent potestate. Iterum replicabat Goderisius: *Verum est, quia pro anima mea feci; sed postea feci filios* (28), *& modò non habemus, unde vivere possimus*. Tunc Dux cum Judicibus, secundùm quod ipsa chartula continebat, quam ipse Goderisius sua bona voluntate fecerat, & secundùm legem & Edicti paginam renuntiare fecit ipsum Goderisium de ipsis rebus, & ut quiesceret, imperavit.

Quidam verò Gemmulus obtulit se in Ecclesia Beati Petri, quæ sita est in Pisia, quæ pertinet huic Monasterio, cum suis omnibus substantiis; similiter & Maurus Clericus se ipsum obtulit in eadem Ecclesia Beati Petri in Pisia, pertinente huic Monasterio Sanctæ Mariæ. Quidam verò viri Germani, Probatus, & Pico, concesserunt in hoc Monasterio per chartas donationis, pro animæ suæ remedio, omnes substantias & res suas, quarum diffinitio ita fuit. In Casale, qui vocatur Lauri, domum cultam unam cum casis colonicis VI. Casalem Lissianum cum casis colonorum IV.; & de Casale Lucretiano medietatem; & in Casale Leoneca, & in Casale Cæsariano terras, & pratum, & portionem de Ecclesia Sancti Angeli in Tancia. Et de Casale Paterno cum Ecclesia Sanctæ Cæciliæ; & in Gualdo de Acuta, & in Cereniano, & in Casale Tribiliano, terras, & vineas, & oliveta, cum casis colonicis VIII. & in Casale Funditiano casas IV. & in Scandilia casas III. & in Casale Petroniano Ecclesiam Sancti Angeli cum casis colonicis VII. in Cabriciano casas III.

Præfatus verò Domnus Abbas Mauroaldus recepit per concambium, ab *Usualdo Abbate Sancti Salvatoris* (29) terras modiorum XI. in Valle Tibæ, & in Valle Majori, in pede de Ginestreto in plano modiorum VIII. & semodialem. *Domnus verò Carolus Rex* per præceptum firmitatis confirmavit in hoc Monasterio omnes res, quas Hildericus Castaldus, & Taciperga genitrix ejus, & ejus conjux Helciperga, per chartas donationis nobis concesserunt. Prædictus autem Domnus Abbas Mauroaldus concessit cuidam Sarengoni in finibus Mediolanæ civitatis commanenti res hujus Monasterii juris diebus vitæ illius. Quæ posita sunt in territorio Mediolano in vico Roctiano super fluvium Olonna, & in territorio

(28) Secundum Rotharis Legem si quis *res suas alicui thingaverit*, hoc est, donaverit, si postea filios procreet, *donatio prius facta rumpatur*. Hac, puto, Lege Goderisius iste agebat contra Monachos. Sed quia traditæ jam fuerant ac donatæ illius res, usufructu minime sibi reservato, ideo is causa cecidit.

(29) Scilicet in Monte Amiato prope Clusium Etruriæ Urbem, uti Mabillonius in Annal. Benedictin. putat ad Annum 790. Verum Charta ipsius contractus, quam heic subdo, Usualdum refert *Abbatem Monasterii Sancti Salvatoris, quod situm est in territorio Reatino loco, qui vocatur Letenandus, sive Rojandus* (*Bojandus* alii legunt). En ipsam Chartam:

Concambium inter Mauroaldum Abbatem Monasterii Sanctæ Mariæ Farfensis, & Usualdum Abbatem Monasterii Sancti Salvatoris Reatini, Anno 794.

,, IN nomine Dei Salvatoris nostri Jesu Christi. Regnantibus Domnis nostris Karolo & Pipino filio ejus, Viris Excellentissimis, Regibus Francorum & Langobardorum, ac Patritiis Romanorum, Anno Regni eorum in Hitalia Deo propitio XXI. & XIV. Mense Augusti per Indictionem II. Previdentes, atque congruis compensantes compendiis, optimè placuit inter venerabiles *Mauroaldum Abbatem de Monasterio Sanctæ Mariæ*, ejusque Congregationem, quod situm est in Territorio Sabiniensi, loco qui vocatur Acutianus, necnon & *Domnum Usualdum itemque Abbatem Sancti Salvatoris*, vel cunctam Congregationem ipsius Monasterii, quod situm est in Territorio Reatis, loco qui vocatur Letenandus, sive Rojandus, ut inter se concambium pro utilitate partium ambarum facere deberent: quod & fecerunt. In primis dedimus nos à parte Sanctæ Mariæ partibus Sancti Salvatoris portionem de Ecclesia Sancti Pastoris in Quinto, quantum nobis ibidem pertinet in ipsa Ecclesia Sancti Pastoris. Portionem de Gualefrido, & Tamfrida, sive Altarium, muros, fundamenta Ecclesiæ, & in ipsa Curte Casas, vineas, prata, terras arabiles, & cultum vel incultum, & arbores, & quantum ibidem subtus viam Salariam usque in Rivum, & usquequo pervenit in finem de terra Palumbi, quantum nobis de dote ipsius Ecclesiæ Sancti Pastoris subtus viam Salariam, vel de acquisito ipsius Ecclesiæ usque in Rivum, & usque in Gualdum vestrum, qui est subtus ipsam Ecclesiam, & usque in terram Palumbi, quantum nobis ibidem pertinet, portionem de ipsa Ecclesia vobis à die præsenti tradimus possidendum. Excepto illam terram, quæ est prope Casam Teudaldi, quæ fuit de substantia Gualefridi, & Tamfridæ; & excepto illam petiam, quam à Sindeperto comparavimus. Similiter dedimus nos à parte Sancti Salvatoris ad partem Sanctæ Mariæ pro illa Ecclesia terram per mensuram modiorum XI. in Valle Tybe, in Valle Majori, in pede de Genistreto, in plano terram modiorum IX. & semodiale, hoc est quantum ibidem à parte Gualderami habuimus, & de acquisito ipsius Ecclesiæ Sancti Pastoris, sive quantum in ipso loco cum *Domno Godefrido* (Alefrido *habet Mabillonius.*) *Episcopo* concambiare debemus. Et si ipsum cambium minimè facere potuerimus, aliud tantum de terra ad simile illius vobis in congruo vestro dare debeamus. Et quod in ipso loco minimè habuimus, unde vobis dare potuissemus, dedimus vobis in alio loco super illa causa vestra de Gualefrido, & Tamfrida in illo Colle, quantum nobis portionis ibidem à Gualderamo venit. Et pro dote ipsius Ecclesiæ dedimus vobis terram nostram circa ipsam Casam vestram, quantum in ipsa clausura habemus, quod subjungit à Rivo usque in Viam publicam, cum solo ipsius Casæ, quæ fuit Gualderami. Et in alia clausura minori juxta suprascriptum collem ante ipsam Casam vestram, portionem nostram, quantum ibidem habemus, quod nobis à Gualderamo contingit in ambabus clausuris, vel in suprascriptis locis, vobis à die præsenti tradimus possidendum una cum arboribus eorum. Unde duas cartulas uno tenore conscriptas inter nos fecimus. De quo promittimus de utrisque partibus propriam partem defendere, & invicem firmiter promittimus ipsum cambium permanere. Et si qua pars removere voluerit, componat parti alteræ auri mancosos XX. & chartæ ambarum partium in sua permaneant stabilitate. Actum in Monasterio Sanctæ Mariæ, ubi ambarum partium Abbates præsentes esse videbantur, Mense, & Indict. suprascripta in Dei nomine.

Ego Husualdus etsi indignus Abbas in hac cartula à me facta manu mea subscripsi.

Ego Frodipertus Presbiter & Monachus m. m. ss.

Ego Leophanus Presbiter & Monachus m. m. ss.

Ego Joannaccius Diaconus & Monachus consensi, & m. m. ss.

Ego Teodipertus Diaconus & Monachus consensi, & m. m. ss.

Ego Teoprandus Presbiter & Monachus consensi, & m. m. subscripsi.

Ego Fulco Diaconus & Monachus consensi, & m. m. ss.

Ego Joannes Subdiaconus, & Monachus Monasterii Sanctæ Mariæ, Scriptor hujus cartulæ per consensum ambarum partium scripsi, & subscripsi.

rio Tacinensi, in portu Albano, & in Platiano, & Aplictola, omnia ad usum fructus, ut annis singulis in hoc Monasterio ad Missam Sancti Martini, quæ evenit XI. die Novembris, conferrent in auro, argento, vel pannis valentes mancosos . . . . . .

Quidam vir nomine Berto commisit filium suum Perculsum nomine in manu germani sui Liutprandi Presbyteri, ut ipse eum in hoc Monasterio Sanctæ Mariæ sub sancta Regula, cum omnibus rebus ejus tradidisset: quod ita factum est. Et ipse quoque Perculsus junctis manibus Domno Mauraldo Abbati cum omnibus rebus suis in hoc Monasterio se contradidit juxta constitutionem genitoris sui. Post hoc verò quidam Ageris eumdem Perculsum suasum de Monasterio effugavit, & uxori suæ ejus germanæ de ipsis rebus chartas emittere fecit. Tunc introivit in ipsas res in loco, qui dicitur Pompinianus, & portionem de Ecclesia Sancti Petri, seu & casam intra civitatem Reatinam, quæ omnia in judicio *Ducis Guinichis*, & Judicibus relata, ipse Dux direxit ambas partes Romæ in præsentia *Domni Leonis Papæ*, ut secundùm Dominum terminum his imponeret. Qui cuncta æquitus decernens judicavit, ut idem Perculsus cum omnibus rebus suis, secundùm institutionem genitoris sui Bertonis, vel suam traditionem, in hoc Monasterio secundùm Regulam deserviat; & si aliquod munimen cuiquam emisit, foret irritum. De qua re idem Domnus Papa suum emisit judicatum. Et post hoc de ipsis rebus præfatus Ageris Monachos hujus Monasterii foràs expulit, & eas possedit. Et cùm omnia sic referrentur in judicio *Hebroardi Comitis Palatini*, & ejus Judicibus, jusserunt, ut prædictus Ageris partem hujus Monasterii de ipsis rebus revestiret, & guadiam nostro Advocato daret, ut fruges ipsarum rerum post excompulsionem sub sacro mandato redderet: & ita factum est.

Quidam homines Brixiæ altercationem habebant, contra hoc Monasterium Beatæ Mariæ de Cella Sancti Petri in Classicella, unde misericordia motus *Domnus Pipinus piissimus Rex* direxit *Alaboldum Abbatem*, & *Missum suum*, qui ipsam Cellam ad partem hujus Monasterii retraderet: & factum est ita *sub die XI. mensis Maji Indictione IX. Anno* . . . . (30) *Domni Caroli Regis*, & *filii ejus Pipini*. Cùm autem Missi Domni Regis *Mancio Abbas*, *Haroinus*; & *Hisembardus* resedissent Spoleto cum Judicibus in placito, vênit ibi Domnus Joannes Monachus hujus Monasterii, & querelatus est super *Guinichisum Ducem*, qui contendebat piscarias per singula loca Ducatus Spoletani; & retia nostra ruperant homines ejus, & pisces tulerant, atque homines hujus Monasterii vapulaverant. Et ex hoc interrogatus . ux, dixit: *Verum est: sed homines mei sinè voluntate mea fecerunt. Ego autem volo exinde parti Monasterii justitiam facere, sicut mihi judicatis*. Et jusserunt revestire eumdem Joannem Monachum, & Advocatum ejus de ipsis piscariis, & guadiam de compositione juxta legem dare fecerunt: & ita finitum est. Domnus autem Mauroaldus Abbas acquisivit huic Monasterio IV. Casales, idest Casalem Sunsam, & Casalem Turrinem, & Casalem Campum aureum, & Casalem de Salicis, cum omnibus eorum pertinentiis.

Undecimus denique huic Monasterio præfuit Pater vir venerabilis *Benedictus*, qui in eis, quæ ad Deum pertinent, valde exstitit devotus, & in exterioribus ornamentis, quæ ad cultum Ecclesiæ utilia videntur, ita ut in Libris, & Altaris vestibus, atque diversis utensilibus construendis nimis sagacissimus esset; & usque ad præsens ex parte apparet. Rexit quoque hoc Cœnobium annis X. mensibus V. diebus IIII. Obiit in pace III. Idus Augusti.

Caroli Magni Imperatoris Diploma, quo omnia bona, privilegia, & jura Farfensi Cœnobio confirmat. Anno 803.

„ CArolus Serenissimus Augustus, à Deo „ coronatus, magnus, & pacificus Imperator Romanorum gubernans Imperium, „ qui & per misericordiam Dei Rex Francorum, & Langobardorum. Si ea, quæ à „ Deum timentibus hominibus locis Sanctorum, ob amorem Domini, & opportunitatem „ servorum Dei, condonata esse noscuntur, „ nostris confirmaverimus edictis, non solùm „ Regiam exercemus consuetudinem, sed „ etiam hoc nobis procul dubio ad mercedis „ augmentum, seu stabilitatem Imperii nostri „ in Dei nomine pertinere confidimus. Quapropter notum sit omnibus Episcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Castaldiis, „ Vicariis, Centenariis, Actionariis, vel reliquis fidelibus nostris, præsentibus scilicet, „ & futuris, quia Vir Venerabilis Benedictus „ religiosus Abbas Monasterii Sanctæ Mariæ „ semperque Virginis, & Genitricis Dei, „ quod situm est in territorio Sabinensi, loco, „ qui dicitur Acutianus, mansuetudini nostræ „ suggessit, petens, ut res ipsius Monasterii, „ quæ à longo tempore ad ipsum sanctum locum, per diversorum hominum donationes, „ videlicet Regum, Reginarum, Ducum Pontificum, Comitum, Castaldiorum, vel collationes Populi, vel cessiones, venditiones, „ comparationes, commutationesque pervenerunt, de quibus ipsa Casa Dei moderno „ tempore, idest ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi DCCCIII. Anno, atque „ Anno Imperii nostri III. investitum habere, „ vel quieto ordine possidere videtur, per „ præceptum Regiæ auctoritatis nostræ, pro „ mercedis nostræ augmento, ad eumdem sanctum locum pleniùs cedere, & confirmare „ juberemus. Cujus petitioni annuentes, ad „ mercedis nostræ augmentum, pro reverentia ipsius sancti loci, vel propter deprecationem memorati Viri Venerabilis Benedicti Abbatis, ita concessimus, & confirmari „ jussimus. Præcipientes ergo jubemus, quòd „ perpetualiter circa memoratum locum mansurum esse volumus, ut nullus quilibet de „ fidelibus nostris memorato Viro Venerabili „ Benedicto Abbati, aut successoribus suis in „ perpetuum de jam dictis rebus, quas præfata Casa Dei moderno tempore, idest ab „ Incarnatione Domini nostri Jesu Christi „ DCCCIII. & III. Imperii nostri justè & rationabiliter quieto ordine possidere cernitur, „ aut

(30) Annus desideratur. Indictio IX. signare videtur Annum Christi 786. decurrente enim subsequente Indictione XI. Anno 801. Carolus Magnus Imperatoris titulo distinguebatur. Memorantur heic *Alaboldus*, sive *Haleboldus*, & *Mancio Abbates*, sed incerti Monasterii.

„ aut in ante Domino largiente legitimo or-
„ dine acquirere potuerit, inquietare, nec
„ condemnare, nec aliquid exinde injustè ab-
„ ſtrahere, aut minuere quoquo tempore præ-
„ ſumat. Sed per hoc noſtræ ſerenitatis atque
„ confirmationis præceptum, noſtris, futuriſ-
„ que temporibus ad ipſam Sanctam Dei Ec-
„ cleſiam proficiat in augmentis, quatenus
„ omni tempore, abſque cujuslibet illicita
„ contrarietate, ipſas res ſuperiùs comprehen-
„ ſas, Rectores ipſius Monaſterii tenere &
„ & poſſidere debeant; ita ut meliùs delectet
„ prædicto Venerabili Viro Benedicto Abba-
„ ti, atque ejuſdem Eccleſiæ Congregationi
„ in perpetuum pro nobis, & pro ſtabilitate
„ Imperii noſtri, ſeu pro filiis & filiabus no-
„ ſtris, ſeu pro cuncto populo nobis à Deo
„ dato, attentiùs jugiter divinam exorare cle-
„ mentiam. Et ut hæc auctoritas firmior ha-
„ beatur, & per tempora diligentiùs obſerve-
„ tur, juxta conſuetudinem Imperialem ſub-
„ ſcribere, & de anulo noſtro juſſimus ſigilla-
„ re. Datum Idibus Junii An. III. Chriſto
„ propitio Imperii noſtri, & XXXV. Regni
„ noſtri in Francia, atque XXIX. in Italia.
„ Indictione undecima. Actum Aquis Palatio
„ noſtro publico, in Dei nomine feliciter.
„ Amen.

Præfatus autem Domnus Abbas Benedictus, datis auri ſolidis mancoſis XX. primò à Mauroaldo Abbate, auctis ſuper his argenti libris VI. & pannis duobus valentibus mancoſos IX. emit omnes res, & ſubſtantias Probati, & Picconis germanorum, per ſingulas civitates, & loca.

Quidam Vir Ragefredus nomine teſtamentum fecit rerum ſuarum tantùm immobilium, & judicatum per chartulam confirmationis emiſit in hoc Monaſterio, ex his reſervans in ſua poteſtate mobilia, & ſervos, vel ancillas, & Aldios, vel Aldias. Quo à Domno Abbate, & à Sancta Congregatione perlecto, rogatus eſt ab eis, ut meliorem de ſuis rebus pro anima ſua faceret confirmationem: quod & ipſe ex toto corde facere profeſſus eſt, & reſpondit, & ordinavit aliud judicatum, in quo mobilia, & immobilia devenirent pro anima ſua in hoc Monaſterio. Hoc requirebat Advocatus hujus Monaſterii in placito ante præſentiam *Romani Ducis* (31) *Caſtri Viterbienſis*, & omnium Judicum ejus. Tunc Dux præcepit Judicibus hanc cauſam legaliter judicari. Et judicaverunt omnes, ut ordinatio præfati Ragefredi ſuarum mobilium, & immobilium rerum ad hoc facta Monaſterium cum Leone ejus filio puerulo divideretur, ſicut Edicti pagina Capitularis Domni Haiſtulphi Regis continet, *ut ſi quis Langobardus, in ſanitate, vel ægritudine per chartulam res ſuas ordinaverit, & dixerit, eas habere loca venerabilia, ſic permanerent*: & ſic factum, & definitum eſt.

Quidam autem Scaptolfus, hujus Monaſterii Advocatus, in judicio ſtans quadam die in præſentia *Ardemanni*, & *Guaidualdi*, qui erant *Miſſi Domni Caroli Imperatoris, & Domni Regis Pipini*, querelatus eſt de Guaidone Presbytero, & ejus germanis, & dixit: *Plumbius barbanus meus tradidit omnem ſuam ſubſtantiam in Monaſterio Sanctæ Mariæ, & vos in eam contra legem introiſtis, noſque exinde diſveſtiſtis: & ecce teſtimonia in præſentia.* Et interrogaverunt eos Judices, ſi quid exinde ſcirent. At illi uno ore idipſum teſtificati ſunt; & juſſerunt eos Judices jurare. Tunc ſuprascripti germani donaverunt ipſum ſacrum mandatum Scaptolfo Advocato, & proinde receperunt ab eo Launegildum manicias par unum; & poſt hæc fecerunt de ipſa ſubſtantia reinveſtire præfatum Scaptolfum Advocatum, & Gualantum Monachum, ad opus hujus Monaſterii. Et finitum eſt inter eos.

Domnus verò Benedictus Abbas dato pretio ſolidorum XX. emit unam unciam, & medietatem Caſalis, qui vocatur Screpitus, qui rejacet in territorio Tuſcanenſi ad finem Caſalis Veroniani, & de alio latere Caſalis Mortianelli; tertia verò pars Caſalis, qui dicitur Agella, & quarta pars tenet caput in via publica, quæ deſcendit ad Minionem. Quidam Rodopertus tradidit, & inveſtivit Domnum Benedictum Abbatem, omnem medietatem de Gualdo, & Curte, quam habebat ad Sanctum Stephanum, & ipſam Eccleſiam Sancti Stephani unà cum dote ejus, inſuper & clavem Eccleſiæ dedit ei; & ipſe Abbas à præſenti hora cum Monachis ſuis introivit in eam, & in omnes res ejus. Idem Rodoricus frater ejus per chartulam donationis confirmavit aliam medietatem de eodem Gualdo ad Sanctum Stephanum, qui eſt prope Gualdum noſtrum hujus Monaſterii de Tanciis, & prope Gualdum de Epiſcopio Sanctæ Reatinæ Eccleſiæ; & nuncupatur ipſe Gualdus ad Sanctum Pancratium, & de alio latere tenent Helina & Rodiperga ancillæ Dei. Et in ipſo loco Fraupertus dedit per chartulas firmitatis in hoc Monaſterio ſilvam ad Sanctum Stephanum, ubi dicitur ad Ceraſum: ab uno latere terra Helinæ ancillæ Dei; ab alio latere terra Maxioli; unum caput veniens in foſſatum de Numiſiano; aliud in terra ipſius Helinæ ancillæ Dei. Quidam autem Urſipertus per chartulam firmitatis conceſſit in hoc Monaſterio in territorio Tuſcanenſi omnes ſuas rationes in fundo Caſale Caſalinam in integrum, & Eccleſiam Sancti Petri ſitam infra ipſum Caſalem cum omni ædificio: pro quibus Caſalibus recepit à Domno Benedicto Abbate in pretium ſolidos XXX. Quidam verò Faulo Clericus, & Autarius germani dederunt omnes res & ſubſtantias ſuas de Eccleſia Sancti Mamiliani in territorio Tuſcanenſi, ubi dicitur Marcilianus. Domnus autem Abbas Benedictus acquiſivit huic Monaſterio terram prope campum Sanctæ Anatoliæ, unum caput tenentem in via publica, aliud caput in Caſale Margaritæ, aliud caput in Lacu.

Quidam Palumbus unà cum fratre ſuo, & genitrice chartulas firmitatis fecit in hoc Monaſterio de omni proprietate ſubſtantiæ ſuæ. Item in Monaſterio Domini Salvatoris aliam dedit chartam de omni ſubſtantiæ ſuæ proprietate. Unde utriuſque Abbates Cœnobii in placitum venerunt querelam acturi. Ubi autem oſtenſæ & relectæ ſunt chartæ, anterior apparuit charta hujus Monaſterii Sanctæ Mariæ, quam Domnus Benedictus oſtendit Abbas, & quæ

(31) Mea ſententia *Romanus* hic nullus alius eſt, quam qui Spoletanus Dux eodem tempore fuit, filius atque ſucceſſor Guinichiſi, cujus Ducatus exordium habuit Anno Chr. DCCCVI. Ac propterea ſcribendum puto *Romani Ducis in Caſtro Viterbienſi*.

quæ *Sancti Salvatoris Abbas Leufronus* (32) demonstrabat, posterior videbatur. Et dum Leo Sculdasius, & Judices talia cognovissent, jusserunt Abbati, & Advocato, ut sibi de hac quiesceret causa, & pars hujus Monasterii Beatæ Mariæ ipsas res haberet & possideret, ut in ipsa anteriori legebatur chartula.

Quidam verò Leo de Reate fecit traditionem in hoc Monasterio de rebus suis, cujus gener Herfualdus filius Romualdi exinde convenientiam fecit cum Domno Benedicto Abbate, ejus sibi consentiente genitore, ut si ipse, aut si ejus filii ipsas res retollere quæsissent per quodlibet ingenium, aut causationem apponere, componeret eis argenti libras LX. Sed postea contradixit, & non permisit hoc Monasterium habere secundùm suam obligationem. Quapropter Domnus Abbas querelatus est in judicii Placito ante præsentiam *Adolardi Comitis* (33) *& Missi Domni Imperatoris Caroli*, eam-

(32) Hunc fuisse Abbatem Monasterii Sancti Salvatoris *de Monte Amiato in Clusina Dioecesi* atque in Etruria, censet Mabillonius ad Annum 790. & 816. in Annal. Benedictin. Verum, ut supra adnotavi, Usualdus Abbas *Monasterii Reatini Sancti Salvatoris* nobis occurrit. Quare ad hoc Monasterium, Farfensi utique propius, & Mabillonii oculis nescio quei sublatum, pertinere putarim Abbatem hunc, non vero ad Clusinum.

(33) Non Comes, sed Abbas celeberrimus Corbejensis fuit hic Adalardus, uti ex Placito seu Judicato ejusdem constat, quod antea Mabillonius edidit, ego vero operæ pretium duxi heic rursus proferre.

Placitum Spoleti habitum ad Adalhardo Abbate Misso Caroli M. Imperatoris, in quo Benedictus Abbas Farfensis res Leonis Reatini suo Monasterio evincit.
Anno 814.

„ CUm venissem ego *Adalhard Abbas, Missus Domni Imperatoris Caroli*, civitatem Spoletium, & resedissem in judicio in Palatio cum *Sigualdo, Gradigis, & Hisemundo Episcopis*, Leone Judice Domni Regis, Fratello Abbate, Johanne, Leodegar, & Magio, Maximo, Hilderico, seu Hilpidiano Castaldio, Benedicto, & Basso Scavinis, Tribuno Scavino de Camerino; ibique veniens ad reclamandum *Benedictus Abbas Monasterii Sanctæ Dei genitricis Mariæ, siti Sabinensis*, unà cum Johanne Advocato suo, quòd quidam Leo de Reate fecisset traditionem in eodem Monasterio de rebus suis, & haberet exinde convenientiam factam cum Herfoaldo genero ejusdem Leonis, filio Rumualdi Castaldi, ipso ejus genitore consentiente, ut super se, aut ejus heredes res ipsas retollere quæsissent per quodlibet ingenium, aut contra eos exinde habere voluerit causationem, componeret eis argenti Libras LX. Sed modò contradicunt ei ipsas res, & non permittunt ipsum Monasterium habere secundùm suam obligationem. Et dum ipse Rumualdus, & Herfualdus essent præsentes, & audissent hanc proclamationem, fecimus nobis in primis relegi breve illud traditionis, quod Leo fecerat in eodem Monasterio de rebus suis. Deinde fecimus relegi illam convenientiam obligationis, quam ipse Herfualdus, ipso genitore suo consentiente, eidem Benedicto Abbati factam habebat, ubi continebatur, sicut superiùs asseruerant. Et post relecta munimina ipsa, interrogavimus ipsum Rumualdum & Herfualdum, si aliquid adversùs hæc dicere voluissent: Qui dixerunt; *Nos illi de rebus ipsis numquam contradiximus, nec contradicere quærimus*. Et replicans ipse Johannes Advocatus ajebat: *Certè tu contradixisti, & contra nos exinde causationem opposuisti, & ita possumus comprobare*. Tunc affati sunt ipse Herfualdus & Rumualdus: *Certè negare non possumus, nec volumus, quia contradiximus ipsas res, & causationem exinde opposuimus*. Hoc dicto venit è contra Scaptolfus de Reate, similiter gener ejusdem Leonis, & dixit: *Convenientiam istam, quam tibi isti Herfualdus, & Rumualdus fecerunt, facere non potuerunt de rebus ipsius Leonis, eo quòd ex se convenientia obligationis, quam mibi fecit iste Rumualdus, ante ipsam, quam vos ostenditis, ut res ipsas, quas vos quæritis, mecum dividere debuisset; & si non divisisset, & aut ipse, aut Herfualdus filius ejus ita non adimplessent, & aliter removere quæsissent per qualecumque ingenium, componerent mibi mancos* CXC. „ Et dum ipsam nobis relegi fecissemus, continebatur ibi, sicut ipse Scaptolfus asseruerat. Et relecta convenientia ipsa, interrogavimus ipsum Rumualdum, cur talia fecisset: & quando se primò obligaverat Scaptolfo, se iterum quare ad partem Monasterii obligasset? Qui dixit, quòd nescienter hoc fecisset. Et adhuc interrogavimus eum, si posset aliquid contra dicere, quòd pœnas in ipsis convenientiis obligatas componere non debuisset. Qui dixit, quòd nullatenus posset contendere, ut pœnas ipsas non solveret. Hoc dicto, fecimus eum dare guadium suprascripto Johanni Advocato, ut componeret ad partem ejusdem Monasterii secundùm ipsam convenientiam, & juxta suam obligationem Libras LX. & deinde fecimus eum dare guadium eidem Scaptulfo de compositione mancosos CXC. secundùm chartam ipsius obligationis, quam ei fecerat; & data guadia ista, suspendimus causas ipsas usque ad alium diem.

„ Et dum conjungeremus cum *Suppone Comite Palatii, Guinichis, & Heccideo Ducibus*, & pertractaremus quomodo aut qualiter finem inter eos fecissemus, venientes alio die in eodem Palatio suprascripto, Comiti & Ducibus per ordinem illorum causas, sicut actæ fuerant, intimavimus. Et dum ipse Rumualdus inventus fuisset culpabilis, cœpimus rogare misericordiam, ut eum non opprimerent, sicut poterant, de ipsis compositionibus. Et statim suprascriptus Benedictus Abbas cum Johanne Advocato suo dixit: *Certè nos à nostra parte nullam compositionem ei tollere quærimus, nisi tantummodo volumus habere res ipsas, quas ad partem Monasterii ipse Leo tradidit*. Deinde Scaptolfus dixit: *Certè & ego ex mea parte nullam compositionem quæro illius: solummodo liceat mibi habere meam portionem, quæ mibi pertinet à conjuge mea de hereditate ejusdem Leonis soceri mei, vel quam per chartam in eadem conjuge mea, vel filiis ejus dederat*. Et statim sua bona & spontanea voluntate, primò omnium ipse Benedictus Abbas cum Johanne Advocato suo cesserunt & perdonaverunt eidem Rumualdo & Herfualdo filio ejus ipsam compositionem, nimirum Libr. LX. & susceperunt ab eis Launechild, manicias par unum. Et deinde Scaptolfus sua sponte cessit & perdonavit eis ipsos CXC. mancos, (a) & suscepit ab eis Launechild, similiter manicias (b) par unum. Et quum ita factum fuisset, guadiaverunt inter se ipsi, simul & Mausio, Tutor Liupæ cognatæ ejusdem Scaptolfi, filii supradicti Leonis, ut ambularent ad dividendas ipsas res ejusdem Leonis, & pars Monasterii tolleret medietatem, quæ fuerat portio ejusdem Leonis; & ipse Scaptolfus & Romualdus cum filio suo atque Mausione Tutore ejusdem Liupæ, tollerent medietatem secundùm legem: ita sanè ut quicquid exinde ipse Leo in conjuge ejusdem Scaptolfi vel filiis ejus per chartam dederat ante, haberent sibi. Et dimisit ipse Scaptolfus eidem Rumualdo & Herfualdo suam portionem, quæ ei de conjuge sua debebatur in Amiterno. Reliqua omnia diviserunt, sicut supra scriptum est, tantùm ut hoc, quod ipse Leo alii donaverat, aut in Ecclesia obtulerat, vel servos pro anima sua liberos dimiserat, in illa Leonis ejusdem portione sit omne computatum, & munimina om-

(a) Scilicet aureos, pecuniae genus. Saepius *mancusos*, & *mancosos* appellatos invenias.

(b) Chirothecas arbitror, quas Germani *VVantones* appellabant, & inde in nos fluxit Italica vox *Guanti*.

eamdem ostendens convenientiam scriptam, & breve affirmationis, quod præfatus Leo in hoc Monasterio de suis rebus emisit. Econtra autem venit Scaptolfus Reatinus similiter ejusdem gener Leonis, & dixit: *Convenientiam ipsam facere non potuerunt, quia iste Romualdus ante se mihi obligavit, ut ipsas res mecum divideret; & si aliter egisset, componeret mihi mancosos CXC.* Interrogatus autem Romualdus, cur facta Scatolpho obligatione ad partem Monasterii se obligasset, respondit, se nescienter fecisse, & ideo nullatenus contendere posse. Tunc jussu Judicum guadiam parti Monasterii dedit, ut componeret obligata illi. Similiter quoque præfatus Scatulfus fecit. Et altero die relatis omnibus in Placito ante *Supponem* (34) *Palatii Comitem*, & *Guinichis*, & *Hecciden Duces* (35), inventus est idem Romualdus culpabilis. Deinde omnium rogatu Domnus Abbas, & Scaptolphus pœnas obligationis remiserunt prædicto Romualdo, suas quasque portiones quærentes sibi concessas ab eodem Leone; & per hoc susceperunt singuli ab eo Launechild manicias par unum, & judicatum est à Judicibus, ut pars hujus Monasterii medietatem susciperet Leonis præfati portionis, & ipse Scaptolphus, & Romualdus cum filio suo aliam medietatem: & ita causa hæc finita est.

Quadam autem die *Guinichis Dux* direxit Missum suum, nomine Merualdum, ut retraderet molinum subtus portam Intocinam in Filomidiano, quod antea fuit de Sancto Georgio, & apprehendit Merualdus axem ostii de molino, & retradidit illum ad partem Monasterii, & investivit de eo Guelantum Monachum & Præpositum Sancti Angeli; & Baruncionem Monachum & Præpositum Sancti Georgii, in præsentia *Hiosmundi* (36) *Episcopi*, & plurimorum virorum disvestivit. Hildericus autem Castaldus tradidit in hoc Monasterio Curtem Pontianum, sicut continetur in alio testamento. Huic quoque sub beneficiali ordine Domnus Abbas Benedictus concessit Curtem, quam ipse in hoc Monasterio per chartam donationis delegaverat in Massa, & Interocrina fundo Cæsaricæ sub pensionis constitutione.

Ludovicus Pius Imperator Benedicto Abbati ejusque Monasterio Farfensi omnia privilegia ac jura confirmat Anno 815.

,, LUdovicus, divina ordinante providentia ,, Imperator Augustus. Imperialem Celsitudinem decet prædecessorum suorum facta ,, non solùm inviolabiliter conservare, sed ,, etiam censuræ suæ auctoritate alacriter confirmare. Perinde noverit sagacitas, seu in,, dustria omnium fidelium nostrorum, tam ,, præsentium, quàm & futurorum, quia vir ,, venerabilis Benedictus Abbas ex Monasterio ,, Acutiano sito in territorio Sabinensi, & con,, structo in honore Sanctæ Dei Genitricis ,, semperque Virginis Mariæ, obtulit obtuti,, bus nostris quasdam auctoritates confirma,, tiones Domni Genitoris nostri bonæ memo,, riæ Caroli Serenissimi Augusti, in quibus ,, continebatur insertum qualiter idem Mona,, sterium sub tali privilegio consistere fece,, rat, sic cetera Monasteria, quæ in Francia ,, sub Sancti Benedicti Patris norma consi,, stunt: scilicet, ut nullus Episcopus de the,, sauris ipsius Monasterii, aut rebus aliquid ,, auferre, nec sub aliquo tributo ponere, aut ,, aliquem censum exinde exigere, aut exa,, ctare præsumeret. Vel qualiter Hildepran,, dus Dux Gualdum, qui nuncupatur Tan,, cies, & Curtem, que vocatur Vallantis ,, cum omni integritate, & appendiciis suis, ,, per sua præcepta confirmavit, & Curtem ,, Tacianum, Monasterium Sancti Marci Evan,, gelistæ, quod est situm juxta muros Spole,, tanæ civitatis; quod ipse Dominus, & ge,, nitor noster ad idem Monasterium per suum ,, con-

,, omnia obligationis & convenientiæ, quæ in,, ter se Scaptolfus & Rumualdus seu & Bene,, dictus Abbas facta habuerant, statim præsen,, tibus nobis sua voluntate cassaverunt, & di,, xerunt, quòd ampliùs convenientias vel pro,, missiones non haberent, quas alter adversùs ,, alterum ostendere posset: tantummodo supra ,, scriptum breve traditionis, & illa charta, ,, quam Leo in conjuge ejusdem Scaptolfi vel ,, in filiis ejus emiserat, stabilita remaneant, ,, & finita est causa. Unde qualiter acta vel ,, deliberata est causa, præsentibus testibus no,, titias uno tenore pro eorum securitate Ursi,, nianum Notarium Domni Regis facere com,, monuimus.
,, Et ego quidem Martinus Notarius ex ipsius ,, Ursiniani supra dictatu subscripsi Anno Dom,, norum nostrorum Caroli (c) & Bernardi (d) ,, Regum XL. & V. mense Februarii, Indi,, ctione Septima.
,, Ego Adalhardus subscripsi.
,, Signum, vel manus Supponis Comitis Pa,, latii, qui interfuit.
,, Ego Accideus Comes interfui.
,, Ego Hisimundus Episcopus interfui.
,, Ego Maximus Castaldus ibi fui.
,, Ego Tribunus interfui.
,, Ego Hildericus interfui.
,, Ego Johannes Sculdascius ibi fui.
,, Ego Guinichis ibi fui.
,, Ego Leo Bassus Domini Regis concordem ,, me subscripsi.

(c) Annus XL. Caroli M. a subacto Langobardorum Regno heic nominatur, hoc est Annus 814. Atqui eodem Anno Carolus diem postremum clausit die XXVIII. Januarii, sive *V. Kal. Februar.* uti Eginhardus in ejus Vita testatur. Et nihilominus Charta haec scripta subsequente Februario ejus annos tamquam viventis indicat. Non alia de causa, nisi quia nondum nuntius de ejus morte advenerat, primisque Februarii diebus Charta haec signata fuit.

(d) Cadit memoratus heic *Annus V.* Bernardi Italiae Regis in Februarium Anni 814. Ergo ejus Epocha non ab Anno 813. quo is in Italiam missus est, sed a Pippini Regis Italiae, hoc est ab ejus parentis morte, est arcessenda. Verum quum Anno 810. *VIII. Idus Julias* Pippinus e vivis excesserit, Februario Mense Anni 814. decurrere Bernardo minime potuit *Annus V. Regni*. Num ergo legendum *Anno IV.*?

(34) In Annalibus Francorum ad Annum 822. memoratur *Suppo Brixiae Comes*, qui Guinichiso Duci in Spoletano Ducatu successit. Hunc ipsum heic designatum opinari possumus.

(35) Novimus Guinichisum tunc temporis Spoleti Ducem. An iste filius ejus, & Ducatus consors fuerit, aliis decernendum relinquo. Iis temporibus Romanum, & Gerardum cum Guinichiso Duces Spoleto præfuisse tradit Campellus in Hist. Spolet.

(36) Scribendum *Hisermundi* cum Ughello, seu potius *Hisemundi*, hoc est Episcopi Reatini, cujus mentionem habet Placitum Adalhardi Abbatis Anno 814. Spoleti habitum, ex Chartario Farfense memoratum a Clariss. Mabillonio. Refert quoque idem Ughellus donationem *Isermundo Sanctae Reatinae Ecclesiae Episcopo* factam a *Teudicio Duce Reatino Anno 773*. Sed corrigendus locus, & scribendum *Duce Spoletano*, atque *Anno 772*. Necesse est credere, per annos plures Ecclesiae suae praefuisse Episcopum istum.

„ confirmavit præceptum ; & Monasterium
„ Sancti Salvatoris situm non procul ab ea-
„ dem civitate Spoletana ; & Monasterium
„ puellarum, quod nuncupatur Sancti Geor-
„ gii, sub muro civitatis Reatinæ; & Eccle-
„ siam Sancti Michaëlis Archangeli posita su-
„ per fluvium Mellinum, juxta ipsam civita-
„ tem Reatinam cum omni integritate sua.
„ Et in territorio Firmano Monasterium San-
„ cti Silvestri, & Sanctæ Marinæ cum omni
„ integritate, vel quicquid ex largitate Re-
„ gum, Reginarumque, Pontificum, Ducum,
„ Castaldorum, vel ex collatis populis, vel
„ ceterorum fidelium eidem Monasterio lega-
„ liter confirmatum fuerat, suis auctoritatibus
„ confirmaret. Sed & pro rei totius firmitate
„ postulavit nos prædictus Abbas, ejusque
„ Congregatio, ut morem paternum sequen-
„ tes, nostram etiam auctoritatem super hoc
„ negotio fieri censeremus. Quorum petitio-
„ nibus ob animæ nostræ emolumentum, &
„ æternæ retributionis fructum, libenter as-
„ sensum præbuimus, & hoc nostræ auctori-
„ tatis præceptum, inspecta auctoritate pa-
„ terna fieri placuit. Per quod decrevimus,
„ atque statuimus, ut nullus Episcopus de
„ superiùs memoratis locis, aut de ceteris
„ Monasteriis, aut Cellulis, Xenodochiis, Ec-
„ clesiis, Curtibus, Villis, piscationibus cum
„ piscatoribus suis, servis, ancillis, libella-
„ riis, chartulatis, offertis, gualdis, molen-
„ dinis, vel de omnibus eidem Monasterio ju-
„ re subjectis, vel quicquid ex munificentia
„ Regum, Reginarum, aut ex confirmatione
„ Pontificum, Ducum, Castaldorum, nec
„ non ex collatis Populi, aut ceterorum fide-
„ lium liberalitate, vel etiam ex Monachis,
„ qui in eodem Monasterio suas animas sal-
„ vare cupientes intraverunt, & eis tam ex
„ donatione Regum, Reginarumque, Pontifi-
„ cum, Ducum, quàm ex hereditate paren-
„ tum, vel de quolibet attractu advenerunt,
„ & ibidem per chartulas delegaverunt, vel
„ undecumque ad eos tam per venditiones,
„ cessiones, commutationes, possessionesque
„ eidem Monasterio, sicut dictum est, evê-
„ nit, & moderno tempore justè, & legaliter
„ possidere noscitur, vel quod deinceps Do-
„ mino largiente ibidem collatum fuerit, nul-
„ lus fidelium nostrorum, præsentium scilicet
„ & futurorum memorato Abbati, ejusque
„ Congregationi, aut suis successoribus, in-
„ quietare, aut calumniam generare, aut ali-
„ quam injustam repetitionem facere tentet;
„ sed sicut à genitore nostro confirmatum es-
„ se dignoscitur, & à fidelibus Sanctæ Dei
„ Ecclesiæ diversis rebus idem locus ditatus
„ esse constat, ita omni tempore absque ali-
„ cujus præjuditio, aut infestatione, vel dimi-
„ noratione consistat, & per hoc nostræ con-
„ firmationis præceptum jure perpetuo teneat,
„ & sub nostro privilegio, atque Mundibur-
„ do consistat, & sub defensione nostra ejus-
„ dem Monachi in eodem Monasterio quietè
„ residere valeant, & pro nobis, & stabilita-
„ te totius Imperii nostri Dominum exorare.
„ Concessimus etiam eis, ut quicquid ex co-
„ pulatione servorum ipsius Monasterii cum
„ liberis fœminis, secundùm legem Lango-
„ bardorum ad publicum contingere poterat
„ in eleemosyna nostra, per hoc nostrum con-
„ firmetur præceptum; & quandocumque di-
„ vina vocatione prædictus Abbas, vel suc-
„ cessores ejus de hac luce migraverint, quam-
„ diu ipsi Monachi inter se talem invenire
„ poterint, qui eos secundùm regulam San-
„ cti Benedicti regere valeat, licentiam ha-
„ beant eligendi Abbatem. Et ut hæc aucto-
„ ritas confirmationis nostræ ab omnibus me-
„ liùs, & veriùs credatur, & diligentiùs con-
„ servetur, more nostro eam subter scribere,
„ & de bulla nostra jussimus sigillari. Duran-
„ dus Diaconus ad vicem Helisachar recogno-
„ vi. Datum II. Non. Augusti. Anno Chri-
„ sto propitio II. Imperii nostri, Indictione
„ VIII. Actum Franconosurd Palatio Regio
„ in Dei nomine feliciter.

Duodecimus Abbas exstitit hujus loci reli-
giosissimus *Ingoaldus* (37), benignissimus per
omnia atque strenuus, sicut in quibusdam Pri-
vilegiis hujus Cœnobii acquisitis invenitur;
in quibus denique apertissimè cognoscitur,
quòd zelo Dei fervens, in spiritualibus atque
mundanis rebus suo Monasterio pertinentibus
aliquo modo incontaminatum, & inreprehen-
sibilem omnibus se ostendebat. Obiit verò
septimo Kalendas Aprilis.

Quidam Majorianus, & Romanus, & Hu-
naldus filii illius, res proprietatis suæ in hoc
Monasterio per testamenti conscriptionem con-
donarunt, reservato sibi earumdem rerum usu-
fructu ad dies vitæ eorum. Accidit autem, ut
filius ejusdem Majoriani nomine Gadoaldus,
qui quartam portionem ejusdem possessionis
eodem testamento possidebat, instinctu Dia-
boli, postposita fidelitate sua, ad Beneventa-
nos, qui tunc temporis *Domno Carolo Impe-
ratori* rebelles erant, fugiendo se contulisset,
ac propter hoc res illius propriæ Fisco socia-
ri debuissent, cum quibus etiam portiones su-
pradictorum Majorani patris ejus, & duorum
filiorum Romani, & Hunaldi in publicum re-
dactæ, & ita à potestate hujus Monasterii
ablatæ sunt. Quapropter cùm omnia per Do-
mnum Benedictum Abbatem auribus *Serenis-
simi Imperatoris Ludovici* referrentur, jussit
Domnus Imperator prædictas trium hominum
possessiones, idest Majoriani, & duorum filio-
rum ejus Romani, & Hunaldi, de parte Fisci
sublata, huic Monasterio restitui. Sed cùm
eodem Anno Domnus Benedictus Abbas de
hoc seculo migrasset, ejus successor Domnus
Abbas Ingoaldus suggessit Domno Imperatori,
ut super his rebus huic loco præceptionis suæ
confirmationem dare juberet. Insuper & de
piscatore nomine Aunefrido, manente in ter-
ritorio Reatino, ubi dicitur Septepontius, cum
uxore, & filiis, terraque, ac domo, sive pis-
catione, & omnibus rebus suis, ad usum hu-
jus Monasterii concederet. Et concessit hoc
Imperator, & per Imperiales paginas præcep-
ti decentissimè roboravit. Actum Aquis Pala-
tio Regio.

Stephani IV. Romani Pontificis Bulla, qua Monasterio Farfensi, ejusque Abbati Ingoaldo omnia jura ac privilegia confirmat. Anno 817.

„ STephanus Episcopus Servus Servorum
„ Dei Dilecto in Domino filio Ingoaldo
„ religioso Presbytero, & Monacho, atque
„ Ab-

(37) Hic Anno 816. creditur Abbas constitutus.

„ Abbati venerabilis Monasterii Sanctæ Dei „ Genitricis Mariæ, quod ponitur in Pharpha „ in loco, qui nuncupatur Acutianus, suisque „ Successoribus in perpetuum. Cum magna „ nobis solicitudine instat cura pro universis „ Dei Ecclesiis, ac bonis locis vigilandum, „ ne aliquam necessitatis jacturam sustineant, „ sed magis propriæ utilitatis stipendia con- „ sequantur. Ideo convenit, nos pastorali tota „ mentis aviditate eorumdem venerabilium lo- „ corum maximæ stabilitatis integritatem pro- „ curare; & sedulè ad eorū utilitatem subsidia „ illic referre, ut Deo nostro omnipotenti id „ quod pro ejus sancti nominis honore, & ad „ laudem atque gloriam ejus divinæ Majesta- „ tis, ejus venerabilibus, nos certum est con- „ tulisse locis, sit acceptabile, nobisque ab „ ejus locupletissima misericordia digna hu- „ jusmodi pii operis in sidereis conferatur ar- „ cibus remuneratio. Igitur quia petistis à no- „ bis, quatenus ex nostra largitate, nostroque „ dono concederemus vestræ Religiositati, ac „ Monasterio vestro, confirmationem omnium „ bonorum, quæ habet modò, & habiturum „ est in perpetuum: Confirmamus autem vo- „ bis, vestrisque Successoribus fundum Acu- „ tianum, ubi ipsum Monasterium venerabile „ constructum est, cum finibus, & appendi- „ cibus suis in integrum; fundum Calistianum „ in quo est Ecclesia Sancti Laurentii; fundum „ Pompejanum, fundum Pinianum, fundum „ Cervinariam; fundum Marianum, in quo est „ Ecclesia Sancti Paterniani, fundum Arturia- „ num, fundum Ordeolum, fundum Mutella, „ ubi est Ecclesia Sancti Angeli, sicut à tem- „ pore *Adriani Papæ* ab ipso venerabili Mo- „ nasterio possessum est. Fundum Urbanum, „ qui & Vicus-auro vocatur, ubi est Eccle- „ sia Sancti Viti, cum pratis, silvis, & aqui- „ molendis, vel omnibus ad eum in integrum „ pertinentibus. Ex fundo Adriano uncias tres, „ in quo est Ecclesia Sancti Valentini. Fundum „ Medianum, fundum Casalmontis. Ex fundo „ Arverriano unciam unam. Ex fundo Terniano „ uncias VI. Ex fundo Antiano uncias IX. ubi „ est Ecclesia Sancti Felicis. Fundum Agel- „ lam, fundum Cicilianum, in quo est Ec „ clesia Sancti Donati. Fundum Paternionem, „ fundum Gignianum. Ex fundo Scandiliano „ uncias IV. Fundum Cryptulæ, fundum Mar „ cianellum per uncias IV. Fundum Apicia- „ num, in quo est Ecclesia Sancti Gordinari, „ fundum Scaplianum, fundum Testa, fun- „ dum Ceritum, fundum Alianum, fundum „ Turris, ubi est Ecclesia Sancti Laurentii. „ Ex fundo Pendigiano uncias II. Fundum „ Cæsarianum, fundum Ventilianum, fundum „ Fornicata cum trajecto suo, seu Gualdo in „ integrum pertinentibus. Ex fundo Germa- „ niciano uncias IX. ubi est Ecclesia Sancti „ Petri. Fundum Musileum; Fundum Cassia- „ num. Ex fundo Averriano uncias VI. Fun- „ dum Casulam; fundum Lavanianum; fun- „ dum Marcilianum; fundum Monatianum; „ fundum Fisinianum; fundum Canianum; „ fundum Lurignianum, fundum Balburia- „ num. Ex fundo Classicellæ uncias III. ubi „ est Ecclesia Sancti Petri. Ex fundo Fulinia- „ no uncias VI. ex fundo Rigiano uncias VI. „ ex fundo Pontianolo uncias VI. Fundum „ Perticatulæ; ex fundo Aurificis uncias VI. „ Fundum Pacilianum. Ex fundo Casiano „ uncias VI. in quo est Ecclesia Sanctæ Ju-

„ stæ. Fundum Mellianum, in quo est „ Ecclesia Sanctæ Eugeniæ. Ex fundo Fi- „ gniano uncias III. Ex fundo Cisternulæ un- „ cias VIII; ex fundo Occiano uncias VII. & „ semis. Fundum Olivolam, fundum Pontia- „ nellum; ex fundo Ursuli uncias IX. & scru- „ pulos III. Item ex fundo Bussuli unciam „ unam; ex fundo Macerulæ uncias VI; „ ex fundo Rufiani uncias III. in quo est „ Ecclesia Sancti Stephani; ex fundo Ma- „ cerulæ uncias IV; ex fundo Cassiani unciam „ unam. Ex fundo Rapiciani unciam unam & „ semis; ex fundo Mediana uncias II. Ex fun- „ do Marciani uncias II. & semis, ubi est Ec- „ clesia Sancti Victorini; ex fundo Prata un- „ cias III. ex fundo Argasiano uncias IV. ex „ fundo Catoniano uncias II. in quo est Ec- „ clesia Sanctæ Sabinæ; ex fundo Arsura un- „ cias IV. ex fundo Agellari uncias II. ex fun- „ do Latiniano uncias II. ex fundo Altariolo „ uncias II. ex fundo Argasiano tres partes de „ uncia, ex fundo Petiniano uncias II. ex fun- „ do Paptiano uncias IV. Ex fundo Domitia- „ no uncias IV. in quo est Ecclesia Sancti „ Stephani; ex fundo Cispiniano uncias III. „ ex fundo Cisiniani uncias IX. in quo sunt „ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, & Sancti Silvestri. „ Ex fundo Lacaniano unciam unam, ubi est „ Ecclesia Sancti Petri; ex fundo Begiano un- „ cias II. ex fundo Cipriano unciam unam, „ ubi est Ecclesia Sancti Calistrati; ex fundo „ Belgiani unciam unam, & semis. Fundum „ Catilianum; fundum Cryptulæ; fundum „ Montanianum; fundum Retianum, in quo „ est Ecclesia Sancti Abundii. Ex fundo Lam- „ niano uncias III. fundum Turianum, in quo „ est Ecclesia Sanctæ Mariæ; fundum Moria- „ nulæ; fundum Follianum, in quo est Ec- „ clesia Sancti Sabini. Ex fundo Monumenti „ Cupi uncias III. fundum Tervilianum. Ex „ fundo Prætoriolo uncias III. ex fundo Ser- „ viliano uncias III. ubi est Ecclesia Sancti „ Anthimi. Ex fundo Gabiniani uncias II. ex „ fundo Lavariani uncias . . . semis, ubi est „ Ecclesia Sancti Getulii. Ex fundo Leu- „ gianello uncias IV. fundum Aurianum, in „ quo est Ecclesia Sancti Laurentii. Ex fun- „ do Tulliani uncias III. ubi est Ecclesia San- „ cti Valentini; ex fundo Mucciani uncias III. „ Fundum Paternum, in quo est Ecclesia San- „ cti Valentini. Ex fundo Vassiano uncias VI. „ in quo est Ecclesia Sancti Victorini; ex „ fundo Cassiano uncias VI. in quo est Ec- „ clesia Sancti Cesigii. Ex fundo Oricignani „ uncias VI. in quo est Ecclesia Sancti Petri; „ ex fundo Silignano uncias III. ubi est Ec- „ clesia Sancti Angeli; ex fundo Graniano „ unciam unam. Fundum Nignianum, in quo „ est Ecclesia Sanctæ Helenæ; fundum Mal- „ lianum, in quo est Ecclesia Sancti Juvena- „ lis; ex fundo Atiani uncias III. ubi est Ec- „ clesia Sancti Petri; ex fundo Robe uncias „ VI. ex fundo Prætoriolo uncias VI. ubi est „ Ecclesia Sancti Sebastiani; ex fundo Usiani, „ qui & Hilianus vocatur, uncias VI. in quo „ est Ecclesia Sanctæ Anatoliæ; ex fundo Fe- „ clinulæ uncias VI. ubi est Ecclesia Sanctæ „ Victoriæ; ex fundo Paterno uncias VI. ubi „ est Ecclesia Sancti Victorini; ex fundo Sal- „ liano uncias III. ubi est Ecclesia Sancti „ Martini; ex fundo Curiliano uncias III. „ Fundum Forianum, in quo est Ecclesia „ Sancti Tolomei; ex fundo Jusiano uncias „ III.

,, III. ex fundo Aciliano unciæ semis. Seu & medietatem de Gualdo, qui dicitur Laurus; & medietatem de portione Probati Castaldi; ex fundo Paterno unciam unam & semis; ex fundo Valeriano unciæ semis, in quo est Ecclesia Sancti Martini; ex fundo Corviano uncias VI. ubi est Ecclesia Sancti Pancratii; ex fundo Bagiano terram modiorum VI. ex fundo Vorriano unciam unam & semis; ex fundo Lavigiano unciam unam & semis; ex fundo Vicarii uncias III. ex fundo Acutiano uncias VIII. in quo est Ecclesia Sancti Gregorii. Fundum Montianum, in quo est Ecclesia Sancti Angeli; fundum Farianum; fundum Paternum, positum in Variano, & in Tulliano; fundum Jussianum in integrum. Ex fundo Agelli uncias IX. fundum Sensianum, in quo est Ecclesia Sancti Anthymi; fundum Privatis; fundum Albucianum cum appendicibus suis. Gualdum Tancies in integrum per loca designata, sicut primitus ab ipso Monasterio possessum est. Fundum Findilianum uncias II. ex fundo Passiani uncias VI. ex fundo Antariani uncias VI. ex fundo Casæ-Surdæ uncias II. ex fundo Terviliani uncias VI. ex fundo Casa-Candidæ uncias VI. ex fundo Polliani uncias VI. ex fundo Bajani uncias VI. ex fundo Betusiani uncias VI. ex fundo Serviliani uncias IV. ex fundo Mussini uncias VII. ex fundo Seriolæ uncias III. ex fundo Mariani uncias VI. ex fundo Serviliani portiunculam unam; ex fundo Sisiani uncias VII. ex fundo Catiniani unciam unam; ex fundo Gaji mediam unciam; ex fundo Turriani uncias XI. ex fundo Bariani uncias XI. ex fundo Salisiani unciam; ex fundo Bastani, ubi est Ecclesia Sanctæ Mariæ. Fundum Corbonianum; fundum Luccianum, ubi est domus culta in integrum. Ex fundo Ariani uncias II. ex fundo Septiniani unciam unam & semis. Item ex fundo Septiniani uncias VII. Inter ea Casalem Pipinianum cum casis, & vineis, seu olivetis, & colonis, item Casalem Scandilianum per uncias VIII., necnon & Casaliculum, qui nominatur Antiquus. Ex Casale Antiano uncias VI. & olivetum in Proporaria, ad quorum vices suscepit Sancta nostra Ecclesia temporibus *Domni Adriani Papæ* à suprascripto Venerabili Monasterio tuo commutationis nomine, idest in Casale Flaviano uncias II. & semis. Item Casalem Canopum in integrum cum casis, vineis, olivetis, atque colonis. In Casale Ortisano uncias IV. in Casale Argasiano uncias III. in Casale Cæsariano uncias VI. in Casale Fabriciano unciam unam; in Casale Valeriano uncias II. in Casale Secundiliano uncias VI. Utrosque verò Casales cum domibus, vineis, olivetis, atque colonis tantùm, qui à prædecessore nostro *Domno Adriano Papa*, dati sunt, quoque recepti. Nunc autem prænominatos fundos, vel uncias suprascriptorum fundorum, seu Ecclesias, casas, vineas, prata, silvas, salicta, rivos, aquas, necnon aquæmolas, oliveta cum vineis, appendicibus suis, & colonis, atque familiis ad eos generaliter in integrum pertinentibus, sicut à prædecessorum nostrorum Patrum per Privilegia sanctæ recordationis *Domni Adriani quondam Papæ* eidem Venerabili Monasterio confirmata sunt, auctoritate; & sicut primitus, & nunc ab ipso Venerabili Monasterio possessa sunt, permanenter à præsenti Decima Indictione, tuæ religiositati, tuisque Successoribus Abbatibus Sancti Monasterii in perpetuum concedimus detinendum. Sub ea videlicet ratione, ut omnibus diebus vitæ vestræ dum ipsum constiterit Venerabile Monasterium, quotidianis diebus, quando cantilenam perficitis in eodem Sancto Monasterio, pro remissione peccatorum nostrorum centum *Kyrie eleison* exclamare studeatis. Hos verò omnes prædictos fundos, vel uncias existentes ex corpore patrimonii nostri Sabinensis juris Sanctæ Romanæ (cui Deo auctore deservimus) Ecclesiæ, habentes, ita sanè, ut à te, tuisque Successoribus Abbatibus Sancti Monasterii singulis quibusque Indictionibus pensionis nomine rationibus (38) Ecclesiasticis X. auri solidi persolvantur, difficultate postposita omni, quæ indigent defensione; seu meliorare prædicta loca indifferenter vos sinè dubio procuretis efficaciter; nullaque prætereà ad dandam annuè pensionem à vobis mora proveniat; sed Actionariis Sanctæ nostræ Ecclesiæ apto tempore persolvatur. Statuentes Apostolicâ censurâ sub anathematis interdictione, & divini judicii obtestationibus, nulli umquam liceat nostrorum Successorum Patrum, vel aliæ magnæ, parvæque personæ, ex ipsis locis, fundis, & Casalibus, quæ à prædicto Domno Adriano Papa data sunt, & à nobis confirmata, sicut superiùs legitur, in integrum in usu & utilitate sancti Monasterii, penitus auferre, aut ex eisdem venerabilibus locis jure alienare; sed nec ullam violentiam jacturæ ibidem inferre præsumat; potiùs autem omnia hæc superiùs annexa sub annua sanctæ nostræ Ecclesiæ persolvenda pensione, nec non & centum *Kyrie eleison* pro nostris facinoribus exclamandum, sic per hujus nostri Privilegii paginam ac auctoritate Domini nostri Beati Petri Principis Apostolorum sub jure & ditione ipsius Monasterii perenniter permanenda confirmamus, ad laudem Redemptoris nostri Domini pro substentatione Monachorum, illic ejus Matris Dominæ nostræ servientium clementiæ, quatenus hoc beneficium ipsius Dei famuli adepti, nostri memores in suis existant crebris orationibus, ipsum Deum centum *Kyrie eleison* exorando. Hæc verò omnia à nobis corroborata in perpetuum immutilata permanenda sancimus. Si quis autem (quod non optamus) temerator exstiterit de his, quæ à nobis pia consideratione confirmata sunt, sciat se Domini nostri Principis Apostolorum Beati Petri auctoritate anathematis vinculo innodatum, & cum Diabolo, & omnibus teterrimis pompis ejus, atque cum Juda traditore Domini nostri Jesu Christi in æternum inextinguibili igne colligatum. Porrò qui custos & observator extiterit hujus nostræ Apostolicæ institutionis, quæ à nobis in ipso venerabili Monasterio concessa est, benedictionis gratiam, vitamque æternam à misericordissimo Deo nostro coram Sanctis omnibus mereatur.

,, Scri-

(38) An potius *Rationalibus*, aut *Actionariis*, ut infra?

„ Scriptum per manus Criſtophori Scriniarii in Menſe Januario Indictione X. Bene valete. Datum X. Kalendas Februarii per manus Theodori Nomenclatoris Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, imperante *Domno Ludovico piiſſimo Auguſto* à Deo coronato magno pacifico Imperatore Anno III. & Patriciatus ejus Anno III. Indictione X.

Libet autem legentium, vel audientium hoc ſupraſcriptum Privilegium admonere induſtriam, ne moveantur in hoc, quod ſub tributo penſionis huic Monaſterio conceſſum fuerit, & contra antiquæ ejus jura libertatis aliquid ſuſpicentur. Quoniam non multò poſt *Lotharius Imperator* correxit, & coram Succeſſore ejuſdem Stephani, videlicet *Paſchale Pontifice*, & Optimatibus, ſive Judicibus Romanis, aliquid dum declarare ſtuduit, quòd nulla ratione hoc Monaſterium Romanæ Eccleſiæ dare debeat aliquam penſionem. Tunc quoque idem Domnus ac venerabilis *Paſchalis Papa*, hoc procul dubio cognoſcens, Privilegium ſuum inferiùs deſcriptum huic Monaſterio totius libertatis emiſit, & penſionem nullo modo aliquam ab eo exegit.

Paſchalis I. Papæ Bulla, qua Farfenſi Monaſterio, ejuſque Abbati Ingoaldo, jura omnia ac Privilegia confirmat.
Anno 817.

„ PAſchalis Epiſcopus Servus Servorum Dei dilecto in Chriſto filio *Ingoaldo Abbati Monaſterii Sanctæ Mariæ, quod ponitur in Farfa* in loco, qui nominatur Acutianus, tuiſque ſucceſſoribus in perpetuum. Cum magna ſolicitudine nobis inſtat cura pro univerſis Dei Eccleſiis ac bonis locis vigilandi, ne aliquam neceſſitatis jacturam ſuſtineant, ſed magìs propriæ utilitatis ſtipendia conſequantur. Ideo convenit, nos paſtorali tota mentis aviditate eorumdem venerabilium Locorum maximæ ſtabilitatis integritatem procurare, & ſedulè eorum utilitatum ſubſidia illic conferre, ut Deo noſtro omnipotenti id, quod pro ejus ſancti nominis amore, & laude, atque gloria ejus divinæ Majeſtatis, ejus venerabilibus nos certum eſt contuliſſe locis, ſitque acceptabile nobis, quæ ad ejus locupletiſſimam miſericordiam digna hujuſmodi pii operis in ſidereis conferatur arcibus remuneratio. Igitur quia petiſtis à nobis, quatenus ex noſtra largitate, noſtroque dono concederemus veſtræ religioſitati, Monaſterii veſtri confirmationem, eorumdemque bonorum, quæ habet amodo, & habiturum erit in perpetuum: confirmamus autem vobis, veſtriſque ſucceſſoribus caſtella & villas, campos & ſilvas, prata & aquas, vineta, & oliveta, & aquimolas, cum univerſis appendicibus, vel omnibus ad eos generaliter & in integrum pertinentibus, ſicuti primitus & nunç ab ipſo venerabili Monaſterio poſſeſſa ſunt, tam in Comitatu Sabinenſi, nec non & Narnienſi, ſive in Comitatu Reatino, vel Furconino, Aſculano, Firmano, Aprutienſi, & Pinnenſi, & Balbenſi, & Teatino, Romano etiam, & Thuſcano, omneſque adjacentias eorumdem Monaſteriorum, atque pertinentias cum omni integritate concedimus detinenda, tam ea, quæ modò jure poſſidetis, quàm ea quæ in futuro largiente Domino poteritis acquirere tu & ſucceſſores tui, ſicuti per privilegia ſanctæ recordationis *Domni Adriani quondam Papæ* eidem venerabili Monaſterio confirmata ſunt, permanenda. Confirmamus autem vobis, veſtriſque ſucceſſoribus in perpetuum oblationes, decimationes, veſtraque ditione colligendas oblationes mortuorum, à cunctis recipiendas, & à nullis interdicendas. Nullus autem Epiſcopus audeat ſynodare vel excommunicare Monachum vel Clericum ipſius Monaſterii, quos prædicto Abbati ſuiſque ſucceſſoribus concedimus monendos & conſtringendos, à præſenti decima Indictione, tuæ religioſitati, tuiſque ſucceſſoribus veſtri Monaſterii in perpetuum concedimus detinenda. Statuentes quippe Apoſtolicâ cenſurâ ex auctoritate Beati Petri Apoſtolorum Principis, ſub divinis obteſtationibus & anathematis interdictionibus, ut nulli umquam noſtrorum ſucceſsorum Pontificum, vel aliæ cuilibet magnæ parvæque perſonæ, ipſa prænominata loca, vel inſuper auxiliante Deo acquiſita, & ſicuti ſupra ſunt inſtituta, à poteſtate & ditione veſtra, veſtrorumque ſucceſſorum ac veſtri Monaſterii quoquomodo liceat auferre, vel alienare. Si quis autem temerario auſu magna parvaque perſona contra hoc noſtrum privilegium agere præſumſerit, ſciat ſe anathematis vinculo eſse innodatum, & à Regno Dei alienum, & cum omnibus impiis æterno incendio ac ſupplicio condemnatum. At verò qui pio intuitu curator & obſervator hujus noſtri privilegii exſtiterit, gratiam, atque miſericordiam vitamque æternam à miſericordiſſimo Domino noſtro conſequi mereatur in ſecula ſeculorum: Amen.

„ Scriptum per manus Chriſtophori Scriniarii ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, in menſe Februario, Indictione ſupradicta Decima. Bene valete.

„ Dat. Kal. Februarii per manus Theodori Nomenclatoris ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, imperante Domno Hludovico piiſſimo perpetuo Auguſto à Deo coronato magno pacifico Imperatore Anno III. Indictione Decima.

Huic autem Domno Ingoaldo Abbati, ſive in hoc Monaſterio, donata eſt ab Hilderico Caſtaldio quædam Caſa ſuper muros civitatis Reatinæ, & Turris cum caſa veteri in capite ejus. Et à quodam Joanne Sculdaſio Eccleſia Sancti Joannis in Aſere ſuper Salariam publicam; & ab Octeramo Notario quædam portio Caſalis Oleti in Maſsa Interoina ſuper Sextunum, & de Eccleſia Sanctæ Juſtæ, pretio ſibi placito exinde accepto. Et ab Hilderico Reatino Eccleſia Sanctæ Agathes ad Arces. Et à quodam Joanne terra & vinea in Aſera cum prato longo. Et à quodam Spoletano, quædam res ad Sanctum Stephanum in Carſule. Et à Teudiperto Caſtaldio retradita & reſtituta eſt Curtis in Picte in hoc Monaſterio, *Guinichiſio Duce* jubente; & à Miſſis *Domni Hludovici Imperatoris* res Pauli (39) & Taxillæ conjugis ejus, videlicet caſæ XIII. in Maſsa Ami-

(39) Quando Chronographus noſter innuere tantum, non vero adferre voluit monumentum hoc, illud ego depromtum ex Annalibus Benedictinis Mabillonii V. C. adjiciam, utpote ad eorum temporum ritus illuſtrandos valde accommodatum. En ejus verba.

Amiterniana, & in Massa Ciculana, & molinum suptus portam Reatinam, & silva de Felecto, & pratum in Lingla. Et à *Leone Vasso Lotharii Imperatoris* Curtis Sanctæ Mariæ in Nanciano in finibus Mertulæ. Ipsis temporibus investiti sunt Monachi hujus Monasterii de Curte Aciano, quæ fuit Scaptolfi. Et de Curte in Plagis loco, qui dicitur Brezenanus; &

Placitum ac Judicatum Nursiæ habitum à Missis Ludovici Pii Augusti, ubi Ingoaldo Abbati Farfensis Cœnobii quædam bona adjudicantur, sive restituuntur, antea Regio Fisco per Guinigisum Ducem Spoletanum adjecta.

Anno 821.

„ DUm à pietate Domni præcellentissimi & à Deo conservati Ludovici magni Imperatoris, à finibus Spoletanis directi fuissemus nos *Aledrannus Comes*, & *Adelardus*, seu *Leo*, Vassi & Missi ipsius Augusti ad singulorum hominum causas audiendas & deliberandas, conjunxissemus Nursiæ, residentibus nobis ibidem in judicio unà simul cum *Guinigis*, & *Gerardo Ducibus*, *Sigoaldo*, *Magio*, *Hittone*, & *Liutardo Episcopis*, *Ingoaldo*, & *Guipperto Abbatibus*, Vassis, Castaldis, & aliis plurimis, retulit nobis ipse Ingoaldus Abbas cum Audulfo Advocato Monasterii ejus Sanctæ Mariæ, sito in Acutiano: *Præterito anno, quando fui in servitio Domini Imperatoris Franciæ, suggessi ejus excellentiæ, eo quòd quidam homo nomine Paulus cum conjuge sua Tassila se obtulit in Monasterio nostro Sanctæ Mariæ, & cum rebus suis, & habuit per præceptum Hildeprandi Ducis concessas res in finibus Spoletanis, & vivente ipso Paulo, & post ejus mortem ipsas res pars Monasterii nostri habuit usque illam diem, quas iste Guinigis ipsas res à parte ipsius Monasterii tollere fecit injustè per Hildericum Castaldum suum de Reate. Tunc præcepit iste Princeps Rhotardo & Nortperto Episcopis, seu isti Leoni, ut causam ipsam inquirerent, & legibus judicarent. Et cùm conjunxissent Spoleto, cepit querere iste Audulfus Advocatus meus, quòd iste Guinigis injustè ipsas res ad regiam partem invasisset, Tunc dixit iste Guinigis, quòd per ipsa præcepta, quæ Hildeprandus in eumdem Paulum de ipsis fecerat rebus, habere non potestis. Iterum ostendimus Præceptum confirmationis Domini Ludovici, qualiter ipse pro sua eleemosyna in ipso Monasterio concesserat, tam præcepta regalia seu Ducum, quæ ipsis hominibus, qui in ipso Monasterio ad salvandas animas intraverunt, facta sunt. Et cùm ipse Guinigis hoc vidisset, dixit, quòd nihil Paulus de suis rebus potestatem habuisset dandi, & quòd forfactus de omnibus suis esset rebus, eo quòd quando in hostem in Beneventum ambulare debuit, quando Dominus Imperator cum germano suo Domino Pipino illic fuit* (a), *sinè comitatu* (b) *de Fauro reversus est, & testimonia exinde ramivit, & talia dare non potuit, qualia ramita habuit, & qualia exinde dedit in præsentia Rhotardi, & Nortperti Episcoporum, seu ipsius Leonis, nullum proficium testificati sunt. Unde quærimus, ut nobis justitiam fieri jubeatis, sicut tibi Leoni Dominus Imperator in verbis commendavit; & ecce indiculum Domini Imperatoris vobis exinde directum.* Et cùm nobis illud relegi fecissemus, continebatur in eo, qualiter jusserit ipse Princeps suprascriptis Aledranno & Leoni, ut sinè mariotione (c) ei de omni causa, quam cum Guinigis habebamus, & mota fuerat, vel inquisita, in præsentia suprascriptorum Rothardi & Nortperti Episcoporum, vel aliorum hominum plenam justitiam facere jussissemus, ut ad ejus aures ampliùs ei exinde non fuisset opus inquietare. Relecto hoc indiculo, recordatus est ipse Leo, ut superiùs ipse Ingoaldus Abbas & Audulfus asseruerant, & breve de illis testimoniis, quæ Guinigis exinde dedit relegi. Et cùm relectum fuisset, continebatur in eo, qualiter testificaverunt Reginardus homo Franciscus, Hitto, & Deodatus, quòd quando Dominus Ludovicus cum germano suo Pipino fuit in hoste in Benevento, tunc Paulus fuisset reversus à Fauro, & introisset in Monasterio cum rebus suis, & si exinde cum comitatu aut sinè comitatu reversus fuisset, nescirent; & quando ipsæ res ad Regiam partem sublatæ fuissent, aut pro qua culpa, nescirent, & dixerunt, quòd plus exinde nescirent, nec dicerent. Deinde fecimus nos Missi relegi chartulam ipsam, qualiter Paulus cum ipsa conjuge sua suas res per nominata loca in ipso contulisset Monasterio & tradidisset. Iterum & fecimus nobis relegi præceptum, quod *Hildeprandus Dux* in eumdem Paulum emiserat, ubi continebatur, qualiter donaverat ei casas tredecim, novem positas in Massa Amiternina, & in Massa Eciculana quatuor, & Molinum unum subtus Porta Reatina, & Silvam de Felecto, & Pratum in Lingla, & in Amiterno Pratum modiorum sex, & Mancipium nomine Dominica. Aliud præceptum ab ipso Hildeprando eidem Paulo emissum, qualiter concesserat ei casas duas in Amiterno. Tertium præceptum, qualiter donavit eidem Pauloni casalem unum ad Fossas, qui pertinet ad Gualdum Patianum. In Massa Eciculana & Molinum unum in Amiterno cum Molinario suo in Asenano; ipsas suprascriptas casas cum integritate sua, & familiis ad eas pertinentibus. Deinde fecimus relegi illud præceptum confirmationis *Domni Ludovici Imperatoris*, qualiter in ipso Monasterio præcepta Ducum confirmaverat, quæ illis hominibus emissa fuerant, qui in ipsum Monasterium animas suas salvandas introierunt. Et cùm relecta fuissent, interrogavimus ipsum *Guinigisum Ducem*, per qualem rationem res Pauli, aut ejus conjugis ad Regiam partem defendere vellet, aut forsitan haberet ampliùs exinde testes, qualiter ipsas res defendere posset; qui dixit: *Certè de istius confirmationis præcepto Domni Imperatoris antea nescivi, & testes ampliùs exinde non habeo, nec invenire possum, & per nullam rationem ipsas res ad regiam partem tenere possum cum lege, nisi pro eo solummodo quòd ipsas res ad Regiam partem recolligere feci, sicut alias res aliorum hominum, quas per præcepta Ducum habuerunt, & sicut commendatum mihi fuit à Domno Carolo Imperatore.* Professione hac facta, juxta qualiter nobis indiculum à Domno Imperatore venerat, & juxta ipsa præcepta, vel illius confirmationis præceptum Domni Imperatoris, & secundùm illam cartulam, quam ipse Paulus cum conjuge sua in ipso fecerat Monasterio, fecimus revestire exinde ab eodem Guinigiso Duce prædictum Ingoaldum Abbatem, & Audulfum ejus Advocatum de ipsis rebus prædicti Pauli & conjugis ejus, quas ad regiam partem tenebat, ad partem ipsius Monasterii Sanctæ Mariæ; & Missos ejus deputavit Joseph, & Sigifrid, seu Theodipertum Castaldos, qui eos in ipsas res intromitterent. Et finitum est; unde qualiter actum, & deliberatum est; præsentem notitiam pro securitate ipsius Monasterii fieri admonuimus.

„ Et ego quidem Paulus Notarius Domni Regis scripsi Anno Imperii Domni Ludovici VIII. mense Augusto, Indictione XIV. feliciter.

„ Signum manu mea suprascripti Aledranni Missi, qui interfui.

„ Signum manu mea suprascripti Adelardi Missi, qui interfui.

„ Leo Missus Domni Imperatoris concordans subscripsi.

„ Ego Sicualdus Episcopus interfui.

„ Ego Hitto Episcopus interfui.

„ Ego Liutardus Episcopus interfui.

„ Ego Fromaldus subscripsi.

„ Ego Maximus interfui.

„ Ego Acerisius Castaldus interfui.

„ Signum suprascripti Guithelmi Saliqui, qui ibi fui.

(a) Scilicet Anno 793. ut habent Annales Francorum.

(b) Fortasse *commeatu*: nunc dicimus *senza commiato*.

(c) Scribe *marritione*, hoc est sine detrimento aliquo, aut potius sine aliqua dilatione.

& de Curte in Buniano, quæ fuit Leonis Castaldii. Et facta est commutatio cum quodam Petro prope Vicum Palentianæ duarum petiarum vineæ perticarum CXXXI. Et in Valle Tybæ à quodam Audulfo donata est in hoc Monasterio terra modiorum centum. Et in Cordale subtus montem Sancti Maroti, & in Caneria ad Campum-gelatum, & pratum in Lingla. Et revicit præfatus Domnus Abbas Ingoaldus in Placito Curtem Sancti Abundii in territorio Camertulo, & casas, atque casarinas novem in Anguliano.

Dum (40) verò *Joseph Episcopus*, & *Leo Comes Missi Domni Ludovici Imperatoris* reside-

---

(40) Charta illius Placiti, e Chartario Farfense descripta, jam antea a celeberrimo P. Mabillonio in Annal. Benedictin. Tom. II. pag. 736: atque ab aliis edita fuit, eamque ut huic loco addam, tum locus poscit, tum eruditæ gentis commodum. En ergo illam.

Placitum Romæ in Lateranensi Palatio habitum coram Missis Ludovici Pii Augusti, & Gregorio IV. Papa, ubi agitatur lis de quibusdam Curtibus inter ipsum Romanum Pontificem, & Ingoaldum Abbatem Monasterii Farfensis.
Anno 829.

„ Dum à pietate *Domni & à Deo coronati Ludovici Magni Imperatoris*, à finibus Spoletanis seu Romania directi fuissemus nos *Joseph Episcopus* & *Leo Comes Missi ipsius Augusti* singulorum hominum causas audiendas & deliberandas, & conjunxissemus Romæ, residentibus nobis ibidem in judicio, in Palatio Lateranensi, in præsentia *Domni Gregorii Papæ*, & unà simul nobiscum aderant *Leo Episcopus & Bibliothecarius S. R. E. Theodorus Episcopus*, Sirinus Primicerius, Theophilactus Numiculator, Gregorius filius Mercurii, *Petrus Dux de Ravenna, Ingoaldus, & Aceris Abbates*, Alboinus, Lanfridus, Emmo, & Maximus Vassi Domini Imperatoris, Gastaldi, & alii plures: ibique veniens ipse Ingoaldus Abbas Monasterii Sanctæ Mariæ, quod est situm Sabinis in loco, qui nuncupatur Acutianus, cum Adulfo Advocato suo, retulit nobis, quòd Domnus Adrianus & Leo Pontifices per fortia invasissent res ipsius Monasterii, idest Curtem Corvinianum, & Curtem Sancti Viti, quæ est in Parmis, seu & Curtem Sanctæ Mariæ, quæ est in Vico-Novo, & Curtem in Bariliano, & Curtem, quæ dicitur Pontiana, cum rebus & familiis & omnibus ad eos pertinentibus; *unde tempore Stephani, Paschalis, & Eugenii semper reclamavimus, & justitiam minimè invenire potuimus: modò si vobis placet, judicate nobis exinde justitiam, sicut Domnus Imperator in verbis vobis mandavit.* Nos autem qui supra Missi & Judices talia audientes præsente Domno Apostolico interrogavimus Advocatum ipsius Domni Apostolici S. R. E. nomine Gregorium, quid exinde dicere voluisset; at ubi respondebat ipse, dicendo: *istas prædictas Curtes, quas vos dicitis, nos tenemus ad partem S. R. E. sed non contra legem, & ad partem Monasterii Sanctæ Mariæ nihil pertinuerunt.* Nos verò qui supra Missi & Judices talem responsum audientes, interrogavimus jam dictum Ingoaldum cum Audulfo Advocato suo, si aliqua pertinentia aut testes de ipsis prædictis Curtis haberent, qui respondentes, dixerunt, *quia & monimina & testes exinde habemus, & præsentialiter ostendimus*; & ipsa monimina præ manibus ostenderunt: & cùm ipsa monimina relegi fecissemus, continebatur in eis, qualiter *Ansilberga Abbatissa Monasterii Sancti Salvatoris de Brixia* ipsas Curtes in suo Monasterio Sanctæ Mariæ per ipsa monimina delegaverat, quæ *Teudicius Dux* idem Ansilbergæ de ipsis Curtibus emiserat, & munimina, qualiter *Ansa Regina* Curtem Sancti Viti à *Teutone Episcopo Reatinæ civitatis* in concambium acceperat, & postea eidem Ansilbergæ filiæ suæ donaverat, & Præceptum *Desiderii Regis*, seu *Domni Caroli Imperatoris*, qualiter ipsas Curtes cum rebus & familiis & cum omnibus ad eas pertinentibus in ipso sancto Monasterio confirmaverant. Ubi respondebat ipse Gregorius Advocatus jam dicti Pontificis, & dicebat: *non est verum, quòd istas prædictas Curtes ad partem Monasterii Sanctæ Mariæ per ista monimina habuissetis vel tenuissetis.* Ad hæc respondebat prædictus Ingoaldus Abbas cum Audulfo Advocato suo, & dicebat; *quia per ista monimina ipsas Curtes ad partem Sanctæ Mariæ tenuimus, usque dum præfati Pontifices per fortia eas tollere fecissent, & testimonia exinde habemus, qui sicut qualiter ad partem Sanctæ Mariæ pertinuerunt, & possessa fuerunt, & qualiter per fortia nobis tolta sunt.* Nos qui supra Missi & Judices dum talem altercationem inter eos audissemus, reguadiare eos fecimus, & fidejussores ponere uterque secundùm Legem suam, ut alia die in judicio ante nos parati essent. Alia verò die, dum simul convenissemus in supra scriptum Lateranense Palatium in præsentiam jam dicti Pontificis, venit prædictus Ingoaldus Abbas cum Audulfo Advocato suo: dixit: *Domini, ecce nos parati in vestris præsentiis cum ipsis testimoniis, sicut inter nos guadiare fecistis.* Et cùm ipsa testimonia ante nos venire fecissemus, interrogavimus: *quæ sunt nomina eorum?* Qui dixerunt, *Hitto, Gradolfus, Guaspertus de Reate.* Iterum interrogavimus eos, si voluissent de ipsa causa testimonium reddere, aut non, aut si aliquid de ea scirent; illi verò dixerunt: *istam causam bene scimus, & testimonium reddimus.* Deinde interrogavimus Gregorium Advocatum ipsius Pontificis, si aliquid contra ipsa testimonia dicere voluisset: ipse verò respondit: *Contra ipsa testimonia nihil contrarium dicere volo, nec possum, quia boni homines mihi esse videntur.* Iterum fecimus venire Joseph Castaldum ipsius civitatis Reatinæ, & alios bonos & veraces homines in eadem civitate commanentes, & interrogavimus eos per ipsum sacramentum, quod Domno Imperatori factum habebant, si ipsi testes suum testimonium affirmare potuissent, an non. Qui respondentes dixerunt: *per ipsum sacramentum Domino Imperatori factum habemus, quia isti homines boni & veraciores sunt, & suum testimonium ante Dominum Imperatorem & ante nos affirmare possunt.* Tunc nos jam dicti Missi & Judices talia audientes fecimus eos secundùm legem separare, & Evangeliis positis juraverunt. Primus ita dixit, *quia ego scio, & bene memoror, quoniam tempore Longobardorum, & postea tempore Domni Caroli Imperatoris ipsas prædictas Curtes ad partem Monasterii Sanctæ Mariæ tenere, & memoror ibi Præpositos Johannem & Petrum & Christianum Monachos de ipso Monasterio, usque dum per fortia Adrianus Papa, & Leo ipsas Curtes de ipso Monasterio tollere fecerunt.* Gradolfus similiter dixit. Guaspertus similiter dixit. Deinde fecimus jurare homines bonos & veraciores duodecim, & hæc sunt nomina eorum, Johannes Clarissimus, Musio, Teuto, Castinus, Audacius, Alboinus, Medius, Gualipertus, Constantinus Notarius, Petrus, Fratellus, Hildericus Scavinus. Et fecimus eos jurare, & interrogavimus eos, quid de ipsa causa scirent, & ipsi similiter dixerunt. Postea Adolfus Advocatus ipsius Monasterii juravit, dicens: *per ista Sancta quatuor Evangelia, quia sic ut isti testes dixerunt, sic fuit verum.* Nos qui supra Missi & Judices talia audientes, rectum comparuit, & judicavimus, ut ipse Gregorius Advocatus Domini Apostolici seu S. R. E. retradere debuisset ipsas Curtes Audulfo Advocato ad partem ipsius Monasterii Sanctæ Mariæ: quod facere noluit; verùm etiam & ipse Domnus Apostolicus dixit, nostro judicio se minimè credere, usquedum in præsentia Domni Imperatoris nobiscum simul veniret. Cùm talia nobis Domnus Apostolicus renuntiasset, pro firmitate jam dicti Monasterii Brevem exinde facere jussimus, ut in futuris temporibus per possessionem ipsum sanctum Monasterium easdem Curtes minimè perdere debuisset. Hæc autem inquisitio

„ facta

siderent in judicio Romæ in Palatio Lateranensi in præsentia *Domni Gregorii Papæ*, ibique adesset *Leo Episcopus*, & *Bibliothecarius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ*, & *Theodorus Episcopus*, Cirinus Primicerius, Theophilactus Nomenculator, Gregorius filius Mercurii, & *Petrus Dux de Ravenna*, & alii plurimi: vênit Domnus Ingoaldus Abbas hujus Monasterii cum Audulfo Advocato, & retulit: quòd *Domnus Adrianus*, & *Leo Pontifices* per fortiam invasissent res istius Monasterii, idest Curtem Corvanianum, & Curtem Sancti Viti, quæ est in Palmis, & Curtem Sanctæ Mariæ in Vico-novo, & Curtem in Bariliano; & Curtem Pontianam cum rebus & familiis. Unde tempore *Stephani*, *Paschalis*, & *Eugenii* semper reclamaverat, & justitiam minimè invenire poterat. Tunc ipsi Missi, & Judices, quibus Domnus Imperator in verbo mandaverat, ut de hoc facerent justitiam, præsente Domno Apostolico interrogaverunt Advocatum ipsius Apostolici nomine Gregorium, quòd exinde diceret. Qui dixit, quòd ipsæ Curtes huic Monasterio nihil pertinerent. Deinde Advocatus hujus Monasterii ostendit monimina ex ipsis, & continebatur in eis, qualiter *Ansilberga* (41) *Abbatissa Monasterii Sancti Salvatoris de Brixia* easdem Curtes in hoc Monasterio per ipsa monimina delegaverat; Et aliud monimen, quod *Teudicius Dux* eidem Angilbergæ de ipsis Curtibus omiserat, & quòd *Ansa* (42) *Regina* Curtem Sancti Viti à *Theutone* (43) *Episcopo* in concambium acceperat, & eidem Ausilbergæ filiæ suæ donaverat; Et præceptum *Desiderii Regis*, & *Domni Caroli Imperatoris*, quibus ipsas Curtes cum omnibus ei pertinentibus in hoc Monasterio confirmaverant. Tunc supradicti Missi, & Judices eos reguadiare fecerunt, fidejussores utriusque secundùm legem suam ponentes, & ut de alia die ad idem placitum redirent, jusserunt. Et sic vênit Domnus Abbas, & ejus Advocatus unà cum testimoniis, quorum nomina sunt, Guandolfus, Guaspertus de Reate, qui sic testificati sunt ut relatum est. Contra quæ prædictus Advocatus Pontificis, nihil contrarium dixit, nec potuit, quia boni homines visi sunt ei. Iterum vênit Joseph Castaldus Reatinus cum bonis & veracibus hominibus, & interrogati per sacramentum, quod Domno Imperatori fecerant, testimonium supradictorum virorum laudaverunt, & quòd bene in omnibus recipi possent, affirmaverunt. Et seorsum interrogati sunt; quorum primus ait: *Ego scio, & bene memoror, quoniam tempore Langobardorum, & Domni Caroli Imperatoris, ipsas Curtes ad partem Monasterii vidi, & recordor ibi Præpositos Johannem, & Petrum, & Christianum Monachos ipsius Monasterii, usque dum per fortiam prædicti Pontifices exinde tollere fecerunt*. Similiter reliqui dixerunt. Deinde venerunt boni & veraciores homines XII. idem Joannes, Clarissimus, Messio, Teuto, Castinus, Audacius, Alboin Medicus, Gualipertus, Constantinus Notarius, Petrus, Fratellus, Hildericus Scabinus. Hi omnes interrogati, quod de ipsa causa scirent, similiter dixerunt. Post hæc Audulfus Advocatus juravit dicens. *Per ista Sancta quatuor Evangelia, quia sicut isti testes dixerunt, sic fuit verum*. Hæc supradicti Missi, seu Judices audientes, judicaverunt, ut Gregorius Advocatus Pontificis retraderet ipsas Curtes Audulfo Advocato ad partem hujus Monasterii: quod facere noluit. Sed & ipse Apostolicus dixit: nostro judicio se minimè credere, usque dum in præsentia Domni Imperatoris simul venirent. Idcirco autem hoc breve factum est, ut in futuris temporibus per possessionem hoc Monasterium ipsas Curtes minimè perdere debeat.

Domnus autem Hludovicus Imperator Augustus huic Monasterio, eodem Domno Abbate Ingoaldo petente, dona contulit per sua Præcepta plurima & utillima. Nam in uno constituit Præcepto, ut ubicumque contentio de rebus huic Monasterio pertinentibus exorta fuerit, qui judiciariam potestatem habent, sic illam inquirant sicut Regiam & Imperialem causam, & semper per meliores & veracissimos, qui in vicinioribus locis fuerunt, investigetur, & ubicumque per bonorum hominum testimonium rei veritas inventa fuerit, neque hoc ulla difficultas impedit, statim hujus Monasterii pars recipiat justitiam suam, & ea tantùm differantur, quæ propter conviguitatem diffiniri non possunt. Et in alio Præcepto concessit huic Monasterio gualdum unum in finibus Reatinis, qui nuncupatur Rivus Curvus, cujus termini sunt à silva ejusdem gualdi, & inde recto . . . . Veterana . . . . Saffoli, deinde al Collem-Altum, & ex hinc recto limite ad Titulos, exinde ad pratum Barosi, inde ad Actegiam, deinde super Serram suptus Rugiani, & recta linea ad Rivum, & recto itinere ad Trissilem, deinde ad Confinium. Et in alio Præcepto confirmavit Cellam Sanctæ Mariæ in Apinianici, & Curtem Sancti Leucii prope ipsam, & Curtem Sanctæ Mariæ Transaquæ, quæ sunt in territorio Marsicano. Et in alio Præcepto (44) constituit, ut si Mo-

„ facta est per Joseph Episcopum, & Leonem
„ Comitem Missos Imperiales. Quam quidem
„ & ego Paulus Notarius scripsi Anno Imperii
„ Domni Ludovici XVI. mense Januario per
„ Indiction. VII. Romæ feliciter.
„ Ego Joseph Episcopus, & Missus Domini
„ Imperatoris in iis actis interfui, & manu
„ mea ss.
„ Ego Leo Missus Domini Imperatoris concordans subscripsi.
„ Ego Heleutherius Vassus Domini Imperatoris ibi fui.
„ Ego Probatus ibi fui.
„ Ego Immo Vassus Domini Imperat. ibi fui.
„ Ego Lanfridus Vassus Domini Regis ibi fui.
„ Ego Acerisius Abbas interfui.
„ Ego Brunipertus ibi fui.
„ Ego Maximus ibi fui.
„ Ego Statius ibi fui.
„ Ego Campo ibi fui.
„ Ego Lautbertus Saliquus ibi fui.
„ Ego Alboinus Gastaldus ibi fui

(41) Filia Desiderii Langobardorum Regis, ac prima Abbatissa celeberrimi Monasterii Sanctae Juliae Brixiensis.

(42) Scilicet uxor Desiderii Regis.

(43) *Theutono*, sive Teutone Episcopo Reatinae Civitatis.

(44) Rem gratam nobis Chronographus iste praestitisset, si & Diploma hoc in suum Librum intulisset. Sed quando illud idem nobis servavit Clariss. Mabillonius in Annal. Benedictinis, ipsummet revocare huc in Lectoris gratiam non incongruum puto. Ita vero se habet.

Præceptum Ludovici Pii Augusti, ut Ingoaldo Abbati Farfensi recipere liceat Monachos & Oblatos Monasterii sui fugaces, ubicumque reperti fuerint, Anno 820.

„ IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri
„ Jesu Christi. Ludovicus divina ordinante
„ providentia Imperator Augustus omnibus
„ Epi-

Monachi, vel secundùm Regulam Sancti Benedicti Offerti Sanctæ Mariæ, quos Abbas ordinaliter providere debet, fuga lapsi per Episcopia, & certa Monasteria, sive per diversa loca perrexerint, ubicumque eos invenerit, tam ipse, quàm & Missi sui præsentialiter recipiant, absque alicujus dilatione vel contrarietate. Et qui aliter agere voluerit, in præsentia Regali vel Imperiali in rationes adveniant. Et in alio Præcepto confirmavit Præcepta & confirmationes Regum Longobardorum *Ratigisi*, *Haistulfi*, *& Desiderii*, & Præceptum *Domini & Genitoris ejus Caroli*, atque Privilegia *Pontificum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Adriani*, *Stephani*, *& Paschalis*, per quæ Pontifices omnes res in territorio Sabinensi, sive in Romania, huic Monasterio pertinentes, nominatim per singula loca atque vocabula confirmaverunt. Insuper & res, quas devoti homines ac fœminæ pro salute animarum suarum huic Monasterio solemni donatione contulerunt, quæ ad eos ex concessione Regum, Reginarum vel Ducum, vel per affiliationem, vel comparationem, vel alium quemlibet attractum pervenerunt. Et res Helenæ Ancillæ Dei, & quæcumque quilibet homines per instrumenta chartarum huic Monasterio condonarunt. Et præcepit ac jussit, ut nullus Episcopus, aut Abbas, Dux, vel Castaldus, vel Actionarius, vel quislibet fidelium Imperii, sive juniorum, sive successorum eorum, Abbati vel agentibus hujus Monasterii, aut Monachis sub eo Deo militantibus, de omnibus rebus huic Monasterio pertinentibus calumniam facere, aut inquietare ullo umquam tempore præsumat, & ut nullus eos de quibuscumque rebus Monasterii invasiones faciat. Et si de qualicumque causa contra nos fuerit exorta contentio, non per viliores quasque personas, sed per nobiliores & veraciores rei veritas inquiratur, & secundùm tenorem antiquorum Præceptorum, quæ Reges Longobardorum nobis dederunt, de Arimannis fœminis, quas sibi pertinentes huic Monasterio in conjugio sociaverint, ut post transactum annuale spatium secundùm Edicti tenorem sic eos easque possideamus, nobisque proprio nomine vindicemus atque defendamus. Et omnia animalia hujus Monasterii in finibus Ducatus Spoletani per pascua publica omni tempore pabulare debeant vel nutriri. Similiter hominum nostrorum sine datico, herbatico, escatico, vel glandatico, & nullam molestiam neque in ponte, neque in via, neque in quocumque loco patiantur. Et liceat nobis proprias Monasterii terras omni tempore defendere, atque animalia nostra ad pabulandum mittere, absque cujuslibet personæ vel potestatis contrarietate. Et in alio Præcepto idem *Domnus Imperator Hludovicus* confirmavit convenientiam inter *Episcopum Spoletanum Sigualdum*, *& Domnum Abbatem Ingoaldum* factam, pro contentione scilicet, quæ inter eos fuerat super quadam Ecclesia prope muros Civitatis in honore Sancti Marci Evangelistæ constructa, & Ecclesia Domini Salvatoris cum Xenodochio ad se pertinente, sita in Saliono, & de rebus ac familiis earum. Dedit igitur Ingoaldus Abbas Sigualdo Episcopo ad partem Ecclesiæ illius Curtem unam, quæ vocatur Serulæ .... ante posita illa Curte Interamne, & casas in Laureto .... Econtra dedit vel delegavit Sigualdus Episcopus Ingoaldo Abbati ad partem hujus Monasterii pro causa firmitatis, ac pactuationis, Colonicam unam in Basiano, & de Serra particulas quatuor, & de Vineis particulas sex in finibus Terranensibus, & pœnam interpositam auri mancusos quinque millia.

Caroli (45) Crassi Imperatoris Diploma, quo omnia bona ac Privilegia confirmat Ingoaldo II. Abbati Farfensi Anno 881.

„ CArolus divina ordinante providentia Imperator Augustus. Comperiat volu„ mus omnium Sanctæ Dei Ecclesiæ nostro„ rumque tam præsentium, quàm futurorum „ solertia; quia quidam Venerabilis *Ingoal„ dus*

„ Episcopis, Abbatibus, Abbatissis, Ducibus, „ Comitibus, Judicibus, Gastaldiis, Vassis no„ stris; Vicariis, Actionariis, Centenariis, vel „ reliquis fidelibus, seu Missis nostris ubique „ discurrentibus. Cognoscatis, quia *Ingoaldus „ Venerabilis Abbas ex Monasterio Sanctæ Dei „ Genitricis semperque Virginis Mariæ, Sabinensi „ in loco, qui vocatur Acutianus*, clementiæ „ Regni nostri innotuit, eo quòd Monachi, „ vel secundùm Regulam Sancti Benedicti Of„ ferti (a) Sanctæ Mariæ, quos ipse ordinali„ ter providere debet, fuga lapsi per Episcopia „ & cetera Monasteria, sive per diversa loca „ aliquoties appareant: & retulit, quòd nullo „ modo recipere valeat, sed injustè à quibusli„ bet hominibus ei, aut Missis suis, contradicti „ fiant. Unde petit Celsitudini nostræ, ut ubi„ cumque eos invenire potuerit tam ipse, „ quàm & Missi sui, atque ejus successores, „ ut à nemine contradicti fiant; sed licentiam „ habeant eos, ubicumque inventi fuerint, „ præsentialiter recipere absque alicujus dila„ tione vel contrarietate Propterea hanc au„ ctoritatem eis fieri jussimus, per quam om„ nino jubemus, ut nullus quislibet ex vobis „ præfato Abbati ejusque successoribus, atque „ Missis eorum, ut de suis, ut diximus, Mona„ chis, vel secundùm æquitatis regulam Offer„ tis fugitivis, nullum impedimentum vel con„ tradictionem facere præsumatis; sed ubicum„ que inventi fuerint, de præsenti regulariter „ hujusmodi recipiantur. Et qui aliter agere „ voluerit, sciat se in præsentia nostra pro hac „ re in rationes advenire, & has literas rele„ ctas ei reddere faciatis. Et ut certiùs creda„ tis hanc nostram esse jussionem, de anulo „ nostro subtus sigillari jussimus.

„ Data III. Kalend Maji, Anno Christo pro„ pitio Imperii Domini Ludovici piissimi Au„ gusti VII. Indictione XIII.

„ Actum Aquisgrani Palatio Regio in Dei „ nomine feliciter.

(a) Idem atque *Oblati*, quorum frequens mentio apud antiquos, & usus adhuc perdurat.

(45) Chronographus noster viso nomine *Caroli Augusti*, atque *Ingoaldi Abbatis*, continuo censuit, ad Carolum Magnum, atque ad Ingoaldum I. referendum esse Diploma. Verum Ingoaldus I. Anno tantum 816. successisse creditur in regimine Farfensis Coenobii, atque adeo sublato jam è vivis Carolo Magno. Deinde Chronicae Notae Diplomatis hujus Carolo Crasso Imperatori optime conveniunt, atque Anno 881. Itaque Mabillonio visum est statuere in Annal. Benedictin. alterum *Ingoaldum Abbatem Farfensem*, Chronographo nostro minime animadversum, qui Anno illo vixerit. Amplectenda ejus sententia, nisi quod Farfensium Abbatum series ad ea tempora non parum coangustatur. Nam Johannes I. sub initium Anni 876. vixit, secundum calculos Chronographi nostri. Huic successit *Anselmus*, sive *Zelmo*; tum *Teuto*, qui Abbas renuntiatus creditur Anno 883. Si *Ingoaldum II.* his interseris ad Annum 881. jam vides, quot Abbates tam paucorum Annorum spatio des Coenobio Farfensi.

„ dus *Abbas* ex Monasterio Sanctæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ, quod in Italia situm est in loco, qui dicitur Acutianus, ad nostram veniens præsentiam, ostendit nobis Præcepta *Regum Langobardorum*, *Haistulfi*, ac *Desiderii*, in quibus continebatur, quomodo ipsi & antecessores eorum prædictum Monasterium propter divinum amorem & reverentiam Sanctæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ semper sub sua tuitione ac defensione tenuissent. Ob firmitatem tamen rei postulavit prædictus Venerabilis Abbas, ut eorumdem Regum Præceptiones nostra auctoritate confirmaremus, & immunitatis Præceptum Monasterio suo dare juberemus. Cujus petitioni, propter amorem Dei, & reverentiam atque honorem Sanctissimæ Genitricis illius, libenter acquievimus, & sicut postulavit, ita in omnibus concedendum, atque confirmandum decrevimus. Quapropter præcipientes jubemus, ut nullus fidelium nostrorum, vel Missi discurrentes, aut quilibet ex judiciaria potestate in Ecclesias, vel Cellulas, aut Loca, Villas, Curtes, vel agros, campos, seu reliquas possessiones memorati Venerabilis Monasterii, quas olim vel moderno tempore tam in Langobardia, quàm in Romania, seu in Tuscia, & in Ducatu Spoletano, seu in quibuslibet aliis locis possidebit, vel nunc in præsenti possidet, vel quas deinceps ex quorumlibet datione fidelium acquisierit, ac possederit, ad causas audiendas, vel freda, seu tributa undecumque exigenda, aut mansiones, vel paratas faciendas, vel fidejussores tollendos, aut homines ejusdem Monasterii tam ingenuos, quàm servos, libellarios, aldiones, & aldianas, seu Clericos, aut cartulatos, aut offertos, super terram ipsius Monasterii commanentes, distringendos, vel ad publicas excubias compellendos, aut ullas redibitiones, vel quaslibet occasiones requirendas, nostris vel futuris temporibus ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt, penitus facere præsumat. Confirmamus etiam eidem Monasterio omnes res, quæ pertinent de Curte Sancti Gethulii, seu de Curte Sancti Benedicti, & Curtem Sanctæ Mariæ de Turano, quæ sunt in Comitatu Sabinensi, cum omnibus illarum pertinentiis, & subjacentiis. Et in Comitatu Reatino Curtem Sancti Angeli, & in Ducatu Spoletano Monasterium Sancti Marci suptus muros Civitatis Spoletanæ, & in Castro Veterbensi infra ipsum Cellam Beatæ Mariæ, seu & Cellam Sanctæ Mariæ de Minione cum ipso monte Gosberti, & cum ipso gualdo, seu & ripa Albella, & cum ipso Portu maris, cum servis vel ancillis, aldiis, vel aldiabus, & omnibus illam pertinentiis, vel subjacentiis. Et liceat quietè memorato Abbati venerabili, & successoribus ejus res & possessiones prædicti Monasterii sub immunitate nostra, defensione & quieto ordine possidere. Si quis verò ausu temerario contra hanc nostræ auctoritatis jussionem venire præsumserit, & eorum, quæ fieri prohibuimus, contra prædictum Venerabile Monasterium quidquam facere temptaverit, sciat se compositurum auri obrizi librarum DC. summa ad partem præfati Monasterii esse multandum. Quidquid verò de prædictis Monasterii possessionibus Fiscus noster sperare poterat, totum nos pro æterna remuneratione adipiscenda Monasterio concedimus, ut in alimoniam pauperum, & stipendia Monachorum, ibique Deo famulantium, nostris futurisque temporibus semper proficiat in augmentum, quatenus memorati servi Dei, qui ibidem Deo famulantur, pro nobis, & conjuge, proleque nostra, ac pro stabilitate totius Imperii à Deo nobis commissi jugiter Dei misericordiam invocare delectet. Et ut hæc Auctoritas firmior habeatur, ac per futura tempora meliùs conservetur, manu propria eidem subscribere, & de anulo nostro subter eam jussimus sigillari.

„ Inquirinus (46) Notarius ad vicem Liutgardi Archicancellarii recognovit.

„ Datum IV. Kalend. Martii, Anno Christo propitio Imperii Domini Caroli præpotentis Augusti unctionis suæ I. Indictione XIV.

„ Actum Aquis (47) Palatio in Dei nomine feliciter. Amen.

Cùm verò hoc præceptum attenderetur, *Domnus Ludovicus filius supradicti Caroli Imperatoris*, petente Domno, & Venerabili Abbate Ingoaldo, secundùm omnia, quæ in ipso comprehensa sunt præcepto, & ipse confirmavit, ac in omnibus corroboravit in hoc Monasterio Anno Imperii sui VII.

Donatio Monasterioli Sancti Stephani in agro Teatino facta ab Imperatoribus Ludovico Pio, & Lothario I. Cœnobio Farfensi Anno 829.

„ HLudovicus & Lotharius divina ordinante providentia Imperatores Augusti. Cùm Locis divino cultui mancipatis largitionis nostræ munere quippiam conferimus, id nobis ad stabilitatem Imperii nostri, & ad æternæ vitæ præmium capessendum profuturum liquidò credimus. Proinde notum esse volumus omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet & futurorum sagacitati, quia nos superno amore accensi, pro remedio animæ nostræ concedimus quoddam Monasteriolum situm in finibus Teatinæ sive Vocitanæ, in loco, cujus vocabulum est Lucana, & constructum in honorem Sancti Stephani Protomartyris, sub omni integritate, ad Monasterium nostrum Sanctæ Mariæ semper Virginis, quod est situm in Pago Sabinensi, ubi in præsenti tempore „ *In-*

(46) Ut ex aliis Diplomatis constat, hic revera pro Liutgardo, Archicancellario Caroli Crassi subscripsit, ac propterea ad hunc Augustum charta referenda.

(47) Verum heic hærere cogor. Anno praecedente 880. die Natali Domini, atque adeo Mense Decembri, cadente, Carolus Crassus Imperiali corona Romae insignitus fuit. Quei tam propere Regnum repetiit, ut *IV. Kal. Martii Anno* 881. Aquisgrani quietus ageret? Adde Diploma ab Ughello in Ital. Sac. editum Tom. IV. pag. 1364. & datum eodem *Anno* 881. *IV. Nonas Aprilis Papiæ*. Adferam & ego alia, si Deus dabit, in Codice Diplomatico, ex quibus constabit, Carolum Crassum fortassis anno integro 881. in Italia versatum, ideoque vix intelligi posse, qua ratione is Diploma hoc dare potuerit *Aquisgrani* Mense Februario. Neque enim heic agi puto de *Aquis Statiellensibus* Urbe Liguriae.

,, *Ingoaldus Abbas* præesse dinoscitur. Monasteriolum verò supradictum cum omni integritate, cum Ecclesiis, Cellulis, territoriis, ædificiis, familiis, justè pertinentibus, casis, amassariciis, aldiariciis, bovillicariis, vaccariciis, Alpibus, Gajis, molendinis, aquarum decursibus, pascuis, paludibus, vel quidquid præsenti tempore justè & legaliter pertinere dinoscitur, & nostri juris atque possessionis jure proprietatis est, totum & ad integritatem, vel in exquisitum, prædicto Monasterio Sanctæ Mariæ tradimus, & de nostro jure in jus & dominationem illius transferimus. Ita videlicet, ut quidquid Rectores & Ministri prædicti Monasterii Sanctæ Mariæ semper Virginis de supradicto Monasterio Sancti Stephani secundùm auctoritatem Canonicam ac Regularem facere, ordinare, ac disponere voluerint, libero in omnibus potiantur arbitrio faciendi quidquid elegerint. Et ut hæc Auctoritas largitionis nostræ firmior habeatur, & per futura tempora meliùs conservetur, manibus propriis subter firmavimus, & annuli nostri impressione assignari jussimus.

,, Durandus Diaconus ad vicem Frigducisi recognovit.

,, Datum X. Kalend. Julii, Anno XV. Imperii Domni Hludovici, & Lotharii VII. Indictione VII.

,, Actum Aquisgrani Palatio Regio in Dei nomine feliciter. Amen.

Libet autem hìc quoque præfati Monasterii Ecclesias inserere, sicut in diversis scripturis reperimus, & in authenticis membranis. Castellum de Actrisa cum Ecclesia Sanctæ Mariæ in Basilice; & Sancti Pancratii, & Sancti Martini in Valle, & Sancti Stephani in Raone, quæ est juxta mare; & Sancti Germani, & Sancti Viti, & Sancti Joannis in foce de fluvio Sangro. Ecclesia Sancti Petri ibidem; Ecclesia Sancti Petri in Aleroso; & Sancti Martini in Guilmo. Ecclesia Sancti Pauli super fluvium Senellam; & Sancti Martini juxta id ipsum flumen; & Sanctæ Mariæ ibidem; Ecclesia Sancti Nazarii in Ardano; & Sanctæ Mariæ in Carapelle. Ecclesia Sancti Petri in Planici, & Sancti Heleuterii in Lucdo, & Sancti Sossii. Ecclesia Sancti Andreæ in Materno. Ecclesia Sancti Petri in Baci; & ejusdem juxta civitatem Orthonam; & inibi Ecclesia Sanctæ Mariæ. Ecclesia Sanctæ Mariæ in Caldaria; & Sancti Laurentii in Corula. Ecclesia Sanctæ Cæciliæ in Mallanico; & Sancti Damiani ad Arcam, ubi dicitur ad Crucem; & Sanctæ Agathes ibidem; atque Sancti Joannis; Ecclesia Sancti Angeli in Balneario; & Sancti Marci subtus Castellum de Abissa; & Sanctæ Mariæ in Caparassa; Ecclesia Sanctæ Mariæ juxta fluvium Avertinum; Ecclesia Sanctæ Mariæ in Rota; Sancti Marci in monte Pallano; & Sancti Comitii; & in monticulo Sancti Donati Ecclesia Sanctæ Mariæ; & in Geminata Ecclesia Sanctæ Columbæ. In monte Granario Ecclesiæ tres; in monte Sancti Boni, Sancti Angeli in Salabento. Ecclesia Sancti Martini in Castello Equo; Sancti Petri in fluvio Viride, inter fluvium Sangrum, & Occanum. Curtem Jeres; Curtem Tetrinum; Curtem Serram; & Jannacem; & Curtem Pollotri; Curtem de Monticello; Curtem de monte Sancti Silvestri, cum ipsa Ecclesia Sanctæ Mariæ in Valle, Sancti Felicis, Sancti Petri, Sancti Martini in Tresto, Sancti Andreæ, Sancti Petri in Verolaso, Sancti Sixti, Sancti Silvestri, Sancti Mercurii; Sancti Petri in Oliveto; Sancti Angeli in Aquaviva; Sanctæ Mariæ in Aventino; Sancti Petri in Bangiara; Sanctæ Mariæ; Sancti Joannis in Bellari; Sanctæ Teclæ; Sanctæ Mariæ in Aquesonula; Sancti Gregorii; Sanctæ Mariæ in Cete; Sanctæ Crucis super Romam.

Præterea Lotharius Serenissimus Augustus Domini Imperatoris Hludovici filius, postulatus à Domno Ingoaldo Abbate, per suum Imperiale Præceptum confirmavit quamdam Auctoritatem (48) à *Domno Eugenio Summo Pontifice* huic Monasterio, sibique ac suis successoribus emissam, de duabus Massis juris Monasterii Sanctæ Bibianæ positi infra Urbem Romam, vel quæ ad easdem Massas pertinere noscuntur, quarum una Propiciana, & alia Balagai nuncupatur. Quas etiam Massas multo tempore a prædecessoribus, scilicet Pontificibus Sanctæ Romanæ Sedis, præfato Monasterio ejusque Rectoribus sub statuta annuali pensione fuisse perpetualiter concessas, quousque statutæ pensionis quantitatem ipsius Monasterii Rectores ad partem jam dicti Monasterii Sanctæ Bibianæ solvere non negligerent. Et statuit idem Imperator ac decrevit, ut

(48) Ex Chartario Farfense descriptum Diploma hoc, & antea evulgatum, juvat heic iterum exhibere Lectorum oculis.

Lotharius I. Augustus Massas duas, Monasterio Farfensi à Romanis Pontificibus concessas, Diplomate suo confirmat.
Anno 825.

,, IN nomine Domini Jesu Christi Dei æterni. Lotharius Augustus, invictissimi Domini Imperatoris Ludovici filius .... *Ingoaldus Reverendissimus Abbas ex Monasterio Sanctæ Mariæ* serenitatem culminis nostri adiens, obtulit clementiæ nostræ quamdam authoritatem à Domno & spirituali patre *Eugenio Summo Pontifice* præfato Monasterio, sibique ac successoribus suis fuisse emissam de duabus Massis juris Monasterii Sanctæ Bibianæ, quod est positum infra nobilissimam Urbem Romanam, vel quæ ad easdem Massas pertinere dignoscitur, quarum una Pompejana, & alia Balagai nuncupatur. Quas etiam Massas multo tempore a prædecessoribus, scilicet Pontificibus S. R. E. præfato Monasterio ejusque Rectoribus, sub statuta annuali pensione fuisse perpetualiter concessas, quousque statutæ pensionis quantitatem ipsius Monasterii Rectores ad partem jam dicti Monasterii Sanctæ Bibianæ solvere non negligerent. Qua de re postulavit nos .... Ingoaldus Abbas .... ut tanti Pontificis authoritatem .... sibi .... collatam nostra authoritate roboraremus ...... decernimus, ut sicut a Domino & spirituali patre Eugenio Summo Pontifice .... memoratæ Massæ, scilicet Pompejana atque Balagai cum universis adjacentiis atque oportunitatibus suis Monasterio S .... Virgini .... per scripturam fuerunt sub statuta pensione confirmatæ, ita per hanc nostram mansuram atque inviolabilem authoritatem maneant ad jus præfati Monasterii .... ita ut Apostolica scilicet ac Imperialis ostensa confirmatio sibi invicem suffragantes malorum hominum inquietudinem .... refutent ....

,, Data Secundo Kalend Junias, Anno Christo propitio Imperii Serenissimi Domni Ludovici Augusti XII., Regnique Lotharii gloriosissimi Imperatoris in Italia III. Actum Olonna Palatio Regio in Dei nomine feliciter.

ut memoratæ Massæ, sicuti ab eodem Pontifice huic Monasterio, præfatoque Ingoaldo, suisque successoribus per scripturam fuerunt sub statuta pensione confirmatæ, ita permaneant ad jus hujus Monasterii cum omni integritate perpetualiter confirmatæ.

Quidam autem Aquilinus filius Autarii, & Palumbus Saxuli, & Martinus Offilonis, habitatores Caprariæ, & Pergo filius Gozuli, & Faustinus Arecausi, & Bucciolus Faxoli, & Valerinus Gradolfi; & Bello Baroncioli; & Teuto Valentionis, & Fusculus Pauli habitatores pingues, & Bonipertus filius Bonuli, & Mansiolus Aborioli, & Cauculus Amuli, & Lupo Antionis, & Leonianus Vespoli, & Sinderadus Vespuli: omnes hi bona & spontanea voluntate promiserunt Domno Ingoaldo Abbati, quòd usque in Annos X. residerent in arvis nostris & substantia, quantum ad Curtem nostram pertinet in Trocina, quam quondam Uldericus in hoc Monasterio delegavit; & in tempore sementis in ipsa Curte laborarent nobis hebdomadâ unâ, & sibi duas; & de Capraricis darent nobis in ipsa Curte annualiter vini Decimatas XV. & de pingui Vini Decimatas LXXX. & de interocro Decimatas XV.

Superiùs autem retulimus, Domnum Ingoaldum Abbatem per Privilegium Pontificale à *Stephano Papa IV.* qui sedit menses VII. omnium bonorum hujus Monasterii confirmationem suscepisse, & cum eo, ut per hoc annualem daret, pensionem, convenisse: cujus causa Convenientiæ hæc exstitit. Nam cùm plura incommoditatis damna hoc Monasterium in suis utilitatibus pateretur, & tam per furta, quàm per alias diversas iniquas operationes à Reipublicæ Actionariis, & ab hominibus nefariis multa ei mala ingererentur; & ob hoc interpellatio à Rectoribus Monasterii hujus, Sedis Apostolicæ Pontificibus fieret frequentiùs: tamdem suasus Domnus Ingoaldus de danda pensione improvisè præbuit assensum: idcirco videlicet, ut Pontificis adminiculum, pensionis occasione, in ceteris hujus Monasterii negotiis magìs videatur habere. At verò cùm Pontifices succedentes diversis super ingruentibus negotiis præoccupati forent, & in nostris decidendis causis suum accommodare auditum non valerent, pensionem quidem exigere volentes, sed plenarias justitias nequaquam huic Monasterio exercere jubentes sicut ante constituerant venerandi Pontifices, *Paulus* videlicet, & *Adrianus*; magìsque detrimenta, quàm augmenta erga hujus Monasterii bona inferrentur: prædictus Domnus Ingoaldus auribus *Lotharii Imperatoris*, cuncta à Reipublicæ Romanæ Actionariis huic Monasterio illata indicavit, & de pensione, quam dare cogebatur, sicut iniquè fuerat suasus, intimavit.

Sed cùm auribus Domni Hludovici Serenissimi Imperatoris, genitoris utique præfati Lotharii, hæc, plurimæque aliæ illatæ fuissent querelæ, misericordiæ pulsatus clementia, sacræ institutionis edidit Constitutionem præcipuam, per quam Dei Ecclesiis illata destrueretur malitia, cujus his sacratissimos apices curavimus diligenter inserere.

Ludovici Pii Augusti, sive Lotharii I. Imperatoris Diploma, quo decernit, Farfense Cœnobium nulli tributo ac pensioni fore obnoxium, illudque sub defensione ac immunitate unius Regis, sive Imperatoris, esse, Anno (49) 824.

„ LUdovicus divina ordinante providentia „ Imperator Augustus. Si præveniente „ gratia Dei nostri devotionis affectum divinis satagimus aptare obsequiis, & venerabilibus Deoque sanctisque Locis, atque Dei „ familiis supernæ Majestati famulantibus Imperiali munificentia opem, ac solatium nostræ defensionis impendimus; si denique „ præjudiciis variis, ac calamitatibus oppressis patulum & benignum accommodamus „ auditum, his exercitiis, piisque studiis credimus supernum ubique auxilium promereri, & prosperis pollere successibus, atque „ imbelles gloriosis gaudere triumphis, sed „ & post temporalis infulas Imperii siderea „ feliciter consequi regna. Quapropter cùm „ plurimarum Ecclesiarum, venerabiliumque „ Custodes locorum, diversorumque hominum de finibus Italiæ multiplex querela nostrum pulsasset auditum, eorum lachrymosis „ vocibus pietate cogente moti, carissimum „ atque dulcissimum filium nostrum Lotharium direximus pro munimine ac defensione sacrorum venerabiliumque Locorum, & „ pro justitiis cunctæ Plebis, quæ molestis „ querelis nostras, ut diximus, incessanter „ pulsaverant aures. Igitur *ego Lotharius* „ *Augustus* paternæ concordans voluntati, & „ obtemperans jussis, cùm protegente Deo „ quieta prosperitate ad limina Beati Petri „ Principis Apostolorum, orationis atque „ exaltationis ejusdem Sanctæ Dei Ecclesiæ „ gratia, venissemus, inter reliquos, qui, ut „ diximus, plurimas proclamabant querelas, „ vênit *Ingoaldus venerabilis Abbas Monasterii Beatæ & gloriosæ semper Virginis Mariæ, constituti in finibus Sabinensibus*, afferens suum Monasterium ablata pristina libertate sub tributo ac pensione à Romanis „ Pontificibus constrictum, multasque possessiones eidem Monasterio violenter ablatas. „ Unde sciscitantes studiosè interrogavimus, „ qua ratione aut prædictas res acquirere, „ aut prædictæ potestatis dominium speraret „ evadere. Qui illico nostris obtulit aspectibus antiqua Langobardorum Regum Præcepta, continentia quemadmodum ipsum „ sanctum Locum Regali auctoritate sub sua „ defensione atque immunitate omni tempore „ perseverare statuerunt. Præcipuè itaque „ ostendit Præceptum confirmationis piæ memoriæ *Domini Avi nostri Caroli Serenissimi* „ *Augusti*; Præceptum quoque *Domini & Genitoris nostri Hludovici* Invictissimi Imperatoris, quæ eidem Monasterio beneficii „ & puritatis munus pro mercedis suæ augmento emiserunt. In quibus continebatur, „ qualiter prædictum Monasterium sub suæ „ defensionis privilegio cunctis diebus permanere decreverunt, sicut cetera Monasteria, „ quæ in Regno à finibus Franciarum consistunt:

(49) Ita scripsi, quamquam desiderentur in hoc Diplomate Chronicae Notae, quia ut habent Eginhardi Annales, eo Anno Lotharius Romam a patre missus, multa ibi emendavit, & praeterea heic summum in parentem suum obsequium Lotharius prodit, illud vero annis subsequutis exuit.

„ stunt: scilicet ut nulli umquam Pontificum, „ Episcoporum, Ducum, vel cuicumque Principum liceat sæpedictum Monasterium sub „ tributo, aut quacumque pensione ponere, „ aut de eo aliquid auferre, vel de rebus eidem loco subjectis quicquam minuere. Quibus inspectis justum & rationabile nobis, „ nostrisque Optimatibus, atque etiam Romanis Principibus (50) visum est, ut & „ piorum Regum scripta, & maximè Domini Caroli, atque genitoris nostri Domini „ Ludovici Augustorum Præcepta, perpetua „ stabilitate firmissimum roborem obtineant. „ Res quoque eidem Monasterio violenter „ ablatas, omni excusatione postposita, jussimus reddere. Unde placuit nobis Genitori „ ac Genito, utique prædictis Principibus, „ concordi atque communi voluntate, ut jamdictus almus Locus sub nostra Successorumque nostrorum defensione atque immunitate perpetuis perseveret temporibus, „ atque ad petitionem prædicti Ingoaldi venerandi ejusdem Monasterii Abbatis, ipsas „ aliasque res in finibus Sabinensibus, vel „ ubicumque sitas, eidem Monasterio justè „ pertinentes, inconcussa stabilitate ibidem „ præsenti præceptione nostris futurisque temporibus, sinè cujusquam violenta inquietudine, firmas semper constituimus permanere.

Tertius Decimus nempe huic Monasterio in regimine sancto præfuit Abbas *Sichardus* (51) longè latèque exemplum boni certaminis cunctis per omnia ostendens. Nam Oratorium hoc, quod cernimus, in honore Domini Salvatoris, adjunctum huic Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, ipse construxit, ubi corpora Sanctorum Valentini, & Hilarii Martyrum de Tusciæ partibus translata cum corpore Sancti Alexandri, Sanctæ Felicitatis filii, quod de Roma adduxerat, concedente *Gregorio IV.* Sedis Apostolicæ Præsule, honorificè sepelivit. Multa quoque bona huic loco acquisivit, scilicet terras, & ornamenta diversa Ecclesiastica, ita ut penè nullus suorum prædecessorum illum in hoc supergrederetur. Nam Annis XIV. ac mensibus III. & diebus X. huic præfuit Congregationi. Obiit verò XIV. Kalendas Octobris.

Hic denique venerabilis Pater acquisivit per Præcepti Imperalis apices confirmationem de Sancti Stephani Monasterio, cum omni ejus integritate in finibus Teatinis, à Domno Lothario Imperatore, sicut antea concesserat Domnus Hludovicus Augustus Genitor illius in hoc Monasterio; & in Salambona per concambium acquisivit terram modiorum XXII. & in Valle Cupa, & Valle Matelicana modiorum V. & in Massa Nautona Casalem Esurianum usque ad Casalem de Amiterninis, & in Massa Interocina Clausuram de Agligiano super Sanctum Martinum, & in Fundo Castellione terram modiorum LX.

Lotharii I. Imperatoris, quo omnia jura, bona, ac Privilegia Farfensi Cœnobio, ejusque Abbati Sichardo confirmat
Anno 840.

„ Lotharius divina ordinante providentia „ Imperator Augustus. Si illius amore, „ cujus munere ceteris mortalibus prælati sumus, Loca divino famulatui consecrata congruis munificentiæ nostræ beneficiis ad divinum cultum liberiùs exequendum sustollimus, dignæ retributionis præmio nos à Domino remunerari fideliter credimus. Igitur „ notum esse volumus cunctis fidelibus Sanctæ „ Dei Ecclesiæ, nostris præsentibus scilicet & „ futuris, quia vir venerabilis *Sichardus Sabinensis Monasterii Abbas*, quod constructum „ est in honorem Beatæ Mariæ Dei Genitricis, „ semperque Virginis, ostendit serenitatis nostræ obtutibus Domni recolendæ memoriæ „ Genitoris nostri Hludovici præstantissimi Imperatoris Auctoritatem, in qua continebatur, qualiter postquam nos divino sibi nutu „ favente consortes fecit Imperii, ab eo in „ Italiam directi sumus, & à Summo invitati „ Pontifice & universali Papa, ac spirituali „ patre nostro Paschali, quondam Romam „ venimus. Quo dum in præsentia ejusdem „ Domni Apostolici, ac nostra, Procerumque „ Romanorum, sive Optimatum nostrorum, „ atque multorum utriusque partis Nobilium „ Virorum, quæstiones accitarentur, inter ceteras altercationes, jubente eodem Domno „ Apostolico, Advocatus suus nomine Sergius, ejusdem Sanctæ Sedis Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius, interpellavit virum venerabilem Ingoaldum Abbatem, & memorati Sichardi prædecessorem, dicens, quòd „ idem Sabinense Monasterium ad jus & dominationem Romanæ Ecclesiæ pertineret. „ Econtra respondit prædictus Ingoaldus, „ nullatenus debere esse, eo quòd non solùm „ præcepta Regum Longobardorum præ manibus haberet, qualiter idem Monasterium semper sub tuitione & defensione eorumdem Regum Longobardorum fuisset, „ verùm etiam, quòd & Dominus & Avus „ noster piæ memoriæ Carolus præstantissimus „ Imperator idem Monasterium specialiter sub „ suo munimine vel successorum suorum, Regum videlicet Francorum per Præceptum „ auctoritatis suæ contulisset, ut nullus Pontifex, Dux, Princeps, aut quislibet superioris vel inferioris ordinis Reipublicæ Procurator, idem Monasterium sub tributo aut „ censu constitueret, sed ita immune ac liberum esset, sicuti cetera Monasteria infra Regna Francorum constituta sunt, idest *Luxoviensium*, *Lirinensium*, & *Agaunensium*. „ Interrogatum est etiam à Primatibus utrarumque partium, quid Advocatus Domni „ Apostolici contra Præcepta & Auctoritates, „ quæ ibi lectæ & relectæ sunt, dicere voluisset, & in præsentiarum nullam auctoritatem „ aut traditionem ostendere potuit, per quam „ idem Monasterium pars prædictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ad jus & dominationem suam „ tenere ac possidere valeret. Sed postquam „ res in præsentia prædicti Domni Apostolici „ Paschalis & nostra & Optimatum atque „ Procerum utriusque partis examinata & diligenter inquisita esset, & in propatulo „ omnibus esset, quòd prædictum Monasterium nullatenus sub jure & dominatione præfatæ Romanæ Ecclesiæ, vel sub tributo aut „ pensione esse deberet, idem Domnus Apostolicus non solùm recognovit, nullum dominium in jure ipsius Monasterii se habere, „ excepta consecratione, sed omnes res tam „ in

(50) Scribendum puto *Pontificibus*.

(51) Hunc Abbatem constitutum Anno 829. censet Mabillonius in Annal. Benedict.

„ in territorio Sabinensi, quàm in Romania „ sitas, quas ex eodem Monasterio potestas „ antecessorum ejusdem Paschalis Papæ injustè abstulerat, per jussionem ipsius, dante eo „ mappulam suam Advocato suo supradicto „ Sergio, revestivit Leonem, qui de parte „ nostra ejusdem Monasterii Advocatus erat, „ & ut ipsa redditio perpetim rata & inviolata permaneret, misit Domnus Apostolicus „ Missum suum Gregorium nomine ejusdem „ sanctæ Romanæ Ecclesiæ Scriniarium, qui „ res superiùs nominatas inspiceret, & Misso „ nostro Leutherio nomine, & Monachis Monasterii Sanctæ Mariæ Sabinensis redderet, „ sicut & factum est.

„ Sed cùm nos ad Domnum & Genitorem „ nostrum Hludovicum reversi fuissemus, & „ ita per ordinem, sicut superiùs comprehensum est, narrassemus, placuit non solùm „ idem Monasterium, Rectoresque ejus specialiter sub sua, successorumque suorum „ tuitione & defensione constituere, sicut in „ Præcepto Domni Avi nostri Caroli Augusti „ continetur, vel quemadmodum prædicta „ Monasteria infra Regna Francorum constituta sunt, sed etiam omnes res, quas præsenti tempore prædictum Monasterium infra „ Italiam, Tusciam, & Romaniam, vel in „ ceteros pagos, & territoria, justè & legaliter atque quietè tenet vel possidet tam per „ Præcepta, & Auctoritates Regum, Reginarumque, Pontificum, Ducum, quàmque „ & per traditiones, cessiones, commutationes, offertiones, seu collata Populi, vel „ pactuationes legaliter factas, sive per Judicia ..... aut per quælibet instrumenta „ Chartarum nobiles homines, ac devotæ fœminæ eidem Monasterio contulerunt, nominatim ejusdem genitoris nostri Præceptum, „ propter improborum hominum fraudes & „ infestationes aut inquietudines inserere. Sed „ memoratus venerabilis Abbas Sichardus, „ quamvis nos eamdem genitoris nostri Auctoritatem suo consensu ac jussione confirmassemus, deprecatus est Celsitudinis nostræ „ clementiam, ut quia nos divinæ Majestatis „ dispositio successores illius fecit in Imperio. „ quem & in vita sua consortem jam fecerat, „ eamdem Auctoritatem nostræ confirmationis innovaremus ac sanciremus Præcepto. „ Cujus precibus ob Dei, & Domini nostri „ Jesu Christi Genitricis semperque Virginis „ Mariæ reverentiam & amorem, vel mercedis nostræ augmentum, acquiescentes, hanc „ Excellentiæ nostræ Auctoritatem decrevimus, fierique præcepimus, per quam & „ idem genitoris nostri Præceptum modis omnibus confirmamus, & quidquid ex tunc „ temporis ad illum Sanctum Locum divina „ auxit pietas per religiosorum hominum devotionem, nominatim ac sigillatim, sicut in „ authentico genitoris nostri habetur Decreto, inserendo sancimus ac corroboramus, „ propter futuras pravorum hominum infestationes atque inquietudines.

„ Idest fundum Acutianum, ubi idem venerabile Monasterium constructum est cum „ finibus & appendicibus suis .... Fundum Castrianum, in quo est Ecclesia Sancti „ Laurentii. Fundum Pompejanum. Fundum „ Pinianum. Fundum Cervinarium. Fundum „ Arianum, in quo est Ecclesia Sancti Paterniani. Fundum Arturianum. Fundum OrFundum Mitolle, in quo est Ecclesia Sancti Angeli. Fundum Urbanum, „ qui & Vicus-Lagi vocatur, in quo est Ecclesia Sancti Viti, cum pratis, silvis, atque aquis, molendinis, vel omnibus ad „ eum Monasterium pertinentibus. Ex fundo „ Adriano uncias II. in quo est Ecclesia Sancti Valentini. Fundum Medianam. Fundum „ Casalamentis. Ex fundo Arcuniano unciam „ I. Ex fundo Aterniano uncias VI. Ex fundo Silvaniano uncias VI. Ex fundo Anciano uncias IX. ubi est Ecclesia Sancti Donati. Fundum Paternionem. Fundum Gignianum. Ex fundo Scandiliano uncias IV. Fundum Criptulas. Fundum Marcellianellum „ pro unciis IV. Fundum Apicianum, qui & „ Longitia, in quo est Ecclesia Sancti Gordiani. Fundum Schaphianum. Fundum Testam. Fundum Paternionem. Fundum Centum. Fundum Alinianum. Fundum Turris, „ in quo est Ecclesia Sancti Laurentii. Ex „ fundo Pendiciano uncias II. Fundum Cæsarianum. Fundum Pulgianum. Fundum Ventilianum. Fundum Fornicatam, cum trajecto suo, seu gualdum unum, in quo est Ecclesia Sancti Gethulii & Sancti Benedicti, „ cum omnibus eis generaliter pertinentibus. „ Fundum Germanicianum, ubi est Ecclesia „ Sancti Petri. Fundum Musileum. Fundum „ Cassianum. Ex fundo Staberrano uncias VI. „ Fundum Cassulam. Fundum Lacchanianum. „ Fundum Medianam. Fundum Marcellianum. „ Fundum Monacianum. Fundum Fiscanum. „ Fundum Canianum. Fundum Larinianum. „ Fundum Balbarianum. Ex fundo Classicella „ uncias III. ubi est Ecclesia Sancti Petri. Ex „ fundo Fuliniano uncias VI. Ex fundo Rigiano uncias VI. Ex fundo Pontianello uncias „ VI. Fundum Perticatule. Ex fundo Aurificis uncias VI. Fundum Pacilianum. Ex „ fundo Cassiano uncias VI. in quo est Ecclesia Sanctæ Justæ. Fundum Mallianum, „ in quo est Ecclesia Sanctæ Eugeniæ. Ex „ Fundo Figniano uncias VI. Ex fundo Césternolæ uncias VIII. Ex fundo Occiano „ uncias VII. & semis. Ex fundo Arunciano „ uncias VI. Fundum Olivulam. Fundum „ Pontianellum. Ex fundo Bussuli uncias IX. „ & scrupulos III. item exinde unciam I. Ex „ fundo Macerulæ uncias VI. Ex fundo Rosiano „ uncias III. in quo est Ecclesia Sancti Stephani. Ex fundo Macerulæ uncias IV. Ex fundo „ Cassiano unciam I. Ex fundo Sepiciano unciam „ I. & dimidiam. Ex fundo Mediana uncias II. „ Ex fundo Martiani uncias II. & dimidiam, „ ubi est Ecclesia Sancti Victorini. Ex fundo „ Prata uncias III. Ex fundo Agrasiano uncias „ IV. Ex fundo Catoniano uncias II. in quo est „ Ecclesia Sanctæ Sabinæ. Ex fundo Arsura uncias IV. Ex fundo Agellari uncias II. Ex fundo Putiano uncias IV. Ex fundo Domitiano „ uncias IV. in quo est Ecclesia Sancti Stephani. Ex fundo Crispiniano uncias IV. Ex „ fundo Cisiniano uncias IX. in quo sunt Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, & Sancti Silvestri. „ Ex fundo Luciano unciam I. ubi est Ecclesia Sancti Petri. Ex fundo Beciano uncias II.

„ Fundum Ortusianum. Ex Fundo Cipriano „ unciam I. ubi est Ecclesia Sancti Calistrati. „ Ex fundo Bebgiano unciam I. semis. Fundum Castilianum. Fundum Criptulas. Fundum Veneriæ. Fundum Moritanianum. Fundum

„ dum Bebejanum, in quo est Ecclesia Sancti Abundii. Ex fundo Lamnejano uncias II. Fundum Turianum, in quo est Ecclesia Sanctæ Mariæ. Fundum Morianula. Fundum Follianum, in quo est Ecclesia Sancti Sabini. Ex fundo Monumenti Cupis uncias VI. Fundum Ferbilianum; Ex fundo Prætorioli unicas VI. Ex fundo Serviliano uncias VI. ubi est Ecclesia Sancti Antimi. Ex fundo Gabiniano uncias II. Ex fundo Lavariano uncias IV. ubi est Ecclesia Sancti Gethulii. Ex fundo Beaginelli uncias IV. Fundum Arianum, in quo est Ecclesia Sancti Laurentii. Ex fundo Tulliano uncias VI. ubi est Ecclesia Sancti Valentini. Ex fundo Muptiano uncias III. Fundum Paternum, in quo est Ecclesia Sancti Valentini. Fundum Orcibiolum. Ex fundo Vassiano uncias VI. in quo est Ecclesia Sancti Victorini. Ex fundo Cassiano uncias VI. in quo est Ecclesia Sancti Cessigii. Ex fundo Auriclano uncias VI. ubi est Ecclesia Sancti Petri. Ex fundo Siligni uncias III. ubi est Ecclesia Sancti Angeli. Ex fundo Graniano unciam I. Fundum Mignianum, in quo est Ecclesia Sanctæ Helenæ. Fundum Malianum, in quo est Ecclesia Sancti Juvenalis. Ex fundo Anciano uncias VI. ubi est Ecclesia Sancti Petri. Ex fundo Jove uncias VI. Ex fundo Prætoriolo uncias VI. ubi est Ecclesia Sancti Sebastiani. Ex fundo Usitano, qui & Illianus vocatur, uncias VI. in quo est Ecclesia Sanctæ Anatholiæ. Ex fundo Fedinulæ uncias VI. ubi est Ecclesia Sanctæ Victoriæ. Ex fundo Paterno uncias III. ubi est Ecclesia Sancti Victorini. Fundum Prætorium cum appendiciis suis, tam in montibus, quàm in planitiis. Ex fundo Salliano uncias III. ubi est Ecclesia Sancti Martini. Ex fundo Coriliano uncias II. Fundum Forianum, in quo est Ecclesia Sancti Bartholomæi. Ex fundo Lusiano uncias III. Ex fundo Acliano uncias IV. seu & medietatem de gualdo, qui dicitur Laurentius, & medietatem de portione Probati Castaldi. Ex fundo Paterno unciam I. semis. Ex fundo Valeriano uncias IV. in quo est Ecclesia Sancti Martini. Ex fundo Corviano uncias VI. in quo est Ecclesia Sancti Pangratii. Ex fundo Bagiano terram modiorum VI. Ex fundo Fiano unciam I. semis. Ex fundo Luccigiano unciam I. semis. Ex fundo Vicarii uncias III. Ex fundo Acutiano uncias VIII. in quo est Ecclesia Sancti Gregorii.

„ Fundum Motianum, in quo est Ecclesia Sancti Angeli. Fundum Furianum. Fundum Paternum positum in Variano & in Culiano, in quo est Ecclesia Sanctæ Ceciliæ. Fundum Justinianum. Ex Fundo Agello uncias IX. Fundum Senesianum, in quo est Ecclesia Sancti Antimi. Fundum Privatis. Fundum Albucianum cum appendiciis suis. Gualdum Tancies per loca designata, sicut primitus ab ipso Monasterio possessum est & concessum. Fundum Findiliani uncias II. Ex fundo Passiano uncias VI. Ex fundo Antariano uncias VI. Ex fundo Cæsæ Surdæ uncias II. Ex fundo Tervilliano uncias VI. Ex fundo Cæsæ-Candidæ uncias VI. Ex fundo Polliano uncias VI. Ex fundo Leonis terram modiorum X. Ex fundo Leogniano uncias VI. Ex fundo Najano uncias VI. Ex Fundo Vetusiano uncias VI. Ex Fundo Serviliano uncias IV. Ex Fundo Musiano uncias VII. Ex Fundo Seriolæ uncias VI. Ex Fundo Mariano uncias VI. Item ex Fundo Serviliano portiunculam I. Ex fundo Prætorii portiunculam I. Ex fundo Galignani portiunculam I. Ex fundo Sisiano uncias VII. Ex fundo Catoniano unciam I. Ex Fundo Gai unciam mediam. Ex Fundo Turiano uncias XI. Ex Fundo Salisiano uncias X. Ex Fundo Vasiano uncias X. ubi est Ecclesia Sanctæ Mariæ. Fundum Corbonianum. Fundum Lucianum, ubi est domus culta. Ex Fundo Ariano uncias II. Ex Fundo Septiniano unciam I. semis. Item ex eodem uncias VI. Fundum Pippilianum cum appendiciis suis in integrum. Fundum Scandilianum. Fundum Antiquum. Ex Casale Ansiano uncias III. & Olivictum in Porporaria. Homines quoque qui fuerunt in Majorano cum rebus & substantiis suis. Nec non res quas Genitor & Dominus noster per sua Præcepta eidem confirmavit Monasterio. Item gualdum, qui dicitur Tancies, & Curtem Vallantis, cum omni integritate & appendiciis suis, quæ Hildeprandus per sua confirmavit Præcepta. Et res quas tradidit Theodomundo, qui per instrumenta Chartarum præfato delegavit Monasterio. Et Curtem Tatianum, quam Dominus Apostolicus Adrianus Luponi per suum Privilegium confirmavit, qui per Chartulas cum ipso Privilegio eidem delegavit Monasterio cum omni integritate. Et Monasteria virorum atque puellarum Sancti Marci Evangelistæ, juxta murum Civitatis Spoletanæ, quæ Dominus & Avus noster Carolus Augustus ad idem Monasterium per suum confirmavit Præceptum. Et Sancti Salvatoris situm non procul ab eadem Civitate. Et Monasterium puellarum Sancti Georgii sub muro Civitatis Reatinæ, cum omni integritate sua. Et Ecclesiam Sancti Michaëlis Archangeli super fluvium Mellenum juxta Civitatem Reatinam cum omni integritate sua. Et in territorio Firmano Monasterium Sancti Silvestri, vel Sanctæ Marinæ cum omni integritate.

„ Et res quas piæ recordationis Genitor noster per Præcepta auctoritatis, & confirmationis suæ prædicto contulit Monasterio. Item res Majorani, & Vacoris, ac filiorum ejus, quas ille possedit, vel ei data fuerunt ex concessione Regum, Reginarumque, Ducum, vel ea, quæ per affiliationem, vel comparationem, sive per alium quemlibet attractum ad eum pervenerunt. Seu & Portum in Aso, vel alias res, quas Hildeprandus Dux ei condonavit per sua Præcepta, atque Dominus & Avus noster Carolus imperator eidem Monasterio confirmavit, vel quæ à Domino & Genitore nostro postea possessæ sunt, & ex sua donatione & confirmatione ad prædictum Monasterium pervenerunt. Et res Benedicti Presbyteri, & Magnonis, & Hildeprandi, & Benedicti nepotum ejus. Res Gaidoaldi. Res Tanicisi, sive Pipini Presbyteri filii ejus. Res Helenæ ancillæ Dei. Res Gualtari filii Aimonis. Res Scamanæ & Scamberti filii ejus. Res Pergonis, & Liuthprandi Presbyteri. Res Solduli Clerici. Res Guillonis, & Guillipredi filii ejus. Res Basselli. Res Palumbi. Res Thodolasi. Res

„ Tat-

,, Tattonis, & Hautonis filii ejus, & Rodo-
,, lindæ uxoris ejus. Cœnobium quoque Beati
,, Stephani in finibus Beneventanis, cum cur-
,, tibus, cellulis, gualdis, vel omnia & in
,, omnibus ad ipsum pertinentibus. Res verò
,, Aldonis, & Ardnini patris ejus. Res Aba-
,, chis, & Hiseleindæ matris ejus. Res Hir-
,, minifridi, & uxoris ejus. Res Hilderici, &
,, Tacipergæ genitricis ejus, & Hilcipergæ
,, conjugis ejus. Et gualdum in finibus Rea-
,, tinæ civitatis, qui nuncupatur Curvus, per
,, loca nominata, vel designata, sicut in Præ-
,, cepto Genitoris nostri continetur. Et pisca-
,, torem nomine Aunefridum, & fratres ejus
,, manentes in territorio Reatino in loco, qui
,, dicitur Septem-Pontius, cum uxoribus &
,, filiis eorum, terris ac domibus eorum. Et
,, piscationem, quam ipsi facere consueverant,
,, cum omnibus rebus suis. Et res, quas Ad-
,, vocatus prædicti Ingoaldi Abbatis, præde-
,, cessoris scilicet Sichardi Venerabilis Abba-
,, tis, in præsentia Adeldrandi seu Leonis
,, Missorum quondam Genitoris nostri super
,, *Guinigisum quondam Ducem* legibus con-
,, quisivit, & judicata exinde accepit. Item
,, quas Paulus & conjux sua, sive Gemulus &
,, Maurica, ad idem delegaverunt Monaste-
,, rium. Et res, quas Salomon Francus præ-
,, dicto tradidit Monasterio, quasque jam di-
,, ctus Guinigisus exinde injustè abstulit, &
,, per jussionem nostram Richardus Dux inqui-
,, sitione facta prædicto Monasterio reddidit,
,, & revestivit. Et res, de quibus idem Ab-
,, bas instrumenta Chartarum piæ memoriæ
,, Genitori nostro ostendit, per quæ nobiles
,, viri vel fœminæ eidem Monasterio solemni
,, donatione contulerunt. Item res Stauraci,
,, & Petri filii ejus. Rex Celsi & uxoris ejus.
,, Res Zabbennonis & uxoris ejus. Res Petri
,, Clerici de Camerino. Res Alualdi Presby-
,, teri, & sororis ejus. Res Azilonis Presby-
,, teri, & Aliprandi filii Scipori. Res Aste-
,, mari, & Johannis, & Thodini fratrum.
,, Res Grisonis Spoletani. Res Scamali filii
,, Scamberti. Res Arsi, & uxoris ejus, &
,, Luponis, & Aceriti fratrum. Res Theode-
,, mundi nepotis eorum. Res Scaptolphi, &
,, Formosæ uxoris ejus, & Johannis filii ejus,
,, quas ille per Chartulas offertionis, seu do-
,, nationis ad idem contulerunt Monasterium,
,, & breves pactuationes seu convenientiæ,
,, quæ ex ipsis rebus factæ sunt, inviolabiles
,, perseverent. Res Eufemiæ ancillæ Dei, re-
,, lictæque Lamperti. Res Mauri Presbyteri
,, Firmanæ Civitatis. Res Hilderici patris
,, Audulphi.

,, Res denique superiùs conscriptæ cum om-
,, nibus ad se pertinentibus vel aspicientibus,
,, mobilibus, & immobilibus, à se se moven-
,, tibus, sicut eas præfati homines possederunt,
,, & per instrumenta Chartarum eidem Mo-
,, nasterio condonaverunt, undecumque ad eos
,, pervenissent, & præsenti tempore justè at-
,, que rationabiliter, & quietè prædictum te-
,, net vel possidet Monasterium, vel, sicut su-
,, periùs dictum est, ex munificentia Regum,
,, Reginarumque, Ducum, Castaldiorum, vel
,, ex collatis Populi, sive cunctorum fidelium
,, largitate, vel etiam Monachorum, qui in
,, eodem Monasterio suas animas salvare cu-
,, pientes intraverunt, & ibidem res suas de-
,, legaverunt, & moderno tempore prædictum
,, Monasterium possidere videtur, cum Mo-
,, nasteriis, Cellulis, Synodochiis, Ecclesiis,
,, Curtibus, Villis, Fundis, vel Casalibus,
,, Piscariis cum Piscatoribus suis, Servis, An-
,, cillis, Libellariis, Cartulatis, Offertis, Opi-
,, lionibus, Gualdis, Molendinis, sub omni
,, integritate ad jam dictum venerabile Mo-
,, nasterium nostris futurisque temporibus con-
,, firmamus. Præcipientes ergo jubemus, atque
,, hac nostræ Auctoritatis confirmatione sanci-
,, mus, sicuti in Domini & Genitoris nostri con-
,, tinetur Præcepto, ut nullus Pontifex, Episco-
,, pus, aut Abbas, Dux, vel Castaldus, Actio-
,, narius, seu quislibet Reipublicæ Procura-
,, tor, sive de junioribus, aut successoribus
,, ejus, sive agentibus ipsius Monasterii, de
,, omnibus rebus superiùs nominatis, vel de
,, iis, quæ ad eas pertinent, vel quæ dein-
,, ceps divina largiente gratia ibidem condo-
,, nata fuerint, ullam calumniam aut injustam
,, infestationem facere, aut inquietare ullo
,, umquam tempore præsumat. Sed liceat ei-
,, dem Abbati, successoribusque ejus easdem
,, res quieto ordine tenere & possidere. Simi-
,, liter jubemus, atque præcipimus, ut nullus
,, eos de quibuscumque rebus sinè publici ma-
,, li compellatione despoliare, vel de rebus
,, Monasterii invasionem facere præsumat.

,, Et de omnibus animalibus Monasterii in
,, finibus Spoletani Ducatus definimus atque
,, jubemus, ut in pascua publica omni tem-
,, pore debeant pabulare, vel nutriri, sive
,, illæ, sive hominum eorum, sinè omni da-
,, tico, castaldatico, escatico, herbatico, vel
,, glandatico, & nullam molestiam neque in
,, ponte, neque in via, neque in qualicum-
,, que loco patiantur. Sed semper illibata
,, ipsorum animalia ambulent, ubi & publi-
,, ca animalia consueta sunt pabulare. Et li-
,, ceat illis propriam Monasterii Terram omni
,, tempore defendere atque integrare tam in
,, Reate in loco, qui dicitur Lingla, & Quin-
,, tiliano, & in Amiterno in loco, qui voca-
,, tur Laurianus, quàmque & in Comitatu
,, Firmiano, seu in quibuslibet reliquis locis,
,, vel animalia eorum ad pabulandum mittere
,, absque cujuslibet personæ vel potestatis
,, contrarietate. Insuper & omnia, quæ præ-
,, dicti *Reges Longobardorum*, idest *Liuthpran-
,, dus*, & *Haistulphus*, *Ratgisus*, & *Deside-
,, rius*, nec non & Duces, sive quod Dom-
,, nus & Avus noster piæ memoriæ *Carolus*,
,, vel Genitor noster *Hludovicus Augustus*,
,, per illorum Præcepta prædicto venerabili
,, Monasterio propter amorem & honorem
,, Dei & Domini nostri Jesu Christi, atque
,, intemeratæ Genitricis, cujus nomine ipsum
,, Monasterium dicatum esse cognoscitur, vel
,, pro eorum eleemosyna eidem Monasterio
,, concesserunt, & confirmarunt, per hoc no-
,, stræ auctoritatis Præceptum similiter confir-
,, mamus atque concedimus. Et quandoqui-
,, dem divina vocatione prædictus Abbas vel
,, successores ejus de hac luce migraverint,
,, quamdiu ipsi Monachi inter se talem inve-
,, nire potuerint, qui eos secundùm Regulam
,, Sancti Benedicti regere valeat, licentiam
,, habeant eligendi Abbatem, qualem melio-
,, rem, & digniorem inter se invenerint, qua-
,, tenus ipsam sanctam Congregationem pro
,, nobis, & Conjuge, prolequе nostra, & to-
,, tius Imperii nostri stabilitate, attentiùs Dei
,, misericordiam exorare delectet. Et ut hæc
,, Auctoritas confirmationis nostræ firmior ha-
,, bea-

„ beatur, & per futura tempora à fidelibus
„ Sanctæ Ecclesiæ, & nostris veriùs credatur,
„ & diligentiùs conservetur, more nostro eam
„ subterscribere, & de bulla nostra jussimus
„ sigillari.
„ Druclemirus Subdiaconus atque Notarius
„ ad vicem Agilmari recognovi.
„ Data XVIII. Kalend. Januarii, Anno
„ Christo propitio Imperii Domni Lotharii
„ pii Imperatoris in Italia XXI. & in Francia
„ I. Indictione (52) III.
„ Actum Caliniaco, Villa Comitatus Ca-
„ billonensis, in Dei nomine feliciter.

Hic quoque venerabilis Abbas Sichardus à quodam Benedicto habitatore Vici Flaviani acquisivit rationem ejusdem Ecclesiæ Sancti Alexandri, & Sanctæ Mariæ cum omni pertinentia sua, & Ecclesiam Sancti Martini in Monte, ubi dicitur Casa-putida, cum omni pertinentia. Et à quodam Petro acquisivit casam infra Castrum Viterbiense, & aliam in Quintiano cum Curtibus, hortis, & vineis, & territoriis; & vineam in Casale Faniano, ubi dicitur, Spileum; & aliam in Casale Faniano in Valle; & de prato Casalis Cafazani; & in Casale Pilo pertuso; & de Casale Salicis, & de Casale Blanculani; & in Casale Ampulano; & de Casale Pilæ; & in Casale Celsignanæ juxta Bledanum. Et de Viazzana territorio Orclano; & de Gagio Agonis; & de Massa Anurianensi; & de Vulgano, & cambium ejus in Cruce; & in Fontana-clausa; & in Larciano; & in Petia de Albina finibus Viterbiensium: hos supradictos Casales una cum vocabulis universis acquisivit.

Hic etiam Pater almificus quibusdam viris germanis, Probato, & Picconi concessit res & substantias diebus vitæ illorum tantùm, quas ipsi in hoc Monasterio per chartas donationis emiserunt. Idest Curtem in Massa Torana, & in Casale Massiniano, & Corneto, & civitate, & casas colonicas, idest casam Bonusuli, casam Palumbi, casam Merculi, casam Maineperti, casam Palumbi, casam Adudatali, casam Delicatuli, casam Petri porcarii, casam Petri ferrarii, casam Marioaldi cum substantia Acciduli fratris ejus. Isti resident in Corneto, & in Massugiano. Item in Tampiliano casam Venerioli, casam Alunsuli; & res in Taliano, & Mussano, & Motulo; & casam coloniciam Valentioli in Taliano, & petiam terræ sementariciæ, ubi dicitur Campus; & unum servum manualem, nomine Marcellinum, cum Ecclesia Sanctæ Mariæ ibidem sub annuali pensione denariorum XII. Et constituit quemdam Sindorum in Gualdo hujus Monasterii in campo Gratiani ad meliorandum ipsas res, & de omni labore, sive animalibus ibi nutritis, & de arboribus medietatem annualiter reddendam. Et cuidam viro Presbytero concessit res cum piscinis V. ad linum macerandum in Decano, & de excleto in Casale Surinæ, & vineam de Riello, & terram in Placane, & pratum super rivum ad pensionem reddendam annualem solidi unius in Curte nostra Viterbiensi. Et in casa, vel horto de Cartida ad piscandum in piscaria ordinavit quemdam Joannem; & in Camertula concessit quibusdam germanis Auteperto, & Racifuso coloniam in Manciano ad censum hujusmodi reddendum in Curte nostra de Travenano, scilicet per omnem septimanam per unumquemque operam unam in labore, qui necessarius fuerit.

Defuncto autem præfato magnifico viro Domno Sichardo Abbate, *Lotharius Imperator* hoc Monasterium commisit cuidam *Petro Spoletanæ urbis Episcopo*; sed non multò post idem venerabilis Episcopus suis precibus obtinuit, ut ad pristinum statum hoc sacrum Cœnobium reduceretur, & electus Hildericus, ab eodem Imperatore confirmaretur: quod factum est, & per Imperialis præcepti auctoritatem est corroboratum (53).

Quartusdecimus denique huic loco præfuit *Hildericus* Abbas, satis placabilis atque aptus Deo, & hominibus, strenuè secundùm Deum & seculum suum peragens officium, ita ut cunctis opere & præsentia amabilis existeret. Gubernavit autem hoc Monasterium annis XI. mensibus VI. & diebus V. Migravit in pace Idibus Septembris.

Venerabilis hic Pater acquisivit huic Monasterio à quodam Benedicto in Caneria, ubi dicitur Genestretum, terram in uno tenore modiorum XL. Et revicit in Placito publico terras & silvas in Falagrine in Scantiano, quæ fuerunt concessæ in hoc Monasterio à Paulo, & Taxila uxore ejus, & confirmata per præceptum *Domni Ludovici*, & *Lotharii Imperatorum*. Et à quodam Boniperto Presbytero per concambium acquisivit in loco, qui vocatur Cannicia, petiam unam terræ longitudinis pedum centum, latitudinis pedum XC. & in alio capite pedum centum. Et in Massa Torana, ubi dicitur Brixianus, terram modiorum IV. Et ibidem in Gualdo Exercitale, ubi dicitur Puzalia, juxta Massam Toranam vocabulo Acutiano portiones X. caput mittentes in montem Victamicum, pedem in fine Sancti Petri de Roma. Et ibidem in vinea Porcarenis terram per longitudinem pedum mille, per latitudinem pedum centum. Et à quodam Teuprando acquisivit pretio denariorum L. & à Scaperto in eodem Gualdo terram longitudinis pedum mille, latitudinis pedum centum, pretio denariorum L. & à Stephano ibidem terram longitudinis pedum mille, latitudinis pedum centum; & à Gisolfo terram ejus; & à Sindeperto terram longitudinis pedum mille latitudinis pedum centum pretio denariorum L. & à Leone, & Andrea terram longitudinis pedum mille, latitudinis pedum centum pretio denariorum L. & à Guaideperto ibidem terram per longitudinem pedum mille, per latitudinem pedum centum pretio similiter aureorum L. Et à Bizone ibidem terram longitudinis pedum mille, & latitudinis pedum centum, pre-

(52) Animadverte, Indictionem hanc desumtam fuisse a Kalendis Januarii, cujus moris non desunt exempla, quamquam saepius deducerentur Indictiones a Kalendis Septembribus, ac praecipue in Italia. Nisi hoc statuas, Diploma datum fuisset Anno 839. quo tamen nondum e vivis excesserat Ludovicus Pius, ac propterea decurrere non poterat Lothario *Annus I. in Francia*. Iterum etiam animadvertas velim, Epocham Italicam Lotharii, nempe *Annum XXI.* non ab Anno 823. quo is renuntiatus est Imperator, sed quidem ab Anno 820. quo Langobardiæ Rex constitutus fuit a Patre, esse arcessendam.

(53) Acta haec fuere, ut ex Chartario Farfensi constat, *Anno Imperii Domni Lotharii piissimi Augusti in Italia XXIII. & in Francia IV. Indict. VII. & VII. Kal. Junii, Aquisgrani Palatio Regio.* Hoc est Anno Christi DCCCXLIV.

pretio denariorum L. Item à Scaperto ibidem terram longitudinis pedum mille, latitudinis pedum centum, pedem mittentem in fine Sancti Petri in monte Cavino. Item à Terdeprando, & Trasone germanis ibidem terram longitudinis pedum mille, latitudinis pedum centum pretio denariorum L. & à Causario molinum unum subtus Tapilianum in rivo, & vineam ibidem ad rivum pretio argenti solidorum V. Et ibidem, ubi dicitur ad civitatem ad Sarcofagum, & à quodam Verrione ibidem terram longitudinis pedum MM. latitudinis pedum L. Et à Johanne in Stalpiano terram plus minùs tremisse pretio denariorum XII. & à Galceperto in Casale Cartigiano vineam, & terram Sanapergula, quæ est pedum IV. pretio solidorum argenti V. & à Guerneldi Sanctimoniali fœmina ex natione Francorum, filia Alderegh de pago Guarmatia, acquisivit Curtem unam in Pago Reatino, ubi dicitur Asera, in integrum; & in supradicta Massa Torana, ubi vocatur Captidianus, portionem Scamperti cujusdam universam.

Prædictus Domnus Hildericus, cùm ad hujus regimen Monasterii à fratribus esset electus, & ut à *Domno Imperatore Lothario* confirmaretur, ipsius præsentiæ fuisset unà cum *Petro Spoletano Episcopo* directus, cui dudum hoc Monasterium commiserat Imperator, hanc in Borgo Curte Regia eidem Episcopo de subscriptis ejusdem Monasterii rebus diebus vitæ ejus fecit convenientiam, ut in ipsius maneret potestate ordinandi, & disponendi eas, qualiter vel quomodo sibi placeret, diebus vitæ suæ tantùm, videlicet res Gualdelperti, res Petri, res Gerardi, res Sicharii, res Delprandi, res Taxillonis, Cellam Sancti Marci, *Theophani Comitis*, quæ sunt in Spoleti, res Stephani, res Alonis, res Guinigis, res Aufridæ, res Guaningi, res Rithaldi, Cellam Sancti Martini in Valle, Cellam Sanctæ Felicitatis.

Et ordinavit idem Domnus Hildericus Abbas quosdam viros in Gualdo Interocrino hujus Monasterii, qui nominatur Campus Gartianus annis X. ad custodiendum, & laborandum, atque meliorandum, & in Massa Interocrina, scilicet in Casarice, seu in Miliario, quæ fuerunt in hoc Monasterio per chartulam donatæ ab Hilderico Castaldio, constituit libertos ipsius ad cultandum, & meliorandum in libellario nomine diebus vitæ illorum, & ad persolvendum annualiter in hoc Monasterio hordei modia X. vini decimatas centum, & pro messura hebdomadas duas, quas persolvere debent, ubi necesse fuerit laborare, exceptâ illâ hebdomadâ, quam in Reate facere promiserunt, & annualiter per unumquemque persolvant pullos tres. Et si necesse fuerit pro utilitate hujus Monasterii, epistolas vel mandatum deportare debeant. Quorum nomina hæc sunt: Honoratus, Majori, Isonico, Cauculus, Acipertus, Fabrianus, Bonipertus, Lupo, Majo, & Rodipertus. Item in Caneria, in Casale Capriniano sub pensione persolvenda constituit quemdam virum nomine Benedictum. Item in Massa Interocrina in Casale Caprarice in rebus, quas in hoc Monasterio delegavit Hildericus Castaldus per chartulam donationis, constituit ipsius libertos, quorum nomina hæc sunt: Capra, Recunus, Fratellus, Audimundus, Audulfus, Raimpertus, Perto, Martinus, Joannes, Sabinus, & Majolus, ut ipsas res cultarent, & meliorarent, & annualiter persolverent hordei modia X. vini decimatas centum, & in tribus mensibus, idest pro messura hebdomadas duas, pro fœno hebdomadam unam, & ad suum opus hebdomadas duas, quas persolverent, ubi necesse fuerit nobis laborare, & exceptâ illâ hebdomadâ, quam in Reate facerent; & in ceteris mensibus ad utilitatem hujus Monasterii persolverent hebdomadam unam, & ad suum opus hebdomadas duas; & annualiter per unumquemque pullos tres; & si necesse fuerit pro utilitate hujus Monasterii, epistolas, vel mandatum deportarent. Item in Massa Nautona decimatas Musti in Casale Scuriano, & in Gualdo Barbi ordinavit Gaiprandum, & Gunipertum usque in eorum generationem tertiam ad meliorandum, & usufruendum, & annualiter pensionem persolvendum in Cella Sancti Justini ibidem in Nautona decimatas musti XX. & pullos tres, unum in Nativitate Domini, aliud in Pascha, aliud in Sanctæ Mariæ de Augusto. Item in Massa Torana, in Gualdo, qui vocatur Putialia, & loco, qui dicitur Acutianus, in Conioli campo, in monte & plano, ordinavit Rodimundum Presbyterum, & Benedictum Presbyterum ad dandam annualiter pensionem argenti denariorum XII. Item in eadem Massa Torana, in Gualdo, qui vocatur Putialia, & loco, qui dicitur Acutianus, quæ sunt prehensæ duæ in integrum, ordinavit quemdam Leonem, & ejus tertiam generationem ad omnem laborem, & fruges, & vinum ibidem annualiter nobiscum dividendum per medium, & sementem communiter ponendum. Item in Curte Interocrina, quæ fuit Hilderici Castaldi, in loco ubi nominatur Casaricæ, constituit Gainonem ad annualiter persolvendum argenti solidorum CC. denarios Romaniscos expendibiles, & in pingui vini decimatas centum, hordei modios XXX. exceptâ illâ molinâ, quæ ante ipsam Curtem videtur, quam in nostra reservavit potestate, in quibus dare debemus machinas, & ferraturas hic in Sabinis, & ipse eas ferre ibidem; & debet in hoc Monasterio annualiter transmittere in singulis festivitatibus, idest Sanctæ Mariæ, Nativitatis Domini, & Paschæ pullos XX., & nobis, vel Monachis & hominibus nostris illuc euntibus, & caballis, omnia necessaria ad mansionem debet præbere. Item in Massa Torana in Casale Catigiano ordinavit quemdam Luponem ad meliorandum, & omnes res ibidem per medium nobiscum dividendum. Et inibi Casale Taliano ordinavit Joannem ad persolvendum annualiter vini decimatas XII. & omnes labores per medium nobiscum dividendum. Et inibi Casale Taliano, ubi dicitur Cardettus, in colonia Valentionis servi nostri, constituit Fulcolum Clericum ad annualiter persolvendum angarias in Curte nostra ad Cornetum per omnes menses hebdomadas duas in quocumque labore nobis necessario, & ad viam faciendum in Roma, in Teate, & in hoc Monasterio, & vinum per medium nobiscum dividendum.

Quintus decimus autem huic sacro Cœnobio Venerabilis *Perto* (54) præfuit Abbas. Huic denique, & in hoc Monasterio, per Præ-

(54) Hic Anno 854. successit in regimine Monasterii Farfensis Hilderico. Ad eumdem spectat Diploma breve, sed rarum, Ludovici II. Augusti antea editum, quod heic rursus producere juvat. Lu-

Præceptum Imperiale *Ludovicus Imperator* omnium rerum hujus sacri Cœnobii in hunc modum emisit confirmationem, sive optimam libertatem.

Ludovicus II. Imperator Cœnobio Farfensi, ejusque Abbati Pertoni, immunitates & bona quæque confirmat, illudque sub Imperiali protectione futurum decernit. Anno (55) 859.

„ LUdovicus gratia Dei Imperator Augustus. Si illius amore, cujus munere ceteris mortalibus prælati sumus, Loca divino famulatui consecrata congruis magnificentiæ nostræ beneficiis ad divinum cultum uberiùs exequendum sustollimus, dignæ retributionis præmium nos à Domino remunerari fideliter credimus. Igitur notum esse volumus cunctis Fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ, & nostris, præsentibus scilicet & futuris, quia vir venerabilis *Perto Sabinensis Monasterii Abbas*, quod est constructum in honorem Beatæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ, ostendit serenitatis nostræ obtutibus quædam Præcepta prædecessorum nostrorum *Caroli* & *Ludovici* gloriosissimorum Imperatorum, in quibus continebatur, semper idem Monasterium sub plenissimæ emunitatis tuitione habuisse, sed permaximè piæ recordationis nostræ Genitoris nostri Lotharii præstantissimi Imperatoris. Quod dum relegi fecissemus, inter multas altercationes & varias discussiones evindicando atque ab omnibus partibus liberando, in omni quietudine retracto, sub suo nomine vel successorum suorum auctoritatis suæ censuram constituisse, ut nullus Pontifex, Dux, Princeps, aut quislibet superioris vel inferioris ordinis Reipublicæ Procurator, idem Monasterium sub tributo aut censu constitueret; sed omni quietudine sub defensione, atque Imperiali tuitione fultum consisteret. Deinde memoratus Venerabilis Perto Abbas pro plenissima in futurum securitate, vel quietudine deprecatus est Celsitudinis nostræ clementiam, ut & nos super easdem auctoritates Domino favente nostram adderemus corroborationis censuram. Cujus precibus ob Dei & Domini nostri Jesu Christi Genitricis semperque Virginis Mariæ reverentiam & honorem, vel mercedis nostræ augmentum acquiescentes, hanc Excellentiæ nostræ auctoritatem decrevimus, fierique præcipimus, per quam & idem Genitoris nostri Præceptum modis omnibus confirmamus, & quidquid ex tunc temporis ad illum Sanctum Locum divina auxit pietas per religiosorum hominum devotionem nominatim ac singulatim, sicut in authentico Genitoris nostri habetur decreto inserendo, sancimus atque corroboramus, propter futuras pravorum hominum infestationes atque inquietudines. Idest fundum Acutianum, ubi idem Venerabile Monasterium constructum est, &c. *ut in Præcepto Lotharii supra.* Insuper & omnia quæ prædicti Reges Langobardorum, idest *Liutprandus*, & *Haistulphus*, *Ratgisus*, ac *Desiderius*, necnon & Duces, sive quod Dominus & Bisavus noster piæ memoriæ *Carolus*, vel Avus noster *Ludovicus*, atque Genitor noster *Lotharius Augusti*, per illorum Præcepta prædicto Venerabili Monasterio propter amorem & honorem Dei, & Domini nostri Jesu Christi, & Sanctæ atque Intemeratæ Genitricis, in cujus nomine jam dictum Monasterium dedicatum esse cognoscitur, vel pro eorum eleemosyna eidem Monasterio concesserunt, & confirmaverunt, per hoc nostræ auctoritatis Præceptum similiter confirmamus atque concedimus. Et quandoquidem divina vocatione prædictus Abbas vel successores ejus de hac luce migraverint, quamdiu ipsi Monachi inter se talem invenire potuerint, qui eos secundùm Regulam Sancti Benedicti regere valeat, licentiam habeant eligendi Abbatem, qualem meliorem & digniorem inter se invenerint, quatenus ipsam Congregationem pro nobis & totius Imperii nostri stabilitate attentiùs Domini misericordiam exorare delectet. Porrò ut hæc auctoritas confirmationis nostræ firmior habeatur, & per futura tempora à Fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ, & nostris, veriùs credatur, & digniùs conservetur, more nostro eam subterscribere, & de bulla nostra jussimus sigillari.

„ Data Kalend. Decembris, Anno Christo propitio, Imperii Domni Ludovici piissimi Augusti VIII. Indictione VIII. Actum Papia Civitate in Palatio Regio.

Item in alio Præcepto idem confirmavit Imperator, quo jussit insuper: *Si autem aliqua querimonia adversùs hujus Monasterii Rectores insurrexerit de jam dictis rebus, vel de reliquis Monasterii mobilibus, & immobilibus, quæ ibi legaliter non eis visum fuerit posse esse definita, nostramque reclamaverint clementiæ præsentiam, Comes noster, & Missi nostri discurrentes, seu Ministri Reipublicæ, faciant ambas partes in nostram audientiam guadiare. Præcipimus quoque atque expressè jubemus, ut neque de suprascriptis rebus, neque de aliis, quas in usum Monachorum, vel hospitum, seu eleemosynarum constituimus, aut in antea Deo auxilian-*

Ludovici II. Augusti Diploma, quo immunes ab expeditione militari facit XX. homines Chartulatos, hoc est Libertos, sive Libellarios Cœnobii Farfensis, ad petitionem Pertonis Farfensis Abbatis. Anno 867.

„ IN nomine Domini Jesu Christi Dei æterni. Ludovicus gratia Dei Imperator Augustus omnibus Comitibus, Missis, Procuratoribus, ceterisque Ministris Reipublicæ, nostrisque fidelibus præsentibus & futuris: notum sit, quia petenti per suum Missum *Pertoni venerabili Abbati Monasterii Sanctæ Mariæ, siti Sabinis*, licentiam damus ex nostra plenissima auctoritate Augustali, ut viginti homines chartulati, qui ad ipsum Monasterium pertinent, hoc anno ab omni hostili expeditione securi & quieti remaneant, quales ab eodem Abbate prævisi fuerunt, absque alicujus requisitione aut reprensione. Et ut hæc ab omnibus credatur & observetur, supter anuli nostri impressione jussimus assignari. Actum Civitate Benevento, ubi ipse Augustus præerat, Anno Imperii ejus XVII. mense Martio, Indiction. XV.

(55) Quamquam Annum hunc praefixerim, attamen dubius feci; nam & ipsae notae Chronicae dubiae heic mihi sunt, vitio fortassis amanuensium. *Indictio VIII.* heic signata, si deducatur a Septembri, Annum signat 859. Verum non satis cum hoc Anno convenit *Annus VIII.* Ludovici II. Aut ergo scribendum videtur *Anno Imperii VIIII.* aut *Indict. VII.*

liante eidem fuerint collatæ Congregationi ab omnibus hominibus, licentiam habeant ullam, suprascriptus præsens Abbas, sed neque ipsius Successores, qui pro tempore fuerint, alicui homini exinde aliquid dare, aut beneficium concedere, nisi servitoribus ipsius Ecclesiæ, & commenditis, atque illis, qui meliora, & apta de suis rebus eidem Monasterio cupiunt concedere. Concessit etiam & confirmavit alio præcepto idem Ludovicus Imperator huic Monasterio quasdam res juris Imperii in Valle, quæ nuncupatur Turana in campo Brixiano, qui conjacet inter res hujus Monasterii, hoc est terram cum arboribus, & pascuis modiorum XXVI. Quidam autem Guiprandus vendidit, & tradidit in hoc Monasterio, & Domno Pertoni Abbati casas, & vineas, & castanetum, seu quercetum in Massa Interocrina de Casale Pingui, unum tenere in loco, qui dicitur Plagiæ, & Sumena per mensuram pedis publici modiorum XVI. & in Rugaria solidorum VI. & ubi dicitur Seprata Casarevenii, modium loci. Et terram Caneptualem & Semodiales loci, pretio exinde recepto solidorum L. Quidam etiam Lanfredus, & Scampertus germani vendiderunt, & tradiderunt in hoc Monasterio, & Domno Pertoni Abbati in Massa Turana in gualdo de Puzalia, ubi dicitur Rivus deserti, juxta rivum Cacunum usque in Murellas per latitudinem pedum XXV. & usque in via de Thuphio ad pedes publicos L.

Venerabilis denique Perto Abbas beneficiali ordine, ac usu fruendi, cuidam Hildeprando concessit res hujus Monasterii, idest Casale Toranianum in Cumbriculo, in Massa Torana, in Bassiano substantiam cum colono; & in Sabinensi, ubi dicitur Bacianus, cum ipsa Ecclesia Sanctæ Mariæ; & in Sasano, & Loniamuna eadem ratione concessit Hiperto. Item in Sabinensi in fundo Malliano Ecclesiam Sancti Juvenalis cum dote & portione publica, & colonum unum in ipso Casale, & casam Mennai, casam Palumbi, casam Martuli, casam Anselmi cum suis familiis concessit Lazaro Diacono ad annualem pensionem in hoc Monasterio reddendam solidorum XXX. Et in Ficoala, ubi dicitur Laurentius, concessit Rimoni res hujus Monasterii; & in territorio Amiterno, ubi dicitur campus de Asiniano ad Sanctum Joannem infra ipsam civitatem, & ad Ponticellum, substantiam cum Ecclesiis concessit Odelprando Presbytero. Item in Valle Tybæ terram modiorum XVII. cum fundario concessit Suiderado; & ordinavit Gualderamum in Furcone ad Sanctum Gregorium modiorum VII. & ad Sanctum Heliam modiorum VII. Et in Giniano, terræ, & vineæ petiolas tres, ut in Cella nostra Sancti Egidii serviret per unamquamque hebdomadam dies tres, ubi utilitas exegisset. Et in loco, qui dicitur Lunarii, ordinavit Guidepertum, ut similiter in ipsa Cella nostra Sancti Egidii nobis exhiberet servitium per singulas hebdomadas dies tres, & annualiter ibi daret pullum unum; & ubi dicitur ad Columellam modiorum octo; & in Quigniano modii unius, & in integrum Butianum concessit Theophanio ad persolvendum operas tres per singulas hebdomadas. Quidam autem Grimoaldus Diaconus tradidit in hoc Monasterio substantiam quamdam in Massa Torana, unde promisit Domnus Pertus Abbas annualiter se illi daturum in mense Septembri grani modia XX. & de aliis victualiis modia XX. & in mense Octobri vini decimatas XXX. in mense Januarii porcos lardales IV. aut denariorum solidos X. Item in Massa Torana, & in Massiniano ordinavit quemdam Luponem, ut annualiter omnem fructum divideret nobiscum in Cella nostra Sanctæ Mariæ de Corneto, & ibidem deportandum in Nativitate Domini pullum unum, in Pascha alium, in Sanctæ Mariæ alium. Et in Massa Notona, ubi dicitur Casule, & Mandriæ, & in Pantana, & in Octavo, & in Torrida concessit res hujus Monasterii cuidam Scamperto ad pensionem persolvendam, & in Cella nostra Sancti Justini annualiter dandum musti decimatas X. & pullos tres. Item ibidem ad Sanctum Agapitum, & in Colline, & trans civitatem Reatinam, & in Valeriano colonicias IV. & unam in Juliano, & gualdum in Mojano, & ubi dicitur Palumbaria, & vineam in Giliano cum prato concessit cuidam Pertefuso ratione pensionis. Et in Tampiliano Massæ Toranæ res hujus Monasterii concessit Aldoni ad annualem pensionem reddendam musti decimatas octo. Et in Cella nostra de Massa Torana, & Cella nostra in Vallanti cum aliquibus rebus Joanni Presbytero concessit, & casas, sive vineas, & castanetum, seu quercetum; & in Pingui, ubi dicitur Plagia, & Jamena, modiorum XVI. & in Ragiaria, & ad prata Casa Recuna, & ubi dicitur Canapanile, & in fundo Pisiniolæ, concessit Gaiprando; & in Massa Interocrina, ubi dicitur Vallantis, cum Ecclesia Sancti Nazarii concessit Joanni Presbytero quasdam res hujus Monasterii.

Sextusdecimus equidem huic sacræ Congregationi exstitit Abbas *Joannes*, qui huic Monasterio ab *Imperatore Ludovico* optimæ libertatis acquisivit præceptum, Imperialibus decretis insignitum in hunc modum:

Ludovici II. Imperatoris Diploma, quo Monasteriis Farfensi Sanctæ Mariæ, & Reatino Sancti (56) *Salvatoris, immunitates omnes ac bona confirmat, & injustè ablata restituit.*
Anno 872.

„ LUdovicus divina ordinante providentia „ Imperator Augustus. Quotiescumque „ Imperialis magnitudo divinæ studet operam „ dare propitiationi, procul dubio sanctæ Dei „ Ecclesiæ statum, & totius Imperii salutem „ operatur, atque sibi à Deo profutura longius parat tempora. Quapropter omnium „ Fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque, præsentium scilicet & futurorum comperiat industria, quia cùm sancto die Pentecostes in Monasterio sanctæ Dei Genitricis „ Mariæ, quod situm est in territorio Sabinensi, moraremur, & per Basilicam atque „ Refectorium simul cum Monachis ejusdem „ Cœnobii, nec non & de Monasterio, quod „ est proximum in honore Domini & Salvato- „ ris

(56) Monasterium hoc, ut supra non semel monui, in Reatino agro situm fuit, ac paucis passuum millibus a Farfense distans. Certam ejus notitiam minime assequutus est Clarifs. Mabillonius. Tantum subinde industriae Farfensibus fuit, ut Coenobium Reatinum suo subjecerint. Nunc appellatur *Monasterium Sancti Salvatoris Majoris*, perpetuo Abbatiae Farfensi unitum.

„ ris nostri, reverentiæ causâ deambularemus, nemine mortalium suggerente, vel commonente, nisi solius Sancti Spiritus inspiratione, in cujus consolatione lætabamur, accensi, visum est, complacuitque nostræ à Deo protegendæ magnificentiæ, hoc bonum esse in conspectu Salvatoris nostri Dei, si omnes res & possessiones ad præfata Monasteria pertinentes, videlicet Domini Salvatoris, & gloriosæ Virginis Mariæ ejus secundùm carnem Genitricis, ob præsentem, futuramque salutem, universique Imperii nostri stabilimentum, sub integritate redderemus, & nostra liberalitate in perpetuum confirmaremus. Quammaximam, pro ut ferebatur, ex ipsis rebus partem plerique homines sub quadam detinebant occasione, & quibus nullum in illis sanctis locis fiebat obsequium. Quod nostra Imperiali auctoritate destruere, & quod rectum est, stabilire decernentes, ac si in conspectu omnipotentis Dei, in medio Monachorum Collegio, astante quoque fidelium nostrorum multitudine, omnes adjacentias eorumdem Monasteriorum, atque pertinentias sub omni integritate reddidimus, atque per hoc nostrum Præceptum confirmare decrevimus; scilicet cum Cellis, Casalibus, & Villis, utriusque sexus familiis, tam quæ in præsenti dijudicantur habere, quàm ea quæ in futurum largiente Domino potuerint acquirere. Insuper & proprietates, quas Salichi, vel cujuscumque gentis homines, idest Eudibertus Castaldus. Petrus Presbyter, Hildebertus Castaldus, Herico Castaldus, Berteradus, Gisolfus, Liuduinus Diaconus, Adalbertus & Petrus germani Teuponis, Barumcellus, Codimundus, & Sinualdus de Furcone, qui se in eisdem Cœnobiis ad serviendum Deo devoventes, (57) ibidem condonaverunt, ubique & in omnibus concedimus, ac deinceps cum securitate hac, universa ut possideant, statuimus. Quatenus absque alicujus diminoratione vel inquietudine horum Cœnobiorum præsentes Abbates, (58) *Anastasius* scilicet, & *Johannes*, eorumve successores quieto ordine & tranquilla devotione cum gregibus sibi commissis inibi Deo deserviant, & in integrum eadem Monasteria singuli, juxta quod unicuique competit, juste atque regulariter ordinent; uti pro nobis, ac dilecta conjuge, proleque nostra Domini Dei nostri clementiam orationibus implorare delectentur assiduis, nec non & devotionem suam nulla præpediente necessitate inviolabilem Christo Domino, cui militant, conservare valeant. Confirmamus etiam prædictis Monasteriis omnes scripturarum Auctoritates atque Præcepta, quæ progenitores & prædecessores nostri, piissimi scilicet Augusti, nec non Reges, seu Duces in ipsis reverendis Cœnobiis fieri decreverunt: Pontificum quoque, ceterorumque Nobilium Deum timentium oblationes inibi pariter confirmamus. Præstarias quoque, quas *Petrus* (59) *Aretinus Episcopus* cum *Honorato* (60) *Abbate* injustè fecit, jubemus irritas esse absque pœna ligatæ solutionis. Res autem & familiæ eorumdem Cœnobiorum, sicut Imperialem causam, inquiri sancimus. De Teloneis verò mercatorum & pontium, & de decimis ad portam Moasterii dandis, sicut in aliis Præceptis continetur, pariter roboramus. Si quis autem huic nostræ benignæ liberalitati contradictor & non devotus existere temptaverit obsecutor, infamiæ publicæ reatum incurrens, noverit se XX. libras auri optimi sæpe dictis Monasteriis persolvendum. Porrò, ut hæc, quæ statuimus, pleniorem in Dei nomine obtineant vigorem, & à nostris fidelibus diligentiùs observentur, manu propria subter firmavimus, & annulo nostro roborari præcepimus.

„ Datum V. Kalend. Junii, Anno, Christo propitio, Imperii Domni Ludovici piissimi Augusti XXII. Indictione V.

„ Acta in Civitate Roma, Palatio Imperatoris, in Dei nomine.

Præfatus verò Domnus Johannes Abbas emit à quodam Garimundo in hoc Monasterio terram in Massa Torana, ubi dicitur Brixianus, petias duas; & in Cerciliole petiam unam, quæ sunt modii unius, & pretii solidorum III. Et in Furcone, ubi dicitur Ophide ad duas Basilicas, petiam unam modii unius, & pretii solidorum V., & in Carsule, ubi dicitur Parenti, & in Fraxineto acquisivit terram modiorum IV. & in Massa Torana presam unam de Puzalia juxta Casalem de Paganeco, & ad Rivum desertum, pretio solidorum XX. Item in Carsule, ubi dicitur ad Areolam, petiam terræ modiorum duorum pretii mancosorum II., & in Casale Tariano, ubi dicitur Illice, petias duas, cujus longitudo pedum XX. latitudo unius capitis pedum XL. alterius capitis pedum CVIII. pretio solidorum XXX. Et in territorio Furconino petiam unam modiorum II. & in Quartarum ruptis ad Fontem antiquum pretio denariorum CL., & recepit idem Abbas Domnus Johannes per concambium in aqua Canali, ubi dicitur Origiale territorii Reatini petiam unam longitudinis pedum CXX. latitudinis in uno capite pedum CX. in alio pedum XC. Et in Massa Torana, ubi dicitur Galianus, acquisivit petiam terræ longitudinis pedum XC., latitudinis in uno capite pedum XX., in alio pedum LV. & in Casale Paganeto vineam de tremissis IV. emit pretio bovis unius, & grani modiis tribus.

Ca-

(57) Hoc est *Oblati*. Atque ex his illorum temporum mos confirmatur, nempe hoc piorum hominum genus non se tantum, sed & sua, consuevisse offerre Monasteriis, quibus se devovebant.

(58) Scilicet *Anastasius* Sancti Salvatoris; *Johannes* Monasterii Farfensis.

(59) Qui sub Lothario I. Ludovici II. Patre floruit. Hinc autem sublucere videtur, hunc etiam invasisse, seu ab Imperatoribus impetrasse regendam Farfensem Abbatiam. Supra adnotatum est a Chronographo, post mortem Sichardi Abbatis Lotharium Imperatorem commisisse idem Monasterium *cuidam Petro Spoletanae Urbis Episcopo*. Num pro *Aretino* legendum *Spoletino*; an potius Aretino retento, expungenda est Spoletini mentio?

(60) Nullum hujus vestigium apud Chronographum nostrum. Aut ergo Abbas exigui temporis fuit, aut alterius Monasterii Abbas, cui aliquo tempore commendatum fuerit Monasterium Farfense secundum deformem eorum temporum consuetudinem.

Caroli II. sive Calvi, Imperatoris Diploma, per quod Johanni Farfensi Abbati, ejusque Monasterio jura ac Privilegia omnia confirmat. Anno 875.

„ Carolus Dei omnipotentis gratia Imperator Augustus. Cùm petitionibus servorum Dei justis ac rationabilibus divini cultus amore favemus, & his opportuna beneficia largimur, præmium nobis æternæ remunerationis à Deo rependi non diffidimus. Ideo notum fieri volumus omnibus fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ, quia venerabilis *Johannes Abbas Monasterii Sanctæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ, quod in Italia situm est, in loco, qui dicitur Acutianus*, ad nostram veniens præsentiam, ostendit nobis Præceptum Avi nostri *Caroli Imperatoris*, & Domini ac Genitoris nostri *Ludovici piissimi Augusti*, & *Lotharii* fratris nostri, necnon & *Ludovici nepotis nostri olim Imperatoris*. In quibus continebatur, quomodo ipsi, & antecessores eorum, *Liutprandus* scilicet, *Ratgisus*, *Haistulphus*, ac *Desiderius*, *Reges Langobardorum*, prædictum Monasterium propter divinum amorem & reverentiam Sanctæ Dei Genitricis Mariæ semper sub sua tuitione ac defensione tenuissent. Ob firmitatem rei postulavit prædictus Abbas, ut eorumdem Imperatorum Præcepta nostra auctoritate confirmaremus, & immunitatis Præceptum Monasterio dare juberemus. Cujus petitioni propter amorem Dei libenter acquievimus, & sicut postulavit, in omnibus concedendum atque ita confirmandum decrevimus. Quapropter præcipientes jubemus, ut nullus fidelium nostrorum, vel Missi discurrentes, aut quilibet ex judiciaria potestate, in Ecclesias vel Cellulas aut loca, villas, curtes, vel agros, campos, seu reliquas possessiones memorati venerabilis Monasterii, quas moderno tempore tam in Langobardia, quàm in Romania, seu in Thuscia, & in Ducatu Spoletano, seu in quibuslibet aliis locis possidet, vel quas deinceps ex quorumlibet fidelium datione acquisierit ac possederit, ad causas audiendas, vel freda, seu tributa undecumque exigenda, aut mansiones, vel paratas faciendas, vel fidejussores tollendos, aut homines ejus Monasterii tam ingenuos, quàm servos, libellarios, sive Clericos, vel chartulatos, aut offertos, super terram ipsius Monasterii commanentes distringendos, vel ad publicas excubias compellendos, aut ullas redhibitiones, vel quaslibet occasiones requirendas, nostris, vel futuris temporibus ingredi audeat, vel ea, quæ supra memorata sunt, facere præsumat. Confirmamus etiam eidem Monasterio Privilegia Pontificum, simul cum omnibus rebus sibi collatis à diversis hominibus, commutationes, donationes, offertiones, seu & omnia, quæ per instrumenta Chartarum ad idem pervenerunt Monasterium, cum omnibus ad se pertinentibus. Qui verò de his, quæ fieri prohibuimus, temerè aliquid præsumserit, infidelitatis cum noxa omni nostro subdi censemus. Unde monemus fidelitatem vestram, ut cùm jam fatus Abbas, vel Monachi, vel Advocatus ejusdem Monasterii, in vestra ministeria justitias requirendas venerint, Dux, aut Comes, qui pro tempore fuerint, in quorum Ducatu, vel Comitatu præfatum Cœnobium aliquid possidere dinoscitur, defensores atque adjutores existant in omnibus tam præfato Abbati, quàm & successoribus ejus, & nullius potestatis personam, vim, aut invasionem aliquam inferre permittant in his, quæ ad memoratam Ecclesiam pertinent. Si verò de qualibet causa à parte ipsius Monasterii orta fuerit intentio, non per viles personas, sed per nobiliores homines & veraciores, sicuti ad partem nostram, rei veritas inquiratur. Nulla denique multatura ab Advocato ipsius Monasterii penitus requiratur, nec etiam bannum nostrum pro qualibet causa à parte ipsius Monasterii aliquo modo exigatur. Sed liceat memorato Abbati, & successoribus ejus, res & possessiones prædicti Monasterii sub immunitatis nostræ defensione quieto ordine possidere. Si quis verò ausu temerario contra hanc nostræ Auctoritatis jussionem venire præsumpserit, & eorum quippiam, quæ fieri prohibuimus, contra prædictum Monasterium facere temptaverit, sciat se secundùm Constitutionem Domini & Genitoris nostri Ludovici Imperatoris, ac nostram, sexcentorum solidorum summam ad partem Monasterii esse multandum. De famulis ejusdem loci, & de omnibus rebus præcipimus ita. De teloneis verò mercatorum & pontium & decimas ad portam Monasterii dari jubemus. Præstarias verò ac commutationes injustè factas volumus irritas esse absque pœna ligatæ solutionis. Offertos verò ejusdem Monasterii nolumus in seculo vagari, sed ubicunque inventi fuerint, licentiam habeat Abbas, qui pro tempore fuerit, aut Monachi, eos ad Monasteria reverti faciant. Quidquid verò de prædicti Monasterii possessione Fiscus noster acquirere poterit, totum nos pro æterna remuneratione memorato Monasterio concedimus, ut in alimonia pauperum, & Monachorum ibidem Deo famulantium, nostris, futurisque temporibus proficiat in augmentis, quatenus memoratos servos Dei liberius pro nobis, & pro stabilitate Imperii nostri Domini clementiam exorare delectet. Et cùm Abbas ab hoc seculo migraverit, eligant inter se de ipso Monasterio quemcumque utiliorem invenerint. Et ut hæc Auctoritas firmior habeatur, ac per futura tempora meliùs conservetur, manu propria subter eam firmavimus, atque annuli nostri impressione assignari jussimus.

„ Data VII. Calend. Januarii, An. XXXVI. Regni Domni Caroli in Francia, & in successione Lotharii VI. & Imperii ejus I. Actum in Sancto Petro, Indictione IX.

Præfatus verò Domnus Joannes Abbas emit petias terræ duas in Furcone ad Fontem antiquum, & in Carsule secus viam publicam terram modiorum IV. & in Quinto vineam pedum centum longitudinis, & latitudinis XXX. Et ibidem in Colle malo modiorum XVI. & in territorio Reatino, ubi dicitur Quadragesimus, acquisivit huic Monasterio à quodam *Joanne Episcopo* (61) infra ipsum Casalem res cujus-

(61) Quem conjicere possumus fuisse Episcopum Reatinum. De eo nihil apud Ughellum.

cujusdam Accidei genitoris ejus, & concessit pro convenientia eidem Joanni Episcopo diebus vitæ ejus res juris hujus Monasterii in territorio Sabinensi, ubi dicitur Agellum, item Cellam nostram Sancti Donati, & gualdum, qui dicitur Antiquus; & in Tancie locum, qui dicitur Cella; & ut loca ibi infra ipsum montem Tanciæ cum animalibus suis pabulare valeret, & licentiam haberet prædictus Episcopus, & ejus homines in ipso monte lignamenta ad mansionem, vel ad alias causas incidere. Hæc omnia suprascripta concessit ei præfatus Abbas Joannes, exceptâ Ecclesiâ Sancti Angeli ibidem in Tancia cum offersione sua, quam ei non dedit. Reliqua verò omnia concessit illi diebus vitæ ejus sub annuali reddenda pensione denariorum XII. statutâ pœnâ obligationis argenti librarum L. *Teudardus* (62) quoque *Episcopus Reatinus* concambiavit in hoc Monasterio terram in Pompigiano. Item alius Joannes, & Leonianus, & Lupo germani concambiaverunt vineam in Petroniano de Massa Ciculana modiorum III. & ad Vicum modiorum IV. & ubi dicitur Vinealis, terræ petias II. modiorum II. Item alius Joannes cambiavit in hoc Monasterio subtus collem de Pauperi in campo petiam unam terræ longitudinis pedum XCV. in alio verò LXXXV. Et quidam Ursus cambiavit in hoc Monasterio, & Domno Joanni Abbati petias duas terræ in Massa Torana ad Collem Staliani per mensuram pedis publici solidorum VI.

Venerabilis autem Abbas Joannes hujus Monasterii recollegit in Rescaniano terras modiorum XXX. & dedit cuidam Adiperto Casalem hujus Monasterii idest Maternionem in Pantanione ad omnem laborem dividendum ibidem cum Præposito nostro de Viterbo. Et ordinavit quosdam viros in Fiocula ad persolvendum annualiter pro vindemia decimatas XL. & denariorum solidos X. & concessit cuidam Raconi in Palestina duas colonicias; & in Rescanino terram modiorum XXX. ad annualem reddendum pensionem in Cella nostra in Carsule. Et concessit cuidam Joanni Presbytero in Massa Torana in integrum campos L. & terram in Esclito modiorum IV. & presam unam in Puzalia ad annualiter nobis reddendum de porcis, & pensionem denariorum XII. & concessit cuidam Aldeprando, vineam, ubi dicitur Illice, & Casalem Toronianum, & in Valle Tybæ, ubi dicitur Laurentius. Item Palumbo Presbytero, & Probato concessit res & substantias hujus Monasterii in Massa Torana in finibus Sancti Donati, & Sancti Joannis, & in Ofigiano, & in Speniano, & colonos hujus Monasterii in Barsiano. Et in Bagiano infra ipsum gualdum concessit Luponi & Hildeprando vineam modiorum XX. ad annualiter vinum per medium dividendum, & pro vindemia operas tres, & pro messura operas tres infra Castaldatum Reatinum, & medietatem glandis. Item Lupardo concessit res hujus Monasterii in Carsule, ubi dicitur Trivius, substantias II. ad annualiter reddendam pensionem in Cella nostrâ de Carsule; item Ecclesiam Sancti Petri ad manum suam operas VIII. & pullorum par unum. Et ordinavit quemdam Petrum in colonicia hujus Monasterii in Massa Torana, quæ pertinet ad Cellam nostram ibidem in Cometa; substantia verò est in Tampiliano, ad annualiter per omnes hebdomadas duas operas in ipsa Cella faciendas. Item Godiperto Presbytero concessit Cellam hujus Monasterii, idest Ecclesiam Sancti Benedicti in Massa Ciculana, ubi dicitur Petronianus, ad annualem reddendam pensionem argenti solidorum XXV. & annonam, & vinum. Item cuidam Ansefrido concessit in Pitiliano coloniciam unam, & in Fuliano duas petias terræ modiorum V. & unam substantiam in Nocciano, & aliam in Pontiano, & tertiam in Olivola, & medietatem de Silva, quæ nominatur Cisternula, & duas petias terræ ad Sanctum Stephanum. Item in Massa Ciculana Villa Fungiæ, & in Villa Corneta ordinavit Hildericum ad annualiter dandum in Cella nostra Sancti Benedicti in Petroniano pro vindemia musti decimatas XX. grani modia IV. Item in Quinto concessit casam, quæ est Aplarium ad Sanctum Laurentium, & vineam omnem, qualiter ad ipsam obedientiam pertinet, & in ipso gualdo terram modiorum XV. Item in Octavo, & in Cantiano ordinavit Guidonem ad persolvendum pensionem annualiter in Curte nostra & in Trebulecia pro vindemia musti decimatas XX. & argenti denarios LX. Item in territorio Amiterno, ubi dicitur Marucce, concessit duas petias modiorum duorum, & aliam petiam modiorum sex ad dandum in Curte nostra de Lauriano pensionem denariorum VI.

Decimus septimus equidem hujus sacri Cœnobii extitit *Abbas Anselmus* (63) qui emit in Massa Torana in Casale, qui vocatur Carnioli, Campum ad Avellanam subtus viam longitudinis pedum CV. latitudinis pedum XXX. & portionem quamdam ibi de salicibus pretio solidorum duorum.

Octaus decimus quoque Congregationi Pastor *Teuto* præfuit, qui ad opus hujus Monasterii emit petiam vineæ in territorio Viterbiensi in Casale Rubgano, ubi dicitur Piscina nigra, & portionem de ipso Casale, & Sorte de Casa, cum Curte, & horto, & vinea, & terra in Vico Fossiano pretio argenti solidorum XX. temporibus *Caroli Imperatoris Anno ejus III. & Martini* (64) *summi Pontificis Anno primo Indictione prima*. Et acquisivit huic Monasterio præceptum optimæ libertatis à Carolo Manno (65) Imperatore Anno Incarnationis Domini DCCCLXXXIII. Indictione prima Anno Regni ejus V. Imperii verò III. Et acquisivit per concambium in Amiterno ad Sanctum Xistum, ubi dicitur Vinealis, terræ & vineæ petiam unam modii unius, & in Furcone, ubi dicitur Colomente, & Silva-plana, à Quiatedgerio Castaldo omnes res & substantias ejus; & in Massa Nautona, ubi dicitur Busianus, omnes res Sindolfi, & in territorio Trointensi

(62) Reatinorum Antistitum catalogo adjungendus in Italia sacra.

(63) Hic ab Anno 881. ad 883. Abbatiam Farfensem rexisse creditur, eique e vivis sublato successisse *Teuto* eodem Anno 883. In exemplari, quo ego sum usus, non *Anselmus*, ut habet Mabillonius, quem ego sequutus sum, sed *Zelmo* legebatur.

(64) Notæ istæ chronologicæ Annum indicant 883. quo Marinus Papa florebat. Heic ergo pro *Martinus* scribendum *Marinus*. Vide etiam in Præfatione Chronici catalogum Romanorum Pontificum.

(65) Carlomannus numquam Imperatorum albo additus est. Igitur scribe *Carlo magno Imperatore*, hoc est Carolo Crasso, in quem hæ notæ conveniunt.

tensi in fundo Liciano emit terram modiorum IX. ad opus Cellæ nostræ Sanctæ Mariæ de Caperseta. Et acquisivit omnes res, & substantias Hermengardæ in territorio Reatino infra casam Perotæ per singula loca, vel vocabula, in monte, & in plano.

Et concessit quasdam res in fundo Vestiliano ad censum per omnes annos dandum in Curte nostra Sancti Benedicti in fundo Astaniano. Item in gualdo de Minione in monte Gosperti concessit Guidonato unam petiam terræ ad casas ædificandum; & alias res ibidem ad Cellam nostram Sanctæ Mariæ de Minione pertinentes ad annualiter ibi reddendum pensionem; & si necesse esset, gunitas ad mare faciendum. Et in territorio Trointensi in fundo Velesiano terram modiorum X. cum vinea, & olivis de Cella nostra Sancti Desiderii ad censum annualiter ibi dandum. Et in fundo Pacagiano res de Cella nostra in Coperseta modiorum VI. & in fundo Establo, & in fundo Mariani, vocabulo Frassano, & in fundo Fabicciano terram modiorum LXVII. & in ipsum litus maris ad annualiter reddendum censum in Cella nostra de Coperseto denarios XII. & sipias XX. Et in fundo Collina modia XIV. & in fundo Biviano modia XXIV. cum casa ædificata, & vinea, & olivis, & castaneto. In Casale Fresio de Curte Sanctæ Mariæ de Coperseto, & res in fundo Castapectiano ad censum in ipsa Curte nostra reddendum denarios X. & operas ad boves IV. ad vineas IV. ad messes IV. & pullos tres, unum in Nativitate Domini, unum in Pascha, unum in Sanctæ Mariæ. Et in fundo Biviano modia XIX. cum casa ædificata, & vinea, & olivis, & Cannetum ad censum reddendum in Curte nostra de Coperseto. Item in territorio Reatino, ubi dicitur Carsule seu Leonis, terram, & vineam, & canneriam ad salicetum; & in Massa Nartona, & in Amiterno ad Marruce, & Curtem Sancti Angeli in territorio Balbensi, ubi dicitur Peltinus, omnia concessit cuidam Cintuno ad pensionem denariorum LX. Item cuidam Jordani Presbytero concessit in Vico, vel in Casale Quintianione res hujus Monasterii ad pensionem denariorum XLV. in Curte nostra infra Castrum Viterbiense. Item in Urbana, ac Eligiano, & in Alriano res hujus Monasterii concessit ad annualem pensionem denariorum XII. Facta est autem concessio hæc *Anno VIII. Imperii Domni Caroli, & Incarnationis Domini nostri Jesu Christi Anno DCCCLXXXVII. mense Septembris Indictione VI.*

Nonusdecimus etenim hujus Monasterii Abbas *Nodepertus* (66) exstitit.

Vigesimus itaque sacri istius Cœnobii Rector venerabilis *Spento* fuit, qui Anno Incarnationis Domini DCCCLXXXVIII. mense Augusti Indictione VI. dato pretio argenti librarum XXX. cuidam Gisoni filio Gudeprandi civitatis Reatinæ emit ab eo ad opus Monasterii hujus res ipsius in Massa Capitanea, ubi dicitur Campus Sanctæ Anatoliæ; & in Botro terræ petias X. Prima petia est modiorum XXVI. secunda .... modiorum XII. &c. Decima est semodialis loci unius; & aliam substantiam, ubi dicitur Manianus; & in Bezenano substantias duas, & terram cultilem ibidem cum portione casæ ibi ædificatæ, & in Aquiliano, ubi dicitur Rivaimini, terræ petiam unam modiorum XXVI. & aliam petiam in Aquiliano modiorum C. & in ipsa Silva-plana modiorum X. & portionem in lacu de Arriano; & in vineam in Matturiano modiorum X. & in Furiano substantiam modiorum L. & in Pozano petias duas modiorum VI.

Vigesimus quoque Primus Monasterii hujus Abbas *Vitalis* exstitit.

Vigesimus quoque Secundus Congregationi huic in sacro regimine Pastor venerabilis *Petrus* præfuit, qui Dominicæ Incarnationis Anno DCCCXC. acquisivit in hoc Monasterio à quodam Johanne civitatis Reatinæ omnes res & substantias ejus in Giliano in Pretesia. Item recepit in commutatione à quodam Johanne petiam vineæ in Vico Quintiano perticarum XXXI. & pedum septem; & à Tacheprando filio Scaptolfi recepit in commutatione terræ petias duas in Amiterno. Una petia est modiorum VIII. subtus Pauperi inter vias; alia ad Crucem ad Sanctum Januarium modiorum VIII., & dedit in convenientia cuidam Albuino res juris hujus Monasterii in territorio Pinnensi in Castaldatu Adrianensi, ubi dicitur Casæ Rubenianæ, & in Casa Matronæ, & suscepit ab eo ad opus hujus Monasterii casam & res infra civitatem Reatinam, & in Castaldatu Reatino, & in Castaldatu Amiternino in Casale Porculæ, & pro rebus suprascriptis ibi concessis idem Albuinus annualiter censum se dare spopondit denarios XII. in Cella nostra in Saloftano. Item almificus Abbas præfatus Domnus Petrus acquisivit à quodam Remedio ad opus hujus Monasterii Curtem ipsius in Prætorio in Amiterno, & in ejus vocabulis Anno DCCCCXXIII. Dominicæ Incarnationis XII. die mensis Martii Indictione I. & Regni Domni Hugonis in Italia II.

Venerabilis interea Domnus Petrus supradictus Abbas suscepit in convenientia à quodam Odelprando terras & vineas petiarum IX. & modiorum LXV. in territorio Amiternino, ubi dicitur Prætorium, & in territorio Furconino, ubi dicitur Campus de Mozano, & in Colle, cum castaneto; & concessit ei res juris hujus Monasterii, terræ, & vineæ petias V. in territorio Amiternino, & in territorio Furconino. Prima petia in Pantano modiorum II., & semodialis unius; secunda petia vineæ in Puzano, ubi dicitur Casæ Contreisi, modiorum V. & semodialis unius. Alia petia vineæ ad Crucem sub via modiorum trium, & semodialis unius. Alia petia terræ in Collectario modiorum trium. Alia petia infra territorium Furconinum in campo de Occiano subtus montem, ubi dicitur ad Saccum secus viam publicam. Insuper & servos hujus Monasterii, idest Johannem de Post-collem, Victorinulum, & alium Johannem, Mollegium, & Adelpertulum cum omnibus eorum substantiis ad annualiter persolvendum pensionem in Curte nostra de Reate denarios XII. Item ordinavit quemdam Hilmericum in Curte nostra de Amiterno, ubi dicitur Laurianus, ut quoties Missi nostri ibidem venirent, colligeret eos, & hospitium eis faceret. Item concessit cuidam Bernardo res juris hujus Monasterii in Atissa cum monte de Sancto Christophoro, & Castello, & Villa, quæ

(66) Quem *Nordebertum* Mabillonius appellat, Abbas electus Anno Christi 888. cui vita functo successit eodem Anno *Spento*, ut habet Chronicon. Mihi suspicio est, hunc *Hodepertum* potius fuisse appellatum.

quæ vocatur Plano, & Villa de Dulle & Villa de Avimano, & Ecclesiis infra fines de Sancto Petro de Gabulle, & Sancto Marco, & monte Calvo, & Asola, & fluvio de Ausento, ad usum fruendi; & si nobis oportuerit, vel nostris Monachis, aut nostris hominibus, mansiones, aut hospitium infra ipsum Castellum daret in una mansionatica, vel duabus, aut tribus; & conductum tribueret, qualem Deus dedisset. Pro eo quòd ipse Bernardus de suo proprio dedit in hoc Monasterio de fundo Frontallo terras modiorum D., & pro rebus supradictis se dare promisit pensionem denariorum XII. Item Domnus Petrus præfatus Abbas concessit cuidam Urso res quasdam ex Cella nostra A de Coperseto, ubi dicitur Corticella, modiorum XX. Item in Monasterio Trointensi res ejusdem Cellæ nostræ, ubi dicitur Collicellus, modiorum IX. & sextariorum VIII. & in fundo Betiano sextarios IV. ad pensionem reddendum concessit cuidam Antioni, ut operas manuum duas, & operas boum duas, & si boves non haberet ad manum, easdem operas daret, ubi opus fuisset in supradicta Cella nostra. Item cuidam Mainperto concessit res hujus Monasterii in fundo Bibiano; & in Collicello, & in Cerro, & in Porticello ad censum annualiter reddendum, & operas manuum duas, & boum similiter duas, in Curte nostra de Coperseto.

Explicit Liber Primus.

IN-

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

Hucusque sacri hujus Cœnobii Abbatum series ordinatè notare studuimus, & quod singuli in hoc Monasterio acquisiverint, quodve causâ auctionis rerum hujus Monasterii alienis personis concesserint, brevi relatione perstrinximus, locorum vocabulis, & quorumdam nobilium virorum notatis. Hinc verò distractum hunc à Saracenis referemus, & non parvo tempore desolatum locum, ac nonnullorum Abbatum prodigas dispersiones, plurimasque eorum concessiones, non ad hujus Monasterii tantùm largitas auctionem, sed potiùs ad defectionem, non tam largitas ad meliorationem, quàm ad deteriorationem. Nam antiqui Auctores idcirco contractus largitionis, sive concessionis rerum Ecclesiasticarum, Emphyteusim appellare voluerunt, quoniam meliorationem per id, & auctionem illarum significare docuerunt. Denique hoc tenore concedendum prædixerunt, & legali auctoritate sanxerunt, scilicet *ad laborandum, cultandum, meliorandum, usufruendum, fructus illarum per mediam, vel per tertiam partem, sive quartam, aut quintam cum terræ Dominis dividendum, & operas manuum, sive boum à terræ cultoribus, Actionariis Ecclesiasticis exhibendum, & pensionem, vel censum annualiter persolvendum*. Qui autem ita mercantur, ut brevissimum tantùm, vel temporalem pecuniæ annualiter recipiant censum, non tam Ecclesiæ meliorationem, sive auctionem, quàm illorum potiùs, qui accipiunt, probantur exercere. Quapropter fraudem in hoc Matri, vel Monasterio, idest Domino Deo, Sanctæque Ecclesiæ videntur perpetrare. Unde & Beatus testatur Augustinus dicens: *Quæcumque ab Ecclesia Christi quolibet argumento tolluntur, sive alienando, sive vastando, sive invadendo, sive diripiendo, Christo tolluntur, cui aliquid auferre sacrilegium est. Et nullus sacrilegus nisi per puram, probatamque, & publicam pœnitentiam, & per Ecclesiæ satisfactionem, & reconciliationem, Regnum Dei possidebit. Et non solùm à Regno Dei fit alienus, sed & à liminibus Sanctæ Ecclesiæ, & præcipuè ab illis, quas læsit, usque ad prædictam satisfactionem extorris & alienus efficitur. Et nec cuivis communicare debemus, nec mortuis talium scelerum patratoribus, nisi post prædictam satisfactionem. Et non solùm ipsi, qui hoc faciunt, verùm etiam qui consentiunt, similiter supradictam pœnam patientur. Quia quicumque rapit, aut qualicumque malo ingenio tollit pecuniam proximi sui, iniquitatem operatur; qui autem pecuniam Ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit. Hi non solùm sacrilegi, & lupi, atque homicidæ, pauperumque necatores sunt; insuper anathematis vinculo damnati coram Deo, & Sanctis ejus efficiuntur*. Item Anacletus Papa: *Qui Christi pecunias, vel res Ecclesiæ rapit, aufert, vel fraudat, homicida est*. Item Pius Papa: *Si quis prædia Domino Deo, cui dicata sunt, & Ecclesiæ Christi subtrahit, vel vastat, sicut sacrilegus judicetur*. Item Antiochenum Concilium statuit: *Ut nullus Ecclesiæ Prælatus transigat Ecclesiasticas res, vel commoda quælibet Ecclesiæ Dei in necessitates domesticas, nec agrorum Ecclesiasticorum fructus apud se sinè conscientia subditorum redigat, nec domesticis suis, vel etiam affinibus, aut fratribus, aut filiis, earum rerum tribuat potestatem, ita ut pro eorum secreta diligentia Ecclesiastica jura lædi videantur*. Item: *Nullus Clericus prædia Ecclesiæ potestatem habeat venumdandi, sed nec cuiquam suorum donandi. Et qui hoc egerit, sub omni celeritate reddito pretio, ad loca sacra, ubi compertum est, convertantur. Si autem hac observatione contemta, aliquis hoc præsumserit, res proprias in ipsa Ecclesia relinquat, & ipse foràs ejiciatur, eo quòd divina congruè compellit ratio, ut qui Ecclesias accipiunt ad regendum, non ad dispergendum accipiant. Simili modo nullam habeat potestatem quolibet modo alienandi, neque infiduciandi, neque venumdandi, aut liberis dimittendi. Qui hoc præsumserit, ut superiùs censuimus, si habet proprietatem suam, aliud tantum restituat; & si non habet, erit exspoliatus omnibus, & foràs ejiciatur. Ipsæ quoque res ad Ecclesiam, cujus sunt, revertantur*.

Hæc autem omnia ideo fideliter intimare curavimus, ut res Ecclesiasticæ, vel prædia, sive facultates subripi, vel minorari, aut vastari, sive alienari caveantur à Prælatis, & timeant Dei præcepta Sanctorumq; Canonum sancita, quoniam Ecclesiarum res non ad libitum proprium vel lucrum sunt largienda, sed ad Ecclesiæ utilitates, & commoda, utque augeantur concedendæ; & quæso illorum nemo, ut se de ignorantia, atque omnium exactione excusare valeat, ut Dei legem ignoret, aures in audiendo hæc avertat, quasi ante justum Judicem se excusandi quærat occasionem, sperans juxta Sanctum Evangelium de Servo, si voluntatem Domini sui sciens non fuerit, quòd dignè plagis non sit vapulandus. Paucis noverit, quòd qui ignorat, ignorabitur. Et qui avertit aurem suam, ne audiat legem, oratio ei erit execrabilis; clamabit enim in opportunitatibus ipse ad Dominum & petitio non exaudietur. Sed & hoc nemo fidelium ignoret, quod Magister Ecclesiæ Beatus Augustinus docet: *quoniam tanta in districto Dei judicio unicuique requirentur, quanta æqua sagacitate, fidelique studio, sciri & disci potuerunt, & quanta incuria, sive negligentia, vel contemtione in discendo neglecta fuerunt*. Ergo nulli valet, neque prodest, aut juvat ignorantia, fraude sive calliditate habita. Magis autem in dominico audiendo præcepto aures cordis accomodare studeamus, ut ea, quæ negligendo delinquimus, audientes, vel ad memoriam revocantes, & si non dignis pœnitentiæ fructibus, saltem puniamus in nobis sanctis suspiriis, & utilissimis consumemus compuntionibus, quatenus verus attendens scrutator cordium, quæ in nobis intimis gemitibus nos condemnamus, misericordissima laxare largitate dignetur. Quoniam juxta Apostoli dictum: *Si nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur*, scilicet à Domino; ac si apertè dicat; si nos condemnamus, idest mortificamus in nobis vera peccamina, fidelis, & misericors Deus in hoc nos justificat, & vivificat; afflictio enim contra Pec-

peccatum, acceptum Deo sacrificium fit per omnia comprobatum; & qui in corde pro peccatis devotè affligitur, omnipotenti Deo acceptabile perhibetur offerre sacrificium, Psalmista testante: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum & humiliatum Deus non spernit*. Cùm enim in mente per compunctionis afflictionem vitia & peccata mactantur, virtute ignis divini, idest Spiritus Sancti dono, tamquam holocaustum, omnia consummantur. At contra qui nec Dei legem audire, nec se in peccatis affligendo curat judicare, Apostolo docente, *cor impœnitens censetur habere, ideoque thesaurizat sibi iram in die iræ*, & in Dei justi revelatione judicii, & non vivus, sed per omnia mortuus est æstimandus. Sed tamen propter hoc oportet Ecclesiam Dominum, qui mortificat, & vivificat, attentiùs supplicare, ut quemadmodum Lazarum quatriduanum, sic & hunc sua resuscitare potentia dignetur. Hæc nos nunc dixisse sufficiat, quæ rogamus, ut nulli sint onerosa, quoniam non nostræ scientiæ dicta sunt, sed Sanctorum auctoritates Patrum certissimè noscuntur, & per Sancti Spiritus charismata editæ ac prolatæ creduntur, ut ea observare nitantur, & quæ ex Deo non sunt, spernere per omnia comprobentur.

Sed jam de Italica ab Agarenis illata devastatione, & de hujus Sanctissimi loci ab eis exhibita dicamus destructione. Ad quæ omnia referenda subtiliùs, sive certiùs. Antiquorum relationes, ac descriptiones Historiarum, huic Operi breviùs inserere curavimus, quas nobis utillimas ad recolendum fore indubitanter censuimus, ut de nefanda destructione rerum hujus Monasterii, quæ concessæ sunt à piis misericorditer, ab impiis distributæ crudeliter, aliquod Opusculum dicaremus, per quod aptè sciri possit, qualiter, & quo tempore, vel à quibus malis Rectoribus Monasterium hoc cœperit annullari, quod per tanta annorum curricula à tot sanctis Patribus, qui leguntur in ejus constructione, ditatum & sublimatum noscitur. Quod non tam facimus pro detractione iniquorum Pastorum, quàm pro laude bonorum; & ut qui venturi sunt, & audituri de prioris constructionis sublimitate, & de posterioris minoratione destructionis, quantum congaudeant de bonis collatis, tantùm condoleant de rebus ablatis; & sicut sequi debent exemplum bonorum, sic fugere studeant exemplum malorum. Placuit autem nobis in hoc Opere ad utilitatem legentium, sive audientium, à veridicis Historiographis descriptis Regum, Imperatorum, ac Romanorum Pontificum uti temporibus, ut quæ referenda sunt hìc à nobis, sine scrupulo habeantur dubietatis. Inter quæ etiam quædam acta præcedentium retulimus, quæ utiliter memoranda censuimus, ad ædificationem sanè & cautelam audientium.

Igitur tunc imperabat *Leo Porphyrogenitus, filius Basilii, qui post Michaëlem filium Theophili* imperavit in Constantinopolitana Urbe; *Formosus* quoque *Portuensis Civitatis Episcopus Romanæ Sedis Summus Pontifex* habebatur. Huic quidam *Sergius Romanæ Ecclesiæ Diaconus* erat contrarius, qui per *Adelpertum Marchionem* Papa constitutus, ut impius eumdem Formosum jam sepultum è sepulcro extrahi, & in Sede Romani Pontificatus Sacerdotalibus vestibus indutum decollari præcepit; & tunc sacratis exutum vestimentis, tribusque illius digitis abscissis, in Tiberim jactari fecit, cunctosque ab eo ordinatos deposuit, & reordinavit. Sed idem Formosus post hæc à piscatoribus inventus ad Beati Petri Ecclesiam portatus est; quem etiam Sanctorum quædam imagines in loculo positum venerabiliter salutarunt. Interea *Rex Galliæ Carolus cognomento Calvus* (67) moritur, & completur Imperium Francorum Regum, qui post expletionem Longobardorum Regum Italicum Regnum strenuè potenterque per multa spatia temporum honorificè gubernarunt, Ecclesias Dei exaltando, pauperes recreando, justitiam & legem ubique adimplendo. Postquam enim illorum potestas ab Italico Regno, peccatis facientibus, cœpit cessare, prædictumque Regnum paulatim annullari, justo Dei judicio XX. tantùm Saraceni lintre parva ex Hispania egressi, nolentes vento delati sunt in Oppidum Fraxinetum in Italiæ Provincialiumque confiniis situm. Qui piratæ noctu egressi, clamque Villam ingressi, Christicolas (proh dolor!) jugulant, ipsumque sibi locum vindicant, & in Monte Mauro refugium præparant. Tunc in Hispaniam Nuntios dirigunt, ut secum reducant Saracenos alios, tantùm centum. Itaque *Rege Galliæ Carolo* defuncto, ut ante retulimus, quidam *Guido præpotens ex Italiæ Principibus*, qui illi serviens adhæserat, Imperator constituitur *Dominicæ Incarnationis* An. DCCCXCI. *Arnulfus* autem *Rex* post Carolum præfatum Bajoariis, Suevis, Francis, Theutonicis, Lotharingis, audacibusque principabatur Saxonibus. Hic quoque Romam vênit *Dominicæ Incarnationis Anno DCCCXCVI*. Hujus adjutorio *Berengarius Princeps Italicus* prævalens *Guidonem* extinxit, & potenter Regnum accepit. Italienses autem, quia semper geminis uti volunt Dominis, ut alterum alterius terrore coërceant, *Guidonis præfati filium nomine Lambertum* adhuc ephœbum, nimisque bellicosum Regem constituunt. Post mortem autem *Arnulfi Regis*, *filius ejus Ludovicus* regnavit; & non multò post gens Ungariorum Italiam petiit, & Ticinum nullis resistentibus vênit. Cum quibus *Berengarius* prædictus pugnans vincitur, interfectis fugatisque Christianis. Hac tempestate præfatus *Ludovicus Rex* moritur, & *Chuonradus* genere clarus, & Francus, à cunctis populis Rex ordinatur. Qui Anno VII. ad extrema veniens, Principibus suis præcepit, ut *Henricum Ducem Saxonum*, & Turingionum, qui tunc fortè aberat, Regem eligerent, Dominumque constituerent: quod & factum est.

His præterea temporibus *Ludovicus* quidam *genere Burgundionum*, ab Italiensibus penè omnibus invitatus vênit, & contra *Berengarium* agens, eum à Verona expulit, Regnumque sibi viriliter subjugavit. Sed non multò post ab eo est captus idem Ludovicus, oculisque privatus. Interea Ungariorum rabies per Italiam, nullis resistentibus, dilatatur; sed eorum amicitiis fruitur Berengarius prænominatus. Eodem quoque tempore Saraceni ab Africa ratibus euntes, Calabriam, Apuliam, Beneventum, Romanorumque civitates occupare cœpe-

(67) Immo Crassus, postremus Imperatorum ex Carolo Magno descendentium. Sed hunc errorem ex Liutprando Historico mutuatus est Chronographus noster, uti & illius verba.

cœperunt. Ipso autem tempore Romanæ Sedis Pontificatum *Johannes Ravennas* tenebat. *Theodora* quoque Romanæ civitatis monarchiam obtinebat. Hujus filia nomine *Marotia* ex Papa Sergio genuit filium nomine *Johannem, qui post Stephanum VII. Romanus Pontifex* efficitur; & ex *Alberico Marchione* habuit *Albericum*, qui post ejusdem Urbis accepit Principatum. Italienses autem *Rodulphum* genere Burgundionum, ut à Regno expelleret Berengarium, accersierunt. A quo victus est, & è Regno Berengarius expulsus; Regnumque sibi potentissimè subjugavit Rodulphus. Qui cùm sibi quidam Italienses existerent rebelles, *Burchardum* quemdam *Ducem*, suumque socerum associavit in auxilium. Hic Mediolanum vênit, & juxta muros ejus pergens, suos linguâ Theutonicâ convênit dicens: *Si omnes* (68) *Italienses uno uti calcare tantummodo, informesque caballicare equos non fecero, non sum Burchardus*. Quod cùm diceret, neminem putabat intelligere; sed horum quidam pannosus exstitit relator verborum. Discedens autem Burchardus, pergebat Novariam, & civitatem exinde tendebat Hipporegiam. Tunc Italicæ super eum irruerunt phalanges, quem equus ejus discurrens in fossam projecit, quæ muros circuit civitatis, ubi lanceis confossus vitam finivit. Quod ut Rex Rodulphus audivit, Italiam dereliquit. Interea *Lambertus Mediolanensis Archiepiscopus* consensu omnium *Hugoni potentissimo, & sapientissimo Arelatensium, sive Provincialium Comiti*, mandavit. Qui percitus Papiam vênit, ibique convenientibus cunctis Italicis Regnum suscepit Anno DCCCCXXVII. Domini nostri Jesu Christi humanæ Incarnationis.

His ita relatis videtur congruum nobis, ut jam ad hujus Monasterii narrationem destructionis, sicut promisimus, stylum vertamus, & defectionem ejus à nonnullis illatam iniquis Pastoribus fideliter edisseramus, & bonorum quorumdam in recuperando sanctam solicitudinem atque sagacitatem ad eorum augendam mercedem, commodiùs proferamus.

Igitur per multa annorum curricula, Monasterium hoc à sanctis Patribus honestissimè ac religiosissimè disponebatur, atque in dies augebatur & accumulabatur in spiritualibus, corporalibusque beneficiis, non mediocriter, sed perfectè, *ita ut in toto Regno Italico non inveniretur simile huic Monasterio, nisi quod vocatur Nonantulæ*. (69) Multarum hujus Monasterii terrarum acquisitiones, & Servorum non paucorum ibi commorantium subjectiones, vel plurimorum nobis hìc, aut diversis in nostris locis nobis debitè servientium, & annualiter persolventium statutas redditiones, sive etiam à Pontificibus Romanis, eorumque Actionariis restitutas, vel ablatas quovis tempore nobis possessiones, & hujus Monasterii hereditates, sicut in authenticis & antiquissimis scriptas membranis reperimus, sic Operi huic absque zelo iniquitatis inserere curavimus.

Incipiunt res huic Monasterio legaliter collatæ, & jure antiquitus possessæ ante ejus destructionem, quas postea perdidit iniquorum hominum sublatione. De Curte Pontiana Hilderici Castaldi casæ LXII. De rebus Comitatus Sabinensis sublatis, & injustè possessis. Heredes Rodulphi tenent Casalem de Pereto. In Colle super Collicolum tenent Casalem unum, quem dedit Guaimarius in hoc Monasterio; & in loco, qui nominatur Agellus, universus Collem Causalæ, & Casalem unum, & aliud vocabulo, quod dicitur pratum in Aviano, & juxta Tullianum Casales duos, & ampliùs; In Bosiano Ecclesiam Sancti Victoris, cum pertinentiis suis, & Casalem, qui dicitur Cartica; In Levarano terræ & vineæ Casalem in integrum. In Mozano Casalem unum. In Curte Lauri quantum huic Monasterio pertinet, & campum Adonis unum tenet Rainerius nepos Rodulphi. De Curte Lauri tenet filius Ingizonis; & in Mozano tenet injustè, nec habent literas. In Barbano Rainerius filius Rodulphi tenet Casalem unum. In Cariano tenet filius Rodulphi Casalem unum, qui fuit Stephani de Cariano, & concambium, quod fecit Ingera filia Anzefridi, uxor Bertulfi, & filia Guaimari. Homines de Gabiniano tenent Marcilianum cum Gualdo suo, & ejus pertinentia, & res, quas ipsi concesserunt huic Monasterio, & locum, qui dicitur Bassanus. Berizus filius Palumbi tenet Casales duos in Aniano juxta filios Rodulphi, & Casalem in Terviliano, & quod pertinet huic Monasterio in Castellione, & Castellum Marcilianum, & Casales duos. Johannes, & Dornari cum consortibus suis tenent in loco, qui dicitur Tullianus, vineam & terram. Heredes Anzifredi tenent Curtem de Bambano, ubi est Ecclesia Sanctæ Helenæ, & vocabulum Moricentum, & in vocabulo Oreclanum. Heredes Anzifredi tenent Curtem de Bambano, qui etiam dicitur Bossianus, & Paternæ medietatem, & medietatem tenet Adelpertus; & infra ipsa vocabula Bossiani & Paterni tenet filius Thebaldi quintam partem. Filii Johannis de Corvo tenent locum, qui dicitur Floranus, cum ipso Castello, quod ibidem stare videtur. Et filius *Episcopi Benedicti* unam portionem. In loco, qui Barilianus dicitur, tenet Johannes Volgarus cum consortibus suis, quantum nostro Monasterio pertinet. Heredes Arduini tenent Castellum Cuphi cum pertinentia sua, excepto ipsam portionem, quam antea tenebant heredes Teuzonis Pagani. Filii Roccionis de Arduino tenent unum prædiolum juxta Cuphi, & in vocabulo Justriano unam petiam terræ, & in vocabulo Gabiniano Casalem, qui dicitur Dominici. Herini tenent adulterini de Stephano, & Berizo, qui habitant Romæ. Filius Leonis Presbyteri de Antiquo tenet medietatem de Mazano. Item filius Rodulphi, per vim tenet in

(68) Liutprandi Historiam fuisse heic prae oculis Scriptoris hujus, facile intelligat quisquis ea conferat cum ejusdem Liutprandi Libro, quem dedi in Tomo II. Rer. Italic.

(69) In Par. II. Tomi I. Operis hujus, originem accepisti Lector Nonantulani Coenobii, in Mutinensi agro olim, & nunc quoque siti. Quanta autem foret amplitudo ac celebritas Monasterii hujus antiquis etiam temporibus, ex antiquo & luculento teste nunc discimus. Et mirabere forsitan, quod ne Casinense quidem celeberrimum Coenobium heic legas exceptum. Mabillonius in Annal. Benedictin. ad Ann. 888. haec habet: *Nobilissimum Farfense Coenobium, quod nulli in toto Italico Regno, praeterquam Nonantulano, ut fatetur Johannes Chronographus, Monasterio cedebat, in summam redactum est solitudinem*. Certe Mutinenses habent unde inter reliquos Italiae Populos glorientur ex hocce Coenobio, cui adhuc ampla Dioecesis, & reditus pingues,

in loco, qui dicitur Tascinianus, ubi vocatur Sanctus Maurus, & tenet per ipsum montem locum, quod Fontanellæ dicitur, & ubi videtur esse Castellum, & quædam Casaliclæ, & insuper contendunt, & tenent Vallem Geminam cum gualdo suo. Burellus filius Herizonis tenet terram & vineam, quas dedit Johannes Johanniæ in isto Monasterio. In Ficline tenent alii filii Teuzonis per vim terram & vineam unam. Portionem, quæ nominatur Ficline, tenent heredes Leonis, ac Stephani de Cosiniano; & ibidem tenent unam meliorem partem; & Albericus Presbyter unam portionem; & ibidem tenet Berizo filius Teutonis de Alterisio per vim. In loco, qui dicitur Corolianus, tenet *Abbas Sancti Andreæ* ipsum locum cum pertinentiis suis, juxta ipsum Corolianum terram & vineam, quas in isto Monasterio dedit Lupo Presbyter de Mozano, & modò tenet Minister ejus, & soror, & filius ejus.

Heredes Leonis Barbæ-plenæ tenent in fundo Cuphi ejus gualdum cum Casalibus duobus; & in Azano tenent quantum huic Monasterio pertinet in Ortelle. Ecclesiam Sancti Laurentii, & Ecclesiam Sancti Benedicti cum terris & vineis, modò tenet Joannes Presbyter...... aquam cum consortibus suis. In Toccia Munumentum cupum cum unciis sex, modò tenent Tocciani. Heredes Arduini tenent Curtem de Malliano cum Castellis ejus, quod aliquando per alia tempora tenuit Adrepaldus per scriptum ab hoc Monasterio diebus vitæ suæ; & modò tenet filius Arduini. Insuper tenet Ecclesiam Sancti Laurentii in Catiliano cum pertinentiis. Rainerius filius Arduini intravit in Curtem de Bambano per vim, & tulit inde Casales duos, & dedit generis suis; & Tebaldus de Tarano fecit similiter Casales duos de ipsa Curte. Ecclesia Sancti Angeli in Mozano fuit istius Monasterii, & modò tenet illam Episcopus Sabinensis. Heredes Corcionis tenent in Curte Lauri per vim unam grandem portionem. Heredes Gotifredi de Luca tenent campum unum juxta Sanctum Anatolium in loco qui dicitur Gualdus. Juxta ipsum campum tenet minimam portionem terræ Petrus de Imperatore. Roccio filius Arduini tenet in loco, qui dicitur Acri, medietatem quæ nobis pertinet; & alia medietas est Monasterii Sancti Salvatoris, & tenet eam filius Mannonis. Castellum Terenianum cum pertinentia suą tenent heredes Franconis & Aimonis, & vocabulum, quod dicitur Agozzanum; cum Ecclesia Sancti Antimi & cum pertinentia, quantum ad ipsum vocabulum pertinet.

Gualabrunus tenet Casalem Ratinum, & vocabulum Columellæ; & juxta locum, qui dicitur Turanus, Casalem qui dicitur Spineta; & alium Casalem, qui dicitur Acutianus, & de Casale Casa Pauli portionem unam, & Casalem, qui dicitur Cæsaranellus in Retuniano; & tenet clausuram vineæ & terræ, quas dedit Brinco in isto Monasterio, & tenet subtus Castellum Terranianum petiam unam. Curtem de Pereto tenent omnes homines de Aspra; terram de Lejano tenet Transmundus; terram de Scoplis tenet Joannes de Burello; terram de Majonis, & Vaccariciam, quæ fuit Petri Presbyteri, tenet Petrus de Mannari cum fratre suo Leone, & nepotibus suis; & Joannes de Rodulpho cum suis fratribus tenet ipsam partem, quæ fuit Albertonis. Item Curtem Loritensem heredes Corvonis, & Trasonis cum suis consortibus, & Rodulpho de Aspra cum Castello Lori, & partem Landulfi de Castello Tarano, & ejus pertinentiis, quæ omnia Susanna ejus filia donavit in hoc Monasterio Sanctæ Mariæ pro anima sua, & parentum suorum, sicut ei ipse Pater suus per chartam concesserat. Curtem de Ficleni tenet Petrusbonus cum nepote suo Bozone, & Vulgamino, & heredibus Crescentii de Bona. Medietatem de fundo Maliano cum Ecclesia Sanctæ Eugeniæ tenet Pozo de Arduino.

Castellum Furanum cum omnibus pertinentiis suis tenet Rainerius de Crescentio, & Traso filii Joannis, qui vocatur de Corvo. De Castello Campana tenet filius Arduini partem Falconis filii Arnulfi, qui vocatur de Magno; & terram Benedicti Ubaldi tenent modò filii ejus Grimaldus, & Donodeus, & pensionem dederunt olim. Terram de Ortella, per vim tulerunt Zozo & Joannes suprascripti Arduini cum consortibus. Terram de Antisiano, & de Paviniano, ubi dicitur Sanctus Hilarius, & portionem de Sancto Andrea, & Sancta Anatholia, quæ fuit Joannis de Tebaldo, tenent Joannes de Arduino per vim, & duas Casalinas in Castello Tocciæ, & Canapinas in circuitu ipsius Castelli.

De Casalibus in Sabinensi.

Casalis, qui fuit Crescentii Scandalarii cum sua pertinentia, & petia de Lupo Joannis, quæ est de casa Cellæ; Casalis Transarici cum sua pertinentia; Casalis de Casurinis, & Casalis Sancti Silvestri cum eorum pertinentiis; Casalis de Sarancis cum sua pertinentia; medietas Casalis de Lupo Joannis, Casalis Seniorìcti cum pertinentiis; Casalis de Abbuinis; Casalis de Canno, & Casalis de Rambaldo cum eorum pertinentiis; Casalis Grimaldi Bricti cum eorum pertinentiis; Casalis de Sancto Petro, & petia de Manto, & petia de Joanne Fera; Casalis Martini de Joanne; Casalis de Luccio cum eorum pertinentiis; Casalis Joannis de Carincio; Casalis de Buccalupo; Casalis Aldemari de casa Cellæ; Casalis Reatinus; Casalis de Francobulio; Casalis Sanctæ Luciæ; & Casalis de Costis, & petia de Starnariis de acquisito Peteroli, & de Ponzonis; tertia pars Casalis Joannis Sabonis, sicut modò tenet de terra Cuorisii & Ingebaldi, cum terra de Fontana, quomodo venit in viam Casalis Guilotti, & in via antiqua cum terra Martini Sartoris, & descendit in hortum Ingebaldi; tertia pars de terra Sanctæ Mariæ. Casalis de Mustarello usque finem sepis vineæ Petri Marchisani, & usque cryptam de Alivo, & usque finem Cavæ de Mincio, sicut vênit in via excepto petia Venerii; Casalis Joannis Sannuti; Casalis Pinnaroli, & de Sabarolis, exceptâ silvâ Casalis de Ingonisis; Casalis de Romo, & Casalis Joannis Calvi modiorum XXXIV. medietas Sanctæ Mariæ, & medietas Casalis Romani; Casalis terræ Paluti modiorum XI. Casalis Raineri de Ingezo modiorum XLV. & starii unius; Casalis Cazuti modiorum XXXV. Clusa de Ferrariis modiorum VIII. Casalis de Burro modiorum XXXIX. & stariorum VII. Casalis Zuti modiorum XXXVI. & stariorum II. Casalis Andreæ modiorum VIII. & med. Casalis Lobarti modiorum XXVII. & med.

In Tancia Casales IV. quos tenent Monachi de

de Sancto Angelo. In Lucu Casales II. quos tenet Raynerius Siginolfi. Raino de Nicto Casalem unum: iste servit cum equo. Petrus faber unius Casalis tertiam partem. Joannes de Nicto Casalem unum: iste servit cum equo. Petrus faber unius Casalis tertiam partem. Joannes de Nicto Casalem unum ab adulterina Dodonis: Benedictus de Pizo eas dimidiavit. De Casale Nictonis Caroci cum suis consortibus denarii XXII. & X. ematria. Joannes de Amico cum consortibus suis, similiter Joannes de Maroza, similiter Berus cum suis consortibus; Arnulfus cum consortibus similiter; Crescio similiter; Petrus, & Petrus similiter. Benedictus, & Crescentius similiter; Pioni, & Rainerius similiter; Petrus, & Joannes, & Benedictus similiter; Petrus cum suis consortibus denarios XV.

In Scandrilia fuerunt Casales Comitum manuales, idest Casalis Terniani cum equo uno; Casalis Franchitti cum equo uno; Casalis Sancti Pauli cum equo uno; Casalis Boccuni cum equo uno; Casalis Cambonis cum equis duobus; Casalis Benedicti de Rucco cum equo uno; Casalis Tebaldi de Mainerio cum equo uno; Casalis Castanarii cum equo uno; Casalis Joannis Ricci; Casalis Mazzolini de Joanne bono cum equo uno; Casalis Joannis Alberti cum equo uno; Casalis Reatini; Casalis Pelisi cum equis duobus. Ecclesia Sancti Joannis cum Casalibus VII. idest Casalis Cisternæ; Casalis montis Sancti Joannis; Casalis Sancti Mari, & pars de Casale Carlonis; & pars Casalis Palumbisii; Casalis Novertini; Casalis Sancti Sebastiani. De Casale Sancti Angeli partes tres. De Casale Burelli partes tres, & medietas de ipsa Ecclesia, & medietas de molino; & Ecclesia Sanctæ Mariæ in Scandrilia cum omnibus ejus pertinentiis, & medietas Sancti Martini in Reatinis; Ecclesia Sancti Joannis in Podio Mojano cum omnibus ejus pertinentiis; Molendini duo, idest de vado, & de Canonicis.

Manualia, quæ fecit *Beraldus Abbas* in Scandrilia Ecclesia Sancti Joannis Alberti & omnes fidatæ de ipsa terra de rebus prædictis hujus Monasterii Sanctæ Mariæ infra Romam; terra & campus Agonis cum casis, hortis, & cryptis, quas tenent Stephanus Presbyter; terra, & vineæ, quas tenet Stephania Leonis Curta-braca, & Sicco cum fratribus suis, & consortibus sinè ullo scripto. In portu Ostiæ tenet Stephanus Presbyter, terras & vineas, & fila in Satine, & in Colline similiter: habet scriptum solummodo in vita sua. In Formello Massæ Ecclesiæ Sanctæ Mariæ cum tribus Casalibus, quos filius de Bruzo per vim abstulerat nobis temporibus Paschalis Papæ.

In Comitatu Reatino filii Camponis, & nepotes tenent in Carsule, & gualdo, & Ecclesia Sancti Viti, & Castellum de Cisiano ad proprietatem injustè per scriptum. Ecclesiam Sancti Thomæ cum suis pertinentiis, & in Collina, & in valle Reatina, & in valle Larga, filius *Theodini Comitis* tenet, & medietatem de Curte Sancti Jacobi, & Sancti Heliæ cum Molendinis, & pertinentiis, & in Plaje: hæc omnia per scriptum. Roccam Senebaldi tenent per injustum concambium ab Abbate Joanne, filii Joseph, & turrim de Acupinco cum casis, vineis, & hortis, & quæ juxta ipsam sunt. Filius Rainerii tenet separatim ab aliis terram in Tazano, & in unum beneficium cum servis ibi in Reate, & Sanctum Thomam in Frascario cum ejus pertinentia, quam tulit Adam Presbyter, qui erat Castaldus. Rainerius de Joseph Franco tenet Curtem Sanctæ Agathes, & Sanctum Joannem in Tazano, & molendinum, & alia loca infra Civitatem, & extra. Filii Sintarii, & Joannis tenent Curtem Sancti Gregorii foris ipsam Civitatem per scriptum, & partem substrahunt ad proprium. In Plaje Curtem Sanctæ Agathæ tenent minores homines. Item filii Sintarii, & Joannis tenent subtus Petesam terram multam, hinc & inde juxta flumen, & Curtem Vallantis, & Sancti Salvatoris, & campum Ancillæ Dei cum molendinis, & diversis terris. Et filii Aldonis, & Camponis tenent Interocrum, Curtem Sanctæ Mariæ de Cæsarici cum pertinentiis in montibus, & planitiis; & in campo Sancti Rustici, & in montanis Curtem Sanctæ Mariæ in Furrita cum magnis pertinentiis; & in Falagine, & in Borbone. Item ipsi tenent in Amiterno Curtem de Tegoria cum terris, & vineis, & servis multis, ex quibus fuit Volcubsus cum omnibus suis parentibus. Et tenent in Cernitule, & in Casale Malo, quæ tulerunt eis filii Rattaldi cum Castello de Marana, quod dicunt habere per concambium; sed nos nescimus illud ubi sit. Et tenent in Noveri, & in Cumulo, & in Velizano, & in Amiterno, & in Corno, & Ecclesiam Sancti Alexandri desertam cum terris. Hæc omnia filii Aldonis, & Camponis. Item filii Sintarii, & Joannis in Amiterno tenent in diversis locis. Filii *Theodini Comitis*, & Randinsi tenent in Canali, & Lavareta, & campo Fingiani, & Poplito terras, & vineas, servos, & ancillas plurimas, de quibus multos dederunt, & venumdaverunt, & in Curte habent sicut proprios. Et tenent Castellum de Monte-Aureo destructum in Prætorio. Filii Opterami, & Olderisii & Camponis, & Maifredi insimul tenent Curtem de Saxa cum terris, & vineis, & servis; & in Silva-Plana Curtem Sancti Benedicti, & alias terras cum servis, & ancillis; & in Poplito, & Pile in Sancto Xisto, & magnam Curtem cum servis, & substantiis multis in montibus, & in planitiis, & sub Longum Monaciscum, quod est magnus campus cum servis, & terris. Et in Furcona tenent campum Cæsaranum in montanis, & villis per diversa loca. Teuzo, & filii Corvini tenent in Amiterno in villa Collectara, & in Cantarello, & per alia loca. Et in ipso Cantarello tenent ad proprietatem filii Adenolfi terram cum ipso Castello, quod ibi est, injustè; quia nostri Monasterii est. In Ciculi tenent Otto Aifredi, & filii Landonis Curtem de Gualdo grande, & in Broilo. Filii Guidonis, & Berneri cum suis consortibus tenent in Ophiano Ecclesiam Sanctæ Mariæ cum pertinentiis super fluvium Toranum, inter ipsum Castellum Antiquum, & Castellum Sanctæ Paulæ: hæc omnia in *Comitatu Teodini*. In Comitatu Balbensi filii Adenulfi tenent Curtem Sancti Angeli in Terriga cum pertinentiis. Filii Dodonis, & Landuini tenent Curtem de Sarzano cum Ecclesia Sanctæ Mariæ in territorio Torensi in loco, qui dicitur Paganicus. Super ipsas tenent terræ petiam unam modiorum XXX. positam secus montem de uno capite, & de alio flumen Toranum, & de duobus lateribus terra, quam nobis reservavimus ad Furcam Lupari modiorum X. De precario tenet Hildeprandus in Valle Sancti Pauli terram modiorum XXV.

Filii

Filii *Rambaldi Comitis* tenent Monasterium Sancti Peregrini, quod nostrum est.

Hugolinus filius Perzonis tenet in feudum in Campania petiolas terræ, & pratum magnum. In Comitatu Balbensi *Oderisus Comes* tenet campum Busanum, & Monasterium Sancti Peregrini. In Comitatu Marsicano filius *Rainaldi Comitis* tenet Curtem Transaquas per libellum cum suis pertinentiis juxta civitatem, & extra & per villas, & alia loca, & servos cum substantiis multis, idest Palumbo cum filiis, & filiabus, & Noretino. Et in Pateno, in Carzoli, Monasterium, quod dicitur Cellæ, & unam ex illis Ecclesiis.

In Comitatu Reatino *Transmundus Comes* tenet diversas Curtes, & magnas, & Castellum de Attisa forte & optimum, & quingenta modia terræ adunatæ cum Ecclesiis, vineis, & pometis diversorum generum, & reddidit Monticellum Castellum, quod erat destructum, cum quingentis modiolis similiter adunatis sinè vineis, & pomis. Istud concambium non sponte fuit: Deus scit, sed pro recuperatione, quia antea omnino malè erat factum ad opus Monasterii. Qui sapiens est, accommodet aurem. Tresidius filius Episcopi tenet multa loca quingentorum modiorum; solummodo habet septum cum Fara juxta flumen Sangrum. In Comitatu Pinnensi filii Gualberti Judicis tenent Sanctam Mariam in Tazano cum pertinentiis ejus, & terram in casa Matrone; similiter pro panico unam villam supra ipsam civitatem Pinnensem, & unam Corticellam. Una Corticella est prope flumen, quod dicitur Fine, quam Hugo Abbas tulit quibusdam pauperibus rogatu *Transmundi Comitis*, & Terduni, & Tresidio filio Joannis: postea voluit emendare, sed non sibi licuit: quod qui emendaverit, procul dubio mercedem recipiet. Teuto filius Sigefredi tenet Curtem, quæ antiquitus Casæ Ravinianæ appellabatur, modò Montepedito dicitur, quæ est juxta civitatem Atinensem.

Filii Tresidii, & nepotes tenent Curtem Sanctæ Luciæ in integrum, quæ est in montanis ipsorum in Comitatu Aprutiensi. *Petrus Episcopus*, cum fratribus, & nepote filio Ilperini, tenent Curtem Sardinaria cum diversis pertinentiis. *Merio Abbas* tenet curtem Sancti Felicis in Pedungano, quam habuerunt filii Guazonis Properaria, qui vendiderunt *Antonio Comiti*, & ipse Comes dedit Petro filio Arduinci, & ipse dedit filio Tedemari, qui modò dederunt Sancto Quirico. Iso Felioni cum suis hominibus tenet in scripto medietatem Curtis de Castello, quæ fuit mille modiorum: medietatem cambiavit Transbertus Martelliscus cum suis consortibus: nescimus qualiter. Est ipsa Curtis inter flumen Tuntum, & prata prope mare, & prope Castellum Montis-Aurei. Tedemarius filius Tedemarii, & Sichulphus filius Joannis tenent Ecclesiam Sancti Laurentii, qui dederunt Sancto Quirico in Comitatu Asculano Curtem de Valleveneria, quam tenent singuli homines. Filii Rolandi tenent Curtem de Solestano cum pertinentiis magnis & optimis infra civitatem & foris. & alii plures homines per diversa loca. Filius Donelli tenet unam Ecclesiam in Companino in honore Sanctæ Mariæ cum finita pertinentia ipsius Ecclesiæ alienata per concambium irrationabile. Busetta Joannes cum suis consortibus tenet Curtem Monacisca in Manilla prope flumen Asum.

Fraimes cum filiis Ingelrami, & Singenolfus filius Saxonis tenent ibi terram in Manilla. Guido filius Sinolfi tenet in sumatis Curtem de flumine in Comitatu Firmano. Curtem de Cupreseto magnam & optimam tenent filii Aimeradi, & filius Guidonis, omnes injustè præter Mainardum filium Rolandi, qui habet scriptum de XXX. modiis, licèt unum numquam censum dedit. Azo filius Longini tenet Curtem Sancti Desiderii quingentorum modiorum longè ab Ecclesia. Tasselgradus tenet Curtem in Molzano magnam, quam dicit habuisse concambium; sed nescimus; & alias duas. Terram de Paratinis tenet filius Maifredi. Boso tenet Curtem Sancti Gervasi. Ildericus filius Rainardi tenet Curtem Sancti Sigismundi; & Curtem de Menocla tenet filius *Hugonis Comitis*. Ecclesiam Sancti Silvestri infra civitatem Firmanam, & duas in ipso burgo, tenet Episcopus cum pertinentiis suis. Curtem Sancti Sabini in Passerano, *Marchiones* à multis annis injustè tulerunt. Grimoaldus filius Episcopi tenet Curtem de Suile. Lambertus filius Gisonis tenet terram multam prope campum Asprum, & in montanis Curtem Sancti Angeli in Tesenano. Gualzerus filius Ingelrami tenet Curtem Sancti Marosi, & Sancti Gregorii de Ortezano cum magnis pertinentiis, Curtem de Feclina cum pertinentiis, & Runconem, & in Albaniano, & in Forrita. Filius Smidonis tenet Curtem de Memorie; & filius Attonis de Follano, & filius Adami de Cenestano tenet ibi. Filius Raponis tenet Fagetum Castellum in pede fluminum. Juxta mare prætermisimus Ecclesiam Sancti Joannis. *Mainardus Comes* tenet Curtem de Cisterna, & Monacisca juxta flumen Tenna; & Curtem de Molano magnam, & spatiosam cum magnis pertinentiis, & Curtem de Apriano, & in Sancto Angelo in Merzano terram, & castanetum. Filii Transberti tenent Curtem de Monte Granario; & Gottifredus, & filius Joannis Clerici, & filius Guidonis tenent Curtem de Rort, & Adelbertus filius Transberti.

In Comitatu Auximano Curtem de Monte Polisco tenet filius Ermenaldi cum magnis pertinentiis. In Comitatu Camerino Curtem de Travenano tenet Adam filius Tresidii. Curtem de Sancto Abundio tenet Orrigo Clericus filius Munaldi, & filii Munaldi fratris sui. In Valle Majana Curtem Sancti Viti tenent filii Alberici, Gozo, & Albizo per scriptum ab *Episcopo Hugone*. Curtem de Sala-bona tenet filius Albini; & silvam planam tenet filius Aldanis, & filius Sigizonis. In Castello Petroso Curtem Sanctæ Anciæ tenet *Hugo Comes*, & filius Raconis, & filii Trogerei. In Verulano Ecclesiam cum pertinentiis filii Teuzoni cum suis consortibus sub montibus in Camerina Curte.

In Comitatu Spoletano tenet filius *Alberici Comitis* de Curte Sancti Viti. Et filius Arnolfi, Curtem Sancti Pauli in Comitatu Assisii, Ecclesiam Sancti Joannis cum pertinentiis suis, Curtem de Ursano; in Monte casamentum unum, Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Mojano, & Ecclesiam Sancti Theodori in Lutulo. In Verruculano Ecclesiam Sancti Marcelli cum pertinentiis, ubi est campus Sancti Marci modiorum centum, qui dicitur modò campus Geruitæ. Et in Oloza Ecclesiam Sancti Victorini cum silva Camisitæ, & Castellone, & Ecclesia Sancti Gregorii cum suis pertinentiis.

In

In Fullinge Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Fullonica & omnes res Acardi nomine; & dicunt aliqui quòd Liudolfus concambiasset in Amiterno, & Furcone: sed nescimus, si verum est.

In Spoleto Ecclesiam Sancti Marci cum suis pertinentiis; Ecclesiam Sancti Salvatoris cum suis pertinentiis: Ecclesiam Sanctæ Petronillæ cum suis pertinentiis; Montem Sancti Donati; substantias XIV. modiorum CIV. cum gualdo, & Ecclesiis, & Servis multis, & campos Classinæ. In Comitatu Senogalliæ Curtem de Luciano tenent filii Beraldi, videlicet Duno cum ceteris hominibus. In Comitatu Hesino Curtem de Cavallo Albo tenet *Sifredus Comes*, & Sangone cum parentibus suis. In Comitatu Camerino Curtem de Casa Fenaria tenent nepotes Goroni Comitis. In eodem Comitatu Curtem de Silva-plana tenent nepotes Attonis filii Sigizonis, idest Paganellus cum consortibus suis juxta eamdem Curtem. Alteram Curtem de Salabone tenent filii Siconis. In supradicto Comitatu Camerino Curtem de Traveriano tenet filius Apponis cum ceteris hominibus. In Comitatu Auximano Curtem Sancti Pancratii juxta montem Coranum tenet *Amizo Comes*. In eodem Comitatu Curtem de Monte-Polisco, & Curtem de Putenaria tenet Atto filius..... & Albericus de Lugo, & Ingo filius Ingonis, & filius Attonis de Alberto. Istas supradictas Curtes tempore *Domni Henrici Imperatoris*, quando (70) Trojam debellavit & vicit, tenebat Guido Remenaldi filius. Tunc orta est contentio inter ipsum, & Domnum Hugonem nostri Monasterii Abbatem in præsentia *Domni Teudaldi Aretiensis* (71) *Episcopi*, qui placitum tenebat ejusdem Comitatus ex præcepto Domni Imperatoris, cum judicio Judicum, in præsentia plurimorum hominum, maximè nobilium, refutare eas fecit, & reinvestivit prædictum Domnum Abbatem, quas tenuerunt Monachi nostri Monasterii, & fideles ejusdem nostri Abbatis per dimidium annum cum pace & tranquillitate. Tunc prædicti inimici Dei, & Sancti Monasterii nostri, injustè, & per vim expulerunt omnes prædictos fideles nostri Monasterii, & demum invaserunt malo ordine. Hæc verò, quæ præfata sunt, acta sunt præsentia prædicti Episcopi tunc, & *Gislerii* (72) *ejusdem Comitatus Episcopi*. Leo Judex ibi fuit, & aliquanti plures, quos non recolimus. *Amizo Comes* ejusdem Comitatus ibi residens placitum cum prædicto Episcopo tenebat. Atto filius Adelberti, & Adelbertus de Pulverina, & Grimaldus frater ejus, & Adelbertus filius Joannis, & Rodaldus Vicecomes, & alii perplures ibi fuerunt.

In Comitatu Firmano juxta flumen Potentinum medietatem Ecclesiæ Domini Salvatoris cum suis dotibus, & omnibus pertinentiis tenet *Abbas Sancti Firmani* infra civitatem Firmanam, & Ecclesiam Sancti Silvestri, & turrem, quam nostris oculis vidimus, cum omnibus pertinentiis intus & foras. De quo non ambigimus, quia apparuit, quòd *Transmundus Dux & Marchio* fecit manifestè declarari hoc, quòd eamdem Ecclesiam per precariam à parte nostri Monasterii tenuit, & censum annualiter exinde nobis persolvit. Ecclesiam Sancti Lucii extra portam civitatis, cum ornamentis, & Libris, & campanis, & terris omnibus, quæ pertinent ad eamdem Ecclesiam, per fraudem & calliditatem destruxerunt, & omnes ejus pertinentias abstulerunt, ut à memoria laberetur. Hæc omnia nostro tempore acta sunt. Et medietatem Ecclesiæ Sancti Paratiatis cum pertinentiis suis in Petra-longa, & in Avultriniano, & in Ponte de Bruneta ex utraque parte juxta mare, inter adunata, & extimata ultra modia mille. Juxta mare autem unum Castrum, quod Ripa vocatur, cum portu, & omnibus pertinentiis suis. In Campo Aspreiani, & in Valle Ecclesiam Sancti Petri, quam *Episcopus Firmanus*, & Firmo ejus Advocatus injustè tenet. Et in Valle Anzardi, & in Silva-plana, & in Crypta, & in Monte-Bello ultra modia CC. Curtem Sanctæ Mariæ Matris Domini cum ejus pertinentiis; & Castrum, quod Podium vocatur, quod Joannes filius Otbordi Monasterio concessit, cum cursibus aquarum omnibusque pertinentiis. Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Strata cum omnibus suis pertinentiis. In Passeriano Curtem Sancti Sabini cum suis pertinentiis; & Castrum Casanianum cum Ecclesiis, & podiis, & cursibus aquarum, & hominibus. Et quæcumque Albertus filius Adami habuit à Strata subtus Sanctum Severinum, quomodo pergit in Rigum de Traxito in Tesinam, & per medium ipsum flumen in Bibarium, & per Stratam publicam venit ad Sanctum Georgium, & pergit in Petram-fixam, & usque fossam, & modò vadit in Rigum de Miliano usque ad prædictam Stratam publicam, & venit ad Sanctum Georgium Sancti Severini, omnia in omnibus, pro redemtione parentum suorum & animæ suæ, nostro Monasterio concessit. Has autem terras, quas per precarium à nostro Monasterio tenebat, & beneficium cum hominibus plurimis, injustè & per vim invasit post diem mortis prædicti Alberti.

In Montone verò, & in Viliano, & in Agello, & in Beventi, & in Galbanello terras, & homines similiter nobis præsentibus invasit, & possidet. Monasterium puellarum Sancti Petri vocabulo in Monteriano cum pertinentiis, & infra Xenaria, & terram modiorum LX., adunata quoque Boni filii Hilperini, sicut ab *Episcopo Uperto* accepit per concambium. In supradicto Comitatu Curtem de Molliano cum terris modiorum XI. millium tenet filius *Osonis Comitis*. In ipsa Curte Ecclesia in honore Sanctæ Victoriæ antiquitus dedicata fuit: nunc autem causâ malitiæ destructa est, ut à memoria hominum laberetur. Insuper inchartulatos, & colonos, atque cultores exinde expulit. In eodem quoque Comitatu Castrum, quod Anianellum vocatur, cum Ecclesia, quæ in ipso Castro exstitit, cum omnibus pertinentiis, quæ filius Arconis cum tribus fratribus suis pro animabus suis; & parentum suorum, nostro Monasterio devotè concessit. Curtem Sancti Angeli in Morgizano, quæ nunc ab incolis loci in Pontano dicitur, & alteram Ecclesiam, quæ in honore Sancti Angeli juxta Tennam sita antiquitus fuit, quam nunc tenet filius Giberti cum omnibus pertinentiis. In Establo, & in Paterno, & in Canocupto, & in Critulo, terram, & sylvam ultra mille modiorum inter adu-

(70) Hæc spectant ad Annum Christi 1022.

(71) Idest Aretini. Agitur heic de Theudaldo Episcopo Aretino, fratre Bonifacii Marchionis Tusciæ, & patruo Mathildis Comitissæ celeberrimæ, qui eodem Anno 1022. florebat.

(72) Scilicet Episcopi Auximani, qui Anno 1022. eam Cathedram tenuit, & Ughellio ignotus fuit.

adunata & extimata, quas nunc tenet Gratiolus Saxonis. Hæc autem ideo scripsi ego Giso Præpositus Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Georgio, veraci & fideli sermone, ut cunctis pateat, quòd nos verè scimus, & manifestiùs probamus.

Item *Episcopus Firmanus* tenet in Biliano terram XX. modiorum; & in burgo Ecclesiam Sancti Germani; & Curtem Sancti Sabini; & in Passerano, & in Solano, & in Sorvano, & in Vultriniano, & in Plebe Sancti Pauli, & in Plebe Sancti Helpidii, & in Murro, & in Castaniolo inter adunata & extimata VI millium modiorum, & ampliùs. De Corgnito. Ad Ripam Capellam petiam terræ sementariciæ unam, de quibus priùs habere debemus quartam partem, quæ remanet cum Sancto Nicolao dividere; In Campilione petiam unam vineæ, & in Alvo pretium vini. Ibidem & aliam vineam ibi prope ad petiam vineæ. In Campilione aliam petiam, quam Belizo Presbyter judicavit ad Sanctam Mariam. Istæ vineæ sunt in Campilione. Ad Solecocto petium unum vineæ prope ibi ad petium vineæ. Ad Margaritam Adamus de Plaja tenet petium unum vineæ. Ad terram Albellam petium unum vineæ ibi prope ad petium vineæ. Aliud petium, quod tenet Caracausa. Aliud petium, quod tenent Rainerius, Petrus, & Maslarus filii Bonizoni per libellum. Aliud petium Fusco Presbyter filius Gisulfi tenet per libellum. Aliud petium vineæ tenet filius Sigizoni. Aliud petium vineæ in terra Albella tenet Bonhomo. Aliud petium ibidem ad Ponticellum tenet Berno per libellum. Aliud petium vineæ tenet Caracausa. Aliud petium ad Ponticellum tenet Joannes Castaldus de Tarquini per libellum in Poppe Mangione, quod fuit vinea. Aliud petium ibi vineæ ad Montenarios, & petium unum terræ sementariciæ, sub ipso monte habet per libellum. Petium unum vineæ ad Matramajorem tenet Joannes filius Presbyteri Pauli per libellum. Ibidem aliud petium vineæ, quod est juxta viam, quæ vadit ad Montoras, & in Rota Vadu Venenula petium unum vineæ. Ibi altera vinea Sanctæ Mariæ prope Vadum. Ibi aliud petium vineæ Sanctæ Mariæ tenet Pincio. Aliud petium tenet Nero Bernardi. Aliud petium ibi in alio loco prope vineam Sancti Marci, quæ fuit libellum Petri Ursii filii Vergari ad vineas in conspectu Grottilli. Petium unum vineæ, quod rejacet juxta Rotam Pincionis; Ibidem aliud petium vineæ juxta ad petium vineæ Sancti Marci, quod fuit libellum Petri de Bronio. Ibidem aliud petium vineæ, quod fuit Ildigardæ. Ibidem aliud petium vineæ, quod est libellum Presbyteri Sputarelli. Ibi juxta aliam vineam in ipso circuitu aliæ duæ petiæ de vineis, ubi dicitur Rota Joannis filii Sigizonis. Aliud petium vineæ in Rota Pincionis, quod tenet *Stephanus Comes*. Ad Rotam Terfredifcam petia una; & ibi aliud petium vineæ; in ipsa Rota alia vinea. In Citerno petia una terræ, quam dedit Hugo Abbas ad Allevandi filium Sigizoni. Et terram, quæ ibi juxta est, & novem petias vineæ & terræ tenet per vim Bellizo filius Petri Judicis præter alias vineas, quas tenet.

Aliud petium ibi prope, quod fuit Aldizonis filii Gosberti. In Valle Agatula unum hortum. In Plaja Valle Agatulæ petia una terræ. In Camerata petia una terræ, quæ fuit vinea. Ad Pontem petium unum vineæ. Aliud petium vineæ ad Formam; alia vinea ibidem; aliud petium ad Formam, quod est libellum Fusconis Barbæ-longæ. Ad Formam Petri ibi petium unum vineæ, & duæ vineæ in Fradilli, in Camerata petium unum vineæ. Aliud petium tenet Belizo filius Petri Judicis. In Cungo petia una terræ. In ipsa Rota aliud petium vineæ & terræ. In Rota Episcopali petium unum. In Rota Monacisca vinea juxta terram Pincionis. Ibi juxta tres ordines vineæ, & quartum de vinea Caperceta. Ibidem vinea Sanctæ Mariæ, quæ est inter confinia. Ibidem aliud petium vineæ, quam habuit Bonus pro libello. Inter ambas ipsas petias jacet vinea Moriani. Ibidem in Rota de ponte aliud petium vineæ. In ipso ponte petium unum, quod fuit vinea tenet Hurrengo filius Lator . . . . Ad Lame petium unum vineæ. Ad silicem petiũ unum vineæ, quam tenet Offo. Aliud petium vineæ ibidem; aliud prope inter omnes sunt petiæ CXXV.

De Servis hujus Monasterii, & substantiis eorum.

DE Amiterno. In Sancto Xisto substantiæ XLII. In primis Joannes & Majonus cum sua substantia, Franco, Girio, Lupo, Azo, Dato filius Raingaræ, Isboni, Carfani. Isti omnes cum substantiis, & casis suis, & aliis XXII. quorum nomina ignoramus, cum casis & substantiis. In Castello Saxa cum tribus substantiis in integrum, Pello, Rainerius, Franco cum substantiis VII. Severus, Dato, Juvo, Majo cum filiis Girardi Guitiæ. In Loriano substantiæ duæ, Joannes Pasconæ, & Juvo. In Terea substantiæ duæ Martius, Gualdonus. In Orbita substantiæ VI. Soldo, Pontio cum substantiis. In Cero-longo substantiæ duæ, Jordanus, Aldo. In Marruce substantiæ XL. Taxo, Traso. In Canali substantiæ duæ, Albertus, Franco, Ardinus filii Capponis, Alamanus filius Micatæ cum aliis XXXIV. nobis ignotis; In Regiolo, & in Pantana substantiæ duæ. Isti omnes Servi Sanctæ Mariæ, & substantiæ CV.

De Interamnia Autepertus substantia una. Severus substantia una. Natalis substantia una. Sanulus substantia una. Carincio substantia una. Romanus substantia una. De Prætorio Murelli substantia una. Adelperti substantiæ duæ. Palumbi substantiæ duæ. Saxuli substantia una. Minuli substantia una. Bonili substantia una. Severi substantia una. Gualderami substantia una. Victorini substantia una. Joannis Gospes substantia una. Petri Aponis substantiæ V. Ulimpuli de Tigi substantia una. In monte Sancti Donati substantiæ V. In Concha fossi substantiæ VII. Octivi substantiæ duæ. Candidi substantia una. Majorini substantia una. Romani substantia una. Ticonis substantia una. Majorini substantia una. Grifonis substantia una. Petri Gualdasi substantiæ V. Gospuli substantia una. Moro de Ripule substantia una. Stalari substantia una. Luponis Presbyteri substantia una. In Canali Mamolini substantia una. In Ponzippa substantia una. Sindeperti substantia una. In Tegori substantiæ X. In Cuinulo substantiæ III. In Bellizzano substantiæ duæ. In Calliano Joannis Camiani substantia una. In monte Caniano substantiæ III. In Leporaria substantiæ V. Gualefridi substantia una. Tertoni substantia una. In Margine substantiæ duæ Fratelli, & Tra-

Trasuli. In Textino substantiæ XI. Filii Godemar de Zerzano, Petri suris, & Aldonis germanorum, fratrum de Margine, filii Joannis Transarici, Pasco cum fratribus suis. Omnes isti fuerunt famuli hujus Monasterii Sanctæ Mariæ.

In Musini Florus, & Leo cum uxore, filiis, casis, & substantiis. Petrus cum uxore filiis casis, substantiis. De Secuntiano Palumbus de Vico cum uxore, filiis, casis, & substantiis. Ecclesia Sancti Laurentii cum terra juxta se. In Reatino Ecclesiam Sancti Rufini cum pertinentiis tenet filius Spotæ. In Revigo una petia grandis terræ tenetur per Vasarum. In Castule ad Sanctum Magium petia una terræ, ubi stat una morus, tenet Augustili. Et ibi prope alia petia, ubi stat . . . . . In Campo Saterno prope Ortucle subtus Sanctam Mariam petiam unam tenet Libraca. De Civitate Marsicana petiam unam tenet filius Adenolfi, & filius Azonis Guerræ. Ibi prope super viam tenet Leo filius Stephanonis petiam unam. Donatus Jumentarius juxta ipsam viam tenet aliam petiam terræ ad hortum. Petiam unam terræ tenet filius Azonis ad flumen de Sancto Herano. Gualterius Presbyter tenet molinum sub Sancto Salvatore. De Verongiano petiam unam tenet Lupo filius Luponis Notarii.

In Leoni tenet gener Liusculi petiam unam subtus Curtem Comitalem; ad Sanctum Petrum petiam unam; ad Paccianum petias duas prope Rigum tenet Berardus filius Ponzonis. In Corfengo petias III. tenet Ponzo Presbyter; & ibi tenet Madelandus petiam unam. In Petellino tenet Hugo Presbyter, & fratres ejus petiam unam. Ecclesiam de Sancto Leucio, & de Sancta Maria in Salecto tenent nepotes Guarachorum. In Villa de Ortuno, cum omnibus pertinentiis, servis, & ancillis (unius nomen est Resquinius cum filiis, & filiabus.) Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Paterniano tenet filius Gotifredi. In Tegunrano, & in Ponciano Ecclesiam Sancti Adriani cum suis pertinentiis, tenet filius Guerrami per scriptum, & Sanctæ Mariæ in Apiniano, & Sanctæ Mariæ Trans-aquam cum pertinentiis suis. In Comitatu Paduano, loco ubi dicitur Abeno, quidam homo nomine Attingo tradidit in hoc Monasterio Sanctæ Mariæ de Farfa Monasterium Sancti Laurentii. Valerius Judex surrepsit ipsam Curtem, quæ est in nostro Monasterio, & Curtem Cuprissetam, ubi est Ecclesia Sanctæ Mariæ cum omnibus suis, & Castello de Monte-Tano.

Curtis Sancti Desiderii; Curtis de Venitiano; Curtis de Motiano cum Ecclesia Sancti Joannis; Curtis de Columnelle; Curtis Sancti Venantii; Curtis Sancti Felicis; Curtis de Sardinaria cum Ecelesia Sancti Petri; Curtis de Raviliano; Curtis de Capilia ipsarum prædictarum Curtium mensura modiorum X. millium extimata infra Comitatum Firmanum, Esculanum, & Aprutiense. Curtis de Solestano, cum Ecclesia Sancti Marii.

De familiis Sanctæ Mariæ, & hominibus in Forcone ad rivum. Otolfus Scario cum uxore sua Maura. Beravuculus, filius ejus cum uxore sua Alderuna, & filiis suis Mauro, & Lupone Furconino. Sindifrinus frater Beravuculi cum uxore sua, & Goda filia ejus. Furconinus, & Lupo cum casis, & substantiis b. p. III, (73) c. II. a. Sindo cum uxore sua Guimperga, & filiis suis. Autolfus, Sindolfus, Senator, Optapertus, Sinda, Sintarus filius ejus cum uxore sua Ursa, & casa, & substantiis III. Vitellus, Constantinus cum uxore sua Venerunda filiis masculis II. & filiabus II. habentibus filios. Rimo Presbyter filius ejus resfidet ad Sanctam Justam cum casa, substantiis b. p. I. a. Dominicus cum uxore sua Cimina, filius ejus Sabatinus, Bonicertus cum casa, & substantiis VI. p. I. a. Constantiolus cum uxore sua Rotunda, & filiis ejus cum casis & substantiis. Gualderamus cum uxore sua Rodiperga, filius ejus Anseramus, Petrus, Joannes, Guadelpertus filius ejus cum uxore sua, casis, & substantiis b. III. v. III. a. (74) Honoratus cum uxore sua Lindula filia fœmina una, cum casa & substantiis VI. p. I. a. Sinderadus cum uxore sua Fideperga filio masculo I. filia ejus Dominica, cum casa & substantiis.

Justulus cum uxore sua Eufemia filio masculo uno, fœmina una, cum casis, & substantiis. Barorus cum filia sua Dominica, casis, & substantiis. Florus cum uxore sua Boniperga filius ejus masculus unus, cum casis & substantiis v. I. a. Septimus cum uxore sua C. & C. S. I. Baroncellus cum uxore sua Boniperga, filiis masculis VI. fœminis II. cum casa & substantiis b. p. I. a. Goderisus cum uxore sua Serenula, filius ejus Dominicus Ursus cum casis, & substantiis. Audulus cum uxore sua Audelupa; filii sui Audipertus, Fratellus. Uso filius ejus cum uxore sua, filio masculo uno, cum casis, & substantiis. Arnaldus cum uxore sua Albana, filius ejus Guarnipertus cum casis, & substantiis a. Petrus cum uxore sua Flora, casis, & substantiis. Fuscaro cum uxore sua Albina, casis, & substantiis. Bonulus cum uxore sua filio masculo I. fœminis II. casis, & substantiis. Gunaldus cum uxore sua Proba filio masculo I. casis, & substantiis. Lipo cum uxore sua, filiis masculis II. casis, & substantiis. Petrus cum uxore sua Agiptiola, & filia fœmina I. casis, & substantiis. Anefridus cum uxore sua, filio masculo I. fœminis II. casis, & substantiis. Joannes cum uxore sua, casis, & substantiis. Agilus cum uxore sua Ursa, & cum una pupula, & casis, & substantiis. Racipertus cum uxore sua Sindula, & filiis masculis II. casis, & substantiis; Anteradus cum uxore sua filiabus fœminis II. casis, & substantiis. Racipertus cum uxore sua Ildiperga, filio masculo I. & casis, & substantiis. Dominicus cum matre sua Serenula, casis, & substantiis. Filipertus cum uxore sua, filiabus fœminis II. casis, & substantiis. Probatus cum uxore sua, filiabus fœminis II. casis, & substantiis. Substantia Scamaræ, quæ fugit in Sabinis.

Qui resident ad Volubrium. Decoratus cum uxore sua filio masculo I. fœminis III. & cum fratre suo Mauraldo, casis, & substantiis. Formosianus cum uxore sua, filia fœmina I. fratre, casis, & substantiis. Opteramus cum uxore sua, filiis masculis II. casis, & substantiis. Fasellus, Ursulus filius ejus cum uxore sua Terda, filio masculo I. fœminabus II. casis, & substantiis.

Qui resident in Fursone. Joannes, Roda, Ildula, Adepertus filius ejus cum uxore sua Ma-

(73) Idest boum paribus tribus, caballis aut capreis II. & asino. Ita & infra.

(74) Idest bobus tribus, vaccis tribus, asino. Fortasse scriptum ibi p. III. hoc est paribus tribus.

Magiperga, filia fœmina I. casis, & substantiis. Petrus cum uxore sua Rosa, filius ejus Fusculus, Ado, Simpula, Adileupa cum casis, & substantiis. Baruncellus cum uxore sua Gualdileupa, filius ejus Teudimundus, & casis, & substantiis a. Teupulus cum uxore sua, casis, & substantiis a. Scapulus cum uxore sua Jaquinta filius ejus Taculus, Stephanus, Petrus, Luciolus, cum casis, & substantiis v. I. a. Godulis cum uxore sua Linicunda, filius ejus Liuprandus, Teudulus Godeldi, casis, & substantiis b. p. I. a. Lupo cum uxore, sua Godiperga, filiabus fœminis II. casis, & substantiis b. I. a. Candiclus cum uxore sua Marice, filius ejus Firminus, pupula Fuscula, & casis, & substantiis v. I. Mauripergus cum uxore sua Uniperga. filii ejus Gualipertus, Ursus, Lupo, Aldula, cum casis, & substantiis. Adelinda cum filiis suis, Leo, Aricisi, Gisulfus, Rimulus, casis, & substantiis v. I. a. Allo cum uxore sua Autiperga, filiis masculis IV. fœmina I. casis, & substantiis. Pertulus cum uxore sua Aideperga, filiis masculis II. fœminabus II. casis, & substantiis a. Isar cum uxore sua Candida, filius ejus, Isula, casis, & substantiis. Gualdefridus cum uxore sua Candida, & filio masculo I. casis, & substantiis. Teudelapus cum uxore sua Gaiti filiis masculis V. casis, & substantiis, a. Osenzulus filius Clarenzuli, quem tenet Aldo.

Qui resident ad Sanctum Demetrium. Insualdus cum uxore sua Alerada, filii ejus Isolfus, Isimundus, Mamula, & casis, & substantiis v. I. a. Fratellus cum uxore sua Camerina, filius ejus Bonulus, casis, & substantiis v. I. a. Baruncellus cum uxore sua Alderuda, filiis masculis II. fœmina I. casis, & substantiis v. I. a. Autari, cum uxore sua Careldi, casis, & substantiis b. p. I. a. Unaldus cum uxore sua Rodiperga & filio suo Mainari, cum casis, & substantiis, a.

Ermulus resides ad Besenie, in substantia Gaidaldi cum uxore sua Palumba, & filio ejus Rodifuso, casis, & substantiis, v. II. a. Magniusi resides ad Isule cum uxore sua Guarna; filii ejus Magnipertus, & Elpicus, cum casis, & substantiis b. III. Casulus resides ad Sanctam Balbinam cum uxore sua Guaruula, & filio ejus Causiperto, casis, & substantiis. Eunipertus cum uxore sua Ildeperga; filii ejus Gudipertus, Godeprandus, Rodelina, Polla. Godeprandus frater ejus cum uxore sua Adelperga; filius ejus Gaideprandus, & Aliprandus, cum casis, & substantiis b. p. I. In Cazonicis Gualdefridus cum uxore sua Anzeldi, filii ejus. Leo, Gualdericus, cum casis, & substantiis. Quaduciolus cum fratre suo Audeperto, casis, & substantiis, b. I. Guarnacus cum uxore sua Goda, casis, & substantiis. Aruisi cum uxore sua Goderuna; filii ejus Alcisi Domnus, Lupula, casis, & substantiis.

In Rajano Lunicisi cum fratre suo Lupardo, & Lainpula uxore Lunicisi, Teudiperga; filii ejus Ursus, Lucipertus, Lupa uxor Lupardi, Formosia, cum casis & substantiis. Substantia Venerii vacua est.

In Pontiano Lupo cum patre suo Dagarsi, & uxore sua Aniperga, Amepertus cum uxore sua, filia ejus Gaideperga. Addepertus cum uxore sua Radiperga, casis, & substantiis v. I. vit. I. a. Ursus cum fratre suo Anzerado; uxor Ursi Causiperga, filiæ ejus Cusiperga, Teudelina uxor Anseradi; Teudalda soror Ursi, Crispa cum filia sua Lupa. Item soror Ursi cum filia sua Mauriperga; casis, & substantiis v. I. b. II. Anzeramus cum uxore sua Aliperga, filii ejus Lupo, Ferargus, Anzperga, cum casis, & substantiis.

In Casa Raviniana Pelegrinus cum uxore sua Alda, casis, & substantiis a. In casa Matronæ substantia Radaldi. In Marciliano substantia Lupuli; in Betizano substantia v. I. Casa Pauli Aldioni cum uxore sua. In Asinarii Arno cum casis, & substantiis, & ceteri, qui resident in Saxa. Adaldus cum uxore sua, & mancipiis II. nostris Guaitada, Maria, casis, & substantiis. C. IV. b. p. II. a. Kaso cum uxore sua, & substantiis. Pillo cum uxore sua, & suis. Isti tres extraiverunt à servitio Sanctæ Mariæ.

Qui resident in Colomerte. Rimo cum uxore sua Palumba; filii ejus Paulus, Issimundus, Arnolfus, Gratiosa, Palumbus filius ejus cum uxore sua Maura, casis, & substantiis c. II. a. Ursulus, Alesridus filius, Alo cum uxore sua Bonosa, filius ejus Colo, cum casis, & substantiis. Paulus cum uxore sua Maura, filiæ ejus Maria, Scanderta, cum casis, & substantiis. c. I. v. I. a. Aidepertus cum uxore sua Palumba, filii ejus Adelfridus, Peirus, Formosa, Inildus cum casis, & substantiis b. II. a. Theodorus cum uxore sua Optiperga, filii ejus Aidolfus, Tersolus, Opteramus. Goderadus, filius ejus cum uxore sua Formosa, filius ejus Causula, cum casis, & substantiis. Arpajo cum uxore sua Stephania, casis, & substantiis. Beraldus cum uxore sua Teuderanda, filii ejus Firaldus, Albuni, Sinderadus, Victorinus, Teudericus, Teupa, cum casis, & substantiis b. p. I. a. Gaido cum uxore sua Digna, filii ejus Gaiderisi, Lupo, Gaipula, Sannia, Auderada, cum casis, & substantiis c. I. v. I. a. Albimus cum uxore sua Tanicunda, Colo filius ejus cum uxore sua Aleperga, filii ejus Petrus, Johannes, Formosa, Lupo frater Colonis cum uxore sua Anesperga, casis, & substantiis v. II. c. I. a. Desiderius cum matre sua Lupuara, & uxore sua Aucildi, & fratribus suis Aldemario, & Alexandro, casis, & substantiis. Johannes cum uxore sua Ildiperga, & filiis suis Gundulo, Teupaldo, filia ejus Jannia, casis, & substantiis. Sindulus quoque resides in Langizano cum matre sua Aleperga, & uxore sua Adeperga, & fratre suo Alefrido, & sorore sua Ursa, Rodelinda, casis, & substantiis.

Qui resident ad rivum Merdarium. Lupulus cum uxore sua, & filii ejus Lodipertus, Attula, Godemaria, cum casis, & substantiis. Dominicus cum uxore sua Teurada, filii ejus Dominica, Teuduli, cum casis, & substantiis. Auderada vidua cum filiis suis Allulo, Lupualdo, casis, & substantiis. Baliniolus cum uxore sua Deperga, filiæ ejus Rosa, Todeperga, Teuderada, cum casis, & substantiis.

Qui resident ad Sanctum Marnatem. Ernofridus cum uxore sua Maturca, filii ejus Laudepertus, Hermepertus, Bonipertus, Alcorda, cum casis, & substantiis, b. p. I. a. Empulus cum matre sua Gaudiosa, & uxore sua Teuscula, & sorore sua Perdeldi, Audula cum filiabus suis Antiperga, Ursa, casis, & substantiis. Antulus cum uxore sua Anegildi, filii ejus Waldus, Gaidefridus, & Unuala, cum casis, & substantiis. Ronisa qui resides ad Sanctam Mariam, cum uxore sua Maura, & Moderico Presbytero filio suo; filii ejus Adeperga, Godera-

derada; Alderadus filius ejus cum uxore sua Tunicunda, filio masculo I. casis, & substantiis c. II. b. p. II. Audipertus resides ad Sanctum Gregorium cum uxore sua Perga, filii ejus Gaiterda, Stradulus filius ejus cum uxore sua Godeldi, casis, & substantiis. Alepertus cum uxore sua Aideperga, & filiis non habent substantias. Petrus, cum uxore sua, & filiis suis non habent substantias.

Qui resident in Sublongo. Meraldus cum uxore sua Beneventa, Joannes filius ejus cum uxore sua Maria, casis, & substantiis, v. I. a. Leo cum uxore sua Gisa, filii ejus Godefridus, Guasperga, Natalia, cum casis, & substantiis. Terdepertus cum uxore sua Lupa, filii ejus Autulus, Andreas, Rodindi, cum casis, & substantiis. Formosus cum uxore sua Ansiperga, filii ejus Silvulus, Formosula, Boniperga, cum casis, & substantiis, b. p. I. a. Urbanus cum uxore sua Formosa, filii ejus Ursulus, Aleperga, Maneperga, casis, & substantiis b. III. vit. I. a. Palumbus cum uxore sua Tenda, & nepotibus suis Sindula, Attula casis, & substantiis. Auderada vidua cum filiis suis Petro, Paulo, Auderado, Insida, Aupula, casis, & substantiis. Ad Salicem Honoratus cum uxore sua, filii ejus Palumbus, Audipertus, Teudimundus, cum casis, & substantiis. Moinellus cum uxore sua, & fratre suo, casis, & substantiis. Istas tenet Otolphus.

Homines manuales infra Casam in Forcone. Porto caballarius cum uxore sua, Fileradus faber, Grossolus coquus, Valeraus, & Ursus pistores; Teudipertus hortulanus; Moppulus. Majulianus, Ursus cum uxore sua Perda, & Guiltrulus hortulani; Furconius filius Guistruli, Augustus, Aucarius. Item infantes masculi Godipertus filius Fileradi, Lupus filius Bonipergæ, Sismundus filius Gaidepergæ, & Ursulus filius Teudepergæ, Aniolus filius Boniolæ, Filipertus filius Filipergæ; Adepertus filius Adulæ, Petrus filius Formosæ; Zoto filius Pertonis, Elenus filius Godipergæ, Arimodus filius Ursi.

De mancipiis, quæ bene laborant. Ramiperga, Laudula, Maura Ancilla Dei, Lupa, Anetula, Pera, Bona, Honorata, Aviana, Eufemia, Auteldi, Decorata, Gualdeperga, Maria, Ermula, Filiperga, Aideperga, Candida, Rosula, Bona, Justa, Roda, Mauniperga.

Quæ mediocriter laborant. Gundiperga, Aldula, Gudiperga, Guiniperga, Rodi, Leupa, Lupa, & Lupa, Formosa, & Formosa, Autiperga, Lautiperga, Gundula, Ermula, Ursula, Uzeperga, Lunivinda, Perterada, Roda, Anastasia, Pollativa, Teudiperga, Filiperga, Bardola Ancilla Dei, Teusunda, Gisa. Istæ tres sunt veteranæ.

De Infantibus fœminis. Sindeperga filia Hermipergæ, Bona filia Arianæ Ladeperga filia Bardæ, Fuscula filia Rodipergæ; Gisula filia Guaidepergæ; Astula filia Donatæ; Armilia, Lampergi filiæ Hirecundæ, Autula filia Bonulæ; Casula, Pergula, Preda, & Ursula, filiæ Ursi hortulani.

Tria mancipia nostra habent Fanso Presbyter infra casam, Candida, Gottula, Godelina. In Balva loco qui dicitur Flavianus, ubi est Ecclesia Sancti Angeli, Gemellus cum uxore & filiis suis, & Decoratus cum uxore & filiis suis, casis, & substantiis. Teudericus cum uxore, & filiis, casis, & substantiis. Pretulus cum uxore, & filiis, & casis, & substantiis. Liupulus cum uxore sua, & filiis suis, casis, & substantiis. Martinus cum uxore, & filiis suis casis, & substantiis. Taudus cum uxore, & filiis suis, casis, & substantiis. Istos nos tenemus.

In Ciculi Prætoriano VI. Godipertus cum uxore, & filiis suis, casis, & substantiis. Mazulus; Aliperga cum filiis suis, casis, & substantiis. Flavius cum uxore, & filiis suis, casis, & substantiis. Adualdus, cum uxore, & filiis suis, casis, & substantiis. Baruncellus cum uxore, & filiis suis, casis, & substantiis. In Devigiano Adolfus, cum uxore sua, & filiis, casis, & substantiis. Pintulus cum uxore, & filiis suis, casis, & substantiis. Utulus, cum uxore, & filiis suis, casis, & substantiis. In Prætorio Bunotus Scario cum uxore sua Bonina, & filiis ejus. Unipertus, Desiderius filius ejus cum uxore sua; filii ejus Majo, Gudipertus, Formosa, Benedicta, Gariperga, casis, & substantiis, b. p. I. c. II. a. Lupardus Scario cum uxore sua Vettula; Lupulus affiliatus ejus cum uxore sua Rodiperga, filii ejus Petrus, Audo, Lupo, cum casis, & substantiis c. II. b. p. I. a. Gualipertus cum uxore sua Catula, filii ejus Pertulus, Guadiperga, Aideperga, Paulus filius ejus cum uxore sua, Guineperga, casis, & substantiis.

Gualefridus cum uxore sua Formosa, filii ejus Godefridus, Izo, Ursa, cum casis, & substantiis. Mauricus cum uxore sua Audiperga, filii ejus Maurus, Liodorosa, cum casis, & substantiis, b. I. a. Desulus cum uxore sua Luciola, filii ejus Majo, Maura, Taciperga, Marturia, cum casis, & substantiis. Luceradus cum uxore sua Adiperga, filii ejus Lucefridus, Palumbus, cum casis, & substantiis. Natulus cum uxore sua Auta, filii ejus Teudulus, Maurus, Autulus filius ejus cum uxore sua Formosa, casis, & substantiis, b. p. I. v. I. a. Aciprandus, Perdolfus filius ejus cum uxore sua Ursa, filia ejus Aliperga, cum casis, & substantiis. Justula cum filiis suis Joanne, Prætoriano, Ittada, casis, & substantiis. Donatulus cum uxore sua Audulfa, filii ejus Domipertus, Honoratus, Anciperga, Honorata cum casis, & substantiis. Donatula cum filiis suis, Austulpho, Anulo, Ursulo, Ermetruda, casis, & substantiis. Leonianus cum uxore sua Teutperga, filius Autefridus, Petronia, Palumba cum casis, & substantiis. Liutulus cum uxore Audisinda, & matre sua Boniperga, & sorore sua Benedicta, & substantia. Fuscar cum uxore sua Janiperga filii ejus Leola, Petronia; cum casis, & substantiis. Palumbus cum uxore sua Musa, Giniperga filia ejus, Allo, Raduinus Magister ejus, Aliperga; frater ejus Gasulus, cum casis, & substantiis v. I. a. Carellus cum uxore sua Formosa filii ejus Sanipertus, Prætorianus, Allo, soror ejus Sabbatina, cum casis, & substantiis, a. I. Urseramus cum uxore sua Lupa, Petrus filius ejus cum uxore sua Boniperga, filii ejus Rimulus, & Pergula, frater ejus Naculus, cum casis, & substantiis, a. I. Audumus cum uxore sua Tibula, filii ejus Rosa, Gaiprandus filius ejus cum uxore sua Teudiperga, cum casis, & substantiis b. p. I. a. I. Benedictus cum uxore sua Ursa, filii ejus Gaipulus, Rimeperga, cum casis, & substantiis. Leodaldus cum uxore sua Audelina, filii ejus Rumildi, Afulus filius ejus cum uxore sua Gualucia, filii ejus Teudericus,

cus, Titulus, & alius unus cum casis, & substantiis. Peringa cum uxore sua Teudiperga, filii ejus Barinta, Scampulus, Teudiperga, cum casis, & substantiis. Maurusalo filius ejus cum uxore sua Palumba, filii ejus Cautaci, Gandolfus, David, Aguti, Pipinus frater ejus, & Maura soror ejus, cum casis, & substantiis.

Ansulus cum uxore sua Ermelinda, casis, & substantiis. Teodiperga cum filiis suis Filiperto, Palumbo, Simpula, casis, & substantiis. Lupulus cum uxore sua Albinula, filii ejus Sabulus Amiterninus, cum casis, & substantiis. Benedictus cum uxore sua Gaiteperga, filiæ ejus Formosa, Maria, cum casis, & substantiis. Sasulus, cum uxore sua Albisinda, filius ejus Venator, cum casis, & substantiis. Petrus cum uxore sua Ursa, Audepertus filius ejus cum uxore sua Arminia, filio masculo I. casis, & substantiis b. p. I. a. Fepeliciti cum uxore sua, & filio masculo I. fœmina I. Ursus cum uxore Auteldi, casis, & substantiis. Saxula cum filio suo Attulo, filia ejus Pergula, Ildula, casis, & substantiis. Hopenestus cum uxore sua Ildula, filii ejus Ursaldus, Sindo, Honesta, Gualdiperga, cum casis, & substantiis Grasuli, qui est infra casam coquus.

In Salezano post Collem. Teudelapus cum uxore sua Auta, cum matre sua Sindeperga, filiis masculis II. fœminabus III. casis, & substantiis b. p. I. a. Talaricus cum uxore sua Audula filio masculo I. casis & substantiis b. p. I. a. Adeodatus cum uxore sua Bona filiis masculis II. casis, & substantiis c. I. in Opago Guaspertus, filius ejus Feraldus, & Anspertus filius ejus cum uxore sua, & filiis suis, casis, & substantiis b. p. II. a. In Frono. Sabbolus cum uxore sua Lupa, filius ejus Lupo Presbyter. Palumbus Nepos ejus cum uxore, & filiis ejus, casis, & substantiis, v. I. a. Sabinianus cum uxore sua Maria, casis, & substantiis v. I. a. Joannes cum uxore, & filiis, casis, & substantiis. Majulus cum uxore, & filiis, casis, & substantiis. In Caballari.

Arcesi cum uxore sua Bonella, filius ejus Amitermus casis, & substantiis b. III. a. Baruncellus cum uxore sua Titula filiis masculis II. fœmina I. casis, & substantiis v. I. a. Teupulus cum uxore sua Rodula, filia fœmina I. casis, & substantiis v. I. Allo cum filiis suis Grimualdo, Pertulo, casis, & substantiis, c. I. b. p. I. a. Palumbus cum uxore sua, & filiis suis, casis, & substantiis, c. I. a. I. Autari cum uxore sua, casis, & substantiis b. p. I. Talari cum uxore sua, casis, & substantia.

Subsequitur enumeratio aliorum Servorum in Bucitano, in Beliciano, ad Sanctum Severum, in Narnate, in Interocro, in Massi, quam breviabo. Diu enim tœdet me inutilis ac aridæ narrationis, & fessos ultra quàm par sit Lectores puto.

IN Bucitano Produlus cum uxore sua Arileupa, filii ejus Modericus, Rodicutus, Paulus, Macura, casis & substantiis b. p. I. a. Maurus cum uxore sua Rodaldi, filius ejus Rodipertus cum casis & substantiis. Maurica cum uxore sua Guarnella, filius ejus Rodericus cum pertinentiis, casis, & substantiis. Mancio cum uxore sua Ittula, filii ejus Lupo, Izo, Ildula, Mamula, Justa, cum casis & substantiis. Ratulus cum matre sua Rodiperga. Ursulus cognatus cum uxore sua Adeperga, filii ejus Ratildi, Urseramus casis & substantiis; Todoricus cum uxore sua, Otoperga; filius ejus Oldericus, cum casis & substantia. Cistiranus cum uxore sua Rotunda, casis & substantiis. Istos tenet Lupardus. Albinus cum uxore sua Bona; filii ejus Ursulus, Guaidemari, Gertruda casis & substantiis b. V. v. II. c. I. a. Benedictus cum uxore sua Ansiperga, filii ejus Germundus, Auniperga, Anseldi, casis & substantiis a. Sindifridus cum matre sua Modeldi c. & substantiis. Ado cum uxore sua Andiperga; Alefridus filius ejus cum uxore sua Benedicta c. & substantiis b. p. I. a. Lupardus cum uxore sua Gratiosa, filii ejus Ursus, Ursa c. & substantiis a. Todericus cum uxore sua Anserada, & matre sua Lupa, filius ejus Anseradus c. & substantiis b. p. I. a. Maurus cum uxore sua Isa, filii ejus Guaspertus, Maurus Aderisi, Guasperca, Maura c. & substantiis b. p. I. a. Lupulus cum uxore sua Gutta, filii ejus Audipertus, Audensi, Anza, Lupoara, c. & substantiis. Godeprandus cum uxore sua Teudiperga, mater ejus Alerada filii ejus Petrus, Liuprandus, Alecisi frater ejus, Godefridus frater ejus cum uxore sua Palumba filiæ fœminæ II. c. & substantiis b. p. I. a. Ildefredus cum uxore sua Lupa, filii ejus Teupulus, Ildula, Palumba c. & substantiis v. I. a. Lupulus, Isolfus filius ejus cum uxore sua Audiperga; filia ejus Iseperga c. & substantiis b. p. I. a. Bonosa cum casis, & substantiis.

Fasso cum uxore sua Sinda; filius ejus Maurus c. & substantiis b. p. I. a. Basillo cum uxore sua Godeperga, filio masculo I. fœmina I. c. & substantiis a. Albolus, filii ejus Honoratus, Petronia, Isimuldus filius ejus cum uxore sua Cuntula, filii ejus Unaldus Isperga c. & substantiis b. I. a. Sindolfus cum filia sua Aupula Sinderadus filius ejus cum uxore sua Godula, filii ejus Autula Gualdula, Domnina a. I. Todorus filius ejus cum uxore sua Auta c. & substantiis b. p. I. a. Desulus cum uxore sua Liupa, filio masculo I. fœminis Desideria Liuduara, Gariperga, casis, & substantiis. Fredo, Sindolfus filius ejus cum uxore sua Rodoldi filio masculo I. casis, & substantiis b. p. I. a. Audefridus cum uxore sua Anserada, Anderadus affiliatus ejus cum uxore sua Auta filiis masculis II. casis, & substantiis b. p. I. af. I. Romualdus cum uxore sua Naudiperga, filii ejus Ansifridus, Petrus, fœmina I. casis, & substantiis a. Trasari cum fratre suo Autari, casis, & substantiis. Teudelapus cum uxore sua Gudiperga, filius ejus Lupo, Teudaldus filius ejus cum uxore sua Palumba, casis & substantiis. Teudipertus cum uxore sua Teupa casis. & substantiis. Alipertus cum uxore sua Bona, filiabus ejus Palumba, Aliperga, casis, & substantiis. Ermeredus cum casis, & substantiis. Guaspertus cum casis, & substantiis.

In Beliciano. Mainari, Ursulus filius ejus cum uxore sua, & filiis suis, casis, & substantiis v. I. Vitellus I. Jotulus cum uxore sua filiis masculis II. fœmina I. casis, & substantiis b. p. I. a. Lupulus cum uxore sua Taciperga, matre sua Aidula cum fratre suo, filia fœmina I. casis, & substantiis.

Citulus cum uxore sua Taciperga, filiis masculis II. fœminis II. casis, & substantiis.

Becilianus cum uxore sua Lucia, & filiis suis, casis, & substantiis, v. II. a. Gaidulus cum uxore sua Gota, & substantiis: istos te-

net Petrus Scario de Sublongo. Baruncellus cum uxore, & filiis suis Stephanus filius ejus cum uxore sua, filio masculo I. Item Rodericus filius ejus cum uxore, casis, & substantiis, a. Victorinus cum uxore sua, filio masculo I. casis, & substantiis; Peregrinus cum uxore sua Albana, filiis masculis II. fœmina I. casis, & substantiis. Aleradus cum uxore sua, & patre suo Crispo, filiabus fœminis II. casis, & substantiis. Cupertus cum casis, & substantiis. Auricausus, cum uxore sua Lupula, filio masculo I. fœmina I. casis, & substantiis b. p. I. a. Rumualdus cum uxore sua Formosa, casis, & substantiis. Ursus cum substantia sua b. p. I. a. Ermicisi cum casis & substantiis b. I. a. Aldicisi cum casis, & substantia sua b. I. a. Isti XI. se extraxerunt à servitio Sanctæ Mariæ ad Sanctum Xistum. Fratellus cum uxore sua Aliosa, filius ejus Baruncio cum nepote Anteldi, casis, & substantiis b. p. I. a. Majulus cum uxore sua Justina; Maturianus filius ejus cum uxore Rimuldi, filiis masculis IV. Item Gratiosus filius ejus cum uxore sua, casis, & substantiis b. p. I. a. Sindolus cum uxore sua Aida; filius ejus Godaldus; Aidepertus filius ejus cum uxore sua Mella, filio masculo I. fœmina I. casis, & substantiis, b. p. I. a. Attolus cum uxore sua Aleperga, filiabus fœminis III. casis, & substantiis, v. I. a. Paschalis cum uxore sua Radileupa, casis & substantiis v. II. a. Rodo cum uxore sua Auda, filius ejus Petronici, filiæ fœminæ II. casis & substantiis. Micio cum uxore sua Aidura, filii ejus Aipulus, Miciola, casis, & substantiis b. I. a. Gisolfus cum uxore sua Formosa, filius ejus Isimundus, fœmina I. Sindolus cum uxore sua Pupa, filius ejus Pillo, casis, & substantiis. Antoninus, Teudimundus filius ejus, cum uxore sua Gutta, casis, & substantiis. Gualo cum uxore sua Inigarda, filiis masculis II. casis, & substantiis v. I. a. Maurus cum uxore sua Aleperga, casis, & substantiis. Lupo, cum casis, & substantiis. Ursus cum uxore sua Guiniperga, casis, & substantiis.

Ad Sanctum Severum. Alefridus cum uxore sua, filiabus fœminis IV. casis, & substantiis; Maurus cum uxore sua, filio masculo I. fœminabus III. casis, & substantiis. Istos tenet Otolfus Scario. Isti, qui supra in isto columnello scripti sunt, solvere debent pensionem den. III. pullum unum, matium canepæ I. carnatum secundùm quod habent pro v. In Narnate Vitulus Scario cum uxore sua, filii ejus Teudeprandus, Teuderadus, Stephanus, Teuderada, Bonina, Bereperga, casis, & substantiis. Ursulus de Oleno cum uxore sua, filii ejus Pertulus, Rattulus, Teuda, Lupula, casis, & substantiis. Carezolus cum uxore sua, filii ejus Audemari, Altalus, Ildula, cum casis, & substantiis. Barosus cum uxore sua, filii ejus Baruncellus, Rodelinda, casis, & substantiis. Fratellus cum uxore sua, filii ejus Teudeprandus, Benedictus, Albinus, Anseldi, casis, & substantiis. Ermefridus cum uxore sua, filius ejus Palumbus, casis, & substantiis. Nordulus cum uxore sua, filiæ ejus. Rodiperga Maria Stefania, Ausla casis, & substantiis. Gunipertus cum uxore sua, filii ejus Teudipertus, Albinus, Gratiosus, Teuderadus, Gualdipertus, Mariperga, casis, & substantiis. Petronaci cum uxore sua; filii ejus Petrus, Adeleopa, Perga, Adiperga, casis, & substantiis. Joannes cum uxore sua, filii ejus Bonipertus, Joannia, Teupula, casis, & substantiis. Vitalianus cum matre sua, casis, & substantiis. Godaldus cum uxore sua, filii ejus Arefusus, Auderade, Gaideperga, casis, & substantiis. Rimicisi cum filiis suis. Armecausus cum uxore sua, fœminæ filiæ II. Armefridus cum uxore sua, filius ejus Landefridus, casis, & substantiis. Formosus cum uxore sua, filiis masculis III. casis, & substantiis. Bonipertus de Fiscilli cum uxore sua, filii ejus manuli Arnaldus, Joannes Adeodatus, Lupus, casis, & substantiis. Petrus cum uxore sua, filii ejus Teupulus, Palumbus, Donella, casis, & substantiis. Formosus cum uxore sua, filii ejus Deusdedit, Arnucia, casis, & substantiis; Gradelupa, cum filiis suis, Rimulo, Gaipulo, Aderisi, Azula, Anzella, Gaideperga, casis, & substantiis. Musius cum uxore sua filii ejus Teudipertus, Lupulus, Fusculus, Godelapus cum uxore sua, eorum casis, & substantiis. Auderisi cum uxore sua, filii ejus Gaidemari, Romanus, Griso, Candida, casis, & substantiis. Alberisi cum uxore, filii ejus Florulus, Petrus, Aliprandus, Adiperga, casis, & substantiis. Lupo cum sorore sua casis, & substantiis.

Qui se extraxerunt à Servis Sanctæ Mariæ. Tribulus cum uxore sua Agnetula, filii ejus Godelprandus. Teudelapus, Candida, Gradurula; nepotes ejus, XVII. cum casis, & substantiis. Guntermus cum uxore sua, filiis masculis II. casis, & substantiis. Guinelapus cum uxore sua, casis, & substantiis. Benedictus cum uxore sua, filiis masculis II. casis, & substantiis. Opteramus, cum uxore sua, filio masculo I. casis, & substantiis. Raculus cum uxore sua, filiis IV. casis, & substantiis. Gaiderisi cum matre sua, & IV. fratribus suis, casis, & substantiis. Radipertus cum uxore sua, casis, & substantiis. Radualdus cum uxore sua, & fratribus suis, casis, & substantiis. Petrus cum uxore sua, & VII. nepotibus suis, casis, & substantiis. Teuderisi cum uxore sua filiis IV. casis, & substantiis. Campulus cum uxore sua, filiis masculis II. casis, & substantiis. Guidepertus cum uxore sua, filiis masculis II. casis, & substantiis.

In Interocro. Ad puteum Latiniani. Tamariculus cum uxore, filiis suis, casis, & substantiis. Ad Sanctum Hermanum. Palumbus cum uxore, & filiis suis, casis, & substantiis. Maurica cum uxore, & filiis, casis, & substantiis. In Colline Godemundus cum uxore, & filiis suis, casis, & substantiis. In Casale Tabulicii Julianus cum uxore, & filiis; casis, & substantiis. Teudericus cum uxore, & filiis suis, casis, & substantiis.

In Massi. Florus, & Leo, cum uxore, & filiis, casis, & substantiis. In Musini Gaido cum uxore, & filiis, casis, & substantiis. Radualdus cum uxore, & filiis, casis, & substantiis. In Terentiano, Sinderadus, & Leo cum uxore, & filiis suis, casis, & substantiis. Petrus cum uxore, & filiis, casis, & substantiis. Leo cum uxore, & filiis, casis, & substantiis. De Secuntiano. Istos duos tenet *Guinigisus Dux.* (75) Palumbus de Vico, cum uxore, & filiis, casis,

(75) Ergo haec Servorum & bonorum descriptio spectat ad tempora Guinigisi Ducis, qui ab Anno 791. usque ad Annum 822. Ducatum Spoletanum rexisse traditur.

casis, & substantiis. Istum habet Sigefridus. Hæ sunt in summa casæ CCCVI.

De terris Ecclesiæ Sancti Laurentii cum terris juxta. In Ratino, Ecclesia Sancti Ruffini cum suis pertinentiis: tenet filius Spusæ. In Rettigo petia terræ una grandis: tenent Vasarii. In Castuli ad Sanctum Magnum petia terræ una, ubi stat una morus: tenet Augustalis; & ibi prope alia petiola, ubi stat una nux. In Ortucle subtus Sanctam Mariam una petia: tenet Brateputide. Ad fistulam Civitatis Marsicanæ petia una: tenet filius Adenolfi, & filius Azonis Guerræ. Ibi prope super viam tenet Leo filius Stephanonis petiam unam. Donatus jumentarius juxta ipsam viam tenet aliam petiam. Ad Ortum petia terræ una: tenet filius Allonis. Ad flumen de Sancto Herano petia una: tenet Gualterius Presbyter; & à læva molinum. Sub Sancto Salvatore de Verongiano petia una; Lupo filius Luponis tenet. In Leoni tenet petiam unam gener Liusuli; & ibi aliam petiam tenet unus ad subtus ipsam Curtem Comitalem. Ad Sanctum Petrum petiam unam, ad Paccianum petias duas prope ipsum Rigum, tenet Bernardus filius Pinsonis. In Cersengo petias duas tenet Pontio Presbyter, & Ildeprandus Presbyter, & Madelandus petiam unam. In Petelline tenet Hugo Presbyter, & fratres ejus petiam unam. Hæc de Sancto Laurentio. De Sancta Maria tenent nepotes Guarakerii in Valle de Oritino cum omnibus suis pertinentiis, cum servis, ancillis, unum nomine Resquinium cum filiis & filiabus. Ad Sanctam Mariam in Paterniano tenet filius Godefridi. In Segunzano, & in Perciano Ecclesiam Sancti Adriani cum suis pertinentiis tenuerunt filii Guerrami per scriptum.

Item denotatio Chartarum autheticarum, quas in suo ordine idcirco minimè potuimus referre, quia tunc in promtu non habebamus. Præceptum Aistulfi Regis.

Aistulfus Langobardorum Rex Monasterio Farfensi Montem unum in territorio Spoletano vel Reatino largitur. Anno 756.

„ FLavius Aistulfus vir Excellentissimus Rex Monasterio Beatissimæ semperque Virginis Dei Genitricis Mariæ, sito in territorio civitatis Reatinæ loco ubi dicitur Sabinis constituto in Acutiano, & venerabili *Fulcoaldo Abbati*, vel cunctæ Congregationi ipsius Monasterii. Speravit à nobis veneratio vestra, quatenus in ipso sancto Monasterio, vel vobis concedere deberemus unum montem cum pascuo suo in finibus Spoleti vel Reate, qui nominatur Alegia, cum omnibus vocabulis suis, idest Pupulo cum Pereto & Valle Sallana usque in terram & in aliud caput, quod dicitur Gigi, cohærens inibi; ex uno latere Gualdus Spoletanus, qui dicitur Pomaricus, & Carquiricius, & nominatur Longone, & Passiani, & Stratiani; & de alio latere trans terram Gualdi publici pecorum Spoletanorum, qui dicitur in Collionice; de uno capite terra Fragrinensis habens socas per longum CV. & ex transverso XXVIII. loca verò habet pedes C. Item planities ejusdem montis, qui dicitur Turrita cum vocabulis suis, idest Pesdesista, & Variano, & Pupulo, & Cavallari, & Aplicio de Cavallari cohærens inibi, de uno capite Gualdus Reatinus, qui dicitur Falicte; de alio capite idem, de lateribus silva hominum Reatinorum: & est mensura ipsius plani per longum habens socas LV. ex transverso habens socas XXXVII. omnes insimul tam de monte quàm de plano ex omni parte sunt socæ CCXXX. quæ sunt per mensuram justam simul in unum juges numero mille duæ. Nostra etenim præcelsa potestas ob reverentiam Dei, & ipsius Genitricis Domini nostri Jesu Christi Beatæ Mariæ, expectantes retributionem, vestram obaudientes petitionem, per hoc nostræ excellentiæ præceptum concedimus atque donamus in præscripto almo Monasterio præfatum Montem Pelagium, simul & planities &c. ut omni in tempore qualibet potestati nostræ pertinuit, & ad publicum fuit possessum, in ipso venerabili Cœnobio vel vestræ venerationi dono nostro per præsens nostrum præceptum concedimus possidendo, qualiter ex nostra jussione Tribunus fidelis noster vobis tradere visus est, ita ut ab hac die securius dono nostro sanctum ipsum montem valeat possidere, & nullus Dux, Comes, Castaldus, vel Actionarius noster contra hoc donationis nostræ præceptum ire quandocumque præsumat, sed omni in tempore tam in ipso Monasterio quàmque vobis vestrisque Successoribus stabile debeat permanere.

„ Ex dicto Domni Regis per Theopertum illius Referendarium, scripsi ego Joannes Notarius. Datum Ticini in Palatio V. die Mensis Aprilis, Anno felicis Regni nostri in Dei nomine VII. per Indict. IX. feliciter.

Quidam Probatus, & Ravenno filius Tiangronis tradiderunt in Basilica Sancti Michaëlis Archangeli, & in Basilica Sancti Petri, quasdam res, quæ fuerunt de dote Sancti Petri, in fundo Mariniani, & olivas in fundo Cesiniano, omnia in prædictis Ecclesiis, & Teutoni Presbytero concesserunt. Quidam Guntarius Presbyter donavit in hoc Monasterio Cellam in honore Sancti Angeli de loco, qui dicitur Landianus, & quartam partem de ipso vocabulo Candiano, in Prætoriolo, in Pagoniano, & in Manteranello. Quidam Gundualdus Actionarius concambiavit Domno Fulcualdo Abbati Casalem nomine Bassianum, qui est de Gualdo Gallorum, subtus rivum Casalis Brici, desuper confinium, & cum Cabiniano, de uno latere finis Limitis, Fractæ Fusuli. Porcarus dedit latere-confiniale cum Domitiano Casale Orsonis, & recepit in cambium terram in Vico-novo, quæ pertinet ad Curtem Germanicianam. Quidam Pando donavit in hoc Monasterio Casalem Mempini, cum pertinentia sua, & familiis, & quatuor focularibus; & campum Auriellani, qui est in Massa Salaria, & cerritum unum in Narnate. *Desiderius* autem *Rex excellentissimus* Longobardorum per præceptum Regale confirmavit, & concessit *Ansæ Reginæ felicissimæ conjugi suæ*, quod *Adelchis excellentissimus Rex filius prædicti Desiderii Regis* per suum præceptum donaverat ei, idest Curtem unam, & Massam in Sextuno, & alteram Curtem in Vallanti, ubi Monasterium Christo protegente fundare disponebat, & tertiam Curtem cum Massa in Narnate finibus Reatinis, seu res omnes illas atque familias, quæ in supradictis finibus Reatinis inpublicatæ, vel retultæ sunt à singulis homi-

hominibus, aut nunc præsenti tempore à quocumque homine contra legem possidentur, aut ad laborandum datæ sunt in prædictis finibus Reatinis, quæ ad supradictas tres Curtes pertinuerunt, vel pertinent. Hæc omnia cum ipso Monasterio in supradictis Curtibus fundato, & ipsas tres Curtes, & Massas, cum omnibus rebus ad eas pertinentibus vel comprehensis, in hoc Monasterio Sanctæ Mariæ, ubi *Probatus Abbas* præerat, donavit, & concessit cum omni terratico. Ita tamen ut in supradicto Cœnobio, sundato in supradictis finibus Reatinis sub sanctæ Regulæ norma congregentur Servorum, & Ancillarum Dei usque ad numerum XX. vel si ampliùs potuerint. De omnibus autem aliis, quæ in supradictis finibus Reatinis habentur, aut in antea nutriuntur, ita definivit, ut per pascua publica omni tempore ambulent, & nutriantur, sinè omni datico, aut herbatico, vel escatico, & nullam molestiam, neque in ponte, neque in via, neque in quocumque loco patiantur, sed semper illibata ambulent, ubi etiam publica animalia consueta sunt ambulare. Et concessit ibidem omne toloneum, & portaticum, sive ripaticum, atque terraticum per singula loca Civitatum, & portuum, quod homines de ipso Monasterio, vel huic Monasterio, de qualicumque causa dare debuerint, ut à nullo homine Castaldo, vel quolibet Actionario, aliquam dationem, vel toloneum in ipso Monasterio exigant, vel ab ejusdem Monasterii hominibus, neque pertinentibus eidem Monasterio, vel Curtibus, & rebus; neque à Libertinis, qui à Principibus & Judicibus exinde liberati sunt. Sed & de omnibus causis, & excubiis publicis ab ipso Monasterio semper defendantur, & sinè omni molestia, datione, vel toloneo, omni tempore securi permaneant.

Quidam Hildericus Clericus misit in hoc Monasterio Ecclesiam Sanctæ Agathes cum omnibus, quæ ad ipsam Ecclesiam pertinent, pro anima fratris sui Valerini, & suscepit à filiis suis in portionem suam casas VIII. & vineam in Antoniano, & pratum super ipsam vineam; & dedit filiis suis medietatem rerum suarum, & aliam medietatem Guitæ Conjugi suæ, quæ, donec vixerit prædictus Hildericus, exinde dare debeat ei grani tritici modia XXX. vini decimatas L. casei formas XXX. porcos in lardo XX. lanas centum. Quidam Hildericus Castaldus filius Teuderici, unà cum genitrice sua Taciperga, donavit, & concessit in hoc Monasterio, & Domno *Mauroaldo Abbati* Monasterium Sancti Jacobi prope Civitatem Reatinam, seu Curtem Interocri cum omnibus pertinentiis, Curtem in Marsi, & Casalem, qui dicitur Collis Veneri, & casam infra Civitatem, ubi residebant, & clausuram in Gualdo-novo, ubi positus est Pontilus cum b. X. p. a. & molinum unum ante portam Interocrinam, quæ est super molinum de Sancto Jacobo, & casam in Pitiliano, & gualdum in Exiculo, & terram in Cliviniano, ubi dicitur Nuale, & piscariam nostram in Septipontio, ubi residet Adeodaticlus.

Caroli Magni Francorum & Langobardorum Regis literæ, quibus constituit Hildericum Missum suum ad cognoscendas ubique locorum causas Monasterii Farfensis. Anno 797.

„ CArolus gratia Dei Rex Francorum, & „ Langobardorum, & Patricius Romanorum. Omnibus Ducibus, Castaldis, Actionariis, seu reliquis fidelibus nostris ubi ubi consistentibus. Notum vobis sit, quia ad deprecationem venerabilis *Mauraldi Abbatis* ejusque Congregationis præcipimus Hilderico fideli nostro, ut causas Monasterii Sanctæ Mariæ vel ipsius Abbatis, diligenter requirere & exaltare debeat in cujuscumque loco, vel ministerio, seu potestate, & ubicumque vestra ministeria vel potestate advenerit, & de justitiis prædicti Monasterii, vel ipsius Abbatis, suisque Monachis vel condixerit vel interpellaverit, diligenter atque puriter ad partem supradicti Monasterii justitiam reddere studeatis, absque ulla . . . . . vel dilatione, & nullam inquietudinem aut calumniam memorato Hilderico de quibuslibet causis contra rationis ordinem facere præsumatis propter hoc, quia ordinatam nostram justitiam de præfata Casa Dei inquirere videtur; sed magis in nostra eleemosina cum justitia ad ipsum astare faciatis, si gratiam Dei & nostram habere vultis. Et ut meliùs cognoscatis, de sigillo nostro subter signari fecimus.

„ Dat. V. Kal. Septembris, Anno XXIV. „ Regni nostri. Actum in Ragenisburg Civitate.

Quidam Susarius filius Formosi dedit, atque donavit *Camponi Abbati*, & in hoc Monasterio terras vineales in loco, qui nominatur Ciceranus, territorii Sabinensis inter hos fines. A capite finis ripæ Sancti Heleuterii, vel ripa de Curano. Quidam Gualdo, qui pronomine Amico vocatur, dedit in hoc Monasterio terras, & vineas, & portionem de Ecclesia Sancti Adriani, quæ est in territorio Sabinensi, in loco qui nominatur Tribuliciæ. Quidam Leo Presbyter filius Constantiæ tradidit in hoc Monasterio, & in Ecclesia Sancti Angeli, in portione hujus Monasterii, terram, & vineam in Comitatu Sabinensi ab uno latere rivum Calentinum, ab alio latere rivum Spirinconem, vel viam antiquam, quæ vadit ad Sanctum Angelum, rivum, vel riaginem, ubi dicitur Ponticellus, exceptâ sextâ, videlicet unde consueverat tributum reddere. Quidam Rerus filius Adami concessit in hoc Monasterio res suas, de territorio Sabinensi, ubi nominatur Antiquus inter hos fines, apud rivum Calentinum, vel fossatum; ab uno latere tenet filius Anserici, ab alio latere tenent heredes Joannis de Sabino cum consortibus, quæ sunt modii I. adunatum. Quidam Joannes Presbyter, & Azo, qui Gari vocatur, filius Leonis, tradiderunt in hoc Monasterio res suas de Sancto Sabino, loco ubi dicitur Rescanianus, apud viam & terram Sanctæ Mariæ. A capite tenet Joannes Judex, ab aliis lateribus terra Sanctæ Mariæ, & tenet Adenulfus filius Mariæ. Hæc sunt modiorum XXXIII. pretio solidorum centum.

Quædam Ara, & Maria germanæ filiæ Leonis dederunt in hoc Monasterio, & Ecclesia San-

Sancti Michaëlis Archangeli, & *Domno Almerico Abbati* terram, & vineam territorii Sabinensis, ubi dicitur Rescanianus modiorum II. inter hos fines: àcapite via, à pede limite; à sero tenet Petrus Presbyter; à mane tenet Franco de Uberto cum consortibus, absque cujuslibet judicio. Quidam Malabertus filius Petri, & Petrus filius Crescentii, & Lupo filius Guidonis, & Baldo, & Gonto germani filii Gisolfi, habitatores in terra, & Castello de Corgnito, dederunt in hoc Monasterio omnem portionem suam de Ecclesia Sancti Martini in loco, qui dicitur prope Castellum Veclum, cum omnibus ejus pertinentiis. Quidam Pico, & Atto, & Joannes, & Raino germani filii Benedicti, & Landulfus Spincari, & Boniza uxor supradicti Piconis, & Tudora uxor Attonis, & Adelberga uxor Joannis, & Tederada uxor Rainonis, dederunt in hoc Monasterio, & vendiderunt terram territorii Sabinensis intra Podium, quod dicitur Sixtilianus, ab omnibus lateribus carbonariæ ad portum faciendum pro ipso Castello, cum omnibus ædificiis, pretio accepto solidorum centum.

Gregorii VI. Romani Pontificis Bulla pro Farfensi Cœnobio, ejusque Abbate Almerico circiter Annum 1045.

„ GRegorius Episcopus Servus Servorum Dei, Abbati Almerico, omnibusque fratribus sibi subjectis Monasterii Farfæ, salutem & Apostolicam benedictionem. Notum sit omnibus Episcopis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, majoribus, & minoribus in orbe Romano degentibus, quòd Abbas Farfæ Cœnobii, scilicet Almericus, deprecatus est nostram celsitudinem, ac caritatem cum grege sibi commisso, quatenus quæ ordinaverunt, atque constituerunt sancti antiqui Pontifices in Farfensi Cœnobio Beatæ Mariæ semper Virginis, confirmaremus. Itaque ea confirmamus, & corroboramus, videlicet ut à qualicumque Episcopo placuerit Abbati, vel Monachis ejusdem Monasterii, sacrari suas Ecclesias, ac Monachos ordinari suos, nostra licentia, præceptoque fiat; & ut veriùs credatur, nostro sigillo in perpetuum corroboramus. Si quis autem huic nostro præcepto contrarius exstiterit, vel violaverit, X. libras auri in Apostolicæ aulæ thesauris, & X. in Beatæ Mariæ Virginis persolvat. Et hoc constituimus non tantùm in Comitatu Sabinensi, sed & in Marchia, & in omnibus Cellis supradicto Cœnobio subjectis, vel ubicumque aliquā possidet possessionem Ecclesiasticam. Clerici quoque degentes in Ecclesiis ejusdem Cœnobii hac libertate utentes, sacros Ordines similiter recipiant à qualicumque Episcopo Abbati placuerit Farfensi; Veruntamen hoc jubemus, quatenus hi Ordines fiant à bonis, & à Catholicis Episcopis. Bene valete.

Quidam Fusco, & Rainerius germani, filii Ramefredi, & Maria jugalis Fusconis, & Terricia jugalis prædicti Rainerii, qui Suppo vocatur, & Bonizo filius Landonis, & Aza filia Salomonis, & Rainerius, & Caliuro germani filii Reofredi, qui Amico vocatur, & supradictæ Azæ, donaverunt in hoc Monasterio petias terræ de rebus suis infra Comitatum Perusinum in loco, ubi dicitur Aqua-clausa, cum Ecclesia Sanctæ Christinæ ibidem ædificata: à primo latere in longum perticæ XIV. exinde terra Monasterii Sancti Petri; à secundo perticæ LXXX. exinde terra Patricii Benedicti, & terra jam dictæ Sanctæ Christinæ, à sero perticæ VII. exinde terra Reofredi, qui Amico vocatur; à mane perticæ XXII. exinde . . . . . antiquum. Et supradictus Bonizo pro anima Jocæ uxoris suæ dedit in hoc Monasterio unam petiam terræ vineatam infra Capello; à primo latere terra & vinea Sanctæ Christinæ; à secundo latere terra Joannis Presbyteri; à tertio làtere terra Monasterii Sancti Petri; à quarto latere terra de Celso de Becto. Quidam Joannes Presbyter filius Adæ dedit in hoc Monasterio res suas in territorio Sabinensi, in Luco, & Buciniano, ab uno latere Rigus de monte Lupulo, ab alio latere terra de Bucciniano, quæ nominatur Cerquetus Rotundus; & in alio loco, qui vocatur Gualdus; & in Calviniano, & Valle Garundella, & in Marola, & in Sala: omnes res suas de supradictis locis dedit in hoc Monasterio, & Domno B. Abbati.

Quidam Berardus filius Rainerii dedit in hoc Monasterio, & Domno B. Abbati, terram, & aquam, & piscariam Comitatus Reatini ubi dicitur ad pedem fluminis, qui venit à Reate; à primo latere flumen; à secundo latere tenet Berardus per ipsas fines, quas misit Berardus filius Rainerii, & Joannes, Vallarius, & Tedemar filii Gezonis, & per medium Lacum; à tertio latere Caprilia; à quarto Repastum. Quidam Mainardus filius Alberti donavit in hoc Monasterio, & in Sancto Salvatore de Plano res suas territorii Asculani, ubi dicitur Collis, terras, vineas, & silvas modiorum centum; ab uno latere Pallore, ab alio latere Capavacca; à tertio latere Tesinum; à quarto latere via, quæ venit à Sancto Salvatore ad Arcam Mainardi, & pergit in Tesinum. Quidam Campio filius Bonini dedit in hoc Monasterio res suas in supradicto Colle terras, vineas, & silvas modiorum XXX., à capite via, quæ venit ad Sanctam Mariam de Colle, à Castellione ad montem Aifredi, à pede, & uno latere Rigus, qui vocatur Pallore, qui venit inter Furce, & Collem Macrum; ab alio latere Pallore, qui venit à Sancta Cruce inter Candata, & Belonianum.

Quidam Joannes Villanus filius Dononi renunciavit omnia bona, quæ fuerunt Alberti Gualafossæ, & confessus est, & legaliter convictus, omnia bona stipulata huic Monasterio devenisse; & quia ipsa bona recipere volebat, rem, quæ sinè obligatione remanserat, huic Monasterio dedit: idcirco Abbas B. misericordia motus concessit sibi prædictas res per contractum Emphyteusis. Fecit autem ipse Joannes Villanus chartam, & sponte tradidit omnes res suas in hoc Monasterio, & Domno B. Abbati, quas ipse habuerat, & possidebat, vel alius tenebat nomine suo, jure proprietatis ejus, inter hoc fines; à latere primo Rivus Atianus per ipsum vadit in Rivum Sancti Angeli, à secundo latere Calentinus; à tertio flùmen Tiberis; à quarto latere fluvius Cumensis. Infra istos fines dedit portionem suam de Rocca Baronisca, & omnium rerum.

De Curte Cerreti Mali tres idonei & veraces homines sacramento affirmaverunt, quòd nullam fraudem in eadem Curte factam celarent, sed quicquid rerum scirent, sinè aliquò

metu dicerent: videlicet Berardus Adami filius, Petrus Berardi, Franco de Larderano. Sunt quippe in ipsa Curte Casales XV. tantùm, quos Simeon Cervini cum suis nepotibus, & Dodo Marconisdi, & ambo filii Seniorićti tenent. Præterea Castrum ipsum Manco dedit *Theodino Comiti* omnino in integrum, excepto solummodo casa una sita juxta posterulam, quam Manso reservavit sibi tali modo. Hi tres nostri fideles sacramento affirmaverunt, totum ipsum Castrum penitus esse juris hujus Monasterii Beatæ Mariæ.

Omnes autem Panarisii, & Stephani, videlicet Tebaldus, & Gindo filius Alberti, & filii Grimaldi; nepotes Bellani, & aliis nepotes Alberici, & Peviæ, & Timosus, & Rainerius Judex, & Guinisius, & Albertus, & Majesfridus insimul & unanimiter, & pro se, & pro aliis suis agnatis, fecerunt breve refutationis, & renuntiationis, & obligationis *Domno Berardo Abbati* hujus Monasterii, ejusque successoribus de omnibus rebus, terris, & vineis, & montibus, & planis, à flumine Marico usque Civitatem Spoletanam, quæcumque hactenus tenuerunt, aut alii per eos, nomine locationis, aut venditionis, vel permutationis, vel alio aliquo contractu, & quæcumque ejus Antecessores contra eorum parentes litigaverunt, vel litigare valuerunt, vel ipse contra eos, vel ejus nuntii, quòd ab ipsa hora in antea, nullam actionem, aut litem, vel molestiam non molientur, aut facient de prædictis rebus prænominato Abbati, ejusque successoribus, aut nuntiis, per se, aut per suos heredes & successores, aut per aliquam personam interpositam, vel interponendam, aut per aliquod humanum ingenium, quod humanus sensus cogitare potest, in placito, aut extra placitum, vel in aliquo loco; sed securus & quietus cum suis successoribus, vel nuntiis, & Ecclesiæ servientibus absque lite aliqua, vel molestia, omni maneat tempore. Quam refutationem, & obligationem, atque sponsionem quinque ex Panarisiis firmaverunt jurisjurandi vinculo, iterumque promiserunt prædictam refutationem illæsam & intactam omnino habere ratam jurisjurandi vinculo. Et si omnia supradicta, & ab eis firmata, non observaverint, nec adimpleverint, promiserunt, & obligaverunt se, suosque heredes, vel successores daturos & composituros prædicto Abbati Berardo, ejusque successoribus auri optimi Romanatos mille, & hoc pactum refutationis & renuntiationis procul dubio maneat ratum.

Brevis de terris Sancti Marci Evangelistæ. Filii Giori tenent terram juxta muros Civitatis Spoletanæ, & filios Giffredi, & filios Joannis, servos Sanctæ Mariæ. Spoletanus Episcopus tenet in Alvello Castellum de Agello; & sanctam Petronillam cum tota sua pertinentia tenet *Albertus Episcopus* frater ejus. Et Alduinus filius Tebaldi, Guinizo, qui vocatur Morunto, & Amizo frater ejus, terram in pede montis Aucti, & ad Marrubia, & in Cleo, & in Majano, & in vinea. Filii Odonis tenent Sanctam Mustiolam, & Sanctum Marcum super Azarium cum tota sua pertinentia. Filii Arnulfi tenent terram in Bajano Mistirano ad Pilum; & in Marubia, & in Caudiliano, & in Burano, & in Iciano terras, & vineas; & in Rupino, & in Vestignano; & molinum Sancti Viti; & in casa Dominica terras, & vineas; & in Rupino, & in Messiniano, & in Torniano, & in Casule terram, & vineam; & terram, quondam Seniorićti. Est in Tornano, & in Moseriano, & in Rapazano terra, quam tenent Teudo, & Joannes Malus, & Ravacca. In Fegliano, & in Belzano est terra, quam tenet filius Raconis Judicis; in Bazano, terra, quam tenet Albericus cum fratribus suis; in Fuciano, terra, quam tenet Campo; in Cardiliano terra, quam tenet filius Gisonis; & in Sancto Salvatore, & in Coronito, & in Marrubia terra, quam tenet Guinizo filius Agathæ de Curte Sancti Salvatoris. Terra, quam tenet Ingo Presbyter in Celle; & terra, quam tenet filius Adeselmi in Celle, & in Marrubia; & terra, quam tenet Imponus in Murro; & terra, quam tenent Stephani, & Carrarius filius Joannis in Scanzano; terra, quam tenet Udo filius Adami in Casale; terra, quam tenet Majesfredus filius Alberti Sclavonis ad Sanctum Sabinum modiorum III. Terra, quam tenent filii *Odonis Comitis*, & filii Siffredi, & filii Berardi Matelli ad Sanctum Paulum in Serula cum tota sua pertinentia, & in Montirone; terra, quam tenent filii Dominici in Perzano in pede; & terra, & vinea, quam tenent filii Arduini, & filii Ursi Caputonzoli. Terra, quam tenent cum silva Furaldisca filii Alberti nepotis Emonis Mezæ; terra, quam tenet Franca filia Andreæ, uxor Arnolfi, in Bavillano. Terra, quam tenet Ursus Todini ad Bavillanum; terra, & vinea, quam tenet filius Duranti Presbyteri in Colle de Lisano; terra, quam tenet Teuzo filius Latonis montanarii in Colle Lisano; terra, & vinea, quam tenet Hubertus Presbyter in Sancto Paulo. Terra, quam tenet filius Adelgor, & nepotes ejus in Colle Lisano; terra, quam tenet filius Archipresbyteri Adulmor; terra, quam tenet Ingo Presbyter in plano subtus Cellam, quæ fuit Joannis Nigri. Sancta Maria de Azano cum tota sua pertinentia, quam tenet filius Elderon, & filius Ozon, & filius Alberti; terra, & vinea, quam tenent in Monterone Martinus, & Franco Presbyteri filii Benedicti; terra, quam tenent Martinus, & Benedictus, & Arderico filius Andreæ; terra, quam tenet Petrus filius Leonis, & Azo filius Albertini in Fujano; terra, quam tenet Joannes de Guido de Alluno; terra, quam tenet Uta ancilla *Arconi Comitis* in Toinano, in Puzule. Terra, & vinea, quam tenet Erlegozo ad Sanctum Cyprianum. Granaria Sancti Marci Evangelistæ, quam tenet Ingo Presbyter in terra Gelistæ; terra filiorum Arnulfi, quam tenet filius Benedicti Presbyteri, qui nominatur Adam, & filius Dominici Scanzolarii infra ipsam civitatem Spoletanam, & juxta muros; & terræ, & vineæ, & casæ, & horti, quæ tenet filius Spolenni de Leo, Lappo, Azo, qui vocatur Mazone; & tenent Sanctum Paulum in Guitano cum suis pertinentiis, Curtem de Scriniano cum pertinentiis, & Sanctum Gregorium de Lapideo cum pertinentiis. Et in Fulinia Ecclesia Sancti Gregorii, quam tenent filius Munaldi, & filius Luponis, terram, & vineam, & oliveta, & totam pertinentiam supradictæ Ecclesiæ. Ad Sanctum Heracleum terra, & vinea, quam tenet filius Odonis, & Trevi ad Palazatam. In Assisi Ecclesia Sancti Joannis in Molinule, quam tenet filius Alberti, & Odo filius Mainardi, cum tota pertinentia. Et in Morsiano terra; & vinea, quam tenet Joannes de Grimaldo. In Orsiano terra, & vinea,

nea, & olivæ, quæ tenet Guinizo filius Ildeprandi ad caput aquæ; terra, quam tenet Gosbertus ad caput aquæ; terra, & vinea ad Novule, quam tenent filii Larori in Gualdo. Item in Assisi ad Molinule filii Gislerii, filii Adelberti, Udo filius Mainardi, Ageno filius Adenolfi, Guido Presbyter, Gisepertus, & Bernardus, Corvo, & Adelpertus, Joannes de Unsa, Peccio faber, Majo tiniosus, *Abbas Sancti Silvestri*. In capite aquæ filii Gislerii, & filii Lanzonis, Bardo adulterinus, Teuzon, Lupo Peponis. Ad Ursianum Ageno filius Adelberti, Joannes, Muza filius Rainerii, Ingezellus, Ruccio pecorarius, Effredus, Franco nepos Stephani Presbyteri, Ursus de Aza, Petrus de Rengarda, Honestus, Guinizo, Adelbertus, Joannes Bonus. Poperlum tenet filius Gislerii.

Quidam Januarius Presbyter ad mortem veniens donavit & concessit in hoc Monasterio, & *Domno Supponi Abbati* petiam I. vineæ territorii Viterbiensis, & in Valle Musilei, & dedit medietatem Sancti Simeonis cum ejus circuitu. Quidam Grimaldus Judex cum Sigiza uxore suà dedit in hoc Monasterio duas casas, in prato Cavallicali, & vineam unam in campo Forastico. Quidam Stephanus Presbyter chartulam fecit in Monasterio Sancti Andreæ, quod est in Bisano, Benedicto Presbytero, & Monacho de medietate Ecclesiæ Sancti Petri cum horto, Cellis, Libris, paramentis, & mobilibus, vel immobilibus rebus. Fuerunt postea in hoc Monasterio Abbates tres: unde in capite Monasterii *Adam* nomine in Sabinis omnia distribuebat. *Ildebrandus* verò in Marchia hujus Monasterii res iniquè dispergebat. Dedit autem conjugi suæ Ignæ Curtem Sancti Hippolyti, & campum Maximini; filiis quoque suis dedit Curtem Sancti Benedicti, & Mollianum, & Fraxenariam, & multas res in Comitatu Firmano. Campo autem in Comitatu Reatino. Isti tres simul invasores fuerunt uno tempore, rapientes, & deprædantes, atque omnia dissipantes: sicque annullatum, & ad nihilum redactum est hoc Monasterium. Postea verò sanctissimi *Imperatores*, *Otto I. & II.* cuncta ferme, quæ ab illis dissipata sunt, huic Monasterio restituerunt.

Breve de rebus prædictis, quod fecit Domnus Hugo Abbas.

Ecclesia Sancti Alexii cum pertinentiis: tenent Petrus, Baroccio, & Joannes Presbyter, & Sabbo. Mejana cum Casalibus tribus: tenent Benedictus Petrus, Baroccio, Joannes Alboni. Criptulæ cum Casalibus V. tenent Joannes Pizoni, Rosa, Petrus Jusari, & Bonizo. Mutella cum Ecclesia Sancti Angeli, & Casalibus IX. tenent Sabinus, Raibaldus, Franco Esculani, & Joannes Presbyter. Vellarolum cum Casalibus II. tenent Crescentius Presbyter, & Dominicus filius Joannis Calvi, & filius Ursi Presbyteri. Fontem Puza cum casis VII. tenet Adelpertus cum parentibus suis. Grippine: tenent Joannes Crispo, & Joannes Fusconi. Juxta Sanctum Laurentium casa una: tenent famuli duo. In Ciciniano casa una: tenet Martinus Agini. Cryptam unam tenent filii Amiconis. Sancta Eugenia, casæ V. familiæ quatuor. Juxta Paternionem casa una, familia Grippi; casas suas tenet Gisolfus cum parentibus suis. Cisternæ casas I. tenet Benedictus, & filius Saxonis. Juxta Sanctum Pancratium etiam longam tenet Franzo Clericus cum parentibus suis; in Sancto Laurentio casam unam, & Pojolum, ubi stant terræ, & medietatem de Castello, quod refutavit Leo Gagliardus *Camponi Abbati*. Benedictus filius Aimon casam unam; filii Petri Petronacis Casale I. Joannes cum suis sedium unum; Ursus Godon sedium I. Joannes Capella sedium I. Joannes Mercon sedium I. Petrus filius Gumberti sedium I. Maurus filius Petri Zoppi cum vineis & terra sedium unum. Andreas cum Ecclesia Sancti Valtrani Casale unum. Quidam Bernardus cum conjuge sua dedit in hoc Monasterio portionem suam omnem de Castello, & de Casale Francorum Abbati, quantum illi evenit in Settiniano, & in Salisano. A primo latere sedimen Malianæ veniente in rivum Alrianum, à secundo latere monte de Reido, à tertio latere monte Salisani.

Theodinus Comes refutavit Curtem Sancti Petri in Pelite cum omnibus pertinentiis in hoc Monasterio, & ad Domnum Joannem Præpositum. Altera vice refutavit omnem terram hujus Monasterii, quam in scripto non habebat, sive in Amiterno, sive in Reate.

Quodam verò tempore erat contentio inter Monachos hujus Monasterii, & nepotes Hilderici, & filios ejus: unde pactum fecerunt cum *Domno Hugone Abbate*. Illi tenebant Curtes hujus Monasterii, idest Curtem de Marruce cum servis, & ancillis, Curtem de Poplite cum servis, & ancillis; & in Civitate terras, & prata. In Campo Fingani, & in Termine, & per alia loca interocrino Curtes duas, idest Sestuni, & Vallantis cum pertinentiis earum. Unum est Castellum Janulæ, quod tenebant per injustum concambium. In montibus ibi prope, & in campo Ancillarum Dei, in Paterno, & Mora, & in Ponte, atque Arturano. In Cesoni Cerretum Monaciscum, & gualdum de Treforca, & Casalem Hortuli, & Casalem Maximum in Reatina Civitate intus & foris; & Curtem Sancti Gregorii. In plurimis quoque locis vendiderunt parentes eorum, & ipsi, de supradictis rebus etiam de servis, & ancillis. Censum verò à tempore *Domni Hugonis Abbatis* numquam dederunt. Pro his denique culpis reclamaverunt pro prædicto Monasterio, Præpositus Adam, & Monachi super eos ad *Nuntium Imperatoris Henrici Arnostum* nomine, qui placitabat Comitatum Reatinum. Tunc reinvestivit eos de ipsis rebus, quas tenuerunt per plures dies. Post hæc jam dictus Abbas, & Monachi fuerunt cum eodem Imperatore, & cœperunt prædictum fortiter rogare per se, suosque amicos, & parentes, ut finem ipsis faceret. Tamdem vênit ipse Abbas cum illis in convenientia, nolentibus etiam Monachis suis, hoc ordine. Refutaverunt illi Ecclesia Sancti Nazarii cum Vallanti (sicut modò tenet) & medietatem de Paterno, & medietatem de Monte Divino, & Ecclesiam Sancti Salvatoris cum duobus molendinis, & cum toto tenimento Andreæ Presbyteri, ubicumque tenebat in montibus, & in planitiebus. Hoc totum tenuit prædictus Domnus Abbas per unum annum. Postea ipsis iterum rogantibus, reddidit Paternum medium, & ipsam medietatem de monte, & unum molinum, & alias res cum prædictis Ecclesiis ad suam manum reservavit per istos fines: de una parte unius limitis grossi in terra Domini Salvato-

vatoris in terra filiorum Passiniani, infra tenimen de campo Ancillarum Dei, quomodo vadit per viam publicam ad pontem Sancti Sebastiani, & descendit in flumen, & ubicumque Ursus Presbyter tenebat in montibus, & planis: sic namque finitum est.

Item in Sabinis *Domnus Hugo Abbas* recepit casas II. idest Salisanum, & Grossianum, quas refutaverunt Adam filius Azonis, & Buccto filius ejus; ab uno latere Rivus de grossiano; à secundo latere fossatus veniens in viam publicam; à tertio rigus, & fossatus Montis Cesæ veniens in petra Casalina; à quarto latere tenet Miccione, & Joanne, & Petro, venientes in rigum de Portella, & exinde in pede montis Salisani, & in pedem montis Signantis cum fine Campi longi, & venientes in rigum, qui pergit à Massa. Item ibidem acquisivit res de Franca, & filiorum ejus; quæ fuit uxor Roccionis. A primo latere ringagines Cancelli; à secundo mons Otæ; à tertio rigagines venientes in Bruscitum, & in rigum de Ponticella; a quarto terra hujus Monasterii. Alias res in Galoniano, & in Pacciano ad aquam Latronis. Item res, quas refutavit Lupo filius Bertæ; & alias res Crescentii, & Dodonis filiorum Roccionis; & alias res Guidonis, & Azonis filiorum Francæ; & alias res ad Cupressitum; & alias res Joannis filii Azonis juxta muros antiquos. Item recepit res refutatas cum Rocca, & in Campo longo, & Carbonianum à Bucco, & Guala fossa germanis. Guido Abbas acquisivit res Azonis, & Farolfi filiorum Adelberti in Sectiniano, ubi est Ecclesia Sancti Stephani; & in Tede Majalina, & in Cerquito plano, & in Bacciano, & Salizano, & Rocca cum Ecclesia Sancti Thomæ Apostoli cum pertinentia de Campo longo.

Incipiunt relationes ex authenticis desumtæ de præjudicio, quod fecerunt nobis Actores (76) Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in Sabinis. In primis in Actionaria Cusini Primicerii. De Casale Brezano res Teudemundi. De Casale Bassiano tertiam partem, quæ fuit Joannis Presbyteri, ubi resident coloni V. idest Bonaldus, Hispulus, Gaidemundus, Godefridus, Curtulus. De Casale Coriliano tres partes nobis tulerunt, quæ fuerunt Bonaldi Presbyteri: residet ibi colonus nomine Baruncia. Traso Conductor tulit nobis terram de Fecline, unde nos investivit *Gregorius Missus Domni Apostolici*. De Casale Prætoriolo tulit nobis Guntifredus conductor terram modiorum X. unde investiti sumus, & paravit se in via ad nostros homines, & cecidit, & exspoliavit eos, & tulit eis unum equum bonum. Teuto Conductor tulit de Casale Orclaniæ hortum cum arboribus, & pecora X. Gualdefridus Conductor tulit nobis de Casale Cosiniano pecora III. boum paria III. Anecausus Decanus tulit olivarum talias VII. De Casale Berbusano tulit Anzipertus Conductor terræ, & vineæ uncias II. pecora VIII. & de Paterno unciam I. quæ nobis retradita fuit. De Casale Pertuliano tulit Alefridus Decanus terræ & vineæ uncias II. olivarum talias XX. Item de Casale Paterno, quem Fulcualdus misit in hoc Monasterio, tres uncias, & Casales XII. qui fuerunt Cisternulæ. Simitio, Calectianus, & .... isti faciunt angarias in Bariano. Joannes, Fellectus, Castillianus, Simillianus, Septemillanus, Casalem Corniclæ, in quo est Ecclesia Sancti Hiacynthi, & Sancti Valentini. De Casale Saliano vineæ tabulas duas, & terræ modia XV. Andipertus Conductor tulit nobis in Atiano terram modiorum XX. Casale Malliano vineæ petiam unam. Agipertus Clericus occidit hominem nostrum nomine Luponem, & uxorem ejus Rateldim. Gaspo Conductor tulit nobis de Casale Bassiano colonum unum nomine Fusconem, & Casalem Marcillanum in integrum, & Gabinianum in integrum; & Dominus & ..... conductores prædati sunt Ecclesiam Sancti Tholomei sub integritate, & tulerunt inde unum colonum. De Casale Miniano Hildericus, & Teuprandus tulerunt Petro colono nostro boum par unum.

Item de Massa, quam tenet Palumbus super ista. In primis de Actionaria Gaidonis, Opteramus Conductor tulit nobis colonum unum nomine Guinicisum. De Casale Acutiano in Terviliano tulit nobis sylvam modiorum XL. De Casale Culiano tulit nobis terram modiorum VI. cum pomis, & arboribus suis. Item de Actionaria Stephani in Scandrilia. De Casale Cisternulæ Alexander Conductor tulit unciam unam. De Casale Rosiano uncias II. Tacipertus Conductor tulit de Casale Rosario uncias II. De Casale Petiano unciam unam, de Argasiano uncias II. De Maciano uncias II. De Casale Prata uncias II. De Casale Arcari uncias II. De Casale Luca uncias III. Item de Casale Argasiano uncias II. Sindepertus Conductor tulit nobis de Casale Catoniano uncias III. De Casale Arsuræ uncias III. De Casale Altaria uncias III. De Casale Agellari uncias II. De Casale Tiniano uncias II. de Casale Latiniano uncias III.

De Actionaria Saraceni. De gualdo Mojano fuimus investiti per Missum Domni Imperatoris, & Domni Apostolici, & devestivit nos de ipso Casale Guilipertus Conductor. De Casale Tusiano tulerunt nobis unciam unam. Ex fundo Paterno portionem nostram fundi Culiani, & fundum Curianum unum in fundo Biliano Obteramus conductor tulit nobis, & fundum Fulianum in integrum; & ad Sanctum Gregorium uncias VIII. De fundo Bariano homines tres; de monte Lauri colonos tres. Tulerunt nobis de Massa flora fundum Ternanum, & Godipertum cum portiuncula sua. Item Curtem Corbinianam; Curtem Sanctæ Mariæ in Vico-novo; Curtem Sancti Viti in Palmis. De his Curtibus præceptum *Desiderii* habemus, & confirmationem *Domni Caroli Imperatoris*. De Curte Germaniciana, terras, & homines tulerunt nobis Actores Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. De Curte Sancti Abundii similiter fundum Bassianum in integrum.

Item familiæ Curtis de Pontiano. Casa Hilderici Castaldi; casa Ambrosii; casa Callispuli; casa Lucidi; casa Palumbi majoris; casa Teudori; casa Marualdi; casa Barioli; casa Aspran-

(76) Idem atque Actionarii. Supra vidimus Placitum sub Paschali I. Papa habitum, in quo pares querimonias exeruerunt Farfenses Monachi. Haec autem dicuntur de Ministris tantum, Oeconomis, & conductoribus Ecclesiae Romanae, non autem de Summis Pontificibus. Neque enim semper optimis capitibus inserviunt optima brachia, & rectae manus. Et quae heic rapta dicuntur, fortasse justo titulo Monachis erepta fuerant: neque enim heic auditur, nisi una tantum pars, & adversae partis rationes non ignoramus.

Asprandi; casa Bonualdi; casa Albini; casa Juliani; casa Decorati; casa Pauli; casa Armatuli; casa Tennuli; casa Palumbi; casa Teuderisii; casa Gaituli; casa Daculi; casa Servandi; casa Teuderadi; casa Teuponis; casa Alimundi; casa Barbati; casa Aliradi; casa Formosuli; casa Luterii; casa Teudeperti; casa Martiniani; casa Baroncionis.

De Colle Petruso casa Teudeperti; casa Romani; casa Petri; casa Bonuli; casa Pauli; casa Minioli; casa Bibuli; casa Sindulæ; casa Salarioli. De Paciano; casa Anualdi; casa Bonuli; casa Tintuli; casa Candolfi; casa Dominati; casa Guitarii. De Cæsariano casa Martinuli; casa Alluli; casa Romualdi; casa Maimuli; casa Audualdi; casa Arcisi; casa Goderisii; casa Cullioli; casa Bonosulæ; casa Boniperti; casa Bonuli; casa Ambrosii; casa Decorosi; casa Martini; casa Luculi; casa Teuderiacli; casa Laupari.

Item de Ecclesiis à nobis ablatis. In fundo Ariani Ecclesia Sancti Valentini; in fundo Cassiani pars de Ecclesia Sancti Cassiani, & Sanctæ Justæ; in fundo Occiani pars Ecclesiæ Sancti Briccii; in fundo Rosiano, pars Ecclesiæ Sancti Stephani; in fundo Marciani Ecclesia Sancti Victorini; in fundo Catoniano pars Ecclesiæ Sancti Sabini; in fundo Petiniani pars Ecclesiæ Sancti Angeli; in fundo Poptiani pars Ecclesiæ Sancti Silvestri; in fundo Domitiano Ecclesia Sancti Stephani; in fundo Cesiniano pars Ecclesiæ Sancti Silvestri; in fundo Capiani pars Ecclesiæ Sancti Calistrati; in fundo Prætoriolo pars Ecclesiæ Sancti Laurentii; in fundo Serviliani pars Ecclesiæ Sancti Antimi; in fundo Lavariano pars Ecclesiæ Sancti Gethulii; in fundo Salliani pars Ecclesiæ Sancti Martini. *Monasterium* etiam *Domini Salvatoris* (77) tenet partem nostram de Casale Septiniano, in quo est Ecclesia Sancti Marcellini. De Prætoriolo. Majorinus Conductor noster cum Data uxore sua, & duobus filiis, duabusque filiabus. Vulgarus cum uxore sua, & VI. filiis, ac filiabus. Luculus cum uxore sua, & filiis, vel filiabus VI. Cauco cum uxore sua, & duobus filiis. Andreas cum matre, & duo fratres cum uxoribus, & tribus filiis. Barbazanulus cum uxore & quinque filiis. Curvolus cum filio, ac filia, & nuru ejus, & duobus filiis. Palumbus cum filio, vel nuru, cum II. filiis, & filia vacante. Joannes cum uxore, & tribus filiis, cum filia, & cum tribus nuris, & quinque aviaticis suis. Merulus cum filio suo, & duæ filiæ, una cum affiliato. Albolus cum uxore, & tribus filiis vacantibus, & unus uxoratus cum filio suo. Hi sunt promiscui sexus homines . . . . . De Furano. Gaiderisius cum filiis IV. Gaidepertus cum filis quinque. Nerigo cum filio, & nepotibus duobus. Alevisius cum foculare suo; Liuprandus cum foculare suo; Ermulus cum foculare suo; filius Guiderisii; Atrianulus cum fratre suo Joanne; Soldulus cum tribus filiis; Erso cum tribus filiis: Ropertus cum filio uno; Atrius cum filiis VI. & alii plures, quorum nomina pro vetustate discernere non poteramus: verumtamen erant LXXVI. absque fœminis, & parvulis.

De Casis, & familiis in Prætoriolo. Bartulus cum uxore, & filiis quinque; Taculus cum hominibus quinque; Albulus cum IV. Juvenalis, Joannes Tiberulus cum quatuor; Bicculus cum IV. Scilarum cum IV. Calvus Andreas cum VII. Ursulus cum filio suo: Theodelinda cum filia. Sircio cum VII. Gasulus cum VII. Barbatianus cum VI. qui sunt in summa homines LXVIII. Hos homines Majorinus conductor noster priùs innotuit, sed postea plus inventi sunt XV. & VIII. foculares.

Item fundum Volusianum in integrum cum casis coloniciis XVI. & familiis, & Curte una, habent buttes de vino XI. boum paria X. fundum Nigitanum in integrum cum colonis quatuor, & familiis, & mola I. & de vino butte I. In fundo Logiano colonicia I., in fundo Feclinulæ colonicia I. Fundum Argunianum in integrum cum coloniciis II. & familiis. Fundum Canalis in integrum cum coloniciis IV. & familiis. Fundum Cryptæ in integrum cum colonis II. In Lusiano colonos IV. cum familiis, gualdo, & sylva ad Pontem-fractum, & de vino butte I. In Anticione coloni tres cum familiis. In Palentiano coloni XI. cum familiis; In Stirano coloni IX. cum familiis; fundum Rufinianum in integrum cum colonis II. & familiis, in Prætorio colonus I. cum familia sua. In alia Casali colonus I. cum familia sua, & gualdo sementaricio. Præter res istas nobis tulerunt homines Sabinenses Massam Convinianam cum omni pertinentia sua, ubi resident coloni XV. in Casale Trari coloni X. in Casale ad mensam Antimi coloni quinque. In Calcinano Casales III. coloni X I. In Saliponti Casales I. coloni VI. In Statiano Casales IV. coloni XX. In Pompejano Casalis I. coloni XX. In Ipriano Casalis I. coloni III. In Perpiniano Casalis I. coloni V. In Coletiano Casalis I. coloni IV.

Quidam verò liberi homines donaverunt nobis substantias suas in hoc Monasterio, quas Actores Sanctæ Romanæ Ecclesiæ abstulerunt, scilicet substantiam *Teutonis Episcopi*, Alefridi Presbyteri, & Monachi, Gregorii Primicerii, Ansefridi Monachi, Guasiperti Monachi, Alcuniani Monachi, Teudemundi Monachi, Gaderisii Monachi, Leonis Monachi, Hilderici Monachi, Scaptulfi Monachi, Luponis Monachi, Benedicti Monachi. Item Luponis, Hilderici, Guastaldi, Tacipergæ, Helenæ Ancillæ Dei. Item Luponis Monachi, Gisulfi Monachi, Mictonis Monachi, Petronis Monachi, Batelli Monachi, Guniperti Monachi, Arcisi Monachi, Teudemari Monachi, Benedicti Monachi, Baruncionis Monachi, Ansachel Monachi, Davidis Monachi, Hebremundi libertini, Gariperti Monachi, Anderisii Monachi, Pauli Monachi. Sunt autem ipsæ substantiæ XLII.

Item tres liberorum hominum, quæ temporibus Longobardorum per chartas huic Monasterio Sanctæ Mariæ collatæ sunt, & nunc ab Actoribus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ retinentur. Idest res Attonis, Teudemundi, Helenæ Ancillæ Dei, Tacipergæ, Celsi. Petri Monachi, Taurelli, Petri filii ejus, Auderisi Monachi, Grani Monachi, Gualdeperti Monachi, Joannis Monachi, Hilderici Sculdais, Baselli Monachi, Teuperti Monachi, Arcisi Monachi, Gisulfi Monachi, Aderisi, Joannis Presbyteri, Danielis Presbyteri, Bettonis, Hilderici Gastaldi in Pontiano, Tauferii Monachi, Pauli Monachi, Benedicti Monachi, Teudemaris Monachi

(77) Videtur heic agi de Monasterio quopiam Romae sito, cujus nullum mihi vestigium. Sed fortasse sermo heic fit de Monasterio Reatino, ejus enim supra bis est facta mentio, atque infra non semel fiet.

diorum VII. & in Ocre petiæ III. prima modiorum V. secunda modiorum VII. tertia modiorum VII. Item in Amiterno in Colle, ubi dicitur Cantarellus, modiorum III. Item in Furcone in Corno, cujus fines sunt fontanella, & furca de Lacu de Pera, & Cornetum, & Ecclesia Sancti Christophori, & pedes de Praula, & via, quæ pergit ad Sanctum Eusanium, & ad Sanctum Petrum, & pedem montis Calvi & sunt modiorum LX. & in Vico modiorum VI. Item Casalicium in Reate ad plateas juxta terram Regis. Item in territorio Asculano ubi dicitur Iscliamus, modiorum IV. Item in territorio Sabinensi, ubi dicitur Cæsarinus, & Sanguinarius. Item in territorio Reatino juxta flumen Mellinum subtus muros civitatis, & Casalicium, & ad balnea vetera, & ad aream de Baga, & ubi dicitur Plagè. Ecclesia Sanctæ Agathes, quæ pertinet ad Collem Sancti Georgii. Item in territorio Furconino in Sylva-plana, ubi dicitur Vallus Pauli modiorum XX. accepit ad proprietatem hujus Monasterii; insuper argenti libras X. & concessit in supradicto territorio Furconino in Acilie & in campo subtus Acilie, fines ejus via ad balneum, quæ pergit à muro à via Episcopii *Sancti Maximi* (82) & pergit ad Columnellas, & ad Monumentum; & via, quæ pergit à vado Cilluli, & ab Ecclesia Sancti Cypriani, & pergit in Rogie, & ad montem, qui vocatur Serra. Exceptatæ sunt res de Opitanis, quæ in hoc Monasterio reservatæ sunt. Item ad pretium solidorum centum præfatus Abbas Ratfredus concessit in territorio Furconino, ubi dicitur ad Insulam, subtus Ecclesiam Sanctæ Balbinæ in flumen, & ubi dicitur Huphia. Item in territorio Asculano ubi dicitur Furianus, & ad Civitellam modia III. terræ, & sextarios IX. Item in territorio Sabinensi, ubi dicitur Muscini, juxta rivum Nucarium; & alias res ibidem modiorum XXX. Item in territorio Sabinensi Casale Tervilianum cum ipsa rotia. Item in territorio Asculano in una petia ad Subvenam modiorum VIII. In alia sextarios VIII. & pugillos III. in alia pugillos VI. in alia sextarios VI., & pugillos VI. Omnes insimul modia XV. ad pretium ibidem terræ modiorum VI., & solidorum argenti CDXL. Item in fundo Rasiano, & in Cese, & in Septem-tibiæ, & portionem Ecclesiæ Sancti Salvatoris, quæ sunt modia L. ad pretium solidorum C. Item subtus muros civitatis Reatinæ modia II. & sextarios IV. & pugillos VI.

Sub hujus memorati Ratfredi Abbatis regimine erant duo scelerati in hoc Monasterio, falsi habitus Monachi pessimæque nequitiæ; Unus vocabatur *Campo*, qui ab infantia nutricius ejus exstitit, & cui multa bona contulit, quemque medicinæ studio Artis, imbuere fecit. Alter verò dicebatur Hildeprandus de alio longinquo Monasterio ab ipso jam dicto Abbate susceptus, cui Cellam, quæ adhuc Romæ videtur, concessit, eumque quasi proprium filium dilexit. Isti ambo de ejus morte conati sunt tractare, & qualiter unus alteri post necem illius de hoc Monasterio sortem tribueret, diffinire. Itaque cùm viderent eum jam senio deficere, & ut plurimi asserunt, XXX, & IX. annos vivere in hoc regimine, ob ambitum honoris mortifero veneno studuerunt interimere. Qui in extremo positus sentiens illos ante se mortem suam expectare, illico suspirans voce, qua poterat, allocutus est Camponem, dixitque: *Campigenans Campo, malè quàm me campigenasti*: statimque exspiravit. Tunc perrexit Hildeprandus Papiam ad jam dictum Regem Hugonem (83) & pecuniâ magnâ acquisivit ad opus Camponis pessimi hanc Abbatiam.

Vigesimus autem sextus in hujus Cœnobii regimine præfuit *Campo*, omnium ipse malorum radix, hujus Monasterii vastator post Paganos. Hic per Marchiam revertenti à Rege Augone Hildeprando occurrit, & adimplens promissam sortem duas Cellas in Marchia dedit Sanctæ Mariæ juxta flumen Clentis, & Sanctæ Mariæ in Solestano secus civitatem Asculanam, & in Comitatu Reatino alias duas Sancti Angeli juxta ipsam civitatem, & Sanctæ Mariæ in Lauriano. Hoc expleto reversi sunt Sabinis, non ut Monachi, sed ut impii. Sed ista pax uno tantùm anno permansit inter eos. Tunc datâ Hildeprandus pecuniâ Marchisianis, totam hujus Monasterii hereditatem prædicto Camponi tulit, sibique vendicavit. Campo autem contra ampliori pecunia his ipsis collata illuc ivit, & unam suam sororem marito nomine Transberto dedit, & de bonis Monasterii valde eam dotavit. Ipsi verò suo cognato Curtem Sancti Marotis concessit per concambium, quæ continetur terris modiorum XVI. millium. Pro qua Curte, & pro Pezano concambium recepit loca multa, quibus duas Curtes alias adjunxit per præstariam. Unam autem filiam suam viro alteri multis dedit cum denariis. Adjunctis sibi quoque amicis, & auxiliatoribus suis prædictum Hildeprandum de Castello Sanctæ Victoriæ, & à cunctis ejus finibus ejecit, omniaque loca in suum dominium redegit. Et reversus cum triumpho Sabinis, VII. filios, & VII. filias habuit, quos omnes de rebus Monasterii donavit. Nam in Sabinis Castellum de Bucciniano, & Roccam, & Salisanum, & fundum Casa-Perotæ parentibus suis contulit, & in Reatino Comitatu, & Amiternino, & Furconino, & Balbensi, nec non & Marsicano cuncta illis penè distribuit. In hoc malo perduravit usque ad tempus *Romanorum Principis Alberici* (84). Sed jam plurimas ab eo commutationes factas de hujus Monasterii bonis proferamus, quas non legaliter, nec utillimè, sed fraudulenter, uti sacrilegus adorsus est perficere. Fingebat enim se à commutatoribus aliquantulum pretii cum quantalibet terræ possessione accipere; & tribuebat de hujus Monasterii bonis amplissimam largitatem. Quod verò refert in scriptis, sive præstariis, pretium assumtum ab eis in opus, & dispendium utilitatis hujus Monasterii se misisse, per omnia fallit: quoniam ad suorum magis parentum augmentationem, suæq; pessimæ voluntatis expletionem, plurima dignoscitur expendisse.

(82) Furconenses Episcopi, sive Turionienses, olim appellabantur *Episcopi Sancti Maximi*, cujus Martyris ac patroni corpus in majori Templo colebatur. Nunc ad Aquilanum Episcopum ea ditio spectat.

(83) Hugo Italicum Regnum iniit Anno 926. illudque circiter Annum 945. dimisit. Is autem Ratfredum, ac deinde Camponem intrusit: non ergo potuit Ratfredus, ut supra innuitur, tenuisse regimen Monasterii *XXX. & IX. annos*.

(84) Qui Anno Christi 936. monarchiam Urbis arripuit.

disse. Denique nomine nec acquisitor, nec auctor vocitandus est hujus Monasterii bonorum, sed potiùs concambiator, & pessimus dispersor, ac iniquus negotiator vociferandus est omnium ejus ubique hæreditatum.

Dedit igitur per commutationem in Castaldatu Reatino, ubi dicitur Porticellos, terram modiorum V. vel plus, & aliam petiam ibidem, cujus quantitas non refertur; & recepit in concambium in campo Reatino petias terræ duas modiorum VII. Prima petia est ad Sanctum Andream ad Staphilum; alia verò sub colle Ramundato ad Paoperi. Item commutavit infra civitatem Reatinam Casalicium cum terra juxta muros ejus, & suscepit ibidem alterum Casalicium, & ad Trivium petiam terræ modiorum XXX. Item in Tuscana, ubi dicitur Ripa-alba, montem, & saxum Vulpinum dedit per commutationem, & recepit in Comitatu Centumcellense duos Casales, unum, qui dicitur Cerrinianus, & alium, qui vocatur Canitum Leonis, & portionem Casalis, qui nominatur Passivi Presbyteri. Et de Casa Severi, & de Casale Seccano. Item commutavit in territorio Furconino, ubi dicitur Margine, terram modiorum III. & recepit in territorio interocrino, ubi dicitur Micilianus modiorum V. Item dedit per libellum cuidam Rodaldo Vicecomiti quamdam Insulam juxta fluvium Tronti secus ipsius Ecclesiam Sanctæ Mariæ, & cum Castello infra ipsam Aquam-vivam. Et in Furciliano, & in Rote, & in fundo Speneto, & in Carbule, & in Prætorio, & in Pratello, & in Esclare, & in Bibiano, & in Ministerio Tenaldi, & in Plebe Sancti Laurentii, & in Plebe Sancti Justi, & in Plebe Sancti Stephani de Monte-Sancto, terras, & vineas, & silvas modiorum II. millium inter fluvium Tronti, & fluvium Clentis, ad pretium auri, vel argenti, aliorumque mobilium solidorum CCC. & annualem censum solidorum V. in Castello nostro Matenano. Item commutavit in territorio Aprutiensi, ubi dicitur Peduganus, ubi est Ecclesia Sancti Felicis; terræ petias V. cum ipsa Ecclesia; & recepit in territorio Amiternino, ubi dicitur Campus-armorum, terræ petias III. & in territorio Furconino ad Cerritula una cum Ecclesia ibidem Sancti Salvatoris. Item commutavit in territorio Amiternino, ubi dicitur Vallis-Cupa, & recepit in ipso territorio, ubi dicitur Prætorius. Item commutavit in territorio Furconino, ubi dicitur Peta, & recepit in territorio Amiternino subtus fistulam ad Frounum, & in Collectario. Item commutavit in territorio Reatino super Ecclesiam Sancti Heleutherii ad rivum, & recepit in eodem territorio, ubi dicitur Sarianus, & Padules, & Sirigla. Item commutavit in territorio Amiternino in Collectario ad Butizanum, & recepit in eodem territorio, ubi dicitur Casalis. Item commutavit cum Timbaro, & Gaiderisio, & Opteramo germanis fratribus, ac filiis Liuzæ, deditque eis in territorio Reatino, ubi dicitur ad Fossam, modia XVII., & recepit ab eis in territorio Sabinensi, ubi dicitur ad Frassum, & ad Cacabellos modia XX. Et commutavit in territorio Asculano, ubi dicitur Furianus, & in Valle-Veneria, & in Valle Sancti Angeli, terræ petias XXI. modiorum L. & recepit in ipso territorio, ubi dicitur Mostrianus, & in Feltriano terræ petias IV. modiorum LXX. Item commutavit in territorio Firmano, ubi dicitur Fecline, terram modiorum CCC., & in Emmiano modia centum, & in Casario modia XXX. & recepit in ipso territorio Asculano, ubi dicitur Force, & Veranus, inter terras, vineas, & silvas modia D. A capite usque ad aquam de Furce ad viam publicam; à pede flumen Asum; de uno latere rivum Cenantem; de alio terras Ingelrami; insuper quædam mobilia solidorum CC. Item in eodem territorio Asculano cambiavit de dotalitiis Sancti Felicis, ubi dicitur Frebelianus, modia CC. usque rivum Corvinum, & terram Maclini, & fluvium Castellarium, & ubi dicitur Peraria modia LX. usque viam & rivum.

Item cambiavit in territorio Reatino, ubi dicitur Nabianus, & recepit in Frundario modiorum VI. Item cambiavit in territorio Reatino, ubi dicitur Trebulæ; & recepit in Castaldatu Narnatino, ubi dicitur Pasulum. Item cambiavit in Amiterno, ubi dicitur Prætorium super Cantarum, & recepit in Collectario, ubi dicitur Formule; Item cambiavit in territorio Asculano, ubi dicitur Solestanus, & in Masica, & in Estallo, & in Materno recepit, & in Valle Mainula, terræ, & silvæ modia XXX. Item cambiavit in territorio Asculano, in Villa Majana, ubi dicitur Cornu-Bovexinum, & casale Popcoranium, ubi Ecclesiæ sunt Domini Salvatoris, & Sancti Silvestri; & recepit in territorio Spoletano, ubi dicitur Ponte, & Vespia, & in Cartinium, & Popli, & ad Pirum-rotundum, cum Ecclesia Sanctæ Christinæ. Item cambiavit in Amiterno in campo Osiniani, & recepit ibidem, & Furcone terræ petias IV. Prima petia in Prætorio modiorum VII. alia ibidem modiorum V. Tertia ad Collem Ratilianum modiorum II. Quarta in campo Mocavo modiorum III. Item cambiavit in civitate Reatina prope portam Interocrinam casalicium unum, & recepit in Fraudario, & in Riccomi Zocculi.

Berengarius I. Imperator Farfensi Cœnobio jura ac Privilegia omnia confirmat. Anno 920.

„ IN nomine Dei æterni. Berengarius divina favente clementia Imperator Augustus. Cùm petitionibus servorum Dei justis ac rationabilibus divini cultus amore favemus, & his opportuna beneficia largimur, præmium nobis æternæ remunerationis à Deo rependi non diffidimus. Ideo notum fieri volumus omnibus fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ, quia quidam venerabiles Monachi, *Johannes* videlicet, atque *Campo* ex Monasterio Sanctæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ, quod in Italia situm est, in loco, qui dicitur Acutianus, ad nostram venientes præsentiam, ostenderunt nobis Præceptum Proavi nostri *Caroli Serenissimi Imperatoris*; nec non & *Ludovici Piissimi Augusti* filii illius, & *Lotharii* fratris ipsius, itemque *Ludovici* ejusdem Caroli nepotis, & senioris nostri olim Imperatoris. In quibus continebatur, quomodo ipse & antecessores eorum, *Liutprandus* scilicet, *Ratgisus*, *Haistulfus*, ac *Desiderius*, *Reges Langobardorum*, eorum prædictum Monasterium propter divinum amorem, & reverentiam Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, semper sub sua „ tui-

„ tuitione & defensione tenuissent. Ob firmitatem tamen rei postularunt prædicti religiosi Monachi per *Ardingi reverendi Episcopi* ac dilectissimi fidelis nostri humilem interventum ac supplicem petitionem, ut eorumdem Imperatorum Præcepta nostra auctoritate confirmaremus, & immunitatis Præceptum præscripto Monasterio dare juberemus. Quorum petitionibus inflexi libenter acquievimus, & sicuti postulaverunt, in omnibus concedendum atque confirmandum decrevimus. Confirmamus etiam eidem Monasterio omnes res, quas Lupo, & Johannes nepos ejus, atque Turrem positam in loco, qui dicitur ad Cupeneum sub muro civitatis Reatinæ juxta Mellinum fluviū, ad prælibatum Monasterium contulerunt; atque res illas cum Curte nuncupante Ophida, sitas in Comitatu Asculano, quas Johannes Clericus Galitrudæ filius pro remedio animæ suæ prætaxato Monasterio obtulit; seu quidquid Geroardus, & Deodatus, atque *Albericus Marchio* in idem Monasterium aliqua inscriptione condonarunt in Comitatu Firmano. Omniaque Privilegia Pontificum, simul cum omnibus rebus sibi collatis a diversis hominibus, & commutationes, donationes, offertiones, seu & omnia, quæ per instrumenta Cartarum ad idem provenerunt Monasterium, cum omnibus ad se pertinentibus. Si quis verò ausu temerario contra hanc nostræ Auctoritatis jussionem venire præsumpserit, & eorum quippiam, quæ fieri prohibuimus, contra prædictum Monasterium facere temptaverit, sciat se secundùm constitutionem prædecessorum nostrorum ac nostram, sexcentorum solidorum summam ad partem Monasterii esse multandum. Et ut hæc Auctoritas firmior habeatur, ac per futura tempora meliùs conservetur, manu propria subter eam firmavimus, atque anuli nostri impressione assignari jussimus.

„ Johannes Episcopus & Cancellarius ad vicem Ardingi Episcopi & Archicancellarii recognovi.

„ Datum II. Kalend. Julii., Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXX. Domni verò Berengarii XXVIII. Regni, Imperii autem V. Indictione VIII. Actum in Curte Olonna.

Quidam verò Ingebaldus ex gente Francorum, filius Ingelberti, & Theodoranda conjux ejus filia Gratiani de Urbe Roma, vivens Lege Salica, dederunt, & tradiderunt in hoc Monasterio, & Domno Camponi Abbati Castellum Buccinianum cum Casale de Bucciniano, & quantum eis evenit à Leone Cubiculario in terra Sabinensi duas partes cum Castello, & Casalibus.

Dum verò resideret *Roccio Loco positus, Marchio, & Rector Comitatus Sabinensis*, unà cum Uberto, & Francone Vicecomite in Ascherisio, & Sergio Judice & *Amicone* (85) *Episcopo Firmano*, & Roccione filio Monasi, & Joanne filio Rodulphi de Reate, Ansefrido, & alio Joanne, Benedicto, Bernardo, & aliis plurimis residentibus in placito, in territorio Sabinensi infra Castellum Tophila juxta Ecclesiam Sancti Laurentii secus Casale Curianum: vênit Campo Abbas hujus Monasterii unà cum Rodaldo filio Guidonis de territorio Firmano Advocato suo, & querelatus est super Leone filio Aciprandi pro rebus hujus Monasterii in Tophila, & Curiano, & Mejanula, & Criptule. Tunc supradictus Leo à Judicibus interrogatus fuit. Respondit. *Certè, Domini, veritatem vobis dico, quia de ipsis duobus Casalibus, idest Mejanula, & Criptulæ, nihil mihi pertinet, nec exinde quidquam contendo vobis de Tophila vel & Curiano; & medietatem Castelli ipsius similiter non contendo, quia mihi non pertinet, nec pertinere debet in integrum, excepto sola ista Ecclesia Sancti Laurentii, unde Joannes filius meus scriptam habet*. Hæc verò audientes supradicti Judices judicaverunt, ut sicut supradictus est præfatus Leo de ipsis rebus, requiesceret, & Campo Abbas ad partem hujus Monasterii in securitatem in æternum retineret eas.

Quidam verò Sintarus filius Liuzæ dedit, & tradidit, atque concessit in hoc Monasterio res suas in territorio Sabinensi, ubi dicitur Tophila, quotquot ei per chartulam comparationis evênit a Leone, & Sabino, in Monticello super Ecclesiam Sancti Laurentii in Tophila, quæ sunt pedis publici CCL. pedes. A capite usque ipsum limitem, qui est super Ecclesiam Sancti Laurentii contra ipsum Castellum, pedes centum per latitudinem; & in longitudine ab ipsa via publica contra Regiana pedes CL. Quidam autem Lupo donavit in hoc Monasterio, & Domno Camponi Abbati res suas in territorio Sabinensi in fundo Criptulæ à capite, usque ad vallum & rigaginem: à pede Regiana; ab uno latere rigus currens. Quidam Susarius dedit in hoc Monasterio, & Domno Abbati Camponi res suas in territorio Sabinensi, ubi dicitur Ciceranus. A capite usque ad ripam Sancti Eleutherii; à pede Abbatini; à tertio latere Regiana: à quarto latere ripa de Curano; Et quidam Petrus obtulit in hoc Monasterio, & Domno Camponi Abbati res suas in territorio Sabinensi, ubi dicitur Salusianus. Item Campo, & Seiderisicus concesserunt Domno Camponi Abbati, & in hoc Monasterio res suas de prato juxta Ecclesiam Sancti Valentini medietatem in integrum: à capite, usque silicem; à pede terra Joannis de Calabria; à tertio latere terra Demetrii Grammatici; à quarto latere pratum Albonis.

Hactenus Commutationes plurimas de hujus Monasterii rebus, & exiguam acquisitionem ejusdem Camponis Abbatis descripsimus. Dehinc verò pluriores Monasterii hujus res ab eo largiter, & voluptuosè concessas, assignare curavimus. In primis ad pretium solidorum CC. terram X. modiorum in Amiterno dedit; & in territorio Reatino, ubi Basche dicitur, Curtem nostram, quæ vocatur Sancti Justini, in integrum usque viam Salariam, quæ vênit à Monasterio Domini Salvatoris, & pergit ad Romam; de alio latere via Salaria, quæ vênit à Civitate Reatina ad Romam; de alio rivus Arrianus; de alio verò rigus Spatianus, & Cella nova, quæ pertinet Monasterio Salvatoris, usque Rocciam in Signie, & usque Casale de Apajano, & Casale Senaldi, & fossatum Cryptæ Adelardi, & fossatum, quod pergit in Toranum. Item pro solidis LXXX. dedit in territorio Furconino terræ petias V. Prima modiorum XXVIII. Secunda modiorum II. Item

(85) Qui Catalogo Firmanorum Praesulum in Italia Sacra est adjungendus.

Item pro solidis LX. dedit in territorio Amiterno, ubi dicitur Marrucæ, terræ & vineæ modios XXII. Item pro solidis X. in territorio Reatino res ad quartum. Item pro solidis X Casalicium infra civitatem Reatinam prope Sanctum Cassianum. Item pro solidis XXX. dedit in territorio Reatino, ubi dicitur Furianus, medietatem de ipso prato. Item pro solidis XX. dedit in territorio Sabinensi, ubi dicitur Mosinum, res modiorum XV. Item pro argenti unciis IV. dedit terram foris portam Beati Petri Apostoli intra *Civitatem novam, quæ vocatur Leoniana*, (86) juxta muros ipsius, ab uno latere hortus Sancti Stephani Majoris; ab alio Sanctorum Joannis & Pauli; à tertio latere hortus Diaconiæ Sanctorum Sylvestri & Martini, à quarto murus prædictæ Civitatis; ac terram sementariciam modii unius foris muros in Trione, & Introaqua, & usque in murum antiquum. Item pro solidis quinquaginta dedit Hilderico filio Camponis, & Liutzæ filiæ Orchizonis, & Sintaro, & Joanni, & Gaiderisio, & Opteramo germanis, & filii supradictæ Liutzæ in territorio Reatino res pertinentes ad Sanctam Agatham ex toto Spentatiano; & res pertinentes ad Sanctum Leopardum; & subtus muros civitatis Reatinæ, vineam pertinentem ad Sanctum Georgium; & foris Pontem-fractum petiam I & substantiam I. in Clivio. Item pro solidis X. dedit in territorio Reatino, ubi dicitur Ponticellus, clausuram Joannis Decani. Item pro solidis CC. dedit in territorio Furconino res Majorani in Margine, & in Leoni. Item pro solidis C. dedit in territorio Amiterno substantiam Luponis Presbyteri servi hujus Monasterii ad rivum Cœlestini, & in Oppligiano, & in Campo subtus Cavallari. Item pro argenti libris VII. dedit in territorio Furconino Curtem de Ocre in integrum ad pensionem solidorum V. Item pro solidis VIII. dedit in territorio Sabinensi ad Curianum res modiorum VIII. Item pro solidis XX. dedit in Colle Supercanali res modiorum X. Item pro solidis XX. dedit in Muscino juxta rigum Micarium res modiorum X. Item fundum Murianula in integrum; & in territorio Firmano ad montem Falconis pro solidis LX. Item in Cartice pro solidis X. Item in territorio Asculano ad Solestanum pro solidis XX. Item in Comitatu infra territorium Orclanum, & intra ipsam civitatem Orclæ, casalinos desertos. Item in Comitatu, vel territorio Viterbiensi, & Polimartio, & Ferentino. Item in territorio Reatino ad Pompinianum, ubi fuit Ecclesia Sancti Petri, & alibi ubi fuit Ecclesia Sancti Thomæ Apostoli. Et in Carsule, ubi fuit Ecclesia Sancti Petri, & de Casale Atriano medietatem: hæc omnia dedit pro solidis C. Item pro solidis XX. dedit in territorio Reatino ad quartam usque montem Arpinianum & fossatum, quod pergit ad Porcanum, & viam de Porcano ad Radicariæ aquam; & res Camponis, & Azonis germani ejus, & usque Monumentum, & limitem qui pergit ad formam. Item pro solidis XL. dedit ad Jubianum prope muros civitatis Reatinæ modios tres; & medietatem de gualdo, seu sylva Cerreti Plani, qui dicitur Julgianus, usque Vallem de Sexto, & fluvium, & montem de Abitiano, & Sylvam Sancti Jacobi pertinentem ad Cellam Sancti Angeli. Item in territorio Sabinensi ad Sanctum Valentinum quod pertinet de Grutano, & ex ipsa terra de annona ad quartam reddendum, & de vinea, & pomis medietatem, & modium I. in ipso Casale ad casam faciendum, & hortum.

Subsequitur immanis hujusmodi contractuum series, quam Lectores breviatam à me lubentiùs excipient.

Item pro petiis terræ modiorum IX. in territorio Asculano, ubi dicitur Moticetum, & solidis LX. dedit in Solestiano unam substantiam servi nostri, & in Sablo in Vallibus modiorum XXV. Item pro petiis terræ modiorum IV. in Noveri ad Paganicum, & solidis XXX. dedit in Paterno, & Saliniano, & petias II. de prato Gualduli, & aliam de prato Rosuli. Item in Amiterno pro solidis LX. dedit in Prætorio, ubi dicitur Pareti modios XXX. & subtus Sanctam Justam in Campo Ophiniani ad Casagium modios XVII. & in Valle Cupa modios II. Item pro solidis XX. dedit intra civitatem Reatinam casalicium ad forum, & subtus muros ejus petias terræ, & vineæ V. modiorum XXII. Item pro solidis centum dedit in territorio Reatino Curtem Sancti Jacobi, & molinum subtus muros civitatis, & sub porta Interocrina quæ pertinet ad Sanctum Gregorium. Item pro quadam substantia in territorio Ciculano ad campum Fecedini & solidis LX. dedit supradictus Campo Abbas in Amiterno Prætorium montem cum Castello partes tres usque Vallem bonam, & Cornetum, & Cerquetum Landonis, & usque terram Episcopi Reatini. Quartam verò partem da Castello, & de omnibus in hoc Monasterio reservavit. De Monte Aureo similiter. Item pro solidis XXX. dedit in territorio Reatino, ubi dicitur Bagie. Item pro solidis XX. dedit in Amiterno ad Sanctum Xistum in Campo. Item pro solidis LX. dedit supradictus Campo Abbas vicendam in Furcone, vel vadum Ursæ, & in Villa Sancti Sixti, & in Amiterno ad vallem Dominicam, & in Furcone ad Runate, & in campo Armonis gualdum de Felecto usque cesam de Leoli, & fossam Petri Roscii, & lacum de Colabretto, & lacum malum, & usque Serram de Popli super Ariscle. Item pro terræ, & vineæ petiis tribus, quæ sunt modiorum CXXXI. in territorio Sabinensi, ubi dicitur Marinianus, commutavit in territorio Furconino ad Collem Monaciscum terræ petiam I. modiorum CXX. Item pro terræ, & vineæ petiis duabus in territorio Reatino ad Ponticellum. Insuper & pro solidis X. dedit ibidem in Ponticello res hujus Monasterii.

Item pro petia I. modiorum trium in campo Reatino, insuper & solidis XXX. dedit res ubi dicitur Planeze. Item pro terræ petia I. modiorum XXX. in Turano. Insuper & pro solidis LXXX. dedit res ibi ad Cornetum cum Ecclesia Sanctæ Mariæ, & in Offigiano & Puzalia, & Paganeco, & Puccareto. Item pro solidis XXX. dedit in Amiterno Ontrica, ubi dicitur Casara in Perti. Item pro terræ petia I. modiorum XL. in territorio Reatino, ubi dicitur Buta Ursuli, insuper & pro solidis XXX, dedit ibidem, & ad Gualdum novum. Item pro terræ petia I. modiorum XII. in Furcone dedit

(86) Sive Leonina, quam Leo IV. Papa ob Saracenorum metum ædificavit. Vide Anastas. Biblioth.

dedit ibidem ad Vallem Cupam cum lacu de Senizo secus terram Riamonis & Regis, & viam publicam pergentem, & Barisianum, & secus pagum Supolifcum, & Aquatinæ, & secus Castellum de Senizo modiorum XL., & ad Cerretum modios LXXX. & in colle Mancionis Modios XL. Et in Colle Valerini modios III. Item pro solidis LX. dedit in Amiterno ad Collectarium, & in Laureta ipsam Curtem in integrum, & in Casale, & in Colle usque Olatianum, & Eplum, & usque Ecclesiam Sancti Baroti, & Ponticellum, & Meletine, & servum hujus Monasterii nomine Rodulphum, & Ancillam Landrudam. Item pro rebus ad Octavum, & in Colle de Meso modiorum VI. insuper & pro solidis centum dedit in territorio Reatino ad Sanctum Georgium modios III. & in Banioventi, & ad aream de Valle, & in Plagie medietatem Ecclesiæ Sanctæ Agathes, & Sancti Georgii, & Casalem Trofarinelli, & Casalem Domatianum. Item pro solidis LXXX. dedit in Summati ad flumen, & in Villa Majana, & in Flaminiano, & in Monasteriolo, & in Grisiano, & ubi dicitur Sanctus Quiricus, & in Mozano, & in Campulo, & substantia, quam tenet Stabulus servus noster, & Giso. Item pro rebus in Furcone ad aquas Lentro modiorum XX. & insuper solidis CD. dedit Curtem, vel Cellam Sancti Benedicti cum Cella Domini Salvatoris in territorio Furconino, & res Grimaldi, & res Scamaræ, & in Sublongo, & in Campo de aqua, vel in Meciliariano, & ubi dicitur Colombe, & in Amiterno in Cornu, & in Rutiliano, & pratum Tubelli, & subtus turrim Ironis modiorum XXIV., & ad Petram-latam; & murum Mangonis, & ad puteum Valentini, & in Margine. Item pro rebus in territorio Furconino, ubi dicitur Silva-plana, & Canili modiorum X. & insuper solidis centum, dedit præfatus Campo Abbas ibidem subtus Silvamplanam. Item pro rebus in Turano, ubi dicitur Pagani cum modiorum XXX. insuper solidis LX. dedit tertiam partem de Curte Sancti Benedicti in Colombe, exceptis his servis, filiis Natalis; & filiis Arni cum eorum substantiis. Item pro petia terræ modiorum X. in territorio Interocrino, & solidis centum, dedit res in Oliano, & Bajano territorii Reatini, & in Treja, & in Petiano. Item pro rebus in territorio Reatino ad Discanum modiorum XI. & libris XXX. dedit *Berardo Comiti filio Rainerii* in territorio Reatino Curtem, vel Cellam Sancti Jacobi. Item pro rebus ad Discanum modiorum XX. insuper libris XXX. dedit eidem *Berardo Comiti* in territorio Reatino Curtem Sanctæ Helenæ, & Berunianum in integrum. Item pro rebus in territorio Reatino modiorum II. insuper solidis XX. dedit ibidem in Forano, & in Campo Reatino, & in prato Faringiano. Item pro solidis centum dedit in territorio Narnatino cnm Silva Nerina usque aquam de Cornu, & usque montem Burburi, & Silvam Tolonis. Item pro solidis L. dedit in territorio Reatino, ubi dicitur Valle Petrosa, & Valle Reatina, modios XXX. Item pro rebus in territorio Reatino, ubi dicitur centum, modiorum III. insuper solidis XX. dedit res ad quartum usque montem Arpanianum, & fossatum, qui pergit ad Pontianum, & usque rivum à Pontiano ad aquam de Radicaria, & usque congruum Camponis, & monumentum, & limitem majorem, qui pergit ad Formam, & tendit in territorio Asculano ad Flavianum, & Belianum modios XL. Item pro rebus territorii Reatini, ubi dicitur Padule, & insuper solidis LX. dedit ad Cantarum juxta molinum Janaticum terræ petiam I. Item pro rebus territorii Reatini, ad Soadum, insuper solidis XX. dedit, prope Sanctum Cassianum casalicium I. cum casa. Item pro solidis XX. dedit in territorio Sabinensi prope Ecclesiam Sancti Pancratii, ipsum Casalem in integrum. Item pro rebus territorii Reatini, ubi dicitur Frondarius, & in Forrenomo modiorum VIII. insuper libris X. dedit præfatus Campo Abbas medietatem Curtis nostræ de Lauriano. Item pro rebus territorii Sabinensis ad Frassum, & ad Cacabellas modiorum X. insuper solidis CC. dedit prædictus Campo Abbas in territorio Reatino ad Tizanum quibusdam viris, idest Sintano, Gaiderisio, & Octerano filiis Buzæ, terræ petias III. ubi & Ecclesia Sancti Joannis, & Curtem Sanctæ Agathes, & Ecclesiam Sancti Leopardi, & substantiam in Clivi, & ad Octavum usque in via Romana, & ipsas fontes, & fossatum pergentem in Octavum, & Peterolum, & in Valle Tyba, & usque Rigaginem, & venit in via Romana, & ubi dicitur Casa Perotæ, usque fossatum pergentem inter Casam Perotæ, & Campum Pharphæ, & usque fossatum inter montem Nigrum, & Casam Perotæ, & usque Pharpham, & usque Casale de Peterolo; insuper aqua de Lacuma cum paludibus & piscariis subtus pratum Ferinianum usque Carpinetum, & Pratum longum. Item pro solidis centum dedit in territorio Sabinensi Curtem Sancti Severini cum ipsa Ecclesia habente fines viam Romanam, montem Petrosum, montem Mutellam, & Currisem. Item pro rebus territorii Furconini ad Basilicas modiorum VI. dedit res in ipso territorio usque pontem Nerini, & flumen, & Villas Sancti Demetrii, & usque Cornu, & Cippumnigrum. Item pro solidis XX. dedit subtus muros Reatinæ Civitatis ad Undam terram cum casa. Item pro solidis LX. dedit in Furconino, & Amiterno petias terræ XII. modiorum CXV. Item pro solidis L. dedit in territorio Sabinensi in Ciciniano cum ipsa Ecclesia Sanctæ Mariæ. Item pro terra modiorum X. in territorio Interocrino, & solidis centum dedit præfatus Campo Abbas in territorio Reatino res Johannis Decani, & in Oliano, & Bajano, & casalicium de Cupenco, & pergulam ibidem, & casalem de Tregio in integrum, & in Campo Reatino petias terræ VI.

Item dedit in Amiterno unum servum nomine Lupulum claudum, & alios servos, vel Ancillas, quotquot habebat hoc Monasterium in Villa Sancti Sixti cum omnibus substantiis, & medietatem de Vicenda ad Scopulum. Item pro solidis centum dedit in Amiterno, & Campo subtus Pauperi modios XL. Item pro solidis XL. dedit in Lavareta terræ petias II. Item pro rebus modiorum VI. in territorio Ciculano, & solidis LX. dedit ibidem ad Clivianum omnia nobis pertinentia. Item pro rebus in territorio Interocrino modiorum XX. & solidis LXXX. dedit in territorio Reatino res in Tuniano; & Bajano, & Frundario; & in Cocciano medietatem usque in Sanctum Clementem; & Vallem de Osciano, & flumen ad quartum, sicut pergit in montem usque

usque Barbori, & usque Sanctum Vitum; Et in Amiterno ad Sentianum, & in Margine, famulos nostros Adulum, & substantiam Godemarii genitoris ejus, & Joannem filium Trasonis, & ubi dicitur Molinus Mizi modios II. Item pro rebus in Amiterno modiorum II. & solidos LXXX. dedit ibidem terræ petias XII.

Item pro rebus in territorio Reatino modiorum II. & solidis centum dedit subtus muros ad Undam, terræ, & vineæ petiam I. cum casis, & foris pontem ad Larianum. Item pro solidis D. dedit in territorio Asculano, ubi dicitur Furce, & Veranum, modios D. à capite via, & aqua de Furce; à pede flumen Asu; de uno latere res Ingelrami; de alio rivus Cenantes. Item pro rebus in territorio Furconino, ubi dicitur Vicus modiorum VII. & solidis LX. dedit ibidem quasdam res antea commutatas. Item pro rebus in Amiterno modiorum III. & solidis LX. dedit ibidem substantiam rectam per Bonulum servum nostrum in Maximiano, & terræ petias V. Item pro solidis centum dedit in territorio Reatino in Valle Sancti Jacobi modios II. & in Pectorina modios III. & subtus Ecclesiam Sancti Lauri in Turri. De uno latere Pharpha, de alio latere Currise; à capite via publica veniens à Pharpha inter Alianum, & caput Silvæ majoris; de ipso fossato venit per Vallem in Pharpham.

Item pro rebus in territorio Reatino modiorum centum, & solidis XX. dedit res ad quartum. Item pro solidis centum dedit in territorio Reatino subtus Ecclesiam Sancti Fabiani modios II. Item pro solidis XX. dedit subtus muros Reatinos ad Undam petiam unam cum casa. Item dedit in Amiterno petias II. & in Bage medietatem ipsius Casalis. Item pro argenti libra I. dedit in territorio Aprutiensi, ubi fuit Ecclesia Sancti Felicis. Item pro rebus in Furcone modiorum VI. & solidis CC. dedit Amizoni, & Erfaldo germanis filiis Gualterii ibidem usque pontem Nerini. Item pro solidis XX. dedit in Amiterno subtus Ecclesiam Sancti Xisti petias III. Item pro rebus in Sabinensi modiorum VI. in Bucciniano, & solidis LX. dedit ibidem: à capite via montis Sancti Cosmæ; à pede limitem, & via antiqua tenens unum caput in rivum Isiano; quarto latere terra Domini Salvatoris, & Ruscionis, & Majonis, & Donnari, & Ecclesia Sancti Martini. Item pro solidis XX. dedit Curtem Sanctæ Eugeniæ ad Bubetam; & dedit in Amiterno, ubi dicitur Casalis, & in Stibiliano, & in illo pago, & in campo Armori modios X. Item pro rebus in Amiterno modiorum X. solidis LX. dedit ibidem. in Collectario in Lavareta, ubi jam antea Curtis hujus Monasterii fuit, & in Casale, & in Colle usque Oblatianum, & Templa, & usque Ecclesiam Sancti Maroti, & Ponticellum, & Meletine. Item Curtem nostram dedit, & Ecclesiam Sancti Angeli foris Pontem-fractum, & medietatem moliturae de Molino Inatico. Item pro rebus in Sabinensi in massa Tocciæ prope ipsum Castellum modiorum II. insuper solidis centum dedit infra civitatem Reatinam, & Sanctum Cassanum, casalicia III. cum casis, & pergula, & ad Basche, & ad pratum Ferinianum. Item pro rebus territorii Reatini in Amezano, & solidis LXX. dedit in Spenturano, & in gualdo novo Miccino modios IX. Item pro solidis centum dedit in territorio Reatino medietatem rerum, quæ fuerunt Joannis Decani, & in Beruniano. Item pro solidis L. dedit in Casale modios CL. quorum fines sunt rivus de Pesiano, & rivus Cerri, & Cruce, & Trecalio de casa Ermensi. Item pro rebus Reatinis ad Radicaria modiorum II. & solidis XXX. dedit ibidem & in Campo de Quarto duas partes per fines aquæ de Radicaria, & flumen, & serra de Arpaniano, & fossatus Sancti Valentini, & Monumentum, & serra montis de Quarania. Tertiam verò partem alteri dederat. Item pro solidis centum dedit Casalem de Fonte-puza in Sabinensi, cujus fines rivus de Mutella, & à tribus lateribus, terra aliorum; & in territorio Reatino ad Tresbulle; de uno latere Pharpha, & rivus de Bubeta pergens ad Pharpham, & usque serram montis Cerri, & fossatus de casa Ursi, qui dicitur Flucus, sicut mergitur de ipso monte. Item pro uno Libro, qui appellatur Comes (87) valente solidos XXX. & insuper solidos XX. dedit in gualdo novo modios XXX. Item pro rebus in casa Perotæ, & solidis XL. dedit medietatem unius molini in Cantaro. Item pro rebus in Saxa ad Vaccazetum modiorum II. & solidis XX. dedit ibidem modios VIII. vel plus super vallem Suavi. Item dedit in Sabinis Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Sabinis Pelite post montem, & res prope Casalem Criptulæ, & in fundo Sanctæ Justinæ. Item dedit in Sabinis Ecclesiam, & Casalem Bitilianum prope Fornicatam, & in Fabruciano. Item dedit Casalem Foclianum cum Ecclesia Sancti Sabini. Item in fundo Viario dedit uncias III. Item pro pretio librarum XLV. dedit in territorio Sabinensi fundum Salisianum cum ipso Castello Bucciniano duas partes, & de Casalibus, quos *Ingebaldus Comes* in hoc Monasterio confirmavit, & in Albuciano modios V. cum ipsis aquimolinis; & dedit de monte Cisternæ, qui nobis pertinet. Item pro solidis XXX. dedit in Sabinensi res ad Criptulas. Item pro rebus modiorum VIII. dedit in fundo Casalis Scintillæ. Item per solidis XXV. dedit in Sabinensi res ad Criptulas. Item pro rebus modiorum VIII. dedit ad Molatianum. Item pro solidis centum dedit Castellum Buccinianum *Ingebaldo Comiti*, & *Theoderandæ ejus Conjugi*. qui illud pro anima sua in hoc Monasterio per chartas donaverant. Item pro solidis X. dedit in fundo Verreto Monasterio Troitensi modios XIII. & in fundo Albetreta, & in fundo Bibiniano. Item pro solidis centum dedit prædictus Campo Abbas de Curte nostra Moliano, terræ & silvæ modios CC.

Item Relatio brevis de rebus hujus Monasterii, quas præfatus Campo Abbas Conjugi (88) suæ Liuzæ, ac filiis, & filiabus concessit in Comitatu Sabinensi. Castellum de Casa Perotæ, & Castellum de Plana cum omnibus pertinentiis. In Comitatu Reatino Curtem de Octa-

(87) Hoc est Lectionarium, quem Librum edidit Baluzius V. C. Tom. II. Capitular. Reg. Franc. Et hinc habes, quam caro olim emerentur Libri manu exarati.

(88) Non quam habuerit Monachus & Abbas, sed quam ante Monachismum sibi junxerat, ac tamdem dimiserat, ut Monasticam vitam profiteretur. Ceterum infelicissimis iis temporibus non defuere Laici & conjugati, qui per impotentiam Principum Abbatiis donabantur, Abbates propterea appellati. Hisce accensendus fuisset Campo, nisi eum antea Historicus noster *Monachum* appellasset.

Octavo, Curtem Sanctæ Agathes, Curtem Sancti Joannis in Tazano. Et aliis parentibus suis Curtem Sancti Thomæ, Curtem de Paterno, Curtem Vallanti, Curtem Sancti Salvatoris, Curtem Cæsarici, & alias terras in Comitatu Amiternino, & Furconino. Curtem de Saxa cum servis, & ancillis, Curtem Sancti Benedicti, in Silva-plana, *ubi fuit antiquitus Congregatio Ancillarum, quæ opere plumario (89) ornamenta Ecclesiæ laborabant*; Curtem Sancti Xisti similiter cum servis, & ancillis; Curtem Sublongum similiter cum servis & ancillis, quos & vendunt, & dant filiis, & filiabus, sicut proprios servos.

Erat autem tunc temporis *Albericus Romanorum Princeps gloriosus*, qui comperta hujus Monasterii crudeli devastatione, quam pessimus prædictus Abbas Campo satagebat exercere, valde condoluit, & sicut alia Monasteria, sub suo constituta dominio, ad regularem normam, quam amiserant in Paganorum devastatione prædicta, ita & hoc Cœnobium reducere studebat (90). Denique cùm huc Monachos regulares mandasset, noluit eos recipere Campo maleficus cum suis Monachis; sed potiùs conati sunt eos noctu interficere cum cultris in lectis. Qua de causa Romam ad prædictum Principem territi redierunt. Unde in iram commotus de Monasterio ejecit illum, qui ad Reatinam fugit Civitatem, ibique adjutorio suffultus parentum, cœpit habitare. Fuit quidem nobilis genere, sed plurimarum hujus rerum Monasterii distractor, & earum iniquus concambiator, bonorum paucorum piger acquisitor, multorum quoque consanguineis largitor.

Interea in hujus regimine Monasterii apud Marchiam flagitiosus, & tyrannus atque dissipator bonorum Cœnobii hujus, alter præerat *Abbas Hildeprandus* à præscripto malivolo Campone divisus, qui in nullo fertur res hujus Monasterii augmentasse, nec aliquid commodi in eo acquisivisse. Magìs autem legitur in multis, quibus supervixit, annis per omnia minuisse, & à bonis antea congregata Rectoribus bona hujus Monasterii distraxisse. Nam ipse dedit Curtem de Polotenano, Curtem de Mora, Curtem Sancti Angeli inter duas Tennas, Curtem Montis Flaconis, Monasterium Sanctæ Mariæ juxta fluvium Clentis, Curtem Sancti Martini de Aquatine, Curtem Sancti Desiderii, Curtem Sanctæ Mariæ de Cuperseto, Curtem Sanctæ Mariæ in Columnelle, Curtem Sancti Salvatoris in Opheda, Curtem Sancti Angeli in Valle Veneria, Curtem Sancti Angeli in Villa magna, Curtem Sancti Sigismundi, Curtem Sanctæ Mariæ Matris Domini, Curtem Sancti Maroti, Curtem Sanctæ Marinæ in Ortatiano, Curtem Sancti Salvatoris in Nemore. Item Curtem Sancti Martini dedit Alberto filio suo in dotalicia, & suis nuris. Curtem autem de Moliano, & Curtem de Fassenaria, Curtemque Sancti Benedicti dedit filiis suis. Curtem etiam Sancti Hippolyti, & campum Maximi Ingæ conjugi suæ tribuit.

Item relatio de thesauris hujus Monasterii, quos præfatus Hildeprandus de Castello Matenano Comitatus Firmani abstulit, & defraudavit. In primis vestes duas Altaris de auro brusto (91) cum gemmis, unam Nativitatis Domini, & Resurrectionis, & Ascensionis, aliam diei Judicii cum mirabilibus gemmis. Aliam vestem albam circumornatam auro brusto, & in medio Crucem cum auro brusto cum gemmis, & margaritis. Calicem de argento majorem, & unum . . . . deauratum, tenentem unum sextarium (92) cum patena sua. Calices minores XII. cum patenis; Coronam de auro I. & de argento I. cum delphinis VIII. Crucem I. purissimi auri longam plus unius brachii, ex utraque parte circumdatam mirabilibus gemmis. Alias Cruces II. de auro cum Ligno Domini; aliam de argento; Libros coopertos de argento, & deauratos IV. Capsam de auro purissimo cum mirabilibus gemmis, quam *Carolus Rex* pro anima sua dedit in hoc Monasterio; alias capsas duas de argento; sigilla II. de auro, quæ miserunt *Carolus*, & *Pipinus filius ejus* in uno præcepto. Alia sigilla II. de auro, quæ *Guido*, & *Lambertus Imperatores* miserunt in alio præcepto, quod fecerunt. Dalmaticas II. optimas; thuribula II. de argento; tunicas III. de serico. Paramentum Abbatile I. ad Missam canendam. Tunicas III. de serico. Pluviale I. *Super Genesi Libros II. Scintillarem unum. Super Lucam; super Joannem; Historiam Longobardorum. Cypriani Librum I. De Civitate Dei. Historiarum Librum I. Antiphonaria II. dicta Patrum.*

Item præfatus Hildeprandus pro pretio terræ & sylvæ modiorum XX. in fundo de Vico Sancti Angeli, insuper solidis CC. dedit Curtem de fundo Paterno cum Ecclesia Sancti Abundii infra territorium Camertulum modiorum mille cum servis & ancillis, vocatis Odelrico, & Occo. Item pro solidis XX. dedit in fundo Moliano, ubi dicitur Fossatelle, terram modiorum XXII. Item de Curte nostra de Moliano in fundo montis Agelli modiorum VII. Item pro solidis LX. de Cella Sancti Marci subtus muros Civitatis Spoletanæ à porta Sancti Petri super montem Sancti Heliæ terram modiorum XL. a capite murus Civitatis Spoletanæ, à pede, & uno latere terra Sanctæ Mariæ Episcopi Spoletani; ab alio latere Staffiles, & terra supradicti Episcopi; & ubi dicitur Aginal super Sanctum Paulum, modiorum XV. Item in fundo montis Agelli vocabulo Turrita dedit modios XII., & in eodem fundo vocabulo Vallis de Saxa modios XVI. & in eodem fundo dedit modios IX. Item pro rebus in fundo Collis Saxuli, & in Talieto modiorum LX. insuper solidis DCCC. dedit in fundo de Lemiano Ecclesiam Sancti Maroti cum tribus modiis terræ in giro ipsius Ecclesiæ, & in fundo Baniolo, & in Casaleto, & in Ripule, & in Garataria, & in Valle, & in Casario, & in Collicello, & in Massentano, & in Caselle, & in plano de Ilice, & in Petroliano, &

(89) Hoc est serico aut lino intexere plumas varii coloris ingeniose distributas: quod artificium non Seculo tantum X. atque antea in usu fuit, sed etiam olim vigente Romanorum Imperio. Ego vestes ejusmodi ex America adlatas non semel vidi. Sunt tamen quae indicare videntur, non aliud vocabulo hoc indicari, quam acu pingere telas, nunc *Ricamo*.

(90) Alberici Romanorum Principis vitia non pauca Historia minime siluit. Accipe nunc laudabile ejus studium pro restituenda in Monasteriis regulari disciplina.

(91) Hoc est opere Phrygio, & acu ornatam auro, nunc *ricamo d' oro*.

(92) Quare tam amplus Calix? Nempe quia ad sacram mensam Laici quoque tunc participes fiebant Sanguinis Christi

& in casa Sprabana, & in Mometiano, & in Valle Scirna, & in Circeniano, & in Pretitulo, & in Papaniano, & in Mantica, & in Marciano & ad Sanctum Proculum, & in Ponticello modia II. millia exunata.

Item dedit per concambium in fundo Taliano, vocabulo Collina modios XVI., & recepit in fundo Virgiliano modios XX. adunata pro pretio solidorum XL. Item in fundo Moliano vocabulo Pappiano dedit modios CC. terras & sylvas pro pretio solidorum centum. Item in fundo Tariano ad Collecellos terræ modia XX. adunata pro pretio solidorum LX. Item in fundo vallis de Saxa in monte Agelli modia VIII. pro solidis XX. Item in territorio Sabinensi ad Bambanum Cellam, vel Curtem Sanctæ Helenæ, & alias res, ubi est Ecclesia Sancti Angeli in Casale Muricentum, & alias res in Orclano cum servis & ancillis, & omnibus pertinentiis pro centum solidis tribuit.

Vigesimus quoque septimus à venerabili Patre Thoma præter Hildeprandum tyrannum exstitit in hoc Monasterio Pastor *Dagipertus* (93), qui expulso malivolo Campone ab *Alberico Romanorum Principe* est constitutus. Quo comperto Hildeprandus in Marchia positus iterum invasit Castellum Sanctæ Victoriæ, fidentiusque cuncta illic cœpit distrahere, & filiis, ac filiabus suis tribuere. Domno autem Dagiberto prædicto venerabili Abbati *Albericus Princeps* cunctas restituit Curtes hujus Monasterii prædictas in Sabinis, diligebatque eum, & honorabat satis. Ipse verò in cunctis irreprehensibilem se ostendebat; circa fratres quoque & cunctos ita benevolum se præbebat, ut ab omnibus incredibili diligeretur affectu. Sed completo quinquennio pessimi Monachi veneno eum occiderunt. Is autem, qui manibus ei suis venenum dedit, Canonicus, Clericus, & Servitor illius fuit, qui ductus pœnitentia ad montem Garganum abiit, & per unum annum in pede illius consistens ad Oratorium Sancti Michaëlis, nulla oratione ascendere potuit: postea verò nusquam apparuit.

Hic autem almificus *Abbas Domnus Dagibertus*, acquisivit in hoc Monasterio quasdam res in fundo Quinza, & locum ubi dicitur Cisternula, & in fundo Criptule; & commutavit Casalem Mallianum, pro quo recepit in fundo Angano, & in fundo Silice, terras & vineas. Et acquisivit in territorio Sabinensi portionem de Ecclesia Sancti Auriani in Casale Tribuliciæ. Item commutavit in Casale Cario, & accepit in fundo Recaniano. Item acquisivit in fundo Veruclæ uncias VIII. & in fundo Cava-alta uncias IV. in fundo Castellione uncias IV. in fundo Cute uncias IV. in fundo Pontiano uncias IV. in fundo Serano uncias IV. Et revicit in placito Casalem Bassianum in integrum in territorio Sabinensi.

Prædictus quoque Domnus Dagibertus Abbas ad pretium solidorum XXX. concessit res hujus Monasterii quibusdam Viris, Gaiponi, Sintoni, Joanni, Ramponi, atque Genzoni in territorio Sabinensi, ubi dicitur in fundo Tanciæ. A capite Serra Petrosa veniente in vallem Genuinam; à pede ripa de Maragone; ab uno latere Caneria; ab alio rigus, qui descendit de monte Majalino, & venit in rigum Calentinum, ad censum denariorum XXIV. Item pro solidis XX. concessit tertiam partem Casalis Nazani. Item pro solidis L. concessit in Albutiano res cum aquæmolis tribus. Item pro solidis LX. concessit Casalem Tribilianum cum ejus rosia, & terra ad rivum Calentinum, & tertiam partem Casalis Castellionis, & tertiam partem Ecclesiæ Sancti Laurentii, & tertiam partem molini, sive aquæmoli molentis ibidem. Et unum aquæmolum ad Montanianum in fluvio Pharpha, & terram, & vineam in fundo Razano. Item pro solidis X. concessit in Cassiano uncias X. ad censum grani modiorum II. musti decimatas V. Item per solidis XX. concessit Ecclesiam Sanctæ Mariæ in fundo Turano, & terram ad domum ædificandam pedum XX. ad censum denariorum XXX. Item pro solidis L. concessit in fundo Gabiniano ad Capitinianum, & Scintillam ad censum grani modiorum IV. Item pro solidis XX. concessit in Sorbiliano modios VIII. ad censum grani modiorum II. hordeique II. Item pro solidis XX. concessit Ecclesiam Sancti Alexii. A capite montem Formam ad censum grani. A duobus lateribus Forma; ab alio latere rigaginem pergentem ad Petram, & usque in Volubra, & inde formam ad censum grani modiorum II. & milii II. Item pro solidis XX. concessit in fundo Casiniano. Item pro rebus aliquantis in fundo Arriano concessit Casalem, & fundum Paternum.

Vigesimus octavus namque in hujus sacri Cœnobii regimine præfuit *Abbas Adam* (94). Defuncto enim prælato *Domno Dagiberto*, nec non & *Alberico Principe* migrante, *filius ejus Joannes*, qui patre vivente *Papa*, ordinatus est, malivolum Camponem cœpit exosum habere, sicut & suus pater. Idcirco non permisit illum ad hoc regimen redire, sed statim constituit alterum Abbatem, quem prædiximus, nomine *Adam*, qui Lucania civitate ortus fuerat. Præordinato verò pauco tempore perstitit in Religione, & non bonorum, sed malorum, Camponis scilicet, & Hildeprandi cœpit sequi vestigia. Pro publico autem stupri scelere, in quo detentus est à militibus *Papæ* prædicti, & *Marchionis Theobaldi, qui tunc Sabinensibus præerat*, dedit Curtem Sancti Benedicti de Campo, & Sancti Gethuli, & fundum Carbonianum.

His verò temporibus datus & traditus est in hoc Monasterio Casalis, qui dicitur Cryptæ in integrum, exceptis modiis VI. & terra in territorio Sabinensi, ubi dicitur Caprili. Et in fundo Salisano commutavit quoque præfatus Abbas Adam res in territorio Viterbiensi de Casale Sunsa, & recepit unam petiam vineæ, & tres petias terræ & vineæ in Casale Petiniano perticarum LX. & terram in Casale Palentiano perticarum DCCLXXV. Alia in Casale Maternæ perticarum CCIX. Tertia in Vico Quinzano perticarum LXV. Item recepit in territorio Camerino, in fundo Pratalia, & in Baneta, & in Monte Fani, & in Aqualine: & omnia sunt modii CCXX. pro quibus commutavit in fundo Antiquo res mod. CC. Item

(93) Anno 948. hic Abbatiae praefectus videtur. Constat autem, iis ipsis temporibus Albericum continuasse Principatus sui cursum in Urbe.

(94) Abbas videtur fuisse constitutus circiter Annum 963. a Johanne XII. Papa. Aliis pendendum relinquo, num hic idem esse potuerit, qui postea Asculanae Ecclesiae Sedem conscendit, Ughellio notus, atque infra memorandus. Aetas obstare videtur: attamen constat, Adamum Asculanum Episcopum titulo Abbatis Farfensi Coenobio praefuisse.

Item concessiones prædicti Adæ Abbatis. Pro auri obrizi libra I. concessit Casalem, qui nominatur Selizanus, ubi est Ecclesia Sancti Petri. A capite limite, & terra Baronis; ab uno latere rigus de Formello, qui pergit inter Massam, & Salisanum; ab alio rigus de Baviano, qui pergit in Pharpham, & alias res in Sabinensi, idest Casalem qui dicitur Floranus, ubi est Ecclesia Sancti Bartholomæi: à capite rigus, qui pergit inter Floranum, & Amezanum; à pede summum Collis de Liciano; ab uno latere terra Domini Salvatoris, & singulorum hominum; ab alio limite, qui decurrit in viam publicam; & alibi ubi dicitur Grippe, & ubi dicitur Campli, & Salisano. Item pro solidis XX. concessit Casalem Bezanum, ubi est Ecclesia Sancti Abundii. Item pro solidis XX. in fundo Gabiniano. Item pro solidis VIII. in Carboniano ad censum reddendum vini mundi decimatas quinque in Nativitate Sanctæ Mariæ.

Item pro solidis XX. in Prætoriolo, ubi est Ecclesia Sancti Sebastiani, tria modia terræ & sextarios IX. Item pro solidis XX. ubi dicitur Lejanillus. Item pro solidis XL. ubi dicitur Centum. Item pro solidis L. Casales II. videlicet Terentianum, & Vicum, & alium Casalem, qui dicitur Collis Frigianus. Item pro solidis XX. concessit res, ubi dicitur Mejana. Item pro solidis XL. terræ petias II. ad censum reddendum musti mundi decimatas XII. Item pro solidis XX. concessit res in Mediana. Item pro solidis XXX. concessit res ad Nucellam super fluvium Pharpha. Item pro solidis XL. concessit terræ petias II. ad censum reddendum musti mundi decimatas XII. Item pro solidis XL. concessit ad Post-montem ubi dicitur Loritulus. Item pro solidis XX. concessit res in Paciano. Item pro solidis XX. concessit res in Mutella, ubi est Ecclesia Sancti Archangeli, ad Gregorium Diaconum filium Juliani. A capite serra Montis; à pede rigus Mutella; à tertio latere terra Joannis, & limite; ab alio latere terra Sancti Petri, & limite. Item in Terentiano quasdam res, & medietatem Ecclesiæ ibidem Sanctæ Mariæ. Et pro solidis XL. concessit ubi dicitur Capriolus, in quo est Ecclesia Sancti Salvatoris, & Casalem in integrum Villæ Rusticæ. Item pro solidis XX. concessit juxta Pharpham subtus Casalem Criptulæ. Item pro solidis XX. concessit in Prætoriolo. Item pro solidis LX. concessit Casalem Panianula, & Sangrinianum, & casarinas, & super Albucianum terram cum aquæmolis suis, & montem qui dicitur Orta. A capite rigus Scalatas, qui pergit inter rigum Sancti Angeli, & terram, quam detinet Gaipo, & Sinto; à pede rigagine pergente inter montem de ipso Faldo, & rigum Cancelli; ab alio latere via ad Sanctum Angelum; à quarto lacum, & venientes in Majanile, & terram, quam detinet Campo: & insuper ipsa molendina ad pensionem denariorum XX. & de molendinis grani modios IV. Item pro solidis XX. res in Confluenti, ubi est Ecclesia Sanctæ Mariæ, cum aqua Pharphæ, & ipsis molendinis, & terræ modiis IV. & pro solidis XXII. in Casale Meranula. Item pro solidis XL. fundum Moranula in integrum cum aliis vocabulis Vulpiniano, & Fossa Martora. Item pro solidis centum Casalem Tribilianum cum gualdo suo, qui vocatur Calendinum, & Mansianum, cujus fines sunt silva Sancti Petri pertinens ad Gabinianum, deinde rigus Calentinus, à pede fluvius Tiberis, à quarto latere alius rivus. Et alium locum, qui vocatur Villa Rustica; & aquæmolum in Montaniano; & tertiam partem Castellionis, & Ecclesiam Sancti Laurentii, & aquæmolum ibidem in territorio Collinensi, in fundo Corasano, & in Tesano. Item pro solidis centum Casalem Vesanum in integrum: à capite limite distante inter Sorbilianum, & Besanum; à pede Pharpha; ab uno latere rigaginem venientem à monte Opere in Pharpham; ab alio rigagine veniente de Serbiliano, inter Venerias, & Besarium in Pharpha, ubi distat gurgus Valentini, cum Castello, si facere ibi voluisset, & Ecclesiam Sancti Abundii. Item pro solidis centum Romæ in Regione nona in Scorticlam Cryptam Sini...o opere constructam habentem post se arcus IV. cum cubitellis suis. Item concessit Curtem Sancti Benedicti in Currite. Item pro solidis CC. concessit in fundo Paterno, & in fundo Usano. Item pro solidis XX. in Paternione ad aquæmolum faciendum, & modios III. terræ ad pensionem grani modiorum II. & hordei modium I. Item pro solidis XXX. concessit in colle de Fulte. Item pro solidis XL. concessit Casalem Cunalis. Item pro solidis XXX. concessit res in Caniana. Item pro solidis XX. Turiano modiorum V. Item ad pensionem denariorum sex, & vini mundi medietatem, & quartam. Item pro solidis XXX. concessit res in Cassiano, & alias res juxta Pantanum ad pensionem denariorum IV. & quartam, & medietatem vini. Item pro solidis XXX. concessit res in Caniano. Item pro solidis XX. in Turriano modios V. Item pro solidis C. concessit res in Aliniano, & juxta Currisem. Item pro solidis LX. concessit res in Criptule. Item pro tribus libris concessit in Aliniano, & juxta Currisem. Item pro solidis XII. concessit res in Coroliano. Item pro solidis XXX. concessit res, ubi dicitur Lacus. Item pro solidis XX. concessit res in Turriano. Item pro solidis LX. concessit res, ubi dicitur Panianus. Item pro solidis centum concessit in Rescanina modios L. & alias res in Acutiano. Item pro solidis centum concessit Casalem Lanianum cum Ecclesia Sancti Stephani, & Ecclesiam Sancti Heleuterii juxta rigum Mutellæ. Item pro solidis XX. concessit in Nusclio modios II. Item pro solidis LXXX. concessit locum, qui nominatur Pompejus, ad Gaiderisium, & Biteramum filium Liuzæ. A capite Monumentum antiquum, qui decurrit in Pharpha, & rigum, qui decurrit inter Salisanum, & Massam; à pede Pharpha, sicut conjungitur cum rivo à Salisano; Ab uno latere Pharpha; ab alio rigus descendens in Pharpham. Item pro solidis LX. concessit res in Cassiano, & pro solidis XXX. concessit res in Asiniano. Item pro solidis XX. concessit Ecclesiam Sancti Gordiani cum petiis terræ juxta eam. Item pro solidis centum concessit res in Terentiano, & alias ibidem juxta Currisem ad pensionem denariorum VI. & quartam de omnibus. Item pro solidis XX. concessit res in Mejanula. Item pro solidis XL. concessit res in Centum. Item pro solidis XL. concessit res in Perta. Item in Curte Sancti Getulii concessit Casalem unum juxta ripas Sacerdotis. Item pro solidis L. concessit res in Toriniano, & pro solidis XX. concessit res in Paterno juxta terram Sanctæ Victoriæ.

Per

Per idem tempus bellum magnum commissum est pro contentione *Marchiæ Firmanæ* inter Ascherium & Sarilonem, in qua prævalens Sarilo interfecit Ascherium, & obtinuit Marchiam. Contra quem *Hugo Rex* exarsit magno furore, persequens illum pro eodem Ascherio germano suo. Et cùm esset idem Sarilo in quodam reclusus Tuscano Oppidulo, videns se nulla ratione illum effugere posse, noctu indutus Monachilem vestem, & summo diluculo, ligato in gutture fune, ejus se potestati tradidit. Et motus Rex misericordia super eum, perdonavit ei ipsam culpam, ac præposuit eum super cuncta Monasteria Regalia infra fines Tusciæ, & Firmanæ Marchiæ. Cui omnes humiliati sunt eorumdem Monasteriorum Abbates, excepto Hildeprando invasore. Sed prævalens Sarilo ad tempus, de prænominato Castello Sanctæ Victoriæ ejecit illum. Iterum supervênit Hildeprandus, & turpiter inde expulit illum. Secunda autem vice Sarilo recuperavit, indeque eum ejecit. Sed pauco tempore advixit; mortuus est quoque ac sepultus ibi.

Hic denique prædictus *Sarilo* (95) vigesimus nonus exstitit in hujus sacri Cœnobii regimine, cujus ullam in hoc Monasterio non reperi actam acquisitionem, præter hanc, quam hìc denotavimus largitionem. Namque pro solidis sex nummorum concessit medietatem Pharphæ, quæ vocatur Garrula, in Villa Rustica.

Per idem autem tempus *Johannes Papa* præfatus pro sua nequitia expulsus fugiit ad partes Campaniæ, ibique in silvis & montibus latitabat more bestiæ. Tunc *Otto Imperator* Romam vênit, quem omnes Romani consensu Cleri rogaverunt, ut *Leonem Protoscriniarium* eis eligerent, Papamque constituerent; quod & factum est. Qui sedit anno uno & mensibus tribus. Quo vivente, iniquè conciliati sunt Romani, ut sceleratum Johannem reducerent, & Domnum Leonem abjicerent. Facta est autem fames magna in tota Urbe. Exiens verò Domnus Leo in partibus Spoletanis ad Imperatorem vênit, qui statim militibus armatis contra Romanos maximas insidias paravit. Romanorum autem Nuntii ad eum in Reatina Civitate venerunt, mortemque Johannis intimantes, *Benedictum* ei *Diaconum* petierunt, sed minimè obtinere valuerunt. Revertentes autem Legati, eumdem elegerunt Benedictum sine consensu Imperatoris: unde Imperator magìs in iram exarsit, & Civitatem undique giravit, & in tantam penuriam adduxit, ut modius surfuris venderetur triginta denariis. Coangustati verò Romani innocentem Benedictum Imperatori tradiderunt, & *Domnum Leonem Papam* coacti receperunt, spondentes ei, & Domino Imperatori, super Corpus Beati Apostoli Petri. Dimisit autem eis quanta & qualia mala perpessus est ab illis.

Trigesimus autem huic Congregationi præfuit *Abbas Joannes Tertius*. (96) Hic acquisivit præceptum Imperiale à *Domno Ottone Imperatore* de omnium hujus Monasterii bonorum optima libertate.

(95) Censet Cl. Mabillonius in Annal. Benedictin. ad Ann. 939. Sarilonem hunc praeponendum Dagiberto jam memorato in serie Abbatum Farfensium. Vide in Praefatione Catalogum istorum.

(96) Anno 967. adlectus fuisse videtur & confirmatus Abbas Farfensis. Nam eo Anno Privilegium subsequens ab Ottone Magno Augusto accepit. Addere nunc juvat insigne Placitum pro eo Ravennae habitum Anno 971. coram Ottone II. Augusto, ubi ejus dissidia cum Pseudo-Abbate Hildeprando sublata sunt. Illud autem ex Chartario Farfense antea edidit Clariss. Mabillonius in Annal. Benedictinis.

Coram Ottone I. Imperatore in Placito Ravennate contendentibus Johanne & Hildebrando Monachis Farfensibus, uter eorum legitimè electus fuisset Abbas Monasterii Farfensis, Johanni causa adjudicatur, & duæ Curtes Hildebrando, donec vivat, conceduntur Anno 971.

„ ANno Domini DCCCCLXXI. Dum in „ Dei nomine Otto divina providente „ clementia Imperator Augustus reside- „ ret in Regia Aula non longè à mœnibus Ra- „ vennæ Urbis sita, quam ipse Imperator cla- „ rissimus in honorem sui claris ædificiis fun- „ dari præceperat juxta Rivum penes muros „ ipsius Civitatis decurrentem, qui dicitur Mu- „ ro-novo: ante ejus venerunt præsentiam *Jo-* „ *hannes Abbas Monasterii Sanctæ Mariæ*, quod „ situm est in Comitatu Sabinensi, in loco qui „ dicitur Acutianus, & Hildeprandus ipsius „ Monasterii Monachus, qui introgressi alter- „ cari cœperunt altis contentionibus, quis il- „ lorum Abbas ipsius Monasterii deberet esse „ legaliter. Hildeprandus verò, qui antiquio- „ ris erat ætatis, & annosior, quia parti ipsius „ subjectæ Monasterio, quæ conjacet in Comi- „ tatu Firmensi, præerat, hac occasione totius „ Monasterii honorem sibi vindicare volebat, „ & se Abbatem fore debere asserebat. Johan- „ nes verò Abbas ipsius Monasterii dicebat, „ se ipsius honoris infulas esse adeptum ele- „ ctione & consensu omnium Monachorum, „ & totius Congregationis collegii, & quòd „ erat firmus Summi benedictione Pontificis; „ insuper ex ipso Imperatore clarissimo possi- „ debat de ipso Monasterio Pragmaticon. Quæ „ omnia, quæ promulgata sunt ab Johanne „ Abbate, firmis assertionibus vera esse clarue- „ runt coram ipsius Imperatoris præsentia, „ residentibus ibi plurimis Italiæ Principibus, „ videlicet *Pandulfo Principe & Marchione*, & „ *Huberto Furliensi Episcopo*, atque *Petro Co-* „ *mite*, & ceteris quamplurimis Episcopis, „ Comitibus, Sacerdotibus, Diaconis, Clericis „ etiam multis & Laicis. Tunc ipse Impera- „ tor disertissimus, Johannis Abbatis rectitu- „ dinem sciens, & mendacia atque injustitias „ præfati Hildeprandi pervidens, præcepit Pan- „ dulfo Principi, & Marchioni, & Petro Co- „ miti, atque Petro suo Cancellario, ut eos „ ambos in sui præsentiam ducerent, & hanc „ litem ita inter eos diffinirent justè, legaliter, „ & firmiter, quòd nulla altercatio inter eos „ inde fuisset ampliùs: eo videlicet ordine, „ ut Johannes Abbas ipsius Monasterii omnino „ fuisset cunctis diebus vitæ suæ Abbas & Do- „ minus; tamen pro Dei amore & remedio „ suæ animæ, & quia Hildeprandus erat ve- „ tulus & plurimorum annorum (Canium *le-* „ *git Mabillonius*) atque ætatis decrepitae, con- „ concederent ei vel duo loca, unde victum „ & vestitum cum cunctis suis subjectis habe- „ re potuisset, videlicet Curtem de Milliano, „ & Curtem de Sancto Benedicto cum omni- „ bus earum pertinentiis: nihil tamen ampliùs „ quæreret, nec aliquam querelam faceret. „ Si verò futuris temporibus ultra hæc aliquam „ prætaxato Johanni querelam tentaret agere, „ proprii honoris subiret periculum. Ex præ- „ tactis verò Curtibus nullam habeat potesta- „ tem vendendi, commutandi, alienandi, vel „ aliquid faciendi, nisi fructum in proprium „ usum accipiendi. Quod juxta sanctissimi Im- „ peratoris decretum, ante præsentiam Pandul- „ fi Principis & Marchionis, & Petri Comitis, „ atque Petri Cancellarii, definitum & deter- „ minatum est inter eos, ea ratione ut invio- „ latum & inconvulsum inter ipsos omni per- „ maneat tempore volumus. Quod ut veriùs „ credatur, nostro sigillo sigillari jussimus.

Otto-

Ottonis Magni Diploma, per quod Monasterio Farfensi omnia Privilegia renovat & bona confirmat.
Anno 967.

„ IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. „ Otto superna miserante clementia Imperator Augustus. Si loca divino cultui mancipata &c. Proinde omnium fidelium Sanctæ „ Dei Ecclesiæ nostrorumque præsentium scilicet & futurorum noverit solertia, qualiter „ *Johannes venerabilis Abbas Monasterii Sanctæ & intactæ semperque Virginis Mariæ in territorio Sabinensi siti in loco, qui dicitur Acutianus*, unà cum religiosorum Monachorum collegio nostram adiit Celsitudinem, „ obnixè deprecans, ut pro Dei amore, nostrique statu Imperii, nostra Imperiali auctoritate eidem Monasterio per hoc nostrum „ præceptum dignaremur confirmare præcepta à Prædecessorum nostrorum Regum & Imperatorum largitate constituta. Nos autem „ eum cum Monachis suis justa petentem cernentes, sub nostri mundiburdii tuitione recepimus, & nostrum illi Imperiale præceptum fieri jussimus, per quod universas Monasterii sui res mobiles & immobiles, tamque per nostram nostrorumque Prædecessorum liberalitatem, quàmque & per aliorum „ quorumlibet fidelium Christi magnificentiam „ collatæ sunt & acquisitæ, tam etiam quæ „ per præcepta Regum Langobardorum, „ *Liutprandi* scilicet, *Ratchisi*, *Haistulphi*, „ ac *Desiderii*, seu & Imperatorum Francorum, *Caroli* videlicet, *Ludovici*, & *Lotharii*, necnon & alterius *Ludovici*, atque *Caroli* etiam, & *Berengarii*, sive & Privilegia „ Pontificum *Adriani*, & *Stephani*, atque „ *Paschalis* constituta sunt, sive etiam confirmata propter divinum amorem & reverentiam Dei Genitricis Mariæ perpetuò corroboramus. Quæ omnia nominatim ac sigillatim decreto inserenda sancimus atque confirmamus propter futuras pravorum hominum infestationes atque inquietudines, idest „ fundum Acutianum, ubi idem venerabile „ Monasterium, cum finibus & appendicibus „ suis in integrum, fundum Calistanum, in „ quo est Ecclesia Sancti Laurentii, fundum „ Pompejanum &c. & res, quas piæ recordationis Lotharius per præceptum firmitatis „ & confirmationis suæ in eo contulit Monasterio, idest res Majoriani, & Uxoris, & „ filiorum ejus, seu & portum in Aso, & res, „ quas *Hildeprandus Dux* ei per sua præcepta „ condonavit, ac *Domnus Carolus Imperator* „ eidem Majoriano confirmavit, & res Helenæ Ancillæ Dei, & Gualdum in finibus Reatinis &c. res *Theophanii Comitis*, & Patriciæ conjugis ejus &c. Et de omnibus aliis „ Monasteriis in finibus Ducatus Spoletini „ ita definimus & jubemus. Et in pascuis publicis omni tempore debeant pabulari vel „ nutriri, sinè ulla . . . . . hominum illius „ Monasterii, sinè omni datione, castaldico, „ escatico, herbatico, glandatico; & nullam „ molestiam neque in ponte, neque in via, „ neque in qualicumque loco patiantur, sed „ semper illibata ambulent, ubi publica consueta sunt pabulari. Concedimus quoque „ similiter omnia communia pascua, hoc est, „ figuaidas, ut sicuti &c. Et quandoquidem „ divina vocatione prædictus Abbas vel Successores ejus de hac luce migraverint, quamdiu ipsi Monachi inter se talem invenerint, „ qui eos secundùm Regulam Sancti Benedicti „ regere valeat, licentiam habeant eligendi „ Abbatem &c.

„ Ambrosius Cancellarius ad vicem Huberti „ Episcopi atque Archicancellarii recognovi „ & scripsi.

„ Datum III. Id. Januarii, Anno Dominicæ „ Incarn. DCCCCLXVII. Imperii verò Domni „ Ottonis piissimi Imperatoris V. Indict. X. „ Actum Romæ.

Otto II. Imperator Monasterio Farfensi Sanctæ Mariæ antiqua Privilegia confirmat
Anno 981.

„ OTto divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Si loca divino cultui mancipata &c. qualiter *Johannes venerabilis Abbas Monasterii Sanctæ, & intactæ semperque Virginis Mariæ de territorio Sabinensi in loco, qui dicitur Acutianus*, unà cum religiosorum Monachorum „ Collegio nostram adiit Celsitudinem, obnixè deprecans pro Dei amore, nostrique statu Imperii, nostra Imperiali auctoritate eidem Monasterio per hoc nostrum Præceptum dignaremur confirmare præcepta à Prædecessoribus nostris Regibus & Imperatoribus constituta, & à bonæ memoriæ nostro „ Genitore confirmata. Nos autem eum cum „ Monachis suis justè petentem cernentes, & „ nostrorum Prædecessorum præcepta observantes, eidem Sancto Monasterio confirmamus, corroboramus cuncta præcepta ab eis „ in eodem Monasterio constituta & confirmata, cunctasque res & possessiones eidem „ Monasterio justè & legaliter pertinentes, „ scilicet quæcumque habere videtur in eodem „ territorio Sabinensi, idest Ecclesiam Sancti „ Benedicti, Curtem Sancti Gethulii, & Ecclesiam Sancti Angeli in Tanoje cum omnibus earum pertinentiis. In Comitatu Reatino, & in Marsicano Sanctam Mariam in „ Apinianicis, suis cum omnibus pertinentiis, „ In Comitatu Amiternino Sanctam Mariam „ in Lauriano. In Comitatu Furconino, & in „ Balbensi Sanctam Mariam in Gianno. In „ Comitatu Aticia XLVII. Curtes cum omnibus earum pertinentiis. In Comitatu Pinnensi, & in Asculano, & Aprutiensi Sanctam Mariam de Solestano. In Comitatu „ Firmano Sanctam Victoriam. In Comitatu „ Camerino, in Castaldato de Castello Petroso, Ecclesiam Sancti Marci. Hæc omnia in „ integrum, quæ jam dictum Monasterium in „ supradictis Comitatibus modò habere videtur, aut acquisierit, aut ab his, quæ modò „ de rebus ejusdem Ecclesiæ justè tenent, aut „ ab aliis hominibus Deum timentibus; & in „ Civitate Romana, atque in aliqua alia parte nostri Regni Italici habere videtur, aut „ acquisierit, per hoc nostrum Præceptum eidem sacro loco confirmamus unà cum terris, vineis &c. Et quicquid de prædictis „ Monasterii possessionibus Fiscus noster sperare potuerit, totum nos pro æternæ remunerationis præmio memorato Monasterio concedimus, ut in alimonia pauperum, & stipendia Monachorum ibidem Deo famulantium,

„ tium, nostris futurisque temporibus semper „ proficiat in augmentum. Insuper & concedimus, ut nullus homo audeat respondere „ in allaturam Advocato ejus, & si aliquo „ tempore aliqua contentio contra idem Monasterium exorta fuerit, non per viliores, „ sed per nobiliores & veraciores definiatur „ ex utraque parte. Si quis igitur &c.

„ Johannes Cancellarius in vicem Petri Episcopi & Archicancellarii recognovi & subscripsi.

„ Datum III. Non. Maji, Anno Dominicæ „ Incarnationis DCCCCLXXXI. Indict. VIII. „ Imperii autem ejus XIV. Actum Romæ in „ Dei nomine.

Huic autem simillimum per omnia præceptum dedit, & confirmavit in hoc Monasterio, & præfato Domno Joanni Abbati *Otto III. Imperator VIII. Kalendas Junii Anno Dominica Incarnat. DCCCCXCVI. & ejusdem Imperatoris Regni XIII. Imperii quoque I. Actum Sabinis in Curte Sancti Gethulii*.

Præfato autem Domno Joanni Abbati, & in hoc Monasterio, Longinus filius Longini donavit, & tradidit quasdam res, quas habebat per præstariam in fundo Moliano, & vocabulo Vaccaricius, inter terras, & vineam modiorum centum. Item Domnus Joannes per concambium acquisivit res in territorio Amiterno, ubi dicitur Sentianus, & revicit in placito Curtem Sancti Jacobi, & Sancti Heliæ, & molinum pertinentem ad Sanctum Georgium, quæ omnia refutaverunt *Teudinus Comes*, & *Rainaldus Comes* unà cum Randisio Advocato suo. Item revicit in placito, residentibus *Legatis Domni Ottonis Imperatoris*, in loco Montis Granarii ad Sanctum Petrum res de ipsa Curte Sancti Petri, quas refutavit Gottifredus filius Sieraudi. Item revicit in placito alio medietatem de molino Janatico, & Ecclesiam Sancti Joannis in Tatiano cum sua pertinentia, sive dotaliciis. Hæc omnia refutaverunt Gaiderisius, & Rainerius filius Opterami, & Adelbertus filius Sintari. Item revicit in alio placito piscarias, & aquas de Salulongo cum Lacu majori, & medietatem de Septepontio, ubi judicatum est, ut non habeat potestatem ullus piscator piscari in supradictis piscariis, nisi reddiderit per omnem hebdomadam pisces publicos III. aut sex minores valentes ipsos tres publicos pisces. Item accepit refutationem de terra, & vinea in territorio Sabinensi, ubi dicitur Cicilianus, in quo est Ecclesia Sanctæ Mariæ, & Sancti Silvestri, à parentibus Girardi Presbyteri, atque Præpositi. Item acquisivit per commutationem à Guimario filio Baronis res aliquas in gualdo de Scrufula modiorum XX. à duobus lateribus flumen Tiberis, à duobus verò tenens *Benedictus Episcopus* cum consortibus.

Item Albericus Diaconus, atque Præpositus hujus Monasterii unà cum Huberto Judice reclamavit in placito super quodam Benedicto Diacono, qui tenebat terram, & vineam hujus Monasterii iniquo ordine inter Pharpham, & Currisium, & aliquando per fortiam venerat super Casalem hujus Monasterii, & ibi plagam & feritam fecerat in homine Domni Abbatis. Erat autem ipse Casalis valens libras XL. Et judicavit Franco Judex, quod Lex Romana jubet, ut supradictus Diaconus in quadruplum restituat ipsum Casalem cum suis frugibus in hoc Monasterio, qui professus est hanc se compositionem minimè habere. Unde unà cum filiis suis refutavit in hoc Monasterio terram & vineam inter Pharpham, & Currisium. Item præfatus Abbas Domnus Joannes acquisivit in hoc Monasterio à *Theodino Comite filio Berardi Comitis*, quasdam res, sive proprietates, quas emerat à Sedebaldo in territorio Amiterno, ubi dicitur Casalicius, & per alia loca, quæ sunt petiarum XVI. Prima petia est modiorum XXI. secunda modiorum VII. tertia VIII. quarta & quinta modiorum IX. sexta modiorum III. & semodialis; septima modiorum II. & sextarius; octava modiorum XXII. nona modiorum II. & semodialis, decima modiorum II. & semodialis; undecima, duodecima, & decima tertia semodialis unius; decimaquarta semodialis unius; decima quinta quartarii unius, & medii alterius; decima sexta medietatis quartarii. Pro quibus omnibus recepit ab hoc Monasterio præfatus Theodinus Comes in territorio Reatino, ubi dicitur ad Vascas, terræ petiam unam, ubi stare videtur ipsa Rocca, modiorum centum: à tribus lateribus fluvius Turanus, à quarto latere Cisterna, & terra huic Monasterio reservata. Item in territorio Sabinensi, ubi dicitur Grippi, terram modiorum VII. huic Monasterio acquisivit. Item in Pastiniano modiolum unum. Item in Prepi vocabulo Aguzano, & in fundo Pinitu modios VI.

Johannis III. Farfensis Abbatis protestatio de non alienata Æde Sancti Petri Apostoli, & Casale Petroso. Anno 988.

INcipit relatio *Domni Joannis Abbatis* de eventibus hujus Monasterii. „ Regnante „ Domino nostro Jesu Christo in Divina Majestate, atque cum Patre, Sanctoque Spiritu in ævum permanente. Anno ejus Incarnationis DCCCCLXXXVIII. & regnante „ *Domno Ottone filio Ottonis Magni Imperatoris*, ego Joannes nutu Dei solers animo, „ atque Domini protegente dextera humilis „ Abbas Monasterii, Beatæ Mariæ semper cælibis, & Matris Domini nostri Jesu Christi, „ quadam die, sicut etiam mos est Monachis „ infra claustrum Monasterii conversari, cum „ meis fratribus consistens, ad me ipsum intrinsecus redii, & ad meam intentionem „ subtiliter inspicere cœpi, & quia eram mœstus multùm pro facinoribus nostris, sed tamen qualiter Deo placere potuissemus, „ mente pertractare curavimus. Hoc itaque „ mihi, meisque fratribus præmium maximum nobis à Deo prævidimus; si Ecclesiam Beati Petri Apostoli quæ in diverticulum posita est juxta Castellum Catinense, & „ à nostris Antecessoribus aliquando data fuerunt ad Benedictum diebus vitæ ejus per „ libellum, & Casalem, qui nominatur Petrosus, qui etiam datus fuit ad Gaiponem, „ & Clarissimum diebus vitæ illorum, nos „ potuissemus eripere de manibus eorum. Ipse „ quoque prædictus Clarissimus considerans „ Dei Omnipotentis misericordiam, & redemtionem animæ suæ, vel parentum suorum, „ omnes res suas in integrum per chartas in „ hoc Monasterio tradidit ad possidendum, & „ pro hac causa ipsum Casalem detinebat.

„ Temporibus verò Domni Petri (97) Pontificis Summi, casu irruente, inter fideles *Comitis Benedicti*, & filios Attonis, & eorum parentes, magnum certamen initum est in Sorboliano, in quo Palestra mortuus est, filii Attonis, & eorum parentes, Rainerius filius Attonis, & Clarissimus trucidatus cecidit. Post hæc in ipsa acerbitate omnes res Clarissimi in nostri Monasterii inseruimus potestate, sicut per chirographum antea tradita fuerant. Tunc parentes ipsius Sichefredus, & Azo, & Joannes fratres insimul cœperunt litigare de ipsa terra contra nostrum Monasterium, & annitentibus nobis in præsentia Judicum refutaverunt eamdem Ecclesiam Beati Petri Apostoli, & ipsum Casalem Petrosum in integrum, & Casam Pauli, & fecerunt chartam de Luco, & de Calviniano, & insimul nobiscum, & cum omni Congregatione hujus Monasterii, commendaverunt eam ad Leonem Bezonis, in tali tenore, ut ab illa die supradicti fratres, vel illorum heredes omni tempore defensores atque protectores contra omnes homines omnibus suis viribus existerent, & ejus Cellarum, ipsi & heredes eorum. Et si hoc non fecerint, & præfatam refutationem molestaverint, aut forsitan damnum nostro Monasterio, vel Cellis nostris operati fuerint, tunc ipsa charta Leoni Bezonis commendata in nostrum Monasterium revertatur ad possidendum. Et insuper nostro Monasterio hoc concesserunt prædicti viri, ut per illorum montana, sive sylvas, aut rura, herbas, vel ligna, aut glandes nostri homines in ipsis locis habitantes modò, vel deinceps aliquam molestiam non habeant, accipientes. Et si ipsi, vel heredes eorum aliquando hoc facere præsumserint, ut nostri homines non fruantur omnibus, quibus, illis necesse fuerit: tunc componant ipsi, vel heredes eorum huic Monasterio auri obrizi libras IV. Post hæc ego Johannes Abbas unà cum nostris Monachis refutavimus ad prædictos fratres res omnes Clarissimi, excepta Ecclesia Sancti Petri Apostoli cum Casale Petroso, & Casa Pauli, cum omnibus illorum appendiciis. Tunc in Aula Beati Petri Apostoli Ecclesiam construximus, & Monachorum habitationes ibi constituimus, & Joannem Presbyterum Monachumque nostrum in ipsa Cella Priorem ordinavimus, qui erat boni animi, humilis, mansuetus, sobrius, castus, & Sanctæ Regulæ præceptis imbutus. Muri verò ejusdem Ecclesiæ, qui nimia vetustate corruerant, ab eo reparati sunt, quasi gurgustium enim conclusa videbatur hactenus. Cum quo duo alii Monachi idiotæ, & unus Presbyter & Monachus Joannes magnâ industriâ à fundamento simul eamdem Ecclesiam reædificarunt, & ad finem complentes eam intus & foris depingere fecerunt. Post aliquantum autem tempus, quidam cœperunt dicere, quòd Joannes Abbas in absconso scriptionem fecisset ad Hubertum Judicem, & ad filios Alberici Diaconi de Casa Pauli, & de aliis locis hujus Monasterii. Super hoc nimis afflicti dicebant Domno Abbati: *Domne Abbas, quare sic bene ipsam Cellam ordinatam modò dissipasti?* Ille autem hoc audiens putabat se mortis periculo proximam, & dicebat omni Congregationi: *Audite me omnes seniores fratres, atque minores. Per Trinitatem indivisam, & per Regulam Sancti Patris nostri Benedicti vobis jurans dico, quia malitiam, quam audistis, nec feci, nec consensi. Et si aliquando per verum potueritis colligere, super me reclamationem facite ante Domnum Apostolicum, aut ejus Patricium, vel ante Domnam Imperatricem, aut ad suos Missos, & tunc jubente Domno Apostolico in exilium me iturum promitto.* Superveniente autem die festo Apostolorum Petri & Pauli, Ecclesiæ in hoc Monasterio ædificatæ multi circummanentes venerunt ad eamdem solemnitatem. Tunc vênit Joannes Abbas paratus cum Clericis, Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis ad Missas canendas unà cum suis Monachis; & ante Altare assistens dixit ad omnem populum: *Audite me omnes Christiani, qui ad hanc solemnitatem convenistis, & sciatis omnes parvi & magni, quoniam ego Joannes Abbas de terra nostri Monasterii, vel de Casa Pauli, nullam in absconso scriptionem feci, nec consensi.* Et posita manu super Librum, & Altare, audientibus universis, juravit super Sancta Evangelia, & Sanctorum Reliquias ibi reconditas, dicens, quòd *de nulla terra nostri Monasterii aliquam scriptionem in occulto feci, nec faciam aliquando, neque consensi, neque consentiam. Sic me Deus adjuvet, & ista IV. Evangelia, & Sanctorum corpora hìc recondita.* Universi hæc audientes obriguerunt & dixerunt: *O Domne Abbas, cur hæc fecisti?* At ille: *Timeo enim Creatorem meum, timeo Beatam Virginem Mariam, cujus Vicarius ego sum. Erubesco etiam Patrem nostrum Benedictum, cujus habitum induti sumus: ideo istud sacramentum feci, ut credatis, quia istud nefas non feci. Tamen qui post meum excessum de ipsis prædictis locis se dixerit investitum, & ostenderit scriptionem, ad aliquem heredem, habeat super se, vel filios suos, iram Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Interea prædictus Joannes Abbas ad pretium solidorum XL. concessit res hujus Monasterii in territorio Sabinensi, ubi dicitur Alianus. Item in Casa Pauli pretio librarum V. &c. Item in Canali pretio solidorum XX. Item in Montoreo pretio solidorum XL. Item in Bucciano pretio solidorum D. Item in Massa Toccia, ubi dicitur Pavianus pretio solidorum XXX. Item in Bacciano, & in Galiniano modios III. pretio solidorum XX. ad pensionem musti lagunas II. & grani modia II. Item in submuro civitatis Reatinæ, & ad Sanctum Georgium, terram, & vineam, & medietatem molini majoris, qui vocatur Janaticus ad Cantarum, & in territorio Sabinensi, ubi dicitur Pompejæ, à Monumento antiquo, qui decurrit in Pharpham, & in rigum Salisani, usque in Pharpham. Item concessit præfatus Joannes Abbas Sintaro, & Joanni filiis Hilderici in territorio Amiterno ad Sanctum Petrum in Cor-

(97) Uti notissimum est, praeter Petrum Apostolum nullus hujus nominis Pontificatum Romanum rexit. Heic ergo cubat error. Attamen suspicor, heic intelligendum esse *Petrum Papiensem Episcopum*, qui Anno 984. assumto nomine Johannis XIV. Apostolicum solium conscendit. Fortassis eum adhuc ex proprio nomine appellare pergebat Johannes Abbas, qui haec scribebat Anno 988.

Cornio substantias VI., quæ rectæ fuerunt ab Antulo, Serico, & Adesulo, & Agisulo, & Lupone, & filiis eorum, Lupone & Areldi, Liutone Bono filio Boni, & Bernone filio Joannis Baldonis, qui fuit servus Cellæ de Solestano. Insuper quantum in Pile, & Pupleto, & ad Sanctum Gregorium de rebus Cellæ de Lauriano pertinet; & in Margine substantias, quæ rectæ fuerunt per Italarium, Alipertum, & Luceradum germanos filios Italarii servi nostræ Ecclesiæ. Fines eorum rivus Derentanus, quomodo pergit in Villa de Ragiolo, & via de Ompligiano, & Collis de Baliano, & Monumenta de Clesurule, & monte super Marruce. Et in territorio Interocrino ad Sestunum Curtem Domini Salvatoris cum gualdo de Plano. Et terras de Longepuro, & terras de Nebino, & gualdo de Tresurchio, & terras de Tujano, & de Moza, & de Paterno, & in Azo, & in Terme, & in Villano, & res pertinentes in Sancto Angelo Reatino.

In Castaldatu Interocrino, & in Vallanti Curtem cum Ecclesia Sancti Nazarii, & in Moza res Petri Presbyteri, & Grifonis; & in territorio Reatino ad Peticlianum Ecclesiam Sancti Gregorii; Et in Punzano Casalem Maximi; de uno latere petra Corvacia; de alio flumen Saltum, quomodo intrat in flumen Mellinum usque ipsum, & usque silvam de Balbiano. Et in Amiterno ad Belitianum res, quas Campo de Caniano per libellum tenuit. Pretium harum rerum fuit terra in Ciculi ad campum Trincidini mod. XX. & in Agella modiorum XXX. insuper solidi CC. Item concessit Curtem in Coperseto, in territorio vel Comitatu Firmano, cum Ecclesia Sanctæ Mariæ, & cum Castello de Montetano. Et Curtem Sancti Desiderii, & Curtem de Arvitiano, & Curtem de Mozano, in qua est Ecclesia Sancti Joannis. Et Curtem de Columelli; & Curtem Sancti Venantii, & Curtem Sancti Felicis, & Curtem de Sardinaria, in qua est Ecclesia Sancti Petri, & Curtem de Raviliano, & Curtem de Capilia, quæ sunt modiorum X. millium infra Comitatum Firmanum, Asculanum, & Aprutiense. Et Curtem de Sulestano, in qua est Ecclesia Sancti Marii. Fines harum rerum à capite pedes Alpium Comitatus Firmani, & Asculani, & Aprutiensis; à pede litora maris cum ipsis litoribus. Quarum rerum omnium solidi CC. fuerunt, sub pensione olei librarum II. & totidem candelarum, idest duarum in Castello nostro Matenano. Item in territorio Falaingersi ubi dicitur Cambianus terras modiorum CC. à pede flumen, & ex omni parte terra Dantis. Hæc omnia dedit Aldo filius TaKeprandi in hoc Monasterio; insuper & solidos DC. Et concessit ei præfatus Abbas Joannes medietatem Curtis de Tunsita cum medietate Ecclesiæ Sanctæ Mariæ ibidem; & in territorio Interocrino, ubi dicitur Casarici, Curtem Fabriani cum medietate Ecclesiæ Sanctæ Mariæ ibidem; & medietatem Curtis Gottifredi, & medietatem rerum Altecari, & Algefridi, & de Mazanello; & medietatem portionis Ecclesiæ Sancti Laurentii. Et in territorio Amiternino, ubi dicitur Tegorica, familiam Totuli, & medietatem familiæ Lupuli; & in Cuniculo medietatem familiæ Stephanelli Eremitæ, & familiam Secenæ; & in territorio Reatino ad rivum de Bezano medietatem ipsius petiæ terræ; & in Amiterno super rivum Derentanum, & Gelesini, substantiam Luponis Presbyteri servi hujus Monasterii; & in Opligiano terræ petias duas; & in Cavallari terræ petias duas.

Item concessit in Novubiano vocabulo Ficlini terras modiorum CCXXX. cum spisseis, & vineis. A capite via; à pede medium flumen Asum cum cursu aquæ; ab uno latere terra Sancti Angeli; ab alio rigularis currens in Asum. Et ibidem res Gaiderisi pretio rerum in loco, qui dicitur Miliarius, & in Pila vocabulo Bulsiano, terræ, & silvæ modiorum XL. insuper solidi D. Item accepit pretium in territorio Turano, ubi dicitur Paganicus super Criptam terræ modiorum XXX. secus montem, insuper solidos LX. & concessit tertiam partem Curtis Sancti Benedicti in Furcone, ubi dicitur Colomerte, & tertiam partem rerum Grimaldi & tertiam partem ipsius molini, & rerum Stamoræ. Et in Collectario, ubi dicitur Casalis, terræ modiorum VII. Item in fundo Trevenario Curtem ipsam, & in Fercliano, & Galuniano, & Vocariano, & in Salto cum Ecclesia Sancti Gregorii & terras modiorum II. millium. A capite summum montis; à pede, & uno latere flumen Clentis; à quarto latere via veniens à Sancto Laurentio in Clenti, pretio in Fundo Ursæ, terræ & silvæ modiorum centum insuper solidorum CC. Item præfatus Joannes Abbas suscepit pretium solidorum centum, & concessit in territorio Furconino Curtem de Saxa, ubi dicitur Gentianus: fines ejus Pile, & Clepeti, & Mozanum, & Amiternum, & res Petri, & Hermefridi, exceptâ Ecclesiâ Sancti Mindli, cum cella & horto ante eam, quæ reservata est in hoc Monasterio. Et in eadem Saxa terræ modios XXX. & in Cerreto, modios quinque, ubi vocatur Cornetula super Ecclesiam Sancti Valentini; & substantiam Sicheprendi de Rogia, & substantiam Justi de Colle plano. Item concessit medietatem Curtis nostræ de Trevenano in territorio Camerino, & in Borgiano, & in Manciano, & in Toreliano, & in Rosiano, & in Campo vicioso, & in Salto, & in monte Berenniæ, & in Seneizano; & medietatem Ecclesiæ Sancti Gregorii: omnia modiorum CD. & in fundo Saltu modiorum XXX. pretio solidorum centum. Item in territorio Sabinensi, ubi dicitur Ruzule, pretio solidorum XX. Item in Tancie de medietate ipsius Castelli duas partes, & tertiam partem in hoc Monasterio reservavit: à capite aqua Frigida, sicut currit in Caneriam; à pede rigus Sancti Angeli; ab alio latere valle Gemina, sicut venit in serram montis, & in aquam Frigidam; ab alio latere rigus Scalatus veniens in Furicellam, sicut currit in ipsum rigum, & rigus in Caneriam. De ipso Castello, & omnibus his pertinentiis duas partes de medietate pretio CC. solidorum.

Item in territorio Sabinensi in Canali res cum Ecclesia Sancti Heleutherii ad pensionem musti decimatas XV. pretio solidorum centum. Item in Paciano vocabulo Montis: ab uno latere, limite, & fine de Brezano, & Petræ fixæ; & tenent Benedicto, & Urso; & veniente in viam pergentem in montem de Paciano; & tenent Silvestro, Benizo Judice; à tertio latere rigagines & fines Bariliani, & Petræ fixæ; à quarto latere tenent Rainerius, & Dominicus, & Ansefredus, & Petræ fixæ: pretio librarum IV. Item in Sorbiliano cum Ecclesia Sancti Antimi pretio solidorum L. Item

Item post montem in Loretulo pretio solidorum LX. Item in Mianula, & in Boniolo pretio solidorum LX. Item in fundo Petrojolo ad Magitem, excepto Castello de Cuphi, pretio librarum V. Item in Viaro, & in Calviniano, & in Foliano, ubi & Ecclesia Sancti Sabini, pretio solidorum centum. Item præfatus Joannes Abbas concessit Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Pisile. Post montem, & prope Criptule, & alibi Mirtetum, & alibi Fornellum, & alibi Centum, & de Casale Fisiniano tres partes, & ubi dicitur Nocla, medietatem in integrum, & de Nazano tertiæ partis medietatem in integrum, pretio solidorum LX. Item in monte de Oca: à capite rigus Scalatus pergens in rigum Sancti Angeli; à pede rigagine veniente à Cisterna, sicut descendit in rigum Cancelli; ab uno latere via à Cisterna, veniente in rigum Sancti Angeli; à quarto latere lacu veniente in Calvisia de Majaline, & subtus Majaline venientes in Forcella, & inde in rigum Scalatum. De omnibus his concessit prædictus Joannes Abbas Scanzoni filio Guinizonis quartam partem in integrum, pretio solidorum XLV. Item concessit *Teudino Comiti filio Berardi Comitis* tertiam partem Castelli, qui vocatur Mons-aureus, sive Prætorium; duas verò partes reservavit in hoc Monasterio. Item suscepit res in pretium in territorio Ciculario ad Clivianum modiorum sex, & concessit ibidem modios centum. Item in territorio Amiternino res modiorum XII. insuper argenti libras XX. & concessit in territorio Balbensi ad Peltinum Curtem Sancti Angeli in integrum. Item in territorio Aprutiensi ad Aurelianum concessit res modiorum XX. cum Ecclesia Sancti Petri. Et in Sardinaria, & in Summaciano, & in Castrociano, & in Sala, & in Betecto & in Aliniano singulas petias modiorum LXXX. Item suscepit pretium solidorum LXXX. & concessit in territorio Balbensi, medietatem Curtis Sanctæ Mariæ in Griano, excepta Ecclesia ipsa, & juxta eam in longitudine perticarum LXII. de alio latere perticas LXXV. de tertio latere perticas LXXV. de quarto latere perticas L. & in Quinto de Opi terram cum muris Ecclesiæ Sancti Viti, & medietatem omnium proprietatum hujus Monasterii infra territorium Balbense in Gigniano Opi, Mamenaco Campano, & Prætorio, & Busano. Item pretio solidorum XV. concessit subtus muros civitatis Reatinæ ad Acupencum modium I. Item pretio solidorum XL. concessit in territorio Furconino ad limitem modios VII. & alibi modios III. Item pretio Casali de Nazano medietatis in territorio Reatino, & in Lariano petiarum IX. insuper solidorum XX. concessit ad Undam terras, & vineas cum casis; & in Liviano duas partes. Item pretio solidorum CC. concessit præfatus Joannes Abbas Cellam Sanctæ Mariæ de Sarzano in territorio Balbensi, cujus fines sunt Gorgianus, Sommi Trasmontis, de Robore, & Codici, & Gragianum, quo modo currit Vallis Gragiani in flumen Calidum, & usque Castellum, & summitatem de Penzo, & Caram-pellem & Prætorium. Item concessit Monasterium Sancti Marci juxta muros Spoletinos, quod erat funditus destructum, ad restaurandum; & Ecclesiam Sancti Salvatoris juxta fundum Salianum; & Ecclesiam Sancti Viti juxta flumen Marrubiæ; & Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Mejana in Castaldatu Interamnensi; & Ecclesiam Sancti Theodori, infra ipsum Castaldatum, juxta rigum qui decurrit in Lacum, ubi dicitur Lutulum; & Ecclesiam Sanctæ Petronillæ in Agello majori; & Ecclesiam Sancti Pauli, ubi dicitur Quinquaginta; & Ecclesiam Sancti Joannis in Comitatu Assisinate, cum omnibus illorum pertinentiis in integrum. Omnia concessit ad pensionem annualem facularum ceræ duarum, & vasis II. vini. Item pretio solidorum centum concessit in Campo & in villa de Opires de Curte in Griano, quarum fines sunt Petiæ latæ, & Usanianum, & serra de Pinito, & limites subtus Ecclesiam Sancti Pii. Insuper medietatem Curtis Sanctæ Mariæ in Gigniano, excepta ipsa Ecclesia Sanctæ Mariæ cum circuitu ejus, & cellis. Ab uno latere via ad pedes LVI. ab alio latere, terra hujus Monasterii, & pedes L. à tertio latere similiter; à quarto latere terra Joannis, & hujus Monasterii, & pedes XL. & in Mamenaco, & in Prætorio, & in Azano, & in Busano, & in Cella, & in campo Peltino, & in Campana, & in Cese, de Luscle, & de substantia Ildonis Presbyteri in Griano; & in Opi omnem medietatem, exceptâ Ecclesiâ Sanctæ Mariæ in Sartiano, & Sancti Angeli in Peltino cum pertinentiis earum. Item in territorio Amiternino in campo Armoris ad Colomellam terram modiorum VIII. & in Collectario substantiam Severi, & in Casale, & in Clopaco, & in Stibiliano. Item pretio solidorum centum concessit in Furcone ad Sanctum Gregorium subtus viam terram modiorum XL. Item pretio terræ modiorum X. in territorio Furconino ad Sublongum, insuper solidorum LXXX. concessit in territorio Amiterno terræ petias XVI. Prima in Casale modiorum XXI. alia in Sepo Valle de Saxlice modiorum VIII. tertia in Rutiliano ad Armatos modiorum XII. quarta ad Casagium modiorum III. quinta in capite Osiniani ad Vulmacectum modiorum XX. sexta ad aram Teuduli modiorum III. & semodialis; septima ad Criptam Pauperis modiorum II. & quartarii; octava in Macreto modiorum XXII. & semodialis unius; nona in Campo Scamoreni modiorum II. decima ibi prope modiorum II. & semodialis; undecima in Alviano ad Vallem modiorum II. duodecima ad Cretarium modiorum III. decima tertia in Macreto semodialis unius; decima quarta super viam subtus Ecclesiam Sanctæ Cæciliæ semodialis unius; decimaquinta in vineis de Pectino quartarii unius, & medietatis de alio; decima sexta ibi prope medietatis unius quartarii. Item pretio solidorum centum dedit prædictus Joannes, & concessit res hujus Monasterii in territorio Furconino usque Metule, & quomodo pergit ad Crucem de Furfone, & pontem Nerini, & usque flumen, & Cornu, & usque rivum de Paganica. Item concessit de Curte de Moliano ad Cornialetum, de Sole, vel de Cauda Cavallina, res modiorum LXXX. pretio solidorum centum. Item pretio rerum in territorio Turano ad Paganicum sub Cripta modiorum XXX. insuper solidorum LX. concessit tertiam partem Curtis Sancti Benedicti in territorio Furconino, ubi dicitur Colomerte, & in Amiterno, & in Collectario, & in Prætorio, & rerum Grimaldi tertiam partem, & de sedis molini ipsius tertiam partem, & de rebus Scamaræ, & in Collectario modios VII. & in Prætorio modios XVII. Item pretio rerum in territorio Amiterno subtus collem Antonini ad pratum Dominicum

cum modiorum III. insuper solidorum CC. concessit in territorio Amiterno subtus Pauperi res modiorum CVIII. Item, pretio terræ in territorio Ciculano modiorum XXX. ad Agellum, insuper solidorum CCC. concessit medietatem Curtis Vallanti, & de Sestano in territorio Interocrino, cum medietate Ecclesiæ Domini Salvatoris, & Sancti Nazarii, quorum fines sunt Arcus Sancti Justi, & Pingui, & Terminarium, & Catrablum, & saltum venientes in flumen Mellinum, & usque vallem, cum medietate Casalis Maximi, & usque Casam veterem, quomodo pergit in rivum Gaiprandi, & medietatem substantiarum in Moza, & in territorio Amiterno ad Sanctum Petrum in Corvie medietatem substantiarum VI. & servorum hujus Monasterii Banduli Clerici, Adesuli, Gisuli, Luponis, & filiorum Araldi, Liutonis, Boni, & Bononis filii, Joannis, Baldonis, & Ildonis, & Petri, & Joannis, & Romani, & quotquot in Pile, & in Puplito, & ad Sanctum Georgium inventa sunt. Et in Maruce medietatem substantiæ rectæ per Statium, & Adepertum, & Luceradum germanos, & filios Stalarti servi hujus Monasterii, & Gezonem, & Leponem, & Joannem, & Petrum, & Hildericum, & Gaisonem, & Franconem germanos, & filios Apæ. Harum rerum fines sunt Collis de Balliano & monumenta Clesurulæ, & mons super Marruce, & rivus Derentanus, quomodo pergit in villam de Ragiolo, usque viam Salariam. Et in Cornu terram modiorum XXX. & in Belitiano substantiam, quam Campō de Caniano per libellum hujus Monasterii tenuit. Et in territorio Reatino in Luniano, & Bajano, & Catiano, medietatem, & in Frondario: aliam verò medietatem Benedictus tenet ab hoc Monasterio. Et ad Verticem prope gualdum de Taziano, & in territorio Narnatino ad Bricum Curtem hujus Monasterii in Barnano, & in Ceucione, & in Massa. Item pretio solidorum mille concessit in territorio Furconino, & Balbensi Curtem Sanctæ Mariæ, ubi dicitur Furfor__, usque Senizum, & Varisanum, subtus & usque formam, & usque flumen, & Mozano, omnia quæ pertinent ad ipsam Curtem, exceptâ ipsâ Ecclesiâ cum LX. modiolis terrarum circa eam, quæ sibi reservavit. Item pretio solidorum XL. concessit in territorio Amiterno ad Collectarium, & Sanguinetum terræ modios XX. Item in territorio Aprutiensi concessit medietatem Curtis Sardinariæ, & in Lempidio, & in Mafiano, & in Ceseriano, & in Aureliano, & in Castriciano, & in Clavicle, & in Posporiano, & in Tabernula, & in Sommatiano & in Aleniano, insimul modiola XXX. quarum fines usque flumen Gonianum & flumen Trutinum, & rigum de Fabale, & usque Sanctum Severum. Item pretio terræ modioli unius in territorio Reatino ad Campum concessit infra ipsam Civitatem, & forum Casalicium I. & terræ & vineæ petias III. prima ad Sanctum Stephanum modiorum III. alia ad Accupencum ad ipsam turrem semodialis unius; tertia ad gualdum novum modiorum V.

Quodam verò tempore cùm resideret in placito in Ragiolo prope Turrem juxta Ecclesiam Sancti Hilarii *Petrus* (98) *Papiensis Episcopus Missus Domni Imperatoris*, unà cum Comitibus, sive Judicibus, plurimisque hominibus: vênit præfatus Joannes Abbas cum Deodato Advocato suo, & querelatus est super filiis Adelolfi, & Godeladi, qui tenebant silvas, & terras hujus Monasterii in Cantarello, & in Casale Palumbuli usque viā publicam, & Rivum siccum, & ipsum terminum, quem idem Abbas eis fixerat, & quomodo ipsa vallis pergit in montem Landiculæ, usque in pedem ipsius montis. Et confessi sunt supradicti viri, quòd nihil eis pertineret ex omnibus supradictis rebus infra ipsos terminos. Et tum recepit prædictus Abbas Joannes ipsas res ad opus hujus Monasterii &c.

Item pretio solidorum XL. idem Abbas Joannes concessit in territorio Amiterno ad Cesanum terræ petias VI. Prima in Tesano modiorum VI. Alia ibidem modiorum IV. tertia in Felecta modiorum III. quarta ad Petram-fictam modiorum II. quinta in campo de Lavareta modiorum VI. sexta in Ragiolo ad fonte Todorisi modiorum II. Item pretio solidorum XC. concessit in territorio Furconino ad Marginem, & murum Mangonis, & limitem usque aquam Paganicam, & aquam Benam, & viam, quæ pergit à Vado lato, & vadit ad murum Mangonis, & usque Castellionem; insuper in Cæsarano medietatem de terris, & silvis. Item pretio solidorum XL. concessit in territorio Reatino ad Radicaria ipsum montem de Quarto; & in Arpaniano & Octavo usque aquam de Radicaria, & flumen, & serram montis Quartani, duas partes in integrum; tertiam cum Anselmo tenebat ab hoc Monasterio. Item pretio solidorum XX. concessit in territorio Amiterno Clusurulæ, ubi est substantia Joannis Palumbi, & ejus Consortium usque Orbecam, & Pozellam & Marruce, & usque strictum vallis de Cucla, ipsosque insuper servos, idest Joannem Luponem & Joannem Crispum cum filiis, filiabus, ac fratribus eorum. Item in territorio Furconino ad vallem Cupam concessit terram modiorum XX. Item pretio solidorum LX. concessit præfatus Joannes Abbas in territorio Sabinensi Casalem Pompejæ. A capite furca, & terra de Massis usque in Pharpham; de alio latere rivus veniens à Rocca Azonis usque in Pharpham; de alio latere Pharpha. Item pretio solidorum XL. concessit in territorio Reatino in Acupenco terræ & vineæ petiam unam cum casis ibi ædificatis.

Item pretio solidorum LX. concessit in integrum in territorio Amiterno ad Dulia petias II. terræ. Item pretio rerum, in territorio Furconino ad Silvam planam in valle subtus viam, quæ pergit à Furca Luparia modiorum X. insuper librarum V. concessit in territorio Furconino in Acilie, & in Campo subtus. Item subtus Acilie, ubi dicitur Pantanus, & in Mallori, & ad Monumentum, & in Banio usque in viam de Banio venientem à Muris ad viam, quæ venit ab *Episcopo Sancti Maximi*, & usque in viam de Columella à Monumento, & usque in viam, quæ pergit à vado Cilluli, & venit ab Ecclesia Sancti Cipriani, & vadit ad Rogie, & usque montem, qui vocatur Serra. De his omnibus medietatem, quæ est modiorum LXXX. vel plus, exceptis rebus de Ope-

(98) Qui Anno 984. Romanus Pontifex electus Johannis XIV. nomen assumsit, atque is fortasse uti jam sum opinatus, quem in sua protestatione *Domnum Petrum Pontificem summum* appellavit Johannes III. Abbas Farfensis, hoc est Abbas ipse, cujus acta nunc recensentur.

Opetanis. Item concessit in territorio Novertino in Paterno terræ petias VI. & alias res ibidem usque rivum, qui pergit à Paganeco, & usque Martore, & Mozanum, & serram de Oquali, & serram de Oriali. Quæ omnia sunt in Orberiano, & in Cardecto, & in Valloni, & in Cesa Meniola, & ad Molina. Item pretio solidorum centum concessit in territorio Furconino infra fines suprascriptos ad Acilie, & in campo, qui dicitur Camanus, usque in montem, qui vocatur Serra, inter terras & vineas modios CLX. exceptis rebus hujus Monasterii, quæ dicuntur de Opetanis, & res, quas Tedmarus in hoc Monasterio dedit per concambium, quas in hoc Monasterio Abbas reservavit. Item pretio solidorum XL. concessit in territorio Summatino res, quæ fuerunt Siculini, & de Salicta, & in Flaminiano, & in Trebule, & in via de Crete, & in Carano, vel per alia vocabula, & sunt modiorum XX. & ubi dicitur Monasteriolum modiorum VII. Item concessit Ecclesiam Sancti Georgii destructam in loco, qui dicitur Cerquetus ad flumen Asum, & vocabulum Ferrario. A capite terra *Rainaldi Comitis*, & rivus Maclæ; à pede aqua de Majavilla, & rivus de Folle quomodo pergit in Flumen Asum, & rivus, qui pergit in rivum Curvum Firmanum. Ab uno latere flumen Asum cum molinis, & cursu aquarum; ab alio rivus Curvus, & via de Tenna usque caput Latiniani majoris & minoris, & usque Furcam de Ferrario, exceptis quæ antea concesserat per scriptum ad Benedictum filium Luponis. Alia verò omnia concessit pretio solidorum XL. Item in territorio Sabinensi ad Cascianum pretio solidorum XX. concessit quasdam res. Item in Arriano pretio solidorum III. concessit alias res. Item in Ternaria juxta fluvium Currisem ad aquæmolum faciendum, & juxta ipsum sextaria VI. ad quartam reddendum, & in area Vecula, ad quintam reddendum, pretio solidorum XX. concessit. Item pretio solidorum LX. concessit in territorio Sabinensi, ubi dicitur Lunianus aliarum rerum sextam partem in integrum. Item in Antiano pretio solidorum XX. alias res concessit. Item ubi dicitur Tancias; ab uno latere rigus Scalatus, & venientes in rigum Sancti Angeli; à secundo latere usque in gualdum, ubi est Ecclesia Sanctæ Crucis, & venientes in Filicetum; à tertio latere vallis Gemina veniens in arcum Sancti Angeli. De his omnibus, & de Castello Tanciæ, quod vocatur Fatucli, omnem medietatem, excepto quod antea concesserat ad Rodulphum Judicem. Item in territorio Sabinensi concessit uncias sex principales de Massa Foliana in fundo Azano; & de fundo Petiolo similiter uncias VI. exceptâ terrâ, quam tenuit Teuzo Paganus, & excepto Castello de Cuphi tantummodo cum introitu & exitu suo, & non aliter. Sunt autem Casales de Azano VI. De fratre Presbyteri Hieronymi, medius Casalis. De Folge verò terræ & silvæ Casales VI. Ad portam Folgæ Cripta una, & Cæsarinæ tres cum hortis usque in rivum. Ad Sanctum Sabinum Casales II. Ad buccam Campanæ Casales II. In Hortelle terra & vinea Martini & Cresii de Durano. Ad Sanctum Sebastianum Casalis I. De pertinentia Cuphi terræ & vineæ & silvæ Casales XII. & eo ampliùs.

Item pretio solidorum XL. præfatus Abbas Joannes comparavit in hoc Monasterio terram in territorio Sabinensi ad Campum longum modiorum VI. Item concessit quasdam res in Feclinule, filio Petri Leonis, & alias Stephano, & alias Petro, & Joanni filiis Leonis. Item pretio solidorum LX. concessit ibidem, & in Cervariola. Item in supradicto loco, in quo est Ecclesia Sancti Stephani juxta Cervariolum, pretio solidorum LX. Item eodem vocabulo concessit aliarum rerum medietatem cuidam Domnino, & Venerio. Item ubi dicitur Testa concessit alias res ad quartam reddendum de frugibus, & de vino mundo medietatem. Item ubi dicitur Cervinaria; vel Cavallaria, pretio solidorum XX. concessit aliarum rerum, & de Ecclesia Sancti Clementis quartam partem, & de aliarum duarum petiarum quinta portione quartam partem in ipso vocabulo. Item pretio solidorum centum concessit in Conflenti, sive Pompejæ, alias res. A capite Massagium designantes in rigum, qui pergit sub Rocca; à pede rigus, & Pharpha conjuncta; ab uno latere rigus, qui pergit sub Rocca; à secundo latere Pharpha cum Castello, & omni ædificio, quod ibi possit fieri. Item pretio solidorum XL. concessit in Bobaria alias res, & unum aquæmolum in Ariana; Et alias res concessit ibidem ad quartam reddendum de frugibus, & de vino mundo medietatem. Item Romæ in regione Nona in Scorticari, & thermis Alexandri, concessit Criptam unam Sinini operis, & terram cum Criptis, & parietinis, & arcus. Item in territorio Sabinensi pretio solidorum L. concessit quarumdam rerum medietatem cum clausura juxta viam ad quartam reddendum, & de vino mundo medietatem, & duo exenia. Item in Columnellæ, & in Campo, & in fundo Cerqueto pretio solidorum XX. alias res concessit. Item in Moranula, & in Vulpiniano cum Castello ibidem concessit alias res inter hos fines. Ab uno latere tenent filii Benedicti Gaiponis, & pergentes in limitem super Formam, & in alium limitem, qui est inter Vulpinianum, & Casalem supradictorum filiorum Benedicti, & pergentes in rivum de Nazano, sicuti pergit in Rosinianum; à secundo latere limitem, qui est inter Casalem Pulianum, & Casalem Joannis de Colle; & ipso limite pergente in Petras fixas, & in viam, & inde rectè in limitem ambulantem in alium limitem, qui est inter ipsam terram, & heredum Rodonis, ex ipso limite, in viam Antiquam ducentem rectè in Casale Salarolæ; à tertio latere via, quæ ducit à Salarola rectè in Formellum, & in Casale; à quarto latere Rossinianum minorem, & viam Antiquam, quæ ducit in Casalem, & venit in Petras-fixas, & pergit in rigaginem, quæ est subtus supradictum Castellum, sicut decurrit in rigum de Nazano. Et concessit aliud vocabulum Argisianum, cujus fines sunt: ab uno latere Casales Alberici; à secundo latere rigagine pergente in rigum Musæ; à tertio latere via descendente à Colle Dimidii, & venientes in Petras-fixas; à quarto latere pergente ab ipsis Petris in rivum Muse juris hujus Monasterii. Item ubi dicitur Juranus, concessit alias res ad quartam reddendum frugum, & vini mundi medietatem, & exenia II.

Item in civitate Hortana concessit cuidam Gregorio Tribuno, qui vocatur Gocho, & Annæ jugali duas casas cum curte ante eas, & portionem eorum de fundo Fujano, & de fundo

do Plataniano, & sub Ripula, & ad Clari, & Baccerrata, & unam petiam terræ ad Caput Castelli cum portu ad naves decurrendas. Omnia hæc ipsi supradicti per chartas donationis in Sancto Theodoro, qui est intra ipsam Civitatem, confirmaverant. Item in Fisiniano, & in Terentiano concessit alias res ad quintam reddendam omnium frugum, & vini medietatem, sicut reddent nostri laboratores in campo Sancti Benedicti; insuper exenia duo, agnum in Pascha, alium in Natale. Item ad Sanctum Gordianum concessit alias res in territorio Sabinensi. A capite usque ad summum montis; à pede via Antiqua; ab uno latere limite, & Petræ-fixæ, venientes in viam, & inde in Petram malam usque in summum Montis; ab alio latere Petræ-fixæ, & limite veniente in vallem, & descendentes in viam & terram Sancti Martini. Et in Casule alias res, & in Lariniano alias res. Insuper intra Castellum Postmontem terram cum casa facta. Item in Aliniano alias res concessit. Et pretio solidorum centum in fundo Cisiniano concessit Ecclesiam Sanctæ Mariæ, cum omnibus ejus pertinentiis, & substantia Conualdi. Et in fundo Lucaniano terram manualem. Item in monte Aureo concessit terræ & vineæ modiola IV. pretio solidorum XXX. Item in Turano concessit alias res, & in Leganillo, & in Nazano, omnium illarum medietatem, pretio solidorum sexaginta.

Primus & Trigesimus hujus Congregationis exstitit Abbas *Albericus*. Hic temporibus *Domni Gregorii V. Papæ* in judicio, ante *Rupertum Missum Domni Ottonis Imperatoris*, & Judicum Palatii, per Joannem Presbyterum, & Monachum hujus Monasterii, & per Hubertum Judicem, atque Advocatum ejus, revicit, & recepit terram hujus Monasterii in territorio Sabinensi, positam in loco, qui nominatur Campus, & dicitur Cerquetus, refutante eam Leone Dominiciæ in ipso placito apud Rescanianum. Item quidam Hericzo Levita, & Mingerada filia Abbonis refutaverunt ad eumdem Abbatem Albericum terram, & vineas de territorio Sabinensi, idest Casalem de Petroro, ubi est Ecclesia Sancti Petri, duas partes, sicut conquisiverant à Campone Abbate. Hic etenim præfatus Abbas Albericus pretio quidem rerum in territorio Sabinensi juxta fossatum Castelli Tocciæ modiorum II. insuper solidorum centum, concessit infra civitatem Reatinam prope Sanctum Cassianum modium unum juxta muros ipsius Ecclesiæ, & alia duo ibidem, & alias res in Basche, & Forano; & in prato Feriniano modiola VII. In Ciciliano quoque, ubi est Ecclesia Sancti Donati, & in Popiliano cum ipsa Ecclesia, & aliis rebus, ac molendinis concessit quibusdam viris, videlicet Bucconi, & Gualafossæ filiis quondam Isæ pretio librarum viginti.

Trigesimus quoque secundus hujus venerabilis Monasterii Pastor exstitit *Domnus Hugo*. Hujus in hanc Abbatiam per Apostolicam præceptionem iniquus (99) quidem fuit ingressus; sed postmodum dignè per *Ottonem* correctus *Imperatorem*, istius Monasterii in utroque recuperator & restaurator fore studuit ipse gloriosus. Denique temporibus *Domni Gregorii V. Papæ*, unà cum suis Monachis reclamavit ad *Ropertum Missum Domni Ottonis Imperatoris* in placito residentem in Rescaniano, cum bonis hominibus, atque Judicibus, super Gratiano, & filiis ejus, qui contendebant res hujus Monasterii in Monte Aureo, & in alio loco Casalem Joannis de Colle, & de Pulianisis. Et direxit idem Comes ad eos missum suum, ut venirent, & legem facerent. Ipsi autem venire noluerunt, & cum omnibus suis fugerunt. Dantibus autem Judicibus, bonisque hominibus consilium ipse Missus Domni Imperatoris per fustem investivit eumdem Domnum Hugonem Abbatem de ipsis rebus ad hujus Monasterii opus, & bannum coram omnibus mittere fecit, & cunctis licentiam dedit, ut potestatem haberent ipsum adjuvandi Abbatem ejusque Monachos pro ipsis rebus in quocumqne ordine idem Abbas voluisset, sinè ulla calumnia, & compositione; & qui hoc noluisset, auri libram I. in hoc Monasterio compositor esset.

Otto III. Imperator Hugonem Abbatem Monasterii Farfensis, quem ipse Augustus ex eadem Abbatia ejecerat, in pristinum gradum restituit Anno 998.

Incipit Præceptum Domni Ottonis Imperatoris.

„ OTto Dei gratia Romanorum Imperator „ Augustus. Omnibus Sanctæ Dei Ecclesiæ nostrisque fidelibus præsentibus & futuris notum esse volumus, quoniam dudum „ moti justè super quodam Monacho, qui sibi „ Imperialis Abbatiæ, Monasterii videlicet „ Farfensis, absque nostro assensu regimen „ usurpaverat iniquè, & quod deterius est, „ pretio emerat à Romano Pontifice, id ei, „ quod habere videbatur, debito cum dedecore abstulimus, & dignè nostris ab obtutibus ejecimus; Monasterium verò ipsum „ cuidam *Hugoni Episcopo* in beneficium dedimus, & quemdam nostrum carissimum „ Herphonem ibidem manere præcepimus. „ Post hæc verò ejusdem Monasterii religiosæ „ Congregationi magnis precibus postulanti, „ nostræ aures clementiæ accommodavimus, „ eumque Hugonem gratiam in nostram recepimus, & in ipsius regimine confirmavimus. „ Præcipientes itaque Imperiali potentia jubemus, ut deinceps juxta Canonum regulæque Monasticam auctoritatem & ejusdem „ Monasterii per antiquorum Regum & Imperatorum adeptam præceptorum libertatem, electus quisque ab eadem Congregatione, priùs ejusdem Imperiali patrocinio „ præsentatus gratis roboretur, & tunc à „ Summo Pontifice canonicè consecretur. „ Aliter si præsumpserit, Imperiali censura „ condemnetur, & quicquid de bonis Monasterii scriptaverit, omnimodis evacuetur. „ Quod

(99) Tunc ita visus, atque appellatus ingressus Hugonis hujus, propterea quod absque Imperatoris assensu, ad quem tunc spectabat patrocinium Farfensis Coenobii, Abbatiam ab uno Romano Pontifice is acquisiverat. Et quidem, uti etiam Mabillonius ad Annum 998. in **Annal. Benedictin. adnotavit, hac de causa** ab Ottone III. Augusto Hugo dejectus fuit, quamquam postea restitutus, ut infra constabit ex ipsius Ottonis III. Diplomate heic edito. Sed quod gravius est, per Simoniam Hugo iste sibi Abbatiam conquisivit, uti infra ex ejus confessione constabit.

" Quod ut veriùs credatur, & in posterum
" diligentiùs observetur, nostri sigilli impres-
" sione inferiùs insigniri jussimus.
" Heribertus Cancellarius vice Petri Cu-
" mani Episcopi recognovi.
" Datum VIII. Kal. Martii, Anno Domini-
" cæ Incarnationis DCCCCXCVIII. Indict.
" XI. Anno autem Ottonis Tertii Regnantis
" XV. Imperii II. Actum Romæ feliciter in
" Dei nomine. Amen.

Aliud Præceptum.

" NOverit omnium fidelium nostrorum in-
" dustria, qualiter nos per interventum
" dilecti Abbatis Hugonis Monasterium San-
" ctæ Mariæ in loco, qui dicitur Pharpha in
" nostræ defensionis Mundiburdium recepimus
" cum prædiis illis, quæ Annato Guerronis
" cum Matre sua præceptum tenens morte
" præventus præfatæ reddidit Ecclesiæ, quæ-
" que sita sunt in Serrano, Civitella, & Co-
" roliano, vel ubicumque posita sunt. Si quis
" hoc Mundiburdium sinè legali judicio viola-
" verit, sive Marchio, Comes, Vicecomes,
" Episcopus, sive aliqua Imperii nostri parva
" magnaque persona, sciat se compositurum
" auri cocti libras centum, medietatem Ca-
" meræ nostræ, & medietatem Monasterio,
" cui illata fuerit injuria.

Decretum Ottonis III. Imperatoris, quo statuit, Monasterium Farfense nemini deinceps beneficii loco esse concedendum.
Circiter Annum 1001.

" IN nomine Sanctæ & individuæ Trinita-
" tis. Otto divina favente clementia Ro-
" manorum Imperator Augustus. Si Ecclesias
" Dei Sanctorumque ejus exaltaverimus, di-
" vinitus nos remunerari credimus. Quocirca
" omnibus fidelibus nostris præsentibus atque
" futuris notum esse volumus, qualiter nos
" quadam die Romam exeuntes pro restituen-
" da Republica, cum *Marchione nostro Hugo-*
" *ne* convenimus, & consilia Imperii nostri
" cum venerabili *Papa Silvestro Secundo*, &
" cum aliis nostris Optimatibus ibidem tra-
" ctavimus. Finito autem colloquio, totoque
" fideli conventu salutato, in Monasterio San-
" ctæ Dei Genitricis Mariæ, quod dicitur
" Pharpha, castrametati sumus. Cùmque ali-
" quantulum ibidem fuissemus, *ejusdem Mo-*
" *nasterii venerabilis Abbas Hugo* nostram
" adiit præsentiam, secum deferens nostrorum
" Prædecessorum, videlicet Imperatorum *Ca-*
" *roli*, *Hludovici*, Avique nostri *Ottonis* Præ-
" cepta, aureis sigillis bullata, & cum omni
" Congregatione præfati Monasterii dispersio-
" nem lamentatus est, maximèque in nostris
" temporibus, quia idipsum Monasterium *Hu-*
" *goni Episcopo* in beneficium concessimus:
" quod ignorantes fecimus. Hoc verò reco-
" gnoscentes, pro omnipotentis Dei amore, &
" pro remedio animæ Herphonis, qui cum
" supradicto Episcopo ibi fuit, & ibi modò
" mortuus est, cum hac nostra præceptali pa-
" gina prædicto Monasterio perdonavimus, ut
" ampliùs in æternum numquam detur per
" nos, neque per nostros Successores in bene-
" ficium, sed semper permaneat Reipublicæ
" destinatum, & Abbati mancipatum, & nul-
" li alteri subjectum vel præstitum. Unde
" Deum omnipotentem precamur, ut si ali-
" quis Papa, aut Imperator noster successor
" unquam memoratum Monasterium alicui
" personæ subjugaverit, nobiscum in Christi
" adventu, dum venerit judicare seculum per
" ignem, rationem inde reddat, & se deli-
" quisse pro hac causatione recognoscat. Et
" ut hæc nostræ auctoritatis præordinatio pe-
" renniter inconvulsa permaneat, hanc pagi-
" nam manu propria corroborantes sigillari
" præcipimus.
" Signum Ottonis Cæsaris invictissimi.
" Herebertus Cancellarius vice Petri Cuma-
" ni Episcopi recognovit.
" Datum V. Non. Octobris Anno Domini-
" cæ Incarnationis DCCCCXCIX. Indict. XII.
" Anno Tertii Ottonis Regnantis XVI. Impe-
" rii IV. Acta Romæ.

Item aliud.

" PRo salute autem animæ nostræ investi-
" mus eumdem Hugonem Venerabilem
" Abbatem de prædiis in Comitatu Sabinensi
" sitis, quæ ad præfatum Monasterium perti-
" nent, quæque Gratianus, & filius ejus inju-
" stè hactenus tenuerunt in Monte Aureo, &
" in Casale Joannis de Colle, & de Pulia-
" nite.

Item aliud.

" INterventu quoque ejusdem Hugonis Ve-
" nerabilis Abbatis omne feudum perdo-
" namus de omni terra, quam idem Mona-
" sterium modò detinet, aut in futurum
" acquisierit, sive de Castellis, vel Villis,
" aut Ecclesiis. Insuper Imperiali decrevimus
" potentia, ut omnia scripta, quæ idem Ab-
" bas Hugo per jussionem Episcopi Hugonis
" fecit, & cuncta, quæ Adam (100) Episco-
" pus fecit, & quæ Albericus Abbas donavit
" de terra ipsius Monasterii, sint annullata,
" & in perpetuum exinanita, atque confusa,
" & ad idem Monasterium Sanctæ Mariæ pro-
" cul dubio reversa, omni contradictione re-
" mota. Unde statuimus firmissimè, ut nullus
" Episcopus, Dux, Marchio Comes, Viceco-
" mes, sive aliquis homo, sive magnus, sive
" parvus Teutonicus, sive Latinus Nuntius
" de eodem Monasterio fodrum tollat, aut
" placitum super terram jam dicti Monasterii
" faciat, aut libellarios, aut pensionarios ad
" placitum constringere præsumat, nisi ejus-
" dem Monasterii Abbas, aut cui ipse com-
" mendaverit.

Item aliud.

" COnfirmamus autem jam dicto Mona-
" sterio, quicquid in superioribus con-
" tinetur præceptis, prout justè & legaliter
" possumus. Videlicet quicquid habere vide-
" tur in territorio Sabinensi, idest Ecclesiam
" Sancti Benedicti, Curtem Sancti Gethulii,
" & Ecclesiam Sancti Angeli in Monte Tan-
" ciæ. In Civitate Hortana Ecclesiam Sancti
" Theodori. In Civitate Viterbiensi Eccle-
" siam Sanctæ Mariæ; Cellam Sanctæ Mariæ
juxta

(100) Scilicet Asculanus, qui circiter An. 986. Monasterium Farfense titulo Abbatis rexisse videtur.

„ juxta fluvium Minionem cum gualdo suo ; „ juxta Civitatem Spoletanam Ecclesiam San- „ cti Marci ; & infra ipsius Comitatum Eccle- „ siam Sancti Salvatoris ; Ecclesiam Sanctæ „ Mariæ in Mediano . In Comitatu Auxima- „ no, Curtem de Monte Polisco .. In Comi- „ tatu Senensi, Curtem Leoninam . In terri- „ torio Camerino , Ecclesiam Sancti Angeli . „ In Lanciano Curtem de Salabona ; atque „ Curtem Sancti Gregorii in Trevenano . In „ territorio Firmano Monasterium Sancti Syl- „ vestri , & Sanctæ Mariæ , & Curtem Sancti „ Salvatoris sub muro Civitatis Firmanæ ; „ Curtem Sancti Gervasii ; Curtem Sancti „ Sigismundi , & terram de Paratinis . Cur- „ tem Sancti Angeli de Villa-magna ; Cur- „ tem Sancti Desiderii ; Curtem de Cupresse- „ to ; Curtem Sancti Angeli in Nibiano ; „ Curtem Sancti Venantii ; Curtem de Co- „ lumnelle ; Curtem Sanctæ Felicitatis ; ter- „ ras de Raviliano , & de Solario ; Curtem „ Sanctæ Mariæ in Nociano ; Curtem de Ca- „ minatis in loco qui dicitur Murrus ; Cur- „ tem de Bresano in Legiano juxta Castellum „ filiorum Guazonis ; Curtem Sanctæ Mariæ „ Matris Domini ; Curtem Maroti ; Curtem „ de Valle ; Curtem Sanctæ Marinæ ; Curtem „ de Blotenano ; Curtem Sancti Antimi ; Cur- „ tem Montis Falconis ; Curtem Sanctæ Ma- „ riæ inter amnes ; Curtem Sancti Sylvestri „ intra Civitatem Firmanam ; Curtem Sancti „ Sabini ; Curtem in Prætorio ; Monasterium „ S. Mariæ in Insula , cum Curte S. Martini „ in Aquatinis , Curtem aliam Sancti Martini „ in Monte super Asulam ; Curtem de Rotis , „ terram de Maceriatinis ; Curtem de Moliano , „ in qua est Ecclesia Sanctæ Victoriæ ; Cur- „ tem Sancti Benedicti , & Sanctam Mariam „ in Muris ; Curtem Sancti Angeli inter duas „ terras ; Curtem aliam Sancti Angeli in Mar- „ giano . In Comitatu Asculano Curtem Sanctæ „ Mariæ in Solestano ; Curtem Sancti Angeli „ in Valle Veneria ; Curtem Sancti Salvatoris „ in Ophida juxta ipsum Castellum ; Curtem „ de Mozano . In Comitatu Aprutiensi Curtem „ de Moliano ; Curtem Sardinariæ , Curtem „ Sancti Petri in Pedoniano . In Comitatu „ Pinnensi Curtem in Monte Pedito , cum „ Castello ibidem . Curtem aliam prope s... ; „ Curtem Sanctæ Mariæ in Catelini ; Curtem „ Sanctæ Luciæ in Ciciliano . In Comitatu „ Teatino Ecclesiam Sancti Stephani in Lu- „ cana cum XLVII. Curtibus . In territorio „ Balbensi . Curtem Sanctæ Mariæ in Giano , „ & Sancti Angeli . In territorio Furconense „ Curtes III. & Sanctæ Mariæ in Furcone . „ In territorio Marsicano Curtem Sancti Leu- „ cii in Transaquas , & Sanctæ Mariæ in Api- „ gnianicis . In territorio Amiterno Sanctam „ Mariam in Toriano ; Curtem de Columerto „ cum Ecclesia Sanctæ Mariæ & Sancti Bene- „ dicti . In territorio Interocrino Ecclesiam „ Sanctæ Mariæ in Casalicis , & Sancti Salva- „ toris in Vallantis . In territorio Reatino Ec- „ clesiam Sancti Angeli , in Tore ; Curtem „ Sanctæ Mariæ in Correto . In Harnate Cur- „ tem I. & Ecclesiam Sanctæ Mariæ , & Sancti „ Benedicti infra Urbem Romam in Scorti- „ clano cum Criptis . Omnia hæc in integrum „ cum pertinentiis & substantiis suis , & quæ „ ad prædictum Monasterium pertinere viden- „ tur justè & legaliter [illegible] „ Deum timentibus acquisiverit , aut ab his „ qui modò de rebus Ecclesiæ injustè tenent , „ & quæ in Civitate Romana , aut in aliqua „ Regni nostri Italici parte habere videtur , „ aut acquisierit , per hoc nostrum præceptum „ eidem Sancto loco confirmamus unà cum „ terris , vineis , Monasteriis , & subjectis Ec- „ clesiis , Castellis , Curtibus , domibus , vil- „ lis , Capellis , aquis , aquarum decursibus , „ piscationibus , molendinis , mercatis , cultis , „ & incultis , colonis , Aldiis , Aldiabus , ma- „ nentibus , omnibusque residentibus super „ terras ipsius Monasterii , servis , ancillis , om- „ nique familia utriusque sexus , cunctisque „ animalibus . Atque pro Dei amore , nostræ- „ que animæ salute , eidem Monasterio mini- „ strantibus per hoc nostrum præceptum con- „ donamus , ut nullus eorum , aut suorum „ hominum deinceps freda , aut tributum do- „ net vel mansiones faciat invitè , aut fidejus- „ sor sinè ullo velle existat , aut in aliquo do- „ net portonaticum , aut herbaticum , aut ri- „ paticum , aut glandaticum , vel pontonati- „ cum , tam de Monachis , quàm de Clericis , „ quàmque de hominibus super terras eorum „ residentibus , tam ingenuis , quàm libellariis , „ & servis . Ac eos sub nostram tuitionem re- „ cipimus , & præcipientes jubemus , ut nullus „ Dux Marchio , Episcopus , Comes , Viceco- „ mes , vel aliquis noster Missus discurrens , „ Sculdascius , Castaldius , nullaque nostri Im- „ perii , magna parvaque persona , prædicti „ Monasterii Abbatem , vel Monachos , aut „ eorum aliquem fidelem , inquietare , mole- „ stare , aut de his quæ suprascripta sunt sinè „ legali judicio disvestire præsumat , aut ali- „ quam minorationem facere tentet . Et quic- „ quid de prædicti Monasterii possessionibus „ Fiscus noster sperare potuerit , totum nos „ pro æternæ remunerationis præmio prædicto „ Monasterio concedimus , ut in alimoniam „ pauperum , & stipendia Monachorum ibi- „ dem Deo famulantium , nostris futurisque „ temporibus semper proficiat in augmentis . „ Insuper concedimus , ut nullus homo audeat „ respondere mallaturam Advocato ejus . Et si „ aliquo tempore aliqua contentio contra ip- „ sum Monasterium exorta fuerit , non per vi- „ liores , sed per nobiliores & veraciores ho- „ mines diffiniatur ex utraque parte . Hujus „ autem præcepti violator componat auri pu- „ rissimi libras mille medietatem Cameræ no- „ stræ , & medietatem prædicto Monasterio , „ ipsumque regentibus .

Ottonis III. Imperatoris Decretum de rescindendis injustis rerum Ecclesiasticarum alienationibus emissum Ticini in Synodo . Anno 998.

Incipit Constitutio (1) Decretalis Sacræ legis Domni Ottonis piissimi Imperatoris .

„ OTto Dei gratia Romanorum Impera- „ tor Augustus Consulibus Senatus Po- „ pulique Romani , Archiepiscopis , Abbati- „ bus , Marchionibus , Comitibus , & cunctis „ Judicibus intra Italiam constitutis in perpe- „ tuum . Comperimus , quòd Episcopi , & „ Ab-

(1) Jam edita ab Holstenio in Collect. Romana , a Labbeo Tom. IX. Concil. atque etiam Tomo II. Rer. Italic. sed sinè Data .

„ Abbates Ecclesiarum possessionibus abutantur, & per scripta quibuscumque personis attribuant, & hoc non ad utilitatem Ecclesiarum, sed pecuniæ, affinitatis, & amicitiæ causa. Dumque eorum Successores, & pro domorum Dei restauratione, ac pro Reipublicæ officio, nostroque obsequio commonentur, suarum Ecclesiarum prædia ab aliis detineri causantur, seque imperata non posse perficere re vera demonstrant. Proinde quia status Ecclesiarum Dei annullatur, nostraque Imperialis Majestas non minus patitur detrimentum, dum subditi nobis non possunt exhibere obsequia: constituimus, & Imperiali edicto confirmamus, ut omnia scripta, sive si libelli nomine, sive si Emphitheusis prolatum fuerit, quòd de Ecclesiis Dei, sive aliquo modo effici non possit, obeunte Actore obeat, solusque detrimentum habeat, qui se ei scripto obligavit atque vinxit, nec omnino ad eum supraScripta damna pertineant, qui ei in regimine successit; sed sit ei libera facultas omnia, quæ per libellos, vel alia quælibet scripta abalienata fuerint, in proprium jus Ecclesiæ revocare, & ita ordinare, ut Deo, & nobis debitum obsequium valeat exhibere. Nam cum Regibus, & Imperatoribus ea, quæ Regni, & Imperii sunt, nisi servientibus dare non liceat, exceptis Ecclesiis, quomodo Abbatibus, & Episcopis res Ecclesiarum per tempora suorum Successorum distribuere liceat. Omne quippe jus sive lex, sive quodlibet scriptum, vel quælibet consuetudo, si contra Ecclesiæ utilitatem fuerint, in irritum deducenda sunt, nec nostra auctoritate debent firmari. quæ contra Imperii Auctorem & propagatorem probabuntur inferri. Hoc ergo solum scriptum pro lege in talibus causis habeatur, quod Ecclesiæ Dei prosit, & nullo modo obesse possit. Quòd si aliquis contra hanc Constitutionem nostram ire tentaverit, tamquam rebellis judicetur, & sit ei anathema Maranatha, nisi resipiscat, ab universis Episcopis, qui huic Imperii nostri edicto subscripserunt, vel assensum præbuerunt sive Præsbyteri sunt. Amen.

„ Actum (2) . . . . XII. Kalendas Octobris, Indictione XII. An. III. Domni Gregorii V. Papæ Pontificatus, promulgata per manus Gerberti Sanctæ Ravennatis Ecclesiæ Archiepiscopi in ea Synodo, in qua Mediolanensi Episcopo Arnulfo (3) nomine Papatum ablatum est, in Basilica Beati Petri, quæ vocatur ad Cœlum-aureum, & subscripserunt omnes, qui adfuerunt Episcopi.

Contentio igitur, quæ fuit facta de Cella Sanctæ Mariæ in Minione inter hoc nostrum Monasterium, & *Monasterium Sanctorum Cosmæ & Damiani, quod ponitur in Mica* (4) *Aurea*, ita exorta est, ut inferiùs referemus. Quam huic Operi inseruimus & authenticis schedantes, ob id maximè ut his auditis, deinceps caveatur à Rectoribus Cœnobii hujus, ne similis proveniat eventus. Obsecramus autem omnes seniores, qui audituri estis, ut pro Dei amore, Sanctæque Mariæ servitio diligenter auscultetis, atque discretè discernatis, si umquam plus injustam absurdamque litem audistis, quam Seniores prædicti Monasterii Sanctorum Cosmæ & Damiani de hoc fecerunt. In veritate, quæ Christus est, vobis dicimus, quia per centum, & eo ampliùs annorum curricula fuit prædicta Cella de Minione, sub jure & dominio hujus Monasterii Sanctæ Mariæ, antequam præfatum Monasterium Sanctorum Cosmæ, & Damiani fuisset inceptum, quemadmodum in sequentibus audietis. *Carolus* denique piæ memoriæ pius *Imperator* prædictam Cellam per suum præceptum huic Monasterio in primis contulit. Denique *Ludovicus filius ejus*, & omnes sui Successores ei confirmaverunt; & hoc Monasterium semper illam tenuit, usque dum Saraceni venerunt, qui cuncta Monasteria extra Romam devastarunt funditus, itaut & hoc Monasterium XLVII. annis absque habitatore esset. Et post hanc devastationem hujus Monasterii restaurator præcipuus exstitit venerabilis *Abbas Ratfredus*. Post cujus mortem *Campo Abbas* tenuit hujus regimen Monasterii, qui ordinavit in prædicta Cella unum Præpositum ad ipsum locum restaurandum, nomine Venerandum, quem acquisivit ab Abbate Monasterii Sancti Justi de Tuscana, & fecit ei de prædicta Cella destructa libellum in tribus personis Monachorum, succedentibus uno duobus, sicut consuetudo secularium Monachorum tunc erat. Unde & apparum ipse Abbas retinuit apud se, quo ingressus incolumen locum restituit. *Valentinus* quoque *Centumcellensis Episcopus* ipsam Ecclesiam consecravit. Venerandus verò jam dictus Præpositus, quamdiu ibi habitavit, ita obediebat Camponi Abbati, suisque Successoribus, sicut & alii Præpositi facere consueverant. Hoc namque tempore cœpit *Benedictus, qui dicebatur Campaninus*, ædificare prælibatum Monasterium Sanctorum Cosmæ & Damiani in sua proprietate, sicut penè omnes Romani sciunt, & adhuc supersunt plures, qui recordantur. Quo completo, cœpit jam dictus Benedictus quærere utilem Monachum, quem ibi Abbatem præponeret. Cui cùm à quibusdam de ipso Venerando indicatum fuisset, cum consensu istius Monasterii Abbatis, cujus erat Præpositus, ordinavit eum Abbatem, qui quamdiu advixit, Cellam Minionis sæpedictam tenuit ad jus & fidelitatem hujus Monasterii, & pensionem, quæ in libello superiùs nominatur, quem secum portare solebat, annualiter reddebat, & alius servitium Abbatibus hujus Monasterii libenter exhibebat. Quo mortuo successor suus *Abbas Sylvester* nomine, cui libellum prædictum dimisit, cœpit subtrahere illam pensionem, quam dare debebat. Qua de causa magna controversia orta est inter illum, & *Joannem Abbatem* hujus Monasterii ante præsentiam *Domni Ottonis Imperatoris Primi* in Synodo generali, quæ tunc facta est in Basilica Sancti Petri Majoris. In qua cunctis videntibus, reinvestivit idem Imperator Joannem Abbatem de prædicta Cella, & dedit illi suum Nuntium usque illuc, qui & ibi eum investisset. Sed Lamber-

(2) Desideratur locus. Sed Templum *Beati Petri ad Coelum Aureum* satis indicat, scribendum heic *Ticini*, ubi Comitia Regni sunt habita.

(3) Haec attente consideranda. Nullum Historicum novimus, qui tradat, Arnulphum II. Mediolanensem Archiepiscopum Cathedram S. Petri invasisse. Id quidem eo tempore fecerat Johannes Episcopus Placentinus. Sed Italica ejus aevi Historia a nimiis tenebris premitur.

(4) Celebre olim Monasterium Romæ.

bertus cœcus restitit illi, qui favebat parti alterius Abbatis. Imperator verò ipse ivit ad alias partes; & tunc ratio ipsa dilata est usque ad tempus *Ottonis II. Imperatoris*. Qui videlicet Imperator, ira motus contra Joannem præfatum Abbatem, tulit ei Abbatiam, & alteri dedit. Qua de causa egressus Joannes Abbas de hoc Monasterio, abiit ad *Azonem Abbatem de Aventino*, suum germanum, portans secum quædam Præcepta, & aliquantas Chartas hujus Monasterii, inter quas erat Præceptum de Cella Minionis, & apparum jam dicti libelli. Quæ duo furatus est Ursus malivolus Presbyter, qui dicebatur de Malopiscia, qui & Camerarius erat ejusdem Joannis Abbatis; atque vendidit ea prædicto Sylvestro Abbati Sanctorum Cosmæ & Damiani, & tulit inde XXX. libras denariorum. Ad quorum exemplar fecit sibi facere idem Abbas unum falsum Præceptum, quod dicebat factum fuisse à *Rege Hugone*. Ab hoc tempore cœperunt ipsi Abbates jam securius ipsam tenere Cellam usque ad tempus *Ottonis III. Imperatoris*, atque *Hugonis* hujus Monasterii *Abbatis*. Quam contentionem idem Imperator legaliter cum consilio *Sylvestri venerabilis Papæ* atque consensu, nec non & *Hugonis* (5) *inclyti Marchionis*, cunctorumque Judicum Romanorum judicio, finivit, ut inferiùs veraci stylo demonstrabimus. Ex quo jam tempore præfatus Hugo Abbas, ejusque Successores tenuerunt ipsam Cellam quietè, sicut sub ipso Imperatore, & *Hugone Marchione*, per XXXI. annorum penè curricula. Quibus mortuis, invasit eam *Cadulus Comes*, sed citò emendavit. Deinde sub *Domno Heinrico Imperatore*, qui reconfirmavit eam huic Monasterio per suum Præceptum, ac sub *Rainerio*(6) *Marchione*; Sed neque Romani Pontifices, quibus pertinet ipsum Monasterium Sanctorum Cosmæ & Damiani, & ibi juxta habent Civitatem Centumcellensem, aliquam umquam molestiam Abbatibus hujus Monasterii Sanctæ Mariæ de ipsa Cella fecerunt. Hanc autem Cellam Minionis Monasterio Sanctæ Mariæ confirmavit Otto III. Imperator.

Otto III. Imperator Hugoni Abbati Monasterii Farfensis Cellam S. Mariæ in Minione, de qua controversiæ multæ fuerant, auctoritate Imperiali restituit. Anno 999.

„ OTto superna clementia favente Romanorum Imperator Augustus. Si Ecclesias &c. qualiter *Hugo Monasterii, quod dicitur in Pharpha, venerandæ Genetricis Dei ac Virginis Mariæ, venerabilis Abbas*, nostram adiens clementiam, legem veram quæsivit de Cella Sanctæ Mariæ in Minione, quam *Carolus*, *Ludovicus*, & ceteri nostri Antecessores Coimperatores per eorum præcepta eidem Monasterio tradiderunt & confirmarunt, quæ sita est in Territorio Tuscano. Cùmque ipsum præfatum Monasterium ejusque Abbates per innumerabiles annos eamdem Cellam tenuissent, quidam Abbas præfuit disperso Monasterio, qui memoratam Cellam cuidam Abbati Sanctorum Cosmæ & Damiani in Urbe Roma per scriptum trium personarum tradidit & concessit. Quo verò scripto legaliter expleto cœperunt Abbates prælibatam Cellam subtrahere Monasterio Sanctæ Mariæ: unde inter utrosque Abbates orta est contentio. Ambobus autem missis Abbatibus ad *Gregorium Papam*, ex utraque parte ostensa sunt præcepta, & apparuerunt quæ Abbatis Monasterii Sanctæ Mariæ in Farsa fuerunt, antiquiora, & *Gregorius Abbas* unam falsissimam refutationis chartam ostendit: quod & *Abbas Hugo* per pugnam discernere voluit. Gregorius autem Papa extra legem cum virtute sua fecit Hugonem Abbatem eamdem Cellam refutare. Iterum autem supradictus Hugo Abbas adiit nostram clementiam, & omnia, quæ acta fuerunt, in nostra enarravit præsentia; nos verò cognoscentes, injustè ea definita sic esse, iterum inde legem fieri præcepimus. Abbas quoque Gregorius nostris nuntiis ad placitum (7) provocatus priùs per Johannem Ravennatis Ecclesiæ Diaconum, postea per

(5) Nempe celeberrimi Marchionis Tusciæ, qui Anno 1001. e vita excessit.

(6) Qui pariter Marchio Tusciæ fuit post Hugonem.

(7) Praecedens hoc Placitum quandoquidem nobis dedit Mabillonius ex Farfensi Chartario eductum, ad uberiorem contentionis hujus lucem iterum exhibere heic statui. Ita vero se habet.

Placitum Romæ habitum coram Ottone III. Imperatore, in quo contra Gregorium Abbatem Monasterii Romani Sanctorum Cosmæ & Damiani Cella Minionis adjudicatur Hugoni Farfensi Abbati Anno 999.

„ IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, Anno, Deo propitio, Pontificatus Domini nostri Silvestri Summi Pontificis & universalis Secundi Papæ in Sacratissima Sede Beati Petri Apostoli primo, & Imperii Domni nostri Tertii Ottonis, à Deo coronati magni & pacifici Imperatoris Anno IIII. Indictione XIII. mense Decembris die secunda. Quia sanctos Imperatores Deum semper præ oculis habere sancitum est, quicquid in publicum gesta Imperialia transtulerunt, nulla ratione divelli potest: quicquid Imperiali decreto & Judicum firmis sententiis corroboratum est, quicumque destruere nititur, reus Majestatis esse convincitur. Et idcirco hanc brevem memoratoriam de Præcepto supra dicti Imperatoris, & consensu Domni Apostolici, sive Judicum fecimus *Abbati Hugoni ex Monasterio Sanctæ Mariæ, quod dicitur in Farfa*, de Cella Sanctæ Mariæ in Minione, cum omnibus suis pertinentiis: quia ex jure Regali ipsius Monasterii esse convincitur, in æternum possideat. *Karolus* quidem *sanctæ memoriæ Imperator Augustus*, in primis ipsam Cellam de Imperiali ditione eidem venerabili Monasterio donaverat, suique Successores corroboraverant. Postea verò Abbas ipsius Monasterii per emphyteusem chartulam delegavit cuidam Abbati de Monasterio Sanctorum Cosmæ & Damiani, quod est situm Romæ trans Tiberim in Mica-aurea, in tribus Abbatibus, diebus vitæ illorum tantùm, uno post alium succedente. Qua verò expleta chartula cœperunt Abbates Sanctorum Cosmæ & Damiani à jure & proprietate Monasterii Sanctæ Mariæ subtrahere, & ad illorum Monasterium destinare. Qua de causa inter utrosque Abbates grande litigium & seditio orta est. Ad ultimum verò supradictus Hugo Abbas Monasterii Sanctæ Mariæ reclamavit Domno Imperatori supradicto, ut exinde legem faceret. Deinde præcepit Domnus Imperator prædicto Hugoni Abbati ire cum suis nuntiis ad Lateranense Palatium ante præsentiam *Domni Gregorii Papæ*, qui in illo tempore erat, ut lex fieret; advocatusque est *Gregorius Abbas Monasterii Sanctorum Cosmæ & Damiani* ad placitum. Tunc ostensa sunt ibi Præcepta ex utraque parte, atque rele-

,, per *Johannem Præfectum* iterum iterumque
,, vocatus usque duodecim vices; sed ipse no-
,, stris nuntiis toties supradictis, injusta cogno-
,, scens facta, fuga lapsus est. Postea autem
,, per Judicum sententiam, & per nostrorum
,, fidelium quamplurium consilium, Abbatem
,, prædictum Hugonem de ipsa Cella Sanctæ
,, Mariæ in Minione investivimus in perpe-
,, tuum, & per hanc Imperialem præceptalem
,, nostram paginam confirmamus ipsam Cellam
,, cum

,, cta: & apparuerunt, quæ erant Monasterii
,, Sanctæ Mariæ, anteriora atque veraciora.
,, Postea verò Gregorius Abbas suprascripti Mo-
,, nasterii Sanctorum Cosmæ & Damiani osten-
,, dit unam falsissimam brevem refutatoriam,
,, ubi continebatur, quòd *Johannes Abbas*, an-
,, tecessor Hugonis Abbatis Monasterii Sanctæ
,, Mariæ, refutasset eamdem Cellam tempori-
,, bus beatæ memoriæ *Domni Ottonis Primi Im-*
,, *peratoris*: quod omnino falsum est. Tunc
,, Hugo Abbas præ manibus tenebat Capitu-
,, lum, quod idem Otto Imperator fecerat de
,, chartulis falsis, ubi continebatur: *Si quis ali-*
,, *quam chartulam falsam appellaverit, & per*
,, *pugnam eam approbare voluerit, ut ita di-*
,, *scernatur*. Quod & Hugo Abbas unà cum
,, suo Advocato voluit facere secundùm suam
,, Langobardorum Legem. Sed hi, qui ex par-
,, te Gregorii Abbatis erant, neque pugnam
,, voluerunt recipere, neque ipsam brevem ad
,, manum collationis perducere, sicut Lex præ-
,, cipit Romana. Tunc supradictus Domnus
,, Gregorius Papa propter pecuniam, quam ac-
,, ceperat à Gregorio Abbate, iratus est contra
,, Hugonem Abbatem, & surrexit, & compre-
,, hendit eum, & posuit ei suam virgam in
,, manu, ut refutaret ipsam Cellam, unde
,, Hugo Abbas cœpit fortiter reproclamare &
,, & dicere: *O Domne Papa, quare mihi hanc*
,, *violentiam?* Tunc ipse iterum atque iterum
,, refutare tantùm cogebat. Quod & fecit
,, Hugo Abbas, potestate devictus. Insuper
,, tres chartulas ei tulit, & Abbati Gregorio
,, dedit incidendas. Statim Hugo Abbas rever-
,, sus ad Imperatorem cœpit iterum proclama-
,, re, & narravit omnia, qualiter ei accidit.
,, Tunc Domnus Imperator promisit, se ite-
,, rum exinde legem facturum, sed casu acci-
,, dente dilatum est.
,, Eodem præsenti Anno *Christianissimus Im-*
,, *perator Otto* cum *Domno Papa Silvestro*, &
,, cum *Hugone Marchione* ad idem Monasterium
,, Sanctæ Mariæ in Farfa pervenit. Tunc præ-
,, dictus Hugo Abbas venit in præsentiam Im-
,, peratoris & Papæ cum Præceptis supradicto-
,, rum *Regum Karoli & Ludovici*, ceterorum-
,, que ordine Regum. Imperator verò supra
,, dictus, nec non & Domnus Papa justitia &
,, legali judicio commoti, jusserunt eidem Ab-
,, bati venire Romam, ut quid inde facturi
,, essent, Judicum sententia diffiniret: quod ita
,, factum est. Abbas autem ille Gregorius Im-
,, perialibus Nuntiis ad placitum provocatus
,, primus per Johannem Diaconum Ravenna-
,, tis Ecclesiæ duabus vicibus; sed ille sciens
,, nil se justum habere, fuga lapsus est. Tunc
,, Imperator per consilium Judicum investivit
,, Hugonem Abbatem de præfata Cella, salva
,, querela, & dedit eum in manus *Hugonis*
,, *Marchionis*, ut simul cum ipso pergeret ad
,, ipsam Cellam, &, si ibi Gregorium Abba-
,, tem invenirent, simul reverterentur ad pla-
,, citum. Euntes autem invenerunt ibi Grego-
,, rium Abbatem, cui Domnus Hugo Marchio
,, ex parte Imperatoris præcepit, si suam gra-
,, tiam vellet habere, iret Romam ad placi-
,, tum: quod se promisit libenter facturum.
,, Tunc prædictus Hugo Abbas ad statutum ter-
,, minum venit ad placitum: sed ille iterum
,, venire renuit. De qua causa Domnus Impe-
,, rator cogitare cœpit, & iterum atque ite-
,, rum per suos Nuntios, usque duodecim vi-
,, ces, vocavit ad placitum. Ille autem tot
,, vicibus vocatus numquam venit, sed in fu-
,, gam conversus est. Quadam verò die dum
,, resideret Domnus Otto Imperator in Palatio,
,, venit supradictus Hugo Abbas ante suam
,, præsentiam, prostratusque ad pedes ejus cœ-
,, pit fortiter proclamare. Et residentibus ibi
,, cum Domno *Leone Archiepiscopo Sanctæ Ra-*
,, *vennatis Ecclesiæ, & Gaudentio* (a) *Archie-*
,, *piscopo Sancti Adalberti, & Benedicto Episco-*
,, *po Sanctæ Portuensis Ecclesiæ*, Læto, & Jo-
,, hanne Præfecto Dativis Judicibus; Paulo eo-
,, dem Dativo Judice; Gerardo gratia Dei in-
,, clyto Comite, atque Imperialis Militiæ Ma-
,, gistro; Gregorio excellentissimo viro, qui de
,, Tusculana, atque Præfecto navali; Gregorio
,, viro clarissimo, qui Nuccinus, atque Vesta-
,, rario Sacri Palatii; Alberico filio Gregorii,
,, atque Palatii Imperialis Magistro; Farolfo à
,, Sancto Eustachio, Teufredo, & Benedicto
,, Castaldiis Hugonis Marchionis, ceterisque
,, aliis residentibus vel astantibus, quorum sin-
,, gula nomina enarrare longum est. Tunc ait
,, Domnus Otto Imperator illis omnibus: *Date*
,, *mihi consilium de hoc quid faciendum sit.*
,, Respondentes Judices dixerunt: *Secundùm*
,, *Legem modò investituram perpetualem dare*
,, *debetis huic Abbati, & omnia illa instrumen-*
,, *ta chartarum, quæ ille Gregorius Abbas ha-*
,, *bet de suprascripta Cella, evacuare atque exi-*
,, *nanire: quia Justinianus Imperator præcepit*:
,, CONTUMACEM TERTIA VICE VOCA-
,, MUS: DATUM JUDICATUM FIRMUM
,, EST. *Item & in alio loco idem Imperator*
,, *dicit*: LITIGATOR SI SE SUBTRAXE-
,, RIT, ET TERTIO ACCLAMATUS NON
,, APPARUERIT, INTER ABSENTES JU-
,, DICIUM DATUM FIRMUM EST. His
,, verò duabus sententiis expletis atque affirma-
,, tis, placuit Domno Ottoni Serenissimo Im-
,, peratori Augusto, & illis omnibus, verum-
,, que expertum & approbatum à judicio Ju-
,, dicum, & consilio illorum omnium, quòd
,, Monasterium Sanctæ Mariæ in Farfa ipsam
,, Cellam Sanctæ Mariæ de Minione cum om-
,, nibus suis pertinentiis possidere deberet in
,, perpetuum, & Monasterio Sanctorum Cosmæ
,, & Damiani nihil pertineret. Et continuò
,, reinvestivit Hugonem Abbatem suosque suc-
,, cessores de suprascripta Cella cum suis om-
,, nibus pertinentiis in perpetuum. Insuper &
,, Imperiale bannum superimposuit, ut si um-
,, quam in tempore prædictus Gregorius Abbas,
,, suique successores de supra scripta Cella ali-
,, quam querimoniam renovare aut replicare
,, adversùs Monasterium Sanctæ Mariæ præsum-
,, serit, aut ipsa instrumenta, superiùs dam-
,, nata, in placito ostendere voluerit, centum
,, quinquaginta Libras auri cocti componat;
,, sive Potestas, quæ cogere voluerit, aut Ju-
,, dex, qui judicare, vel ipsas chartulas dam-
,, naticias laudare maluerit, non solùm ipsi,
,, sed omnis persona magna vel parva, quæ
,, hoc facere præsumserit, similiter multetur,
,, medietatem Cameræ Imperatoris, & medie-
,, tatem præfato Monasterio Sanctæ Mariæ in
,, Farfa. Sic namque finitum est. Unde pro
,, futura memoria, futuroque testimonio &
,, cautela hanc brevem memoratoriam prædi-
,, ctus Domnus Imperator cum consensu Domni
,, nostri Apostolici, sive Judicum, mihi Petro
,, Scriniario Sanctæ Romanæ Ecclesiæ scribere
,, præcepit, in mense Decembris, Indictione
,, suprascripta XIII.
,, Otto Romanorum Dei gratia Imperator.
,, Leo Sanctæ Ravennatis Ecclesiæ Archiepi-
,, scopus interfui & subscripsi.
,, Arnolfus .... Ecclesiæ interfui &
,, subscripsi.
,, Gaudentius Archiepiscopus Sancti Adalberti
,, Martyris interfui & subscripsi.
,, Johannes Præfectus.
,, Leo Dei gratia Arcarius Sanctæ Apostolicæ
,, Sedis.
,, Adrianus datus (b) Judex.
,, Paulus Dei gratia datus Judex.
,, Hugo Marchio.
,, Lætus Dei gratia datus Judex.
,, Gerardus Consul & Dux.
,, Ego Petrus Scriniarius Sanctæ Romanæ
,, Ecclesiæ, qui & scriptor hujus chartulæ, post
,, testium subscriptiones suprascriptas complevi
,, & absolvi.

(a) Idest Archiepiscopo Gnesnesi.
(b) Fortasse *Dativus*, ut in aliis monumentis.

„ cum omnibus pertinentiis suis Monasterio „ suo, & ejus Abbati Hugoni, qui dicitur „ Sanctæ Mariæ in Farfa, omniaque scripta „ de eadem Cella facta Monasterio Sanctorum „ Martyrum Cosmæ & Damiani sint annulla- „ ta, & in perpetuum exinanita; ac Monaste- „ rium ipsum teneat cum omnibus Privilegiis, „ quæ ab antiquis temporibus illi pertinere „ visa sunt, & quæ noviter per chartulas ho- „ mines illic contulerunt, aut per libellaria in „ toto territorio Tuschano, aut Centumcel- „ lensi. Si quis verò Dux, Marchio, Comes „ &c.

„ Heribertus Cancellarius vice Petri Cumani „ Episcopi recognovit.

„ Datum III. Nonas Decembris, Anno In- „ carnationis Dominicæ DCCCCXC.X. Indi- „ ctione XIII. Anno Domni Othonis Regnan- „ tis XXI. Imperii IV. Actum Romæ feliciter. „ Amen.

Anno verò Pontificatus Domni Gregorii Quinti Papæ secundo, Imperii autem Domni Ottonis Imperatoris similiter secundo. Presbyteri Ecclesiæ Sancti Eustachii sitæ in Platana reclamaverunt ad *Domnum Gregorium Papam*, & *Imperatorem Ottonem*, residentes in Basilica Beati Petri Apostoli, super *Hugone Abbate* hujus Monasterii, dicentes, quòd contenderet eis duas Ecclesias Sanctæ Mariæ, & Sancti Benedicti ædificatas in Thermis Alexandrinis cum casis, cryptis, hortis, terris cultis, & incultis, areis, columnis, & Oratorio Salvatoris infra se, vel omnibus earum pertinentiis, sitas Romæ in Regione Nona. Casu autem accidente adfuit ibi Hugo prædictus Abbas, qui jussus ad ipsum placitum vênit, & inquisitus respondit: *Rogo vos, date mihi inducias, quia neque Judices habeo, neque Advocatum*. Tunc voluerunt ei dare Advocatum Romanum. Et Abbas: *Res Monasterii nostri sub Longobarda Lege vigent; propterea nolo Romanum Advocatum*. Et illi: *Velis, nolis, Legem Romanam facere habebis*. Et hoc se Abbas nullatenus facturum respondit, nisi audisset ex ore Domni Imperatoris. Tunc per cucullam apprehensus ibidem sedit coactus. Jussu autem Domni Imperatoris inducias accepit à tertia Feria usque ad sextam Feriam. Abiens autem Abbas die, quo citatus est, cum Advocato & Judicibus reversus est. Interrogatus autem, per quam Legem se defendere vellet, respondit Hubertus Dativus Judex, & hujus Monasterii Advocatus: *Secundùm Legem Langobardorum nos defendimus, quia per centum & eo ampliùs annos res nostri Monasterii sic defensata est*. Quod cùm Imperatori fuisset relatum, dixit: *Si ipsum Monasterium per Legem Langobardorum fuit defensatum, à sua Lege nullatenus illud subtraho*. Tunc prædictus Abbas ostendit confirmationem factam à *Lothario Imperatore*, ubi continebatur, quomodo definitum est ante præsentiam prædicti Imperatoris, & Domni Paschalis Papæ, quòd hoc Monasterium vivere debeat sub Lege Langobardorum, & sub tali privilegio, sicut alia *Monasteria Regni Francorum*, idest *Luxoviensium*, *Lirinensium*, & *Agaunensium*; & Pontificem Romanum nullum dominium in jure ipsius Monasterii habere, excepta consecratione. Quam confirmationem Advocati Presbyterorum voluerunt reprobare. Ad hæc Advocatus hujus Monasterii, jubente Domno Leone, qui erat Archidiaconus, & ex parte Domni Imperatoris voluit sacramentum præbere cum suis sacramentalibus, quòd scripta falsa non erant, & quòd hoc Monasterium per ipsam confirmationem per centum & ampliùs annos se defensavit per Legem Langobardorum; insuper per pugnam, & per testimonia probare voluit. Sed Presbyteri recipere noluerunt, dicentes, quòd non oporteret eis. Ad hæc Domnus Leo: *Modò scio pro certo, idem Monasterium semper fuit sub tuitione Regum, & per Legem Langobardorum est defensatum: nunc quærite Abbatem, & respondeat vobis secundùm suam Legem*. Tunc Advocatus Presbyterorum quæsivit Domnum Abbatem de duabus Ecclesiis supradictis; & dicebat, quòd de eis ab anterioribus illorum Presbyterorum charta tertii generis facta fuisset anterioribus ejusdem Abbatis in tribus personis ad pensionem reddendam. Ad hæc Hubertus Advocatus respondit, quòd hoc Monasterium per quadraginta annos possedit eas ad proprietatem; & ostendit Capitulum, ubi continebatur, quòd de pensione non deberet respondere, sed de possessione secundùm suam Legem; & tunc induciatum est in alteram diem, in qua querimonio facto, sicut priùs, responsumque est, ut supra relatum est. Tunc Presbyteri accusare cœperunt nostrum Advocatum ad Domnum Leonem, dicentes illum esse fallacem. Sed Domnus Leo, accepto utiliori consilio, fecit eumdem Advocatum jurare per quatuor Evangelia, ut ex illa hora, & deinceps verum judicium judicaret; Et dedit alium Advocatum pro eo Petrum filium Raynerii Comitatus Reatini. Et inquisivit Domnus Leo Judices Romanos, quid sibi videretur de hoc, & responderunt: *Judex Hubertus, qui est Langobardus, definiat, quia nobis non pertinet de hoc judicare*. Tunc Hubertus ostendit Capitulum, ubi continebatur, quòd sancta & venerabilia loca secundùm Legem Langobardorum per quadraginta annos possunt per sacramentum probare suam possessionem. Et ita judicavit Hubertus Judex. Tunc præparavit se Advocatus Domni Abbatis, ut sic juraret cum sacramentalibus suis. Et omnes Judices Romani affirmarunt, quòd rectè judicasset Hubertus secundùm suam Legem. At contra Advocatus Presbyterorum dare volebat testimonia, quòd infra ipsorum curricula annorum pensionem accepissent ab hoc Monasterio. Deinde Hubertus respondit: *Nostra Lex non præcipit, ut de pensione respondeat Advocatus Domni Abbatis, sed tantùm de possessione; nec ego aliter judico. Tamen, si placet Domno Leoni, & Judicibus, Presbyteri dent testimonia, dabit & Domnus Abbas sua, & discernatur per pugnam*. Et dederunt Presbyteri tria testimonia, quorum nomina sunt Castorius, Johannes Sutor, & Benedictus Leonis Subdiaconi. Qui secundùm legem ab invicem separati, & interrogati bis, & primò quidem discordes, tum inventi sunt per omnia fallaciores. Tunc judicaverunt Judices, quòd falsi essent testes, & abjiciendi ex placito, & Presbyteri refutarent ipsas Ecclesias Domno Abbati cum pertinentiis suis. Iterum pars Presbyterorum dicebat, ut Advocatus Domni Abbatis de possessione supradicta juraret cum sacramentalibus suis. De quo interrogatus Hubertus respondit: *Non est Lex; sed si Judicibus placet, faciat Advocatus Domni Abbatis sacramentum*. Ad hoc omnes Judices Romani con-

concorditer dixerunt, non debere Langobardum sinè asto jurare. Tunc affirmaverunt omnes, ut aut unus Presbyterorum, aut Advocatus juraret eorum, ut hoc, quod quæsierant, rectum quæsivissent, & post hoc Advocatus Domni Abbatis juraret cum sacramentalibus suis. Sed neque Presbyteri, neque eorum Advocatus jurare voluit; inventi sunt enim fallaces. Post hoc judicantibus Judicibus apprehenderunt baculum, & in manus Domni Hugonis Abbatis, & Huberti ejus Advocati præfatas Ecclesias refutaverunt cum charta, per quam litigaverant. Et si quolibet tempore litem renovare voluerint, vel tentaverint, componere se statuerunt libras X. auri optimi, medietatem Regi, & medietatem Rectoribus hujus Monasterii (8).

Ipso quoque tempore litis erat intentio inter Dom-

(8) Satis exposuisse videtur Chronographus noster celebrem hanc controversiam: attamen Lectoribus rem gratam facturum me puto, si Chartam Placiti ipsius, qualem celeberrimus Mabillonius in Annalibus Benedictinis evulgavit, rursus heic proferam, egregium nempe monumentum ad intelligendos ritus judiciorum barbaris iis temporibus in Italia. En ergo illam ex ipsius Monasterii Chartario depromtam.

Judicatum in lite agitata Romæ coram Gregorio V. Papa, ac Ottone III. Imperatore inter Monasterium Farfense; & Presbyteros Sancti Eustathii (alii legunt Sancti Eustachii) de duabus Ecclesiis, causam obtinente Hugone Abbate Farfensi. Anno 998.

,, IN nomine Domini Salvatoris nostri Jesu Christi, Anno Pontificatus Domni Gregorii Summi Pontificis, & universalis V. Papæ II. Imperii autem Domni Ottonis Imperatoris similiter II. Indict. XI. mensis Aprilis die IX. . . . . . . ex decreto Judicum, & per Imperialem præceptionem breve commemoratorium factum, qualiter orta est contentio inter Presbyteros Sancti Eustathii, quæ sita est in Platana, qui reclamaverunt ad *Domnum Gregorium Papam, & Imperatorem Ottonem*, dum residerent in Basilica Beati Petri Apostoli. Tunc factus concursus Populorum clamantium, ut legem acciperent, inter quos fuerunt Presbyteri prædictæ Ecclesiæ . . . . . dicebant: *Piissime Imperator, atque omnium Augustorum Augustissime, supplicamus tuam clementiam, ut legem babeamus de Hugone Abbate Monasterii Sanctæ Mariæ . . . . . justa fluvium Farfam. Qui contendit nobis duas Ecclesias Sanctæ Mariæ, & Sancti Benedicti, quæ sunt ædificatæ in Thermis Alexandrinis, cum casis, cryptis, bortis, terris cultis & incultis, areis, colomnis, & Oratorio Salvatoris infra se, vel cum omnibus ad eas pertinentibus, sitas Romæ, Regione IX. in prædictis Thermis Alexandrinis* . . . . . . Inter hanc reclamationem casu accedente affuit Hugo . . . . . Abbas in Basilica Beati Petri Apostoli. Ipsa hora residebat in judicio Domnus Leo Archidiaconus Sacri Imperii Palatii ex parte Domni Imperatoris unà cum Johanne Urbis Romæ Præfecto, & Judicibus Romanis Gregorio Primicerio Defensore, Leone, Arcario, Atrocio, Petro, Paulo dativis Judicibus ex parte Domni Papæ. Tum statim fecerunt venire Hugonem Abbatem in judicio, cui dixit prædictus Domnus Leo: *Volo, ut respondeas istis Presbyteris, qui querimoniam babent super te.* Ille autem respondit: *Nescio de qua causa.* Et Domnus Leo: *De duabus Ecclesiis cum casis & cellis suis, quas babes in Thermis Alexandrinis.* Et jam dictus Abbas: *Rogo vos, date mibi inducias, quia modò non sum paratus ad legem, neque Judices . . . . . babeo, neque Advocatum.* E contra ille: *Nequaquam: sed dabo tibi Advocatum, qui pro te respondeat.* Et Abbas: *Volo scire, si dederis mibi Advocatum Romanum, aut Langobardum.* Et ille: *Romanum dabo tibi.* Et Abbas: *Nolit Deus, ut res nostri Monasterii aliquando sub Lege Romana vixisset, sed sub Lege Langobarda. Propterea nolo Romanum Advocatum.* Et ille: *Velis, nolis, Legem Romanam babes facere.* At contradicebat Abbàs, nullatenus se facturum, nisi ex ore Domni Imperatoris audiisset. In tali autem altercatione prædictus Domnus Leo manibus suis eum comprehendit per cucullam, & juxta se sedere fecit, cui & dixit: *Hodie non exies de isto placito, nisi legem feceris.* Et iterum Abbas: *Ego non contradico legem, sed si permiseris, quadimonium tibi dabo juxta legem meam, donec vadam ad meum Monasterium, & revertar cum Advocato simul & Judicibus.* Tunc jussu Domni Imperatoris data est ei inducia à tertia feria usque in sextam feriam. Et abiit Domnus Abbas, & réversus est sexta feria, sicut promiserat, cum suo Advocato & Judicibus.

,, Venientes autem ante fores Basilicæ Beati Petri Apostoli ad Sanctam Mariam in Turri, ubi judicium datum erat, tunc cœpit dicere Domnus Abbas: *Ecce parati sumus legem facere, sicut promisimus.* Respondit Domnus Leo prudentissimus Archidiaconus unà cum Ropperto venerabili & laudabili Diacono, & Oblationario Sanctæ Apostolicæ Sedis, simulque Domno Johanne Urbis Romæ Præfecto, & Legumlatoribus Judicibus, & dixit: *Volumus scire, si per Legem Romanam, aut Langobardam vultis defendi.* Tunc respondit Hubertus dativus Judex, & Aduocatus ipsius Monasterii: *Secundùm Legem Langobardam volumus nos defendere, quia per centum & eo ampliùs annos res nostri Monasterii per Legem Langobardam defensata est. Et Præcepta Regalia exinde babemus. Sed si placet Domno Imperatori aliter fieri, non possumus contradicere.* Ad hæc Domnus Leo dixit Judicibus Romanis: *Quid vobis videtur de boc?* Illi autem responderunt: *Certè ista res nobis in dubio est; sed in providentia sit Domni Imperatoris.* Tunc surrexit Domnus Leo, & abiit ad Imperatorem, & narravit ei omnia, quæ facta sunt, & petiit ab eo consilium, quomodo vel qualiter ei placuisset. Tunc dixit ei Imperator: *Revertere ad judicium, & interroga Abbatem, & Advocatum ejus, si possunt probare per scripta, aut per sacramentum, aut per testimonia, quia Monasterium ipsum sub Lege Langobardorum defensatum fuisset. Et ego nullatenus à sua Lege eum subtrabo.* Et reversus in judicium, interrogavit Abbatem eumdem, & Advocatum ejus, quid de hoc dicerent. At illi ostenderunt confirmationem factam à *Lotbario Imperatore*, ubi continebatur, quomodo definitum est ante præsentiam prædicti Imperatoris, & *Domni Pascbalis Papæ*, quòd idem Monasterium sub Lege Langobardorum vivere deberet, & sub tali privilegio esse debet, sicut cetera Monasteria, quæ infra Regna Francorum constituta sunt, idest Luxoviensium, Lirinensium, & Agaunensium, & Pontificem Romanum nullum dominium in jure ipsius Monasterii habet, excepta consecratione. E contra defensores Presbyterorum jam dictæ Ecclesiæ Sancti Eustathii voluerunt reprobare supradictam confirmationem.

,, Tunc decrevit Domnus Leo, qui ex parte Domni Imperatoris erat, ut si Abbas per suum Advocatum Legem potuisset facere, quòd neque ipse, neque per ullam submissam personam, ipsa sua confirmatio falsata fuisset, stabilis permaneret. Ad hæc Advocatus Monasterii, jubente Domno Leone, voluit sacramentum præbere cum suis sacramentalibus, quòd scripta ipsa falsa non essent, & quòd Monasterium prædictum per ipsam confirmationem per centum & eo ampliùs annos se defensavit per Legem Langobardam. Insuper per pugnam & per testimonia probare voluit. Ad hæc qui ex parte Presbyterorum erant, hoc recipere noluerunt, quia dicebant, quòd non oporteret eis. Ad hæc Domnus Leo: *Me oportet discernere, & diffinire, & ad me pertinet, qui ex parte Imperatoris sum. Modò scio pro certo, quòd idem Monasterium semper fuit sub tuitione Regum, & per Legem Lan-*

,, go-

,, *gobardorum defensatum est. Modò quærite Ab-*
,, *batem, undecumque vultis, & per suum Ad-*
,, *vocatum vobis respondeat secundùm suam Le-*
,, *gem.* Ad hæc Presbyteri quæsierunt Advoca-
,, tum, qui pro eis quæreret, & datus est eis
,, Benedictus filius Stephani à Macello sub Tem-
,, plo Marcelli, & proclamabat ita dicendo:
,, *Ego quæro Hugonem Abbatem de duabus Ec-*
,, *clesiis cum casis, & cellis suis, & cryptis*
,, *pertinentibus ad Ecclesiam Sancti Eustathii.*
,, *Unde ab anterioribus nostrorum Presbyterorum*
,, *charta tertii generis facta est anterioribus istius*
,, *Abbatis in tribus personis ad pensionem red-*
,, *dendam, & modò expleta est, & iste Abbas*
,, *nobis contendit?* Ad hæc Hubertus Advocatus
,, respondit: *Istas Ecclesias cum casis suis, cel-*
,, *lis, & cryptis, unde tu Hugonem Abbatem*
,, *quæsisti, per quadraginta annos ipsum Mona-*
,, *sterium possedit ad proprietatem.* Ad hæc Ad-
,, vocatus Presbyter respondet: *Volo, ut dicas,*
,, *si absque pensione tenuit.* Ille autem respondit:
,, *Nostra Lex non præcipit ut aliter dicam, nisi*
,, *ut jam dixi.* Et statim ostendit Capitulum,
,, ubi continebatur, quòd de pensione non de-
,, bet respondere secundùm Legem suam, sed
,, de possessione. Deinde judicatum est usque
,, ad alteram diem.

,, Veniente autem die Sabbati, iterum in ju-
,, dicio affuerunt, & querimonium fecit Advo-
,, catus Presbyterorum, sicuti priùs fecerat,
,, eadem verba respondendo. Et Advocatus Ab-
,, batis respondit, sicut & antea fecerat. In
,, tali facto cœperunt Presbyteri accusare Advo-
,, catum Monasterii ad Dominum Leonem, quòd
,, fallax esset. Tunc Domnus Leo considerare
,, cœpit intra se, quid de hoc faceret; accep-
,, toque bono consilio, eo quòd deessent ibi
,, alii Judices Langobardi, præter ipsum Ad-
,, vocatum, ut posset veritatem discernere in-
,, ter fallaciam, fecit eum jurare per quatuor
,, Evangelia, ut ex illa hora & deinceps ve-
,, rum judicium judicaret. Tunc fecit eum se-
,, dere in judicio, ut judicaret secundùm Le-
,, gem suam de hoc. Ad hæc Abbas contrista-
,, tus ajebat: *Domne, quare hoc fecisti? Tulisti*
,, *Advocatum meum: modò pro me quis respondebit?*
,, Et ille: *Ego dabo tibi alium Advocatum pro eo.*
,, Tunc præcepit Petro filio Raineri de Comi-
,, tatu Reatino, qui ex parte ipsius Monasterii
,, erat, ut ipse Advocatus fieret. Ad hæc Abbas:
,, *Domne, iste Advocatus nescit respondere pro*
,, *me.* Et Domnus Leo: *Ego do licentiam priori*
,, *Advocato tuo, ut eum instruat, qualiter res-*
,, *pondeat.* In tali altercatione dixit Domnus
,, Leo Judicibus Romanis: *Quid vobis videtur*
,, *de hoc* Et illi: *Ecce querimonium definitum*
,, *est: tantùm Judex Hubertus, qui est Lango-*
,, *bardus, diffiniat, quia nobis non pertinet de*
,, *hoc judicium dare.* Et Domnus Leo præcepit
,, Huberto, ut judicaret. Tunc Hubertus dixit:
,, *Ego non judico, nisi quod scriptum est teneo.*
,, Et statim ostendit Capitulum, ubi contineba-
,, tur, quòd sancta & venerabilia Loca secun-
,, dùm Legem Langobardam per quadraginta
,, annos possint per sacramentum probare suam
,, possessionem. Et nullum aliud judicium dedit
,, prædicto Abbati, nisi ut juraret suus Advo-
,, catus cum sacramentalibus suis, quod prædi-
,, ctæ Ecclesiæ cum pertinentiis suis possessæ
,, essent per quadraginta annorum curricula à
,, suo Monasterio ad proprium. Tunc Domnus
,, Leo dixit Judicibus Romanis: *Quid vobis vi-*
,, *detur?* At illi omnes unanimiter affirmarunt,
,, quòd rectum judicavit secundùm Legem suam.
,, Ad hæc Advocatus præparatus fuit cum suis
,, sacramentalibus, & volebat jurare. At con-
,, tra Advocatus Presbyterorum; *Ego tibi dabo*
,, *testimonia, quòd infra ista annorum curricula*
,, *pensionem à vestro Monasterio accepimus.* Et
,, Hubertus Judex: *Nostra Lex non præcipit, ut*
,, *Advocatus Domni Abbatis de pensione respon-*
,, *deat, nisi ut possessionem probet. Ego non ju-*
,, *dico, ut aliud faciat prædictus Abbas, sed si*
,, *placet Domno Leoni, & Judicibus, ut dent*
,, *Presbyteri testimonia, qui probent, quòd pen-*
,, *sionem accepisset ipsa Ecclesia à jam dicto Mo-*
,, *nasterio, dabit & Domnus Abbas testimonia ex*
,, *sua parte, & per pugnam discernatur.*

,, Tum omnibus placuit; & Domnus Leo
,, præcepit Presbyteris, ut darent testimonia,
,, & dixit Judicibus Romanis: *Vos dicite, quot*
,, *testimonia debent esse secundùm Legem vestram.*
,, Illi autem responderunt: *tres idonei testes.*
,, Et allata sunt tria testimonia in conspectu
,, Judicum, quorum nomina hæc sunt: Casto-
,, rius, Johannes Sutor, Benedictus de Leone
,, Subdiaconi. Tunc Domnus Leo Judicibus:
,, *Quid de hoc debet esse?* Illi autem responde-
,, runt: *Separate eos ab invicem, & interrogate,*
,, *ut non audiat unus de altero, quod loquatur.*
,, *Et si dixerint ex uno ore veritatem, recipian-*
,, *tur; sin autem aliter locuti fuerint, & unam*
,, *sententiam non dederint, fallaces erunt per*
,, *omnia, & non sunt recipiendi, neque ad pu-*
,, *gnam debent venire.* Tunc interrogaverunt
,, eos sigillatim, & inventi sunt discordes.
,, Et iterum Domnus Leo dixit Judicibus: *Ne*
,, *fortè dicant homines, quòd injustè judicetis,*
,, *veniant similiter ad judicium altera vice, &*
,, *interrogetis eos juxta priorem interrogationem,*
,, *& Deus de hoc discernat veritatem.* Quod &
,, factum est: & inventi sunt fallaciores per
,, omnia. Tunc dixit Domnus Leo Judicibus:
,, *Judicate inter illos.* Et judicaverunt Judices
,, & dixerunt: *quòd testes falsi essent, & abji-*
,, *ciendi ex placito, & Presbyteri refutarent*
,, *prædictas Ecclesias Domno Abbati cum suis*
,, *pertinentiis.* Tunc dixerunt, qui ex parte
,, Presbyterorum erant, quòd Advocatus Dom-
,, ni Abbatis cum suis sacramentalibus deberet
,, jurare de supradicta possessione. Tunc inter-
,, rogavi Domnus Leo Hubertum Judicem
,, Langobardum, si esset Lex. At ille dixit:
,, *Non est Lex. Sed si vobis placet, faciat Ad-*
,, *vocatus Domni Abbatis sacramentum.* Ad hæc
,, Romani Judices concorditer una voce dixe-
,, runt, non debere Langobardum jurare sinè
,, hasto, & affirmaverunt omnes, & dixerunt,
,, ut juraret unus ex Presbyteris, aut Advoca-
,, tus illorum, ut hoc quod quæsierant, rectum
,, quæsissent, & postea Advocatus Domni Ab-
,, batis jurasset cum suis sacramentalibus. Ad
,, hæc noluerunt Presbyteri jurare, neque Ad-
,, vocatus eorum, & inventi sunt fallaces,
,, impletusque est ille sermo, qui dictus est:
,, *Vincat ergo Christus, qui est una veritas, &*
,, *vita; & occidatur iniquitas.* Tunc præcepe-
,, runt Judices, ut refutarent Presbyteri Dom-
,, no Abbati duas prædictas Ecclesias cum per-
,, tinentiis suis. Et refutaverunt atque dede-
,, runt in manibus Domni Hugonis Abbatis,
,, & Huberti Advocati sui; & tenente Domno
,, Abbate ipsam chartam in manu, jussu Dom-
,, ni Leonis tulit Leo Arcarius Sanctæ Aposto-
,, licæ Sedis cultrum, & signum Sanctæ Crucis
,, in ea, abscindendo per medium, fecit, &
,, reliquit in manu Domni Abbatis in conspe-
,, ctu omnium ibidem residentium, & circum
,, astantium; quòd si in quocumque tempore à
,, jam dictis Presbyteris aut successores eorum,
,, aliqua charta de prædictis locis inventa aut
,, reperta fuerit, & cum ea per qualemcum-
,, que insurgentem personam, magnam vel
,, parvam, ad prædictum Monasterium litigare,
,, vel calumnias inferre tentaverint, non so-
,, lùm chartula ipsa vacua permaneat, sed
,, etiam compositurì existant auri optimi libras
,, decem, medietatem Regi, & medietatem
,, ipsius Monasterii Rectoribus, & post solutam
,, pœnam hoc breve memoratorium in omni
,, robore firmitatis permaneat. Unde pro futu-
,, ra memoria & cautela, ut amodo & usque
,, in finem seculi prædictum Monasterium Ec-
,, clesias duas in integrum cum casis, hortis,
,, cryptis, & parietibus suis, sive Oratorio
,, Salvatoris, securo & quieto ordine detineat,
,, sicut dictum est, usque in finem seculi.
,, Propter hoc supradicti Judices tradiderunt
,, mihi Benedicto Scriniario S. R. E. in qua
,, ipsi propriis subscripserunt manibus, & in
,, Mense & Indictione suprascripta XI. scribere
,, præceperunt, sicut dictum est.

,, Roppertus S. R. E. Oblationarius interfui,
,, & subscripsi.

,, Leo Sacrosancti Palatii Archidiaconus, &
,, Missus interfui, & subscripsi.

,, Johannes Præfectus, Comes Palatii, atque
,, Dativus Judex.

,, Ego Gregorius Dei gratia Primicerius De-
,, fensorum interfui, & subscripsi.

,, Leo Domini gratia Arcarius Sanctæ Apo-
,, stolicæ Sedis.

,, Adrianus Dativus Judex.

,, Petrus Domini nutu Dativus Judex.

,, Paulus Dativus Judex.

,, Ego Hubertus Judex & Advocatus ipsius
,, Monasterii interfui, & subscripsi.

,, Ego

Domnum Hugonem Abbatem, & *Benedictum Comitem* de Curte hujus Monasterii, quæ vocatur Sancti Gethulii, quam vi abstulit ab hoc Monasterio, & sibi usque nunc retinuit. Quapropter præfatus Abbas, quotidie ad *Domnum Gregorium Apostolicum*, & ad *Ottonem piissimum Imperatorem* proclamabat, ut legem exinde haberet. Tunc ex utraque parte Amici surrexerunt, & infra Urbem Romam juxta Thermas Alexandrinas, inter Ecclesiam Sanctæ Mariæ, quæ est hujus Monasterii juris, ante præsentiam Legisperitorum, Judicum, & Nobilium hominum, conduxerunt illos in pactum & convenientiam. Et coram omnibus apprehendit supradictus Comes virgam in manu, & refutavit ad Domnum Hugonem Abbatem in perpetuum ipsam Curtem Sancti Gethulii, cum duobus Casalibus circa se; unum quem ad laborandum detinuit Petrus Presbyter, & alium, quem detinuit Joannes, qui dicebatur Sanguinarius; & medietatem ejusdem Curtis Sancti Gethulii cum ipsa Ecclesia in integrum, acceptis ambobus Castellis Tribuci. Et si aliquando contra hoc agere tentaverit, componere se in hoc Monasterio spopondit auri optimi libras XX. (9)

Eodem etiam anno quædam Theoderanda ancilla Dei obtulit in hoc Monasterio res suas territorii Sabinensis, ubi dicitur Ripa juxta Murum antiquum, de quo anathema terribile, pavendamque constituit maledictionem, ne quis de hoc Monasterio auferre tentaverit, sive per scriptum tertii generis, sive quolibet modo.

Temporibus autem *Joannis XVI.* idem Hugo Abbas acquisivit in hoc Monasterio res territorii Sabinensis, in loco, qui dicitur Lanianus. Item Adam filius Azonis refutavit & reddidit in hoc Monasterio, & in manus Domni Hugonis Abbatis, per chartulam concambiatio-

,, Ego Petrus filius Rainerii ibidem fui, & subscripsi.
,, Quattafossa ibi fui.
,, Teuto filius Benedicti ibidem fui.
,, Ego Benedictus Scriniarius S. R. E. qui scriptor hujus brevis commemorationis post testium subscriptiones complevi, & absolvi.

(9) Chartam hujus controversiae ac refutationis olim vidi, & breviatam mihi descripsi: quam nunc in legentium commodum, majoremque publicae eruditionis progressum, adjicere juvat.

Johannes Dux & Marchio, & Crescentius Comes germani fratres, Monasterio Farfensi refutationem Curtis unius faciunt. Anno 1012.

,, IN nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu Christi. Anno, Deo propitio, Ponficatus Domni nostri Benedicti Summi & universalis octavi Papæ in Sacratissima Sede Beati Petri Apostoli Primo, Indictione X. mense Augusto, die XXII. Licèt in bonæ fidei solo verbo obtineat conventio firmitatem, oportet tamen &c. Omne verò pactum, quod homines faciunt, *Placitum* vocatur. Placitum verò dictum est, eo quòd ambabus partibus placeat; & ideo qui fidem pacti non servat, subscriptam pœnam persolvat. Ideo hoc Breve memoratorium, & diffinitionis, sive refutationis factum qualiter litis contentio orta fuit inter *Guidonem Domini gratia religiosum Presbyterum, & Monachum, atque Abbatem Venerabilis Monasterii Sanctæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ Dominæ nostræ, quod ponitur territorio Sabinensi in loco, qui dicitur Acutianus*, & inter *Johannem Domini gratia Ducem, atque Marchionem*, necnon & *Crescentium Dei nutu honorabilem Comitem* germanum ipsius, de Curte una in integrum, quæ vocatur Sancti Getulii, quæ pertinens est de suprascripto Monasterio, unde bonæ memoriæ *Benedictus Comes genitor suprascriptorum* emphiteusim chartulam habuit ab antecessoribus Abbatibus prædicti Monasterii, & postea per pactum convenientiæ medietatem in integrum de suprascripta Curte refutavit in prædicto Monasterio, & Hugoni Abbati, qui illo in tempore regebat jam dictum Monasterium. Deinde prædicti filii sui, videlicet Johannes Marchio, & Crescentius Comes injustè, & non legaliter disvestierunt præfatum Monasterium, & prædictum Abbatem de jam dicta Curte de ipsa medietate, sicut superiùs legitur, & ad suum opus tenuerunt per longum tempus. Postea verò, inspirante Deo, venit prænominatus Crescentius Comes ad jam dictum Monasterium in Assumptione Beatæ Mariæ, & celebravit divinum Officium ibi noctis & diei; & post peractum Officium venit ante sacrum Altare coram Judicibus & Nobilioribus hominibus, qui subscribendi sunt, & pro redemptione animæ & parentum suorum, scilicet bonæ memoriæ prælibati *Benedicti Comitis Genitoris sui*, & *Theoderandæ matris suæ*, refutavit in jam dicto Monasterio, & præfato Guidoni Venerabili Abbati Successori jam dicti Hugonis Abbatis, suisque Successoribus in perpetuum, medietatem de jam prænominata Curte in integrum, eo ordine, quem subter dicturi sumus. Et tunc repromisit de jam dicto fratre suo Johanne Marchione, quòd, sicut ipse refutavit, ita & ille faceret. Deinde cum suo nuntio, videlicet Grimaldo Presbytero, & cum testimoniis subscriptis ivit præfatus Hugo, qui quondam Abbas, & Johannes Presbyter & Monachus, qui olim Præpositus, usque ad Prænestinam Civitatem, ubi tunc erat suprascriptus Crescentius Comes, medietatem de predicta Curte, qualiter inferiùs dicturi sumus, in manus jam dicti Guidonis Abbatis, & Huberti Judicis & Advocati ipsius Monasterii, ita ut prædictus Johannes Marchio refutavit in manibus supradictorum Monachorum Hugonis, & Johannis, & Franconis Judicis, hoc videlicet ordine ambo refutaverunt. Præfatus *Domnus Crescentius Comes* refutavit simul cum *sua conjuge Hitta Illustrissima Ducatrice*, consentiente sibi in hoc prædicto viro suo: refutaverunt toti tres medietatem de suprascripta Curte, quæ vocatur Sancti Getulii, excepto ipsum Castellum, quod vocatur Tribucum in integrum &c. Quam verò refutationem licèt divisi essent suprascripti Fratres, & prædicta Domna Hitta, quando fecerunt, tamen interiùs nominandi testes ad ambas refutationes fuerunt, quorum nomina hæc sunt: Crescentius filius Octaviani, Joseph & Boninus filii Guidonis &c. Franco Dativus Judex filius Huberti supradicti Judicis &c. & alii plures, quorum nomina enarrare longum est.

,, Ante omnium istorum suprascriptorum præsentiam refutaverunt toti tres, sicut prælegitur, spondentes & repromittentes supra præfati germani Marchio & Comes, necnon & suprascripta Ducatrix tam pro se, quàm & pro cunctis heredibus illorum &c. Unde pro futura memoria & cautela, futuroque testimonio hoc Breve memoratorium seu diffinitionis, sive refutationis, ex jussione supradictorum omnium scripsi ego Petrus Scriniarius S. R. E. in Mense & Indictione suprascripta decima.

✠ ,, Johannes Domini gratia Marchio in hoc Breve refutationis à nobis facto subscripsi.
,, Signum manus suprascriptæ Hittæ Illustrissimæ fœminæ.
,, Signum manus Crescentii Dei nutu honorabilis Comitis, & rogatoris, atque refutatoris.
,, Signum manus Grimaldi.
,, Crescentius filius Octaviani ibidem fui, & me subscripsi.
,, Leo, qui vocatur Malustalentus, ibi fui.
,, Ego Petrus Scriniarius S. R. E. qui sum Scriptor hujus Brevis refutationis, post omnium subscriptiones complevi & absolvi.

tionis, Castellum, quod dicitur Rocca, & campum, qui dicitur Calvianus. Fines Roccæ à duobus lateribus rivi; à tertio latere ipsi rivi conjuncti; à quarto latere Petræ-fixæ, & terra hujus Monasterii. Fines autem Campi, à primo latere via, à duabus partibus rivi; à quarto latere rivi conjuncti. Hujus campi medietas est in Conflenti, ubi dicitur Pompejæ juxta fluvium Pharpha modiorum VI. cum aquæmolis, quæ ibi ædificare poterunt, & cum Ecclesia tunc destructa, interpositâ pœnâ auri optimi libras X. Item quidam viri nobiles, & consanguinei Tiburtinæ Civitatis donaverunt & concesserunt in hoc Monasterio, & Domno Hugoni Abbati Ecclesiam Beati Martyris Adriani atque Nataliæ cum Curte ante eam, & domibus Scandoliciis II. circumdatis parietinis antiquis: à duobus lateribus, & cum horto in circuitu ejusdem Ecclesiæ, & terra pastinata arboribus olivarum, & nucum, & ceterorum pomorum pomiferorum, fructiferorum, vel infructiferorum, & cum Cryptis ac terris sementariciis, & cum introitu, & exitu suo per carrariam viam publicam, & omnibus ejus pertinentiis, posita infra *Civitatem Veterem, quæ vocatur Albula, non longè à Civitate Tiburtina*, in loco, qui vocatur Marini. Cujus fines sunt: ab uno latere terra heredum cujusdam Stephani Ganbæ-fractæ, & Joannis Clerici; à secundo latere terra heredum quondam Rodonis, & in ipso latere terra heredum cujusdam Benedicti de Ursa, & Joannis Theodori; à tertio latere Carbonaria antiqua, & vinea deserta heredum cujusdam Sergii majoris; & in ipso latere vinea Stephani Zeldonis; à quarto latere terra, quam detinet Beati Petri Apostoli Ecclesia, quæ ponitur inter duos rivos, juris cujuscumque esse dignoscitur. Et portionem suam de terris sementariciis in fundo Oriali inter consortes parentum eorum, vel aliarum partium trans fluvium Tyberim, & pratum modiorum II. in fundo Prato publico; & terram sementariciam modii I., in fundo Abenza, & terram sementariciam in fundo Pensioni, & concesserunt in hoc Monasterio, sicut antea concesserant in Ecclesia Sancti Adriani, terram sementariciam cum verialibus, & paduleclis, & cryptis in fundo Perficeta, infra consortes suos, & vinearum petias III. in fundo Ferrari, & terram vacantem in fundo Noceri, & vinearum rasules IV., & terram modiorum II. tritici in fundo Mercorano, & modios III. in fundo Cæsarano, Caldanæ, & Terrano, in fundo Aquacombi, & Terrano in tribus locis, in fundo Fortinulo, & modium I. infra vallem Longæ, & modium I. infra Sentiano, & terram sementariciam infra Cassano, & sedimen terræ ad casam faciendam, foris muros Civitatis Tiburtinæ, & medietatem domus antiquæ cum parietinis suis infra Civitatem Tiburtinam in regione Vicus-Patricii. Item quidam *Petrus Comes, filius Guinisii Comitis*, dedit & tradidit in Monasterio Sanctæ Mariæ in Minione, quod est Cella hujus Monasterii, unam Ecclesiam Sancti Angeli, prope Corgnitum cum mille & quingentis perticis de terra, *ad perticam pedum XII. Liutprandi Regis*, cum arboribus, & omni accessione sua super se habente.

Cùm autem resideret quodam tempore in territorio Marsicano, in villa Transaquas, in ipsa turre, *Oderisius Comes, filius Raynaldi Comitis*, pro justitia facienda, cum Judicibus, & bonis hominibus, vênit Domnus Hugo Abbas cum Thebaldo filio Adelperti de supradicto Marsi, Advocato suo, & querelatus est adversùs *Raynaldum Comitem* de Ecclesia Sancti Leucii in territorio Marsicano supra Civitatem in villa de Aterna cum omnibus pertinentiis, vel adjacentiis ejus, quæ pertinet huic Monasterio. Statim verò per judicium Judicum, & bonorum hominum, *Raynaldus Comes*, & *Oderisius Comes* per unam virgam restituerunt præfatum Abbatem ad partem hujus Monasterii, de ipsa Ecclesia Sancti Leucii, cum pertinentiis suis & adjacentiis in toto Comitatu Marsicano. Item in territorio Sabinensi refutata est in hoc Monasterio terra, ubi dicitur Turris, subtus ipsam Civitatem. Item ad Postmontem refutata est in hoc Monasterio terra cum vinea, ubi dicitur Baniolus & Casalis, qui dicitur Franconis. Item alia res in Baciano. Item in Salizano & Grassiano refutaverunt Adam filius Azonis, & Bucco filius ejus, in hoc Monasterio per hos fines: ab uno latere rigu Grassiani; à secundo latere fossatus, veniens in viam publicam; à tertio latere rigus & fossatus de Monte Cæsæ veniens in petram Casariam; à quarto latere tenent Mutio, & Johannes, & Petrus, & veniens in rigum de Portella, & ab ipso in pede montis Salistani, & usque in pedem Montis Signantis, cum fine Campi-longi, & venientem in rigum, qui pergit à Massa. Item in eodem territorio alias res refutatas de hoc Monasterio, & Domno Hugoni Abbati traditas. Item Bucco filius Adæ refutavit scriptum suum terræ in Salisano, & Grassano, & recepit pretium à Domno Hugone Abbate, valens libras III. Item Romæ de Campo Agonis, in hoc Monasterio refutata est terra inter hos fines à tribus lateribus Cryptæ Agonis; à quarto latere via publica. Item in territorio Sabinensi de Coroliano & de Nocla, & de toto Casale Civitellæ, refutata est terra in hoc Monasterio, & terra de Cerquito.

Item in territorio Reatino tenebat *Pheud nus Comes* res hujus Monasterii, & terram in Plage, Casalem primum de Civitella, & Casalem de Ficu, & Casalem Sancti Angeli ad Fenoclum, & res, quas Petrus Haëspelæ in hoc Monasterio per chartulas dedit. Et requirebat in placito omnia hæc Domnus Hugo Abbas ad opus hujus Monasterii. Et confessus est Theudinus Comes in ipso placito coram omnibus, non se ea omnia contendisse, nec tenuisse ullo modo, nisi per feudum ab ejus antecessore Abbate. Et rogatus a cunctis Domnus Hugo Abbas, tradidit ei in feudum ipsas res, usque in Saltum, & usque Turanum, & usque Sanctum Patermanum. & usque rivum Lucianum, quomodo pergit in Turanum in integrum. Exceptavit Ecclesiam Sanctæ Agathes. Item in territorio Sabinensi, concessa est in hoc Monasterio res Joannis, qui vocatur Dodo filius Roccionis de Salisano. Ab uno latere via publica; à secundo latere rigagines, quæ currunt in Cassianum; à tertio latere res Sanctæ Mariæ; à quarto latere rivi conjuncti. Et de Galuniano: ab uno latere via publica; à secundo & tertio rivus; à quarto latere res hujus Monasterii. Et de Paviano: ab uno latere via publica, & terra Sanctæ Mariæ; à secundo latere rigagines, quæ currunt in alium rigum; à tertio latere rigus, qui decurrit ex aqua Latronis, & venit in montem Olæ; à quarto latere rigagines, quæ

quæ currunt in Bruscitum, & veniunt in viam publicam, & terra Sanctæ Mariæ. Item aliorum hominum res in supradicto Paviano, & Galoniano & in Salisano.

Item Post-montem ubi dicitur Caplianus, refutata est terra, & vinea, quam tenuit Martinus Castallia ad laborandum, & ejusdem Casalis tertia pars, scilicet ubi dicitur Collis Sancti Martini, & Villa Ternia. Domnus Hugo Abbas suscepit per concambium ad opus hujus Monasterii, res ad modia XXII. per unumquodque modium habentia in longitudine cannas XX. & in latitudine in omni loco cannas X. ad cannam pedum X. legitimi Cubitalis, juxta rigagines à Ponzano, & de Similiano. Pro quibus dedit in concambium in Colle juxta Castellum Cuphi ad modia XXIII. Item in Prætorio, in quo est Ecclesia Sancti Petri, concessa in hoc Monasterio, aliquot rerum medietas à Guidone filio Farolfi, juxta viam publicam, & limites, ac muros antiquos: Item quidam Joannes de Catino investivit, & tradidit in hoc Monasterio medietatem clausuræ, quæ est juxta terram Sanctæ Mariæ subtus Ecclesiam Sancti Petri, & de alia medietate quartam partem cum forma aquam continente, pro redemptione animæ suæ, & duorum filiorum suorum, qui eo die defuncti sunt, & in eadem Ecclesia Sancti Petri Apostoli sepulti. Item Transaricus filius Mofredi dedit & tradidit in hoc Monasterio res suas in Comitatu Reatino, & Castaldatu Turano, ubi dicitur Puzalia, in pertinentiis de Mala-Morte. Fines earum: à primo latere pertinentia Ophiani, & de vivario: à secundo latere rivus Clavi; à tertio latere rivus Sancti Martini descendens in rigum de Cartasago, & inde ascendit in terram filiorum Joseph, & Guidonis; à quarto latere filiorum Totonis, & pertinentia Ophiani, quomodo descendit in rivum Sancti Martini. Horum omnium sextam partem, & portionem suam infra muros Civitatis Reatinæ, & de foris, & in Margarita, & in Plage, & in Amiterno, in villa de Poplito, in Comitatu Furconino, in villa de Pila, & Roge, & in Trebare vocabulo Paterno, & in Petra-lata, cum portione sua de molendinis, in Caicla, & in Cæsarano, & in Utri, & in Camarda foris ipsum Castellum, & in Sancto Chrisanto, & in Paganica, & in Collicello, & in Margine, & in Puteo Valentini, & in Civitate, & in Banio, & in villa Sanctæ Justæ.

Henricus inter Imperatores Primus Monasterio Farfensi S. Mariæ res noviter ab ipsis Monachis acquisitas, quarum nomina recensentur, suo Diplomate confirmat. Anno 1019.

,, HEnricus divinâ clementiâ Imperator Romanorum Augustus. Notum sit omnibus Fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ, & omnium nostrorum fidelium præsentium, seu futurorum noverit universitas, qualiter *Hugo Monasterii, quod dicitur Pharpha, venerandæ Genitricis ac Virginis Dei Mariæ, venerabilis Abbas*, nostram adiens clementiam, deprecatus est, quatenus ipsius effusis precibus nostræ pietatis accomodaremus aures, scilicet ut res noviter, Deo favente, acquisitas, seu à pravorum hominum ditione excussas, nostra Imperiali ac præceptali pagina confirmaremus. Nos verò quia cunctis justa poscentibus præbere debemus assensum, nostræ tuitionis præcepto nominatas & subscriptas sancto confirmamus Monasterio. Res itaque, quas *Ginizo filius Hildeprandi Comitis* contulit eidem Monasterio, sicut in chartula donationis illius continetur, quæ sunt in Comitatu Firmano sita, simulque addidimus pro redemptione animæ nostræ ex nostra largitate eidem sancto loco districtum Monasterii Spazzani cum omnibus pertinentiis, & cum Campo Arsicio, quod prædium Ginizo hactenus tenuit, ut quemadmodum ille Dominam nostram Sanctam Mariam constituit heredem de proprio, ita & nos facimus de nostro Ministeriolo publico, ne fortè si alicui seculari concederemus illud, ea occasione prædictas invaderent res. Et in prædicto Comitatu novæ Casæ Castellum, quod sibi contulit Atto filius Aderadi, cum suis pertinentiis, veluti in charta concessionis illius leguntur; & in alio loco ipsius Comitatus Castellum de Anganello, vel alia loca, quæ ibi condonavit *AlKerius Comes*, quatenus in sua charta referunt, vel aliæ res, quæ moderno tempore in ipso Comitatu acquisitæ sunt. In Comitatu Sabinensi in loco Ortelle, & res, quas contulit ibi Joannes Presbyter cum suis consortibus. Et quas Octavianus cum Rogata conjuge sua in jam dicto Comitatu sæpedicto Monasterio obtulit, ut in sua concessione habetur. Et quas Leo filius Rezonis condonavit in Mojano. Insuper & Imperiali præceptione jubemus sub omni contestatione, ut omnia scripta, quæ Gratianus invasor rerum Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Minione, quod pertinet ad præfatum Monasterium, fecit, confringantur, & annullentur, & ad ipsum Monasterium redeant finè obligatione. In Comitatu quoque Balbensi Ecclesias Sancti Peregrini, & Sanctæ Mariæ, cum pertinentiis earum, in quibus *Comes Oderisius* noviter Monachos locavit, quæ antiquitus ipsius Monasterii fuerunt, & modò reacquisitæ sunt, quas fideles Christi inibi contulerunt; seu quas prædictus quomodolibet recuperavit. Item in Comitatu Sabinensi Castellum de Tribuco, & alterum de Bucciniano cum suis pertinentiis, quemadmodum *Domnus Benedictus Summus Romanus Pontifex*, nosterque spiritualis Pater, nostro rogatu eidem Monasterio restituit. Simili modo illa loca, quæ prædictus Papa per Pontificale præceptum pro animæ suæ remedio contulit, quæ sunt in Assa de supradicto Bucciniano cum suis omnibus pertinentiis, de Ecclesia quoque Sanctæ Mariæ sita in fundo Massæ de Vestiario cum prædiis illis, quæ in ipso continentur præcepto. Necnon Ecclesiam Sancti Sebastiani in Collina de Flagiano, cum terris & vineis, sicut ipse Præsul universalis, aliique, Sanctæ Dei Genitrici per chartulas concesserunt. Pari modo Monasterium Sancti Laurentii in finibus Campanis, ubi dicitur Mac . . . ., quod idem venerabilis Pater sub dicto loco obtulit. Et in Comitatu Sabinensi Terra Ortella Johannis Presbyteri cum Ecclesiis, olivetis, atque vinetis. In Comitatu Reatino Terra, quam Transaricus Sanctæ Mariæ largitus est. In Suburbanis Tiburtinæ Civitatis Monasterium

,, San-

„ Sancti Adriani cum omnibus suis pertinen-
„ tiis. In Comitatu Firmano res Ottonis filii
„ Anderadi cum Ecclesia Domini Salvatoris,
„ & res, quas Adelmodus filius Hildemodis,
„ & quæcumque ab aliquibus eidem Sanctæ
„ Mariæ in Pharpha data sunt. In Civitate
„ Ortana Monasterium Sancti Theodori cum
„ Ecclesiis, & omnibus pertinentiis suis.
„ Monasterium Sanctæ Mariæ de Minione cum
„ omnibus suis pertinentiis, quod beatæ me-
„ moriæ *senior noster Otto* ibi restituit. In
„ Asisio duæ Ecclesiæ, quæ super terram ipsius
„ Monasterii positæ sunt. In Summati Eccle-
„ sia Sancti Silvestri, & Curtes de Flumine,
„ & de Monasteriolo, & Porscia. In Comi-
„ tatu Balbensi Monasterium Sancti Peregrini
„ cum omnibus suis pertinentiis. Hæc igitur
„ omnia, & quæcumque nostri Prædecessores
„ Reges vel Imperatores eidem Ecclesiæ Bea-
„ tæ Mariæ de Pharpha contulerunt, nos per
„ hanc paginam confirmamus &c.
„ Piligrinus Cancellarius in vicem Eberhar-
„ di Bambergensis Episcopi & Archicappella-
„ ni recognovi.
„ Dat. Anno Dominicæ Incarnationis MXIX.
„ Anno Domni Henrici Regnantis XVII. Im-
„ perii verò VI. Indict. II. loco Menesburgh
„ V. Idus Aprilis.

Temporibus autem Joannis XVII. Papæ, quidam viri germani, filii Roccionis, refutaverunt in hoc Monasterio, & reddiderunt scriptum moniminis, quod habebant de rebus in Salisano, & Galoniano, & Bacciano, & Monte de Ota. Item alii viri dederunt res suas, in ipsis vocabulis. Item Joannes Hilderici dedit res suas de Bacciano, ubi dicitur Cupersetus. Item Adelbertus filius Lotharii confirmavit Ecclesiam Sancti Sylvestri, cum modiolis XXII. in circuitu ejus de territorio Asculano, ubi dicitur Summati in ipsa valle.

Erat autem contentio tunc inter Domnum Abbatem Hugonem hujus Monasterii, & *Hemmonem Episcopum Asculanum*, de rebus territorii Asculani, & summatim ubi dicitur Portica, & ubi Monasterium Teberæ ædificatum est per ejus vocabula, & inter hos fines: à capite Cancelli, & terra Sanctæ Mariæ; à pede piscaria; ab uno latere rigagines, pergentes inter Collem de Meso, & Collem de Posta, & venientes in piscariam; ab alio latere usque Serram Cerreti longi, quomodo descendit in pedem Maclæ-longæ, & venit in piscariam. Pro quibus rebus juraverunt homines tres videlicet Aldo Presbyter, Joannes filius Brettonis, & Martinus de Gaida, quia ipsæ res inter ipsos fines ad hoc Monasterium pertinent, & ad Episcopum ipsum pertinere non debent. Et in ipso judicio judicatum est, ut idem Emmo Episcopus cum suis Successoribus exinde acquiesceret, & taceret. Et fecit ex ipsis rebus idem Episcopus refutationem, & obligationem contra hoc Monasterium & Domno Hugoni Abbati, & pœnam interposuit bizanteorum aureorum mille, si ampliùs quæstionem rememoraret: pro quo facto suscepit à Domno Hugone solidos CCC.

Item Tedmarius filius Gysonis concessit in hoc Monasterio res suas in fundo Tatano, Paterno, Germano, Casule, Ruliano, Fanale, gualdo Salsulæ, Paganeco, Quintiano, & in monte Givio, quæ sunt inter terram, & vineam, & sylvas, & salicta modia CXXX. A capite via, quæ pergit à Sancto Laurentio, & terra Gualcherii, & singulorum hominum; à pede, & primo latere usque flumen Lubricum; ab alio latere usque flumen Otiam. Et portionem de Ecclesiis Sancti Martini, Sancti Petri, & Sanctæ Mariæ, & de mercato, & de Castello Turricella juxta flumen Lubricum, & de Castello Spinitulo, & Pojo Casulo, & Orbitulo, & de Leoni, & de Molino, cum cursu aquarum, & in fundo Mogiano. Item Crescentius Presbyter concessit in hoc Monasterio de Castaldatu Interocrino, ubi dicitur Moza, terræ petias V. Prima ad Niebla modiorum II. Alia ibi prope modii unius. Tertia ibidem modii I. Quarta ubi dicitur Clerosus modiorum II. Quinta in monte Palumbo modiorum II. Item quidam viri filii Agiæ fecerunt confirmationem in hoc Monasterio, & convenientiam cum Domno Hugone Abbate de Ecclesia Sancti Silvestri in territorio Asculano, ubi dicitur Sumati, cum modiis XXII. & receperunt per concambium in campo Fluminensi modios XIX. Item quidam Samso refutavit in hoc Monasterio, & ad Domnum Hugonē Abbatem res territorii Sabinensis, ubi dicitur Salisanus. Item Sabbo refutavit in Pipiniano, seu Bucca-gelata juxta Quinzam. Item Teuza filia Adenolfi refutavit in Carboniano, & in Privati. Item Joannes filius Azonis concessit in hoc Monasterio res suas in Salisano. Item *Octavianus filius Joseph*, & *Rogata filia Crescentii Comitis*, uxor ejus, concesserunt in hoc Monasterio res suas territorii Sabinensis, post montem ad Sanctam Mariam in Canneto de Casale, quem Apo tenuit, modiola quinque, & cannas duas. Item Benedictus, qui pronomine Nicto Sproccus vocabatur, refutavit res cum Ecclesia Sanctæ Cæciliæ, & terram in gyro ipsius ad tritici sementem sextariorum duorum in territorio Sabinensi, ubi dicitur Casalis de Fulco, juxta alveum Currisem, medietatem earumdem rerum. Pro quibus recepit à Domno Hugone Abbate pretium argenti solidorum centum. & pœnam interposuit auri optimi libras III. Item prædictus *Octavianus*, & *Rogata uxor ejus* pro anima *Crescentii genitoris ejus*, & *Theodoræ genitricis Rogatæ*, & *Joannis Patricii Romanorum*, germani illius, sive Senioris, concesserunt in hoc Monasterio res suas post mortem, inter hos fines: de uno latere cacumina montium; à secundo latere flumen Currise; à tertio latere rigus currens juxta terram campi Tophani, quando ascendit in cacumina montium; à quarto latere flumen Currise, & terra Monasterii. Insuper concesserunt Casaricium unum infra Castellum Currise. Item Adam filius Arderadi, concessit de Insula de Aquatino in fundo Baniano, & monte de Oliano, cum portione Ecclesiæ Sancti Michaëlis infra ipsum montem cum ipso monte, tantùm, & cum omni ædificio inibi modò viso, & in antea faciendo a nobis in fundo Salustiano, & campo Triciano, & Tanciola, & Ponte per hos fines: à capite via pergens ad Pontem; à pede fluvius Potentinus; ab uno latere via pergens à Cruce Sancti Martini, usque fluvium Potentinum; ab alio latere via pergens à Sancto Stephano in rigum de Salustiano, quæ sunt modiola CC. Item Leo filius Bezonis, & Berta uxor ejus dederunt in hoc Monasterio, res territorii Sabinensis, de Mojano in monte de Carro, ubi est Ecclesia Sanctæ Margaritæ: ab una parte cacumina montis secus ipsam Ec-

clesiam; ab alio latere fossatus; à tertio latere limites; & tenent Joannes Faidonis cum consortibus; à quarto latere via veniens à cacumine montis, & descendens in viam Antiquam in ipso plano de Mojano, & infra hos fines medietatem in integrum. Et de supradicta Ecclesia cum Claro, & medietatem Casali Ursi Ciabbattæ. Item Bacco, & Gualafossa germani, refutaverunt in hoc Monasterio ad Domnum Hugonem Abbatem, Roccam in Campo longo, & Privatum, & Carbonianum cum illorum pertinentiis. Item Adelbertus filius Petri dedit res suas de Salisano. Item Raino filius Fulconis refutavit tertiam partem Ecclesiæ Sanctæ Cæciliæ, & de dotalicio ejus, & in Terentiano alias res. Quo etiam tempore querelatus est Hugo Abbas pro rebus hujus Monasterii, idest Casalis Agubini, & de Terricla, medietas: hujus fines Cisterna, & fossatus, qui vadit in viam, & fossatus, qui venit è Castello Leonis, & fossatus de Battalia infecta; & in alio loco Curtis Sancti Petri, in Pensile medietas, & ipsa Ecclesia Beati Petri in integrum, cum rebus juxta eam inter hos fines: à Petra majori usque Fractalem, sicut currit in Toranum, & per ipsum in viam, & exinde in viam venientem inter casam Satulli, & casam Petri Presbyteri, sicut vadit in lacum, qui pergit in Toranum, & medietas ipsius molini, & medietas ipsius Curtis, & locorum ejus in Sancto Marco, & Roboli, & Casale Senaldi, & Liciniano, & Cobia, & in Spina, & in aliis locis; Curtis Sancti Jacobi, & ipsa Ecclesia in integrum usque Toranum, & Pontem-fractum, & viam Pectorinam ad Scabellos, & venit ad Arenarium, & in Toranum, excepto molino subtus portam Interocrinam; & Curtis Sancti Heliæ in integrum. De his omnibus prædictis rebus confessus est *Berardus Comes*, quòd non ea contenderet per ullam inventam rationem. Item Petrus Clericus filius Joannis Sintonis, & Boniza uxor ejus, dederunt in hoc Monasterio res suas de Piccarella, idest quartam partem & juxta Muricinum antiquum modiola tria. Item Guinizo filius Amiconis, & Maja uxor ejus dederunt res suas de Sextiliano in territorio Asculano, ubi dicitur Summati, & Ancarano in ipsa villa, & vocabulo ejus prima petia terræ ad Franciscum, & medietatem Casalini cum casa. Alia petia ad Proretum. Tertia petia ad Fonticellas, & Cesa. Quarta petia ad Caphanam. Quinta petia ad Fontes: quæ sunt insimul modioli V. Item Franco Apræ dedit rerum suarum, territorio Sabinensi in Lafriniano, tertiam partem. Item Leo de Petro Diaconus, & Mira uxor ejus, refutaverunt in Post-montem, ubi est Ecclesia Sancti Gordiani, infra Casale filiorum Apræ, & in Casule, & in Cafriniano, omnem decimam partem.

Quadam verò die reclamavit Domnus Hugo Abbas ad *Guinizionem Comitem* de Farolfo de Castellione pro rebus, quæ fuerunt de Goccio, & qui dederat eas in hoc Monasterio, & hic injustè quæsierat, & invaserat eas. Tunc bona convenientia, & amica pactuatione, per jussionem Comitis & Judicum, refutavit idem Farolfus ipsas terras, & vineas, & Ecclesiam, quæ dicitur Pantaleymon, & de fundo Plataniano, & Lumbricata, & Subripula, & Isclita, & fossæ: ab uno latere terra Sancti Vitalis, ab alio terra Totalis, & Petri Tribuni, & pergit rectè in flumen Tyberis; à capite ripa & via publica; à pede fiumen Tyberis cum litoribus, & piscariis suis, & portibus ad naves decurrendas. Item Presbyter Azo filius Leonis dedit in hoc Monasterio medietatem unius aquæmoli, territorii Sabinensis, ubi dicitur Plana, juxta fluvium Farsam cum ipso alveo. Item Franco Dominici refutavit terram de Pantanula. Item Lotterius filius Attonis, & Gaidus filius Bonæ refutaverunt Casalem Turris, ubi dicitur Centum. Item Stephania uxor Ursi refutavit medietatem unius filii Salinæ de Burdonaria in pedica Cacurra. Item Taxilo filius Guinizonis cum fratribus suis refutavit terram de Noclo medietatem in integrum. Item Octavianus filius Joseph, & Rogata Senox conjux ejus, dederunt in hoc Monasterio res suas ad Cerreta, quas Arnolfus, & Joannes filius Dominici laborabant, quæ sunt casamenta duo, & aliud casamentum, quod tenuit Carincio Monachus, & casamentum Joannis Caldi.

Benedictus Papa VIII. Castellum Buccinianum nuper à se recuperatum Monasterio Farfensi confirmat Anno 1014.

„ Benedictus Episcopus Servus Servorum „ Dei. Convenit Apostolico moderamine &c. Igitur notum esse volumus omnibus „ Fidelibus Sanctæ Dei Ecclesiæ, præsentibus „ scilicet atque futuris, qualiter nos divino „ amore illustrati ob reverentiam Sanctæ Dei „ Genitricis semperque Virginis Mariæ, & „ petitionem gloriosissimi *Filii nostri Imperatoris Henrici* Domini nostri, Dominæ Ge„ nitricis Virginis Mariæ Monasterio, quod „ dicitur in Pharpha, Castellum Buccinianum, „ quod nuper perditum habebat, reacquisivi„ mus (10) ad opus & utilitatem prædicti „ Mo-

(10) Placitum insigne, in quo recuperatum est Farfensibus Monachis Castellum Buccinianum, describebam ego olim; sed & Clariss. Mabillonius evulgavit in Annal. Benedictinis Lectorum gratiam initurum me spero, si heic iterum illud sistam, multa nempe eruditione refertum, & ad illustrandas Romanorum res in primis accommodum. Ita verò se habet.

Breve recordationis, qualiter Hugo Abbas Farfensis Monasterii, adnitentibus Henrico I. Imperatore, & Benedicto VIII. Summo Pontifice, Castellum Buccinianum recuperavit è manibus Crescentii filii Benedicti Comitis Anno 1014.

„ In nomine Domini Dei Salvatoris nostri „ Jesu Christi. Anno, Deo propitio, Pon„ tificatus Domni nostri Benedicti Summi „ Pontificis & universalis Octavi Papæ in sa„ cratissima Sede Beati Apostoli Tertio, impe„ rante Domno nostro piissimo PP. Augusto „ Domno Heinrico à Deo coronato, magno „ & pacifico Imperatore Anno Primo, Indict. „ XII. Mense Augusto die Secundo. Quia „ verò Mundi termino prope imminente su„ perabundat procul dubio iniquitas: cunctis „ Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus manifestum fieri „ volumus, qualiter & quomodo Romani & „ Longobardi Judices tam ex Justinianæ Legis, „ quàm & Longobardæ videlicet Capitulis, „ hanc notitiam brevem omnimodo fieri de„ crevimus ex lite, & contentione, quæ sub„ ter scripta esse videtur, ut in posterum pro„ pter cautelam replicationis nulla valeat con„ troversia replicari aliquo modo.

„ Cùm quidam *Crescentius Benedicti Comitis* „ *filius*, diabolica fraude corruptus, & zelo „ diabolico zelatus, abiit nocturno tempore, „ & per fraudem malæ fidei occupavit quod„ dam

"dam Castellum, quod dicitur BucKinianum, venerabili Monasterio Sanctæ Dei Genitricis Mariæ, quod ponitur sub monte Acutiano in loco, qui dicitur Farfa, cujus fuit hereditas, & per vim sibi & suæ potestati, usquequo Domnus suprascriptus *Heinricus Imperator* Romam advenit, retinuit. Igitur cùm memoratus Heinricus Romam venisset, & intra Basilicam Beati Petri Apostoli resideret ad legem & justitiam faciendam, tunc *Hugo ipsius Monasterii Sanctæ Mariæ venerabilis Abbas* eidem Imperatori de suprascripta invasione, fraude, & nequitia, atque malis omnibus, quæ ei Crescentius de supradicto Oppido perpetraverat, reclamare cœpit. Quibus auditis, Imperator, cùm esset pius & bonus, mox præcepit Johanni ejusdem Crescentii germano, quatenus siquidem suum germanum advenire faceret, & de ea lite, quam supra illum Abbas de sæpedicto Oppido proposuerat, cum eo legaliter finiret, & quæ à Judicibus secundùm veram legem promulgata essent, adimplere non recusaret. At Johannes tale Imperatori præbuit responsum dicens: Nulla ratione se inde intromitteret, quoniam non suum, sed sui tantùm germani esset acquisitum: inter quos motio facta est, & inter Romanos, & Imperatoris plebem; & eam legem, quam inde Imperator facere malebat, adimplere non poterat. Mox coram Domni Præsulis præsentia, & omnium, qui aderant, Imperator apprehendit virgam manu, & per ipsam quidem virgam de eodem Castello Abbatem Hugonem reinvestivit, atque reddidit. Deinde rogavit sæpedictum Domnum Benedictum Præsulem, ut ob amorem Dei, ejusdemque præcelsæ Genitricis, suæque animæ redemtionem, prout ipse investierat, illam adimplere, & facere non prætermitteret legem.

Hisque taliter peractis, & retro se dum ultra montes Imperator reverteretur, memoratus Pontifex misericordia motus, pietate ductus supra sanctum locum, ne suis temporibus ad idem sanctus locus de suæ hereditatis rebus deveniret detrimentum, per suos idoneos fideles requisivit Crescentium, quatenus legem & justitiam aut pactum de eodem Oppido cum Monasterio Sanctæ Mariæ, & illius Monasterii Abbate faceret. Ipse verò, cùm esset superbus, pactum facere noluit, & ad placitum venire recusavit. Tunc Pontifex, ut talia sensit, ira motus, furore ductus, cum multitudine hominum supra illum ad sæpedictum Oppidum, quod invaserat, & ubi ipse residebat, abiit, & eum possidere procuravit. Et cùm multò magis possessus ab eo esset, & ante ejus præsentiam minimè stare posset, cœpit ejus misericordiam & pietatem quærere, & legem & justitiam, quantum ipse præciperet, exinde ad statutum terminum facere, ut in suæ protectionis tenimine mitteret illud usque ad peractum terminum, eo ordine, ut si se inde subtraheret, liceret illum Hugoni Abbati reddere; peracto verò termino usque in viginti dierum. Et sic Domnus Præsul Romam reversus est.

Igitur ad statutum, qui missus fuerat, terminum Domnus Præsul cum venerabilibus Abbatibus, ac Ordinariis, & Legum latoribus, Judicibus tam Romanis, quam Langobardis, & cum plurimorum cœtu, in loco, ubi statutum fuit, ante Castellum, quod dicitur Tribucum in monte, ubi stare videtur arbor Pinus, ad ipsam siquidem arborem advenit ad diffiniendam causam præfati Oppidi, & rei veritatem. Et nunc nomina Abbatum, vel Judicum, & Comitum, sive Nobilium seriatim pandere studemus, scilicet Johannes, qui & Melio Secundicerius, Crescentius Adminiculator, Gregorius Defensorum Primicerius, Gregorius Arcarius, Petrus Johannis Benedictæ, Gregorius, Farulfus, & Leo, qui & Laurentius Dativorum. Langobardorum autem Judices, Adam, & alius Adam, atque Heribertus, & Roccio Clericus: hi omnes ex Ducatu Spoletano. Crescentius Sabinorum. Venerabiles verò *Abbates Johannes Monasterii Sancti Pauli*, & *Johannes Monasterii ad Clivum Scauri*, & alius *Johannes Monasterii Sancti Dionysii*, & *Sancti Silvestri*, *Adelelmo Monasterii Sancti Bonificii*, & *Petrus Abbas Monasterii Sanctæ Mariæ* ante Vener..... titulo Eudoxiæ. *Comites* namque, *Berardus Comes*, *Todinus filius*, *Oddo Comes* cum *Johanne*, & *Crescentio* germanis suis, *Octavianus filius*, *Crescentius*, & *Gumbizo germani*, *Theophilactus Prænestinus*, *Stephanus*, & *Pruizo à Sancto Eustachio*, *Richardo*, *Tito*, *Franco de Britone*, *Berardus*, & *Guido à Proba*, *Ingizo*, *Teudbaldus*, *Constantius*, & *Crescentius de Arcario* à loco *Transtiberim*, ceterique plurimi.

Conveniens verò Domnus Præsul cum his omnibus in præfatum locum, quo constitutus fuerat terminus, mox de equo descendit, & falcistorium ponere jussit, & cum omnibus, qui aderant, ad legem & justitiam faciendam resedit. Tunc in conspectu horum omnium se exhibuit Hugo Abbas, & per suum Advocatum, videlicet AlKeirum, secundùm Langobardorum legem, quoniam ipse venerabilis locus ad Langobardam permanebat legem, lamentare & proclamare cœpit ante Domnum Præsulem per Johannem venerabilem Abbatem Sancti Dionysii & Silvestri, & per Azonem Berninum, Crescentio inquirendo mandavit, ut, sicut promiserat, & constitutum fuerat, veniret ad placitum. Ille verò in ea, quam promiserat, non permansit, & ad placitum venire recusavit. Rursus Domnus Præsul cum consilio omnium Judicum, Romanorum videlicet & Langobardorum, secundùm constitutionem Legum, per suprascriptum Oddonem Comitem, & Crescentium germanum Gumbizonis, & Franconem, qui vocatur de Britto, necnon Stephanum Ingibaldi, & Petrum de Imperato, iterum atque iterum vocavit eumdem Crescentium ad placitum. Ille verò, cùm esset protervus & contumax, omnino renuit venire ad placitum. Et cùm talia videret Domnus Pontifex, dixit Romanis & Langobardis Judicibus: Ut quid exinde esset legibus, dicerent: Statim omnes Judices uno ore dixerunt: *Domne Senior, vestra gratia primitus, quòd Abbati Castellum pertinet, examinandum est, & postea sic judicandum*. Illico Abbas chartulas, quas exinde habebat in manibus, Judicibus ad relegendum tradidit; & relectis à Gregorio Arcario, invenit eas veridicas & bonas, & non alicubi, nisi præfato Monasterio, sæpedictum Oppidum pertinere. Mox collatis Justinianæ & Langobardorum Capitulis Legis, talem inde adversùs Crescentium dederunt sententiam. *Si quis vocatus est ad judicium, & ille per suam superbiam venire noluerit, & Judex bene scrutatus fuerit causam, & judicaverit absente illo, hoc, quod ei judicatum est, adimpleat, nec provocare audeat. Contumace tertia vice vocato datum judicatum firmum est*. Et cùm tantam auctoritatem Legum Pontifex audisset, mox apprehendit virgam in manu, & secundùm prædictam constitutionem, prout habuerat Castellum ipsum, quod vocatur BucKinianum, in commendationem reddidit, atque investivit exinde Abbatem Hugonem sub districtione interdictæ pœnæ perpetualiter coram cunctis, qui aderant, propter judicialis libri sententiam sub tali constitutione & banno, ut si umquam in tempore Crescentius, vel sui heredes, aut qualiscumque ab eis submissa persona, magna aut parva, quamlibet litem aut intentionem, vel molestiam, seu invasionem adversùs præfatum Monasterium, & illius Abbatem de prædicto Oppido, quod vocatur Buccinianum, ulteriùs fecerint, compondituri existant optimas aureas libras centum, medietatem in Sacro Lateranensi Palatio, & medietatem præfato Monasterio, & quod quærerent, refutarent; & insuper post peractam pœnam, hujus notitiæ, atque investitionis Breve omni tempore firmum & perstabile permaneat. Unde pro futura memoria, futuroque testimonio, & cautela, & perpetua stabilitate supradictus Præsul cum omnibus memoratis Judicibus tam Langobardis, quàm & Romanis, hujus notitiæ atque investitionis Breve scribere præceperunt mihi Benedicto Scriniario Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in Mense, & Indictione supradictis XII."

Monasterii perpetualiter permansurum, situm in Sabinensi Comitatu. Deinde prædicti *Monasterii venerabilis Hugo Abbas* nostram adiit clementiam, instantissimis precibus deposcens, quatenus pro Dei amore & remedio ejusdem venerabilis Monasterii ex nostra Apostolica largitate concedere dignaremur placitum & districtum de Massa Bucciniani, quæ est ante idem Castellum, cum omnibus pertinentiis eidem Massæ pertinentibus, vel adjacentibus. Cujus precibus annuentes, eidem venerabili Monasterio, supradictoque Abbati, suisque Successoribus, necnon & Sanctæ Congregationi servorum Dei ibidem degentium, prædictæ Massæ Bucciniani districtum & placitum cum omnibus suis pertinentiis vel adjacentiis ex largitate Beati Petri Principis Apostolorum, & Sanctæ Apostolicæ Sedis, cujus jus esse dignoscitur, nostraque Apostolica auctoritate concedimus atque confirmamus perpetualiter mansurum, scilicet ut Monachi prædicti Monasterii omni in tempore pro nobis delectent ad Deum fundere preces, & gloriosissima Virgo Maria &c. sciat se anathematis vinculo innodatum esse, & à Regno Dei alienum. Insuper & compositurum se sciat auri optimi libras centum, medietatem in sacrosancto Lateranensi Palatio, & medietatem in supradicto Monasterio.

Scriptum per manus Petri Scriniarii, Notarii, atque Regionarii Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in mense Augusti Indict. XII. BENE VALETE.

Dat. XV. Cal. Augusti per manum Domini gratiâ Bosonis Episcopi, & Bibliothecarii Sanctæ Apostolicæ Sedis. Anno, Deo propitio, Pontificatus Domni Benedicti Summi Pontificis, & universalis Papæ Octavi in sacratissima Sede Beati Petri Apostoli Tertio. Imperante Domno Henrico à Deo coronato Magno & Pacifico Imperatore Anno ejus Primo.

Benedicti VIII. Papæ Bulla, qua Farfensi Cœnobio concedit Monasterium Sancti Laurentii in Macri Comitatu Campanino. Anno 1017.

Incipit Privilegium Domni Benedicti Papæ.

BEnedictus Episcopus Servus Servorum Dei dilecto in Christo filio Hugoni Religioso Presbytero, & Monacho atque spirituali Abbati Venerabilis Monasterii Sanctæ Dei Genitricis semper Virginis Mariæ Dominæ nostræ, siti à latere montis, qui nuncupatur Acutianus super fluvium, qui dicitur Pharpha, tuisque Successoribus Abbatibus, vestræque almæ Congregationi perenniter, & in perpetuum. Quoties illa à nobis tribui sperantur, quæ rationi incunctanter conveniunt, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Atque ideo quia petistis à nobis, quatenus omnipotentis Domini amore, mercedeque animæ nostræ concederemus, & confirmaremus tibi, tuisque Successoribus in perpetuum Monasterium, quod est in honore Sancti Martyris Levitæ Laurentii, situm in Macri Comitatu Campanino, cum casis, hortis, vineis, terris, campis, pratis, pascuis, & silvis, sicut fines inferiùs continere videntur. Videlicet à primo latere via, quæ venit à Fontana Palumbæ; à secundo latere rigagines, quæ pergunt in viam publicam, & ad Cerrum Jannarium; à tertio latere alia via publica, quæ ducit ad Balneum novum; à quarto latere alia via, & rigagines, quæ vadunt ad Acrifolium, & exinde pergunt in Arciones, & veniunt in viam supradicti Fontis Palumbæ, qui est primus finis, seu & cetera alia quantacumque per diversa loca, & ubicumque prope & longè Petiolum rejacere, & ad supradictum Monasterium pertinere videntur: omnia juris Sanctæ nostræ Romanæ, cui Deo auctore deservimus, Ecclesiæ, vobis ad tenendum, emissa præceptione, concedere & confirmare deberemus. Inclinati autem precibus vestris, per hujus præcepti seriem supradictum Monasterium Sancti Laurentii in integrum, cum omnibus ad illud pertinentibus, ut superiùs legitur, à præsenti XV. Indictione, & usque in perpetuum, ea videlicet ratione concedimus detinendum vobis, ut servos Dei Monachos, qui in eodem Monasterio sunt, vel quos aggregare potueritis sub castitate, & modestia, atque regulari & Monachica disciplina, Dei cum timore, ut Pater familias, fovendo, gubernando, atque regendo, & dispensando, vel in præfata Ecclesia luminariorum concinnationes, & quotidianas laudes Deo omnipotenti omni tempore referre faciatis. Unde nostra Apostolica auctoritate constituimus, & confirmamus vobis, ut nullus Episcopus, Marchio, Comes, Vicecomes, sive Castaldus, aut alia quælibet magna persona, vel parva vos, vel vestrum Monasterium de jam suprascripto prælibato Mo-

† h f p f K l b c t x l. (a) qui Benedictus Papa vocor, interfui, & subscripsi.

Johannes Abbas Monasterii Sancti Silvestri.

Johannes Abbas Monasterii Sancti Gregorii, quod vocatur Clivus Scauri.

Benedictus Dei gratia Secundicerius Sanctæ Apostolicæ Sedis.

Crescentius Dei gratia Nomenclator Sanctæ Apostolicæ Sedis.

Ego Gregorius Domini gratia Primicerius Defensorum.

Ego Gregorius Dei providentia Arcarius Sanctæ Apostolicæ Sedis.

Petrus Dei nutu Judex.

Marinus nobilis vir, germanus verò Domni Præfecti.

Tedaldus nobilis vir, qui Zore vocatur.

Johannes Dei nutu Judex.

Ego Gregorius Domini gratia Dativus Judex.

Farolfus Dei gratia Dativus Judex.

Johannes gratia Dei Dativus Judex.

Franco, qui vocatur de Bretto.

Leo, qui vocatur Fragepane.

Benedictus, qui supranomen Boccapecu vocatur.

Sergius de Transtiberim.

Helperinus filius Helperini.

Stephanus filius Ingebaldi.

Beraldus, & filius primus Defensor de Cavallo marmoreo.

Ego Benedictus Scriniarius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & Scriptor hujus notitiæ Brevis, post Domni Præsulis, & Abbatum, atque Judicum, & Comitum, vel Nobilium omnium subscriptiones factas complevi, & absolvi.

(a) Vide quæ infra adnotavi ad alterum Placitum, ubi iisdem literis subscripsit idem Benedictus VIII. Pontifex. Ibi verò pro *ego Benedictus* fortasse legendum *qui & Benedictus*.

„ Monasterio molestare, aut disvestire audeat. „ Et qui facere hoc præsumpserit, sciat se „ auctoritate Domini nostri Jesu Christi, & „ Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, & „ nostra maledictum, & excommunicatum, „ & anathematum; insuper compositurum „ centum aureos mancosos, medietatem Ca- „ meræ nostræ, & medietatem sæpe dicto ve- „ stro Monasterio. Qui vero pio intuitu cu- „ stos, & obediens, atque observator hujus „ nostri Privilegii extiterit, benedictionis gra- „ tiam, & cœlestis retributionis æterna gau- „ dia à justo Judice Domino Deo nostro con- „ sequi mereatur in Secula Seculorum. Amen. „ Scriptum per manus Petri Notarii, & Re- „ gionarii, & Scriniarii Sanctæ Romanæ Ec- „ clesiæ in mense Junii, Indictione XV. Data „ IX. Kalen. Junii per manus Dei gratiâ Bo- „ sonis Episcopi, & Bibliothecarii Sanctæ „ Apostolicæ Sedis BENEVALETE.

His temporibus Teuzo Presbyter Anzæ filius dedit in hoc Monasterio res suas territorii Sabinensis, ubi dicitur Lucciolus, juxta Ecclesiam Sanctæ Luciæ modia III. Item Siefredus filius Sienolfi, & Joannes filius Benedicti commutaverunt cum Domno Hugone Abbate terras in Cesa veteri modia XXXII. & receperunt in Tancia montem, ubi est Castellum Fatucli. A primo latere furcella ante idem Castellum, descendens in rigaginem, & Petræfixæ; à secundo latere Petræ-fixæ, & terra hujus Monasterii; à tertio latere rigus; à quarto latere rigus cum ipso Castello modiorum XV. Item Boso filius Sabini, & Todora uxor ejus, & Benedicta filia Leonis dederunt res suas territorio Sabinensi, ubi dicitur Plana: & est Ecclesia Sanctæ Mariæ, modiola tria. Item Joannes filius Benedicti, & Anna uxor ejus dederunt res suas de Sorbiliano, de omni quarta quatuor partes, quintâ exceptatâ. Item dedit Domnus Hugo Abbas ad Lotherium filium Attonis per libellum res Petri Grammatici, & Ratini, & Genonis; & recepit ab eo refutationem de Curiliano modiola CLXX. Item Guinisius Negotians, & Saxa jugalis ejus dederunt filum Salinæ in Pedica veteri. Item Lupo Presbyter, & alius Lupo de Mozano, & Anza, & Rosa ancillæ Dei, & Petrus, & Azo germani, filii Gezonis dederunt res suas territorio Sabinensi juxta Castellum de Mozano, ubi dicitur Petia de monte, & in fundo Cariliano, & in fundo Usano, & in Cospiano.

Postquam autem *Domnus Benedictus Pontifex*, rogatu *piissimi Henrici*, Castellum de Tribuco cum omnibus suis pertinentiis in hoc Monasterio reddidit, quidam inimici Dei suaserunt *Domno Romano Consuli, & Duci, omniumque Romanorum Senatori* (11), *atque germano Domni Pontificis* prædicti, ut tolleret unam portionem de Casalibus duobus, idest Serrano, & Pontiano, quorum fines sunt ab uno latere terra hujus Monasterii; à secundo latere medietas aquæ Pharphæ; à tertio Casale Felectum, & Musigianum juris Sancti Andreæ (12), tunc montis Soractis; à quarto latere Casalis Penti, & Verruculæ, & finis Cuti, & medietatis rivi Canalis, & in supradictam terram, quæ est primus finis. Hi verò fines sunt in circuitu Castelli de Tribuco. Et cùm per aliquot dies idem Romanus suis detinuisset manibus: prædictus Domnus Abbas unà cum charta donationis, quam Donnella Religiosa Diacona antiquis temporibus de supradictis Casalibus, in hoc Monasterio fecerat, ad prædictum Pontificem venit, & dans chartam in manibus ejus, de hac re fortiter reclamavit. Qua perlecta, & veritate cognita, laudavit eam, displicuitque illi quod frater ejus fecerat injustè de rebus ipsis. Qua de causa illum ad se venire fecit, & corripiens illum rogare cœpit, ut ab ipsa injustitia recederet, & Monasterium quietè res ipsas tenere sineret. Quo audito Domnus Romanus, & cognita veritate obediens jussioni Domni Pontificis, & sua sponte, coram multis refutavit (13) ipsas res in integrum. Item Hugo Abbas fecit

(11) Viden, quam antiquum sit Romani Senatoris officium, cujus adhuc vestigia supersunt? Cujus vero Urbis, aut Provinciae Dux foret Romanus heic memoratus, non constat.

(12) Quo nomine designatum puto antiquissimum Monasterium in Monte Soracte situm, cujus mentio inter Opera S. Gregorii Magni, & quo se recepit Carlomannus Pippini Francorum Regis frater, ut Monasticae vitae totum se daret.

(13) Describebam olim ego Chartam hujus refutationis, quam nunc publici juris facere, atque evulgare, poscente materia, statui.

Romanus Consul, & Dux, & Senator Romanorum coram Benedicto VIII. Papa Fratre suo in solemni Curia refutationem quarumdam terrarum facit Monasterio Farfensi.
Anno 1015.

„ IN nomine Domini Dei Salvatoris nostri „ Jesu Christi, Pontificatus Domni nostri „ Benedicti Summi Pontificis & universalis „ Octavi Papæ in sacratissima Sede Beati Petri „ Apostoli Quarto, Imperante Domno nostro „ Heinrico piissimo Imperatore Augusto, & à „ Deo coronato magno & pacifico Imperatore „ Anno II. Indict. XIV. IV. die Decembris.

„ Licèt ea, quæ inter duos litigantes & altercantes de qualibuscumque causis vel rebus „ actio oritur partis unius ad alteram, vel „ quicquid agere, vel litigare voluerint, solius „ verbi obtineat firmitatem; tamen præ longinquitate temporum, quæ humana mens „ minimè retinere potest, oportet ut per scripturæ seriem testimoniis roboretur, ut quandocumque necessitas fuerit, omnem totius „ litis amoveat quæstionem; & ideo hoc Breve „ memoratorium refutationis factum est, qualiter litis intentio orta fuit inter *Domnum* „ *Hugonem religiosum Presbyterum, & Abbatem Monasterii Sabinensis* in loco, qui vocatur ad Pharpham, & *Domnum Romanum Consulem, & Ducem, & omnium Romanorum* „ *Senatorem, atque germanum prænominati Domni* „ *Pontificis*, videlicet de Casalibus duobus in „ integrum, qui vocantur Serranus, & Pontianus, vel quibuscumque aliis vocabulis „ nuncupantur, cum omnibus eorum pertinentiis, sicuti in una donationis charta prædicti „ Monasterii legitur: & fines eorum incipientes ab uno latere terra prædicti venerabilis „ Monasterii Sanctæ Mariæ; à secundo latere „ finis medietatum aquæ, quæ vocatur Pharpha; „ à tertio latere Casale Seletum, & Mutigianum juris Monasterii Sancti Andreæ, quod „ vocatur Montis Sirapti &c. Hæ verò fines, „ sicut in prædicta donationis charta jam dicti „ Monasterii leguntur, & sunt in circuitu de „ Castello Tribuco. Postquam namque prædictus Domnus Pontifex pro redemptione animæ suæ, & rogatu piissimi Domni Henrici „ Castellum de Tribuco cum omnibus suis pertinentiis in jam dicto Monasterio reddidit, „ quod per multa tempora injustè abstractum „ fuerat à prædicto Monasterio per Comitem „ Benedictum, & suos filios, sicuti penè omnibus Romanis & forensibus vicinis cognitum est. Tunc fuerunt quidam inimici Dei, „ & Sanctæ Dei Ecclesiæ, qui falsissimè, & „ dolo, prædicto Domno Romano locuti sunt, „ & dixerunt; quòd præfatus Comes Benedictus, „ & sui filii habuissent unam possessionem ad „ proprietatem in jam dictis Casalibus infra „ su-

fecit convenientiam pactuationis cum Presbyteris Sancti Euſtachii, jubente *Domno Creſcentio* (14) *Præfecto Urbis*, & commutavit eis terram, in qua ſunt parietini deſtructi, cum medietate Oratorii Sancti Simeonis; & recepit ab eis Curtem, & domum cum puteo aquæ vivæ, & majori Cripta poſt eam Sinino opere cooperta, ſicut à pariete antiquo circumdata videbatur. Hæc omnia fuerunt heredum Aldonis.

Placitum Rainerii Ducis Thuſciæ, in quo litem de duabus Eccleſiis dirimit pro Farfenſe Monaſterio circiter Annum 1014.

„ CUm verò in judicio reſideret *Domnus* „ *Marchio Rainerius* (15) *Dux* in turri „ de Corgnito (16), vênit Domnus Hugo „ Abbas, & coram omnibus oſtendit atque „ legit chartas, quas Hugo filius Teuzonis, „ & Seria, & Berta filiæ ejus fecerunt in San„cta Maria de Minione juris hujus Monaſte„rii, de Eccleſia Sancti Peregrini, & Sancti „ Anaſtaſii cum omnibus pertinentiis, & de „ ipſo Saline. Et audiens Aſtaldus filius Hu„gonis, qui ibi aſtabat, reſpondit: *Chartulæ* „ *iſtæ bonæ ſunt, & legibus factæ, & ipſæ* „ *res Eccleſiæ, quæ ibi leguntur, nihil mihi* „ *pertinent*. Et judicaverunt Judices, ut de„inceps præfatus Aſtaldus, & ejus heredes „ taciti eſſent de ipſis rebus, ſive Eccleſiis, & „ ſupradictum Monaſterium Sanctæ Mariæ eas „ poſſideret in perpetuum. Tunc *Domnus Rai*„*nerius Marchio & Dux*, exinde miſit ban„num Domni Imperatoris, ut ſi quis Mona„ſterium hoc de eis diſveſtire præſumſerit, „ duo millia mancoſorum aureorum compoſi„tor exiſtat, medietatem Cameræ Imperato„ris, & medietatem huic Monaſterio. „

Item Azo filius Ramponis dedit in hoc Monaſterio res ſuas territorii Sabinenſis, ubi dicitur Lanianus, modii I. Item Joannes filius Petri de Reſpapino refutavit in hoc Monaſterio terram de Terentino juxta Cavam de Morico, & juxta Eccleſiam Sanctæ Cæciliæ, ex omnibus tertiam partem. Item Presbyter Grimaldus, & filii Teuzæ refutaverunt terram infra Civitatem Gabis, quæ vocatur Ternis. Item Rodulphus filius Joannis dedit in hoc Monaſterio de Marciliano medietatem Caſalis, quem tenuerunt ad laborandum Franco Adonis, & Berardus Gabiliarius. Item Joannes, & Stephanus filius Stephani, cum ſuis conſortibus refutaverunt Caſale Alinianum in integrum.

Item Domnus Hugo Abbas convenientiam & obligationem fecit ad *Domnum Octavianum*, &

„ ſupraſcriptos fines. Qua de cauſa prælibatus „ Domnus Romanus ſeductus atque deceptus, „ tamdem credulus illorum verbis, injuſtè & „ ſinè lege tulit prædicto Monaſterio, & jam „ dicto Abbati portionem de ſupraſcriptis Ca„ſalibus, & ſic detinuit manibus per aliquos „ dies. Unde præfatus Abbas juſtitiam quærens, „ cum charta donationis, quam Donnella re„ligioſa Diacona antiquis temporibus pro re„demptione animæ ſuæ de ſupraſcriptis Caſa„libus in jam dicto Monaſterio fecerat, ad „ Domnum prædictum Pontificem vênit, & in „ ſuis manibus eam contradidit, & de hac re „ fortiter reclamavit. Tunc Domnus Papa, „ accepta ipſa Charta in manibus ſuis, ſicuti „ ſtabat cum ſuis fidelibus in Sacro Latera„nenſi Palatio, cœpit eam legere. Qua per„lecta, & cognita veritate, laudavit eam, & „ omnino ei diſplicuit quod prædictus frater „ ſuus fecerat injuſtè de ipſis rebus. Qua de „ cauſa pietate ductus, ſæpe dictum fratrem „ ſuum ad ſe venire juſſit, & cœpit eum ro„gare, & fortiter corripere, ut ab ipſa inju„ſtitia recederet, & Monaſterium quietè & pa„cificè ipſas res ſineret tenere. Hoc audito, „ Domnus Romanus, cognita veritate, quam „ Monaſterium habebat, obedivit juſſis Domni „ Pontificis.

„ In ipſa verò hora ſtabat Domnus Pontifex „ cum ſuis fidelibus ſubſcriptis in ſua Camera „ in ſupraſcripto Palatio, videlicet Abbo Ar„chidiaconus S. R. E. Johannes Diaconus, Pe„trus item Diaconus atque Cancellarius, nec„non & *Johannes Domini gratia Urbis Romæ* „ *Præfectus*, *Albericus Conſul germanus prædi*„*cti Præſulis*, *Berilo inclytus Comes*, & *Guido* „ filius ejus, & *Stephanus*, & *Sicco* &c. cete„rique alii, quorum nomina longum eſt nar„rare. In iſtorum præſentia juſſu Domni Pa„pæ, & ſua ſpontanea voluntate, tulit Dom„nus Romanus virgam de manu prædicti Ab„batis, & per ipſam virgam ei refutavit om„nem litem de ſupradicta terra, quòd num„quam nec per ſe, nec per aliam magnam „ parvamque perſonam ab eo ſubmiſſam, ali„quo tempore contra prædictum Abbatem, & „ ſuos Succeſſores præſumat litem inferre. „ Ad hæc talia namque præcepit ſupradictus „ Domnus Pontifex, ut ſi ipſe Domnus Ro„manus, aut ſui heredes ampliùs litigare vo„lerint adverſùm prædictum Monaſterium San„ctæ Mariæ, tunc compoſitores exiſtant auri „ optimi in ſupradicto Monaſterio libras nume„ro decem, & poſt ſolutam pœnam hoc Bre„ve in ſua firmitate maneat. Sic namque fini„tum eſt. Unde pro futura memoria, futuro„que teſtimonio, hoc Breve refutationis mihi „ Benedicto Scriniario S. R. E. ſupradictus „ Domnus Pontifex ſcribere præcepit, in quo „ & ipſe manu propria ſubſcripſit, in Menſe „ & Indictione ſupraſcripta XIV.

„ † hfpfKlbctxl. (a) Ego Benedictus „ Sanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ Præ„ſul.

„ Abbo Dei gratia Archidiaconus S. R. E.

„ Petrus Diaconus &c.

„ Ego Benedictus Scriniarius S. R. E. qui „ ſupra, Scriptor hujus chartæ factæ comple„vi, & abſolvi.

(a) Literas haſce Librarius aſſequi non potuit, & quidem excuſandus; Mabillonius enim, vir in ejuſmodi antiquis characteribus dignoſcendis omnium aevo noſtro princeps, ne ipſe quidem intellexit, uti conſtabit ex altero Placito, quod e Farfenſi Chartario idem evulgavit, atque ego iterum proferam. Scilicet ibi quoque *Benedictus VIII. Papa* ſubſcribit, ejuſque ſubſcriptionem Mabillonius ita illic legiſſe ſibi viſus eſt: *Theſ. pf. & Lbctxc qui Benedictus Papa vocor*. Ego lectionem meam ſequutus, quae utrobique eadem eſt, venia ante petita, in conjecturam hanc facile inclinarem, nempe ibi legendum, *Theophylactus*. Seriem literarum cum hoc nomine compone, nec abludere ſentias. Neque verò ipſa Mabillonii lectio à conjectura iſta abſcedit. Profecto non me fugit, *Benedictum IX. Pontificem* revera *Theophylacti* nomen uſurpaſſe, eoque nomine ab iſto *Benedicto VIII.* patruo ſuo fuiſſe diſtinctum, uti nos docet Hermannus Contractus in Chronico, immo teſtatur ipſe Chronographus noſter, *Benedictum Papam* infra memorans *qui & Theophylactus dicebatur*, hoc eſt *Benedictum IX.* à Johanne Sabinenſi dejectum. Verum tot tenebris obſidetur Pontificum ejus aevi Hiſtoria, ut paucula de ipſis teneamus. A veri ſimilitudine non abhorret, ipſum quoque *Benedictum VIII.* duplici nomine fuiſſe uſum, ejuſque nepotem utrumque patrui nomen poſtea in ſe renovaſſe.

(14) Quamquam ſub Ottone III. Auguſto paucos ante annos Creſcentius Praefectus Urbi capite abſciſſo poenas rebellionis dederit, attamen honorem ex ejus familia minime excidiſſe vides; hunc enim arbitror ad eamdem nobiliſſimam familiam ſpectaſſe.

(15) Ideſt Dux & Marchio Tuſciae.

(16) Idem videtur ac nunc Cornetum. Quod ubi ſtatuas, intelligimus, tunc Oppidum Corneti in Marchia Tuſciae fuiſſe comprehenſum, quum illic jus dixerit Rainerius Tuſciae Marchio.

& suos filios, atque nepotes legitimos de terra & Ecclesia Sanctæ Mariæ in Massa ad Formellum, quam Domna Rogata conjux ejus in hoc Monasterio concesserat eodem viro consentiente, cum omnibus pertinentiis; & quantacumque Presbyteri ipsius Ecclesiæ acquisierant in ipso vocabulo, & de aliis Casalibus ibidem, & de Casale Petri de Leone Ferrarii, cum omnibus eorum pertinentiis. De quibus omnibus constituit, ut nec ipse Abbas, nec sui successores licentiam habeant ab hoc Monasterio subtrahendi, neque dandi per libellum, aut aliquo modo, nisi ad laboratores pro parte reddenda. Quòd si alienare vel subtrahere præsumserint, & probatum non emendaverint, tunc supradictus Domnus Octavianus, aut filii, vel nepotes legitimi, prædictam Ecclesiam cum Casalibus, & pertinentiis reprehendere, & ad suam proprietatem revocare licentiam habeant, sine ulla calumnia. Et si postea Abbas ipsas res contemserit, componat illi tantum pretium, quantum de ipsa terra tunc fuerit æstimatum.

Item prædictus Domnus Hugo Abbas fecit convenientiam cum *Domno Landuino Abbate Monasterii Domini Salvatoris* (17), de Letenano, seu & Boiano, & de placito, sive districtu totius Massæ Bucciniani, quam acquisierat à Pontifice Romanæ Sedis, ad opus hujus Monasterii perpetualiter tenendum, ut homines ad placitum duceret idem Abbas Hugo, vel ejus successores, sicut *Comites Sabinensis Comitatus* antea facere solebant. Rogatus verò ab eodem Landuino (18) Abbate Monasterii Domini Salvatoris de Latenano, seu & Bojano, de placito, sive districtu totius Massæ Bucciniani, quod acquisierat, perdonavit illi ab ipsa hora in antea placitum, & districtum de ceteris hominibus suis, quos tunc tenebat à sua manu, vel deinceps acquirere poterit in Curte sui Monasterii de Mejana, vel ejus pertinentia. Et perdonavit illis fodrum de Castello Bucciniano, & ejus villa, quod Comites colligere solent, excepto pro Imperatore, pro quo debent ipsi sicut & homines nostri. Et perdonavit pretium, ut per consuetudinem illi non quærat; & promisit illos adjuvare, & defendere; sic omnes homines hujus Monasterii omni tempore, quoties oportuerit. Hæc omnia promisit Domnus Hugo Abbas pro se, suisque successoribus perpetualiter permanenda, tali tenore, ut prædictus Abbas Landuinus, & ejus Successores, omnes homines suos de jam dicta Curte Mejana omni tempore faciant in Castello Bucciniano Castellare (19), & perficiant ibi omnia, sicut alii Castellani de Guasta, & laborent ad ipsum Castellum; & de culpis his justitiam faciat, idest de homicidio, de homine vulnerato, de furto, incendio, & traditione ejusdem Castelli, de adulterio maritatæ, & ancillæ Dei, si infra ipsum Castellum commiserint, & ad justitiam semper sit Abbas Domini Salvatoris, aut ejus Nuntius; & de compositione culpæ perdonet Abbas noster; & Abbas Domini Salvatoris ad fiduciam stare debeat Abbatum hujus Monasterii Sanctæ Mariæ.

(17) Ad Annum 1019. Clar. Mabillonius haec eadem commemorat, atque illud Monasterium *apud Reate* situm fatetur. Ergo quod supra in aliis locis *Monasterium Domini Salvatoris* appellatur, de hoc intelligendum, non vero de *Amiatino* in Tuscia. Vide infra.

(18) Ad hunc eumdem Landuinum Abbatem Monasterii Reatini Sancti Salvatoris exstat Epistola Hugonis Abbatis Farfensis, quam e Chartario Farfense celeberrimus Mabillonius eduxit, & evulgavit. Hanc ipsam ego heic legendam præbeo.

Hugonis Abbatis Farfensis Epistola ad Landuinum Abbatem Monasterii Sancti Salvatoris Reatini de permutatione terrarum inter eos facienda circiter Ann. 1019.

,, LAnduino Abbati Monasterii Domini Salvatoris Hugo exiguus & humilis Abbas Cœnobii Farfensis perennem in Christo salutem & unanimem dilectionem. Convenientiam inter nos nuperrimè factam de Curte vestri Monasterii, scilicet Ecclesia Sancti Petri in Mejana plurimi fratres nostri Cœnobii perspicientes, valde gratificati collaudarunt, & confirmare sanxerunt. De hoc verò, quod nos consulens requisisti, lucidiùs exquirentes cartas, & tomos, sive membrana nostræ Ecclesiæ, authentica munimina reperimus & antiquissima, quæ pro certo continent, quòd ab olim inter ipsum istumque Conventum magna est concordia, & dilectio continua extitit, & de nostris ad vos & de vestris ad nos eundi & redeundi, cuicumque libuit, semper licuerit, nullique aliquando denegatum fuerit. Quapropter tempore hyemis vel æstatis familiariter & domesticè uterque Conventus multotiens permanere consueverat. Unus etiam *Ludovicus Imperator* cùm die Pentecostes ad hoc Monasterium devenisset, & huic loco & *Domno Johanni nostro Abbati*, ipsique Monasterio Domini Salvatoris, & *Domno Anastasio Abbati* Præceptum insigne optimæ libertatis de omnibus bonis acquisitis & acquirendis dignissimè fecit. Nos quoque infra vestri Monasterii pertinentias, vosque infra nostri quidquid valebamus, nos ad opus nostri Monasterii, & vos ad opus vestri acquirere studebamus. Denique legales cartas & certissimas de locis ipsis vicinioribus vobis habemus, idest de Castro Maillialardo cum Ecclesia Sancti Benedicti, omnibusque pertinentiis, & de Monasterio, quod dicitur Vetus, & de Villa Cellæ-Novæ, & de Villa Leseniæ, & de Villula, & de Ecclesia Sancti Benedicti, quæ est prope Monasterium Domini Salvatoris, & omnia manualia ibidem, quæ dicuntur granica. Item in via Aquilonis euntium à dextris locum ad caulas animalium muris ædificatum pro tempore æstivo, & Castrum Longonis cum omnibus pertinentiis suprascriptis, & cunctis aquæmolis: hæc omnia vel alia bona nostro Monasterio pertinentia, circa ipsa loca vestra, quæ magis vobis, sicut viciniora sunt, ita & congruentia vel utilissima, pro rebus ipsis vestro Monasterio pertinentibus, quæ nobis plusquam vobis seu (*fortè* situ) sunt proxima, sic & proficua, nos vobiscum vestroque Monasterio æquè & legaliter unà cum vestro Conventu tempore & die vobis placito concambiabimus. Et si vos, uti nobis dixistis, Curtem vestram, idest Ecclesiam Sancti Petri in Mejana, ad vestrum opus vultis retinere, nos etiam Ecclesiam Sancti Petri in Pensili nobis volumus reservare. Alia autem omnia, sicut te velle nobis ostendisti, per concambium dare, & recipere potestis, ita sanè, ut quæcumque pars in futurum infringere & evacuare voluerit, componat parti alteri Libras decem auri optimi; insuper quod cambiavit nullo modo recipere possit; sed utrumque cambium permaneat in Monasterio, qualiter nec fecit, nec istam convenientiam fregit. Nunc autem si placet vestræ religioni, & vos rescribite nominatim res in istis locis vestro Monasterio pertinentes, ut absque aliquo dubietatis scrupulo nostras explere valeamus placitas commutationes cum utriusque Monasterii proficuo. Optamus vos semper per omnia valere.

(19) Substantivum nomen puto. Castellum cum *Castellare suo* doctissimus Du-Cangius interpretatur pro *districtu*. Arcem, sive Rocham designari heic mihi verisimilius videtur. Erat olim Castellare etiam Mutinæ; atque Anno 1328. filii Passerini Mantuanorum Tyranni in Castellari inclusi fame perierunt.

Mariæ. Quòd si Abbas hujus Monasterii aliquid horum fregerit, & non emendaverit, componat Abbati Domini Salvatoris auri libras II. Et si Abbates Domini Salvatoris non adimpleverint, ut superiùs legitur, hæc obligatio fiat inanis & vacua, si non emendaverint; & Abbates hujus Monasterii recipiant, quicquid superiùs eis perdonaverunt. Item Benedictus Presbyter, filius Joannis Mali, & Annæ jugalis, dedit in hoc Monasterio, & in Sancto Theodoro infra Civitatem Hortanam, Ecclesiam Sancti Petri Apostoli, positam in fundo Riolo, quam ipse ædificavit & fecit, cum tota ejus pertinentia, & unam petiam terræ in regione Pinnæ; & Criptam sub ea juris privatorum, & omne intus, & de foris, & de luco, ubi dicitur Sala, recepto pretio solidorum centum. Item Presbyter Cando, filius Stephani dedit res suas de Arnano.

Item Berardus filius Guinisii dedit res juris sui de territorio Reatino, ubi dicitur Malamorte, caput in terra de Vivaro, pedem in rigo Sancti Martini. De uno latere fossatus Stephani; de alio latere serra montis de Portica, quomodo pergit in rigum Sancti Martini, & alias res juxta pertinentias Ophiniani in Puzalia, & alias res in Puzalia, & in Macle, & alias res in Mala-morte, idest Casale Roccionis. Item Tedemarius filius Joannis dedit res suas territorii Sabinensis, ubi dicitur Legaranus, juxta confinium Reatinum, & via de Morellis, quæ vadit à Sancto Vincentio, & Anastasio.

Item Joannes filius Anastasii Neapolitani, & Stephania jugalis, dederunt in hoc Monasterio portionem suam Romæ in regione Scorticlari (20) juxta Thermas Alexandrinas, de terra usque in viam publicam, quæ pergit ante & subtus Arcum Pietatis, & introitum, & exitum cum carro. Item Sabinus Presbyter filius Petri dedit res suas territorii Sabinensis, ubi dicitur Barilianus & alias res ibidem modiorum II. Item Franco filius Frasiæ dedit res suas de Flaminiano, & valle de Caldiniano. Item Petrus Presbyter, & Benedictus, & Godius filii Ambæ dederunt res suas de Aspra; à capite via, & per ipsam in summum montem Doccium; à pede rigagines, & Petræfixæ; ab uno latere similiter; ab alio latere revertentem in summum montem Coclinum, & venientem in rigagines pedis; & alias res ibidem, & alias res ubi dicitur Baccariccia medietatem in integrum. Item Valentinus Presbyter, & Monachus, Custos Ecclesiæ Beati Antimi, & Sancti Sylvestri, & Simeonis Comitatus Narniensis, consentientibus Monachis ipsarum Ecclesiarum, dedit in hoc Monasterio res sui juris in cuncto Comitatu Narniensi, & Ecclesiam Beati Antimi in Colle positam; & in pede montis Rotundi, ubi dicitur Sancti Rupti terram, ubi ipsæ Ecclesiæ constructæ sunt, in tali tenore, ut nullus Abbas hujus Monasterii licentiam habeat, easdem res & Ecclesias vendendi, aut commutandi, vel in aliam Ecclesiam suffragandi, nisi in perpetuum in hoc Monasterio conservandi, & cœnobitarium faciendi.

Item Romanus filius Atenolfi, & Formosa uxor ejus, dederunt in hoc Monasterio res infrascriptas: Ecclesiam Sanctæ Mariæ sub colle Bajano, cum Oratorio Domini Salvatoris, & Sancti Juvenalis, & Sancti Angeli, & Sancti Benedicti, & Sanctæ Luciæ, & Sanctæ Crucis, & terram modiorum V. super quam ipsa Ecclesia consistit, & aquæmolum molentem, & aliam terram ibidem modiorum II. & aliam ibidem modii unius & solidi unius. Et alias res, ubi dicitur Casalis, modiorum II. & ubi dicitur Collis-malus, modiorum II. & ubi dicitur Morianus, & Vallispaca modii I. & aliam terram solidorum III. & ubi dicitur Morianus, & Crypta, modiorum V. & in fundo Collis Carbonis modiorum III. & in fundo Furcella ad Murella modiorum V. & in Fundo Casalis modii I. & dimidii, in tali tenore, ut ipsa Ecclesia cum rebus, quas dedimus Abbati hujus Monasterii, non habeat licentiam vendendi, nec donandi, nec commutandi, nec in aliam Ecclesiam suffragandi, sed in perpetuum in hoc Monasterio conservandi, & Cœnobium faciendi &c.

Item Guido filius Bonæ cum consortibus suis refutavit in hoc Monasterio Casalem de Albuciano, item Casalem Sintonis, Casalem de Petro Rotrudæ, & Casalem Merconis, & alia casamenta in Cryptula, Casalem de Petro Angliæ, Casalem Ursi Truncamentici, Casalem Joannis Scalancati, Casalem Benedicti Madonis, & Ecclesiam Sancti Joannis cum suis dotalibus, & Casalem Leonis de Anglo, & Casalem Joannis de Adone. Item Tinto, & Boninus filius Leonis refutaverunt terram Postmontem in Materno, & in Lanfriniano, & in Cassiano. Item quidam homines XII. territorii Sabinensis dederunt res suas in Coscie cum Ecclesiis. Item Leo Presbyter, & Adelbertus, germani filii Joannis, dederunt in hoc Monasterio res suas territorii Reatini, vbi dicitur Salatrum.

Item *Arnostus Missus Domni Imperatoris Heinrici* revestivit Adam Præpositum hujus Monasterii, residens in placito apud Collectarium territorii Amiterni, & ad Monasterium Sancti Bartholomæi de rebus hujus Monasterii in vocabulo Cupulo, quarum fines sunt usque rivum, & terram filiorum Guitemanni, & rigagines; & venit in fontem, & pergit per Vallem, & per sedimen Castelli, huic Monasterio pertinentis. Has res injuste tenebant filii Adenolfi cum nepotibus suis, idest Dodo Difredus, & filii Ingoberti, & Giso, filiique Adelberti ad placitum ter vocati sunt, & venire noluerunt. Jam in alio placito refutaverant filii Ragnerii, & filii Temarii, & filii Roffredi, & filii Adelberti; atque filii Classari ad Domnum Adam Priorem hujus Monasterii, & ad Domnum Petrum Præpositum Sancti Angeli, res hujus Monasterii territorii Reatini ubi dicitur Octavus, quarum fines sunt usque rivum, qui currit in terra Zarfonis, & venit in rigulaginem, in Furcellam, & in Vallem, & in Collem de Macla-longa, & in fossatum, & per ipsum in viam Antiquam, & revertitur in fossatum terræ Zafronis. Item Offredus filius Alberici concessit in hoc Monasterio res sui juris infra Castaldatum, & territorium Narnatinum, idest in Toniano, & in Cella, & in Lanzatora, & in tenentia de Figli, & vadit in collem Curnacilis; à tertio latere mons Cornellæ; à quarto latere mons

(20) Ut Martinellus in Roma Sacra adnotat, Thermae Alexandrinae sitae sunt in Regione, quae nunc dicitur *Sancti Eustachii*. Aliud nomen olim fuisse huic Regioni, hinc liquet; neque enim corruptum heic vocabulum suspicari audeo.

mons Tolofcæ, pergens ad Cellam, & per ejus viam ufque in cafas de Prendifcis modiorum centum, & portionem de Ecclefia Sancti Martini.

Item Ildebaldus filius Sergiæ, & Rapizo filius Attonis, & Eufebia relicta Raynerii, & Atria uxor fupradicti Ildebaldi, dederunt in hoc Monafterio res fuas Comitatus Reatini, ubi dicitur Gregiæ. Item Bonizo Presbyter, & Benedictus, & iterum Bonizo Presbyteri, & Leo, & Franco dederunt in hoc Monafterio Ecclefiam Sancti Joannis Comitatus Narnienfis, ubi dicitur Torellus cum chartulis XL. de ejus poffeffionibus. Item Joananes filius Leonis, & Ingelrada uxor ejus, dederunt in hoc Monafterio res fuas territorii Sabinenfis de Refcaniano, & in Acutiano cum portione Ecclefiæ Sancti Martini. Item Berardus Judex filius Dodacii dedit in hoc Monafterio res fuas territorii Reatini, ubi dicitur Noveri, in Capitigiano, & Paganico. Prima petia eft cafarinus in Græci; fecunda in fine Sancti Sabini; tertia ad Pifcinas; quarta ibi prope; tres in prato de Paganico, ad rigum Cæfarianum; octava inter Fractas de prato; nona in Rapinaldi; decima in Rabicella greocla; undecima in Riano de Fuara. Item Petrus filius Raynerii dedit in hoc Monafterio res fuas, quas acquifivit per commutationem ab Epifcopo Reatino infra ipfum Comitatum, ubi dicitur Quintilianus, ab uno latere Caneria; à fecundo latere Tremulum; à tertio latere rigus Alatus; à quarto latere via: quæ funt modiorum L. & alias res in Monte-Nigro, juxta Cæfam Reatinam, modiorum XX. cum ipfo Cerreto. Item Petrus filius Saxonis dedit in cafa Librici territorii Sabinenfis modios I. & alias res ibidem modii unius.

Ipfo tempore reclamavit Domnus Hugo Abbas ad *Oddonem*, & *Petrum Comitem* de filiis Teuzonis, & filiis Azonis, & filiis Crefcentii, qui tenebant in Feclinis res hujus Monafterii; & refutaverunt ftatim per commiffionem Comitum, & Judicum. Item reclamavit de filiis Maroze, & nepote, coram filio Beraldi, quia tenebant in Campo Adonis res hujus Monafterii, qui fimiliter refutaverunt eas in hoc Monafterio, & cum eis refutaverunt Crefcentius filius Landulphi cum fuis fratribus, & cum Matilde matre eorum. Item refutaverunt Joannes, & Roccio de Arifufo, & Petrus Presbyter de Inga, & Franco, & Ropertus filii Joannis de Inga, & Stephanus cum conjuge fua Benefacta. Item Tedemarius filius Rodulphi, & Rodulphus filius Georgii cum fuis fratribus, & Joannes Notarius refutaverunt de Cafiano. Oreclanium verò, & Muricentum, & Licianum, ubi eft Ecclefia Sancti Angeli refutaverunt filii Tebaldi, & filii Landulfi cum fuis fratribus & cum Matilde matre eorum, & fratribus fuis, & Berengarius de Urbana, & Boniza mulier Tebaldi, & Raptis mulier Gozonis cum filiis fuis. Bambanum autem refutaverunt filii Seniorieti & Adebaldus, & Raynerius de Maroza, & filii Landulfi cum Matilde matre, & fratribus fuis. Et Comites miferunt bannum pro fupradictis rebus per unumquemque reum auri optimi libram I. Item Sico Presbyter dedit in hoc Monafterio res fuas de Refcaniano, juxta rigum Calentinum, & portionem de Ecclefia Sancti Martini, & alias res de Acutiano, juxta rigum de Refcaniano. Item Dominicus filius Petri, & Lupa Uxor ejus dederunt res fuas de Cafale, ubi dicitur Agelli, juxta Rigianam.

Item Adam filius Petri, & uxor ejus Ifa, dederunt in hoc Monafterio res fuas territorii Afculani, ubi dicitur Lurnati, & villa de Carano. Prima petia eft ad Cafarinas cum cafa; fecunda ad Fonticellas; tertia ad Francum; quarta verò fecus terram filiorum Odemundi. Item Raynerius, & Conjus filii Odemundi dederunt res fuas in fupradicto territorio, ubi dicitur Mocarca, quarum fines funt fluvius Negia, & Gulganus, & pertinentia Maclæ, & fluvius Tintus, & funt modiorum centum pro quibus pretium receperunt à Domno Hugone Abbate libras XXX. argenti. Item Sigizo filius Joannis, & Doda uxor ejus dederunt in hoc Monafterio res fuas pertinentiæ Scandiliæ juxta Fontem marmoreum, & rigum Caculi. Item Petrus filius Stephani dedit Ecclefiam Sancti Flaviani territorii Reatini foris pontem, tertiam partem, & alias res ibidem. Item Joannes Presbyter filius Majonis dedit in territorio Afculano ad Farbezanum diverfas petias modiorum XXIII. & eo ampliùs. Item Gualafoffa filius Totonis dedit de Puzalia ad Maceras, & de Caftello Totonis duas partes. Item Francus filius Nonvoliæ, dedit in hoc Monafterio res fuas territorii Sabinenfis, ubi dicitur Fiftula, in quo eft Ecclefia Sancti Blafii ad Faldum juxta rigum Garri, & alias res de Puzalia; Cafalefraffum totum integrum, & alias res territorii Reatini in Falfa, feu fub Cafale, quem tenuit Majoranus, & Adelmarius. Item Aldebaldus dedit de Gregia res fuas modiorum V. & alibi modiorum VII. & petiam terræ in Cæfa Candofa. Item Maifredus filius Gottifredi dedit de territorio Reatino, ubi dicitur Parrata, modium unum, & fextarium unum.

Anno autem Dominicæ Incarnationis MXXVII. *Imperii* verò *Domni Cuonradi I.* Nonis Julii, Indictione X. Berardus filius Attonis, fragilitatem hujus generis pertimefcens, & ultimæ tempus vitæ, ne fine aliquo boni operis refpectu migraret à feculo, fed præpararet fibi viam falutis, per quam ad æternam beatitudinem perveniret: idcirco pro remedio animæ fuæ, & Raynerii dilectiffimi filii fui, & ut veniam delictorum confequi mereretur, dedit, & in perpetuum conceffit, atque de jure fuo in jus & dominationem hujus Monafterii Farfenfis donavit unum *Monafterium Domini* (21) *Salvatoris* Ducatus Spoletini, inter confinium Terrananum, & Reatinum Comitatum, ubi dicitur ad Marmora, cum omnibus ad ipfum pertinentibus, & quæ modò habet, & deinceps acquirere poterit; & tradidit fuprafcriptum Monafterium Domini Salvatoris, Ducatus Spoletini, ad proprietatem hujus Monafterii Sanctæ Mariæ, & per chartulam donationis confirmavit, ficut fuperiùs legitur coram his teftibus, Rolando filio Riconis, Oddo, Valentino filio Joannis, Benedicto. Et ipfe fupradictus Berardus confirmavit & manu fua fubfcripfit; Adam quoque Judex & Notarius complevit, & claufit.

Item

(21) En Monafterium non femel fupra ab hoc Scriptore nominatum, atque in Reatino Comitatu fitum, non autem in Monte Amiato in Provincia Tufciæ, & Comitatu Clufino uti opinatum vidimus Mabillonium.

Item Joannes, & Petrus, Presbyteri, reddiderunt quamdam præstariam, & refutaverunt res ibi descriptas cum Ecclesia Sancti Jacobi, & ejus pertinentias. Item Deodatus Presbyter filius Mollicæ dedit duas partes Ecclesiæ Sancti Rufi, & Sancti Benedicti: territorii Novertini, ubi dicitur Paganicus, cum Libris duodecim, & Campanile, & alias res ibidem, & terram modiorum XXX. Item Tebaldus de Sebia, & Lavinia dederunt in hoc Monasterio res suas Comitatus Reatini, ubi dicitur Græcia, & Rote, & Cæsa Cardosa modiorum VIII. Item Tedemarius filius Raynerii, & Tedemarius filius Tedemarii, dederunt res suas territorii Reatini, in Monte-Nigro, & in Cerrito modiorum XX. Item Atto filius Veneriæ dedit res suas Ducatus Spoletini, Castaldatus Equini, ac territorii Narnatini, ubi dicitur Lanzatoria.

Item Jonnnes & Taso filii Petri, dederunt in hoc Monasterio in eodem territorio in villa, quæ dicitur Bubita, & ad Cretajam modii unius & sextariorum II. Item Adam filius Joannis, & Gironta uxor ejus, dederunt intra Civitatem Reatinam ad Sanctum Georgium casalicium, & casam, & in campo Maris terræ petiam I. & in Campolis terræ petiam I. Item Samson filius Guinisii dedit res suas Comitatus Reatini de Puzalia, ubi dicitur Mala-morte ad Maclas. A primo latere pertinentia terræ, quam tenuit Sinibaldus, ascendentem in summum montem, tenentibus filiis Teutonis, & descendentes in pertinentiam Ophiani, ab ipso fossatu Sculculæ descendentes in rigum Sancti Martini, cum aquæmolis, Ecclesiis, omnibusque pertinentiis. Item Joannes filius Remedii, & Ziotolfus Presbyter filius Joannis dederunt res suas territorii Narnatini ad Bubitam, & Ecclesiam Sancti Stephani cum omni pertinentia; & petiam terræ cum casa, ubi habitabant ipsi, & de petia terræ casæ filiorum Veneriæ, quæ sunt modiorum centum. Item Hugo Presbyter filius Donati dedit res suas territorii Reatini, Castaldatus Ophiani, ubi dicitur Casalis Petri Asonis, juxta montem, in quo est Ecclesia Sancti Vincentii, & Anastasii Martyris, totam Ecclesiam dedit, & medietatem omnium rerum, & tres portiones de alia medietate; & alias res, ubi dicitur Campus Coniuli. Item Transaricus, filius Maifredi dedit res Salomonis germani sui in Comitatu Reatino, & Furconino; & portionem pertinentiæ Ophiani, infra Castellum, vel à for s, & ad turres cum suis pertinentiis; & ad rigum de Angu, & ad Vespulum, & ad omnem pertinentiam montis Peticlosi; & in monte, ubi est Ecclesia Sancti Joannis cum suis pertinentiis; & ad rigum de Angu, & ad Vespulum. Harum rerum fines sunt: pertinentia de Mala-morte, & de Vivaro, & de *Berardi Comitis filii Raynaldi*, & filiorum Herimanni, & de Ciculanis, & filiorum Guidonis, & Totonis, & de Comitatu Furconino in Trineri, & ubi dicitur Paternus, in quo est Ecclesia Sancti Gregorii, & Ecclesia Sancti Liberati; & ubi dicitur Caicla, in quo sunt aquæmola; & in Paganica; & in Camarda, & in Vutri, & in Crisanto, & ad puteum Valentini, subtus Ecclesiam Sancti Gregorii, & in Civitate, & in Barico, & in Amiterno, & infra Civitatem Reatinam, & in Plage, & in Margarita. Item Azo filius Bernengeri dedit in hoc Monasterio res suas territorii Reatini de Monte-Nigro, modiorum XX. Item Lidinus filius Maifredi dedit res suas de Ophiano, idest sextā partem in integrū. Item Dodatus Presbyter filius Mollicæ, & alter Dodatus filius Joannis dederunt in hoc Monasterio duas partes Ecclesiæ Sancti Rufi territorii Noviterni in Paganico cum omnibus pertinentiis. Item Andreas filius Ursi dedit res suas de Græcia, & ubi dicitur Gualdata modiorum V. Item Berardus, & Guido filii Oldebaldi dederunt in supradicto vocabulo de Casale Joannis Curvi modium unum. Item Octavianus filius Joseph dedit in hoc Monasterio res sui juris Ducatus Spoletini, territorii Nocerini, idest duas portiones Caballi-Albi, videlicet Curtem, quæ ei in portionem evênit à consortibus suis, cujus fines sunt de super Serra, de Pila, & terra Curtis Acillionis; à secundo latere terra filiorum Dodonis, & Hugonis, & Letonis rectè venientes in Clusam Sancti Victorini; à tertio latere mons Sancti Angeli ad Camillianum; à quarto latere Camillianus, & Semonclaria rectè venientes ad primum latus; & duas portiones Sancti Eutichii, & Sancti Donati, & de casamentis ejusdem Curtis, & sunt modiola CC.

Item *Berardus Comes filius Teudini Comitis* commutavit in hoc Monasterio res suas infra territorium Reatinum, ubi dicitur Veranus modiorum CCCL. quarum fines sunt Calcarola, & terra filiorum Corvini, & Pusanum, & terra filiorum Aldonis; & alias res in vocabulo Sancti Laurentii juxta fluvium Mellinum modiorum CLX. ad modium Reatinum; & medietatem duarum Ecclesiarum in rebus de Turano, cum podio, quod ibi fuit. Unde recepit in commutationem à Domno Hugone Abbate res huius Monasterii territorii Reatini infra fines Atissæ sub monticello super fluvium Sangrum, ubi fara ædificata fuit modiorum D.

Item Aldebaldus filius Sergiæ, Raynerius, & Rapizo filii Ottonis dederunt in hoc Monasterio Ecclesiam Sancti Cassiani in Græcia cum terris ibi prope modiorum LXXX. & unum molinum. Item Cancio, & Joannes filii Raynerii dederunt portionem suam de aquæmolo, & de supradicta Curte de Græcia. Item Ildegerius Presbyter filius Azonis de Castaldato Falagrinensi, ubi dicitur Bucunius, dedit in hoc Monasterio Ecclesiam Beati Petri, ubi dicitur ad Collem, cum rebus suis ibidem. Item Hilperinus, qui cognominabatur Bonhomo, vendidit in hoc Monasterio res suas in Sumari ad Scilica modia LXX. & recepit pretium à Domno Hugone Abbate mobilium rerum solidos CC. Item Joannes Presbyter filius Benefactæ dedit res suas de Sextiliano. Item Lotharius filius Attonis, & alii Tribucani refutaverunt ad Domnum Hugonem Abbatem de Castello Tribuco à Petra majori, quæ est supra Ecclesiam Sanctæ Luciæ, & usque Carbonariam antiquam, quæ est supra ipsum Castellum, & ipsam Roccam, ut nullo modo aliquid ampliùs contendant infra ipsos fines contra hoc Monasterium; & pœnam compositionis posuerunt auri purissimi libras octo.

Item Fresa relicta cujusdam Roccionis dedit in hoc Monasterio Romæ domum suam in Regione Nona, non procul à Thermis Alexandrinis. Item Franco filius Nonvoliæ dedit in hoc Monasterio territorii Sabinensis Ecclesiam Sanctæ Eugeniæ cum rebus suis ibidem, quarum fines sunt, via Romana, rivus Bubita, Riana, & Pons marmoreus. Item Martinus no-

nobilis vir de Turre dedit in hoc Monasterio portionem suam territorii Ponticelli, vel medietatem cum Ecclesiis, & omnibus pertinentiis. Alia verò medietas erat *Crescentii olim Præfecti, suique germani*. Et sunt ipsæ res in loco, qui vocatur Sancta Barbara. Item Beno filius Guidonis vendidit in hoc Monasterio res suas de Sextiliano pretio solidorum X. Item Guarinus filius Aifredi dedit in hoc Monasterio locum molendini in Currisio in Casale, qui fuit de Caino. Item Martinus, & Sobinus filii Dominici dederunt in hoc Monasterio portionem suam de podio in Sorbiliano. Item Marco filius Ansefredi, & Anna uxor ejus dederunt res suas territorii Sabinensis in Lejano super Castellum de Cantalupo; & in alio vocabulo, qui dicitur Mogianus. Item Falco filius Arnulfi dedit in hoc Monasterio res suas territorii Sabinensis, ubi dicitur Campana, in quo est ipsum Castellum &c. Item Lucia filia Prodæ, & Amatus filius Remedii dederunt res suas de Lafriniano. Item Rayno filius Justæ, & Joannes Presbyter, & Simeon, filii Raynonis, dederunt res suas de Calviniano qui cognominatur vallis Gramundella. Item Joannes, qui cognominatur de Georgio, dedit in hoc Monasterio Ecclesiam Sanctæ Mariæ territorii Callinensis in fundo Manciano cum omni illius pertinentia, & Ecclesiam Sanctæ Luciæ in monte Maciano. Fines verò à fossato in fossatum, & fistula cum aqua. Item Aza relicta Raynerii, & filia Aldeberti, consentiente Bonefacio filio ejus, dedit in hoc Monasterio res suas de Cornazano modiorum I.I. Item Brico filius Benedicti, & Boniza uxor ejus, refutaverunt in hoc Monasterio res suas de Castellione juxta casam Arnonis, & receperunt pretium solidorum XXXIII. Item Romanus Presbyter filius Joannis dedit in hoc Monasterio res suas territorii Reatini de Ophiano, ubi dicitur Castellione modiorum VIII. Item Benedictus Presbyter filius Arnulfi dedit in hoc Monasterio portionem suam de Sextiliano, ex alias res de Narzano. Item Joannes Tiniosus refutavit in hoc Monasterio res, unde scriptum acceperat ab hoc Monasterio cum portione Ecclesiæ Sanctæ Mariæ in Pitile, & ibidem tertiam partem unius molini.

Erat autem tunc temporis contentio inter hujus Monasterii Monachos, & nepotes Atilderici, & filios ejus, qui tenebant has Curtes hujus Monasterii, idest Curtem de Marruce, cum servis, & ancillis. Curtem de Puplito cum servis, & ancillis. Et in Civitate terras, & prata. In Campo Fingiani, & in Termine, & per alia loca, & vocabula, & in Interocrino duas Curtes Sestuni, & Vallantis cum illarum pertinentiis: Unum est Castellum Janulæ, quod tenent per injustum concambium, in montibus ibi prope constitutis, & in Campo Ancillarum Dei in Paterno, & Moza, & Ponte, atque Arturano; in Cesonis Cerretum Monacifcum, & gualdum de Treforio, & Casale Maximum in Reatina Civitate de intus & foris; & Curtem Sancti Gregorii; & in Ciculo terram, quam perdiderunt suâ negligentiâ, & parentum suorum. In plurimis quoque locis vendiderunt parentes eorum, & ipsi de prædictis rebus, & servis, & ancillis. Censum verò tempore præfati Hugonis Abbatis non dederunt. Pro his denique culpis reclamaverunt hujus Monasterii Præpositus Adam, & aliqui Monachi super eis ad *Hernestum Nuntium Heinrici Imperatoris*, qui reinvestivit eos de ipsis rebus, quas tenuerunt per plures dies. Redeunte verò præfato Abbate à via, qua ierat cum eodem Imperatore, cœperunt prædicti per se, suosque amicos & parentes nimis rogare, ut cum eis faceret finem. Tandem venit ipse Abbas cum illis, nolentibus Monachis suis, in hanc convenientiam, qua illi refutaverunt Ecclesiam Sancti Nazarii, cum Vallanti, & medietatem de Paterno, & medietatem de monte Divino, & Ecclesiam Domini Salvatoris cum duobus molinis, & cum solo tenimento Andreæ Presbyteri. Hæc omnia tenuit prædictus Abbas per annum unum. Post hæc iterum ipsis rogantibus reddidit Paternum medietatem, & medietatem montis, & molendinum unum. Alias res cum prædictis Ecclesiis ad suam manum retinuit per istos fines: limitem grossum, & terram Domini Salvatoris, & terram filiorum Passiani, & trivium de Campo Ancillarum Dei, quomodo vadit per viam publicam ad pontem Sancti Sebastiani, & descendit in flumen, & ubicumque Ursus Presbyter tenebat in montibus, & planitiebus: sic namque finitum est.

Item Mainerius filius Otæ per commutationem dedit in hoc Monasterio res suas de Furcone in Villa de Barisiano ad Colles modia VIII. & recepit ibidem post Limitem modia IV. & quartaria tria. Item Beraldus filius Attonis dedit in hoc Monasterio pro anima Raynerii filii sui res suas Ducatus Spoletini, Comitatus Reatini, quarum fines sunt via, quæ pergit ad res Sancti Joannis, & ad fontem Ansarici, & ad torrentem, & ad terram filiorum Hilderici, & ad limitem, & cesam montis Ponzuli, & pergit ad Crucem, & per pedem montis Lestæ, & per Collem, quem Joannes Crassus tenuit, & venit in flumen Mellinum, & in Scalellas, & Osam, & venit ad Sanctum Fortunatum, & per montem Sancti Maronis, & venit ad Monumentum ad Vadum de Pararia, harum omnium rerum medietatem, quas ipse tenuerat, tertia die antequam Transaricus germanus ejus moreretur, dedit & confirmavit in hoc Monasterio. Item Roccio filius Roccionis, & fratres ejus commutaverunt in hoc Monasterio res suas territorii Sabinensis ad collem Sancti Martini in Villa Tria modiorum XXXI.I. Item Joannes filius Luponis dedit res suas modii unius, ubi dicitur Acutianus, & Furcilla. Item Petrus, & Giletruda, & Benedictus, qui Piro vocatur, dederunt in hoc Monasterio, & in Sancto Adriano, portiones Leonis, qui vocatur Biso, & Constantiæ jugalis ejus, non longè ab ipso Monasterio: & in Sancto Adriano Civitatis antiquæ Tiburtinæ, de fundo Marini, portionem suam. Et dedit in supradicto Sancto Adriano portionem Leonis; & in Regione, quæ vocatur Vicus Patricii, domum terraneam cum Curticella, & in fundo Lippiano, vineam ordinum XC. & portionem de fundo Ferrata cum Ecclesia, sicut fuit Joannis Presbyteri, & Monachi, qui vocatur de Herma. Item Benedictus Presbyter, recepto pretio libræ unius, refutavit in hoc Monasterio res de Paternione, ubi dicitur Turris. Item Joannes Presbyter filius Gregorii dedit in hoc Monasterio portionem de Ecclesia Sancti Joannis, cum terra & vinea juxta eam in Comitatu Assisinate, ubi dicitur Vallefreda modiorum II. ad

II. ad Basco modiorum IV. & in Plage modiorum II. Item Ildebaldus filius Ittæ cum filio Attone suo, & Adelberga uxore ejus, dedit res suas de supradicto Comitatu, ubi dicitur Silvulæ modiorum VIII. & dimidium ; & in Satriano modiorum III. Item in Satriano modiorum XVII. Item Adelbertus filius Silvestri commutavit in hoc Monasterio res suas de fundo collis Bajani, juxta Lajam. Item Deo de Roccio dedit res suas de pertinentia Catini in Moliano, & Biliano modiorum III. & alias res ibidem modiorum II. & alias res ibidem modiorum III. Item Petrus filius Joannis dedit in hoc Monasterio de massa Trevæ ad Antiscanum res suas in integrum. Item Benedictus Presbyter filius Petri, & Dominica devota fœmina dederunt in hoc Monasterio res suas de Colle-sicco, & Paicla Folgia modiorum V. & infra suprascripto Colle modii unius; & alias res ibidem modii unius in fundo Albaneta, & ubi dicitur Longula; & infra collem Bajanum ad Gallitta terræ petias III. Item Crescentius filius Duranti, & Maroza uxor ejus dederunt in hoc Monasterio res suas de Ortelle, & ubi dicitur Barbianus.

Item *Domnus Petrus*, *&* *Adrianus nepos ejus*, *simul Abbates*, dederunt in hoc Monasterio, & Domno Hugoni Abbati, Monasterium Sancti Angeli, & Sancti Benedicti Comitatus Narniensis, ubi dicitur Taizanus, in ipso Monticello cum omnibus pertinentiis, quarum fines sunt à fossa pergentes in viam euntem ad Montem Majorem, & inde in Fossatellum ab Aquilonis latere, & tenentes heredes Mainfredi, quomodo vadit in viam publicam sub Monte supradicti Monasterii, & pergit in fossatum primæ coherentiæ; & alias res ibidem, & Ecclesiam Sancti Benedicti cum terra & vinea circuitus ejus; & res in fundo Stiligiano, & ad Fontana, & infra campum de Monumento petias IV. & infra Carbonianum petias IV., & infra Toccianum modiorum V. & in fundo Quarta Ecclesiam Sancti Benedicti cum ejus pertinentiis; & in fundo Gualdiciolo modiorum IX. & in Planesella modiorum II. & in fundo Pacciano modiorum XL. & medietatem Ecclesiæ Sancti Gregorii; Et in fundo Terentiano modiorum II. & ibidem petias III. ubi dicitur ad Sanctam Crucem; & in monte Taizano modiorum X. & in fundo Valle-Cupa mod. IV. aliam petiam modiorum III. de ipso Monte, & infra Castanea modiorum VI. Et de fundo Latrongiano, & de fundo Orilgiano, & de fundo Galbano, & de fundo Plogiano, & de fundo Columellæ; Et Ecclesiam Beati Martini in Civitate Narniensi, regione Sancti Severini; & in fundo Agelli ad Lubricitum modiorum V. & de fundo Pastina modiorum VI. & medietatem Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de fundo Ortiscano; & in fundo Fabriciano Ecclesiam Sanctæ Felicitatis cum terris modiorum X. & in fundo Fratta subtus Viam Flaminiam modiorum III. & in fundo Flaganello Ecclesiam Sancti Martini, & terras ibidem, & Ecclesiam Sancti Sabini in integrum, & de fundo Fraxineta terram, & de fundo Tabula, & de fundo Verula, & de fundo Capitone, & de fundo Colle, & de fundo Aquipuzola & de fundo Bobiano, qui nominatur Sancti Valentini in Comitatu Amerino, ubi dicitur Gallorum, Ecclesiam Sancti Stephani in integrum.; & in Colle Maclæ de Curte Sancti Viti quod eis pertinebat; & de fundo Corbiano; & de fundo Stifoni duo aquæmola, & aliud in fundo Corentiano ad Criptas; & Romæ in regione nona Ecclesiam Sancti Benedicti in integrum. Item Dodo filius Probonis, & Ajo filius Benedicti, & filii Amiconis commutaverunt in hoc Monasterio de Collectario ad Gesea Pratellæ modios II. & receperunt ibidem modios II. Item Franco, & Bonus, filii Saxæ cum uxoribus suis dederunt in hoc Monasterio res suas territorii Furconini ad Cornella modiorum XL. & receperunt in commutationem de Cæsarano terram incultam modiorum XXX. Item Joannes filius Gaidonis refutavit in hoc Monasterio portionis de Castellis, & podiis, & omnibus rebus territorii Sabinensis, quas pater ejus tenuit per scriptum. Item GualchKerius supradictus commutavit in hoc Monasterio res suas territorii Furconini petias II. prima modiorum VIII. ad vadum de Paganica; secunda modiorum III. & recepit ad Petram latam modios X.

Item Aldo filius Andreæ commutavit in supradicto territorio ad Aquilentrum modios V. & recepit in colle Sancti Muronis modios IV. Item Atto, qui vocatur Martius, dedit in hoc Monasterio territorii Amiterni res de Tisingano ad Sanctum Nereum medietatem terræ, idest modios X. cum medietate ejusdem Ecclesiæ. Item Atto filius Seniorîcti dedit in supradicto territorio ad Maclas modios IV. & in campo Lavareta modium I. & ad Sanctum Heliam modiorum III. recepit in commutationem. Item Dodo Judex, & Manfredo filii Azonis commutaverunt in hoc Monasterio res de Collectario. Prima petia in Pantano modiorum XVI. secunda ibidem prope modiorum XIV. tertia ibidem modiorum XX. alia ad Pratella modiorum X. alia ibidem prope modiorum X. & receperunt in ipso vocabulo per diversa loca modios LX.

Domnus itaque Hugo Abbas pretio solidorum LX. concessit res hujus Monasterii in Bariliano territorii Sabinensis juxta Paccianum. Item pro solidis XXX. concessit in Iviano, & in monte Aureo; & pro solidis XXX. concessit in Tobiano, & pro solidis XL. concessit in Viaro. A capite summum montis; à pede ripa; hinc rigus; inde tenet Azo cum suis consortibus. Et in Calviniano, & casa Pauli, & in Agutiano, in quo est Ecclesia Sancti Sabini. De his omnibus medietatem, & nonam partem alterius medietatis. Et in Urbana subtus Ecclesiam Sancti Viti medietatem de duobus aquæmolis; & pro solidis LX. concessit in Ortisano, & pro solidis XXX. concessit in Baniolo, & pro solidis centum concessit infra antiquam civitatem Turris, & de foris, & aliam clausam, & alias res, & ad Criptas antiquas, & in Censu, & alias res. Item pro libris octo concessit in Banibano, ubi est Ecclesia Sanctæ Helenæ; & in Liciniano, ubi dicitur Muricentum; & in Orecliano, & in Campadoni, & in Cocciano; & pro libris II. concessit de Castello Cuphi, & de ejus Ecclesia partes quatuor; & pro solidis X. concessit in campo ad Cerquetum; & pro libris II. concessit in Serrano, ubi est Ecclesia Sancti Valentini, cum ipsa Ecclesia, & in Pantano subtus Serranum; & pro solidis XX. concessit in Robiano decimam sextam partem & modios II. & pro solidis centum concessit in Saliano, & Grassiano. Ab uno latere rigus Grassianus; ab alio fossatus venientes in viam publicam; à ter-

tertio latere rigus, & fossatus montis Cæsæ venientes in petram Casariam; à quarto latere venientes in rigum Portellæ; & inde in pedem montis Salisani usque in pedem cum assimilatione finis Campi longi, venientes in rigum Massæ: ex omnibus medietatem, exceptâ Ecclesiâ Sancti Petri, quam in hoc Monasterio reservavit cum dotaliciis suis, & medietatem rerum ipsius modiorum XV. Et pro solidis XX. concessit sub Castello Postmontem, & alias res sub ipso monte ad quartam reddendam, & de vino mundo medietatem, & operas, atque Xenia, sicut alii homines hujus Monasterii. Et pro solidis XX. concessit in Tobiano modios VI. & pro solidis LX. concessit in Turano; & pro solidis LX. concessit in monte Aureo; & pro solidis L. concessit in Bucciniano cum Ecclesia Sancti Andreæ, summam montis Sancti Cosmæ: à pede limite & terra hujus Monasterii, quam tenet filius Joannis Baronis; ab uno latere terra Domini Salvatoris; ab alio Ingebaldi Franci, & Petræ-fixæ, medietatem in integrum. Et pro solidis LX. concessit in Turano; & pro libris XI. concessit in campo Sancti Benedicti unciam I. principalem, & medietatem de medietate ipsa, quæ nobis pertinet, excepto aquimolo. Insuper de Castello ipso, & de petia I. terræ, de Curte Sancti Gethulii omnem medietatem; in renovatione quoque hujus libelli libræ tres dandæ. Et pro solidis XXX. concessit, ubi dicitur Molle juxta Massacium, & Rianam, & Insulam, atque Rigum siccum; & pro solidis L. concessit in Azano; & pro solidis XXX. concessit in Sorbiliano; & pro solidis XX. concessit in Bassiano, vel casa Librici uncias VII. & pro solidis VI. concessit in Scintilla, quæ pertinet in Bassiano; & pro solidis XXXIII. concessit in Cassiano Casalis medietatem, exceptâ Ecclesiâ Sanctæ Mariæ ad quartam reddendum, & vini mundi medietatem, & Xenia, & operas, sicut homines nostri. Pro solidis XX. concessit in Aqua Calida, vel Bobaria, ad quartam reddendum, & operas duas; & si vineam pastinassent, post annos VI. redderent vini mundi medietatem. Pro libris L. concessit in monte Cisternæ, qui vocatur Faldus. Ab uno latere fossatus inter Mianam, & Carbonianum, quomodo assumptus est in furcam ipsius faldi, & descendit in fossatum Cancelli, & inde venientes ad cerrum Crucis, & ascendentes in cæsam Coppari; à capite rigagines, quomodo assumitur in cacumen montis, & descendit in rigum Cavalli; à tertio latere vallis ejusdem rivi venientes in Canalem, & assumitur in aliam vallem, inde in Cisternam minorem, & in via; à quarto latere Murella. Pro solidis XX. concessit in Cassiano, exceptâ Ecclesiâ Sanctæ Mariæ cum horto juxta eam ad quartam reddendam, & vini mundi medietatem, & de olivis, & xenia, & operas, sicut nostri homines. Et pro solidis centum concessit, ubi dicitur Sancta Maria in Pisile medietatem in integrum, & Casalem Cerquetum, & de medietate Noclæ partes tres, & de Coroliano similiter. Pro solidis L. concessit in Fecline, & in lacu; & pro solidis L. concessit in Paterno; & pro solidis XX. concessit in Coroliano modios X. & alia ibidem modiorum XXX. & terram cum silva modiorum X., & pro solidis XXX. concessit in Prætoriolo modium unum & dimidium, & medietatem Ecclesiæ Sancti Sebastiani, & duas partes terræ ad quartam reddendum, & medietatem vini mundi, & xenia; & pro solidis L. concessit in Curte secus vallem Bulimarzi, & Rianam, & alias res in Criptula, & in Curano, & in Saturano, & ex fonte Putida juxta atrium Sanctæ Balbinæ. Et pro solidis VI. concessit in Fecline; & pro solidis XX. concessit in area Vetula ad quintam reddendum juxta Curtem Sancti Gethulii. Et pro solidis centum concessit Postmontem in Cuciniano, medietatem de rebus, & Ecclesiis; & pro solidis VIII. concessit Casale Remedii, & petiam terræ in Casale Joannis longi, & Ecclesiam Sancti Philippi; & pro solidis XX. concessit in Privati Ecclesiam Sancti Cipriani, & alias res ibidem, & in Majana, & in Campo longo; & pro solidis XI. concessit Casale Boccionis de Angelo, & ad Ventum alias res, & ad Aquam caldam; & pro solidis XXX. concessit, ubi dicitur ad Sanctum Laurentium; & pro solidis XX. concessit in Teste juxta Castellum Postmontem cum Ecclesia Sancti Andreæ, & alias res subtus eam; & in Casale Caniano modium I. ad reddendam pensionem denarii I. & medietatem oblationis omnis Natalis Domini, Paschæ Majoris, & Sancti Andreæ. Et pro solidis XX. concessit in Centu Casale Ursi ad quartam reddendum, & vini mundi medietatem, & xenia, & operas. Et pro solidis CC. concessit in Piniano; & pro solidis L. concessit Postmontem Casale Scaplianum; & pro solidis L. concessit in Colle, qui vocatur Villatria ad Sanctum Martinum modiorum XXXIII. & pro solidis centum concessit Postmontem in Ciciniano de rebus, & Ecclesiæ medietatem; & pro solidis XVI. concessit juxta Casale Sancti Gordiani; & pro solidis VIII. concessit in Albuciano, exceptis molinis, in integrum ad quarta reddendum, & vini mundi medietatem. Et pro solidis XX. concessit in Ficlini, & alias atque alias res; & pro solidis X. concessit illic & Cervariola; & pro solidis XX. concessit ibi supra; & pro solidis X. concessit in Bacciano; & pro solidis L. concessit Casale Scaplianum absque parte tertia; & pro solidis LX. concessit in Bacciano, & in Galoniano, & in Salisano; & pro solidis XX. concessit medietatem Ecclesiæ Sanctæ Luciæ de Bacciano, & res in Galoniano; & pro solidis XX. concessit in Bacciano modios I., & pro solidis XXX. concessit in Prætoriolo medietatem Ecclesiæ Sancti Sebastiani, cujus medietatis partem tertiam in hoc Monasterio reservavit de oblationibus in Natali Domini, & Pascha, cum mortuorum datis; & unam clausuram, excepto Oliveto Dominico; & pro solidis XX. concessit in fundo Mucciano medietatem rerum; & pro solidis XXX. concessit in Prætoriolo duas partes rerum, & medietatem Ecclesiæ Sancti Sebastiani, exceptis olivis & nuculis, & medietatem oblationum in Natali Domini, & Pascha, & tertia parte de mortuorum datis. Et pretio librarum trium concessit in Turano modios IV. & pro solidis XL. concessit in Paterno; & pro solidis XX. concessit in Turano, & ad Fornicatam putidam, & alias atque alias res, ibidem ad quartam reddendum, & medietatem musti mundi; & pro solidis XV. concessit in Musiolo medietatem rerum ad quartam reddendum, & vini mundi medietatem, & de olivis, & xenia, & operas. Et pro solidis XX.

XX. concessit in Petiolo, & alias res, ubi est Ecclesia Sancti Sebastiani; & pro solidis XX. concessit in Molatiano; & pro solidis XX. concessit in Grassiano; & pro solidis XL. concessit in Urbana; & pro solidis LX. concessit in Tribiliano, & in Marciliano, & in monte Aureo, medietatem rerum; & pro solidis XXX. concessit in Baniolo ad quartam reddendum, & vini mundi medietatem, & de olivis, & xenia, & operas; & pro solidis XX. concessit in Salisano modios II. Et pro argenti libris IV. concessit in Serrano, & Cerqueto; & pro solidis XX. concessit subtus Ripas; & pro solidis XX. concessit in Curano; & pro solidis XX. concessit in Scapliano; & pro solidis XX. concessit in Casule; & pro solidis XX. concessit in Quinza ad quartam reddendum, & vini, & xenia, & operas, ut supra. Et pro solidis XL. concessit subtus Ripas; & pro solidis XII. concessit in Caniano ad quartam, & vinum, & operas, & xenia, & olivas ut supra. Item concessit in Luniano & Salisano pro solidis XX. & in campo Sancti Benedicti, & alias atque alias res ibidem ad quartam, & cetera ut supra; & pro solidis XX. in Casalamantis, qui vocatur Quinza ad quartam ut supra; & pro solidis L. concessit Casale Agonis ad Sanctum Vitum absque ipsa Ecclesia cum dotaliciis, & aquæmolo, & terra, quam tenent Presbyteri; & pro solidis XXX. concessit ad Frassum juxta viam Romanam; & pro solidis XV. concessit in Quinza ad quartam ut supra, & de nucibus; & pro solidis L. concessit in Centu; & pro solidis XX. in Hircule. Item concessit in Colle juxta Pomarolum, & secus Rianam, & Casalem unum ad quartam, & cetera ut supra. Item concessit in Pompejano, seu Bucca gelata juxta Quinzam, & alias res ibidem juxta Topham, ad quartam reddendum; & pro solidis XX. concessit in Paterno ad quartam; & pro solidis XXX. concessit in Terentiano duas partes tertiæ partis rerum, & Ecclesiæ Sanctæ Cæciliæ, & pro solidis XL. concessit in Terentiano de rebus, & supradictam Ecclesiam duas partes tertiæ partis; & pro solidis XX. concessit in Præpi medietatem rerum, & in Peneta modios III. & pro solidis XX. concessit Postmontem, ubi est Ecclesia Sancti Gordiani, juxta Olivas modium I. & ibidem modios II. exceptis Olivis, ad quartam. Item concessit in Privati Casale Sabini Gualdæ, & in Carboniano Casale Tuneperti; & pro solidis XX. concessit in Præpi medietatem, & in Peneta modios III. & pro solidis XL. concessit in Terentiano de rebus, & Ecclesia Sanctæ Cæciliæ ibidem duas partes tertiæ partis; & pro solidis XII. concessit Postmontem Casale Hoccari ad quartam. Et pro solidis CCCC. concessit Roccam in Salisano: ab uno latere Petræ-fixæ, & pes montis Salisani; à secundo latere fossata conjuncta; à tertio latere rigus, & fossatus, qui decurrit juxta montem Pompejæ; à quarto latere fossatus; & in Campo Longo, juxta ipsam Roccam, medietatem Roccæ, & Ecclesiam Sancti Angeli; & in Carboniano, & Privati: ab uno latere cacumen Monti Veli, quomodo venit in Baccaricciam, & in rigum Portellæ; à secundo latere via à Portella in rigum juxta Carbonianum, & inde venientes in Pharpham; à tertio latere terra Sancti Cipriani venientis in Pharpham, & inde ascendentes in rigum juxta Carbonianum; à quarto latere rigagines & aquas fluentes, quomodo ascendunt juxta Maranellam in supradictum cacumen montis: quartam partem in integrum, exceptâ Ecclesiâ Sancti Marcelli, cum dote sua in Carboniano. Item concessit in Bacciano, & in monte Otæ pro solidis centum in Salisano modios XXVIII. & ibidem modios II. pro solidis XXX., & in Bucciniano pretio librarum V. concessit in Pantanula, & in Sanguinario, & Casale, qui nominatur Casarina, & res in Mejana. Et insuper Albucianum Vallem super molendinos cum aquæmolis, excepto uno; & in monte Otæ tertiam partem. A capite rigus Scalatus, qui pergit in rigum Sancti Angeli; à pede rigagines venientes à Cisterna in rigum Cancelli; ab alio latere via Cisternæ, venientes in rigum Sancti Angeli; ab alio latere lacus, venientes, in Calvisiam Majalini, & exinde subtus in Forcellam, & in rigum Scalatum. Et res in Tancia; ab uno latere rigagines, inter Roccam, & Castellum Fatueli, venientes in rigum Sancti Angeli; à secundo latere rigus Scalatus, à tertio latere Furcella de Cauxa, venientes in aquam Nucellæ; à quarto latere riga conjuncta, venientes in rigum Sancti Angeli. Et res ad Cisternam; ab uno latere Cisterna, & via; & quæ venit in rigum Sancti Angeli; ab alio latere res Guanizonis; à tertio latere rigus Cancelli: tertiam partem de omnibus, & Castellum. Et pro solidis XII. concessit in Bacciano res ad quintam reddendum, & ibidem modios II. & aliam petiam ibi ad quartam, & operam unam & Xeniam I. & pro solidis XX. concessit in Pantanala modios IV. & pro solidis XVIII. concessit in Prætoriolo, & alias atque alias res ibidem ad quartam; & pro solidis XXX. concessit in Petiolo Casale Luponis de Sancta Reparata; & pro solidis XXX. concessit in Nazano, & in Leganillo, & in Vulpiniano, & in Castello modios IV. à foris, & tertiam partem ejusdem Castelli; & pro solidis X. concessit in Mazano; & pro solidis XX. concessit ad Aquam de Nespulo modios IV. & ibi prope modium unum; & pro solidis XX. concessit in Bucciniano modios III. & pro solidis XX. concessit in Baniolo modios V. & medium; & pro solidis XX. concessit in Quinza ad Sanctum Felicem, & subtus, clausuram Dominicam, & in Cavallaria modios IX. & pro solidis XV. concessit in Albiniano ad quartam reddendum, & Xenium; & pro solidis XX. concessit in Bucciniano modios II. & pro solidis centum concessit in Quinza ad Curtem juxta Vallem Bulimarzum; & pro pretio librarum III. concessit in Quinza casamentum Joannis Stabilis; & pro libris L. concessit in Pompejæ Monte Callonis: ab uno latere terra Masseni; à secundo Pharpha; à tertio rigus sub Rocca, veniens in Pharpham. Et in territorio Reatino Curtem Sanctæ Agathes, & Sancti Joannis, & terram de Clio; & Collem Remundati, & Monumenti Carnarilis; & de Tazano, & fontis Ansarici, & areæ Bajæ; & petiam ad Brusticum, & molinum in integrum, & medietatem de lacu Masi, & terra Frigiæ & Baschæ, & tres petias ad viam Scajanam à rigo Loguli, & terra à Padule; & infra Civitatem duas petias vinearum; & ad Cantarum petiam vineæ unam, & ad fontem Ansarici I. & in Tezano I. & I. in Valle ad Sanctum

ctum Joannem, usque ad limitem, & olivas in supradicto Monticello; & pro solidis XL. concessit in Coroliano modios IX. Et ad Cerritum sextaria VI. pro pretio librarum VIII. concessit ibidem, & in Carpineta modios LXII. & pro solidis XL. concessit in supradicto Coroliano modiorum XX. & pro solidis XXIV. concessit in supradicto loco modios IV. Pro solidis XV. concessit in Bucciniano medietatem rerum, & Ecclesiæ Sanctorum Philippi, & Jacobi sextam portionem; & pro solidis XXI. concessit in Robiniano; & pro solidis XXVI. concessit in campo Sancti Benedicti ad Collem filiorum Angeli duas partes ad quintam reddendum, & vini mundi tertiam partem, & operas, & xenia; & pro solidis XX. concessit in Sextiliano modios VII. & pro solidis XXX. concessit in Casule medietatem rerum, & pro solidis XII. concessit in Turri modium unum. Et pro solidis XII. concessit Postmontem cum Ecclesia Sancti Andreæ, & Sancti Nicolai quartam partem in integrum; & pro solidis XXX. concessit in monte Aureo modios II. Et pro solidis XL. concessit in Cavallaria, & alias res ibidem modiorum III. & pro solidis XV. concessit in Græcanica ad quartam reddendum, & vini medietatis partem tertiam, & operas, & xenia. Pro libra I. concessit in Feclinule aliam petiam cum Ecclesia Sancti Stephani partem quartam, & aliam petiam ibidem; & pro solidis XII. concessit in Cerqueto partem quintam, & ad Teste alias res ad quartam reddendum, & vini mundi tertiam partem, & operas, & xenia. Et pro solidis XII. concessit in Mosoleo ad quartam reddendum, & vini mundi medietatem, tertiam de olivis, & operas, & xenia. Pro solidis X. concessit ibidem in Casule ad quartam, & de Olivis pastinandis medietatem, de aliis verò partes II. & nec angarias, nec xenia, nec glandaticum, nec vasaticum. Pro pretio librarum V. concessit in Quinza casamenti Leonis Gondonis tertiam partem, exceptâ Ecclesiâ Sancti Philippi ad quartam, & pro solidis centum concessit Postmontem Casale Carsi, & Casale Donati; & pro solidis XXX. concessit in Urbana modios III. Et pro solidis XL. concessit in Longanillo modios VII. Et in Capo Adoni, & Fontana formæ, & ad Cesam Alpari modios LXX. Et pro solidis XXX. concessit in Tulliano, & in Angano; & pro solidis L. in Capiolo ad Butum Aquæmolum. Et pro solidis XII. concessit in Turri medietatem Casalis Crescentii ad quartam; & in ripa Alpari modios V. & pro solidis XL. concessit ad Nucellam, & in Acutiano cum Ecclesia Sancti Antimi, & in Agutianello de omnibus partem sextam; & pro solidis XII. concessit ad Testas subtus Castellum Postmontem ad quartam ut supra; & pro solidis XL. concessit in Veneri, & ad Criptellam juxta rigum vallis Transfarici ad quartam; & pro solidis centum concessit in Viano, & in Tancia, in qua est Rocca ipsa cum pertinentiis, & in Grassiano, & Muscini tertiam de his, quæ tenuit per scriptum Petrus Rainerius, exceptâ Ecclesiâ Sanctæ Mariæ cum modiolo I. & in Pascano, & in Spelturano, & in Carsule; & pro solidis LX. concessit in Campadoni, & Massacio cum aliis atque aliis rebus; & pro libris L. Domnus Joannes Abbas concessit fundum Cæcilianum, in quo est Ecclesia Sancti Donati cum eadem Ecclesia. Pro solidis XX. Domnus Hugo Abbas concessit in Feclinule terræ petias tres, & aliam ibidem. Pro solid. X. concessit in Salisano de valle Joannis Caronis modium I. & pro solidis centum concessit Montis Pompejæ medietatem: à duobus lateribus aqua Garrula, quæ vocatur Pharpha; à tertio rigus pergens in Pharpham; à capite Monumenta antiqua inter montem Massæ, & Pompejæ, sicut ab ipsis curritur in Pharpham; ab alia parte sicut currit in supradictum rigum. Et pro libris XX. concessit in Coroliano & subtus viam alium modicum Casalem, & medietatem Ecclesiæ Sanctæ Mariæ in Pisile, & medietatem aquæmoli juxta Currisem, & quartam terræ ante illum, & ad Nocla; & de Castello Tribuco partem decimam; & in Cerqueto medietatem; & in Sorbiliano cum Ecclesia Sancti Anthimi, excepta medietate oliveti, & canneti subtus ipsam; & pro solidis XX. concessit in Paterno modios II. & pro solidis XX. concessit Casalem ad Sanctum Felicem medietatem, & in Quinza alias res; & pro solidis LX. concessit in Marcelliano modios XXV., & in Agutianello modios V. & in Rescaniano modios III. & pro solidis XX. concessit in Serrano clausuram unam ad quartam; & pro solidis XX. concessit in Curte Sancti Gethulii Casale Luponis Anzæ ad quartam; & pro solidis VI. concessit in Pustiniano modios III. & pro solidis X. concessit in Bucciniano modios IV. & pro solidis XL. concessit in Turri modios VIII. & pro solidis XX. concessit in Nazano modios II. & pro solidis XX. concessit in Caniano ad quartam, & vini mundi partem tertiam, non autem glandaticum, nec operas, nec xenia. Pro solidis XII. concessit subtus Ripam Casale Aponis medietatem. Pro solidis XX. concessit in Sorbiliano modios IV. & pro libris VI. concessit in Aliniano, excepto podio; & pro solidis XX. concessit in Lanfriniano Ecclesiam Sanctæ Luciæ, cum aliis rebus ibidem; & pro solidis XX. concessit subtus Ripas Casalis Amponis medietatem; & pro solidis XXX. concessit in Hircule ad quartam, & medietatem olivarum. Item concessit in campo Sancti Benedicti quarumdam rerum tertiam partem, excepto Casale Joannis Sabinensis; & pro solidis centum concessit Casale Ursi, Morici tertiam, excepto Casale Joannis Sabinensis; & pro solidis XV. concessit in Cavallaria, & in Cerqueto tertiam partem; & pro solidis XL. concessit in Curte Sancti Benedicti, quæ vocatur Campus Britonorum ad quintam reddendum. Item pro solidis XX. concessit ad aquam calidam juxta Bobariam, & in Granica, excepto horto secus aquæmolos, & in Mandrili, & in Colle antiquo; & pro solidis XX. concessit in Montorio modios II. & pro libris X. concessit in Laniano ad Sanctum Stephanum, & de ipsa Ecclesia, & Sancti Valentini quartam portionem; & pro solidis XX. concessit in Fisiniano, & in Terentiano ad quartam, & vini mundi tertiam, & olivarum medietatem, & in Pascha xenium unum; & pro libris XX. concessit res in Casice; & pro libris XVIII. concessit collem Ursi Morici tertiam partem, excepto Casale Joannis Sabinensis; & pro solidis XX. concessit juxta Castellum Postmontem ad tertiam vini mundi, & operas, & xenia; & pro libris VIII. concessit Postmontem ad Sanctum Gordianum, & in Casule, & in Lafriniano; & pro solidis XII. concessit in Villa Sancti Viti

Viti de Casale Dominici ad quartam omnium frugum, excepto paniclo, & semunclo, & musti mundi tertiam, & olivarum medietatem, & quintam de lanistero, & operas. Et pro libris XL. concessit Petrolum Casale Petri Pulchri, Casale Gambalis, Casale Trasonis, Casale Petri Alboni, Casale Sabini, Casale Luponis de Sancta Reparata, Casale Petri Altradæ, Casale Miccirini, & Ecclesiam Sancti Sebastiani, Casale Ferrarii, Casale Gallellæ, Casale Crescentii Picti.

Item pro pretio librarum VIII. prædictus Hugo Abbas concessit in Sorbiliano, excepto medietatem ipsius podii, & quartam partem Ecclesiæ Sancti Anthimi. Insuper alias res in Cerqueto, in Sorriano, & in Coroliano, in Nocla, in Castello Tribuco de Casale Joannis, de Lupone Lantrudæ partes tres, de Casale Luponis Miciliani partes tres, de Casale Franconis partes III. de Casale Guidonis Tabernulæ partes III. de Casale in Coroliano partes III. de Casale Sabini, de Paviano partes III. de Joanne Lantrudæ partes tres, de Casale Marini partes III. de Casale Teuzonis partes III. de ipsius vineis petias III. & res in Colle Attonis cum silva, & de medietate Molini, & petia terræ partes III. & pro solidis XX. in Petiolo concessit mod. XII. excepto Ecclesiam, & olivetum hujus Monasterii; In Quinza concessit res quasdam pro pretio solidorum XL. ubi Ecclesiam Apostolorum Philippi, & Jacobi in hoc Monasterio reservavit. Item ad pretium auri boni librarum IV. concessit medietatem Ecclesiæ Sanctæ Mariæ in Pisile, & alias res ibidem, & octavam portionem de podio in Sorbiliano, & de Ecclesia Sancti Anthimi quartam portionem, & in Cerqueto, & in Serrano, & in Moricello, & in Curte de Castello Tribuci, & in Rocla, & in Coroliano, & de Aquæmolo in Currise, & terra juxta eum; ex his omnibus quartam portionem ad Curtem Sancti Gethulii. Ad Campum Magistri Joannis concessit modios III. pro solidis XX. In Staberario juxta res Leonis Scortialupum concessit tertiam portionem, & ibidem concessit modios II. & pro solidis X. ibidem de Ecclesia Sancti Laurentii tertiam portionem ad grani modium I. hordei & speltæ modium I. musti lacunas XX. De Castello Cuphæ quartam partem concessit pro pretio librarum IV. & aliam quartam pro pretio II. librarum, & alium quartam pro pretio librarum II. In Petiolo, & Magise concessit quasdam res, excepto Castello Cuphi pro pretio librarum II. De Ecclesia Sancti Laurentii in Ortella tertiam partem, & de Ecclesia Sancti Benedicti quartam, & octavam, & alias res pro solidis LX. In fundo Turano concessit Casales duos, unum Carincionis, & alium Puliani; in Bucciniano medietatem ipsius Castelli, & de ejus rebus octavam partem pro pretio librarum XII. De Casale Toriniano quartam partem ad pensionem musti mundi lagenas XX. pro pretio solidorum XXX. In Laniano octavam partem rerum, & Ecclesiarum Sancti Stephani, & Sancti Valentini, & de alia quarta parte quartam portionem. Et in Atriano, ubi est Ecclesia Sancti Blasii, cum ipsa Ecclesia; & in monte Cisternæ octavæ partis medietatem; & in Grippe, & in Urbana subtus Ecclesiam Sancti Viti, Aquæmolum in Pharpha pro solidis CC. In Agello terræ petias III. concessit ad quartam, & xenia, & operas, pretio solidorum XX. In Postmontem concessit Casale Ursi Diaconi ad quartam, & vini mundi tertiam portionem, & operas, & xenia & sestaria X. pretio librarum II. In Serrano Casale Leonis de Cesa, & alias res, & ad Nocla pretio librarum X. In Canali Casale Omari, & super Canali medietatem pretio solidorum XXX. In Caniano, & monte Opuli Casale Gennonis, & alias res pretio solidorum XL. In Prætoriolo modium I. & dimidium pretio solidorum XX. In Achiniano ad Salam modios III. & dimidium pro solidis XXX. In Colle hominis mortui modios X. pro solidis XL. In Serrano Casale Leonis Parræ, & Casale Andreæ, & Casale Sabini Lupardi pro solidis centum. In Feste res ad quartam, & xenia, & operas pro solidis XV. In Curte Sancti Benedicti ad quintam pro solidis XX. In Villa ad Sanctum Laurentium Casale Ramponis ad quartam, & tertiam vini mundi, & xenia, & operas. Et pro solidis XX. in Albuciano Casale Luponis Cœci, & Izonis Pazi, & in Salizano in Monte super ipsam Roccam à ripa Corvara venientes in rigum juxta Roccam, & à ripa Caprara venientes in ripam Ferularam, & in Coniolum, & in rigum Grassianum medietatem. In Basciano quasdam res, & medietatem Ecclesiæ Sanctæ Luciæ pro solidis L. Item in Basciano quasdam res, & vineam, & Ecclesiæ Sanctæ Luciæ quartam portionem pro solidis L. In Turrano, & ad tres Virgines, & ad Nazanum, & in Leganillo concessit quasdam res pro pretio librarum III. In Morazano concessit quasdam res ad quartam, & tertiam partem vini mundi, & de olivis, & operas, & xenia pro solidis XX. In Frasso, & ad Loritulum, & in Fabruciano concessit quasdam res pro solidis LXXX. In monte ad Sanctum Alexandrum concessit res pro solidis X. In Teste ad rigum siccum unum Casalem, qui nominatur Arci tenentis Joannis Panis-calidi ad quartam, & vini mundi tertiam pro solidis XXVI. & operas, & xenia; In Mozario juxta ipsum Castellum, & in Coriliano, & in Caspiano, & in Bucciniano concessit pro solidis XL. In Postmontem ad quartam, & vini, mundi tertiam pro solidis XX. Item ibidem alias res concessit ad quartam, & vini mundi tertiam, & de olivis medietatem, & tertiam de operis, & xeniis pro solidis XX. In Cripta Terentiana pro solidis LXXX. In Nazano Postmontem pro solidis X. de Ecclesia Sancti Stephani, & Sancti Valentini in Laniano, & aliis rebus ibidem quartam portionem pro solidis centum. In Majana concessit quasdam res ad quartam, & vini mundi tertiam, & operas, & xenia, & de olivis pro solidis XX. In Lumerano modios III. & alias res ibidem, & in Coniolo, ubi dicitur Cesæ, & in Rugiano, & alibi pro solidis XXX. De Ecclesia Sancti Salvatoris in Capriolo, & aliarum rerum ibidem, & Villa Rustica minore medietatem pro solidis XX. In Monte Aureo quarumdam rerum medietatem, & Casale Joannis Jacta-coppa pretio librarum V. In Turano Casale Azonis Scarpavetula, & alias res pro solidis XL. In Curte Sancti Gethulii medietatem unius Casalis, & medietatem Ecclesiæ Sanctæ Luciæ, ubi sunt duo aquæmoli communales, & terra in Luto. De Ecclesia Sanctæ Mariæ in Pisile cum quibusdam rebus duas portiones quartæ partis, & medietatem Casalis Adæ Malliavacca, & ad Mir-

Mirtetum, & in Fornillo, & in Centu, & in Fixiniano, & in Casaliclo, & tres portiones, aquæmoli de Currisio cum terra pro solidis CL. In Cavallaria de Casale Fulconis Ferrarii duas partes ad quartam, & de olivis, & de vino, ac frugibus octavam partem pro solidis XV. In Postmontem subtus Castellum antiquum modiolum I. & sextaria VI. pro solidis XV. In Terrano pro solidis XX. ad quartam omnium frugum; & tertiam vini mundi, & de olivis medietatem, & operas VI. In Campo Arsicio, & in Casarina, & in Calcaria, & in Censu Casale I. & de silva, & de Colle Augusti, & in Serrano de Casale Burronis, & in Castello Tribuco, & in Fisiniano de silva, & arboribus pro solidis L. In Casale Sancti Laurentii de Casale Subbonis quartam partem pro solidis XV. In Paterno quoque Domnus Hugo Abbas præfatus concessit, quasdam res pro solidis L.

Item Relatio Constitutionis Domini Hugonis Abbatis.

Hugonis Cluniacensis enarratio de studio suo pro restituenda in Farfense Monasterio Regulari disciplina. Circiter Annum 998.

„ Audite (22) Fratres dilectissimi, & domini mei amantissimi, quod modò coram Deo omnipotente, & Domina nostra Maria perpetua Virgine profiteor vestræ Sanctitati: Denique quum in hanc Abbatiam cupiditate honoris captus venire auderem, pecuniam obtuli Domnò Papæ (23), & studui eam acquirere iniquè. Post hæc recognoscens me graviter deliquisse, cœpi de hoc ingemiscens cogitare, & de hujus Monasterii redintegratione, si fortè mihi propter hoc misereretur Deus, & per suæ Sanctissimæ Genitricis intercessionem, si aliquem fructum efficere possem ad hujus Cœnobii recuperationem. Erat enim tunc iste locus in omni religione penè destitutus, ita ut plures Monachi seculariter, & cum maxima lascivia forent, carnem in refectorio manducantes. Vestimenta quoque non Monachica sed quasi Laicalia ad suum libitum ferentes. Perrexi igitur primò ad Sublacenses Monachos, & huc inde sustuli aliquos, quia mihi aliquantulum videbantur incedere meliùs; sed non multò post eorum cognita religione, non, ut desiderabam, in eis reperi regularem perfectionem. Deinde ad Casinense properavi Cœnobium, in quo similiter inveni, quòd non cernebatur commodum. Tunc relatum mihi est, quòd Ravennate (24) Monasterium regularem tramitem observaret pleniùs. Ego autem ceu sitiens abii, & illinc quosdam, qui religiosi videbantur, acquisivi. Quorum me etiam inconditæ ferocitati in tantum subdidi, ut frequenter ab eis disciplinarer indiscretè, pro eorum quotidiani victus aliqua defectione. Quæ omnia idcirco sustinebam, ut „ & mihi venia peccaminum daretur, & meo exemplo alii erudirentur. Interea supervenerunt quidam sancti Viri & Patres Cluniacensis Monasterii in hoc Cœnobium, qui meum desiderium hujus Monasterii de recuperanda perfectione cernentes, valde ædificati laudaverunt, & qualiter ad magnum pervenire possem proficuum, utillimum spiritualiter consilium dederunt. Quorum postremò compunctus admonitione, dedi operam, ut hanc Abbatiam amitterem, & pœnitentiam ab eis congruam susciperem. Itaque ut dignam pœnitudinem perficerem me admonuerunt, & ne Abbatiam dimitterem omnino interdixerunt. Quod mihi sanctissimum consilium discretè illatum ab eis libentissimè suscepi, & qualiter meam salvationem, & hujus Monasterii recuperationem possem adimplere, præcipuorum hortamine Confratrum, & suffragio fultus, sicut infra scribitur, exercere & ordinare studuimus, adjurantes & obtestantes nostros omnes successores, & hujus Monasterii futuros Fratres & seniores per tremendi examinis terribilem diem, ut quod modò communiter statuimus, non ducant aliquam minorationem, aut violari tentent, ne exinde in die judicii rationem reddentes, pavendam recipiant damnationem, & in hoc seculo Deus illis inferat debitam ultionem.

Constitutio Hugonis Abbatis Farfensis de receptis atque servandis in Monasterio suo consuetudinibus Cœnobii Cluniacensis. Circiter Annum 998.

„ IN nomine Domini. Ego Hugo humilis & indignus Abbas Pharphensis Cœnobii, dum per Omnipotentis Dei pietatem recognoscerem gravissimum crimen Simoniacæ hæreseos me incurrisse, datâ pecuniâ pro honore hujus Abbatiæ, dignè confessus sum, & pœnitentiam suscipiens, eamdem Abbatiam in manibus Sanctorum Patrum præsentium *Odilonis*, (25) & *Guilielmi* Cluniacensis almi Monasterii refutavi, & deinceps me quiescere & continere ab ea fideli sponsione promisi. Tunc illi magis congruo huic Monasterio in futurum utentes consilio, pro hoc peccato hanc mihi induxerunt pœnitentiam, ut præfati Cluniacensis Monasterii sanctam consuetamque religionem in hoc nostro Monasterio introducerem, & proutcumque pleniùs valerem, juxta hujus loci possibilitatem facerem retinere. Unde præsente venerabili sanctissimoque Episcopo totius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & præfatis Fratribus, omnique nostro religioso Conventu, statuimus & confirmamus, ut eamdem prædictam religionem Cluniacensis Monasterii in officiis Ecclesiasticis, & dignis moribus, & Confratrum cultu vestium, sive copia victus, quotidie & in sanctis solemnitatibus, in quantum hujus loci possibilitas, „ Deo

(22) Hanc eamdem Constitutionem jampridem edidit Clar. Mabillonius in Annal. Benedict. ad Annum 998.

(23) Anno 997. Hugo per pecuniam sibi Farfense Cœnobium conquisivit. Tunc Romanam Sedem invaserat Johannes Episcopus Placentinus, ejecto legitimo Pontifice Gregorio V. Nil autem mirum, si impius Apostolicae Cathedrae occupator, Simoniacae quoque labis peste inquinatus fuerit.

(24) Videlicet Classense, ubi regularem disciplinam paulo ante restituerat Sanctus Romualdus Abbas, Camaldulensis Ordinis institutor. Vide Hieron. Rubeum in Hist. Raven. & Clariss. V. Guidonem Grandium in Dissert. Camaldul.

(25) Nempe Abbatis Cluniacensis celeberrimi. *Guilielmus* vero Divionensis Abbas fuit.

„ Deo administrante, exegerit, in hoc Monasterio deinceps sagacissimè, & constantissimè teneamus, & omnimodis observemus, & à nullo nostro successore, vel hujus Monasterii Prælato in quocumque destruatur, aut transgrediatur. Quam verò nostram Constitutionem, & omnis noster Conventus voluntariè suscipiat, & libentissimè observans per omnia custodiat, confirmantes sancimus ejus regimini omnes mortuorum totius Abbatiæ oblationes, & decimas, & molendinos totius alvei Pharphæ, & manualia Tornariæ, & Granciæ, & Sancti Viti, & Gualdum Catini cum Gualdo circuitus hujus loci; quæ omnia si quis Abbas, aut Prælatus, vel subditus causâ tyrannicæ dominationis, aut favore sublimitatis Secularis destruere, aut in aliquo minuere quocumq; ingenio præsumserit, vel consilium dederit, aut submissionem fecerit, Prælatura ejus deficiens ad nihilum deveniat, & in iram incurrat Dei Omnipotentis, donec vixerit, sub perpetuo permanens anathemate, & in tremendo judicio cum Juda sacrilego & Dei traditore æternam recipiat damnationem, nisi dignè pœnitens emendaverit, & nisi fortè aut Fratrum imbecillitas, vel loci impossibilitas, sive temporis aliquid remitti coëgerit egestas; quod tamen nullo modo, nisi communi assensu, & æqua concordia discretissimè fiat. Has verò Constitutiones prædicti Sancti Patres *Odilo* & *Guilielmus* cum venerabili Episcopo A...... (26) coram se editas corroborarunt, optantes, ut earum observatores in Paradiso æternam recipiant remunerationem. Sed & (27) *Silvester II. Apostolicus* postea collaudans sua auctoritate confirmavit, & pœnitentiam pro eodem peccato adhuc canonicè indixit, quemadmodum in ejus habetur Decretis.

Incipit exceptio brevis relationum Domini Hugonis Abbatis, quas de hujus Monasterii diminutione edere curavit.

Hugonis Farfensis Abbatis Relatio de diminutione recentiori Monasterii sui circiter. Annum 1014.

„ ITerum iterumque compellor à spiritualibus senioribus, præcipuèque à miseria, quam jugiter patimur, aliquid differere adhuc de nostri Monasterii diminutione; de illa enim, quæ antiquitus contigit, in quantum largitus est Deus, illi parêre non distuli, & nec de ista, quæ noviter pullulavit, ipso opitulante, priori opusculo inserere non differam. Verumtamen priùs mecum vos admoneo, Fratres, ut in nullo pro hoc titubetis, neque tædio, quod absit, defecti, à bono incœpto proposito declinetis; sed illud, quod Scriptura dixit, præ oculis habeatis: *Vasa figuli probat fornax, & hominem justum tentatio*. Itemque Jacobus Apostolus: *Omne gaudium existimate, fratres, cùm in varias tentationes incideritis*. Volo etiam vos absque ulla ambiguitate credere, quia ille qui dispersa, ut nuper audistis, hujus Monasterii à pessimis Paganis redintegrare dignatus est ad statum, quem cernitis, bene poterit congregata custodire à pravorum Christianorum insidiis. Tamen si non egerit (quod absit) culpis facientibus nostris non meremur, cùm sciamus scriptum: *Ecclesia crescit, & decrescit*. Ipse enim Creator Cœli & Terræ, quamvis omnia gubernet suo potentatu, tamen præ ceteris aliis locis Jerusalem dilexit, de quo Psalmographus dicit. *Dominus autem Rex noster ante secula operatus est salutem in medio terræ*. Ipsa quippe est umbilicus totius Orbis, & caput terræ repromissionis: de ipsa elegit Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Evangelistas, & quod majus est omnibus, ipsam honoravit sua sancta Nativitate, Morte, ac Resurrectione, ut ejus Sepulchrum usque hodie testatur: Ascensione etiam & adventu Sancti Spiritus eamdem nihilominus illustravit, & cùm tantum eam dilexerit, dum tempus venit ejus consummationis, peccatis habitantium in ea facientibus, funditus permisit everti. Nullus etenim locus desolatur, nisi ob malitiam in eo habitantium. In hoc denique cognoscere possumus, quòd Deus ampliùs diligat æterna quàm temporalia, magisque curam gerat de salute animarum, quàm de caducis & transitoriis rebus, cùm infernum penetrasse dicatur propter salutem animarum ibidem degentium. Inferno enim exspoliato ceteros inde justos abstraxit, & omnes ibi peccatores reliquit. Idcirco autem, fratres, hæc dico, ut in quantum valemus, Dei exempla sequamur, & non tantùm de damno secularium doleamus rerum, quantum de perditione animarum. Quapropter recurramus ad Christi auxilia, si ejus volumus (*sequi*) vestigia. Hæc itaque prælibasse sufficiat, tamdem veniamus ad causam.

„ *Johannes igitur Papa, qui appellatus est Major*, ingressus Papaticum, satis exaltavit quemdam nepotem suum nomine *Benedictum*, deditque ei *Theoderandam uxorem satis nobilem, filiam Crescentii, qui vocabatur à Caballo Marmoreo*, & Comitatum Sabinensem dedit ei, & plures alios. Qui veniens Sabinis habitare cœpit in Castello Orci, Tunc temporis *Johannes Abbas, noster antecessor*, gubernabat hoc Monasterium, ut multi sciunt, secularibus actibus deditus. Cui præfata Theoderanda de cibariis & deliciis diversis familiariter serviebat, & per se suosque fideles frequenter loqui satagebat. Abbas autem tenebat unum Castellum (28) in Tribucum Martino Riconis, & ejus filiis, aliisque consortibus. Roccam verò desursum tenebat ad suam manum Abbas; & quod deorsum est, tenebant ipsi, sicut à prioribus acquisierant Abbatibus. Quotiens Abbas proficiscebatur longiùs, suam partem illis relinquebat ad custodiendum, & recipiebat, cùm reverteretur. Ipsi autem erant valde asperrimi, & in diversis malis nequissimi; ideoque viatores sæpe deprædabantur, & eumdem Abbatem dedecorantes contristabantur. Qua commotus malitia „ con-

(26) Fortasse legendum *Apostolico*; nam supra testatus est, se coram *Episcopo totius Sanctae Romanae Ecclesiae* se Cluniacenses consuetudines recepisse. Ergo haec acta sub Gregorio V. atque Anno 998. & ab ejus Successore Silvestro II. confirmata.

(27) Haec addita a Chronographo videntur.

(28) Fortasse legendum *videlicet Tribucum*. Uti & supra fortasse pro *tenebat* scribendum *dederat*.

" contra eos, suasusque veneratione & obsequio præfati Comitis, ejusque conjugis, sperans etiam unum ornamentum Missæ officii sibi promissum accipere ab eis, fecit illis scriptum, quod Romani dicunt *tertium genus*, de prædicto Castello Tribuco solummodo, nullo sciente, præter Luponem Monachum & Ursum Canonicum, qui de Malepassia dicebatur. Sed cùm nollent ei dare, ut promiserant, ornamentum Missale, quod, ut fertur, mirabile erat valde, pretii triginta Librarum, quia fuerat *Papæ Joannis avunculi ejusdem Comitis*, nec ipse Abbas idem scriptum corroborare voluit. Tunc ipse Comes cum sua uxore cœpit callidè moliri, ut illud, eo quòd qui tenebant, feroces & nimis astuti erant, acquireret Castellum, quia per vim nequiverant. Fecit itaque cum eis sacramenta, qualia ipsi quæsierant, eosque ad Castellum Orcis, ubi habitabant, venire fecerunt; quorum prudentiores duodecim capientes, in ima carceris miserunt, & vinculis ferreis religaverunt, aliosque triginta, ut fertur, acceptis pecuniis dimiserunt. In qua captione acquisivit prædictus Comes cum sua uxore ab filiis Lotharii scriptum de Curte Sancti Gethulii, cui Adam Abbas concesserat pro stupro, ubi illum apprehendit, & à filiis Gregorii Diaconi de Castello Tribuco, & ab aliis ibi captis, qui ab hoc Monasterio scripta habebant. Quod factum Lex omnino interdicit: quia terram censualem nullus potest sinè sui licentia patroni alicui dare. Illi autem, qui remanserant in Tribuco, adjutrice (29) quodam Senioriti propinqui sui, suffulti filiis Arduini, per unum annum duraverunt.

" Post hæc verò acceptâ pecuniâ, præfatus Senioritus dedit ipsum Castellum prædicto Comiti, ejusque conjugi: quò ingredi cuncta vicinia, nostrique Monasterii prædia, & Sancti Andreæ, atque Romanorum sibi subjugarunt. Quæ omnia non sinè causa à Deo permissa sunt: dicit enim Scriptura: *omnis, qui se exaltat, humiliabitur*. Quæ audiant devastatores Ecclesiarum, & persecutores pauperum, & custodiant se à deprædationibus eorum, quia Deus advocatus est & defensor illorum. Prædia verò, quæ à suprascripto Comite nostro abstracta sunt Monasterio, hæc sunt: Curtis Sancti Gethulii, quam Duces Spoletani Aroaldus (30) ejusque successor dato concambio Episcopatui Reatino, cujus proprietas fuerat, nostro Monasterio contulerant, temporibus Domni Thomæ. Fundum Serranum in integrum, quod Millo & Donella Diacona huic Monasterio concesserunt. Fundus Canali. Fundus Verrunculæ. Fundus Curtis. Prædicti autem *Comitis Benedicti fuerunt filii Johannes & Crescentius*, ex quibus Johannes quodam anno in vigilia Sanctæ Mariæ voti causâ per suum Missum mandans, duodecim solidos fecit ponere super Altare ipsius, quos Sacristanus assumsit, & intra alia vota reposuit, nihil interrogans. Alia autem die mandavit, dicens. *Dicite Abbati, ut solidos duos faciat mihi reddere, quia non debui nisi decem pro pensione dare*. Hoc ingenio fraudulento ab hoc Monasterio ablata sunt præfata loca usque ad nostrum ingressum. Ipso denique anno interfectus est *Crescentius Comes jussu Ottonis Imperatoris*, & *Gregorii Papæ*, ut audistis, quia nimis districtè placita infra Romam exercebat. Quorum territus pavore præfatus Comes quæsivit nobis pactum, Imperatore ac Papa scientibus, & refutavit medietatem prædictæ Curtis, & Ecclesiam Sancti Gethulii cum duobus Casalibus, unde brevem testatam habemus. Et ego rogavi illi *tertium genus* de alia medietate cum Castello Tribuco. Quo facto Romæ prælibatus Crescentius vênit illuc levitatis causâ, quem Imperator & Papa capientes, jusserunt patri ejus, ut redderet Cerum illis, quibus abstulerat, quorum fuit. Tunc in præsentia eorum promisit se facturum, & egressus de Roma fugit illò. Quo viso Imperator & Papa nimis irati post eum properarunt, & Papa secum me ire præcepit, dicens: *Veni mecum ad Cere, eo pacto, ut si Comes Benedictus reddiderit mihi ipsam Civitatem, recipiat filium, & stet finis inter vos: sin autem, filium ejus suspendi faciam ipso vidente, & tibi restituam Tribucum*. Et tunc cùm ad furcam duceretur, ligatis post tergum manibus, oculisque panniculo strictis, videns talia pater, reddidit Civitatem, & liberavit filium.

" Eo die Romam reversi sumus, & cùm die sequenti Sabinis venissemus, manibus nostris firmavimus *tertium genus*, & nostros dereximus ad eum Legatos, ut acciperet illud præfatus Comes, & appare (31) ab illo firmatum nobis mandaret, sed facere noluit. Quapropter ab omnibus legem scientibus non ignoratur, quòd numquam stat *tertium genus* legaliter sinè appare. Verumtamen in isto pacto præfatus Comes nobiscum stetit, donec advixit, & nullam molestiam de prædicta Curte nobis fecit; licèt vellet, non audebat, quia in Regno Imperator erat. Mortuo verò ipso Imperatore, *Johannes Crescentii filius ordinatus est Patricius*, qui *Johannem & Crescentium filios prædicti Comitis, uti dilectos consanguineos, amare cœpit*. Completis verò post hæc duobus annis Crescentius suprascriptus abstulit nobis turpiter eamdem Curtem, nec est recordatus anathema, quod pater ejus fecerat ex corde, si umquam suus heres à nostro Monasterio abstrahere vellet. Post hæc nobis nostrisque hominibus multa inferentes mala, ipse ac frater ejus Johannes, de Campo Sancti Benedicti tulerunt Casales tres. Castellum quoque Buccinianum suprascriptus Crescentius furatus est nobis, de quo tenebamus partem tertiam, & alias duas nostri Libellarii. Cuncta etiam ultro forsan rededegit dominio suo, etiam nostros Molendinarios. Castellum verò Buccinianum delegavit quondam huic Monasterio per chartas una Matrona nomine *Theoderanda filia Gratiani Consulis Romani* pro anima mariti sui Ingebaldi Francigenæ, tempore *Alberici Romanorum Principis*, qui dederat ei Sabinensem Comitatum. Quod Castellum Campo Abbas genero suo Azoni Judici postea " dedit.

(29) Fortassis *adjutorio cujusdam*.

(30) Scribe *Faroaldus*.

(31) Hoc est, parem ac uniformem Chartam. Ita quippe appellabantur Chartae atque Epistolae uno eodemque tenore conscriptae.

„ Deo administrante, exegerit, in hoc Monasterio deinceps sagacissimè, & constantissimè teneamus, & omnimodis observemus, & à nullo nostro successore, vel hujus Monasterii Prælato in quocumque destruatur, aut transgrediatur. Quam verò nostram Constitutionem, & omnis noster Conventus voluntariè suscipiat, & libentissimè observans per omnia custodiat, confirmantes sancimus ejus regimini omnes mortuorum totius Abbatiæ oblationes, & decimas, & molendinos totius alvei Pharphæ, & manualia Tornariæ, & Granciæ, & Sancti Viti, & Gualdum Catini cum Gualdo circuitus hujus loci; quæ omnia si quis Abbas, aut Prælatus, vel subditus causâ tyrannicæ dominationis, aut favore sublimitatis Secularis destruere, aut in aliquo minuere quocumq; ingenio præsumserit, vel consilium dederit, aut submissionem fecerit, Prælatura ejus deficiens ad nihilum deveniat, & in iram incurrat Dei Omnipotentis, donec vixerit, sub perpetuo permanens anathemate, & in tremendo judicio cum Juda sacrilego & Dei traditore æternam recipiat damnationem, nisi dignè pœnitens emendaverit, & nisi fortè aut Fratrum imbecillitas, vel loci impossibilitas, sive temporis aliquid remitti coëgerit egestas; quod tamen nullo modo, nisi communi assensu, & æqua concordia discretissimè fiat. Has verò Constitutiones prædicti Sancti Patres *Odilo* & *Guilielmus* cum venerabili Episcopo A...... (26) coram se editas corroborarunt, optantes, ut earum observatores in Paradiso æternam recipiant remunerationem. Sed & (27) *Silvester II. Apostolicus* postea collaudans sua auctoritate confirmavit, & pœnitentiam pro eodem peccato adhuc canonicè indixit, quemadmodum in ejus habetur Decretis.

Incipit exceptio brevis relationum Domini Hugonis Abbatis, quas de hujus Monasterii diminutione edere curavit.

Hugonis Farfensis Abbatis Relatio de diminutione recentiori Monasterii sui circiter. Annum 1014.

„ ITerum iterumque compellor à spiritualibus senioribus, præcipuèque à miseria, quam jugiter patimur, aliquid differere adhuc de nostri Monasterii diminutione; de illa enim, quæ antiquitus contigit, in quantum largitus est Deus, illi parère non distuli, & nec de ista, quæ noviter pullulavit, ipso opitulante, priori opusculo inserere non differam. Verumtamen priùs mecum vos admoneo, Fratres, ut in nullo pro hoc titubetis, neque tædio, quod absit, defecti, à bono incœpto proposito declinetis; sed illud, quod Scriptura dixit, præ oculis habeatis: *Vasa figuli probat fornax, & hominem justum tentatio*. Itemque Jacobus Apostolus: *Omne gaudium existimate, fratres, cùm in varias tentationes incideritis*. Volo etiam vos absque ulla ambiguitate credere, quia ille qui dispersa, ut nuper audistis, hujus Monasterii à pessimis Paganis redintegrare dignatus est ad statum, quem cernitis, bene poterit congregata custodire à pravorum Christianorum insidiis. Tamen si non egerit (quod absit) culpis facientibus nostris non meremur, cùm sciamus scriptum: *Ecclesia crescit, & decrescit*. Ipse enim Creator Cœli & Terræ, quamvis omnia gubernet suo potentatu, tamen præ ceteris aliis locis Jerusalem dilexit, de quo Psalmographus dicit. *Dominus autem Rex noster ante secula operatus est salutem in medio terræ*. Ipsa quippe est umbilicus totius Orbis, & caput terræ repromissionis: de ipsa elegit Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Evangelistas, & quod majus est omnibus, ipsam honoravit sua sancta Nativitate, Morte, ac Resurrectione, ut ejus Sepulchrum usque hodie testatur: Ascensione etiam & adventu Sancti Spiritus eamdem nihilominus illustravit, & cùm tantum eam dilexerit, dum tempus venit ejus consummationis, peccatis habitantium in ea facientibus, funditus permisit everti. Nullus etenim locus desolatur, nisi ob malitiam in eo habitantium. In hoc denique cognoscere possumus, quòd Deus ampliùs diligat æterna quàm temporalia, magisque curam gerat de salute animarum, quàm de caducis & transitoriis rebus, cùm infernum penetrasse dicatur propter salutem animarum ibidem degentium. Inferno enim exspoliato ceteros inde justos abstraxit, & omnes ibi peccatores reliquit. Idcirco autem, fratres, hæc dico, ut in quantum valemus, Dei exempla sequamur, & non tantùm de damno secularium doleamus rerum, quantum de perditione animarum. Quapropter recurramus ad Christi auxilia, si ejus volumus (*sequi*) vestigia. Hæc itaque prælibasse sufficiat, tamdem veniamus ad causam.

„ *Johannes igitur Papa, qui appellatus est Major*, ingressus Papaticum, satis exaltavit quemdam nepotem suum nomine *Benedictum*, deditque ei *Theoderandam uxorem satis nobilem, filiam Crescentii, qui vocabatur à Caballo Marmoreo*, & Comitatum Sabinensem dedit ei, & plures alios. Qui veniens Sabinis habitare cœpit in Castello Orci, Tunc temporis *Johannes Abbas, noster antecessor*, gubernabat hoc Monasterium, ut multi sciunt, secularibus actibus deditus. Cui præfata Theoderanda de cibariis & deliciis diversis familiariter serviebat, & per se suosque fideles frequenter loqui satagebat. Abbas autem tenebat unum Castellum (28) in Tribucum Martino Riconis, & ejus filiis, aliisque consortibus. Roccam verò desursum tenebat ad suam manum Abbas; & quod deorsum est, tenebant ipsi, sicut à prioribus acquisierant Abbatibus. Quotiens Abbas proficiscebatur longiùs, suam partem illis relinquebat ad custodiendum, & recipiebat, cùm reverteretur. Ipsi autem erant valde asperrimi, & in diversis malis nequissimi; ideoque viatores sæpe deprædabantur, & eumdem Abbatem dedecorantes contristabantur. Qua commotus malitia, „ con-

(26) Fortasse legendum *Apostolico*; nam supra testatus est, se coram *Episcopo totius Sanctae Romanae Ecclesiae* se Cluniacenses consuetudines recepisse. Ergo haec acta sub Gregorio V. atque Anno 998. & ab ejus Successore Silvestro II. confirmata.

(27) Haec addita a Chronographo videntur.

(28) Fortasse legendum *videlicet Tribucum*. Uti & supra fortasse pro *tenebat* scribendum *dederat*.

„ contra eos, suasusque veneratione & obsequio præfati Comitis, ejusque conjugis, sperans etiam unum ornamentum Missæ officii sibi promissum accipere ab eis, fecit illis scriptum, quod Romani dicunt *tertium genus*, de prædicto Castello Tribuco solummodo, nullo sciente, præter Luponem Monachum & Ursum Canonicum, qui de Malepassia dicebatur. Sed cùm nollent ei dare, ut promiserant, ornamentum Missale, quod, ut fertur, mirabile erat valde, pretii triginta Librarum, quia fuerat *Papæ Joannis avunculi ejusdem Comitis*, nec ipse Abbas idem scriptum corroborare voluit. Tunc ipse Comes cum sua uxore cœpit callidè moliri, ut illud, eo quòd qui tenebant, feroces & nimis astuti erant, acquireret Castellum, quia per vim nequiverant. Fecit itaque cum eis sacramenta, qualia ipsi quæsierant, eosque ad Castellum Orcis, ubi habitabant, venire fecerunt; quorum prudentiores duodecim capientes, in ima carceris miserunt, & vinculis ferreis religaverunt, aliosque triginta, ut fertur, acceptis pecuniis dimiserunt. In qua captione acquisivit prædictus Comes cum sua uxore ab filiis Lotharii scriptum de Curte Sancti Gethulii, cui Adam Abbas concesserat pro stupro, ubi illum apprehendit, & à filiis Gregorii Diaconi de Castello Tribuco, & ab aliis ibi captis, qui ab hoc Monasterio scripta habebant. Quod factum Lex omnino interdicit: quia terram censualem nullus potest sinè sui licentia patroni alicui dare. Illi autem, qui remanserant in Tribuco, adjutrice (29) quodam Senioriti propinqui sui, suffulti filiis Arduini, per unum annum duraverunt.

„ Post hæc verò acceptâ pecuniâ, præfatus Senioritus dedit ipsum Castellum prædicto Comiti, ejusque conjugi: quò ingressi cuncta vicinia, nostrique Monasterii prædia, & Sancti Andreæ, atque Romanorum sibi subjugarunt. Quæ omnia non sine causa à Deo permissa sunt: dicit enim Scriptura: *omnis, qui se exaltat, humiliabitur*. Quæ audiant devastatores Ecclesiarum, & persecutores pauperum, & custodiant se à deprædationibus eorum, quia Deus advocatus est & defensor illorum. Prædia verò, quæ à suprascripto Comite nostro abstracta sunt Monasterio, hæc sunt: Curtis Sancti Gethulii, quam Duces Spoletani Aroaldus (30) ejusque successor dato concambio Episcopatui Reatino, cujus proprietas fuerat, nostro Monasterio contulerant, temporibus Domni Thomæ. Fundum Serranum in integrum, quod Millo & Donella Diacona huic Monasterio concesserunt. Fundus Canali. Fundus Verrunculæ. Fundus Curtis. Prædicti autem *Comitis Benedicti fuerunt filii Johannes & Crescentius*, ex quibus Johannes quodam anno in vigilia Sanctæ Mariæ voti causâ per suum Missum mandans, duodecim solidos fecit ponere super Altare ipsius, quos Sacristanus assumsit, & intra alia vota reposuit, nihil interrogans. Alia autem die mandavit, dicens. *Dicite Abbati, ut solidos duos faciat mihi reddere, quia non debui nisi decem pro pensione dare*. Hoc ingenio fraudulento ab hoc Monasterio ablata sunt præfata loca usque ad nostrum ingressum. Ipso denique anno interfectus est *Crescentius Comes jussu Ottonis Imperatoris*, & *Gregorii Papæ*, ut audistis, quia nimis districtè placita infra Romam exercebat. Quorum territus pavore præfatus Comes quæsivit nobis pactum, imperatore ac Papa scientibus, & refutavit medietatem prædictæ Curtis, & Ecclesiam Sancti Gethulii cum duobus Casalibus, unde brevem testatam habemus. Et ego rogavi illi *tertium genus* de alia medietate cum Castello Tribuco. Quo facto Romæ prælibatus Crescentius vênit illuc levitatis causâ, quem Imperator & Papa capientes, jusserunt patri ejus, ut redderet Cerum illis, quibus abstulerat, quorum fuit. Tunc in præsentia eorum promisit se facturum, & egressus de Roma fugit illò. Quo viso Imperator & Papa nimis irati post eum properarunt, & Papa secum me ire præcepit, dicens: *Veni mecum ad Cere, eo pacto, ut si Comes Benedictus reddiderit mihi ipsam Civitatem, recipiat filium, & stet finis inter vos: sin autem, filium ejus suspendi faciam ipso vidente, & tibi restituam Tribucum*. Et tunc cùm ad furcam duceretur, ligatis post tergum manibus, oculisque panniculo strictis, videns talia pater, reddidit Civitatem, & liberavit filium.

„ Eo die Romam reversi sumus, & cùm die sequenti Sabinis venissemus, manibus nostris firmavimus *tertium genus*, & nostros direximus ad eum Legatos, ut acciperet illud præfatus Comes, & appare (31) ab illo firmatum nobis mandaret, sed facere noluit. Quapropter ab omnibus legem scientibus non ignoratur, quòd numquam stat *tertium genus* legaliter sinè appare. Verumtamen in isto pacto præfatus Comes nobiscum stetit, donec advixit, & nullam molestiam de prædicta Curte nobis fecit; licèt vellet, non audebat, quia in Regno Imperator erat. Mortuo verò ipso Imperatore, *Johannes Crescentii filius ordinatus est Patricius*, qui *Johannem* & *Crescentium filios prædicti Comitis, uti dilectos consanguineos, amare cœpit*. Completis verò post hæc duobus annis Crescentius suprascriptus abstulit nobis turpiter eamdem Curtem, nec est recordatus anathema, quod pater ejus fecerat ex corde, si umquam suus heres à nostro Monasterio abstrahere vellet. Post hæc nobis nostrisque hominibus multa inferentes mala, ipse ac frater ejus Johannes, de Campo Sancti Benedicti tulerunt Casales tres. Castellum quoque Buccinianum suprascriptus Crescentius furatus est nobis, de quo tenebamus partem tertiam, & alias duas nostri Libellarii. Cuncta etiam ultro forsan redegit dominio suo, etiam nostros Molendinarios. Castellum verò Buccinianum delegavit quondam huic Monasterio per chartas una Matrona nomine *Theoderanda filia Gratiani Consulis Romani* pro anima mariti sui Ingebaldi Francigenæ, tempore *Alberici Romanorum Principis*, qui dederat ei Sabinensem Comitatum. Quod Castellum Campo Abbas genero suo Azoni Judici postea „ dedit.

(29) Fortassis *adjutorio cujusdam*.
(30) Scribe *Faroaldus*.
(31) Hoc est, parem ac uniformem Chartam. Ita quippe appellabantur Chartae atque Epistolae uno eodemque tenore conscriptae.

„ dedit. Modò verò dicunt ipsi adversarii nostri, quòd sit de Curte Sancti Petri illi proxima, quæ Sala vocatur. Ad quod refellendum, acquisivi antiquum Privilegium à quodam factum Papa cuidam nobili Romano de ipsa Sala, quod dat Buccinianum affinem & latus ad ipsam Curtem. Si verò Domnus Crescentius illud sciebat esse Sancti Petri, ut modò dicit, cur de illo certam (*num* chartam) acquisivit ab Adam nostro Libellario, filio prædicti Azonis Judicis, videntibus ceteris Buccinianensibus.

„ Interea contentio alia orta est nobis in Marchia, pro qua me oportuit ire ultra montem ad *Henricum Regem*, ubi, cooperante Domino, Rege omnino placato, occultè illi refutavi istam Abbatiam pro peccato, quod omnes scitis. Qui multùm rogavit me, ut usque ad suum huc adventum illum præstolarer, quem ipso dicebat anno esse. Exspectavi autem illo, & altero, & usque in tertium annum, quo minimè veniente dimisi illam. Vos autem elegistis *Domnum Guidonem*, quem *Johannes Patricius*, & Rainerius gratis fecerunt consecrare à *Papa Johanne* pro nostro amore. Patricio quoque mortuo, ordinatus est *Domnus Benedictus bonæ memoriæ Papa*, qui contrarius exstitit filiis *Benedicti Comitis*. Ablata itaque sunt ab eis omnia Castella eorum, præter Tribucum & Buccinianum. *Johannes* etiam *frater Crescentii* obsidebatur in turribus Prænestini montis. Tunc in solemnitate Sancti Petri ad nos vênit supra scriptus Crescentius, & dixit revelatum fuisse cuidam servo Dei, quòd suus frater Johannes non evaderet, nisi per orationem Monachorum Sanctæ Mariæ: deinde vos caritatem fecistis in illis, & triduò jejunastis, unde prædictus Papa contra vos iratus est. Post hæc verò eruitur frater ejus ab illa obsessione, pro ut Domino placuit. Tunc vênit Crescentius in Assumtione Sanctæ Mariæ, & renuntiavit medietatem ipsius Curtis, ut voverat, & misit fratri suo, ut & ipse confirmaret: sed displicuit illi hoc: iratus dixit: *Quoquo pacto ego teneam terram alicujus Ecclesiæ per triginta annos absque pensionis redditione, mea postea erit proprietas. Hoc enim nos & pater noster factum habemus de illa Curte*. Tamdem verò rogatu Grimoaldi Presbyteri ipse & uxor ejus confirmaverunt eamdem refutationem. Postea autem Crescentius firmavit ipsam brevem refutationis, & dedit prædicto Abbati Guidoni, & ipse Abbas firmavit tertium genus de illa medietate cum Castello, & dedit illi, & taliter fecimus finem, in quo me minimè subscripsi, quia de alio existens Monasterio; Sanctæ Mariæ Monachus enim fui, & dimissâ Abbatiâ extraneus factus sum.

„ In hoc stetimus, usque dum Imperator vênit, & coronatus est, cui obvius fui Papiam. Cùm venissemus Ravennæ, Imperator cum omnibus cogere me cœpit, & maximè præ cunctis *Domnus Odilo Abbas*, ut reciperem Abbatiam; sed non acquievi usque Romam ad Synodum. Prædictus autem Imperator, ex quo Ravennam vênit, præcepit cunctis Abbatibus & Episcopis, ut scriberent res perditas suarum Ecclesiarum, qualiter & quando perdiderint, vel à quibus detinentur: quod & ego feci. Deinde venimus ante præsentiam Imperatoris & Papæ coram Judicibus Romanis, & enarravi omnia, qualiter scripta sunt hîc. Inter alia verò protuli, quòd à nullo Abbate habent scriptum de prædicto Castello, nisi ab ipso Guidone, qui donum ab Imperatore non habuit, nec Præceptum. Tunc ab Imperatore Judices interrogati uno ore dixerunt: *Episcopus aut Abbas, qui pertinet Palatio Imperiali vel Pontificali, nullo modo valet facere scriptum, nisi priùs ab ipsis donum adquirat*. Deinde dixit Imperator: *Domne Papa, date mihi vestros milites, qui cum meis vadant, ut capiant mei Monasterii Castella*. Subitò autem orta est seditio inter Romanos, & Teutonicos, quæ die sequenti sedatur. Timebat verò prædictus Johannes, ne à Papa caperetur consensu Imperatoris, quia mentitus fuerat de Prænestino monte, nolens illum reddere, sicut promiserat. Et suasi Imperatori, ut ad locum securum sineret illum abire. Qui reverti permisit cum tali tenore, ut die tertia rediret ipse, aut ejus frater, & legem aut convenientiam faceret; sed die tertia, ut promiserat, non est reversus. Tunc consensu prædicti Papæ, & cunctorum Judicum consilio reinvestivit me Imperator de ambobus prædictis Castellis cum suis pertinentiis, & commendavit me in manu Papæ in sua fide, ut si animam suam diligeret, mihi restitueret, quod strenuè postmodum complevit ipse venerabilissimus Papa.

„ Interea triginta diebus fecimus inducias, nec super ipsa venimus Castella, quia finem facere cum eis volebam libentissimè. Ipsi autem subdola fraude priùs promiserunt, & postmodum respuentes, etiam terribiles minas nobis intulerunt, quia ausi fuimus super eos Imperatori reclamare. Timore autem perculsi, uti inermes Monachi, fecimus tamdem venire super eos prædictum Senioretum. Illis denique, qui erant intus, per viginti dies & eo ampliùs, arefactis præ nimia aquæ siccitate ablatæ, quadam die inundatio pluviæ erupit ex omnibus partibus ipsius Castelli, ita ut rivuli erant turbidi. Tunc cœperunt vascula & pannos extra mansiones ordinare, ut aquis replerentur; sed tantum non pluit intra ipsum Castellum, ut aliquod minimum vas impleri posset. Hoc illi videntes pavidi, Dei cognoscentes virtutem, sequenti die in manibus Domni Papæ, etiam ipse Crescentius & Johannes, se tradiderunt, & Castellum ei reddiderunt. Statimque Dominus Papa Sanctæ Mariæ & mihi restituit cum omnibus, qui intus erant, & rediit Romam. Post aliquantos autem dies vênit iterum Sabinis prope Tribucum, in quo prædictus Johannes adhuc sedebat, cum Judicibus tantùm, & paucis hominibus, & mandavit ei familiariter, ut aut ipsum Castellum, quod injustè tenebat, Sanctæ Mariæ redderet, sicut Imperator jusserat, aut mecum staret ad legem: & si ejus præsentiam timeret, usque ad Carbonariam ipsius Castelli exiens, in sua virtute staret, & ibi cum Judicibus & paucis aliis inter nos fieret lex, quam nolebat ei absque judicio tollere; sed hæc ille omnino renuit. Triduò autem ibi stetimus, & quotidie illi nuncios misit, sed

„ nul-

„ nullo modo legem facere voluit. Deinde „ per judicium ipsorum Judicum reinvestivit „ me de ipso Castello, ac fecit Breve testatum, & reversus est Romam. Completo „ verò anno, rediit illuc, & reacquisivit illud „ Castellum, ac reddidit Sanctæ Mariæ, sicut „ Domino Deo placuit; prædictus Imperator „ rogavit, & ipse Domnus Papa complevit. „ Postea autem Domnus Papa finem cum eis „ fecit absque nobis, non tamen cum bona „ voluntate, ut sciunt plurimi. Quod ut audivimus, consensu ac consilio *Piligrini Archiepiscopi ac Cancellarii prædicti Imperatoris*, junximus nos cum *Oddone* & *Crescentio filiis Octaviani*, & dedimus eis sortem „ de ipso Tribuco, ejusque pertinentiis, ut „ nos ab ipsis defenderent, nullo alio accepto „ pretio. Quod usque hodie faciunt per divinum auxilium, sicuti postea Imperatori „ intimavimus, audiente eodem Papa & Oddone, quando nos interrogavit. Tunc Domnus Imperator voluit inter nos & ipsos Johannem & Crescentium legem facere, quam „ ipsi voluerunt.

Trigesimus nempe tertius exstitit in hoc Sancto Cœnobio *Abbas Guido* (32), nepos scilicet Domni Hugonis. Hujus precibus Sergius Papa IV. edidit apices in hunc modum.

Sergii IV. Romani Pontificis Bulla, qua Gratiano Abbati Monasterii Corgniti præcipit, ut Guidoni Farfensi Abbati Ecclesias quasdam restituat. Circiter Annum 1010.

„ SErgius Episcopus Servus Servorum Dei „ Gratiano Abbati, & omnibus habitantibus in Castello, & Civitate Corgnito salutem carissimam cum Apostolica benedictione. Nostra cura Pastoralis talis est, „ Christo favente, ut discordantes Clericos „ vel Laicos ad concordiam revocemus. Ideo „ monemus te prædicte Gratiane Abba, & „ omnino jubemus, ut secundùm præceptum Regulæ Sancti Benedicti humiles te „ sub Guidone Abbate Monasterii Sanctæ Mariæ, quod nominatur in Pharpha, & quicquid contra prælibatum Monasterium injustè feceris, citiùs emendes; & Ecclesias, „ quas jam dicto Abbati contendis, videlicet „ Sancti Peregrini, & Sancti Michaëlis, cum „ omnibus suis pertinentiis reddas illi. Quod „ si hoc facere nolueris, ab omni officio Sacerdotali maneas alienus. Similiter mandamus omnibus prædictis hominibus, vel aliis. „ qui tibi contra hanc nostram jussionem „ adjutorium præstare voluerint, ut extra Ecclesiam maneant, usque dum per satisfactionem emendaverint.

Hic autem Domnus Guido Abbas unà cum Huberto Judice Advocato hujus Monasterii reclamavit ad *Ottonem Comitem*, simul cum *Rainerio Sabinensi Episcopo*, & Judicibus residentibus in placito, pro rebus hujus Monasterii in Rescaniano; & ostenderunt chartas. Et respondit Advocatus eorum, qui ipsas res tenebant: *Ipsa res à Romanis possessa est juxta legem eorum per XX. annos, & à Longobardis per XXX. annos*. Tunc Hubertus Judex ostendit in Libro Capitulum Domni Caroli Regis dicens: *Ubi res Ecclesiastica per inquisitionem inveniri poterit, ut non excludat eam per possessionem aliquis, sed restituatur in ipsa Ecclesia, unde ipsa res est*. Post hæc jussu Comitum, & Judicum, refutata & restituta est ipsa res in hoc Monasterio.

Sub hujus quoque Domni Guidonis Abbatis cura regiminis, donatæ sunt in hoc Monasterio quædam res territorii Sabinensis, in Galuriano, & in Ruiano, & in Rescaniano, & in Lacu, & in Postmontem Casalis Joannis Miccini, ubi est Ecclesia Sancti Silvestri. Quidam autem Constantinus acquisierat quasdam res per scriptum à Guidone Abbate, & ex ipsis rebus transvendiderat sine judicio, & malo ordine. Quapropter convictus in placito, refutavit ipsam terram per idem scriptum. Item filii Ingezonis refutaverunt medietatem Casalis Canneculi. His etenim diebus donata est in hoc Monasterio quædam res in Campora, & in Abbatini, & in Curiano, & ad Fontanam Puzam; & in Mutella ad Sanctum Angelum, & in Pantanula, & in Mejana cum quarta portione Ecclesiæ Sancti Silvestri, & ibidem refutata est res cum aquæmolis juxta rigum Sancti Marcelli, & in Merana Casalis Luponis Magistri; & in Pantanula alius Casalis, & terra, atque vinea; & in Sangriniano quarta pars dotalicii Sancti Silvestri; & in Casarina in Valle super Albuciano.

Ipso tempore iterum reclamaverunt Presbyteri Sancti Eustachii super Guidone Abbate ad *Joannem Patricium*, & *Crescentium Præfectum* pro Ecclesia Sancti Benedicti, & Sancti Blasii de Thermis Alexandrinis. Tunc ipse Abbas unà cum Auberto Judice Advocato hujus Monasterii ostendit breve factum, quod continebat, qualiter quondam ante *Ottonem Imperatorem*, & *Gregorium Papam* diffinitum fuerat querimonium. Quo audito omnium judicio Judicum, & jussu *Domni Patricii*, atque *Præfecti*, iterum refutaverunt ipsi Presbyteri in manu Guidonis Abbatis eamdem Ecclesiam; & duæ Chartæ, per quas litigabant, per medium incisæ fuit. Et sic Domnus Patricius unà cum Præfecto constituit, ut si deinceps ipsam Ecclesiam litigarent Presbyteri Sancti Eustachii, componerent pœnam auri optimi libras V. medietatem Lateranensi Palatio, & medietatem huic Monasterio.

Interea quidam *Otto filius Octaviani* donavit atque confirmavit in hoc Monasterio terras & vineas in Piccarella juxta Furcellum Melleti modii I. & in vocabulo, ubi dicitur Macla Felcosa, juxta pertinentiam de Spongia, tradidit pro anima Dodæ uxoris suæ in hoc Monasterio modiola CCCC consentiente genitore suo, quarum fines sunt à furca Vallis Lupæ descendentis in Vallem Nucis, deinde in Maclam longam, & Petram-fixam, deinde semita pergens per ipsam Maclam in Macla Petrosa, & in caput Callatori, & venientes in viam antiquam, deinde serra montis de Meso, venientes in caput Polleclæ & descendentes in supradictam furcam Vallis Lupæ. Insuper tradidit in hoc Monasterio pro anima sua modiola MD. vel si ampliùs fuerint, infra istos fines, & terram ad aquæmolum faciendum

(32) Quum ex sequenti Bulla constet, Guidonem hunc Monasterio Farfensi praefuisse circiter Annum 1010. & acta Hugonis Abbatis posteriori tempore legantur; animadvertendum est, Hugonem bis eidem praefecturae renuntiasse, & *Guidonem* eidem primo successisse, qui *Primus* dicitur; tum alterum *Guidonem*, de quo infra, appellatum *Secundum*.

dum juxta Currisem, & secus Casalem Dominici Furis; & in Fabriciano, res cum portione Ecclesiæ Sancti Sylvestri, sicut tenuit Joannes Miccinus; & ubi dicitur Collis, dedit unum aquæmolum prædictus *Otto Comes* in Ecclesia Sancti Martini super Acutianum. Prædictus autem Guido Abbas acquisivit quasdam res in Nazano Sabinensi, & revicit in quodam placito unam Curtem ad flumen in vocabulo Summati territorii Asculani ad Macerianum. Et accepit quadam convenientia de rebus in Terentiano, in quo est Ecclesia Sanctæ Cæciliæ. De Arnario quoque donata est in hoc Monasterio pars XVIII. quæ fuit Crescentii Bonizonis; & quædam res in Nocla prædicto Abbati refutata est. Quidam verò Sanso donavit in hoc Monasterio quasdam res in Majana, & refutavit res in monte de Velo modiola centum. Ipso tempore *Crescentius Comes*, & *Joannes Marchio*, *filii Benedicti quondam Comitis*, refutaverunt in hoc Monasterio medietatem Curtis Sancti Gethulii. Quidam verò Franco filius Violæ, refutavit quasdam res in Pompeje, & Confluenti, & Agello, & super Albucianum, & in Postmontem; & in Civitate Reatina molendinum Janaticum, quod est de Cantaro, & Curtem Sanctæ Agathæ, & res in Frigie, & Basche, & Lacum Majorem, & petiam vineæ juxta Portam Romanam. Hæc omnia restituit in hoc Monasterio, & Guidoni Abbati. Item Postmontem, ubi dicitur Maternus, donatæ sunt quædam res in hoc Monasterio, & in Ecclesia Sancti Martini super Acutiano. Et alia res ibidem venumdata fuit in supradicta Ecclesia Sancti Martini pretio solidorum XII. In Capitiniano quasdam res cum quarta parte de Ecclesia Sanctæ Columbæ contulit in hoc Monasterio quidam Albertus. In Puzalia verò collatæ sunt quædam res huic Monasterio juxta Sanctam Agnetem, & unum sedium de molendinis juxta molinum Todici; & ibidem aliæ res modiorum XVIII. pro solidis LX.

Benedicti VIII. Papæ Bulla, qua Farfensi Cœnobio bona ac jura omnia confirmat. Anno 1013.

„ BEnedictus Episcopus Servus Servorum „ Dei. Dilecto in Domino filio Guidoni „ Coangelico, Abbati Monasterii, quod dici- „ tur in Pharpha de loco Acutiano, tuisque „ Successoribus in perpetuum. Igitur quia „ petistis à nobis, quatenus ex nostra largita- „ te, nostroque dono concederemus vestræ „ Religioni in fundo Massa Ecclesiam Sanctæ „ Mariæ in loco, qui dicitur Formellus, cum „ omni ornatu ipsius, atque vineis, & terris, „ sicut olim detinuerunt duo Presbyteri Bene- „ dicti propriis vocitati nominibus, qui modò „ videntur esse vestri Monachi, cum introitu, „ & exitu suo, & omnibus sibi generaliter, „ & in omnibus pertinentibus. Concedimus „ vobis insuper in supradicto fundo Massa Ca- „ sales tres ex integro, scilicet Casale de Pe- „ troccio, & Casale Leonis Sabinensis; & „ Casale Petri de Leone ferrario, cum casis, „ vineis, terris, campis, pratis, pascuis, syl- „ vis, & arboribus, pomiferis, fructiferis, „ vel infructiferis diversi generis, cultum, „ vel incultum, vacuum, vel plenum. Affines „ verò, & termini eorum sicut nunc sunt, & „ ab origine fuerunt, & quemadmodum in „ vestræ acquisitionis continetur Chartula, & „ sicut heredes supradictorum hominum ad „ laborandum suis modò detinere videntur „ manibus. Omnia juris Sanctæ Romanæ, cui „ Deo auctore præsidemus atque deservimus, „ Ecclesiæ, vobis ad tenendum emissa præ- „ ceptione concedimus à præsenti Indictione „ XI. vobis vestrisque Successoribus absque „ reddito, vel censu perpetualiter detinendum. „ Statuentes Apostolica censura, & auctori- „ tate Beati Petri Apostolorum Principis, sub „ divinis obtestationibus, & anathematis in- „ terdictionibus, ut nulli umquam Successo- „ rum nostrorum Paparum, vel aliæ cuilibet „ magnæ parvæque personæ per nominata loca „ à potestate & dictione vestra, vestrorumque „ Successorum, ac vestri Monasterii auferre, „ vel alienare quoquo modo liceat. Si quis „ autem temerario ausu magna parvaque per- „ sona contra hoc privilegium agere præ- „ sumpserit: sciat se à Deo alienum, & cum „ omnibus impiis æterno incendio, ac suppli- „ cio condemnatum. At verò qui pio intuitu „ custos, & observator hujus nostri privilegii „ extiterit, gratiam, atque misericordiam, „ vitamque æternam à misericordiosissimo Do- „ mino Deo nostro consequi mereatur in se- „ cula seculorum Amen. Scriptum per manus „ Benedicti Regionarii Notarii, & Scriniarii „ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in manu Aposto- „ lica Indictione supradicta XI. Benevalete. „ Datum VIII. Kalend. Maji per manus Bene- „ dicti Domini gratiâ Episcopi Sanctæ Silvæ „ Candidæ Ecclesiæ, & Bibliothecarii Sanctæ „ Apostolicæ Sedis Anno Deo propitio Ponti- „ ficatus D. N. Benedicti Sanctissimi VIII. „ Papæ Primo.

Orta est autem litis intentio inter Guidonem Abbatem, & Bulgionem filium Guinzionis de Ecclesia Sanctæ Columbæ cum vineis, terris, atque silvis, & omnibus per circuitum ejus positis, quas idem Abbas in hoc Monasterio acquisivit per cessionem venditionis à Tederada, & Albino ejus filio, & Farulfo ejus genero, & quietè detinuit suis manibus. In cujus terra supradictus Bulgio per audaciam & vim introivit, & injustè cœpit eam detinere ad suum opus. Tunc vênit supradictus Abbas, & proclamavit ad *Domnum Benedictum Pontificem*, qui jussit fieri legem ante præsentiam *Alberici Consulis*, *& Ducis*, & legum peritorum Judicum. Ubi interrogatus Bulgio, quare, vel quomodo sibi pertineret, nesciebat quid responderet. Deinde proprio ore confessus est, quòd nihil sibi pertinuisset, nisi tantum quod & per vim usque nunc detinebat. Ad hoc magnum placitum cecidit super ipsum, ita ut quater ipsam terram & vineam componere deberet propter vim, quam exinde gessit. Tunc studio *Domni Alberici* ducti sunt ad bonam concordiam, & refutavit supradictus Bulcio omnes ipsas res ad supradictum Abbatem, & in hoc Monasterio usque in perpetuum, & obligavit se suosque heredes, si litem removerent, pœnam componere auri optimi libras tres.

Gregorius autem nobilis Vir, & Ursus Presbyter, qui dictus est Benepassia, sua bona contulerunt in hoc Monasterio, idest Casales duos foris Pontem Salarium milliario palm. XV. in fundo Campo Rotundo; Unum tenuit Framiscitus, & alium Gypzo, qui vocatur Nerius cum suis fratribus. *Domnus* autem *Bene-*

Benedictus Papa contulit in hoc Monasterio ex propria substantia, pro animabus *Domni Gregorii, atque Mariæ genitorum suorum*, quasdam res in territorio Collinensi in fundo Flajano, videlicet terram, & vineam, quas tenuit Benedictus Saxonis cum Pevulo filio suo, qui fuerunt famuli ejus. In loco autem, qui vocatur Maternus Postmontem, quasdam res Crescentii, & Gebbonis filiorum Farolfi. In Scandrilia Casalem totum, ubi dicitur Collis Sancti Martini. In Arnario duas partes in loco, qui nominatur Bulcianus, sive Sala. Casalem Luponis de Petrono, & medietatem Casalis Joannis Prodæ. In loco, qui nominatur Fistula, Ecclesiam Sancti Blasii cum centum modiolis. In Pontiano alias res de Castello Currisiæ, portionem Domnæ Laviniæ, cum Casale Ursi Presbyteri, & medietatem Casalis Joannis de Firmo. Et portionem Curtis Sancti Benedicti. In Pustinano alias res, & res Gisolfi in Salisiano, & in Sectiniano, & in Galoniano. Et in monte Otæ infra Urbem Romam portionem Stephaniæ de Ecclesia Sancti Benedicti, & Oratorio Sancti Salvatoris. Ad Gattumsecuta novem uncias principales de aqua alvei Tiberis ad aquæmolum construendum.

Item de supradicta Ecclesia Sancti Benedicti, & Sanctæ Mariæ, & Sancti Blasii, & horto atque medietate portæ . . . . . & de filio Salinario facta est refutatio in hoc Monasterio in manus Guidonis Abbatis. In Lafriniano collata est quædam res in hoc Monasterio. In Capitiniano Ecclesia Sanctæ Columbæ, & ipsius Casalis medietas in integrum infra urbem; & una domus reinvestita est in hoc Monasterio cum Curte ante se, & alia Curte ante portam Sancti Andreæ, & alia domus, quam contendebat Gregorius filius Ursi Presbyteri, de Malepassia cum scala marmorea, & Curte ante eam, & medietate putei aquæ vivæ, & porta introitus, & Cripta, & duabus atteguis; & quædam res ad Campum Sancti Benedicti in valle Cernaria.

Domna quoque *Rogata filia Crescentii, & uxor Octaviani* contulit in hoc Monasterio Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Massa, & loco Formelli, & Casalem Petocii, & Casalem Leonis Sabinensis, & Casalem Petri Leonis ferrarii. In Maceriano autem vocabulo Sumati prædictus Abbas Guido accepit per concambium modiola XL. & quasdam res in Sectiniano, ubi est Ecclesia Sancti Stephani; & in monte Majalinæ, & Cerqueto plano, & Baciano, & Salisano, & Rocca cum Ecclesia Sancti Thomæ, & pertinentia Campilongi, cujus fines sunt cacumen montis Mujalinæ, rivus Atriani, qui venit in Roccam, quam tenent Bucco, & Gualafossa; deinde rivus Ponticelli intervenientis in rivum Cancelli, & in Portella, & per viam in rivum Sancti Marcelli, exinde in res hujus Monasterii, quas tenent filii Tebaldi; & venientes in rivum. Et alias res in Mejana, ubi est Ecclesia Sancti Silvestri. In Ortelle terram, & vineam cum Ecclesiis Sancti Laurentii, & Sancti Benedicti in territorio Reatino ad campum Liscum modios XX. & ad Undam casalicium unum. In Cozano, & in Luniano portio Joannis Sintari filii, & de Curte Joannis Sintari filii, & de Curte Cesonis urbe Roma ad Gattumsecuta, & de aquæmolo, & aqua, & Sandalo, portio Joannis Primicerii, & alia portio Leonis Dativi Judicis de Maximo; & juxta Thermas Alexandrinas domus Lamberti, & Azonis de Spampino. In Ortelle de rebus & Ecclesiis quasdam Joannis portiones, & in Colle Bajano territorii Narniensis in fundo Gallettæ terræ petias V. & alias res in fundo Stablata, & in Comitatu Narniensi, ubi dicitur Ronconiscus, & alias res in Sabinis, ubi dicitur Cerreta, & ubi dicitur Cese, & ubi dicitur Cali, & ubi dicitur Petra, & ubi dicitur Conca.

Conradus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus, pro Dei amore, Sanctæque Genitricis ipsius Mariæ confirmavit in hoc Monasterio quicquid in superioribus continetur Præceptis, & quicquid habere videtur in eodem territorio Sabinensi cum omnibus pertinentiis suis. Idest Ecclesiam Sancti Benedicti, Curtem Sancti Gethulii cum Castello Tribuco, Ecclesiam Sancti Angeli in Tancia in integrum cum gualdo. Castellum Bucciniанum in integrum cum Massa, quam piæ memoriæ *Benedictus* contulit *Papa*, & terram de Ortelle. In Comitatu Hortano in capite ipsius Civitatis Ecclesiam Sancti Theodori. In Comitatu Viterbiensi infra Civitatem Ecclesiam Sanctæ Mariæ, Cellam Sanctæ Mariæ juxta fundum Minionem cum gualdo suo. In Comitatu Spoletino Ecclesiam Sancti Marci, & Sancti Salvatoris, & Sancti Viti, & Sanctæ Mariæ in Mediano, Ecclesiam Sancti Pauli in ipso Comitatu Asisio, Ecclesiam Sancti Bartholomæi, & Sancti Joannis in Comitatu Ausimano, & Curtem de monte Polisco. In Comitatu Senogalliensi Curtem de Luzano. In Comitatu Camerino, Curtem de Salabona, & de Trevenano, & Sancti Abundii, & Sancti Viti. In Castello Petroso Curtem Sancti Antiæ. De Castello Caballo-albo duas partes. In Comitatu Firmano Monasterium Sanctæ Mariæ, & Sanctæ Victoriæ in Matenano Monte, & Sancti Benedicti, atque Sanctæ Mariæ juxta fluvium Clentis cum Castello ibidem, & ministerio de Sparzano, & Valle, & Curtem Sanctæ Mariæ in Cupresseto. In Comitatu Asculano Curtem de Solestano, & alias. In Comitatu Pinnensi Curtem Sanctæ Luciæ, & de monte Pedito. In Comitatu Teatino Monasterium Sancti Stephani in Lucania, cum ipso concambio *Attonis Comitis* de phara (33) filiorum Guarnerii, & Podio Ortonella, & Ecclesia Sancti Clementis in Comitatu Pinnensi. In Comitatu Balbensi Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Giano, Curtem Sancti Leucii, Curtem de Transaque. Infra Urbem Romam Ecclesiam Sanctæ Mariæ, & Sancti Benedicti, cum Criptis, & muris, & campo Agonis. In Civitate Tiburtina Monasterium Sancti Adriani. In finibus Campaniæ Monasterium Sancti Laurentii in Macri. In Colline Ecclesiam Sancti Sebastiani. In Comitatu Reatino Monasterium Sancti Angeli, & Ecclesiam Sancti Jacobi, & Sancti Georgii cum diversis aliis; & in Puzalia res noviter acquisitas; In Amiterno Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Loriano: In Comitatu Furconino Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Fursone, Curtem de Turrita, & de Narnate. In supradicto Comitatu Balbensi Ecclesia Sancti Peregrini, in quo *Comiti Oderisio* Monasterium compertinere videtur. Et quicquid juste & legaliter, aut ab aliis hominibus Deum timentibus

(33) Idest familia. Vide Leges Langobardicas par. II. Tom. I. Rer. Italic.

tibus acquisierit, aut ab his, qui modò de rebus Ecclesiæ injustè tenent, aut in aliqua parte Regni Italici habere videtur, aut acquisierit, per hoc Præceptum (34) confirmavit huic Monasterio.

Quidam verò Benedictus filius Ubaldi concessit in hoc Monasterio per chartulam donationis, & Guidoni Abbati, omnes res suas, sive Castella, & Ecclesias in cuncto territorio Sabinensi. Similiter post hæc contulit huic Monasterio de ipsis rebus, uxor supradicti Benedicti, & Ingelrada uxor Grimaldi, quæcumque sibi pertinebant. Susanna, & filia Landolfi concessit omnia pertinentia sibi, à supradicto Landolfo, & Taxia genitoribus suis in cuncto territorio Sabinensi, videlicet in Tarano, & in Asiniano, & in Mozano, & in Bacone, & Cotanillo. Insuper & Castellum confinium cum suis pertinentis. In Ophiano autem territorio Reatino, quidam Joannes filius Todori contulit in hoc Monasterio res suas omnes. In Civitate verò Reatina donata sunt huic Monasterio casalicia quinque, & aliæ res ibidem. Et in Castaniola petiæ duæ, & ad Sanctum Clementem; & in Campo Reatino ad Piscinam Grisonis, & ad Tufos, & ad Sanginarium. In Comitatu Assisinate, ubi dicitur Satianus modiola XVIII. Quidam verò Hugo filius Alberici unà cum Tedizalta jugali sua obtulit huic Monasterio omnes res suas mobiles, & immobiles infra Comitatum Perusinum, & in territorio Tudertino, in fundo monte Capriolo, & in fundo Agello, in fundo Nieriti, in fundo Bagnaria. Horum fines sunt Alveus Tyberis, venientes in plebem Sancti Joannis in Campo; deinde in porta Sancti Angeli Civitatis Perusinæ; deinde in plebem Sancti Joannis inter montes; deinde in plebem Sancti Sabini de Lacu Perusino recta in montem alium, & in Maternum, & in Obriarum saltum, & in sigilla Tyberis; & portionem de fundo Saragano. In territorio Reatino, ubi dicitur Græce, & ad Sanctum Cassianum collatæ sunt quædam res Oldebaldi, & Rapizonis, & in Cesa Cardosa. Item in Ophiano, & ubi dicitur Porcili, alias res. In territorio Perusino obtulerunt res suas, quidam Marco filius Decii, & Aza jugalis huic Monasterio; & quidam Grifo portionem in Teviano, & in Castello de Furca, & in Lacu Perusino ad Fontejanum, quarum fines sunt Afrinianus, deinde venientes in mare, deinde in Lacum Ariolum, exinde in Sanctum Archangelum, rectè in Faltonianum, & in Sanctum Pontium, & in Monticellum, & in Pila, & in Civitate Perusina, & in Valle de Pote, & in montem Teuzonis, sicut venit in Pantanum, & rectè in montem Bituris, & in Afrinianum primum latus. In territorio Sabinensi res Joannis Presbyteri, qui vocatur de Xisista; ubi dicitur Rescanianus, cum medietate ipsius Ecclesiæ; & alias res in Casale, & alias res in fundo Campo ad buxos, & in fundo Longojæ, & alias res in Prepi. Item in Ophiano ad Campum de Asti, & subtus montem Aureum, & in Puzalia minori, & super rivum Angri, ubi est Ecclesia Sanctæ Crucis, & ubi dicitur Palpa; & alias res in Sextiliano ejusdem Castelli tertiam partem cujusdam Donati filii Azonis, & portionem Azonis, & Attonis filiorum Azonis; & de ipsa Ecclesia Domini Salvatoris, & alibi Casale Mannonis, & res in Aviano. Item in Ophiano subtus Castellionem quasdam res in territorio Sabinensi, medietatem Castelli, & de podio Vulpiniano; & Postmontem ad Tortianum collata sunt in Ecclesia

(34) Editum antea fuit Diploma hoc, sed breviatum. Quare minime supervacaneum putavi rursus illud idem heic exhibere Lectoribus.

Conradi I. Romanorum Imperatoris Diploma, quo Guidoni II. Farfensi Abbati, ejusque Monasterio bona ac jura quæcumque confirmat. Anno 1027.

„ IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. „ Chuonradus Divus Romanorum Imperator Augustus. Comperiat omnium solertia, qualiter *Guido venerabilis Abbas Monasterii Sanctæ Mariæ in Comitatu Sabinensi constructi*, in loco qui dicitur Acutianus, nostram adiens præsentiam, ostendit nobis nostrorum antecessorum Regum vel Imperatorum præcepta eidem Monasterio facta, atque suppliciter postulans .... eadem præcepta nostra Imperiali ac præceptali auctoritate confirmaremus. Nos verò ejus justis postulationibus assentientes, confirmamus jam dicto Monasterio quidquid in superioribus continetur præceptis, pro ut justè & legaliter possumus, videlicet quidquid habere videtur in eodem Territorio Sabinensi, idest .... in Comitatu Hortano ...... in Comitatu Viterbiensi, Cellam Sanctæ Mariæ juxta fluvium Minionem .... in Comitatu Spoletano ...., in Comitatu Assisio ...... in Comitatu Ausimano ...... in Comitatu Senogalliensi ...... in Comitatu Camerino .... in Comitatu Firmano .... in Comitatu Asculano .... in Comitatu Aprutiensi .... in Comitatu Pinnensi .... in Comitatu Balbensi .... in Comitatu Marsicano .... Infra Urbem Romam Ecclesiam Sanctæ Mariæ, & Sancti Benedicti cum Cryptis & Muris, & cum introitu & exitu illarum, & Campo de Agonis. In Civitate Tyburtina .... in Comitatu Reatino .... in Amiterno, in Comitatu Furconino .... „ Omnia, quæ in integrum ad prædictum Monasterium pertinere videntur justè & legaliter, aut ab aliis hominibus Deum timentibus acquisierit, aut ab his, qui modò de rebus Ecclesiæ injustè tenent; & quæ in Civitate Romana, aut in aliqua parte nostri Regni Italici habere videtur, aut acquisierit, per hoc nostrum Præceptum eidem sancto loco confirmamus una cum terris, vineis .... atque pro Dei amore, nostræque animæ salute eidem Monasterio ministrantibus per hoc nostrum præceptum perdonamus, ut nullus eorum, aut suorum hominum deinceps freda, aut tributum donet, vel mansiones faciat invitè, aut fidejussor sinè suo velle existat, aut in aliquo donet portonaticum aut ripaticum, vel herbaticum, aut glandaticum, vel pontonaticum, tam de Monachis, quàm Clericis, quàmque de hominibus super terras eorum residentibus, tam ingenuis quàm libellariis, quàm & servis. Ac eos sub nostra tuitione recipimus. Præcipientes ergo jubemus, ut nullus Dux, Marchio, Episcopus, Comes, Vicecomes, vel aliquis noster Missus discurrens, Sculdasius, Gastaldius, nullaque nostri Imperii magna parvaque persona, prædicti Monasterii vel Monachos aut aliquem fidelem inquietare, molestare, aut de his, quæ supra scripta sunt, sinè legali judicio divestire præsumat ...... & quidquid de prædicti Monasterii possessionibus Fiscus noster sperare potuerit, totum nos pro æternæ remunerationis præmio prædicto Monasterio concedimus ....

„ Signum Domni Chuonradi Serenissimi Imperatoris Augusti.

„ Hugo Cancellarius vice Domini Haribonis Archicancellarii recognovit.

„ Data V. Kalend. Martii, Anno Dominicæ Incarnationis MXXVII. Anno verò Domini Chuonradi regnantis Tertio, Imperii quoque Primo. Actum Romæ feliciter.

clesia Sancti Martini super Acutianum modiola duo. In Comitatu quoque Reatino prædictus Guido Abbas accepit refutationem molini subtus Pontemfractum. In territorio Furconino ad Campum de Ophida quasdam res accepit per commutationem. In Amiterno ad Stibilianum modios XL. In Campo Armori V. petias, & alibi petias V. & in Collectario petias VI. & alibi petias III. & in Silva plana petias duas. Retulimus hactenus acquisitiones varias sub regimine Domni Guidonis huic Monasterio editas. Libet nunc, ut ejusdem Abbatis referamus concessiones diversas. Itaque concessit in Salisano, & in Casarina, quæ vocatur Crassinus, & in Tancia juxta Castellum Fatulum quasdam res ad quartam reddendum, & medietatem vini mundi, & operas, & xenia pretio solidorum XV. In monte Aureo modiola V. pretio solidorum XX. In Centum quasdam res ad quartam, & vini mundi medietatem, & operas, & xenia, & de olivis pretio solidorum XXV. In Mejana Casale Luponis Magri ad quartam, & medietatem vini mundi, & de olivis præsentibus tres partes, & de futuris medietatem, & de his, quæ allevantur, duas partes, & xenia, & operas pretio solidorum XXVI. In Bacciano modios V., & quartam partem Ecclesiæ Sanctæ Luciæ pretio solidorum XXX. In Salisano, & Sectiniano, & Galoniano, & in monte Ota medietatem montis, & in Bacciano concessit quasdam res Gisolfo, atque Liudæ pretio rerum suarum, quas commiserunt in hoc Monasterio. In Fixiniano concessit res pretio solidorum XXX. In Mejana concessit res ad quartam, & vini mundi medietatem, & xenium I. in Nativitate Domini Salvatoris, spallam & lumbum; annuatim operas tres, unam ad arandum, aliam ad metendum, tertiam ad zappandum, pretio solidorum XV. In Postmontem Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Pisile in integrum, & alias res prope Casale Criptulæ, & in Mureto, & in Furnello, & in Centum, & in Fixiniano, & ad Noclam, & medietatem aquæmoli juxta Currisium pretio solidorum V. In Urbana, & Casarine, & super Albucianum cum molino pretio solidorum centum. In Postmontem, ubi est Ecclesia Sancti Gordiani quasdam res ad quartam, & de vino mundo medietatem, & operas, & xenia, & de olivis. Item ibidem, & in Casule ad quartam & tertiam de vino pretio solidorum XX. In Privati, & Carboniano pretio solidorum L. In Abbatini res & molinum pro solid. XX. In Sectiniano, ubi est Ecclesia S. Stephani, & in monte Majalino, & Cerqueto plano, & Bacciano, & Salisiano, & Roccam cum Ecclesia Sancti Thomæ, & pertinentiam Campi longi, & in Mejana. Hæc omnia concessit Azoni, & Farulfo filiis Adalberti, qui ipsam Roccam dederant per chartulam donationis in hoc Monasterio. Quorum fines sunt cacumen montis Majalini, & rigus Atriani, qui venit in Roccam, quam tenent filii Gualafossæ; deinde res hujus Monasterii, & descendentes in rigum Ponticelli, & in rigum Cancelli, & venientes in Portellam, & per viam in rigum Sancti Marcelli, & in res hujus Monasterii, quas tenent filii Thebaldi; & venientes in rigum, pretio librarum XX. In Pantanula, & in Sangriniano, & Casarina, & super Albucianum, cum aquæmollis, & valle super eas; & montem Otam quarum fines sunt rigus Scalatus, qui pergit in rigum Sancti Angeli; deinde rigagines venientes à Cisterna in rigum Cancelli; deinde via Cisternæ; & venientes in rigum Sancti Angeli; deinde lacus, & venientes in Calvisiam de Majalina; & deinde subtus in Furcellam, exinde in rigum Scalatum de quarta parte portiones tres pro solidis centum. In territorio Sancti Viti quasdam res pro solidis L. In Cassiano, & Casali Bricæ pro solidis XX. In monte juxta res Sancti Alexandri pro solidis XII. In Abbatini cum molino quasdam res pro solidis XX. In Aliniano, & colle Ursi Morici res pro pretio librarum LXXX. In Plana omnem Clusam, & res Bosoni filii Sabini. In Salisiano res pro solidis L. infra ipsum Castellum casarinas duas. In Quinza quasdam res, & quartam partem Ecclesiæ Sancti Philippi pro solidis XX. In Cerqueto, & in Cavallaria pro solidis XX. In Lucciolo res, quæ huic Monasterio collatæ sunt à famulo, & confratre nostro Majone, pro solidis XXX. In Vulpiniano, & in Casale de Ruta pro solidis centum. In Teste subtus Castellum Postmontem quasdam res ad quartam reddendum & vini mundi tertiam partem, pro solidis VI. In Serrano concessit, ad quartam, & vini mundi partem tertiam, & medietatem de olivis, & operas, & xenia. In Paternione, & in Centum pretio librarum III. In Peteriolo ad quartam, & vini mundi partem tertiam, & xenium I. & dimidium pro solidis XXX. In Quinza Ecclesiam Sancti Philippi cum aliis rebus pro solidis LXXX. In Marciliano, & in Stribiliano, & in villa Rustica, & in Castellione, & in Turano ipsarum rerum medietatem concessit pro solidis XL. ad Sanctum Angelum in Mutella Postmontem, & ad Sanctum Salvatorem, & ad Capriolum, & ad Casalulum, & in Mariniano quasdam res pro solidis XL. In Flaminiano, in quo est Ecclesia Sancti Gregorii, & in valle, & in Bibiano pro solidis XL. In valle Ceneraria ad quartam, & operas, & xenium I. pro solidis XV. In Fistula, in quo est Ecclesia Sancti Blasii, pro solidis centum. Ad Sanctum Vitum, & in via majori, & in Urbana pro solidis centum. In Oriolo ad Cerquetum ad quartam, & vini tertiam partem, & operas, & xenia pro solidis XII. In Fecline pro solidis XX. Item illic quasdam res, & in Prato cum medietate Ecclesiæ Sancti Stephani. In Bambano, & in fundo Miniano, ubi est Ecclesia Sanctæ Helenæ modiola XXIII., & dimidium. In Campo Adonis res pro solidis LX. In Ortelle, in quo est Ecclesia Sancti Benedicti, & Sancti Laurentii ad pensionem in mensses septem lacunas LX. musti mundi, grani modium I. de investito modium I. pro solidis XX. In Fitiniano, & in Terentino de Ecclesia Sanctæ Cæciliæ partem septimam pro solidis XXX. In Quinza modios X. ad pensionem in mense Augusti modiorum III. de grano, & de investito I. de vindemia musti mundi laguenas X. justas, & operas tres. In Marciliano, & portu de Cerris, & in Tribiliano, & in Castellione, & ad Sacerdotespro solidis centum. Ad Sanctum Stephanum, & in Moranula pretio librarum IV. In Lariniano ad pensionem de musto mundo laguenas duas pretio solidorum XIV. & ibidem ad pensionem in mense Septembris musti mundi laguenas X. pro solidis XXX. In Urbana ad quartam & vini mundi partem tertiam, & de olivis,

vis, & xenia, & operas pro solidis XX. In monte Aureo quarumdam rerum, & de Ecclesia Sanctæ Luciæ octavam partem pro solidis LX. In casa Mannonis, & res in Tulliano cum aquæmolis pro solidis centum. In Moranula, & fossa Martoræ, & Vulpiniano, & in Archisano pro solidis XL.

Trigesimus autem quartus in hujus sacri Cœnobii regimine exstitit à fratribus venerabilis *Guido* (35) *Presbyter* electus, qui non de sublimibus, sed de parentibus fuerat humilibus. Cum verò cerneret se hujus Prælationis indecenter portare onus, obnixis precibus rogavit fratres, ut sibi utiliorem præ se eligerent Pastorem: quod vix potuit obtinere. Denique hoc à regimine seposito, quemdam *Bonifacium* Dei servum eligere maluerunt. At ipse quidem in orationis studiis maximè assuetus, gravissimum sibi facere videbatur, si in tam sublimi regimine seculariter occuparetur. Itaque renuebat omni nixu præesse. Sed cùm fratres ei non acquiescerent, cœpit in tantum prælationem spernere, ut virgæ regiminis, quam manu gestabat, altiora ad terram trahens regiraret, & ima ejus, ad sublime exaltaret. Quod fratres intuentes coacti sunt illi in hoc, quod petierat, assensum præbere. Remoto autem & hoc ab ipsa electione, elegerunt venerabilem *Supponem*, qui nobilis seculari prosapia, & doctus videbatur doctrina Ecclesiastica. Prælatus verò electione fratrum mox pro Abbatia dirigit hujus Monasterii legatos. Quod factum molestè accepit *Imperator Henricus* (36), & quòd se Imperiali præsentari cultui electus neglexerit, ejus electionem sprevit. Erat forte tunc in Curia quidam Abbas Monasterii Sancti Petri ad Cœlum (37) Aureum. Huic innuit Imperator, ut sibi utilimum afferret ex suo Cœnobio Monachum, quem ad egregiam sui Imperii Abbatiam dirigeret in Romanis partibus. Statimque præsentavit *Domnum Almericum*, literis optimè eruditum, & Ecclesiasticis doctrinis magnificè imbutum. Qui etiam eumdem Imperatorem Liberales apices studuerat edocere. Continuò lætus Imperator, de hac illum Abbatia investivit, & cum hujus Monasterii legatis illis, qui aderant, & Imperialibus Missis, huc honorificè dirigere curavit. Cui præfatus Suppo nuper electus locum regiminis cedens, & ipse desivit præesse. Hujus autem Domni Supponis in hoc Monasterio susceptas acquisitiones ideo hìc priùs inserere curavimus, quoniam ante prædictum Domnum Almericum curam hujus Cœnobii, & si non Imperiali corroboratione, obtinuit, tamen Canonica, Regularique fratrum electione.

Denique Incarnationis Dom. An. MXXXIX Longinus filius quondam Azonis obtulit in hoc Monasterio sub regimine Domni Supponis res suas infra territorium Firmanum, ubi dicitur Ginestretum, & in Casis, & in Floriano, cujus fines sunt à via, quæ vadit à Sancto Petro de Galenano in Minocla, & rivus inter Malia, & Ovanianum, & rivus fontis Oriæ in rivum Malisi, & ad Pratitulum Castellum Rodaldi, deinde rivus de Rosiniano currens in Cavalle: quæ sunt modiola centum.

Item obtulit Castellum Ophidam cum Ecclesia Sanctæ Mariæ, & Castellum de Isola cum Ecclesia Sanctæ Crucis, & Castellum Gasianum cum Ecclesia Sanctæ Mariæ: quæ omnia sunt in pertinentia Ophidæ, Melesiano, monte Ophidæ, Granariolo, Apuliola, Macla, Posseta, Lammule, Colle Gualdone, Gimilliano, Cese, Caprilia, Gualdo; Casale Apreniano, Gusiano, Ponticello, Valle Cupia, & in Fretiano, cum lacu, & in Guidonisco, & Hilia. Et Ecclesiam Sancti Pantaleonis, Ecclesiam Domini Salvatoris in Caprilia, & portionem Ecclesiæ Sancti Emindii in Roseliano, & portionem Podii de Thophano filio Azonis super Cimbriano, & de ipsa Ecclesia; & portionem de Castello Aquaviva, & de Castello Porchæ, & de Castello Ripa, quæ sunt in Artiano, & in Congionillo, & in fontibus de Cimbriano, & vocabulo Collis. Et res suas de Plano de Azo cum molinis; & res de Cornaro, & Astatiano, & de Luxenio, & de Colle Canni Ardisco, & Pasiano, & Vocalino, & Diustento, & Torpelliano, & de Castello Marchæ, quod dicitur Coseniánum; & Ecclesiam Sancti Leonis; & de Ecclesia Sancti Petri ibidem, quæ sunt in Coseniano, & in Casi, & in Falmoniano, & in Tanciano, & in Muro, & in Castratiano, & in Occlaniano, & in Ripule cum Ecclesia Sancti Thomæ in Podio Ripuli, & res de Fonte rivi, & ipsa Valle, & de Floriano, & Colle Ansæ, & portionem de Curte Sancti Martini, & de Castello Sancti Valentini: quæ res sunt in Curte Sancti Valentini in Magisi, & in Meziano, cum portione Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, & Ecclesiæ Sancti Venantii; & Castellum de Beneventulo cum Ecclesia Sancti Bartholomæi, & res de Septiniano, & Sancto Lazaro, & in Colliclo; & de Castello Sculcula medietatem; & de Ecclesia Sancti Runtii, & de Ecclesia Sancti Angeli in Copresa, & de Podio monte Cretaceo, & de ipsis podiis, & cum piscatione, & ipso portu; & de Podio Montebano. Et Monasterium Sancti Angeli in Philecta, & in Castello Marchæ, quod dicitur Cusinianum cum portione Ecclesiæ Sancti Petri; & medietatem Ecclesiæ Sancti Gregorii in Vulaniano; Et medietatem Castellaris de Ripa cum medietate Ecclesiæ Sancti Salvatoris, & medietatem turris, & portionem Sanctæ Luciæ in Coseniano; & Castellum de Insula juxta flumen Tesinum, cum Ecclesia Sanctæ Mariæ, & Ecclesia Sancti Georgii in Ventiano, & Ecclesiæ Sancti Angeli in Cureto, & medietatem Ecclesiæ Sancti Martini in Extrada, & Ecclesiam Sancti Blasii in Podio super trivium Madelandiscum; & Ecclesiam Sancti Angeli in Philecta; & Ecclesiam Sancti Joannis in Colle lucido. Et Ecclesiam Sancti Benedicti in Apreniano. Et Ecclesiam Sancti Laurentii in Sextiniano. Ecclesiam Sancti Pauli in Ripalda, & portionem Ecclesiæ Sanctæ Mariæ in Colliclo, Castellum de Colmare cum Ecclesia Sancti Blasii; & Ecclesiam Sancti Michaëlis, Ecclesiam San-

(35) Scilicet Secundus, electus Anno 1027. quum regimini valedixisset iterum Hugo Abbas. Veri tamen simile est, Guidonem hunc non alium esse, quam Trigesimus Tertius supra memoratus; neque enim satis accurate Chronographus noster distinxit metamorphoses Farfensis Coenobii eorum temporum, quum Hugo non semel regimini renuntiarit, ac illud postea resumserit.

(36) Scilicet Secundus inter Augustos, Tertius in Regum serie. Iniit ille Principatum Anno 1039. Ergo Supponis electio atque dejectio ad eum Annum referenda.

(37) Ticinense Monasterium Sancti Petri heic indicatur.

Sanctæ Mariæ in Nebiano, & Ecclesiam Sancti Sabini; & molina de fluvio Tesino, quæ sunt in Anteniano, & in Paterno, & in Caprilia, & in supradicto Philecta, & in Aventiano, & in ipsa Insula; & sunt ipsæ res de Colmare in podio Albetretæ, & in podio de Carro, & res de terra Orciaria, & in Nebiano, & in Capistrini, & in Otectiano, & in Balaneto. Et medietatem Ecclesiæ Sancti Gregorii de Colonia cum ipsa terra. Et sunt supradicta Castella, & Monasterium Sancti Angeli cum supradictis Ecclesiis, & pertinentiis, inter terras, & vineas, & sylvas modia XL. millia, habentia fines ad montem de Polesia, & Clavum quomodo currit in flumen Trontum, deinde montem de Nave, quomodo vadit per Galianum, & flumen Asum. A pede mare cum piscatione & portu, ab uno latere medietatem fluminis Tronti; ab alio latere medietatem de fluvio Aso.

Quidam etiam Transmundus filius Hilpini obtulit ipso tempore res suas huic Monasterio in territorio Asculano, ubi dicitur Acqui: idest Castellum de Fociano, quod vocatur Turris cum Ecclesia Sanctæ Luciæ, & omnibus ejus pertinentiis, quæ sunt in Acqui, & in Fociano, & in Salismacina cum Ecclesia Sancti Angeli, & in Ripa cum Ecclesia Sanctæ Justæ, & in Tufule, & in Netiano, cum Ecclesia Sancti Hyppoliti, & in Ariola, & in Pompejano cum Ecclesia Sancti Valentini, & ad Ninum, & res de Gottaria cum Ecclesia Sanctæ Mariæ; & in Sancto Montano, & in Aliano cum portione de Sancto Petro; & portionem de Sancto Petro de Groliano, & ubi dicitur Gravali terras, & vineas modiorum CCXL. cum Ecclesia Sancti Gregorii, quarum rerum fines sunt: à capite Rivus, qui currit de Ivo in Trontum; à pede Lesianum, & usque Rofenianum, quomodo vadit in fluvium Castellanum; ab uno latere flumen Castellanum usque verticem montis; ab alio latere rivus, qui vocatur Canoxia, quomodo currit in Fluvionem: omnes res sunt modiorum VII. millium. Filii quoque *Tafelgardi quondam Comitis* contulerunt huic Monasterio res suas, quas receperant per concambium à parte Monasterii Beati Martini juxta mare in Curte de Brezano: idest Ecclesiam Sancti Angeli in villa Mainæ, & tenentes cum Ecclesia Sancti Angeli, quæ sunt modiorum CCC. habentes fines à capite & pede terram Sancti Martini, ab uno latere Firmanæ Ecclesiæ, ab alio Sanctæ Mariæ. Pro quibus omnibus rebus dedit eisdem viris Domnus Suppo Abbas solidos DC. Quidam autem Hilpinus filius Tiburgæ contulit huic Monasterio res suas in territorio Asculano, ubi dicitur Acqui, idest Castellum de Luco cum Ecclesia Sancti Angeli, quæ res sunt in Villa, & in Canale, & in Padule, & in Tufule, & in Campo de Villa, & in Salismacina, & cum Ecclesia Sancti Angeli, & in Ripa cum Ecclesia Sanctæ Justæ; & in Cangiano cum Ecclesia Sancti Salvatoris, & Sancti Joannis, & in Polliano. Quæ res sunt in Stuona, & in Plagie de Creosia, & in Septiniano; & res de Geziano, & in Pomario, & in Saxo-pensile, & in Pito, & per ipsos montes, & res de Sumati, quæ habent fines à capite usque Comitatum Reatinum; à pede usque Clarum, quomodo pergit in flumen Trontum; ab uno latere usque montem Cardetum, & flumen Castellanum, & Puzum de Sena; ab alio usque Sallum, quomodo venit in Cavallaria, & in montem Ruptum. Et sunt omnes modiorum X. millium. Et omnia, quæ eis pertinebant de Castello Hirclo, & portionem Ecclesiæ Sancti Juvenalis, & molina de aqua Puza, & portionem de Castello, Philecto, qui est juxta rivum. Filii verò Guidonis, qui & Leporis dicebatur, contulerunt res suas in territorio, sive Comitatu Firmano: idest Castellum de monte Prædonis, cum Ecclesia Sancti Nicolai, & de Castello Sculcula cum portione Ecclesiæ Sancti Arontii: quæ res sunt inter affines à capite rivus de Ascareto, qui pergit in Capitectianum, & in Trivium ad casam Adæ Presbyteri filii Luponis Confectæ rectè venientes in flumen Trontum; à pede mare; ab uno latere Trontum; ab alio rivus Rangiolus: sicut venit à Raviolo ad Casam Adæ Presbyteri supradicti, & ipsum rivum pergit in mare, & cum portis ad littora maris.

In Comitatu Assisio, ubi dicitur ad Pratum, collatæ sunt in hoc Monasterio quædam res modiorum IV. Quædam autem refutavit Joannes in hoc Monasterio, scilicet portionem de Curte Sancti Benedicti cum omnibus, quæ ei pertinent. In Turano quoque Sicfredus refutavit quasdam res. In Græcie verò oblatæ sunt in hoc Monasterio quædam res. In territorio quoque Asculano Tophianus filius Aimeradi contulit huic Monasterio Castellum, quod nominatur Podium cum terris, & vineis modiorum D. & cum Ecclesia Sanctæ Marinæ; & in territorio Firmano, & Asculano, ubi dicitur Cazanus, & res Luponis Marcisi, & res de monte Carro, & de Gazano, & de Gaveniano, & de Oliano, & de Rapuniano, & in Colle longo, & in Patrinione, & in Colle Asinarii, & in Pinna, & in monte filiorum Ocpaldi, & in collibus Sancti Poli, & portionem de Ecclesia, quam inibi Guido filius Petri per chartas confirmavit. Et in territorio Asculano Castellum de Spinitulo cum suis pertinentiis, & cum XL. modiolis. Et Castellum, quod *Episcopus Emmo* per chartas concambiationis ei confirmavit. Et ad Sanctum Demetrium, terram, quam ei Mainardus per chartas confirmavit; & alteram, quam acquisivit à singulis hominibus modiorum CC. Et tertiam partem de Castello Insula, & cum terra Rainaldi, & singulorum hominum, & cum pertinentiis tertiæ partis ejusdem Insulæ modiorum CCC. Et cum Ecclesia Sanctæ Trinitatis intra Castellum Spinitulum, & portionem de Sancto Demetrio, & de Sancto Petro in Casule, & cum tertia parte de Ecclesia Sancti Martini in Valentera, & quartam partem de Castello Sextirano; & cum quarta portione Ecclesiæ infra Castellum Sancti Joannis, & quartam partem Turris, & de omnibus pertinentiis, & quartam partem de Castello Pinnione cum quarta parte Ecclesiæ Beati Michaëlis, & ubi dicitur Aligano ad Ripam, ipsum podium cum quarta parte de Ripa. Et podium de Casa Amonis quartam partem; & ubi dicitur Fustinianus quartam partem cum quarta parte Ecclesiæ Sanctæ Crucis ibidem, & cum rebus de Majano, & de Fano, & de Manzanello, quarum rerum fines sunt: à capite fluvius Tesinus; de uno latere Lava Lutosa, quomodo currit in flumen Trontum; de alio latere rivus de Zaniolo, & sunt modiola III. millia. In massa quoque Folge, ubi dicitur

tur Azanus, donatæ sunt huic Monasterio res quædam Hieronymi Presbyteri. In monte de Velo alias res de Curte Sancti Benedicti refutavit Joannes de Faida quasdam res in hoc Monasterio, recepto pretio librarum IV. Quidam verò Girardus filius Joannis pro culpa à se commissa solidorum XX. composuit in hoc Monasterio res suas in loco, ubi dicitur Viarum. In Comitatu Assinate ad Casalinum collatæ sunt in hoc Monasterio quædam res, & aliæ res in Urbana, & in Nazano, sive in Sextiliano. De Ecclesia autem Sancti Joannis in Comitatu Assinate, & de aliis rebus ibidem fecerunt in hoc Monasterio convenientiæ obligationem *Albericus Comes filius quondam Attonis*, unà cum Alberico filio suo, ut si deinceps litigium vel molestationem aliquam contra hoc Monasterium fecerint ipsi, aut eorum heredes, componant argenti libras XX. videlicet de rebus de Satriano, seu ad Planella, & ad Cerqueta, sive ad Calcina, & ad Pratale, & ad Silvam de Valle Freda, sive in Silvule, & per alia vocabula, quorum fines sunt fossatus de Valle freda, inde pergentes ad Poplum filiorum Adenolfi, & ad Ecclesiam Sancti Apollinaris, rectè in terram de Satriano; deinde ad fossatum de Varico, & exinde in Tessia, deinde in Silvula, inde in Tessia, & tunc in rivum primi lateris.

Iste namque prælibatus *Domnus Suppo* venerabilis Abbas, sicut super retulimus, quia Imperialem confirmationem de hac Abbatia primò minimè habuit, idcirco hujus Monasterii terras scriptitare, vel aliquas exinde facere locationes nullo modo præsumsit; nos enim nil tale in hujus Monasterii membranis potuimus reperire.

Trigesimus verò Sextus hujus sacri Cœnobii exstitit Abbas venerabilis *Domnus Almericus*, (*) qui pro eo quòd corpore videbatur maximè pilosus, vocatus est etiam *Ursus*. Sub hujus cura regiminis collatæ sunt quædam huic Monasterio res in Moza Postmontem in Fisiano tertia pars; & de Castro Vulpiniano medietas; infra Urbem Romam quædam res juxta Thermas Alexandrinas; & Monasterium Sancti Andreæ Apostoli, quod ponitur in Bisano. De Castello verò Postmontem quædam obligatio facta est cum hoc Monasterio. In Sorbiliano, quædam res in hoc Monasterio collata est; & aliæ res de Comitatu Spoletano, & Castaldatu Teramano juxta Serram, & flumen Naricum. In territorio Sabinensi Casale de Viaro, & podium in Campo Brictonorum, qui dicitur Sancti Benedicti. In territorio Tuscanensi quædam res Sancti Peregrini, & Sancti Anastasii, quæ ponuntur prope Castellum & Turrem de Corgnito. In territorio Sabinensi, ubi dicitur Turris, aliæ res. Dedit autem prælibatus Domnus Abbas Almericus argenti libras XXX. & emit terram, atque Casales ex corpore Massæ, & Cornicla, & Treigum, & Casale, qui vocatur Collis longus in territorio Sabinensi. In Ophiano collata est ipsa Vallis in pede Sancti Joannis huic Monasterio. In Græcie ad Gualdaturum alia res. In Viario refutata est quædam res in hoc Monasterio. In Gabiniano ad Monumentum album alia res. In Comitatu Reatino, ubi dicitur Mala-morte quoddam tenimentum. In territorio Sabinensi ad Pinianum alia res. In Meranula alia res. In Ducatu Spoletino, & in Curte de Mejano alia res. In territorio Sabinensi ad Lanianum alia res; & ad Ferrarios aliæ res; & de Ecclesia Sanctæ Marinæ medietas. Filii autem Bucconis dederunt huic Monasterio res suas de Castello Buccinino, & ejus pertinentiis, & de Sala, & Rocca, & Cornazano, & in Sectiniano pro quibus receperunt pretium à Domno Almerico argenti libras centum. Fecerunt etiam obligationem pro se, suisque heredibus, sub pœna auri boni, & optimi librarum centum de omnibus ipsis rebus, scilicet de medietate Roccæ, & medietate Castelli Sancti Donati cum suis pertinentiis, quæ sunt Pipilianum, Sanctum Donatum, pertinentia Sancti Joannis vocabulum Cornazani; Montem Ocellionem, Carbonianum, Privatum, Sectinianum, Campum longum, Casarine, Castellum Buccinianum, & Sala Usiani, si quando in eis causare, vel litigare voluerint.

Quædam etiam res in supradicto Cornazano huic Monasterio collata est. In Comitatu Asculano, ubi vocatur Perrece, alias res commutavit supradictus Abbas. In Comitatu Reatino, ubi dicitur Turrita, pars Ecclesiæ Sanctæ Mariæ cum XLII. modiolis prope eam reddita est in hoc Monasterio. In territorio Sabinensi, in monte de Cisterna, & in Valle, ubi dicitur Lambrutus, donata sunt in hoc Monasterio modiola XVI. In Cornazano modiola L. & medietas Ecclesiæ Sancti Joannis, vendita sunt in hoc Monasterio pro quibus omnibus Domnus Almericus Abbas dedit filiis Gualafossæ pretium solidorum centum, qui & refutaverunt in hoc Monasterio Castellum Sancti Donati. Domnus quoque Abbas emit in Campo longo quasdam res pretio solidorum XVI. & in Comitatn Reatino, ubi dicitur Græcie, in hoc Monasterio collatæ sunt quædam res; & in Casale Joannis Curti; & molinum in Græcie Curte; Et aliæ ad res ad Sanctum Cassianum, & in Gualdaturo, & in Casale de Moriela, & aliæ res ante prædictum molinum, & de ipso molino partes II. & aliæ res ad Sanctum Cassianum, & quædam portio de sedio molini. In territorio Sabinensi ad Sanctam Reparatam, ubi dicitur Rivus Tenebellus, Joannes de Georgio concessit in hoc Monasterio res suas de Curte Sanctæ Reparatæ, & Casale de Pertuccia, & Casale de Ansardis, & Casale de Marchisianis, & Casale de Alberto Caput-pazo.

Huc usque Domni Almerici Abbatis temporibus huic editas Monasterio acquisitiones retulimus, cujus etiam deinceps concessiones de hujus Monasterii rebus referre studebimus. Denique in territorio Sabinensi, ubi dicitur Petiolum, & Magise, concessit quasdam res, & clausuram unam pretio libræ I. excepto Castello Cuphi, & Podio cum terra dato per commutationem filio Arduini; In Vulpiniano sextam partem, & inter Muranulas, & in Campo de Ruta super Cisterna, & in Arghisiano cum Ecclesiis pro solidis centum. In Sextiliano, & in Nazano pro solidis XX. ad pensionem laguenæ de musto. In Campo Brictonorum modios II. pretio solidorum VIII. ubi idem Castellum cernitur. In Ciciliano, quod est ad Sanctum Donatum, & in Cornatiano, modiola XXVII. pretio argenti librarum

(*) *Hic in alio exemplari* Albericus *appellatur*.

..rum VI. ad pensionem reddendam grani modium I. hordei I. speltæ I. operas III. & xenium I. de olivis verò quartam partem.

Hic verò memorandus ac Domnus Abbas Almericus hujus bonorum Monasterii intus, vel extra exstitit per omnia conservator fidelis, nec ea alicujus aura favoris in aliquo devastavit; sed pio affectu, & opere benigno, magnaque sagacitate mirabiliter ampliavit. Ecclesiastica quoque ornamenta, & Librorum volumina in hoc Monasterio studiosissimè auxit. Fertur autem, quod Artis Grammaticæ, & Scripturæ divinæ Libros XLI. majores, minoresve hìc accumulare curavit. De vestimentis autem, & cibis confratrum sic honorificentissimè, & decentissimè, & solemnissimè studebat, ut nullus inter eos indigens (38) aut despicabilis videretur, nemo circumstantium Comitum aut alius persecutionem aliquam, aut devastationem præsumebat inferre in bonis Abbatiæ. Quibus etiam bona hujus Monasterii malè aliquando petentibus omnino denegabat. Donantem enim bona Ecclesiastica histrionibus, & seculi Tyrannis fraudulenter, & inutiliter, & absque maximo decentique Ecclesiastico proficuo, secundùm sanctissimi Augustini scientiam asserebat morte dignum, & Judæ proditori comparandum. In suis etiam vestimentis non erat superfluus, nec renovator frequentissimus, sed parcus, ac religiosus in omnibus, non enim delicatus.

Pro mortuis quoque oblationes huic Monasterio oblatas Dei Servis auferentes, vel in secularibus sumtibus lubricè expendentes, referebat sacrilegos apud Deum fore, & pauperum pessimos necatores. Et quidem florebat in utroque hoc Cœnobium ipsius regiminis temporibus, & abundabat bonis omnibus. Ubicumque autem horum quicumque Fratrum obviabatur, propter prædicti Patris, & ceterorum Seniorum religionem, & innocuam prælationem, tamquam Dei Angelus in itinere adorabatur, & ut Christi Apostolus inæstimabiliter venerabatur. Si quando autem Comites inter se diffidebant, & invicem deprædationes exercebant; & contingeret aliquem infra terram Abbatiæ se recipere: nemo insequi præsumebat, sed ac si divinitus causam tremendo judicio dimittebat. Sed non defuit tunc invidia Diaboli, quia mors in orbem terrarum introiit. Denique cùm *Domnus Imperator* Romam venisset, adversarii bonorum æmulatores accusare illum apud eum, & detestari pernimium studuerunt, dicentes eumdem personam exiguam habere, & ad tam magnum regimen inscium, & impotentem fore, quamquam multum eruditus, & prudentissimus videretur. Sed cùm nulla ratione cor Imperatoris contra eum possent commovere, non multo post collectum magnum per totam Abbatiam fodrum, quod Romæ ferebant, ut Regio consignaretur vultui, ex toto fraudarunt, & dispergere, atque ad nihilum deducere illud curarunt, ut saltem hac injuria animus Imperatoris indignaretur, & benevolentia illius circa illum hac de causa offenderetur: & factum est: Itaque eo Imperator perviso paucissimo fodro, iratus obstupuit, & se derisum vel contemtum ab eo existimavit. Tunc plurimis Comitum, & Curiæ Magnatibus Imperatori suadentibus, hanc ab eo abstulit Abbatiam, & *Domnum Supponem*, quem supra libavimus, in ea constituit. ...

Itaque Domnus Suppo reordinatur: ægritudine invalescente non multo post, haud anni scilicet curriculo expleto, moritur. Prædicto verò Domno Almerico conceditur Ecclesia Beati Martini, in hoc monte sita Mutilla, cum mansis, & terris, & molendinis sufficientibus, in qua postmodum quamdiu vixit in Dei servitio quietè & pacificè permansit.

Trigesimus denique Septimus hujus sacratissimi Cœnobii Pater exstitit *Domnus Abbas Bernardus*, (39) noster ab annis primævis hìc receptor, & nutritor diligentissimus, cujus actus, moresque hìc adnotare veridica & fideli relatione breviter curavimus. Fuit quippe in causis vertentibus subtillimè providus, in exterioribus rebus acquirendis ardentissimus, atque sagacissimus, in intimis verò laborandis, & dignè utiliterque utendis, vel domibus restaurandis valde strenuus, advenientium extraneorum receptor benignissimus, Monachis suis in se peccantibus indulgentissimus, nec umquam diu suspiciosus; Religionis & bonæ consuetudinis amantissimus, bonorum hominum & æquorum collector promtissimus, minorumque virorum blanditor humillimus; ad extraneos etiam, & potentes nimis benignissimus, & visu benivolus; in benefaciendo verò suis propriis non minùs solicitus; credulus, & amator sibi adhærentium familiariùs; flexibilis valde supplicantibus; & rationabiliùs favoris hominum, bonæque famæ cupidus, in utroque etiam proposito aptissimus, moribus quoque & actis dignè comtus; castus ipse, & in castis custodiendis cautissimus. Acquisitor autem avidus, & distributor largifluus. inconsideratè namque, & intemperanter dator assiduus. Juris hujus Ecclesiæ, & libertatis per omnia amantissimus, quam Christo protegente suis temporibus eruit à variis oppressionibus, & ditavit maximis honoribus.

Electus quidem à cunctis unanimiter post Domni Supponis mortem, juvenis, & plus minus XXX. habens annos ætatis, in festivitate Sancti Callixti Papæ, quæ est II. Idus Octobris, & ad ultramontanas partes mox missus ad *Domnum Henricum Imperatorem III.* (40) à quo Abbatiæ hujus accepit corroborationem investitione altero die post Dominicæ Incarnationis solemnitatem, scilicet in Beati Stephani festivitate, quæ est VII. Kalen. Januarii, Anno verò Christi Nativitatis MXLVIII. Et vixit in hoc regimine annis XLII. Jamque senex, & plenus dierum, obiit Dominicæ Incarnationis Anno MLXXXIX. nocte Kalendarum Novembrium, quinta videlicet Feria ad Nocturnas ipsius diei festivitatis jam nobis ingressis. Cujus omnium præcipuarum rerum acquisitiones hìc nobis sub brevitate placuit inserere, ut pleniùs & nominatim sciant, qui fastidiunt prolixam lectionem, hanc perspicientes brevissimam subnotationem. Verumtamen priùs ipsius describemus Electionem cun-

(38) Haec noster Chronographus, ut tacite suorum temporum mores carpat, quibus indigere finebantur Monachi, idque ex Abbatum culpa. Vide ejusdem Praefationem.

(39) Primus hujus nominis Abbas Farfensis. Electus Anno 1047. Monasterio præfuit complures annos. Quum vero Chronographus noster eum appellet suum *receptorem ac nutritorem*, habes etiam quamdam ejus aetatis notionem.

(40) Tertium hujus nominis non in Augustorum, sed in Regum catalogo.

cunctorum Seniorum munitam nominibus Confratrum, & unà cum eo directam ad Imperatorem.

Literæ Monachorum Farfensium de electione Berardi I. Abbatis ad Henricum Imperatorem hujus nominis secundum Anno 1047.

„ IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Nos omnes fratres Cœnobii Pharphensis Beatæ Mariæ semper Virginis, per obitum Domni Abbatis Supponis, elegimus uno voto, parique consensu, Domnum Berardum nostrum Monachum, nutritum à puero in nostro Cœnobio, quo digniorem, atque honestiorem inter nos neminem invenire quivimus. Quapropter, Domne Imperator, vestram efflagitamus excellentiam, quatenus corroborare atque confirmare dignemini. Vestræ igitur sponsionis reminiscimini, quando nostris fratribus promisistis, cùm Domno Supponi, pastoralem virgam dedistis. Et ut certum hoc venerande Auguste, habeatis absque scrupolo dubietatis, nos omnes propriis manibus hæc omnia subscripsimus.

Huic verò electioni inserta erant nomina Confratrum, videlicet Joannis Præpositi, & Sacerdotum XL. Diaconorum III. Subdiaconorum XV. Monachorum XV. Conversorum IX. Puerorum II.

Hæc sunt autem Castella, quæ huic Monasterio acquisivit Domnus Abbas Berardus primo tempore suo, & studio suo. Idest Castellum de Tribuco, Castellum Sculcula, Castrum Pleuræ, Castellum Salisanum, Castellum Marcilianum, Castellum Terranianum, Castelli Casinensis duæ partes de quinque, ex quibus præter modum ibidem fabricavit podium Castelli Aquævivæ, Castelli de Fraso portiones Alberti filii quondam Gebbonis. Castelli de Bubulano, & Carbi, & Laja pars Huberti Nardonis. Castellum de Arci cum Casalibus XIV. Podium in Monte aureo; Castellum montis Opuli; Castellum Tribilianum; Castellum Furanum; Castellum de Cuphi; Castellum de Currisio, Castellum Limisanum; Castellum Vulpinianum; Castellum de Alatro; Castellum Lunianum; Podium à Sancto Maximo: Sanctus Erasmus; Janulæ fundi; Castellum Repastum; Vallis lucida; Castellum de Pile; villa Sancti Xisti; Caput Pharphæ; Cerretum malum; Mogianum; Rocca de Salice; Petra Dæmonum; Scandriliano; Ophianum; Montalia; Castelli de Leto pars Taxonis, & de Turricella similiter. De Bibaro pars Transmundi; de Muscino, & Oliveto, & Cartulæ, & Tanciæ pars Cencii, Tacibrandi, Trebulæ; Castellum de Hilperino; Ginestrum; Podium de Puzo; Podium de Cauda moza; Castellum de Hugo in Puine; Castellum Caphajum; Castellum Petretulæ; Castellum de Atri; Castellum de Mariano; Civitatis vetulæ medietatem cum portu marino ibidem.

Pro quibus singulis, quæ pretia dederit præfatus Domnus Abbas, suis in locis qui voluerit reperire poterit.

Item vocabula Ecclesiarum. Ecclesia Sancti Gangolfi in Cascia; Sancti Petri in Catino; Sanctæ Mariæ in Formello; Sancti Silvestri, Sancti Nicolai in Cerrito malo; Sancti Martini in Ponticello; Sancti Salvatoris in Cantalupo; Sancti Nicolai ad Sacerdotes; Sanctæ Cæciliæ in Cerrito malo; Sanctæ Marinæ, & Sancti Anastasii in Vaccarisia; Sanctæ Mariæ in Lupicinis, & Sancti Andreæ in Pacu, & Sancti Martini, & Sancti Petri in Carsule. Portionem Cencii Taibrandi in territorio Reatino. Ecclesiam Sancti Leopardi, & Sanctæ Agathæ, & Sancti Heliæ, & Sancti Joannis in Tazano, & Sancti Clementis, & Sancti Thomæ, & Sancti Gregorii, & Sancti Joannis in Asera; & Sanctæ Agathæ in Plagie, & Aqua de Manicone; Sancti Benedicti ad tres Casas; Sancti Benedicti in Asisio; Sancti Mariani in Camerino; Sancti Salvatoris in Asculo; & plebem Sancti Flaviani; Sancti Laurentii in Picte; Sancti Quirici in fundo Celle; Sancti Angeli, Sancti Clementis, Sanctæ Mariæ in Minione; Sancti Angeli in Corneto; Sancti Petri, & Sancti Peregrini, & Sancti Laurentii inter Flumen Sanctæ Severinæ juxta mare; Sancti Angeli de Scoplo; Sanctæ Mariæ in Ocrulo; & Sancti Laurentii, & Sancti Stephani, & Sanctæ Crucis, & Sancti Silvestri, & Sancti Angeli in Sabelli; Sancti Viti in Griano; Sancti Salvatoris Interamnæ; Sanctæ Mariæ ad Saltum; Sancti Euticii in Vepia; Sanctæ Crucis in Aqua Sicca in Pisa; Campum in Kinzica; Sancti Valentini in Burgo; Sancti Martini in Perusia; Sancti Petri in Pompejano; Sancti Benedicti in Satriano, Sanctæ Mariæ in Diruta; Sancti Joannis in Sumati; Sancti Angeli in Capistrello, Sanctæ Trinitatis in Marsi, & Sancti Vincentii, Sancti Petri, Sancti Angeli in Tupho; & Sancti Salvatoris, & Sancti Stephani, Sancti Martini in Galliano; & Sancti Benedicti, Sancti Silvestri in Perito; Sancti Thomæ in Bivaro; Sancti Cæsarii, Sancti Joannis in Lacu; Sancti Laurentii in Calba; Sancti Joannis in Venari; Sancti Joannis in Barri.

Collatæ sunt etiam huic Monasterio, temporibus ejusdem Domni, & venerabilis memoriæ Abbatis Berardi, res quorumdam virorum, territorii Sabinensis in Tribuco, & Serrano, & Post-montem, & in Fisiniano, & aliæ res in Laniano, & Sorbiliano, & Archiniano, & ad tres Virgines, & aliæ res in Sala.

Provocatus est verò idem Abbas Berardus à quodam *Rainerio Abbate Sanctorum Cosmæ & Damiani, quod dicitur in Mica aurea*, pro Cella de Minione, quam injustè dicebat debere esse subjugatam suo Monasterio prædictus Abbas Rainerius. Quæ causa finita fuerat ante *Ottonem Imperatorem juvenem*, & ante *Papam Silvestrum*, præsente *Hugone Abbate*. Venerunt autem utrique Abbates in præsentia *Comitis Girardi filii Rainerii*, cui Abbas Hugo commiserat omnes Cellas, & terras, quas habemus in Marchia Tuscana, & dederunt invicem guadimoniam, ut constituto termino judicantibus Judicibus fecissent secundùm legem, & qui ex eis defuisset, non ampliùs præsumeret recapitulare illam controversiam; qui verò præparatus fuisset, illam Cellam teneret absque ulla alteratione. Vênit itaque Domnus Abbas Berardus ad terminum constitutum præparatus, & unà cum Judicibus, & Comite, atque Episcopis, & plurimis hominibus expectavit à mane usque ad vesperam; sed supradicto Abbate Rainerio minimè veniente, à sapientibus judicatum est Judicibus, ut ampliùs non præsumeret illam Cellam reclamare suam, quam antea falsò reclamabat. Quoniam quidem aptè

aptè dabatur intelligere secundùm Regalia præcepta hujus Monasterii, quòd antequam Sanctorum Cosmæ & Damiani Cœnobium fundatum fuisset, Cella de Minione fuit subjecta huic Monasterio Beatæ Mariæ.

Ipso etiam tempore quidam Presbyter Petrus contulit huic Monasterio res suas & partem Ecclesiæ territorii Sabinensis in Ponzano, & Rescaniano. Et alius Presbyter Benedictus nomine obtulit res suas huic Monasterio in loco, qui nominatur Sancti Valentini. *Joannes* verò, & *Crescentius filii Comitis Ottonis* refutaverunt in hoc Monasterio quicquid eis pertinebat de Castello Tribuco. Item collata est quædam res huic Monasterio in loco, qui dicitur Canalis, & in Cerqueto modiorum CC. Quidam autem viri germani, Suavis, & Berardus contulerunt in hoc Monasterio Casalem, quem tenuit Guido Presbyter, & Casalem, quem tenuit Nicto de Joanne Adæ cum molinis, & aquæmolis, & medietatem Casalis, quem tenuit Joannes Becca, & medietatem Casalis Joannis Petri de Stephano, eo videlicet tenore, ut quæcumque habent inter flumen Currisem, & flumen Calentinum, ipsi videlicet & heredes eorum non vendant, nec donent, aut commutent, aut quolibet ingenio alterius potestati submittant, nisi hujus Monasterii. Quòd si in hoc Monasterio vendere voluerint, pretium accipiant librarum ...... subtilium nummorum. Collata est autem huic Monasterio à quodam viro alia res Comitatus Reatini, ubi dicitur Macelæ, idest Casalis filiorum de Silvo, & Casalis Franconis Foscelli. Quidam verò Berardus filius Tedemarii cum uxore sua concessit huic Monasterio res suas, idest Casalis Pissari suam portionem & in Mozano, & in Capriano, & Castelli de Sculcula turrem, & sextam partem ejusdem Castelli, & suam portionem de Rocca in pede Montorii super Laja, & in Cusiano ad montem de Perella, & ad Faringeta. Et alia res donata est huic Monasterio à Benedicto Archipresbytero in Pinti, & Verrucule, & Canali, & in Sextiliano.

Quadam autem die, scilicet VI. Kalend. Maji cùm præparatus esset Domnus Abbas Berardus infra Civitatem de Corgnito in Platea juxta Ecclesiam Sancti Martini cum Hugone Judice Advocato suo, ad justitiam & legem faciendam cum *Rainerio Abbate Sancti Cosmæ de Roma Transtiberim, quod in Mica aurea ponitur*, de intentione Ecclesiæ Sanctæ Mariæ in Minione, & Sancti Archangeli Michaelis, & Sancti Peregrini cum eorum pertinentiis, & ipse Rainerius Abbas ibidem nollet accedere: cùm taliter audisset qui ibi aderat *Domnus Adelbertus Missus Domni Bonifacii* (41) *Ducis, & Marchionis*, unà cum *Ingelberto Episcopo Bledæ, ac Misso* (42) *Domni Leonis Papæ*, jussit ad supradictum Domnum Berardum Abbatem hujus Monasterii, ut ipsas res firmiter teneret ad jus & perpetuitatem hujus Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, donec *Domnus Bonifacius Dux* jusserit, quid inde facere debeat.

Ipso denique tempore collata est huic Monasterio quædam res territorii Sabinensis modiorum IV. in rivo Cavalli. Quidam quoque Ascarus filius Adammonis obtulit huic Monasterio res suas Ducatus Spoletini territorii Terranani, ubi dicitur Lustrianus, & Campus Lanius. A primo latere fluvius Terrananus veniens in Tesinum, quod est secundum latus; deinde ad Sanctum Petrum in Ponticello, quod est tertium latus, exinde in Mozanum, & in lacum Histriani, quod est quartum latus, & in flumen Terrananum, idest primum latus: omnia in integrum cum Castello, Casalinis, atque Cellis.

Anno autem MXXXII. Incarnationis Dominicæ, quidam Martinus Presbyter religiosus obtulit huic Monasterio, consentiente sibi Rainerio filio Crescentii Advocato suo, per chartulam donationis res cujusdam Joannis, qui vocatur Tinto, & Liutonis filii ejus, & Gerquisæ uxoris Tintonis, & Hittæ relictæ quondam Liutonis pro anima sua, & ipsorum virorum, eorumque conjugum, quas iidem ipsi pro animabus suis illi tradiderant; idest terram, & Castellum Faræ cum omni pertinentia territorii Sabinensis. A primo latere Riana; à secundo flumen Currisium; à tertio res hujus Monasterii; à quarto pertinentia Ponticelli, & venientes in furcam Joannis de Dominico, & in cacumen montium, & rectè in Rianam. Sed & idem Tinto per suæ chartulam donationis concessit huic Monasterio & confirmavit terram, & montem, qui Butio vocatur, cum eodem Castello Faræ, & omnibus ipsius montis & Castelli pertinentiis.

In pertinentia quoque Salisani comparavit prædictus Domnus Abbas Berardus quasdam res pretio solidorum XII. Ipsumque Castellum Salisanum acquisivit per commutationem à Baroniscis cum ejus pertinentia. In Serrano autem acquisivit res Donati Presbyteri, & à *Stephano Abbate Sancti Andreæ Apostoli* recepit per commutationem quasdam res in Casa Arnonis cum podio de Palumba, & aquæmolis. Insuper Callem de Gaza, & Musinianum, & Cavam alteram, à via publica venientes in petram Aldonis, cum Ecclesiis Sancti Andreæ, & Sancti Blasii. Pro quibus omnibus rebus recepit ipse Abbas in commutationem quasdam res positas in territorio Collinensi in fundo Ponzano, quas idem Domnus Abbas Berardus acquisierat per chartas donationis à Donalsia nobilissima fœmina filia Crescentii, de Joanne Atriæ, & filiis suis habitantibus in Civitate Nepesina; & unum aquæmolum valentem argenti libras X. in fundo Portilione Comitatus Ortani. Insuper argenti libras XL. Quo etiam tempore quidam Tinto filius Leonis refutavit in hoc Monasterio totam sortem suam de scripto tertii generis in pertinentia Castelli de Frasso ad Tophila. Insuper etiam quidam Necto filius Joannis tradidit huic Monasterio res suas Postmontem, ubi dicitur Albinianus. Anno autem MLIII. quidam Benefactus filius Berizonis obtulit huic Monasterio, & Domno Berardo Abbati, Castellum, quod nominatur Marcilianum, in integrum inter affines à Rivulo Calentino per locum, qui dicitur Salita, sicut vadit per viam; à capite silvæ, & venit in Vallem Crescentii Sabinensis, & in Rivum tortum. Ipso etiam Anno quædam Nera filia Rainerii concessit in hoc Monasterio suam portionem de Castello Terraniano,

(41) Ducis & Marchionis Tusciae, qui celeberrimam Comitissam Mathildem genuit. Atque hinc rursus intelligis, Civitatem Corgniti, sive Corneti, spectasse olim ad Marchiam Tusciae.

(42) Quare heic Missus Leonis Papae? Quia, ut supra vidimus, Monasterium in Mica Aurea ad Romanos Pontifices pertinebat.

niano, quomodo ei pertinebat per morgincap donationis à Demetrio viro suo, ad pretium solidorum XXX. Item Bernardus filius Heldebaldi refutavit sortem suam de Castello Salisano ad pretium solidorum duodecim.

Item Cono, & Sicco filii Gregorii vendiderunt Domno Berardo res suas de pertinentia Castelli Currisii, quod tenebant filii Cucconis, idest medietatem Casalis, quem tenuit Joannes Ittæ ad laborandum; & quartam partem clausuræ majoris, quam tenuit Guido Ardemanni, & quartam partem juxta Casalem Joannis de Itta; & quartam partem Casalis Joannis Cœci, & quartam partem Casalis de Bobilianis, & tertiam clausuræ, quam tenuit Carpho ad laborandum; & quartam Casalis, quem tenuit Bruno Ferrarius; & medietatem aquæmoli ante prædictum Castellum; & medietatem terræ, quam tenuerant Leo Pazus, & Joannes Luponis, quæ fuerunt Luponis Ardemanni; & tres portiones, quas tenuit Necto de Joanne Petri ad pretium argenti librarum XI. Anno verò Domini MLIV. quidam Tinto filius Leonis obtulit huic Monasterio, & Domno Berardo Abbati, montem, qui Butius vocatur, cum Castello, qui dicitur Bhura, & omni pertinentia ejus. Item suprascripta Nera vendidit res suas modiorum trium propinquas Castello Terraniano pro solidis XX. Item Taibrandus filius Petri dedit Domno Berardo Abbati per commutationem res suas in territorio Reatino ad Turritam, ubi dicitur Casale, modiorum CL. & recepit ibi prope, ubi dicitur Habitaculum Collæ, & ædificatum Castellum modiorum VIII. Item Guinizo filius Azonis obtulit huic Monasterio res suas in Serrano, & Cute, & Cerreto. Item quidam viri de territorio Asculano contulerunt huic Monasterio Ecclesiam Sancti Joannis in Sumati, inter piscarias cum terris modiorum XX. Item Bona uxor Ugonis refutavit medietatem tertii generis in Aquaviva, & in Bezano, & in Civitella, & in Criptulæ.

Item quidam Presbyter Franco obtulit huic Monasterio res suas territorii Sabinensis in Mogiano, & in Caminata, & in Miliano, modiorum XVI. Item quidam Giraldus filius Beraldi obtulit huic Monasterio res suas in Sectiniano & in pertinentia Castelli de Luco, & de Bucciniano. Item Albertus filius Gebbonis obtulit huic Monasterio, & Domno Berardo Abbati de Castello Frasso totam sortem suam, & de pertinentia ejus inter affines. A primo latere fluvius Pharpha; à secundo rivus Bubita, & via Romana, & venientes in caput fluvii Rianæ; à tertio latere Riana, & à quarto Castellum, & tenentes heredes Boni hominis, & venientes in Pharpham. Insuper & portionem suam de Pharpha cum ejus pertinentia inter affines; à primo latere fluvius Currisius; à secundo Carpinianus, & per Serram Mutellæ descendit in Rianam; à tertio latere Riana; & à quarto Furca montis, sicut vadit juxta serram Sanctæ Mariæ, & revertitur in Currisium: & hoc factum est Anno Domini MLV.

Anno autem Domini MLVI. quidam Thebaldus filius Bucconis cum Theodora uxore sua, & Gislerius filius supradicti Bucconis cum Pamphilia uxore sua, & Bona uxore ejusdem Brazonis, & Girardus, Thebaldus, & Joannes germani filii quondam Guiderolfi cum Lavinia uxore ipsius obtulerunt huic Monasterio, & Domno Berardo Abbati, Castellum Currisium cum tota pertinentia ejus. Item Joannes Guinizonis obtulit huic Monasterio res suas territorii Sabinensis in Castellione in valle Gisonis ad Puteum, & in valle Gaidonis, & in plano Joannis Romani. Item Rapto filius Petri concessit huic Monasterio res suas in Ducatu Spoletino, & Castaldatu Pontano, ubi dicitur Pisa, modiorum V. & tertiam partem de alveo molini. Eodem quoque anno quidam viri germani, & filii Rainerii, & filii Thebaldi, atque filii Tedimarii contulerunt huic Monasterio Ecclesiam Sancti Benedicti in monte Coscia, & Sardone, territorii Sabinensis, & Utriculani, sive Narniensis. Item Rainerius filius Tedemarii obtulit in Ecclesia Sancti Angeli de Tancia in portione hujus Monasterii res suas in Agutiano territorii Sabinensis. Item Rocco filius Nicolai obtulit huic Monasterio res suas, quas videlicet per tertium genus, vel per chartulas habebat inter rivum Calentinum, & fluvium Currisium. Item Atto filius Sichæ, & Morico Baldonis, & Joannes Leonis contulerunt huic Monasterio res suas de Castaldatu Pontano, ubi dicitur Mursia ad Pizum Sanctæ Mariæ modiorum trium. Et in Rapinule modiorum II. Et in valle Cardaria modiorum VI.

Anno verò Domini MLVII. facta est refutatio in hoc Monasterio à Guidone, & Guittone filiis Sicconis de rebus Aquævivæ modiorum XCII. Item filii cujusdam Petri Majonis obtulerunt huic Monasterio res suas de Castaldatu Terranano in loco, qui dicitur Sancti Angeli de Scoplo modiorum centum. Item Dominicus filius Joannis obtulit huic Monasterio res suas de Castaldatu Pontano, ubi dicitur vallis Cardaria in plaja à fonte Vessano modiorum II. Item Bonus Isæ concessit huic Monasterio res suas in Castaldatu Pontano ad Sanctum Peregrinum in campo Lurano modiorum III. Item Albertus Gualafossæ, & Joannes filius Dodonis refutaverunt in hoc Monasterio res & subjacentias Ecclesiæ Sancti Petri in Catino, quas tenebant per scriptum, vel quodcumque munimen scripturarum. Item Guitto, & Gaido filii Siconis obtulerunt huic Monasterio res suas in Sorbiliano, & Verrucule. Item Adenolfus Presbyter, & Azo, & Ajulfus filius Roccii obtulerunt huic Monasterio res suas in Castaldatu Pontano ad Occriclum portionem suam de Ecclesia Sanctæ Mariæ, & de Sancto Laurentio, & Sancto Stephano, & de Sancta Cruce, & de Crequito, & Puro, & Antezano, & Calcaria, & in Præcurnato, & in valle Abincino, & ad campum Nursinum quinque petias, & de Filecta. Item Franco Presbyter filius Sabini obtulit huic Monasterio res suas territorii Sabinensis, ubi dicitur Scleta, unà cum clausura. Et Petrus Presbyter filius Nectonis alias res obtulit ibi.

Anno autem MLVIII. quidam viri germani, Ascarus, & Marco, contulerunt huic Monasterio Ecclesiam Beati Michaëlis Archangeli cum tribus terræ modiis in circuitu ejus, & in Compeniuli modiorum L. Item quædam Davinia uxor quondam filii Ottonis, & Otto, & Joannes, atque Rainerius filii ejus obtulerunt huic Monasterio flumen Currisium, Casalem, quem tenuit Benzo Leonis infantis priùs, & postea Joannes Tiniosus. A primo latere rivus Carbolanus; à secundo terra Sanctæ Mariæ; à tertio Casalis de Basabove; à quarto flu-

fluvius Currisius. Item Albericus filius Gualabruni obtulit huic Monasterio res suas territorii Sabinensis in Terraniano. A primo latere via publica, quæ dicitur Crucetum, venientes in limitem, & in rigaginem, & in Calentinum; ab alio latere rigagines, & venientes in rivum Tortum, & in prædictum Calentinum; & alias res in Rujano, & Tricasio. & Agutianello. Item Berardus filius Thebaldi refutavit sortem suam de omnibus rebus inter rivum Calentinum, & flumen Currisium, & ad Caput aquæ.

Epistola hujus Congregationis ad Domnum Leonem Papam IX. Anno 1051.

„ SUmmo Pontifici, & venerabili Papæ Domino suo Leoni admodum spirituali „ theoriæ inhærenti Humilis Congregatio in „ Cœnobio Sanctæ Dei Genitricis, perpetuæ„ que Virginis Mariæ, Deo militantium, quic„ quid exigui servi summo Domino. Liqueat „ summæ clementiæ vestræ, Sanctæ Ecclesiæ „ Princeps, quoniam assiduè nostra fraternitas „ gratanter Deo refert gratias, qui ab Occi„ duis partibus vestram nobis contulit soler„ tiam, qua scilicet Ecclesiastica adhuc vigent „ fastigia. Sed ut & vobis à Deo augeatur „ tranquillitas, & vestra sancta adimpleantur „ desideria, quatenus mater Ecclesia in pri„ stinam reformetur lineam, nostra efflagita„ re non desinit humilitas. Neque hìc vos „ latêre volumus, quòd quamvis peccatis no„ stris exigentibus venerabilis noster locus ab „ Ecclesiæ vastatoribus undique multetur, sub „ tuitione prædecessorum vestrorum venera„ bilium Pontificum, nec non & Regum, si„ mulque Imperatorum semper fuerit defen„ sus. Sanctæ siquidem recordationis Adria„ nus, Paulus, & Joannes aliquanta prædia „ Sabinis nostro concesserunt Monasterio. „ Tanta quippe aviditate Anastasius Papa, „ præfatum dilexit locum, ut etiam ex trabi„ bus, quæ ad restauranda sarta tecta matris „ Ecclesiæ ex Appenninis conducuntur Alpi„ bus, nostro Cœnobio ex quinque concesse„ rit unam. Plures etiam divino succensi amo„ re omnem habitæ, vel habituræ possessionis „ largiti sunt decimationem, innumeris ante „ collatis prædiis. Moderno præterito tempo„ re venerabilis Joannes Papa ex integro Pon„ tificale ornamentum, cum proprio baculo, „ simili concessit modo. Et venerabilis Bene„ dictus Papa Castella, atque Podia, à qui„ busdam perversis hominibus pertinaciter „ possessa, strenuè invigilans, sancto restituit „ loco. Universi tandem Papæ omnem eidem „ Canonicam sanxerunt libertatem, cunctam „ auferentes publicam Regum, atque Ponti„ ficum redhibitionem. Sacratissimæ Religio„ nis institutores, & defensores, cooperato„ res, Principes, Reges, necnon Imperato„ res, Carolus, Pipinus, Ludovicus, ceteri„ que eorum Successores, Germani, Salichi, „ Longobardi Reges, sive Imperatores, unus„ quisque secundùm temporis posse, Sanctæ „ Dei Genitricis exequentes promissionem, „ venerabili loco innumerabilia prædia sua „ contulere liberalitate. Collatis deinde mu„ nificentiis, hanc decreverunt libertatem, ut „ quicquid eorum Fiscus, vel aliqua publica „ exactio aliquo modo sperare potuisset, præ„ taxato Cœnobio omnimodis non impone„ retur. Oblata igitur, atque offerenda, ab „ omni publica functione, Regum, & Impe„ ratorum, atque Actionariorum perpetim „ immunia statuerunt. Decimas eodem te„ nore cuncti decreverunt, quatenus ad por„ tam Monasterii colligerentur ad pauperum „ alimonias, quos ibi juxta constitutionem „ sanctissimi Thomæ Abbatis restauratoris, „ Sancta Dei Genitrice hortante ac ducente, „ constituerunt. Igitur, venerabilis Pontifex, „ tantorum Regum non aliqua vos persuadeat „ adulatio infringere velle statuta priorum. „ Scimus denique, & ratum est, quoniam „ Pontifices, & Imperatores, qui statuerunt „ Episcopia, ipsi etiam Monasteria . . . . . „ & quod unicuique decrevere, oportet per„ manere . . . . . libertas . . . . . difficile „ & absque labore quoslibet vivere. Sed di„ vina gratia variè sua munera dispensat. „ Namque pluribus verbis non indigent sa„ pientes, ideo vestram onerare veremur pru„ dentiam. Quapropter obsecrantes rogamus „ (sumus enim plus minus quingenti vestri „ oratores) ne aliquorum perversa compel„ lat opinio, in Dei aliquo modo sævire fa„ mulos. Pro Dei namque amore, vestræque „ animæ, ceterorumque Paparum, Ducum, „ Regum, & Imperatorum salute, nullus vos „ amoveat à sancti loci dilectione. Neque „ siquidem putamus impunè posse transire, „ qui tantorum Patrum etiam voluerit statuta „ infringere. Igitur assiduè pro vobis Deum „ postulamus, veruntamen quanto lætiùs, tan„ to largiùs. Vestra quippe provideat soler„ tia, ne aliquorum prævaleat importuna cla„ mositas, sed ita agite, ut collata à Deo „ gratia augeatur, & aucta corroboretur, de„ mumque æterna gaudia subrogentur. Va„ leat in Domino Præsulatus Sanctitatis ve„ stræ tempore longo.

Erat autem tunc temporis *Joannes Sabinensis Episcopus*, qui huic insidiabatur Monasterio, & pro decimis, & pro mortuorum oblationibus, quas ab initio cunctorum penè Pontificum largitione in pauperum alimoniis, & confratrum stipendiis suscepimus, & maximè pro Ecclesia Sancti Angeli in Tancia, de qua olim fecerat iniquam convenientiam cum Domno Hugone Abbate, qui eamdem Ecclesiam Sancti Angeli tenuit & possedit in dominium hujus Monasterii. Iniquam convenientiam ideo diximus, quia temporibus Domni *Adriani I. Pontificis*, *Hildebrandus gloriosus Dux* per suum præceptum huic Monasterio concesserat gualdum Tanciæ in integrum cum ipsa Ecclesia Sancti Angeli. Sed ut Stephanus IV. Apostolicus per suum privilegium confirmavit eumdem gualdum Tanciæ, Carolus quoque & Ludovicus, atque Lotharius Imperatores, per suorum paginas præceptorum similiter confirmarunt. Hæc omnia ignorabat præfatus Domnus Hugo Abbas, utpote alienigena, & alterius Monachus Monasterii, idcirco prædictam convenientiam ab Episcopo suscepit nescienter. Itaque supradictus Episcopus post hæc insurrexit, & ad eamdem Ecclesiam Sancti Angeli armata manu perrexit, cujus Altare amovens destruxit, & Reliquias ex illo abstrahens secum asportavit. Et cùm ad Episcopium reverteretur, subitò Cœlo optimè serenato, orta est aquæ, grandinis, & fulguris maxima tempestas. Quo viso Episcopus secessit à via in quemdam locum, ubi dicitur Area, & moram

ram aliquantulum ibi cum ipsis Reliquiis fecit. Accidit autem tunc grande miraculum, ut in ipso loco, ubi Reliquiæ manebant, nil pluviæ, vel grandinis ceciderit. Cessante verò tempestate, rediit ad Episcopium cum magno pavore. Altera autem die cùm hæc audisset Domnus Berardus Abbas cognomento Ortanus, elegit quemdam Episcopum, qui tunc fortè hospitabatur in hoc Monasterio, de ultramontanis partibus, & collectis Abbatiæ viris, & fidelibus militibus, cum maximo triumphi honore reædificare studuit ipsum Altare, magnis & præcipuis ibi reconditis Reliquiis. Super qua re prædictus Episcopus valde condoluit Sabinensi Ecclesiæ. Et quia Altare ipsum destruxerat, & Reliquias asportaverat, ipsa nocte percussus est, & unum ipsius latus corporis obstupescens, in eo donec advixit, periit. Post hæc veritus & pavens super hoc, & nimis dolens pro ædificatione, quam Domnus Abbas noster fieri studuerat, ad eumdem locum Episcopus perrexit, & abstractis inde novis, quas invênit, Reliquiis, priores honorificè illic recondidit. De ipsis verò novis Reliquiis in suo Episcopio Altariolum construens consecravit, & demum adversùs Domnum Abbatem nostrum in Synodo proclamationem sic editam fecit.

Querimonia Johannis Sabinensis Episcopi contra Farfenses Monachos in Synodo Romana Anno 1051.

„ Audiat Dominus, & totius Regni .... moderator æquissimus, vel primæ Sedis Episcopus, audiatque cuncta hæc Sancta Synodus, percipiatque justam proclamationem, quam facio super Abbatem Pharphensem, à quo multas & passus sum, & patior injurias. Est quædam Ecclesia in honore Sancti Michaelis Archangeli sita in monte, qui dicitur Tancia, videlicet in Episcopatu meo, quæ juris mei Episcopatus est, cujus Altaris auctor & dedicator creditur fuisse Silvester Beatissimus hujus almæ Sedis Episcopus; super quod Altare non est veritus Abbas ille ausu temerario maceriam addere, & supra tanti consecratoris violatam consecrationem Missas per Monachos suos cantare, nullo vel faciente, vel jubente Episcopo. De Ecclesia autem illa, nescio per quem datorem, medietatem obtinet Ecclesia Sanctæ Mariæ, cujus ipse Abbas est; medietatem verò alteram Episcopatus possidet meus. Sed ex his medietatibus inter me, & Abbatem Hugonem, talis obligatio facta est, ut semper in tempore quadragesimali, & in mense Majo meus ibi cum suo minister sedet; ceteris verò temporibus solus suus ibi sedet Minister, à quo tria xenia in anno haberem. Et si umquam Abbas ille, aut aliquis successor ejus aut venderet alicui, aut donaret, aut propter beneficium, aut quoquo modo, ipsius Ecclesiæ medietatem suam: tunc ad meam, meorumque successorum deveniret proprietatem. Et si ego, vel aliquis successor meus de medietate ipsius Ecclesiæ, quæ est mei Episcopatus, aliquid tale fecissem: tunc ipsa medietas ad Abbatis deveniret proprietatem. Et ecce Domnus ipse Abbas in his omnibus cecidit, quia neque ministerium meum ita tractavit, ut decuit, neque promissa xenia .... misit; sed medietatem suam duabus Dei ancillis dedit. Arsit prædicta Ecclesia una dierum, & post combustionem duxit ille Episcopum Siphoniensem, & me nolente & nesciente, consecravit eam. Cùm verò una dierum sciret me iturum fore ad quemdam locum, mei Senioris jussione implenda, paravit adversùs me insidias, & tales, ut si me posset, occideret, aut si non posset, domum, in qua ipse noctu jacerem, incendio concremaret. Cujus nefariæ adinventionis exstitit auctor Petrus Monachus, qui dicitur de Laurentio, & cum eo Datus de Uberto, Teuzo de Berizo, Albertinus Adulterinus, Barocco, Petrus Castellanus, Raino de Crescentio, Follia, Joannes ferrarius, Rainaldus de Guidone Presbytero, & Azolinus. Unius denique mei Archipresbyteri silvam incidit, ob hoc quòd meum fidelem illum cognovit, quæ non minus valuit, quàm centum libras. Cepit quemdam servientem meum, & quia dixit, se meum esse, abstulit ei equum & omnia vestimenta ejus. Præterea decimas omnes, quæ mihi pertinent, nec non & partem meam de bonis mortuorum, ubicumque valet, contendit, maximè tamen in Bucciniano, & Vulpiniano. His & aliis ab eo Abbate pressus adversitatibus, proclamo me super illum, quærens misericordiam vestram, ut non sinatis Ecclesiam meam, immo tam vestram, quàm meam, tantis adversitatibus gravari, tantisque molestiis molestari, sed potiùs liberata à perturbationibus tanti perturbatoris, grates inde maximas Deo reddamus, & vobis.

His ita recitatis, quæsitum est ab Advocato Domni Abbatis, ut Domnus Papa, Sancta Synodo concedente, inducias permitteret ad singula, quæ Sabinensis Episcopus conclamaverat, veriùs & subtiliùs investigandum & respondendum. Tunc benigna largitione permissum est. Aderant autem ibidem utriusque partis amici veraciores, & pacifici scrutatores, qui ipsas res Canonicè indagantes, retulerunt Domno Papæ, quòd per legem, vel sacros Canones judicare vellet, ne ambæ partes in detrimentum gravissimum devenirent, videlicet propter violationem & destructionem Altaris, & Reliquiarum ejus, quas auferre idem Sabinensis Episcopus præsumsit, & propter deprædationes, sive incendia, quæ postmodum Domni Abbatis militum exercitus fecit. Nam proprieta Ecclesiæ pro acquisitione, & authentica professione antiquior & anterior per omnia inventa est hujus nostri Monasterii fuisse. Hoc summus Præsul certiùs discernens, litem ipsam proutcumque potuit, sedare fecit, & edidit Monasterio huic mirabile Privilegium suæ piæ confirmationis de omnium hujus Monasterii bonorum acquisitionibus liberrimè possidendis. Denique post longum tempus nostris scilicet diebus ita vidimus, & audivimus, referentem, & certissimè testantem quemdam *Romanum Episcopum nomine Petrum* jam nimis vetulum, qui Romæ morabatur apud Sanctum Vincentium juxta Ecclesiam Sanctam Beati Petri Apostoli, omnia, ut supra diximus, coram se examinata, & diffinita fuisse, & Privilegium sic editum.

Leonis IX. Papæ Bulla, confirmatoria privilegiorum ac jurium Farfensis Cœnobii Anno 1051.

„ LEo Episcopus Servus Servorum Dei „ Ecclesiæ venerabili Sanctæ Virginis „ Matris Beatæ Mariæ, quæ ponitur in Pharpha, & pro ea Berardo Abbati, & justè „ intrantibus suis Successoribus in perpetuum. „ Initium sapientiæ timor Domini: cujus timore ac debita reverentia commoniti, pro „ glorioso Filio & casto, gloriosæ Matri simul „ & castæ honorem libenter exhibemus pia „ devotione, & suis servitoribus necessarium „ ac regulare cupimus suffragium, ut dum „ nostro adjutorio bene deserviunt, participes „ præmii, corporis & animæ suscipiamus commodum. Inter hæc siquidem purè ad serviendum Deo viventi, nostræ voluntatis beneficio volumus, immo & quammaximè „ desideramus, ut sicut inter ceteros nominis „ famâ, ita & necessariis rebus gloriosiùs exaltetur per nostram humilitatem Sancta Pharphensis Ecclesia. Argentum enim & aurum „ non est nobis: quod autem habemus, libenter ei, qui nobis hoc tribuit gratis, Domino nostro, & Angelorum, ac nostræ Dominæ reddimus: scilicet cor humile, bonam „ voluntatem, & devotam, ut oportet, servitutem secundùm nostræ fragilitatis possibilitatem. Solebant semper Ecclesiis bona „ sua confirmari, immo & confirmantur adhuc per Apostolica summæ Sedis Privilegia, „ quæ Deo largiente non refutabit ex nostra parte humiliter suscipere specialis Spirituum „ & hominum Regina, Mater humilitatis, „ Domina nostra, pia, & mitis, ac bona „ Maria. Suscipe ergo Sancta Virgo, Sancta „ Parens, cum Filio tuo bona tua, non à nobis data, sed nostro tibi firmata Privilegio. „ Tene quæ tenes; cum benedictione Filii tui „ posside quæ possides. Benedicta quidem es „ inter omnes mulieres: tua tibi nullus auferat; in bonis tuis te offendere nulli umquam „ liceat; & vice sua tibi, Berarde in Christo „ fili dilecte, fideli Monasterii hujus Abbati, „ hoc sacræ paginæ scriptum concedimus ad „ observandum, ut simul & scriptum Ecclesiæ „ reserves, nec non & omne bonum tibi commissum. Sancta itaque Apostolica auctoritate omnia, quæ supradicta habet in eodem „ loco Ecclesia, confirmamus & corroboramus, sicut modò possidet, & ab initio infra possedit, & extra: videlicet, quicquid „ habere videtur in territorio Sabinensi, idest „ Ecclesiam Sancti Benedicti, & Curtem Sancti Gethulii, & Castellum de Tribuco, & „ Podium filiorum Palumbæ, & alveum Pharphæ totum: & hæc omnia cum omnibus „ pertinentiis suis in integrum. Ecclesiam „ Sancti Angeli in Tancia cum gualdo, & „ omnibus pertinentiis; Castellum de Bucciniano, & Roccam in integrum cum Massa „ à *Papa Benedicto* ipsi Monasterio concessa; „ Castrum Pharæ. Hæc iterum omnia simul „ cum omnibus suis pertinentiis, & subjacentiis. Terram de Ortella; in Civitate Ortana „ Ecclesiam Sancti Theodori in integrum. In „ Viterbio Ecclesiam Sanctæ Mariæ in integrum. In Tuscano Cellam Sanctæ Mariæ „ juxta flumen Minionem cum gualdo, & „ cum ipso Monte Gosberti, seu & Ripa „ Aduella, & Marino portu. In Comitatu „ Narniensi Monasterium Sancti Angeli, & „ Ecclesiam Sancti Antimi in integrum. In Comitatu Perusino Cellam Sanctæ Mariæ in „ Diruta, & Sancti Apollinaris, & Sancti „ Blaxii, & Sancti Montani cum Ecclesiis, „ Castellis, villis, & omnibus pertinentiis, & „ adjacentiis suis. Et juxta Tiburtinam Civitatem Ecclesiam Sancti Adriani in integrum. In Collina Ecclesiam Sancti Andreæ „ cum omnibus suis pertinentiis. In urbe Roma Ecclesiam Sanctæ Mariæ, & Sancti Salvatoris cum Criptis, & muris, & Campum „ Agonis in integrum. In Comitatu Assino „ Cellam Sancti Benedicti in integrum. In „ Comitatu Firmano Cellam Sanctæ Mariæ in „ Clenti, & Monasterium puellarum, quod „ dicitur Sancti Salvatoris, & Ecclesiam Sancti Benedicti in Ripa, & Cellam Sanctæ „ Victoriæ cum omnibus earum pertinentiis, „ & adjacentiis. In Comitatu Asculano Cellas, unam Sancti Salvatoris juxta flumen „ Asum; alteram Sanctæ Mariæ in Ophida in „ integrum. In Comitatu Teatino Cellam „ Sancti Stephani in integrum. In Comitatu „ Senogalliensi Curtem de Luzano. In Comitatu de Camerino Curtem de Sala bona. „ In Comitatu Auximano Curtem de Monte „ Paulisco in integrum. Hanc ergo majorem & principalem Sanctæ Dei Genitricis ac Virginis Mariæ Ecclesiam in Pharpha, cum omnibus supradictis, & aliis „ etiam Cellis suis majoribus, & earum Ecclesiis suis minoribus, cum Castellis, Vicis, & Oppidis, terris cultis & incultis, „ pratis, pascuis, & vineis, silvis, aquis, „ aquarumque decursibus, piscariis, & piscationibus, portibus maris, & litoribus, & „ universis, quantiscumque qualibuscumque „ pertinentiis, & cum omnibus, quæ à Romana Sede obtinet per Apostolica Privilegia, vel ab Imperatoribus, & Regibus per „ præcepta, immotam, & quietam ab omnibus esse sancimus. Et quodcumque sibi à „ quibuscumque Fidelibus Christi concessum „ est, vel in posterum conceditur, si divinæ „ pietatis respectum desiderat, nullus invadat, „ nullus minuat, vel subtrahat. Si quis enim „ piam Matrem Domini scienter offenderit, „ bonam voluntatem Filii ejus unigeniti, imò „ & primogeniti Salvatoris nostri habere omnino non poterit. Decimas & oblationes „ mortuorum quietè ista teneat Ecclesia. Nec „ ordinatio Monachorum, vel Presbyterorum „ hujus Monasterii, vel Cellarum ejus, à quovis ibi fiat Episcopo, nisi quem Abbas invitaverit, aut, si non adest, suo præcepto „ ejus Congregatio, scilicet quia ita habetur „ in privilegio bonæ memoriæ *Pauli Papæ*, „ ut Synodum nullus hìc celebret Episcopus, „ nec alio venire constringat Presbyteros ipsius Abbatiæ, quoniam quod ab ipso hic „ locus per privilegium obtinuit, nos infringere nolumus. Et consecrationes Ecclesiarum à quovis quærat Abbas religioso Episcopo; habeat simul & Chrisma. Ad idoneum Abbatem eligendum, secundùm Sancti Benedicti Regulam, sit communis consensus, & impleatur petitio fratrum. Scriptum est autem in Canonibus: *Invasores* „ *Ecclesiarum sinè dilatione excommunicentur*. „ Cujus rei gratia necesse est, ut omnis invasio in universa cesset Ecclesia, maximè in

„ lo-

" locis, quæ sibi dicata tenet Beata Maria,
" cui qui aufert sua, timeat incurrere anathe-
" ma. Magna enim excommunicatio, Filii
" Matris Virginis est indignatio. Exaltata su-
" per choros Angelorum Maria, exaltet con-
" servantem bona sua. Pro Dominæ suæ re-
" verentia Princeps Apostolorum Petrus ditet
" illum semper benedictione Apostolica, an-
" nuente hoc Virginis Patris, ac Virginis
" Matris Dei omnipotentis gratia. BENE
" VALETE. Datum III. Idus Decembris per
" manus Frederici Diaconi Sanctæ Romanæ
" Ecclesiæ Bibliothecarii vice Domni Heri-
" manni Archicancellarii, & Coloniensis Ar-
" chiepiscopi Anno Domni Leonis IX. Papæ
" III. Indictione V.

In alio (43) quoque Privilegio idem Venerabilis Pontifex huic Monasterio confirmavit fundum Massam, in quo est Ecclesia Sancti Valentini. Ex fundo Mucciani uncias III. Fundum Paternum, in quo est Ecclesia Sancti Joannis; fundum Carbonianum; fundum Septiniani; fundum Pipiliani; fundum Agelli; fundum Mutellæ; fundum Lorinianum; fundum Urbanæ; fundum Albuciani. Item in alio Privilegio confirmavit bona quædam in Massa in loco, qui dicitur Sanctæ Mariæ in Formello, scilicet tres Casales; unum, qui dicitur Casalis de petrajo, alterum de Leone Sabinensi; tertium, qui dicitur Casalis Petri, qui & Leo ferrarius.

Henricus autem III. Rex, & Secundus Romanorum Augustus, per suum Imperiale præceptum concessit, & confirmavit huic Monasterio quasdam res in territorio Sabinensi: scilicet Ecclesiam Sancti Benedicti, & Ecclesiam Sancti Gethulii cum Castello de Tribuco in integrum, & alveum Pharphæ totum, & Ecclesiam Sancti Angeli in Tancia cum gualdo, & omnibus pertinentiis; Castellum de Bucciniano, & Roccam in integrum cum Massa, quam piæ memoriæ *Benedictus Papa* in hoc Monasterio contulit. Castrum Pharæ in integrum cum omnibus pertinentiis; Terram de Ortellæ; in Civitate Ortana Ecclesiam Sancti Theodori; infra Castrum Biterbense Ecclesiam Sanctæ Mariæ; in Tuscano territorio Cellam Sanctæ Mariæ in Minione cum gualdo, & monte Gasberti, & Ripa Albella, & Marino portu. In Comitatu Narniensi Monasterium Sancti Angeli in Massa, & Cellam Sancti Antimi, & Sanctæ Mariæ, & Sancti Joannis in Diruta, & Cellam Sancti Apollinaris, cum Ecclesiis, Castellis, & Villis, sicuti Hugo Alberici in hoc Monasterio dedit. In Comitatu Assisio Ecclesiam Sancti Bartholomæi, & Sancti Joannis in Satriano. In Comitatu Spoletano Ecclesiam Sancti Marci, & Sancti Salvatoris, & Sancti Pauli, & Sancti Martini, Cellam Sanctæ Mariæ in Mediana, & Ecclesiam Sancti Antonini, & Sancti Fortunati, & terram, & vineam & omnia, sicut Adam filius Rodulphi pro redemtione animæ suæ in hoc Monasterio per chartam dedit. In Comitatu Auximano Curtem de monte Polisco. In Comitatu Senogalliensi Curtem de Luzano; In Comitatu Camerino Sala-bona & Trevenano, & Sancti Abundii, & Sancti Viti; & in Castello Petroso Curtem Sanctæ Anciæ; & de Castello albo Cavallo duas partes, sicut Octavianus per chartas huic Monasterio dedit: In Comitatu Firmano Monasterium Sanctæ Mariæ,

(43) Privilegium hoc, a Chronographo nostro praetermissum brevitatis causa, sed jam ante evulgatum, heic adjicere statui, ut quaecumque de Farfensi Coenobio colligere potui, Lector in uno Libro accipiat. Sunt haec illius verba.

Leonis IX. Papæ Bulla, qua Berardo I. Farfensi Abbati, ejusque Monasterio, bona, jura, ac Privilegia omnia confirmat.
Anno 1049.

" LEo Episcopus Servus Servorum Dei di-
" lecto in Christo filio *Berardo Abbati Mo-*
" *nasterii, quod ponitur in Pharfa*, tuisque
" successoribus in perpetuum, perpetuam in
" Domino salutem. Cùm piæ petitiones no-
" stris auribus inculcantur, decet nos assensum
" præbere, & talibus desideriis non resultare,
" quatinus sacra Loca temporibus nostris profi-
" ciant & augeantur, & in nullo, quod absit,
" minuantur. Igitur quia petistis à nobis, qua-
" tinus ex nostra largitate nostroque dono con-
" cederemus vestræ religiositati Monasterii ve-
" stri confirmationem, ejusdemque honorem,
" quæ habet modò, & habiturum est in per-
" petuum, videlicet Fundum Massam, in quo
" est Ecclesia Sancti Valentini. Ex Fundo Mu-
" ciani uncias tres. Fundum Paternum, in
" quo est Ecclesia Sancti Johannis. Fundum
" Carbonianum. Fundum Septiniani. Fundum
" Pipiliani. Fundum Agelli. Fundum Mutel-
" læ. Fundum Loriniani. Fundum Urbanæ.
" Fundum Bucciniani. Fundum Albuciani; &
" alios Fundos cum domibus, vineis, olivetis,
" atque colonis. Confirmamus autem vobis,
" vestrisque successoribus prænominatos Fun-
" dos, vel uncias, seu Ecclesias cum casis,
" vineis, pratis, silvis, salictis, nec non aqui-
" molis, & universis appendicibus, colonis,
" atque familiis, vel omnibus ad eos genera-
" liter & in integrum pertinentibus, sicuti
" primitus, & nunc ab ipso vestro Monasterio
" possessa sunt tam in Comitatu Sabinensi, nec
" non & Narniensi, sive in Comitatu Reatino,
" vel Furconiano, Asculano, Firmano, Apru-
" tiensi, & Pinnensi, Romano etiam, & Tu-
" scano, omnesque adjacentias ejusdem Mona-
" sterii atque pertinentias, cum omni integri-
" tate concedimus detinenda, tam ea, quæ
" modò justè possidetis, quam ea, quæ in fu-
" turum, largiente Domino, potueritis acqui-
" rere tu & successores tui, sicuti per Privi-
" legia Sanctæ recordationis *Domni Adriani*
" *quondam Papæ*, & *Pauli*, eidem venerabili
" Monasterio confirmata sunt, permanenda. De
" Theloneis quoque mercatorum, & pontium,
" & Decimas ad Monachorum stipendia & Pau-
" perum dari à præsenti Secunda Indictione
" tuæ religiositati, tuisque successoribus Abba-
" tibus vestri Monasterii in perpetuum conce-
" dimus, ex eisdem omnibus percipiendas; nec
" non & oblationes mortuorum. Statuentes
" Apostolica censura ex auctoritate Beati Petri
" Apostolorum Principis sub divinis obtesta-
" tionibus & anathematis interdictionibus, ut
" nulli umquam nostrorum successorum Ponti-
" ficum, vel aliæ cuilibet magnæ parvæque
" personæ, ipsa prænominata loca, vel quæ
" in posterum, auxiliante Deo, vestro Mona-
" sterio fuerint acquisita, sicuti supra sunt in-
" stituta, à potestate & ditione vestra, vestro-
" rumque successorum, ac vestri Monasterii au-
" ferre vel alienare quoquomodo liceat. Si quæ
" autem temerario ausu magna parvaque per-
" sona contra hoc nostrum Privilegium agere
" præsumserit, sciat se anathematis vinculo esse
" innodatam, & à Regno Dei alienam, &
" cum omnibus impiis æterno incendio ac sup-
" plicio condemnatam. At verò qui pio intuitu
" curator & observator hujus nostri Privilegii
" exstiterit, gratiam atque misericordiam vi-
" tamque æternam à misericordissimo Domino
" Deo nostro consequi mereatur in secula se-
" culorum: Amen.
" Scriptum per manus Petri Scriniarii Sacri
" Palatii, in mense & Indictione Secunda,
" datum IV. Kal. Martii per manus Petri Dia-
" coni Bibliothecarii & Cancellarii Sanctæ Apo-
" stolicæ Sedis, Anno Pontificatus Domni Leo-
" nis Noni Papæ Primo, Indictione II.

riæ, & Sanctæ Victoriæ, cum Castellis, Cellis, Villis; & Curtem de Plotenano cum Castello de Ara antiqua, & Castello de Tariano; Castellum de Aganello cum suis pertinentiis, & molina Sanctæ Mariæ in Strata, Sanctæ Mariæ in Pantana, Sanctæ Mariæ in Clenti cum Castellis, Ecclesiis, molendinis, & aquas deducere, ubi necesse est, cum portione de Lumerano, & portione de Sala. Curtem Sancti Martini cum medietate de Colle Bonelli, & medietatem de Morce cum quarta parte ex alia, & portione de Rote, & portione de Insula de Verano cum Ecclesiis, & ædificiis suis, ceterisque pertinentiis. In Troliano terram, & vineas cum litore maris, & cum portu. Curtem de filiis Rolandi, cum Castello, & Ecclesiis. Curtem de Talusano; Monasterium Sancti Salvatoris in Cantalupo; Monasterium Sancti Benedicti de Ripa. In Comitatu Asculano juxta flumen Monasterium Sancti Salvatoris, cum Castello Furciæ. Coymbrianum, Gallianum Castrum, Ophida, Iscla Beneventolum, Sanctum Valentinum, montem Agusianum, Insulam Helisæi; medietatem de portu; quintam partem de Ripa; Cosennanum, Asignacium, montem Cosi, Spinetulum, Allianum, Dullianum, Octavum, Postmontem, Colinari, Belium, Montem Prandonis, Montem Cretaceum, Sculcula, medietatem de foce de Tronto, Saxum Pesile. In Comitatu Aprutiensi Curtem de Sardinaria, & alias. De Comitatu Pinnensi Curtem Sanctæ Luciæ, & de monte Pedito cum rebus, & pertinentiis supradictis, & Ecclesia Sancti Clementis. In Comitatu Theatino Monasterium Sancti Stephani, & Pharam, & Podium, & Sanctum Clementem. In Comitatu Balbensi Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Giano, & Sanctæ Mariæ in Sarzano, & Sanctæ Mariæ in Forfone. In Comitatu Marsicano Curtem Sancti Leucii, & Curtem de Transaquas. Infra Urbem Romam Ecclesiam Sanctæ Mariæ, & Sancti Salvatoris, & Campum de Agonis. In Civitate Tiburtina Monasterium Sancti Adriani. In finibus Campaniæ Monasterium Sancti Laurentii in Mai. In Comitatu Reatino Monasterium Sancti Angeli, & Ecclesiam Sancti Jacobi, & Sancti Georgii; & in Puzalia terram, quæ noviter acquisita est. In Amiterno Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Lariano cum suis adjacentiis, Curtem de Torrita, & de Narnate cum omnibus earum adjacentiis, atque pertinentiis. In Comitatu Balbensi, Ecclesiam Sancti Peregrini, in qua *Comes Oderisius* Monasterium construxit.

Quidam autem Franco nobilis vir, qui vocabatur de Doaroa, & Seuguo, ambo socii, & fideicommissarii cujusdam Joannis Muti, pro ejus anima confirmaverunt per chartam donationis in hoc Monasterio quasdam res ipsius in territorio Sabinensi, ubi dicitur Serranus. Quidam & Paganus filius Gaidonis refutavit in hoc Monasterio sortem suam de Castello, quod nominatur Aquaviva, totam in integrum, & de Castello de Tribuco. Item Tinto filius Leonis refutavit in hoc Monasterio omnes res, quas per scriptum habebat à fluvio Currenti usque ad Sanctam Mariam in Cassiano; ab alia parte Riana. Item Landulfus filius Adelberti cum Nicolao filio suo concessit in hoc Monasterio res suas in Salisano, Sectiniano, Colle de monte Velo, & Majalini modiorum LXX. & recepit in commutationem res in Trebeliano, & Verrucule, & ad rivum Gleronis. Item Beraldus, qui Majo vocatur, filius Munaldi, cum Guilia uxore sua concessit huic Monasterio res suas in Sabinensi ad planum de Polo, & Casalem Joannis de Verla, & portionem suam de Castello Babelano, & de Carbi, & in Comitatu Narniense de Castello de Laja, de Castello de Sigizo. Item Crescentius filius Arduini concessit portionem suam, & Casale Serrano territorii Sabinensis. Item *Domna Maroza relicta quondam Domni Gregorii, & filia Domni Octaviani*, per consensum *Joannis germani sui* concessit res suas, quæ ei evenerant, à supradicto Gregorio viro suo in Comitatu Campaniæ, videlicet sex principales uncias totius substantiæ, ejusdem viri sui, huic Monasterio. Item quidam viri filii Martini, & filii Adelberti, & filii Senioricti, & filii Bonini, & filii Crescentii concesserunt res suas in hoc Monasterio cum Ecclesia Beati Silvestri, & Sancti Nicolai Confessoris Christi, ubi dicitur Cerretum malum, & ad Cisternam. Item Crescentius filius Farolfi cum Azolino filio suo concessit in hoc Monasterio Casales in Sabinis, qui nominantur Pineales, & de Genzunis. Item Beraldus filius Farolfi concessit in hoc Monasterio sortem suam in Tancia, & Sectiniano. A primo latere rivulus Episcopalis Cancelli, qui vadit in Castellum Fatuuli; à secundo latere cacumen montis Majalini descendens in rivulum Atriani; à tertio latere rivulus Atrianus; à quarto latere pertinentias Salisani. Et refutavit totam sortem de Castello Salisano.

Item Azo filius Joannis cum Doda uxore sua, & Adelbertus Presbyter filius Petri supradicti concessit in hoc Monasterio res suas Ducatus Spoletini in Castaldatu Pontano, ubi dicitur Grisianus, idest portiones suas de Ecclesia Sancti Viti. Item filius *Anastasii Comitis* fecit sponsionem, & obligationem Domno Berardo Abbati, ut non tollant, neque contendant ipse, & heredes sui, Ecclesias, & monasteria, idest Sancti Benedicti in Sutriano, & Sancti Joannis in Valle Frigida, & Sancti Bartholomæi. Quod si præsumserint, componant argenti libras V. Similiter promiserunt filii Adenolfi, & *Munaldus*, & *Gislerius Comites, filii Anastasii Comitis*; & si præsumserint, componant huic Monasterio libras X. Item Joannes Presbyter filius Aifredi concessit huic Monasterio quartam partem Sancti Martini in pertinentia Castelli de Ponticello ad collem Aimonis. Rainerius Guidonis de Ardemanno, & Joannes de Guidone, & Joannes filius Paulonis concesserunt in hoc Monasterio, & Domno Berardo Abbati portiones suas de territorio, quod dicitur Arci, cum Casalibus suis, idest Casalis Joannis de Nazano, ubi est Castellum, quod dicitur Arci, Casales de Petro Presbytero, Casales de Joanne Pagano, Casales de Panecaldo, Casales de Stilluto, Casales de Crescentio Stilluto, Casales de Crescentio de Martino, Casales de Theoderico, Casales de Joanne Anastasio, Casales de Lupo Pazo, Casales de Carincio, Casales de Joanne Feltrano, Casales de Buccalupo, Casales de Tobo: & hi omnes conclauduntur inter fines istos. A primo latere Currenti; à secundo latere rivus Rapinianus. Item Rainerius filius Ottonis concessit res suas, & sortem de podio Arci inter flumen Currenti, & Carbulanum. A primo latere tota ipsa Cripta de Ca-

Casale de Joanne Sera, venientes in aquam Curvam, & in flumen Currenti; à secundo latere fluvius Currenti; à tertio latere rivulus Carbulanus; à quarto latere fluvius Sabinensis. Et de Ecclesia Sancti Petri in Albiniano, & de aliis Ecclesiis sub se usque ubi conjungitur Carbulanus cum Currenti. Item Theodora relicta Crescentii de Octaviano cum Joanne Cencio, & Guidone filiis suis concessit huic Monasterio, & Domno Berardo Abbati totum Cancellum Arci cum VII. Casalibus, idest Casale Joannis de Hazano, Casale Joannis de Rodulpho; Casale Orassii; Casale Lucii, Casale Joannis de Stephano, Casale de Paracasea, Casale Crescentii de Martino; Casale Gattini; & refutaverunt quicquid eis pertinebant de Castello Tribuco cum Rocca sua: pro quibus receperunt pretium denariorum subtilium Papiensium argenti libras centum triginta sex.

Crescentius igitur *Octaviani filius* invasit Castellum hujus Monasterii, quod nominatur Tribucum, & Monacho ibi invento nares abstulit; & donec vixit, in ipsa violentia permansit, & filios suos in ea contumacia reliquit ab introitu *Domni Leonis Papæ* usque ad introitum *Domni Nicolai* (44) *Papæ*. Interea prædictus Domnus Abbas quemdam locum, qui vocatur Arci, ad Castrum ibi ædificandum, justè & legaliter acquisivit. Propter quod præfati viri magna dolositate succensi, equitare armata manu cœperunt super omnia bona Sanctæ Mariæ, incendere Ecclesias, & villas, & arbores, & vineas incidere, homines occidere, & Domno Abbati insidias præparare. Quem cùm persequerentur, quemdam Monachum comprehenderunt, cœcaverunt, nares, linguam, & auriculas absciderunt. Quam infestationem & molestias Domnus Abbas per suum nuntium intimavit Domno Papæ, qui tunc erat Florentiæ. Qui cùm Romam reversus esset, misit ad eos suos legatos, ut Domno Abbati legem facerent; & venientes ante Papam inducias petierunt, ut super hoc consiliarentur: & datæ sunt induciæ dierum X. Iterumque habuerunt inducias dierum XX. Tunc obligavit se *Joannes de Crescentio* Domno Papæ, ut si in isto termino Abbati legem non faceret, CCC. libras argenti componeret: ad quem terminum venire noluit. Post multos verò dies Advocatus Domni Abbatis, stans ante præsentiam præfati Pontificis, Episcoporum, & Præfecti, & Judicum, cœpit cuncta referre mala superiùs scripta, vel à Crescentio, vel à filiis ejus contra hoc Monasterium perpetrata. His auditis Domnus Papa consilium à Judicibus quæsivit. Qui simul ostenderunt hoc Capitulum Codicis Justiniani dicentis: *Ejus, qui per contumaciam absens, cùm ad agendam causam vocatus esset, condemnatus negotio priùs summatim perscrutato, appellatio recipi non potest*; & legaliter consilium dederunt Domno Papæ, ut faceret investituram Domno Abbati de his, quæ hoc Monasterium detinebat, & ex quibus filii Crescentii molestias inferebant, ut securè omni tempore possideret. Et quia perpetrata fuerant sacrilegia, homicidia, incendia, devastationes, haberent potestatem vindicandi quoquomodo possent. Et si ipsi, vel heredes eorum de prædictis Castris, & rebus relitigare voluerint, aut molestias inferre, centum libras auri optimi componerent, medietatem Lateranensi Palatio, & medietatem huic Monasterio. Quod & prædictus *Domnus Nicolaus Pontifex* fecit.

Item Joannes Presbyteri Guicconis concessit huic Monasterio Ecclesiam Sancti Petri in fundo Collis, & portionem suam de Ecclesia Sancti Quirici in fundo Petrolo, & aliam Ecclesiã Sancti Angeli in fundo Collis ad Folgetum, & casam in Castello Sancti Gemini, & terras, & vineas modiorum XXXIII. & eo ampliùs cum portione Ecclesiæ Sancti Angeli, & medietatem Ecclesiæ Sancti Quirici, & supradicta Ecclesia Sancti Petri in Casa-murata. Item Caritia Abbatissa cum Beliarda germanæ sorores filiæ Adelberti dederunt in hoc Monasterio, & Domno Abbati Ecclesiã Sancti Salvatoris in fundo Portellæ, & vocabulo Cantalupo cum omnibus rebus suis in fundo Nuce, & in fundo Celle, & in fundo Malebejano, & in fundo Veneziano, & in fundo Oliano, & in fundo Sclariano, & in fundo Plano-majo, & in fundo Ornetulo; & in fundo Clusalonga, & in fundo Prato; & in fundo Sorrecciano; & portionem de Ecclesia Sancti Stephani in loco Celle infra ministerium de Nuce; & Curtem de Lumiriano in fundo Lumiriano, & in fundo Asiniano, & in fundo Sala, & in fundo Lemane; & in fundo Solemniano; & in fundo Mateliano, & in fundo Popleto; & in fundo Pratellæ, & per alias Casalias; & portionem de Ecclesia Sanctæ Mariæ in Asiniano infra ministerium de Ulmo; & Curtem Sancti Silvestri in monte Alperti cum portione ipsius Castelli; & in fundo Alviano, & in fundo Mantatiano, & in fundo Toreliano infra ministerium de Clenti; & Curtem de Parvolo, infra Comitatum Ausimanum cum terris modiorum LX. Item *Berardus* (45) *Episcopus Asculanus* fecit convenientiam cum Abbate Berardo de terris, quas Longinus filius Azonis dedit in hoc Monasterio, ut Decima terrarum, quas manuales laborant ad suas manus, & servi, & libertini, & coloni, & inchartulati, permaneat in hoc Monasterio. De aliis verò terris, & quibus antea contenderunt dare ad prædictum Episcopum medietatem, medietatem habeat Episcopatus, & medietatem habeat hoc Monasterium. Presbyteri, quoque omnes Capellani de Castellis filiorum Longini, non reclinent caput ad ipsum Episcopum, neque ad Synodum, neque ad ullam causam, nisi forsitan per bonam voluntatem Domni Abbatis, aut ipsi sua sponte. Reliqui omnes Presbyteri pergant ad Synodum Episcopi, sicut lex præcipit. Decimas verò, quas inter se dividunt, neuter eorum alienet in ullam personam, neque per scriptum, neque per beneficium; & de eo, qui contempserit Decimam, adjuvent se per rectam fidem. Item Joannes Presbyter, & Sergia germani, & filii Francæ concesserunt in hoc Monasterio res suas in territorio Sabinensi ad Bilianum, & ad Caminatam modiorum XI. Item Dominicus Presbyter filius Benedicti, & Joannes filius Dodonis concesserunt in hoc Monasterio res suas in Comitatu Reatini ad Alabrum, & in Curte Græcie modiorum V. Item Boniza, quæ

(44) Hoc est Secundi, ideoque cadente Anno 1059. aut sub initium Anni 1060. haec acciderunt.

(45) Quem Ughellus *Bernardum*, & perperam quidem, appellat. Berardus quippe ei nomen est in Bulla Leonis IX. Papae ab ipso Ughello adlata. Infra ejusdem mentio recurret.

quæ vocatur Maximilla, concessit in hoc Monasterio per chartulam venditionis res in territorio Sabinensi, ubi dicitur Verruculæ, ad pretium argenti librarum II. Item Dato filius Rainerii, & Crescentius filius Hugolini, fecerunt obligationem de Podio Burdella, quod per scriptum tenebat ab hoc Monasterio. Item Benedictus Presbyter filius Nectonis concessit in territorio Sabinensi in Pontiano. Item Elperinus, & Azolinus germani fratres, filii Sifredi, concesserunt in hoc Monasterio res territorii Sabinensis in Puzalia ad fossam de Maceri modiorum XII. Item Albericus filius Gualabruni concessit in hoc Monasterio sortem suam de duobus Castellis, Terraniano, & Limisano, & res in Rujano, & Case, & clausuram Maguzano, & in Molge, & in Casale Prodonis, & in Casale Limisano, & unum hortum ibidem, & res in valle Cupula. Idem ipse refutavit in hoc Monasterio sortem suam de Casale Sacerdote, & in Castellione, & Cesarano, & Casales in Aguzano, & tertiam partem de Ecclesia Sancti Nicolai, & clausuram Joannis de Sicco, & de porta Cerii medietatem, & de Gualda medietatem, & de Silva tertiam partem. Item *Berardus Comes filius Berardi Comitis* concessit in hoc Monasterio Ecclesiam Sanctæ Trinitatis in Avezano, & centum modia terræ juxta Fucinum, & vineam modiorum trium. Item Franco filius Crescentii refutavit in hoc Monasterio res territorii Sabinensis in pertinentia de Musiniano, ubi dicitur Collis Ferrarii & in Nocla, & in pertinentia de Tribuco. Item Leutherius filius Leotherii vendidit huic Monasterio, & Domno Berardo Abbati res territorii Sabinensis, & Castellum Terranianum cum Ecclesia Sancti Andreæ, & res in Rujano, & Tricasi. Quarum rerum fines sunt. A capite via publica de Cruce Sancti Antiæ usque in limitem, & in rivum, & in rigaginem, & in Calentinum; à quarto latere rivus, qui descendit inter Ortisanum, & Terramanum usque in rivum Tortum, & Calentinum. Item fines aliarum rerum: à capite via juxta Sanctum Cæsarium, veniens in puteum de Gabiniano, & in rigaginem, & in rivum Mercoris, & in rivum Scarnatoris, & in Calentinum; deinde via per Colligionem, & in rivum Mercoris ad Sanctum Cæsarium: pro quibus omnibus rebus cum Castello recepit pretium argenti libras XXXII. & per omnem libram habentem solidos XX. Item Abbo filius Teuzonis promisit in hoc Monasterio per obligationem portionem suam de Castello Terraniano. Item Thebaldus, & Joannes filii Leonis concesserunt in hoc Monasterio Ecclesiam Sanctæ Cæciliæ cum terra laboratitia territorii Sabinensis ad Cerritum malum modiorum IX. in Casale de Montanariis modiorum XII. in Macle modiorum V. Item *Sigenolfus Comes filius Berardi Comitis territorii Carsulani* concessit in hoc Monasterio Ecclesiam Sancti Vincentii. Item Oddo filius Joannis Oddonis committens se sub patrocinio tuitionis Domni Berardi Abbatis, concessit in hoc Monasterio Ecclesiam Sancti Cæsarii, & Sancti Benedicti in Comitatu Tyburtino. Item Benedictus Prodæ concessit in hoc Monasterio res for s Pontefractum modii I. Et in Campo Mori, & in Aquaviva modiorum IX. Item *Senebaldus Comes* refutavit in hoc Monasterio, & investivit totum Castellum de Terraniano cum omni pertinentia, obligans se pœna auri optimi librarum X. Item Dato filius Rainerii concessit in hoc Monasterio res suas intra Castellum Terranianum. Item Tedemarius filius Tedemarii refutavit in hoc Monasterio sortem suam de Castello Salisano, & Casalem, quem tenebat Joannes de Ferrario. Item Rusticus filius Crescentii de Octaviano refutavit in hoc Monasterio totum Castellum Orci, quod Domnus Abbas Berardus construxit sicut olim prædictus Crescentius cum fratre suo Odone divisit, cum octo Casalibus, idest Casalis Joannis de Nazano, Casalis Joannis de Radolfo, Casalis Crassi, Casalis Zani, Casalis Joannis de Stephano, Casalis de Paracasco, Casalis Crescii de Martino, Casalis Gaitini secus rivum. Et refutavit quicquid ei pertinuit de Castello Tribuco. Et confirmavit breve victoriale, quod *Domnus Nicolaus Papa* exinde fieri præcepit. Quorum refutatione Castellorum, recepit idem Rusticus unà cum genitrice sua, & fratribus suis Papiensium denariorum subtilium libras CL. sub obligatione pœnæ auri optimi librarum XXX. Item idem ipse Rusticus refutavit in hoc Monasterio quasdam res territorii Sabinensis inter flumen Currensem & venientem in furcam Joannis de Nazano, & in rivulum Rapinianum, & in Casale Joannis Tiniosi, & in Cambulanum, & revertens in pertinentia Nerulæ, & in Fonte marmorea: pro quibus rebus recepit pretium valens libras centum sub obligatione pœnæ argenti librarum CL.

Item Boninus filius Senioricti, & Petrus filius Gregorii concesserunt in hoc Monasterio res territorii Sabinensis in Ponticello de Casale, quem tenuit Senioríctus Pazus, sextam partem. Item Gregorius filius Rodulphi concessit in hoc Monasterio res territorii Sabinensis, ubi dicitur Antiquus, ut permaneant in Ecclesia Sancti Angeli de Tancia. Item Stephanus, Rodulphus, & Petrus filii Joannis, concesserunt in hoc Monasterio, & in prædicta Ecclesia Sancti Angeli de Tancia res suas in eodem vocabulo Antiquo. Item Bezo filius Bernardi, & Joannes filius Guizonis, & Dodo filius Joannis, concesserunt in hoc Monasterio Ecclesiam Beati Laurentii in territorio Balbensi in pertinentia Castelli Bephi. Item Nicolaus Presbyter, & Combo, & Bruno filii Sabini, concesserunt in hoc Monasterio res suas territorii Sabinensis in Lantano. Item Guinozo filius Berardi concessit in hoc Monasterio Ecclesiam Sancti Angeli territorii Reatini in Capistrello, & medietatem unius molæ. Item Benedictus filius Beraldi concessit res territorii Sabinensis in Caminata. Item Joannes, & Petrus filii Oddonis, & Doda Mater eorum refutaverunt in hoc Monasterio res suas intro vel extra Civitatem Tyburtinam, idest quartam portionem de una mola, & una Cripta, & sortem de horto, & clausura in Limara supra pontem Lucanum; & de terris, & silvis in Cesarano, & in Fussi; & medietatem terræ in Africano; & sortem de vinea ibidem; & in Castello Flacci, & medium pratum in campo Limite. Item Petrus filius Longizonis, & Rainerius filius Azonis concesserunt res suas territorii Sabinensis in monte Casino, sicut præfatus Azo tenuit, cujus isti fuerunt fideicommissarii. Item Hilperinus filius Joannis concessit in hoc Monasterio, & Domno Berardo Abbati, & Joanni Præposito Casalem unum Comitatus Tyburtini ad Lavem. Item Joannes

nes filius Franconis concessit res suas in lacu Comitatus Tyburtini, in Casale Franzollioni modii dimidii. Item *Romadus Comes* concessit in hoc Monasterio Ecclesiam Sancti Silvestri in territorio de Perito cum modiis centum de terra ad virgam publicam circa eam; & in campo Catino Ecclesiam Sancti Salvatoris, & Sanctæ Mariæ, & Ecclesiam Sancti Marii, quarum fines usque Roccam, quam exceptamus, revertentes per rivum usque aquam de Campo longo; Deinde Macla rotunda; & revertentes per medietatem Campi Catini ad finem Roccæ. Item Massarus, & Boninus filii Teutonis, & Teuto, & Transmundus filii Gisonis, Atto, Elperinus, & Azolinus concesserunt in hoc Monasterio Ecclesiam Sancti Thomæ in Vivaro. Item Anno Incarnationis Domini MLXVII. mense Majo, Indictione V. temporibus *Domni Alexandri II. Papæ* quidam Dono filius Joannis cum Rogata uxore sua, vendidit & tradidit in hoc Monasterio, & Domno Berardo Abbati res suas territorii Sabinensis; idest quintam partem Castelli de Catino, & ejus pertinentia, cujus fines sunt à primo latere rivus Calentinus; à secundo fluvius Tiberis, à tertio fluvius Pharphæ, & venientes per rivum Bucciniani, & pergentes in Cisternam; à quarto latere, quod est à capite via ipsius Cisternæ, venientes in rivum subtus Castellum Fatucli, & in rivum Tanciæ, & in Calentinum, quod est primum lacus. Et portionem de Castello Luco, & portionem de Rocca Forcellæ, & de Podio Cæciliani, & portiones de Ecclesiis, infra eorum fines, idest de Ecclesia Sancti Xisti, de Ecclesia Sancti Benedicti, de Ecclesia Sancti Pancratii, de Ecclesia Sancti Martini, & Sanctæ Mariæ, quæ fuit Huberti Judicis; de Ecclesia Sanctæ Luciæ, & Sancti Stephani, de Ecclesia Sancti Valentini; de Ecclesia Sanctorum Cosmæ & Damiani, & de Ecclesia Sancti Heleuterii; & portiones de molinis rivuli Tanciæ, & Calentini; & portionem de datis in villa de Paterno, & de Ascaniano; & portiones de omnibus Podiis, quæ infra supradictos fines sunt; à primo latere rivus Tanciæ; à secundo vallis Gemina; à tertio Aqua pendente, venientes in Sanctam Crucem; à quarto latere via ejusdem Sanctæ Crucis usque in cacumina montis Cardonis descendentis in rivum Fatucli. Pro quibus omnibus, Castellis, Ecclesiis, & rebus supradictis recepit pretium argenti libras CC. Item Benedictus filius Boni cum Clariza uxore sua concessit in hoc Monasterio, & Domno Berardo Abbati res suas territorii Sabinensis, idest quintam partem de suprascripto Castello Catino, & ejus pertinentiis, & ceterorum Castellorum, & Podiorum, sive Ecclesiarum, omniumque rerum sicut supra scripsimus: pro quibus omnibus receperunt pretium argenti similiter libras CC.

Henricus autem divina favente clementia *IV. Rex*, precatu Domni Berardi Abbatis, & obtentu Domni *Adelberti Amaburgensis Archiepiscopi* per sui paginas præcepti hoc Monasterium in priore statu & Regio moderamine reduxit, & reformavit edicto Regali, legibus, & usibus antiquis; & nullius hanc Ecclesiam, nisi Regiæ singulariter ditioni subjacere sanxit. Et omnia bona illius mobilia, & immobilia confirmavit, & nominavit Castrum de Arce; Castrum Terranianum, Monasterium Sancti Benedicti in Comitatu Asisinate; Cellam Sancti Mariani in Camerino; Cellam Sancti Salvatoris in Civitate Terranana; Cellam Sancti Clementis in Comitatu Narniensi juxta rivum Lagiam; Ecclesiam Sanctæ Marinæ; & Ecclesiam Sanctæ Justinæ; & Ecclesiam Sancti Anastasii in Vaccariccia; Ecclesiam Sancti Nicolai in Macla; Ecclesiam Sancti Cæsarii in Poli; Cellam Sanctæ Mariæ in Minione; Cellam Sancti Angeli sub Ripa urbis Corneti; Cellam Sancti Peregrini penes eamdem urbem.

Item Remedius, & Teuzo, filii Crescentii, & Joannes filius Joannis concesserunt in hoc Monasterio res suas territorii Sabinensis in Ciliano, & in Monte, qui nominatur Costa, ubicumque Podium ædificare oportuerit. Item Manates filius Tebaldi, & Tebaldus filius ejus, & Rachisus, & Boninus filii Cononis concesserunt in hoc Monasterio res suas in pertinentia ejusdem Laci, excepto molino de Lansonisis. Item Petrus de Poncio concessit in hoc Monasterio res suas in pertinentia ejusdẽ Laci super vineã Tebaldi de Manisco. Item Guido Presbyter, & Leo de Sotio, & Joannes de Benedicto, & Joannes de Petro concesserunt in hoc Monasterio Ecclesiam Sancti Joannis in Comitatu Tyburtino, & pertinentia Laci.

Item Adam Judex filius Deodati cum uxore sua Raimburga concessit in hoc Monasterio res suas in Comitatu Spoletino, & Castaldatu Pontano, ubi dicitur Oriulus, in colle Sancti Silvestri duas clausuras cum platea ipsius Ecclesiæ, & quartam partem illius. In platea Sanctæ Mariæ unam casam, & de Silva suam portionem. Ad Strunconem clausuram cum vinea & terra sub Scoplo, & duas petias vinearum super via. Et ad aquam Palumbi casam & clausuram, & de Ecclesia Sanctæ Mariæ in Naulo partem duodecimam; & in Valle Cardaria, & in campo de Nursia, & ad Prata, & ad campum Rotundum, & ad Casarinas, & ad Semones, & ad Valles, & ad Gurga, & in Valle Oteramisca, & in Sabelli tres casas cum casamentis XI. unumquodque habens modios III. & in pratis petias III. & de Ecclesia Sancti Andreæ quartam partem, & medietatem ipsius molini. In Sabelli modios XXVI.; de Ecclesia Sanctæ Mariæ ad Xistum decimamsextam partem, & duas casas cum casamentis suis, habentes modios XXV. & de pratis & ornamentis ipsius Ecclesiæ suam portionem. Quarum omnium rerum inter adunata, & exadunata sunt modiola CCCC. Et in monte de Caballara, & in Seliora modios VII. Item Gaido filius Rebaldi refutavit in hoc Monasterio quamdam Silvam in Coroliano; Item Tetaldus filius Hugonis concessit in hoc Monasterio res suas territorii Sabinensis, ubi dicitur Antiquus. Item *Oderisius Comes filius Berardi Comitis, & Berardus, & Herbertus filius Teudini Comitis* concesserunt & commutaverunt huic Monasterio res suas territorii Reatini cum Castello de Repastu, quarum fines sunt. A primo latere Portus de Tabula vadens per vallem, & rectè veniens in campum de Ruselo; à secundo latere via, quæ vadit per ipsum campum; à tertio latere Flexi, & finis inter Græcie, & Repasti, quomodo venit in Sabeula, & pergit in flumen; à quarto latere ipsum flumen veniens per medietatem loci in supradictum Portum de Tabula. Pro quibus rebus, & Castello, cum Ecclesia Sancti Andreæ superscripti viri receperunt ab hoc Monasterio & Dom-

Domno Berardo Abbate in commutationem Castellum de Aquameza cum sua pertinentia; insuper pretium libras LX. Item Helperinus filius Mainardi, & Adelberta, quæ vocatur Guaza, uxor ejus, & Petrus, & Siollus filii Siolli, & Aderada genitrix eorum concesserunt in hoc Monasterio, & Domno Berardo Abbati res suas Comitatus Asculani in territorio Summatino, idest Castellum de Tregione, & Castellum Vallis Lucidæ, & Podium de Fagazone, & Castellum de Ilica, quæ res sunt in Villa Frigida, & in Canniano, & in Cormello, & in Petra, & in Soppe, & in Marce, & in Bazano, & in Canaliulo, & in Villa Magina, & in Pastina, & in Summati, & in Flagiano, & in Petroniano, & in loco, qui dicitur Ilica, & per eorum nomina, vel vocabula, terras, vineas per mensuram modiorum X. millium, & habent fines: à primo latere serra de Mollionico, vadens per Perillum, & veniens in lacum Oreciva; à secundo latere vadens in verticem montis, qui vocatur Picti de Sinu; à tertio latere Atenaricum vadens per rivum de Spineta in Trontum; à quarto latere in Tronto vadit in flumen Pedis de Matrice, & in rivum Combusta, & revertitur in serra de Mollionisco.

Item *Berardus Venerabilis Episcopus Asculanus* confirmavit in hoc Monasterio omnes res, quas infra territorium Asculanum, vel Firmanum per chartas commutaverat cum Domno Abbate Berardo, idest Monasterium Sancti Salvatoris, & plebem Sancti Flaviani, & omnes Ecclesias, quæ sunt in subjacentiis hujus Monasterii, vel ejus Plebis, cum omni decimatione, quantacumque pertinet, vel subjacet huic Monasterio, vel supradictæ Plebi. & omnia bona mortuorum, & quicquid ei pertinebat per illarum Parochias & nomina, de quibus consuetudo nobis fuit; & confirmavit ad partem hujus Monasterii promissiones, & obligationes in territorio Montano, in fundo Ilica, cum Castello, quod vocatur Guischetta, & omnia quantacumque ad Episcopatum pertinent infra istos fines: ab ipsa, atque de Clarino pergentes in verticem montis; à pede fluminis Tronto; ab alio latere terra filiorum Odemundi usque in verticem montis. Item Berardus filius Pintonis concessit in hoc Monasterio, & vendidit res suas in Castello de Pile, & de Villa Sancti Xisti: pro quibus recepit in pretium merces valentes libras XXX. Item Bonushomo, & Arimannus, & Dodo, & Joannes filii ejus concesserunt in hoc Monasterio Ecclesiam Sancti Angeli in Tupho territorii Carsulani. Item Grimaldus Judex filius Ribertonis cum Ota conjuge sua concessit in hoc Monasterio res suas in Comitatu Asisinensi, & vocabulo Sansi &c. quæ sunt tria casamenta. Item *Rainerius Comes filius Saxonis Comitis de Comitatu Civitatis Castellanæ* cum *Stephania uxore sua* concessit in hoc Monasterio Ecclesiam Sancti Laurentii in territorio Carcari Comitatus Centumcellensis juxta mare magnum, in loco qui vocatur Herislumen, qui vulgò dicitur Perflumen. Item *Girardus Comes filius Girardi Comitis* concessit in hoc Monasterio, & Domno Berardo Abbati Ecclesiam Sanctæ Severæ, & Castellum juxta ipsam Ecclesiam, & XV. Casalina in ipsa suprascripta Civitate, & medietatem de portu ejus, & quintam partem de vineis, & terris, pertinentiæ & tenimenti ejusdem Civitatis. Item Azo filius Honoriæ concessit in hoc Monasterio res suas territorii Sabinensis, ubi dicitur Conchæ. Item Landolfus filius Petronis, & Joannes filius Petri concesserunt in hoc Monasterio res suas in Puzalia majori. Item Litaldus filius Letonis concessit res suas Ducatus Spoletini in Castaldatu Equino, & in rivo de Viti, & in Staquinu modiorum XX. & in Maltiniano, & ad Romajanum, & in Cunnano, & in Aggeri duas portiones. Item Joannes Presbyter filius Aponis concessit in hoc Monasterio, & vendidit pretio solidorum XX. res suas in Malamorte modiorum II. Item Franco filius Franchisii concessit in hoc Monasterio res suas territorii Sabinensis in Antiquo. Item Joannes Presbyter filius Totonis concessit res suas in monte Opoli. Item Guinisius filius Nocherii concessit res suas in Castello alto Sanctæ Mariæ in Bercule, & Casale Veterani, & in Orisino suam portionem. Item Saxo Judex Romanus filius Elpiczonis concessit in hoc Monasterio res cujusdam Cencii, cujus erat fideicommissarius, in territorio Sabinensi in vocabulo de Silice, & in Lumenano, & in Mojano super Cantalupum. Item Dodo filius Boni-hominis concessit in hoc Monasterio res suas in Carsoli, & in Tupho. Item Lupo filius Benedicti, qui vocatur Berto, concessit res suas in Civitate de Terrane prope Sanctum Angelum modii I. Item Joannes Judex, filius Azonis concessit in hoc Monasterio, & in Ecclesia Sancti Adriani de Masi res suas in Paterno, idest duas petias terræ modiorum V.

Temporibus Domni *Alexandri II. Papæ Domnus Hildebrandus* (46) *venerabilis Archidiaconus*, auditâ controversiâ, quæ per longa temporum spatia fuerat inter hoc Monasterium Sanctæ Mariæ Dominæ nostræ, & Monasterium Sanctorum Cosmæ & Damiani in Mica aurea de Ecclesia Sanctæ Mariæ in Minione, constituit diem ad discutiendum hujus defensionis querimoniam, in quo utrique Abbates, cum præceptis & privilegiis Apostolicis & Imperialibus in Lateranensi Palatio convenerunt. Et assidentibus Episcopis, Presbyteris, Cardinalibus, & Præfecto, cum Judicibus, ac Romanorum Majoribus, perlecta sunt & audita utrarumque partium monimina. Et quoniam hujus Monasterii, præcepta & privilegia antiquiora videbantur, & justitia ex maxima parte favere videbatur huic Ecclesiæ: visum est Clericis, Præfecto, Judicibus, & sapientibus, qui aderant, viris, ut prædictam Ecclesiam in Minione cum gualdo, & monte Gosberti, seu Ripa Albella, & Marino portu, ceterisque bonis sibi collatis apud Cornetum, & Centumcellensem Urbem intus & extra positis, hoc Pharphense Monasterium quietè ac tranquillè perpetuò absque litis calumnia haberet & possideret. Ecclesiæ verò prædictæ Sanctorum Cosmæ & Damiani, pro parte justitiæ, quam secundùm posteriora instrumenta videbantur habere centum libras denariorum vice commutationis, vel restitutionis, Domnus Abbas hujus Monasterii attribueret. Hujus itaque pactis tenore à Domno Archidiacono probato, & ab omnibus laudato, *Odmundus Abbas* præfatæ Ecclesiæ refutavit pro

(46) Nempe qui postea fuit celeberrimus Papa sub Gregorii VII. nomine.

pro se, & suis successoribus omnem litem & querimoniam de præfata Cella Minionis coram omnibus in manu Domni Berardi Abbatis hujus Monasterii sub pœna XX. librarum auri. Præcepta autem, & privilegia, quæ apud se de illa habebat, reddidit ei præsentialiter. Quæ omnia Congregatio præfati Monasterii Sanctorum Cosmæ & Damiani audiens laudavit & confirmavit. Scriptum verò istud pro perpetua securitate hujus Monasterii Durantes Scriniarius edidit legaliter, sicut Divus Justinianus imperiali sanctione inquiens indidit: *Gesta, quæ sunt translata in publica monimenta, perpetuam volumus habere firmitatem, nec enim morte cognitoris perire debet publica fides*.

Item Guilia filia Arduini, quæ fuit uxor de Maco, concessit & confirmavit omnes res, & Castellorum, sive Ecclesiarum portiones suprascripti viri sui, idest de Castello Carbi, & de Castello Borbelano. Item Azolinus filius Landini cum suis consortibus de Castello Barri concessit in hoc Monasterio duas Ecclesias. Prima Sancti Joannis super Barri ad radicem montis; secunda super Barri juxta flumen ad Collem Probonis. Item Sigenolfus filius Benedicti concessit in hoc Monasterio res suas juxta Civitatem Reatinam, foris portam Interocrinam, ubi dicitur Asianus, cum ipso molino ibidem.

Anno autem primo Pontificatus *Domni Gregorii VII. Papæ*, Domnus Berardus Abbas ivit Romam, ut pignora recolligeret, quæ pro refutatione Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Minionis *Domno Odmundo Abbati* habuerat obligata. Et dum charta ejusdem definitionis tunc legeretur, Odmundus Abbas cœpit eam impugnare, dicens se non refutasse Ecclesiam Sancti Petri. Domnus verò Berardus Abbas ei resistens, asserebat eam confirmationem *Marchionis Hugonis* pertinere ad Sanctam Mariam in Minione. Quæ controversia pervênit ad aures Papæ, Episcoporum, Præfecti, & Judicum; & lectis utriusque partis instrumentis, visum est omnibus, ut quia ipsa Ecclesia, vel ejus res non versùs Monasterium Sanctorum Cosmæ & Damiani esset in confinio, vel contigua, nec etiam aliquo modo lucri futura, sicut huic Pharphensi Monasterio, licèt videatur . . . . pretii utilitatis, tamen prædictum pretium esset utilitatis potioris. Hac itaque compensatione utrique parti complacita, & à Domno Papa, & à reliquis omnibus laudata, jussu ejusdem Pontificis Odmundus Abbas, consentiente cuncta suorum fratrum caterva refutavit Ecclesiam Sancti Petri cum omnibus suis pertinentiis huic Monasterio Farfensi; & chartam, quam inde habebat, reddidit; & promisit, ut si aliquis umquam chartam inde paruerit, similiter reddat. Et si ipse cum suis Successoribus ita non observaverit, vel aliquam litem, vel requisitionem inde fecerit, componat huic Monasterio pro pœna XL. denariorum libras. Item Salomon filius Rainerii promisit, & obligavit se cum suis heredibus huic Monasterio, & Domno Berardo Abbati, suisque Successoribus, ut ab illa hora non esset in facto, neque in consilio, ut Monachos, vel Laicos de pertinentia Sanctæ Mariæ de Rancione, & qui sunt infra Comitatum Perusinum, & deinceps laborant, vel congregant super ipsas terras, quas nobis per chartulam idem Salomon dederat, nobis tollat, neque prædetur, neque devastet, neque consentiat, ut nos, vel illi perdamus de nostris bonis infra annum I. aliquid supra duos solidos; & si fuerit inquisitus à nobis, vel missis nostris, emendet per caput infra dies XXX. illi, cui factum fuerit. Et si pro anima sua aliquando terram vel vineam in aliqua Ecclesia dare voluerit, det in Ecclesia Sanctæ Mariæ in Rancione. Et si ita non observaverit unà cum heredibus suis, componat nobis solidos centum; & terram, quam in alia dederit Ecclesia, nostra habeat Ecclesia ad proprietatem sinè ulla calumnia. Similiter promisit, & obligavit se Petrus filius Bernardi cum suis heredibus. Item *Oderisius Comes filius Berardi Comitis*, & Berardus, & Oderisius filii Rainaldi unà cum uxoribus suis concesserunt & vendiderunt huic Monasterio, & Domno Berardo Abbati res suas, & Castellum in Ophiano, quod dicitur Montalianum, cujus medietas est de Monasterio Sancti Joannis in monte Sancti Joannis; & inde receperunt pretium libras centum. Medietatem autem supradicti Monasterii, & quod supervalet ipsa supradicta res, pro animabus suis, & parentum suorum in hoc Monasterio contulerunt. Quarum rerum fines sunt: de uno latere res *Comitum Marsicanorum*, & filiorum Arimanni; à secundo latere res filiorum Tebaldi, & filiorum Ottonis; à tertio latere Paganicum, quod est res filiorum Guidonis; à quarto latere rivus, qui venit à Cane mortuo, quomodo veniunt in rivum Sancti Martini, & res hujus Monasterii, & res filiorum *Senebaldi Comitis*. Item Henricus filius Boni-hominis concessit nonam partem de Castello Luculo, quod vocatur Tufus; & de Ecclesia Domini Salvatoris, & de Ecclesia Sancti Stephani sextam partem; & ad Roccam de Liutta tres Casales; & in territorio Marsorum alias res ad Sanctum Potitum cum portione de Ripa Fucini, & de Ecclesia Sancti Victorini sextam partem. Item Bernardus filius Bezonis concessit in hoc Monasterio quartam partem Ecclesiæ Sancti Laurentii de Sephi, ubi dicitur Sextianus. Item Octavianus filius Joannis concessit in hoc Monasterio res suas in Marzulano pertinentiæ de Caminata. Item Rusticus, & Ubertus filii Ingizonis concesserunt in hoc Monasterio pro anima Patris sui res suas in territorio Sabinensi, ubi dicitur Pustinianus. Item Joannes filius Hictonis refutavit in hoc Monasterio res positas in pertinentia Castellionis, ubi dicitur Aquaviva. Item Albertus filius Ægidii concessit in territorio Marsicano in Auretino, ubi dicitur Nolanus supra Sanctum Severinum modios X. & ad Gualdum modium I. & in Cantalupo quartaria II. & ad Molinarios, & in Orbentis modios IV. Item Aifredus filius Joannis, & Azo filius Berardi, & Bonuccius filius Joannis, concesserunt in hoc Monasterio res suas in supradicto Auretino, ubi dicitur Nolanus supra Sanctum Severinum modios X. Item Berta de Joanne Luponis concessit in hoc Monasterio, & in Sanctæ Mariæ, quæ est Romæ in therma Alexandrina, res suas foris pontem Salarium in Massa de Vestario Dominico, & unum petium vineæ. Item Tebaldus Joannes, & Cono filii Cononis concesserunt res suas in pertinentiis Cerreti mali ad Sanctam Cæciliam Casalem de Martino Presbytero modiorum CCC. cum portione suprascriptæ Sanctæ Cæciliæ. Item *Teudinus Comes* cum *Oria conjuge sua* concessit in hoc Monasterio res suas in territorio de Galliano, & in Valle super equum, & in ter-

territorio Marsicano cum portione de Ecclesia Sancti Martini, & de Ecclesia Sancti Benedicti in Galliano, & cum portione ipsius Castelli, & medietatem ipsius Palatii: quarum rerum fines sunt usque Transaquas cum portione piscariæ; & usque Oretino, & piscina, & Gorgianum, & flumen Calidum, & Busanum, & Cedeci, quomodo revertitur in priores fines. Item Bono filius Crescentii concessit in hoc Monasterio res suas de duobus Castellis, idest de Luco, & Catino, quarum fines sunt rivus Calentinus, & rivus Sancti Angeli, inde venientes in rivum Pedis de Fatuclo, & in viam publicam Cisternæ, descendentes in rivum Canalis, & in Bucciniarum, & in via publica, ab ipso Castello vadens in Limisanum, & Calentinum. Item filii Aifredi Presbyteri, & filii Guidonis cum consortibus suis concesserunt in hoc Monasterio res suas in Castaldatu Equino, ubi dicitur Bezanus ad aquam siccam, Ecclesiam Sanctæ Crucis, & Sancti Joannis Baptistæ, & Sancti Joannis Evangelistæ, & Sanctæ Margaritæ cum terris modiorum XXX. & prope ipsam Ecclesiam modios X., & in plaja ad Racaneta modios quinque, & inter vallem Acutianam, & collem Amponis, & ad Taurum de Bezano, & ad Scoplum Joannis Veneri modios XV. & ad Cambia de Manisis modium I. & ibidem modios XX. Item Raino filius Rainonis de Crescentio in hoc Monasterio res suas in Arnarum territorii Sabinensis. Item Carbonellus filius Seniorícti concessit in hoc Monasterio res suas territorii Sabinensis in Teruliano, & in pertinentia Tribuci modios XXXI. Item Joannes filius Morini concessit in hoc Monasterio res suas in Aquano territorii Sabinensis. Item Joannes Presbyter filius Martini concessit in hoc Monasterio res suas territorii Sabinensis in pertinentia de Furano ad Barilianum. Item Joannes filius Dodæ concessit in hoc Monasterio res suas in pertinentia de Catino ad Caminata. Item Petrus filius Saluni concessit in hoc Monasterio res suas de Vulpiniano ad Rufinianum. Item Oderisius filius Arnolfi cum Teeranda uxore sua concessit res suas de Gabiniano, & de Castello Terraniano. Item Benedictus Presbyter, & Joannes filius Nectonis cum consortibus suis concessit in hoc Monasterio res suas de Gabiniano in colle Sancti Simeonis, & in valle Pontiana territorii Sabinensis. Item Bonushomo filius Erimagni cum consortibus suis concessit Ecclesiam Sancti Ponti sub ipso Castello. Item Azo, Mancinus, & Crescentius filii Miviæ concesserunt in hoc Monasterio res suas in Sala territorii Sabinensis. Item Joannes Presbyter filius Hugonis concessit res suas ad Turricellam modiorum X. & in plage portionem suam usque in cacumen montis, & de Ecclesia Sancti Eleutherii. Item Rusticus de Anna commutavit huic Monasterio quasdam res in Saliano, pertinentiæ de Catino. Item Ratterius filius Ratterii concessit huic Monasterio res suas in Puzalia ad rivum Stercoriolum. Item Arduinus Presbyter filius Lettonis concessit huic Monasterio res suas in Castaldatu Equino ad Bezanum, & ad furum Campanum modiorum V. & ad Cerreta super Faze, & in valle Spinosa, & in Monisi modios III. Item Gregorius Judex Flagianensis cum aliis consortibus suis promiserunt huic Monasterio, & Domno Berardo Abbati ut in festivitate Sanctæ Mariæ, aut in ejus Octava, dent solidos VI. denariorum annualiter in hoc Monasterio, & de pretiis macinarum partium sex relaxent per unumquodque denarios XII. & si ita non observaverint cum heredibus suis, componant solidos LXX. Item Azolinus filius Azolini de Amiterno, concessit huic Monasterio res suas de prato ad Salettum.

Ipso tempore dum resideret in judicio *Domna Matilda Marchionissa* (47) in Castello Civitatis de Corgnito, vênit Domnus Berardus Abbas, & proclamavit de Ecclesia Sancti Petri juxta ipsum Castellum sita, & professus est, quia dudum acquisierat præceptum *Domni Alexandri Papæ* ab Abbate Sancti Cosmæ, & omne jus, quod Monasterio pertinere videbatur, in sæpe dicta Ecclesia Sancti Petri habere deberet. Tunc Domna Matilda propter Deum, & animæ suæ remedium, misit bannum suum super Domnum Berardum Abbatem, & Successores ejus, & super ipsam Ecclesiam Sancti Petri, atque illi pertinentes res, & Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Minione, ut nullus disvestire, vel aliquando molestare, aut inquietare præsumat hoc Monasterium. Item Berardus Presbyter filius Faidonis concessit huic Monasterio res suas in Castaldatu Pontano. Item Joannes filius Guidonis concessit huic Monasterio res suas in Bucciniano, & in monte de Canale modiorum IV. Item Berardus Presbyter filius Ilonis concessit res suas in Castaldatu Equino ad Manati, & ad Plajam, & alibi modiorum X. Item Aldo, & Paganellus cum consortibus suis concessit Monasterium Sancti Benedicti in Summati ad tres Casas. Item Benedictus Presbyter filius Theazæ concessit in Bariliano territorii Sabinensis modios XV. Item filii Letonis, & nepotes cum suis consortibus concesserunt Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Minione Ministerio Equino ad Saltum. Item Joannes filius Joannis concessit res in Ponzanillo territorii Sabinensis. Item Nicto filius Ingebaldi concessit res suas in Bucciniano sextariorum sex. Item Anastasius filius Joannis concessit in Agutianello, & in Agozano res suas modiorum XXVI. Item Petrus filius Terzonis commutavit quasdam res in pertinentia de Luco ad Calvinianum sextariorum novem. Item Stephanus filius Ottonis cum uxore sua Onorelda concessit in hoc Monasterio res suas in Ministerio Equino ad Maltinianum modiorum centum, & in Derarde ad vallem modios IV. Item Benedictus, & Odolinus, & Joannes filii Joannis concesserunt res suas de Aquiano territorii Sabinensis sextariorum VI. Item Petrus filius Pinzonis cum nepotibus, & consortibus suis refutavit in hoc Monasterio, & Domno Berardo Abbati omnem portionem de Castellis, & Ecclesiis, & rebus, quas Majo concessit huic Monasterio, ut adjuvent nos ad tenendum, & defendendum, & heredes de Nordo, & de Tebaldo non faciant contra omnes homines Castellum à Civitate Narnia usque in Botinum sinè hoc Monasterio; neque acquisitum de Castello infra suprascriptos fines sinè hoc Monasterio faciant. Insuper firmaverunt supradictum Abbatem, quòd non faciant nec finem, nec pacem cum Transarico, ac Rodulpho, nec cum heredibus de Flodoico sinè

(47) Scilicet Tusciae, quo jure Civitati quoque Cornetanae dominabatur:

sinè consensu Domni Abbatis, & Fratrum hujus Monasterii; & si omnia non observaverint, sicut supra scripta sunt, componant in hoc Monasterio auri optimi libras XX. Item Azo filius Adannonis concessit res suas in villa de Vico ad Casale modiorum III. & super ipsam viam modios II. & alibi modios quinque. Item Bonushomo filius Gervini concessit res suas in pertinentia Castelli de Tocco, quarum fines sunt flumen de Piscaria, & Mortulo, & Arullum, & rivum Diaboli, & Cantalupus, & Castellum Pedarca, & revertitur in priorem finem modiorum centum. Item Giso, & Guelto filii GualKerii cum consortibus concesserunt in integrum res suas; idest Ecclesiam Sancti Joannis Baptistæ, & Eugenii in Comitatu Balbensi super Equina, & valle Vennari, cujus fines sunt flumen Calidum, serra de Candida, Gorgianus, & Busanu, & revertitur in priores fines. Quæ omnia commutaverunt, & receperunt portionem de Ecclesia Sancti Benedicti, quam Teudinus concessit huic Monasterio. Item Bonus filius Franconis concessit res suas modiorum IX. ad Turricellam territorii Sabinensis. Item Benedicta uxor Beraldi de Bonifatio concessit Ecclesiam Sancti Joannis in pertinentia de Ginestra cum ipso Casale. Item Joannes filius Joannis concessit in Miliano, & Biliano, & Monte modios IV. territorii Sabinensis. Item Raino filius Petri Presbyter concessit terræ sextaria VI. in Zaviano territorii Sabinensis.

Anno autem Dominicæ Incarnat. MLXXXV. *Rainerius filius Girardi, & Guido filius Guidonis Comitis, & Rodilandus filius Roccionis Comitis* refutaverunt in manu Domni Berardi Abbatis quantum ipsi detinebant quocumque ingenio de bonis pertinentibus Ecclesiæ Sanctæ Mariæ in Minione, & omne jus, & malam consuetudinem, quam ipsi, aut sui homines fecerunt contra ipsam Ecclesiam, & Albergarias, & omnem violentiam, & devastationes, quas soliti erant facere in pertinentiis ejusdem Ecclesiæ, & quæcumque requisierant ab ipsa Ecclesia, ejusque Rectore, & Præposito. Similiter refutaverunt de locis, & finibus Viterbiensium, nostris Ecclesiis pertinentibus; & promiserunt, & obligaverunt se adversùs prædictum Domnum Abbatem, ut si de præfatis Ecclesiis, & quibuscumque bonis earum aliquam molestiam fecerint, ipsi vel hæredes, aut homines eorum singuli componant in hoc Monasterio pœnam argenti optimi libras centum. Pro quibus sponsionibus & obligationibus Domnus Berardus Abbas fecit eis meritum: idest ad Rainerium dedit anulum de auro unum, & ad præfatum Rodilandum spatam unam. Quæ omnia facta sunt prope (48) Urbem Romam juxta pusterulam ad Pertusam intus tentorium *Domni Henrici Regis*, præsentia Saxonis quondam Rainerii, Girardi quondam Gregorii, & Archiepiscopi Bremensis, & Episcopi Novariensis, & Episcopi Aureliensis, & Tertonensis, & reliquorum bonorum virorum. Item Baro Ferrarius filius Boni commutavit huic Monasterio quasdam res in Aquiano territorii Sabinensis. Item Hecto filius Marini concessit res suas in Arnaria modiorum VI. territorii Sabinensis. Item Benedictus Presbyter, & Joannes filius Joannis, & Rusticus filius Azonis concesserunt, & commutaverunt res suas in Atriano, qui vocatur Urbana, territorii Sabinensis. Item Teudinus filius Berardi concessit huic Monasterio, & Domno Berardo Abbati res suas & Castella, sive Podia in Comitatu Reatino, & Castaldatu Interocrino, scilicet, Castellum Lunianum, Aspram Podium Sancti Maximi, Canatrem, Sanctum Herasmum, quartam partem Janules, & quartam partem de Rocca Fundi: quorum fines sunt flumen Mellinum pergens in Arrianum, & in Vallem Tivam, & in Maclam de Verzano per cacumen montis Burguli; à secundo latere terra Sancti Quirici, & vadit in montem Curvum; à tertio latere Cornu Joseph; à quarto latere Rasinum, & venientes in Roccam Sintariscam, & in flumen Mellinum, quod est primum latus. Et Monasterium Sanctæ Crucis cum reliquis Ecclesiis. Item *Teudinus Comes filius Berardi Comitis* cum Zita genitrice sua, & Gaita uxore sua concessit res suas, idest medietatem Monasterii Sancti Laurentii in Prita, & medietatem de Castello Caput Pharphæ, & medietatem Cerreti mali, & medietatem Ecclesiarum, quæ illi pertinent, & medietatem de Podio Mojano, & medietatem de Rocca Salicis, & medietatem de Petra Dæmonum, & medietatem de Scandrilia cum Monasteriis, & omnibus Ecclesiis. Item Joannes Presbyter filius Joannis &c. Casam, & Casalinum in Stroncone, & quatuor petias terræ in Lejano, & fundo Criptæ, & fundo Marsicano, & in fundo Candiciano.

Eodem autem tempore Rusticus filius Crescentii agnoscens, se contra Deum, & Matrem ejus Virginem peccasse occasione litis, per quam plurima aliquanto tempore contra hoc Monasterium exercuerat pro Castello Pharæ, sito in hoc eminenti monte; timens etiam propter hæc perpetuam incurrere mortem, prædictum Castellum, quod injustè tenebat, cum suis diffinitis terminationibus; utrique parti placentibus, legaliter refutavit Anno ab Incarnatione Domini MLXXXIV. Pro quo commutationis nomine recepit ab hoc Monasterio, & à Domno Berardo Abbate, cui refutavit ipsum Castellum ad opus hujus Monasterii, Casalem de Pinco super Castellum Currense, & alterum Casalem cum medietate alterius Casalis in pertinentia de Phara ad Sanctam Mariam in Ciciliano. Domnus etiam Abbas promisit illi unum Casalem in Planis cum molendino juxta Currense. Finales autem termini Castelli Pharæ ab eodem Rustico laudati & positi isti sunt: Videlicet à Rigiana flumine ascendendo inter Pharam atque Tophiam usque in cacumen montis, & inde descendendo per Melleta, & Vallem Bezonis, & ad pedem Montis rotundi per pratarias Sanctæ Mariæ, usque in pascuolos; inde transit per pedem montis usque gualdum Sanctæ Mariæ de Sanctis; deinde in Viam Antiquam, à qua incipit ascensus, & post ascensum incipit descensus per Vallem Lupam usque in Crucem; inde per rimam, quæ Currus dicitur, usque in flumen Rianam. Et obligavit se, si contra hæc, quæ statuta & diffinita sunt, ipse aut heredes ejus removere voluerint, componant in hoc Monasterio pœnam auri optimi libras XXX. & definitio ista perpetuò remaneat stabilita. Item Carbuncellus filius Petri, & gener Landulfi, & Rusticus de Ramiano promiserunt

(48) Haec ergo acta fuere, ut conjicere possumus, Anno 1081. quo Henricus IV. inter Reges Romam obsidione pressit.

ferunt huic Monasterio, & Domno Berardo Abbati omni anno in festivitate *Sanctæ* Mariæ, aut in ejus Octava dare sex solidos denariorum, & de XII. partibus macinarii per singula paria duos solidos relaxare; & si ita non observaverint, componant in hoc Monasterio solidos centum. Item Azo filius Rainerii commutavit huic Monasterio res suas in Cesa veteri territorii Sabinensis modiorum IX. & sextariorum XX.

Domnus autem *Henricus adhuc Dei gratia Quartus Rex* in Civitate Reatina cùm juxta Ecclesiam *Sancti* Leopardi in judicio resideret, vênit ante eum Domnus Berardus Abbas, & proclamavit de quibusdam hominibus, qui sinè legali judicio abstulerant de jure & potestate hujus Monasterii Ecclesiam *Sancti* Leopardi, *Sanctæ* Agathes, *Sancti* Heliæ, *Sancti* Joannis in Asera, *Sancti* Joannis in Tazano, *Sancti* Clementis, *Sancti* Thomæ, *Sancti* Gregorii. Item Ecclesiam *Sanctæ* Agathes in Plage, & aqua de Mancione, usque in flumen Mellinum subtus portam Interocrinam cum sola terra de Brutesca, & terram de Parrara cum molino uno. De quibus omnibus ostendit legalia monimina, & instrumenta chartarum. Tunc benignissimus Rex, quia proclamati ad placitum, qui ipsas res contendebant, noluerunt venire ad justitiam faciendam, jussit investiri prædictum Berardum Abbatem de omnibus supradictis Ecclesiis, & rebus; & misit bannum suum, ut si quis hoc Monasterium inquietare, aut molestare, aut disvestire de eis præsumserit sinè legali judicio, componat auri optimi libras centum. Item Berardus filius Adæ concessit huic Monasterio res suas modii unius in Antiquo territorio Sabinensi. Item *Teudinus Comes filius Randuisi Comitis* concessit huic Monasterio, & in Ecclesia Sancti Joannis de Valle super Equina, & in Villa Vennari, hoc est omne servitium, quod ei pertinebat de hominibus Villæ, quæ vocatur Onuphula. Item *Transmundus Comes filius Attonis* concessit infra Comitatum Pinnensem, Castellum de Casajo, Castellum de Preterole, Castellum de Atri cum Ecclesiis, & pertinentiis omnibus, quæ sunt modiorum X. millium, habentes fines à capite terra Sancti Vincentii; à pede, & uno latere terra Sancti Joannis; de alio latere flumen Gomanum cum aqua sua. Item *Teudinus Comes filius Randuisi* identidem *Comitis* concessit huic Monasterio, & in Ecclesia Sancti Joannis de Comitatu Balbensi, unum molinum ad Aquam vivam. Item *Cencius filius Taibrandi* concessit de Castro Muscini octavam portionem, & de Castello Oliveti octavam, & de Castello Tanciæ, & Monte nigro, & de terris infra territorium Sabinense, & Comitatum Reatinum, & suam portionem de Ecclesia Sanctæ Mariæ in Lupicinis ad Vallem de Nilo, & de Ecclesia Sancti Andreæ ad Pacum territorii Sabinensis; & Sancti Martini, & Sancti Petri in Carsule. Harum omnium rerum fines sunt à primo latere pons Reatinus; à secundo Via Romana; à tertio flumen Pharpha; à quarto Bibuli de Tancia. Et alias res in territorio Reatino, & Asculano: à primo latere Clarinum montis de Sino, & piscaria, de Cose, & mons de Laci, qui pergit per serram, & petram de Alegie, & vadit à pane Batergio ad vadum de Otulo, infra quos fines concessit de Castro Garda quartam portionem, & de Castello Rivo, & de Furcella. Item *Transmundus filius Gisonis* concessit de Bibario suam portionem ex toto ipso Castello. Item *Herbeus filius Todini* concessit suam portionem de Castello Petra Dæmonum, & de Scandrilia, & de Cerreto malo, & de Castello Sancti Angeli, idest Caput Pharphæ, & de Ecclesia Sancti Salvatoris in Scandrilia, & Sanctæ Crucis, & Sancti Joannis. Harum autem omnium rerum fines sunt: à primo latere Cripta Fornicaria, pergentes in Roccam Senebaldi in Tarano, & inde in Puzalia, & in Canem mortuum, & in Porcili, & in Maclam Felcosam, & in montem Aureum, & in Ponticellum, & in Vicumnovum, & in Prassum, & in rivum Nigrum, & in suprascriptam Fornicariam.

Item *Saxo Comes filius Raimerii Comitis* ex præcepto & judicio ejusdem patris sui concessit medietatem Civitatis Vetulæ cum Ecclesiis, & Monasteriis, exceptâ Ecclesiâ Sancti Silvestri. Post hæc cupiditate deceptus huic chartulæ contradixit, & easdem res vi retinere cœpit. Qua de re inter Domnum Abbatem, & eumdem Saxonem orta est intentio, & ante præsentiam *Imperatoris Henrici* hujus litis prolata est disceptatio. Sed assensu Imperiali, & multorum prudentum consilio, acta est inter eos amicabilis compositio, qua refutavit huic Monasterio, & Domno Berardo Abbati totam ipsam medietatem prænominatæ Civitatis, cum omni usufructu, & Ecclesiis illius, & obligavit se, suosque heredes, ut si contra hoc aliquando egerint, componant libras centum denariorum Papiensium.

Domnus autem *Henricus Serenissimus Rex* concessit huic Monasterio Campum in Kinzica, (49) qui fuit antea vinea domnicata Regis; & sunt Cassinæ, & horti; unum caput cum uno latere tenens in viam publicam; ad alium campum in terra Arsi de Paulo, & aliud latus in fluvio Arno. Secundum petium terræ, & ad Revolta unum caput tenens in via publica, & latus in terram Landulfi. Aliud latus in terram Bellonis, quod est ad justam mensuram sextaria sex. Tertium petium est in Patignano, quod vocatur Plage, unum caput tenens in via publica, uno latere in terram, quam sibi reservavit ad latus in terram Rainaldi: & est ad justum sextarium modii II. Quartum petium est in Gonfo, unum caput cum uno latere, tenens in terram, quæ fuit silva, quam ibi reservavit ad caput cum alio latere, quod est modiorum XIV.

Anno autem Dominicæ Incarnat. MLXXXII. Indictione V. Epacta XVIII. concurrente V. Feria mensis Martii die XVII. prima videlicet hebdomada Quadragesimæ, tertia hora diei, *Domnus Henricus Quartus gloriosus Rex, à Deoque coronatus piissimus Augustus Imperator Tertius* ad hoc Pharphense devotissimè veniens Cœnobium, à cunctis Fratribus nobilissimè, valdeque honorificè, & amantissimè susceptus est nimis; qui ante ab omnibus fuerat desideratus. Cum quibus pacificè locutus, coram omnibus Abbatem nostrum venerandum Domnum Berardum de Castro Pharæ, & de omnibus istius Monasterii rebus, quocumque tempore legaliter acquisitis, & à quibuscumque injustè aliquando inimicis Sanctæ Ecclesiæ invasi

(49) Nempe Pisis. In Annal. Pisanis mentio occurrit Kinzicae combustae.

vasis, & contra rationem retentis, investivit, cunctaque bona sibi pertinentia præfati Monasterii illi se restituere spopondit, & velut propriæ Regalisque Cameræ jus in omnibus se defendere promisit. Cùm verò à cunctis Senioribus, & Fratribus benignissimè in societatem, atque fraternitatem (50) perpetuæ orationis, devoto pacis osculo fuisset susceptus, & nomen illius, vel quorumdam fidelium suorum in Libro Commemoratorio foret adscriptum, statim direxit exercitum suum contra prædictum Pharæ Castrum, à quo ejecto expulsoque Rustico, Crescentii quondam filio, qui eum injustè possidebat, ipso die restituit hujus Monasterii regimini & potestati, ad perpetuitatem perpetui juris. Quo facto Romam perrexit, eamque paulo post quoquo pacto capiens, ejus nobiliores majoresque Cives muneribus, vel vi subjugavit sibi, cùm adhuc *Gregorius Papa VII.* in præsidio Castelli Sancti Angeli tueretur.

Henrici inter Reges Quarti, inter Augustos Tertii Diploma, quo jura omnia ac Privilegia Farfensi Cœnobio confirmat & auget Anno 1084.

„ Henricus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Cùm petitionibus servorum Dei rationabilibus divini cultus amore favemus, & his opportuna beneficia largimur, præmium æternæ remunerationis rependi non diffidimus. Quocirca omnium Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque fidelium, præsentium videlicet, ac futurorum comperiat solertia, qualiter Berardus venerabilis Abbas Monasterii Sanctæ Dei Genitricis semper Virginis Mariæ, quod in Ducatu Spoletino situm est, & in Comitatu Sabinensi constructum in loco, qui dicitur Acutianus, nostram adiens præsentiam, ostendit nobis nostrorum Antecessorum, Regum, vel Imperatorum præcepta eidem Monasterio facta, aureis sigillis bullata scilicet Caroli Imperatoris Ludovici, & Lotharii, nec non & Ludovici alterius, in quibus continebatur, quomodo ipsi, & Antecessores eorum Liutprandus, scilicet ac Rathgisius, Haistulphus, Desiderius, Longobardorum Reges, nec non & Imperatorum parentum nostrorum, scilicet Chuonradi Avi nostri, & bonæ memoriæ patris nostri Henrici prædictum Monasterium, propter divinum amorem, & reverentiam Sanctæ Dei Genitricis semper Virginis Mariæ Dominæ nostræ, sub sua semper tuitione tenuissent. Ob firmitatem tamen rei postulavit prædictus Abbas, ut eorumdem Imperatorum præcepta nostra auctoritate confirmaremus, & immunitatis præceptum suo Monasterio dare juberemus. Nos verò ejus justis postulationibus assentientes, confirmamus eidem Monasterio quicquid futuris temporibus per instrumenta chartarum vindicare contigerit, prout justè & legaliter possumus. Videlicet quæcumque habere videtur in territorio Sabinensi: idest Ecclesiam Sancti Benedicti cum omnibus suis pertinentiis, & Castellum de Arci cum tota integritate sua, & Castellum nomine Tribucum in integrum; & alveum Pharphæ totum in integrum; Ecclesiam Sancti Angeli in Tancia cum gualdo, & omnibus suis pertinentiis; sicuti Hildebrandus Dux per sua confirmavit præcepta. Castellum de Bucciniano totum in integrum Castrum Pharphæ cum totis subjacentiis sibi pertinentibus Castelli, quod vocatur Caput Pharphæ, & Sancti Angeli cognomine, & Castelli Cerreti mali, & Scandriliæ, & Petræ Dæmonum, & Roccæ Salicis istorum quinque totam medietatem, cum Podii Majani medietate, & toto gualdo ejus. Castellum Vulpinianum; Castellum de Marciliano; Castellum de Terraniano; Podium de Catino; Castellum de Cusi; & Castellum de Furano; Curtem de Lori; Ecclesiam Sanctæ Helenæ. In civitate Ortana Ecclesiam Sancti Theodori; in Viterbio Ecclesiam Sanctæ Mariæ, Ecclesiam Sancti Valentini in Burgo; in territorio Tuscano, Cellam Sanctæ Mariæ in Minione cum gualdo, & monte Garberti, & Ripa Albella, & marino portu; Ecclesiam Sancti Laurentii .... flumine; Ecclesiam Sanctæ Severæ; medietatem civitatis Vetulæ, & portus, quem dedit Rainerius Comes filius Saxonis Comitis pro remedio animæ suæ prædicto Cœnobio Sanctæ Mariæ, & qui filius ejus Saxo ante præsentiam nostram refutavit, & per chartam ipsi Monasterio confirmavit irrevocabili sua & heredum suorum sub centum librarum denariorum pœna Papiensium. Ecclesiam Sancti Petri extra muros Civitatis Cornetanæ, & quicquid infra ipsam Civitatem vel foris habere videtur. Ecclesiam Sancti Peregrini, Ecclesiam Sancti Angeli sub Ripa in Comitatu Senensi; Curtem Leoninam in Comitatu Narniensi; Monasterium Sancti Angeli, & Collem Sancti Antimi, & Sanctæ Mariæ, & Sancti Joannis infra Civitatem Interamnensem; Ecclesiam Sancti Salvatoris, & Sancti Siri, Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Mediano cum medietate ipsius Castelli in Comitatu Perusino; Cellam Sanctæ Mariæ in Diruta in Comitatu Assisio; Ecclesiam Sancti Bartholomæi, & Sancti Joannis in Satriano, & Sancti Benedicti. In Comitatu Spoletino Ecclesiam Sancti Marci, & Sancti Salvatoris, & Sancti Pauli, & Sancti Martini. In Comitatu Ausimano Curtem de monte Polisco. In Comitatu Senogalliensi Curtem de Luzano. In Comitatu Camerino Curtem de Sala bona, & de Trevenano, & de Sancti Abundii, & Sancti Viti; & in Castello Petroso Curtem Sanctæ Antiæ; & de Castello Albocavallo duas partes, sicut Octavianus per chartas in ipso Monasterio dedit. In Comitatu Firmano Monasterium Sanctæ Mariæ, & Sanctæ Victoriæ, quod positum est in Mantenano monte, cum Castellis, Cellis, Villis; & Curtem de Plotersano cum Castello; Curtem de Curestano cum Castello; Sanctam Mariam in Casule cum Castello de Area antiqua. Et Castellum de Tariano, & portionem de Morta; Castellum de Aganello cum molendinis; Sanctam Mariam in Strata; Sanctam Mariam in Pontana; Sanctam Mariam in Clenti, cum Castellis, & Ecclesiis, & molendinis, & aquam de-

(50) Mos iste recipiendi in fraternitatem ac participationem, ut ajunt, orationum, inter Monachos invaluit longe ante hæc tempora scilicet ante Annum 1082. quo Henricus IV. Farfam se contulit.

„ deducere, ubi necesse fuerit. Item contra „ flumen Clentis Curtem Sancti Silvestri intra Civitatem Firmanam; & alibi Curtem „ Sancti Sabini, & Curtem, quæ vocatur in „ Prætorio cum omnibus suis pertinentiis; „ Curtem Sancti Martini cum medietate Collis Bonelli, & medietatem de Morra, & „ quartam partem ex alio. Et Castellum de „ Cubeta, & portionem de Rose. Et Curtem de Moliano, in qua est Ecclesia Sanctæ Victoriæ; & portionem de Insula de „ Verano. In Troliano, terras, ac vineas „ cum litore maris, & portu; & medietatem „ Castelli de monte Alberti; Curtem de filiis „ Rodsimundi cum Castello, & Ecclesiis; „ Curtem de Talasano; & medietatem Castelli de Lurotu. Monasterium Sancti Salvatoris in Cantalupo, & Sancti Benedicti „ de Ripa. In Comitatu Asculano juxta flumen Asum Monasterium Sancti Salvatoris „ cum Castello Furciæ, Calliano, & Cimbriano; Castrum Ophidæ, Iscelam, Beneventulum, Sanctum Valentinum, Montem „ Aguscanum, Insulam Sancti Helisei, medietatem de Porche. Quintam partem de „ Ripa, Contenanum, Asinanum, Montem „ Cosi, Spinetulum, Avilanum, Dullianum; „ medietatem podii Sancti Emindii, Castellum de Curru, Monasterium Sancti Laurentii in Polesio cum Castello Rotello. „ Octavam partem Postmontis, Collem Marii, Podium, Montem Prandonis, Montem „ Cretaceum, Scurcula, medietatem de foce „ de Tronto, Curtem de Mozano Sessu pesile. In Comitatu Aprutiensi Curtem de Motiano, Curtem de Surnaria, Ecclesiam S. Petri in Pedoniano. In Comitatu Pinnensi Curtem, quæ dicitur in monte Peditto, cum Castello ibi ædificato; Curtem aliam prope se; „ Curtem Sanctæ Mariæ in Catilini; Curtem „ Sanctæ Luciæ in Ciciliano; Ecclesiam Sancti „ Clementis, & Sancti Heliæ; In Comitatu „ Teatino Monasterium Sancti Stephani, quod „ ponitur in Lucania, & Pharam filiorum „ Guarnesii. Et podium Hortonellæ, Sanctum „ Clementem sicut Attus Comes per concambium pro portione de Atissa dedit. In Comitatu Balbensi Curtem Sanctæ Mariæ in „ Griano, & Sancti Angeli, & Sancti Laurentii, & Sancti Joannis, & Sarzano, & „ Ecclesiam Sancti Peregrini, & Sanctam „ Mariam in Forsone, & Sanctam Mariam „ in Sarzana in Samnii partibus super Vulturnum flumen; Monasterium Sancti Vincentii (51) cum Castellis, & omnibus suis „ pertinentiis, quod Sanctus Thomas Pharphensi Monasterio à Duce Gisulfo per præceptum acquisivit; In Comitatu Marsicano „ Curtem Sancti Leucii, & Curtem de Transaquas, & Sanctæ Mariæ in Apinianici, & „ Curtem Sancti Adriani. In Amiternensi „ Castellum, quod vocatur Prætorium, Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Loriano cum servis, & ancillis suis. Curtem de Castello „ Colle Monte cum Ecclesia Sanctæ Mariæ in „ Casali; Curtem de Vallantis, Ecclesiam „ Sancti Salvatoris, & Sancti Sebastiani, „ Curtem Sancti Martini. Monasterium puellarum Sancti Georgii; & Ecclesiam Sancti „ Michaëlis Archangeli; & Ecclesiam Sancti „ Jacobi, & Sancti Georgii, & aquam de „ Manicone; Ecclesiam Sancti Salvatoris cum „ terra de Acupieta; & Ecclesiam Sancti Leopardi, & Sancti Gregorii, & Sanctæ Agathæ, & Sancti Heliæ, & Sancti Joannis; „ Ecclesiam in Asera, & Ecclesiam alteram „ Sancti Joannis in Tazano; & Ecclesiam Sancti Justini; Castellum, quod vocatur Lunianum, & Asprum, & Podium Sancti Maximi. Item Ecclesiam Sancti Petri in Pinsile. „ In Interocrino territorio Curtem Canate; in „ territorio Carzulano Ecclesiam Sancti Vincentii, & Sancti Thomæ Apostoli; Castrum Vetus de Ophiano; & Castellum de „ monte Liano; & Monasterium Sancti Joannis; Ecclesiam Sanctæ Agnetis; Curtem de „ Territa, & Narnate in Tore; Curtem Sanctæ Mariæ in Corneto. In Civitate Tiburtina Ecclesiam Sanctæ Mariæ cognomento „ Sancti Adriani. In Urbe Roma Cellam „ Sanctæ Mariæ, & Ecclesiam Sancti Benedicti in loco, qui dicitur Scorticlarii; Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Formello, quam „ Leo IX. Papa misericorditer contulit. In „ territorio Collinensi Ecclesiam Sancti Andreæ, & Ecclesiam Sancti Blasii, & Sancti „ Sebastiani, & Sanctæ Mariæ juxta Castellum extra portam; Ecclesiam Sanctæ Justinæ, & Ecclesiam Sanctæ Christinæ; In Pisia Civitate Ecclesiam Sancti Petri, & alibi „ Ecclesiam Sancti Thomæ. Insuper & per „ istud nostrum præceptum confirmamus terram Sanctæ Mariæ, juxta Pisiam petiam I. „ in loco, ubi dicitur *à la Revoluta*; aliam „ petiam juxta flumen Arnum, ubi dicitur „ Plaja de Plutiniano, & in Gompho terram modiorum XXIV. In territorio Reatino Repastum Castrum; in Comitatu Firmano Curtem Sancti Salvatoris sub muro Civitatis Firmanæ, & Curtem Sancti Gervasii, & Curtem Sancti Sigismundi, & terram de Paratinis; Curtem Sancti Angeli de „ Villa magna; Curtem Sancti Desiderii; & „ Curtem de Cupresseto; & Curtem Sancti „ Angeli in Niviano; & Curtem Sancti Venantii; & Curtem de Columelli; & Curtem Sanctæ Felicitatis; terram de Raviliano, & Curtem Sancti Venantii, & de Solario, „ & Curtem Sanctæ Mariæ in Motiano, & „ Curtem de Caminatis in loco, qui vocatur „ Murrum; Curtem de Brezzano in loco, qui „ vocatur Serranianus; Castellum filiorum „ Guinizonis; Curtem Sanctæ Mariæ Matris „ Domini; Curtem Sancti Maroti; & Curtem de Valle; Curtem Sanctæ Mariæ in „ Ortatiano; & Curtem Sancti Salvatoris in „ Memoriis; Curtem de Blotenano; Curtem „ Sancti Antimi; & Curtem de monte Falcone, & Curtem Sanctæ Mariæ in Murra; „ Curtem Sancti Angeli inter duas terras; & „ aliam Curtem Sancti Angeli in Murgiano; „ Curtem Sancti Angeli in Antiano. Item „ Curtem de Monasterio Lumerto cum Ecclesiis duabus, idest Sanctæ Mariæ, & Sancti „ Benedicti cum omnibus earum pertinentiis. Hæc autem supradicta omnia, quæ ad „ prædictum Monasterium pertinere videntur, „ seu & in futurum ab aliis hominibus justè „ & legaliter ei acciderint, nec non & ea, „ quæ injustè ab aliquibus possidentur, aut „ in

(51) Vide infra hoc idem repetitum Anno 1118. in Diplomate Henrici V. Augusti. Numquam antea Farfenses Monachi hoc impetrarant, & ne forte quidem quaesierant, ut sibi jus asserent in eximium Vulturnense Coenobium.

„ in Urbe Roma, vel in ceteris totius Regni „ nostri Italici partibus habere dignoscitur, „ per hoc nostrum præceptum eidem sancto „ loco confirmamus, & per bannum, & per „ jussionem nostram, nostrorumque Antecessorum Regum, vel Imperatorum auctoritate, unà cum terris, vineis, Monasteriis sibi „ subjectis, Ecclesiis, Castellis, Curtibus, „ domibus, villis, Capellis, aquis, aquarum „ decursibus, piscationibus, molendinis, mercatis, cultis, vel incultis, colonis, Aldiis, „ Aldiabus, manentibus, omnibusque supra „ terram ipsius Monasterii residentibus, Servis, „ Ancillis, omnique familia utriusque sexus, „ cunctisque animalibus. Atque pro Dei amore, nostræque animæ salute eidem Monasterio ministrantibus perdonamus, ut nullus „ eorum, aut suorum hominum deinceps freda, seu tributa undecumque exigenda, aut „ mansiones, vel paratas faciendas, vel fideijussores tollendos, aut homines ejusdem Monasterii tam ingenuos, quàm servos, libellarios, sive Clericos, vel Chartularios, aut „ offertos, omnesque sub ditione hujus Monasterii commanentes, distringendos, vel ad „ publicas excubias compellendos, aut ullas „ redhibitiones, aut quaslibet occasiones requirendas, nostris vel futuri temporis diebus, ingredi audeat, aut in aliquo loco det „ portonaticum, aut ripaticum, aut glandaticum, vel herbaticum, vel pontonaticum, „ tam de Monachis, quàm de Monachabus, „ quàm Clericis, quàm de omnibus supra terras eorum residentibus. Confirmamus eidem „ Monasterio privilegia Romanorum Pontificum Adriani, & Pauli, & eorum Successorum, simul cum omnibus rebus sibi collatis „ à diversis hominibus, commutationes, donationes, seu & omnia, quæ per instrumenta chartarum, ut diximus, illi largita, aut „ largienda sunt Monasterio, cum omnibus „ suis pertinentiis. De teloneis verò mercatorum, & pontium, Decimas ad portam Monasterii dare jubemus. Præcipientes ergo „ jubemus, ut nullus Archiepiscopus, Episcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, „ vel aliquis Missus noster discurrens, Sculdasius, Castaldius, nullaque Imperii nostri „ magna parvaque persona, prædicti Monasterii Abbatem, vel Monachos, seu aliquem „ fidelem inquietare, molestare, aut de his, „ quæ suprascripta sunt, sinè legali judicio „ disvestire præsumat, aut aliquam minorationem facere tentet. Unde monemus fidelitatem vestram, ut cùm jam fatus Abbas, vel „ Monachi, aut Advocatus ejusdem Monasterii in vestra ministeria justitias requirendas „ venerit, Duces, seu Comites, qui pro tempore fuerint, in quorum Ducatu vel Comitatu præfatum Cœnobium aliquid possidere „ dignoscitur, defensores, atque adjutores „ existant in omnibus, tam præfato Abbati, „ quàm Successoribus ejus, ut nullius potestatis personam vim aut invasionem aliam inferre permittant in his, quæ ad memoratam „ Ecclesiam pertinent. Et nullus ausus sit recipere sub sua jussione, aut tuitione ejusdem „ Monasterii fugitivos, vel malo animo discedentes. Precarias verò, & commutationes injustè factas, vel injustè acquisitas, volumus irritas, & absque pœna obligationis „ solutas. Offertosque prædicti Monasterii nolumus in seculo vagari; sed ubicumque inventi fuerint, liceat Abbati, qui pro tempore fuerit, vel etiam Monachis ad Monasterium revocare; & si opus fuerit, Dux, „ aut Comes ejusdem temporis eos ad Monasterium reverti faciant. Si verò de qualibet „ causa à parte ipsius Monasterii orta fuerit „ intentio, non per viles personas, sed per „ nobiliores homines, & veraciores, sicut ad „ præsentiam nostram, rei veritas inquiratur, „ & finiatur. Nulla denique mallatura ab Advocato ipsius Monasterii penitus requiratur, „ nec etiam bannus noster pro qualibet causa „ à parte memorati Monasterii aliquando „ exigatur; sed liceat Abbati, & Successoribus ejus, res & possessiones jam dicti Monasterii sub immunitatis atque tuitionis ordine possidere. Et si fodrum, vel aliquid „ de ejusdem Monasterii possessionibus Fiscus „ noster sperare potuerit, totum pro æternæ „ remunerationis præmio ipsi Monasterio concedimus in alimoniam pauperum, & stipendia Monachorum ibidem Deo militantium, „ ut nostris, futurisque temporibus proficiat „ in augmentis, quatenus memoratos Dei servos liberiùs pro nobis, & stabilitate nostri „ Imperii, Domini clementiam exorare delectet. Et quandocumque Abbas ejusdem „ Monasterii de hac luce migraverit, ipsis inter se Monachis unanimiter consentientibus, „ secundùm regulam Sancti Benedicti, sicut „ eorum edocet ordo, & rectum est, quem „ digniorem sibi invenerint licentiam habeant „ eligendi Abbatem. Si quis igitur hujus nostræ confirmationis præcepti quandoque violator extiterit, vel quidpiam eorum, quæ „ fieri prohibuimus, contra prænominatum „ Monasterium facere tentaverit, sciat se secundùm constitutionem Domini, & Genitoris nostri Henrici Imperatoris Augusti, aliorumque Imperatorum, qui hujus Monasterii „ roboraverunt præcepta, & per hanc nostram præceptionem mille libras auri purissimi esse compositurum, medietatem Cameræ „ nostræ, & medietatem prædicto Monasterio, „ ipsumque regentibus. Datum anno Dominicæ Incarnationis MLXXXIV. Anno autem Domni Henrici IV. Regis Tertii Romanorum Imperatoris Augusti Ordinationis „ XXX. Regni XXVIII. Imperii Primo.

Cùm autem idem *Henricus Imperator* in Burgo Sancti Valentini maneret, audiretque pro certo ipsam Ecclesiam huic Monasterio pertinere, eo jubente, *Rainerius Vercellensis Episcopus* per ostium, & clavem investivit Domnum Berardum Abbatem de ipsa Ecclesia Sancti Valentini ad proprietatem hujus Monasterii, sicut continetur in præcepto *Imperatoris Majoris Ottonis*, & bannum suum misit librarum centum optimi auri. Quod factum est Anno primo Pontificatus Domni *Clementis* (52) *III. Papæ* die XXIV. mensis Maji.

Item Gonzo filius Abundii concessit huic Monasterio res suas in Castaldatu Pontano ad Vepia cum portione ipsius Ecclesiæ Sancti Euticii. Item Rainerius filius Attonis concessit res suas in Comitatu Narniensi in fundo Longria ad Butum. Item Dominicus, qui vocatur Mincius filius Donati, qui vocatur Picinellus concessit Ecclesiam Sancti Martini infra Civitatem

(52) Immo Antipapae. Notae Chronicae Annum 1084. indicant.

tatem Perusinam in regione, quæ vocatur Porta Sancti Petri in loco Fortuno, cujus fines sunt: à duabus partibus via Antiqua; à tertio similiter, & res de Baruncio; à quarto latere casa sua, & casalinum, quod similiter dedit cum suo ædificio. A primo latere ipsa Ecclesia, & platea, vel via juxta ipsam Ecclesiam; à secundo via Antiqua; à tertio Casa Furconis Castaldi; à quarto Baruncii. Et aliam casam ibidem, & alterum casalinum ibidem, & terræ petias II. ad Puplitum, & Puscille, & rivum Coloniæ. Item Petrus de Berardo Stephani concessit res suas in Massa de Formello. Item Sabinus filius Annæ concessit res suas in Comitatu Narniensi in fundo Petra-montana ad Petrarum, & in fundo Calcaja petias IV. modiorum III. Item Guinelo filius Burelli cum consortibus suis concessit res suas in pertinentiis de Cantalupo. Item Petrus Presbyter filius Franconis concessit casam, & casalinum in Castello Torritulo, quod vocatur Collisciputi, & duas partes de casa, & casalino infra Civitatem Narniensem in valle Marcellina in regione Sancti Andreæ, & duas partes unius petiæ in fundo Torritulo, qui vocatur Collis Cipuli, & de valle Ansefredæ petiam I. & de petiolo duas partes, & de fundo Striano, & de fundo Monte Aureo, & Ecclesiam Sanctæ Mariæ, & duas partes de ipso vocabulo, & in fundo Sacano, & in fundo Leciolæ, & de fundo Monte Aureo usque in cacumen montium, & de fundo Pilionum, & de fundo Strionum petias duas, & de fundo Prato, & de fundo Tabernule, & de Cerqueto Azano, & de fundo Petrilegolo. Item Dominicus, & Albericus, & Atto Monachi filii Gisonis dederunt portionem suam de Castello Malta, & de Captiano, & de Ecclesiis eorum, & in Villa de Orta portionem Ecclesiæ Sanctæ Mariæ in Campo Matini, & in Cocina, & in Boriano, & in Flavegnano, & in Capitella, & in Potiano, & in Pingia, & in Capiliano, & in Casciano, & in Morro, & in Mateniano, & in Breliano, & in Colliclo: quæ sunt per mensuram duo millia, cum portione Ecclesiarum, & podiorum, aliarumque rerum. Item Tasso filius Donadei concessit duas portiones de Castello Leonis, & de Turricella, quarum fines sunt: à primo latere terra de Camponiscis; à secundo pertinentia Roccæ Sinibaldi; à tertio res Bernarii, venientes in rivum Sanctæ Victoriæ, & pertinentiam Castelli Caput-Pharphæ; à quarto latere res Tedemarii Gizonis. Item Doda uxor Crescentii concessit res suas subtus Castellum de Luco, & in rivo Cavallo territorii Sabinensis modiorum X. Item Giso, Pullo, Arzo, & Bonus homo filii Hilperini concessit res suas, & Castella, idest Trebule, Castellum de Hilperino, Castellum de Ginestra, podium de Pizo, podium de Caudamoza, & Castellum de Hugo, quorum fines sunt: à primo latere Guidonisci; à secundo heredes Sinibaldi Comitis; à tertio heredes Farolfi; à quarto res hujus Monasterii. Item Cencius filius Benefacti concessit res suas in territorio Sabinensi ad gualdum de Cerro, & ad gualdum de Scrufula, & in Casarine, & in plano de Marciliano, & in Collibus: quæ sunt modiola CVI. Item Egdo filius Asterii concessit res suas in Castaldatu Equino ad Maltinianum, & in Stagnum. Item Azolinus & Anscaldus filius ejus concesserunt res suas in Septiniano territorii Sabinensis. Item Benedicta filia Joannis concessit res suas in Bacciano, & in monte de Ota. Item Rainerius, & Leto filius Martini concesserunt res suas in Comitatu Perusino pertinentia Dirutæ ad collem de Fanfaluca. Item Joannes Presbyter filius Erisii concessit portionem suam de Castello Traniano, & de ejus pertinentiæ omnibus rebus.

Hactenus concessiones editas huic Monasterio temporibus Domni Berardi I. Abbatis narravimus. Nunc ejus largitiones inferamus. Itaque Domnus Berardus I. Abbas concessit in monte Aureo quasdam res pretio solidorum XX. In Cornazano, & in Agello, & in Molgia de Sancto Donato res modiorum XXVII. & sextarii I. pretio solidorum centum argenti ad pensionem grani modia II. & dimidium; de investitu modia II. & dimidium ad modium hujus Monasterii modiorum III. de olivis medietatem. In Longitio ad Sanctum Gordianum res quasdam, & medietatem quartæ ipsius Ecclesiæ pretio solidorum XX. In Miana, & in Baniolo, & in Corolliano, & ad Sanctum Donatum, & in Cornazano, res modiorum XXVII. & sestarii unius pretio argenti librarum V. In Turano res modiorum X. pretio solidorum XXVI. ad pensionem grani modium I. de investitu modium I. & denario XII. In Loriniano pretio solidorum VI. ad pensionem musti mundi justas laguenas IV. In Terturanum, & Vulpinianum modios V. & sextaria XI. pretio solidorum XXX. In Tribiliano, & Turano, & Laniano ad tres Virgines, & monte Opulo. & Urbana, & Aquaviva, & Petiolo, & Civitella, & Petrelano, & Furcata modios CXLIV. & de silva in Triliano, & Verrucule, & monte Opulo modios XX. Pro his rebus refutatæ sunt aliæ res in hoc Monasterio in Salisano, & monte de Ota, & Tancia, & Grassiano, & monte de Cesa, in pertinentia Castelli Terraniani.

Ab Incarnatione autem Domini MLIII. præfatus Domnus Berardus Abbas concessit Castellum Marcilianum in integrum cum ipsa Ecclesia à Rivulo Calentino, & à loco, qui dicitur Salita sicut vadit per ipsam viam à capite Silvæ, & venit in Vallem Crescentii Sabinensis, & in rigum Tortum pretio librarum centum. In Agello ad quartam reddendum, & operas faciendas, & de musto mundo tertiam partem, & xenia pretio solidorum XX. & ad petram Aldonis, & ad fontanam Cuculi, & ad Gorgam, & unam canapineam in Moricello pro solidis XX. De Ecclesia Sancti Valentini, & de ipso Casale, & de molino similiter pro solidis L. ad Calcaram modios III. & sextaria IX. pro solidis XL. In Montorio à foris ædificio Castelli, medietatem in integrum pro solidis CLX. Item Casalem Capuani, concessit pro libris X. exceptâ Ecclesiâ Sancti Heliæ. Quidam verò Giraldus filius Beraldi refutavit in hoc Monasterio sortem suam de Castello Salisano, & ejus pertinentiis. Domnus autem Berardus Abbas concessit molinum in fluvio Riana juxta aquæmolum Sancti Martini pro solidis VII. In Ciciniano res, & clausuram; & in Cornazano modios XXVII. & sextaria II. & ad quartam reddendam, & de omnibus, & de olivis pro pretio librarum VI. In vocabulo Sileta aliam clausuram concessit pro libris IV. ad pensionem grani modium I. de investitu modium I. musti mundi laguenas X. justas, & operas tres.

Ab Incarnatione Domini anno MLV. Alberi-

bericus filius Gualabruni donavit in hoc Monasterio res suas. De Terraniano à via publica, quæ dicitur Crucetum, venientes in limitem, & in rigagines, & in Calentinum; ab alio latere rigagines venientes in rigum tortum, & in prædictum Calentinum omnem suam portionem, & alias res à via rivi Nocræ venientes in puteum Gabinianum, & in terra heredum Benedicti de Boneta, & in rigagines, & in rigum Scarnatorum; ab alio latere via publica veniente in rigum Calentinum, & in rigum Nocræ infra Rajanum, & Tricasium.

Domnus verò Berardus Abbas concessit in Cesa Arnonis modios XVIII. & dimidium pro solidis XL. In Petra Aldonis pertinentia Tribuci modios II. pro solidis XX. In campo Sancti Benedicti, & in valle Loriniani; & ad Sanctam Justinam medietatem Casalis Senioricti, & in Casule, & de Casale Scodalupum decimam partem, pro solidis centum. In Sectiniano, & Colle commutatæ sunt res cum aliis rebus hujus Monasterii. In Trebiliano, & Verrucule, & ad rivum Glerum modios V. concessit. In Bezano, & in Civitella, & in Criptule, & in Montaniano modios XXX. cum tertia parte de Ecclesiis, & molendinis; pro eo quòd refutavit res de Aquaviva cum podio ejus, & rosiis, ab aqua Transversa usque in Cavas. In vocabulo Seleta res, & clausuram, & petiam vineæ pro solidis L. In Cavallaria de Casale Fulconis duas portiones pro solidis XL. In Rescaniano, & Pontiano concessit quasdam res. In Paterno, & subtus ripas. In Agitianillo ad Terranianum, supradictus Abbas concessit cuidam Abboni res, quas ipse donavit, idest Castellum, & Ecclesiam Sancti Antimi cum aliis rebus. Item infra ipsum Castellum idem Abbas concessit unam casam & in Agutianillo juxta Ecclesiam Sanctæ Mariæ, & ad Monumentum, & ad fontanam Rainonis terram infra ipsum Castellum valentem solidos XX. In pertinentiis Castelli Ponticelli ad collem Amonis, & de Ecelesia Sancti Martini quartam partem pro solidis XXX. In Laniano ad Sanctum Stephanum de quarta parte medietatem, & de Sancto Stephano, & de Sancto Valentino similiter, excepto podio de Burdella, pro pretio librarum V. In monte Cardonis. In Atriano pertinentiæ Bucciniani sextaria duo, & cannas duas, pro solidis II. In Caniano, & in Longibia, ubi est Ecclesia Sancti Gordiani, pro solidis X. In Turano, & in Ruzula, & in Nazano, & in Leganillo, & in Laniano pro solidis XXX. In pertinentia Cavallariæ modios VII. & in Cerqueto modios V. pro solidis XL. In Mariniano modios II. & sextarium I. & cannas IV. pro solidis XXX. In Casule pro solidis XXX. In Sorbiliano modios VIII. Item concessit Casalem, quem tenuit Guido Candonis, pro pretio librarum VIII. In Turano modios centum concessit Datoni filio Rainerii pro rebus modiorum centum in hoc Monasterio, ab eo concessis ad Sanctum Gethulium, & ad Petram, modios XII. & sextaria II. & cannas duas pro solidis L. In Coroliano modios VI. & sextaria III. & in pertinentia Postmontem modium I. & sextaria XI. pro solidis XIX. Item concessit de Ecclesia Sancti Stephani, & Sancti Valentini, & aliis rebus octavam partem pro solidis XXX. In Ruzaila, ubi est Ecclesia Sancti Clementis, & in Turano, & in Nazano, & in Leganillo pro solidis XX. In pertinentiis Salisani, & in Sectiniano pro solidis XXX. In Catule ad molas Palumbi medietatem unius sedii moli pro solidis XV. In Calistiano modios X. concessit ad omne servitium faciendum. Item juxta Civitatem, & ad Ponticlum, & ad Calcariam concessit. In Longitia, ubi est Ecclesia Sancti Gordiani, & in Caniano pro solidis XXII. In Paternione modios XXVII. & sextaria II. ad quartam reddendum pro pretio librarum VI. In Rufiniano modios V. pro solidis L. & prope Castellum Arci modios II. pro solidis XX. In Pipilia concessit prædictus Domnus Berardus Abbas de Casale Joannis de Uberto, & ad Fontanam de Pipiliano, & in Casale Azonis, & Tebaldi de Maroza modios XX. pro servitio sibi exhibito.

Anno MLXXXI. temporibus *Domni Gregorii VII. Papæ* Indictione IV. quidam Todinus filius Beraldi rogavit chartam in hoc Monasterio & Berardo Abbati, ejusque successoribus in perpetuum de rebus suis positis in Comitatu Reatino. Quarum fines sunt: à pertinentia Civitellæ usque in cacumina montis, revertentes per pertinentiam Calicis, & Collis Gaimari pergentes per flumen Mellinum, & revertentes ad priorem finem. Inter quos sunt Castella tria, quæ sunt Aspra, Lunianum, & Podium Sancti Maximi, quorum omnia in integro, excepto ad Ecclesiam Sancti Viti modiorum centum, & Fregum, quod tenet Transmundus Adulterinus foris ipsius Castelli. Et quodcumque abstrahere voluerit, componat libras M. optimi argenti. Testes Tebaldus Dodonis, Maifredus Guidonis, & Dodo Dulaci.

Anno autem Domini MLXXXIX. Indictione XIII. Mense Augusti. *Herbeus Comes* rogavit chartam concambiationis, & permutationis in hoc Monasterio, & Domno Berardo Abbati, & ejus Successoribus in perpetuum de rebus, quas habebat in territorio Sabinensi, ubi dicitur Petra Dæmonis, omnem medietatem, idest suam portionem de ipso Castello, & cunctis pertinentiis ejus; & de Scandriliæ Castello, & ejus pertinentiis; & de Castello Cerreti Mali, & cunctis pertinentiis ejus; & de Castello Sancti Angeli, quod dicitur Caput Pharphæ, cum ejus subjacentiis. De omnibus supradictis rebus medietatem in integrum, quarum fines sunt à primo latere Cripta Fornicaria pergens in Roccam Senebaldi, & venientes in Turanum, & per ipsum abeuntes in Puzaliam, & in Canem mortuum, & in Porcili, & in Macla Felcosa, in Monte Aureo, & in Ponticellum, & in Vicum novum, & in Frassum, & in rivum Nigrum, & in supradictam Criptam Fornicariam, & recepit similiter permutationis vice res hujus Monasterii, quas in hoc Monasterio per chartam proprietatis concessit Todinus filius Beraldi in Comitatu Reatino, quarum fines sunt: à pertinentia Civitellæ usque in cacumen montis revertentes per pertinentiam Calicis, & collis Gaimari pergentes per flumen Mellinum, & ad priorem finem. Inter quos sunt Castella tria: idest Aspra, Lunianum, & podium Sancti Maximi. Quod si omnes supradictas res, & Castella, cum Ecclesiis, & Monasteriis, vel cunctis eorum pertinentiis, nobis retollere, aut p se, aut sui heredes præsumserint, aut si litem aliquam inde excitaverint, componant in hoc Monasterio nomine pœnæ XX. libras auri purissimi, & hæ commutationes permaneant firmissimæ.

Anno

Anno Christi MXCIII.(53) Indictione I. mense Martii *Domnus Oddo filius Joannis* rogavit chartam perpetuitatis de Castro, quod vocatur Macla cum omnibus suis pertinentiis in hoc Monasterio Sanctæ Mariæ, & Domno Berardo Abbati, & ejus successoribus in perpetuum. Eodem quoque anno & mense, supradictus *Octavianus Comes filius Joannis*, & *frater Oddonis*, obtulit & donavit, in hoc Monasterio, & Domno Berardo Abbati, ejusque successoribus in perpetuum medietatem Castri, quod dicitur Camerata, cum omnibus adjacentiis ejus, & Ecclesiis. Exceptavit Turrem illius, quam tenet filius ejus, & chartam de ea faciat in hoc Monasterio, tali tenore, ut sine fraude & damno ipsius Monasterii teneat eam. Et si fraudem aut damnum fecerit contra hoc Monasterium, aut ejus Ministros, perdat ipsam medietatem prædictæ Caminatæ, & habeat illam Sancta Maria; terram verò, quam in pignus posuit fratri suo, recolligat pars Sanctæ Mariæ; & alias libras XXV., in alia festivitate Sanctæ Mariæ de ipsa moneta, quæ Romæ expenditur, exceptis denariis de banno. Exceptavit quoque justitiam, quæ pertinet ad Sanctum Joannem de Argentilla, & quam tunc possidebat. Et tradidit prædictus Octavianus de Castro Bivaro partem quartam, quæ fuit Teutonis, quem tenebat Cambo, & habebat eam Sancta Maria, sicut & partem Transmundi.

Tempore autem *Domni Clementis III. Papæ* Indictione IX. mense Novembri, *Octavianus prædicti Joannis filius*, & *frater Oddonis*, præsente Domno Terruccio Sanctæ Sedis Apostolicæ Secundicerio, atque Carone Urbanæ Præfecturæ Causidico, nec non altantibus subscriptis testibus, refutavit in manus Domni Berardi Abbatis omnem litem, & querimoniam, quam idem Octavianus fecerat huic Monasterio, & prædicto Abbati, de tota terra de Scandrilia, quam invaserat pro litigio, quod fecerat *Herbeo Comiti*, & de stipulationibus guadimoniorum, quas requirebat, ac de cunctis litibus, quas pro illis negotiis adversùs eumdem Abbatem exercuerat: sub tali quidem obligatione, ut nec ipse, nec heredes ejus, aut aliqua persona à se submissa, de omnibus, quæ dicta sunt, litem vel requisitionem nominato Monasterio, aut Domno Abbati umquam faceret. Quod si præsumeret, libras XX. Papiensium denariorum sibi componeret, & eadem lis inanis foret. Testes sunt Serracinus à Sancto Eustatio, Tedemarius Guizini, & Joannes de Maso.

Filii autem quondam *Comitis Crescentii* fecerunt diffinitionem cum Domno Berardo Abbate de Castello Tribuco, & pertinentiis ejus, ut recta fide adjuvarent eum infra ipsum Castrum, & ejus pertinentiam. Cujus fines pertinentiæ isti sunt: A primo latere flumen Pharphæ; à secundo latere via Britta pergens in Ponticlum, & in Curte Sancti Benedicti; à tertio latere ipsa Curtes Sancti Benedicti; à quarto latere flumen Majus. Alii fines de alia parte: à primo latere terra hujus Monasterii, quam ad manus nostras tenemus, & terra filiorum Azonis Presbyteri, quam per scriptum tenuerunt, & venientes in Pharpham; à secundo latere rivulus currens inter Canalem, & Serranum, euntes in rigum Cancelli, & in flumen Majus; à tertio latere ipsum flumen Majus; à quarto latere ipsum flumen Pharphæ. Infra istos terminos obligaverunt se & heredes suos, ut non facerent, nec consiliarentur, ut Domnus Berardus Abbas vitam perderet, aut membra, aut malampresam haberet; & medietatem Castelli Tribuci, & ejus pertinentiæ, & Curtem Sancti Gethulii cum tribus Casalibus non tollerent, nec contenderent, nec consentirent tollere; & contra omnem hominem adjuvarent eum tenere, & defendere recta fide; & per malum ingenium ei non suffragarent, & terram non acquistarent, nec acquirerent, nec dominarentur, excepto quantum Crescentius per scriptum, & infra scriptum tertiæ generationis ab Hugone Abbate acquisierat; & nostros homines non tollerent, nec comprehenderent, nec eorum terram, neque illorum homines.

Temporibus namque *Domni Henrici Imperatoris*, mense Augusti Indictione VI. (54) orta est contentio contra Domnum Berardum Abbatem hujus Monasterii Farfæ à Donadeo filio Bonhominis pro terra pertinentiæ Castri Pharæ, quæ de jure supradicti Monasterii esse dignoscitur, quemadmodum Tinto per chartam donationis concessit huic Monasterio. Hanc autem prædictam terram, postquam præfatus Tinto roboravit chartam ipsam in hoc Monasterio, dedit in pignus per chartam filiæ suæ Carebonæ, quod contra fecisse videtur. Post hæc restituit ei ipsam rem, pro qua pignus ipsum habebat; sed non recepit eamdem chartam à filia sua. Tunc supradicta Carabona Ancilla Dei iniquè adhæsit eidem Donadeo, ut propter amorem consanguinitatis traderet illi ipsam chartam: per cujus occasionem chartæ, quæ legalem investituram non habuit, invasor & causator hujus terræ exstitit idem Donadeus. Postquam autem *Henricus Imperator* ipsum Castrum Pharæ cum ipsa terra, & omni pertinentia ejus restituit huic Monasterio, propter cupiditatem terræ, quam desiderabat acquirere, immisit contra nos litem, & consiliatus est cum Rustico Crescentii, & aliis nostris inimicis, tractans malum contra nos, prout potuit. Ex multis verò malis unum nunc proferemus. Denique per suum consilium, & incitamentum Beraldus filius Beraldi tulit nobis Cunianum, quod cum aliis Castellis nobis Todinus concesserat per chartas perpetuitatis, & occurrit ei statim cum adjutorio, & immisit contra nos bellum, ubi milites nostri interfecti sunt. Igitur coacti ob metum mali, quod contra nos exercere non cessabat ipse Donadeus cum omnibus sibi faventibus, contra nos die noctuque; & formidantes, ne deteriora pateremur, refutavimus illi ipsam terram, consilio Judicum, videlicet Petri Sabinensis, & Joannis Hortanæ Civitatis, asserentium, quòd neque ipsa refutatio, vel traditio valeret, vel permanere posset per legis judicium; sed in hoc Monasterio firma & stabilis perseveraret; Præterea Domnus Berardus Abbas præparatus fuit in medio mense Novembris ad justitiam facien-

(53) Accuratius haec animadvertenda erant Chronographo nostro. *Berardus I. Abbas* supremum diem clausit Anno 1089. Ergo ad eum minime Charta haec spectat, sed quidem ad *Berardum II. Abbatem*, qui revera Anno 1093. Farfense Coenobium regebat.

(54) Indicari videtur Annus Christianae Aerae 1083. quo Indictio VI. decurrebat, & Henricus versabatur in locis Romae finitimis.

ciendam, & recipiendam à Donadeo Boni-hominis de invasionibus, quas fecerat ipse Donadeus de rebus hujus Monasterii positis in locis nuncupatis, scilicet in pertinentia Pharfæ, ubi dicitur Postmontem, & in pertinentia Scandriliæ Ecclesiam Sancti Petri cum omni pertinentia, & sicut tenuit Gonzolinus, & Oderisius Adulterinus, & in Aquaviva pertinentiam Podii de Mojano, sicut tenuerunt filii Gezonis de Rengarda, & Joannes de Masso de rebus, quas tenuerant ab hoc Monasterio, sed jure amiserant: idest in Bezano, & in Sorbiliano, & in Serrano, & in Postmontem, & in Pharpha molas duas. Et vênit prædictus Domnus Abbas cum Judicibus, & Advocatis, aliisque instrumentis ad placitum necessariis. Et ipsi præfati venire non curaverunt, scientes se nullam justam causam habere, multis tergiversationibus litem, protelare cupientes. Oddo autem, & Octavianus frater ejus, eorum calliditates occultare volentes, ea quæ eorum parti favere videbantur de pignoribus, secundùm quod promiserant, adimplere nolentes, protestati sunt, Domnum Abbatem per XV. dies ante constitutum terminum illi debuisse nuntiare. Ideoque constituerunt, ut postea, scilicet in die IX. prænominatus Abbas secum sui juris peritos haberet; Donadeus verò, & Joannes de Musso similiter itemque ipsi alios se habituros spoponderunt ad hoc, ut si prædictus Abbas cum testibus posset probare alicui eorum se, ut superiùs est dictum est, denuntiasse, tunc illi secundùm hoc, quod de pignoribus in se receperant, atque firmiter promiserant, procul dubio adimplerent. Die verò constituto prædictus Domnus Abbas, ut positum fuerat, interfuit, & cum testibus, scilicet Azone, Ilpino, & Baruncello rusticis, & Amicto Hortensi, jurejurando affirmare volentibus, ipsum in eorum præsentia Domnum Abbatem sic Donadeo dixisse: *Ecce terminum: præpara te ad placitum*; eumque Donadeum ita respondisse: *sic sit; sed hoc pertinet ad Dominum meum*. Verùm neque prænominati fratres, neque Donadeus, & Joannes se, ut dixerant, præparaverunt, neque jusjurandi textum receperunt, neque de pignoribus, veluti promiserant, adimpleverant. Quando autem ipsi supradicti, jusjurandum facere voluerunt, tales homines, qui rogati sunt, testes interfuerunt, idest Joannes de Ugolino, Guittonus de Alberto, Thebaldus de Petro Civitellæ, Loterus Suavi, Crescentius Crescentii franKitti Girardi, & Oddo frater Oddonis, Tiniasi Tiburtinus, Adengo, & Bono de Rozolino.

Quidam Suavis, & Berardus germani fratres obligaverunt se, heredesque suos, & per chartam concesserunt Casalem, quem tenet Guido Presbyter, & Casalem, quem tenet Necto Joannis de Adam, cum molinis, & aquæmolis, & medietatem Casalis, quem tenet Joannes Becca, & medietatem Casalis Petri de Stephano cum molinis: eo tenore, ut ipsi, & eorum heredes, terras, & vineas, & silvas, & prata, & aquæmolos, quos habent inter fluvium Currisem, & rivulum Calentinum venderent, vel donarent, aut commutarent, aut per ullum quodlibet ingenium in alterius potestate submitterent, nisi in hoc Monasterio, & Domno Abbati, vel ejus Successoribus, charta ipsa, & quæ continentur in ea, omnia veniant in hoc Monasterio. Quod si vendere voluerint, insimul vendant in hoc Monasterio, & sinè fraude, vel malo ingenio per terminos diffinitos, & convenientes, accipiant pretium librarum centum & XX. subtilium denariorum.

Anno autem Domini MXLIV. quidam Joannes filius Fragæ cum omnibus suis consortibus concessit in hoc Monasterio Ecclesiam Sancti Petri Apostoli territorii Asculani, ubi dicitur Casa Moraria, cum omnibus pertinentiis suis. Temporibus quoque *Stephani IX. Papæ* *Girardus Comes* unà cum *Theodora Comitissa* concessit in hoc Monasterio, & Domno Berardo Abbati duas Ecclesias, scilicet Sanctæ Mariæ, quæ est ad pontem de Flajano, & Sancti Blasii infra Castellum de Flajano, cum omnibus earum pertinentiis. Temporibus *Domni Nicolai II. Papæ*, quidam Joannes, qui dicitur de Nicto, concessit duas partes de Ecclesia Sancti Blasii, & aliam partem de Ecclesia Sanctæ Mariæ juxta Castrum de Flajano, & Sancti Blasii infra Flajanum cum omnibus eorum pertinentiis. Anno primo *Domni Gregorii VII. Papæ*, quidam Benizo Rainerius de Teuzo libertatem dedit in Ecclesia Sancti Blasii Martyris, quæ ponitur in territorio Collinensi infra Castellum, quod dicitur Flajanum, cum omni suo decore, atque pertinentiis, cum cellis, claustris, & terra in circuitu ejus ad sepulcra hominum facienda, ut sit usque in ævum, absque ulla datione, vel reditu, secundùm consuetudinem Ecclesiæ Catholicæ Romanæ, & in perpetuum secura & libera sit, & absque ulla conditione, in usum, & utilitatem servorum Dei; Et si quis hoc donum ullo ingenio ex perpetuo jure Sancti Blasii Ecclesiæ exstirpare præsumserit, aut frangere quod supra legitur, cum iniquo Juda ligatus, aut cruciatus in Inferno, & cum impiis perpetuo anathemate damnatus, & à corpore, vel sanguine Redemtoris Christi, & ab universis Ecclesiis ejus, & à Catholicis Christianis segregatus, & undique dormiendo, vigilando, maledictione perpetua, assiduoque fulgure à planta usque ad verticem flagellatus, & vivens mortuus efficiatur perenni morte in Secula infinita, & cunctum per orbem fiat. Insuper componat Presbyteris ejusdem Ecclesiæ auri libram unam. Mense Augusti Indictione XIII. *Regizo Sabinensis Ecclesiæ Episcopus* refutavit in hoc Monasterio Ecclesiam Sancti Viti in Tancia cum omnibus ejus pertinentiis infra istos fines: à capite via super ipsam Ecclesiam; à pede fossatus; à tertio latere rigus; à quarto latere tenent Camponisci, ab ipsa via pergentes in dictum fossatum per terminos designatos: pro qua refutatione ipse Domnus Abbas Berardus concessit supradicto Episcopo unam Ecclesiam vocatam Sancti Nicolai de Musca cum quinque servis, & interfuerunt, & consenserunt, atque confirmaverunt hanc refutationem, Leo Archipresbyter, Berardus Presbyter; Franco Presbyter, Senon Presbyter, Homulus Presbyter.

Domnus autem Berardus Abbas venerabilis jam senex, & Dei gratia religiosus Pater hujus sacri Cœnobii Farfæ, desiderans hanc Congregationem sinè ambitionis noxa, & absque Simoniacæ hæresis pessima culpa per omnia fore, unà cum omnium conventu fratrum auctoritate Dei omnipotentis, & Beatæ Mariæ semper Virginis, & cunctorum Sanctorum Patrum, & præcipuè Sanctæ Regulæ Beati Patris

tris nostri Benedicti institutione, constituit, ut si quis de hac Congregatione, vel de huic Monasterio pertinentibus Ecclesiis aliquando frater egrediens, præsumserit à quolibet Principe, vel Comite, seu Prælato Ecclesiæ, ad contrarium, vel defensionem hujus Cœnobii aliquem honorem, vel Ecclesiasticam prælationem suscipere, sive hujus Abbatiæ invasionem præsumere, aut contubernium aliquod cujuscunque detrimenti istius Monasterii quærere, aut hujus Congregationis electionem concorditer, & canonicè, atque regulariter factam, suis pravitatibus conatus fuerit ac tyrannica perfidia perturbare, aut subvertere, aut dissipare: perpetuæ anathematis excommunicationi subjaceat, & à consortio Sanctorum omnium segregatus maneat cum Dathan, & Abiron, & cum Juda traditore Domini, atque Simone Mago pereat, nisi fortè digne pœnitens hujus Conventus pia indulgentia, remissionem obtinuerit culpæ suæ.

Item quoque Domnus Berardus Abbas omnino interdixit, & sicut Ordo noster Cluniacensis (55) præcipit, ut nullus ex fratribus præsumat confiteri sua facinora illis Monachis, qui non habent factam professionem in ipso loco, ubi degunt, neque illis, qui ex alio Monasterio huc veniunt pro aliqua delegatione, vel sua necessitudine, quamvis nostram societatem habeant, quia sæpe evenit, ut maxima destructio in ipso loco fiat. Et qui hoc præsumserit, nisi regulariter pœnituerit, gravissimæ subjaceat excommunicationi.

Erectio Monasterii Monachorum in agro Asculano, & loco Summati, facta ab Adam Episcopo Asculano circiter Annum 990.

„ ADam divina concedente gratia Episcopus. Omnium Christianorum, & cunctorum ordinum Ecclesiasticorum cognoscat industria, quoniam plurimorum Sacerdotum nostrorum, atque Servitorum nostræ Parochiæ, nobiliumque virorum consilium sumsimus, ut Ecclesiam Beati Benedicti in territorio Asculano, loco qui vocatur Summati, & ubi dicitur inter Casam, & & Parasolem, Monasterium fieri decrevimus virorum Deo famulantium, ut Regi Domino preces pro incolumitate, & pace viventium, & requie mortuorum plenissimè effundere valeant: Quapropter ordinato ibidem Abbate Azone Presbytero humile & honesto moribus, concessimus in ipsa Ecclesia terræ juxta Geometriæ rationem modia mille per loca designata. A capite Furcella, quæ dicitur Vetulum; à pede flumen Quietum; ab uno latere via pergens à confinio; ab alio latere rivus, qui dicitur Cupus. Et concedimus in Prorece modia L. A capite via publica, & terra Azonis, & Domnini; à pede flumen Quietum; ab uno latere terra Alberici Notarii, & de consortibus, & terra Sancti Quirici; ab alio latere terra Apponis, & de consortibus. Et in alio loco, qui vocatur Apice, & Ripa, concedimus ibidem unam substantiam, quæ regitur per Joannem filium Luponis. Et concedimus ibi oblationem, quæ ad ipsam Ecclesiam venerit. De quibus omnibus interdicimus, ut nullus successor noster diabolica fraude instigatus aliquid diripiat, quod pro animæ remedio agere curavimus. Si autem nos, vel successores nostri pro lucranda oratione, vel veneratione in aliqua solemnitate in præfatum locum accesserimus, celebratoque peractoque divino mysterio, simplici ac sobria benedictione percepta, absque ullo reposito dono studeamus habere regressum.

Facultas data à Leone IX. Papa Berardo Abbati Farfensi advocandi quemcumque Episcopum voluerit ad consecrandum Farfense templum circiter Annum 1050.

„ LEo Episcopus servus servorum Dei Berardo Abbati Sanctæ Mariæ de Farfa Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Petitiones tuas justas adimplere non denegamus. Itaque tibi auctoritate nostra liceat conquirere Episcopum, qui tibi tuam consecret Ecclesiam, undecumque volueris. Cave tamen, ne sit simoniacus.

Quidam Joannes nobilis vir, & Joannes filius ejus, & Bona, & Theodora concesserunt res suas in pertinentia Sanctæ Reparatæ, idest Casalem de Parruccia cum suo tenimento, & Casalem de Lulansardo, & Casalem de Marchisano, & Casalem Adalberti Caput-pazi, omnes in integrum in montibus. Exceptaverunt in planitiis terras ad flumen. Quidam Petrus de Amizo de Salisano fecit chartam venditionis Domno Berardo Abbati in perpetuum de omnibus rebus, quas per chartam habebat. A primo latere tenent filii Andreæ; à secundo latere tenent filii Tedemari; à duabus partibus tenent filii Joannis Bovis.

Erat tunc temporis magnæ constantiæ & excellentiæ, fideique sinceræ vir *Argirus* (56) *Græcus*, & *Dux Italiæ*, qui audiens hujus Congregationis sanctam Religionem, & Domni Berardi hujus sacri Cœnobii venerabilis Abbatis laudabilem famam, & magnificam bonitatem, gavisus est valde, misitque suas literas, in quibus hujus sanctæ Congregationis munus, & orationes adipisci, eorumque almæ societati humillimis postulationibus petiit sociari. Ita inquiens:

Argyri Ducis Italiæ pro Græco Imperatore epistola ad Berardum I. Farfensem Abbatem, qua confraternitatem Congregationis Farfensis accipit, Anno 1050.

„ EN ego Argiro Dei providentia Magister vestis, & Dux Italiæ, Calabriæ, Siciliæ, Paflagoniæ, quod est melius, commendo me, & associor sancto Monasterio Beatissimæ Dei Genitricis Mariæ, cognominato Farfæ, & tibi Domno Berardo Abbati per omnia almifico, & cunctæ sanctæ Congregationi tibi commissæ, ut dum vivus fuero in hoc mortali seculo, merear fieri particeps vestris sanctissimis meritis, secundùm

(55) Scilicet circiter Annum 998. curante Hugone Abbate, Farfense Coenobium receperat consuetudines Cluniacensis Monasterii: quod & alia Italica Monasteria ante ac post eadem tempora fecere.

(56) Vide Tomum IV. ac praecipue V. Rer. Italic. ubi multa de hoc Argyro.

„ dùm splendidum scriptum, quod mihi peccatori, & immerito famulo meæ Dominæ & Sanctissimæ Genitricis Mariæ Virginis, vestra est dignata dirigere pietas, & ut vestris suffultus sacrosanctis ordinibus, & divina protectus clementia dignus fiam placere, ibidem; primitus utillimis moribus, & postmodum terrenis opibus, quatenus post carnis vinculum, postque domum luteam Elisii gaudii unà vobiscum, mei fratres dilectissimi, & Domini, congaudere merear per infinita secula seculorum Amen. Et ut præsentes, & futuri cuncti cognoscatis, me congrua voluntate placidoque corpore, vel animo placuisse mihi peccatori, & confratri vestro talia peragere, pro absolutione meorum scelerum plurimorum, & salvatione meæ animæ, propriis meis subscripsi lætanter manibus, & bullare fecimus bulla argentea Anno ML. Redemptionis nostræ assumptæ carnis Dominicæ VII.

„ Argiros pronia theu Magistros Bestis, Kæ Dux Italias, Calabrias, Sichelias, Kæ Paphlagonias Omelista progegramena Cabeon, Kedulon, ematon ti Despini Kæ agia Theotoco Maria ti en ti agemoni tis Farfa, diatricon, paradi diis icKeo chiros ipegrapha.

Hic verò vir magnificus, cùm hujus vitæ terminum sibi cerneret imminere, direxit ad hanc Ecclesiam, sive Congregationem, quædam rariora dona, & non parvam pecuniam, videlicet bisantos VI. millia, & mantum pretiosum holosericum, auroque textum, quod erat præclara vestis sui honoris, quæ amplius valere ferebatur, quàm centum libras argenti purissimi. Nam quando hujus societatem, & fraternitatem suscepit Congregationis, bisantos III. millia huic Ecclesiæ mandavit. Hæc autem pecunia data est in Castrum Catini emtione commoda.

Quadam verò die vênit Theuto de Castro Bivaro, & interpellavit Domnum Berardum Abbatem hujus Monasterii, ac multum rogavit, ut redderet sibi, & parentibus suis chartam, quam olim ipsi fecerant de ipso Castello Bivaro in integrum in hoc Monasterio Sanctæ Mariæ. Ipse verò Abbas diutiùs compulsus, sinè consilio, vel assensu Congregationis reddidit eis eamdem chartam contra legem & contra libertatem hujus Monasterii faciens. Qua idem Theuto accepta, congregavit parentes suos, & ostendit eis chartam ipsam, qui valde gavisi accenderunt ignem copiosum, & accipientes singuli partes de ipsa charta, scindentesque eam, projecerunt in ipsum ignem, & combusserunt eas. Ignis autem accumulatus judicio Dei concremavit omne ipsum Castellum. Deinde posthæc quidam eorum cognoscentes se malè egisse, pœnitentia ducti, in hoc Monasterio conversati reddiderunt partes suas, sicut fecit Transmundus, qui se ipsum cum filio suo Odemundo obtulit in hoc Monasterio. Octavianus quoque filius Joannis concessit medietatem Castri Camisatæ, & confirmavit partem ejusdem Castelli, & ipsius pertinentiæ totam sortem prædicti Theutonis. Item Massarus, & Boninus filius prædicti Theutonis, & Theuto, & Transmundus filii Gisonis, & Atto, & Ilpinus, & Azolinus pro redemtione animæ suæ dederunt Ecclesiam Sancti Thomæ Apostoli, & ipsum Castellum, quod vocatur Bivarus, cum omni sua pertinentia intus & foris. Actum Anno Domini MLXXVII. mense Februarii Indictione XV. Testes sunt Joannes macellarius, Pizo, Petrus de Azone fure, & de ipsa charta rogatus Joannes Judex. Omnes autem Domini Catinensis Castri fecerunt refutationem, & firmamentum de monte Morecone in hoc Monasterio pro sorte & portione de Catino, & de Luco, & de omnibus terris Catinensis portionis, & olivetis, vineis, ceterisque arboribus, & domibus, ac habitatoribus suis, sicut ipsas duas portiones in hoc Monasterio concesserant Bonus filius Joannis, & Berardus filius Boni, ut non habeamus ullam molestiam neque ab ipsis, neque ab aliqua persona submissa ab eis, & omnem litem. Et querimoniam refutaverunt, quomodocumque contra nos insurgere possent.

In Cliviano, & per ejus vocabula *Faroaldus Dux* dedit in hoc Monasterio terras suas cultas modiorum ML. arabiles cum manentibus XII. usque Frantinum, & usque Maclam Felcosam, & usque Criptam Machelmi, tertiam partem ex omnibus rebus cum Ecclesia Sancti Sabini, & Ecclesia Sancti Sebastiani, & Ecclesia Sanctæ Anatoliæ de Turano. Abbas autem, qui erat illis temporibus, fecit concambium cum Soldone, & dedit illi Sanctam Anatoliam, & Sanctam Mariam de Loriano. Alia omnia remanserunt ad opus Sanctæ Mariæ ibi est ædificatum Corvarium.

Defuncto (57) autem præfato Domno Berardo, orta est inter nos dissensio de Abbate eligendo, nitentibus permaximè, qui nos videbantur regere, ut *Regizonum* (58) *Sabinensem Episcopum* eligerent. Qui quamvis minima, saniori tamen confratrum resistente parte, ab hac quieverunt contentione. Continuòque quasi præcipiti subitaneoque assensu omnium, contra sanctorum Canonum sanctiones, adhuc instante nocte, & ne dum humato prædicto Pastore, *Domnum Rainaldum* elegimus; qui licèt pleniùs Monasticis imbutus foret Religionibus, tamen moderaminum tam magni regiminis inscius, & mundi negotiorum improvidus, atque in nullo penè videbatur satis sagacissimus. Cujus indiscretè factam ideo dicimus electionem, quòd eam contra sacros Canones vidimus fuisse, & contra Patrum institutiones. Denique *Bonifacius Papa III.* residentibus Episcopis LXXII. & Presbyteris XXIII. & omni Clero Romano, fecit constitutionem sub anathemate in Ecclesia Beati Petri Apostoli, *ut Pontifice vivo, aut moriente, vel Episcopo Civitatis, nullus præsumat quodlibet loqui, aut partem sibi facere, nisi die tertio depositionis ejus, adunato Clero, & filiis Ecclesiæ, electio fiat, & quem voluerint habeant licentiam sibi eligendi Sacerdotem.* Quod si de Episcopis, qui sublimioris sunt gradus, ita convenit, quanto magìs conveniat de Abbatibus, qui inferioris officii sunt, in quorum ele-

(57) Berardi I. Abbatis mortem Clariss. Mabillonius statuit ad Annum 1089.

(58) Quem in Catalogo Sabinensium Episcoporum non satis novit Ughellus. Quod si haec Anno 1089. contigere, apud eumdem Ughellum accuratius instituenda videtur eorum Praesulum series. Sed fortasse Regizo iste dejectus e Sede fuit, infra enim appellatur *infamis*, & *dictus Episcopus*; ac propterea alter eo vivente substitutus. Mabillonius in Annal. Benedictin. ad Annum 1069. haec narrans, nescio quibus Auctoribus, eum appellat *Tenzonem Episcopum Sabinensem*.

electione nullum debet præcipitium fore? Factum autem est hoc, & contra nostram, & omnium confratrum sponsionem, quam fecimus comuni consensu, cùm Domnum Berardum Patrem nostrum ad exitum propinquare vidissemus. Nam per vestem principalem Altaris Beatæ Mariæ Dominæ nostræ in Capitulo allatam, tactu omnium, fideli sponsione firmavimus, ut nullum Abbatem reciperemus, neque confirmaremus, nisi quem omnis nostri Cœnobii religiosa Congregatio, consentiente Imperatore, canonicè & regulariter elegerit; & qui hujus constitutionis violator exstiterit, irrevocabiliter eum à nobis statuimus abjicere. Erant enim tunc quædam tres infames personæ, quarum sagacitas vigilabat, ut hanc invaderent Abbatiam; è quibus permaximè *Regizo* laborabat *Sabinensis dictus Episcopus*, quem nos præ cunctis execrabamus, quia multa nefanda de illo referebantur, quæ credibilia videbantur. Ipse enim quosdam nostrorum suasionibus in tantum corruperat, ut fidem communis sponsionis offendere faceret,& eum, quem unà disposuimus eligere, spernerent, ipsumque Regizonem super nos Abbatem magno efficerent conamine. Pro eo autem, quod nos eorum sensui non obtemperabamus, præfatum Domnum Rainaldum eligere finxerant, statuentes ita, ut si hunc sperneremus, ipsi validiori manu, utpote Prælati, prædictum Præsulem eligendi copiam haberent. Nos verò eorum versutiam prævidentes, ne tyrannum, & infames super nos coacti suscipere videremur, in Domni Rainaldi electionem idcirco assensum exhibere compulsi sumus: quod & nocte accidit, & adhuc inhumato, videlicet Pastoris nostri Berardi corpore. Quæ res quin contra Regulam, Sanctosque Canones præcipitata fuerit, nemo gnarus dubitare debet. Sublimatus autem tantùm in regimine præfuit dies quatuor, mensesque septem.

In hujus namque Domni Rainaldi tempore prælationis, quidam Gosbertus filius Bernardi concessit huic Monasterio res suas in pertinentia Stacti, & Albani, idest portionem suam de fortia Castelli de Colle Stacti, & portionem suam de Podio Albano, & Curtem de Colle Stacti à fossato de Reganello in foras. Aliarum verò rerum fines sunt: à primo latere flumen Naricus; à secundo fines Monzani vadens ad Arronem, & in Tesinum; à tertio latere Tesinus; à quarto autem mons de Valle. Interea multas præparabant nobis insidias hi maximè, qui hujus Monasterii bona possessionesque moliebantur invadere. Qui etiam contra nos *Archiepiscopi Ravennatis Papæ* (59) dicti animum provocarunt, & huc super nos conduxerunt, & ut ejus jussione alium eligeremus Abbatem omni conamine studuerunt. Nos autem viriliter consistentes, & inflexibiles exstitimus, & pro hujus Monasterii antiqua libertate fortiter dimicavimus. Sed cùm nos idem Pontifex ad se non posset flectere minis, suasoriis agere cœpit, quibus fatebatur, se unum de nostra societate, ac fraternitate esse, & idcirco unus eligentium Abbatem esse deberet. Verùm nec terroribus concutere, nec blandimentis nos valens seducere, tamdem confusus, ut nos sibi benevolos reficeret, laboravit non modicè. Sicque recessit, & electum Domnum nostrum Rainaldum, quem capere gestiebat, nec oculis etiam vidit.

Interea præfati Monachi hujus tutores, qui eumdem electum videbantur ferre, & magistrare, cœperunt in plurimis deviare, & in nonnullis negotiis secus illum habere. Nam cùm aliquod consilium pro hujus utilitate Cœnobii agendum erat, alicubi illum ducebant, & seorsum eo relicto quæque vellent pertractantes exercebant. Sed & nobis subditis ultra modum elatiores erant, & hujus causa Conventus si quando deprecabantur, despiciebant. Itaque bona omnia hujus Monasterii, & agenda, non ad electi jussionem, sed ad suum tantùm libitum conferebant. Ventura quoque nihilo ducebant, & in omnibus transitoriè utebantur Abbate, & nostras miserias, atque Conventus istius penurias in nihilo præstabant. Conspirationes quoque, & immissiones cum quibusdam Abbatiæ viris fecerant ne eos aliquando lædere posset Conventus istius justa querimonia. Hæc omnia Congregatio perpendens pernimium condolebat, & ut Deus Omnipotens quandoque inspiceret, occultis suspiriis imprecari studebat; nam ad alicujus hominis mortalis adminiculum manus dare verebamur, ne in deterius detrimentum postmodum incideremus. Soli ergo Christo Domino, ejusque Genitrici, & Dominæ nostræ nos, nostraque negotia committere studebamus. Deus autem omnipotens omnia ex alto prospiciens, quandoque nobis misertus est, & illorum viperinam, & venenosam super nos prælationem avertit, & destruxit per Dominæ nostræ Sanctissimæ Mariæ intercessionem. Nam ipso anno alii brevi morte defuncti; alii quovis exterminati; quidam & deinceps abundantiùs fuere angustiati. Et qui non eum, ut ipsi obedirent, sed ut ille eorum inconditis actibus, tamquam ignarus obtemperaret, eligere maluerunt (sicut quondam Judæi, qui Christum Dominum persequebantur, ne Hierusalem amitterent) hujus emolumenta Abbatiæ justo judicio citò perdiderunt. Nos autem valde in plurimis afflicti, hoc ad ultimum cepimus consilium, ut ad Imperatoris euntes præsentiam, omnia veraci renuntiare studeremus relatione, quatenus ipse Imperiali patrocinio cuncta corrigere & ordinare dignaretur, & Ecclesiam hanc speciali prævisu digniùs tueretur; Sed quoniam viaticam pecuniam, utpote regulariter inopes, Monachi minimè habebamus, eundi moras facere compulsi sumus.

Quapropter quidam Berardus cognomento Florentinus, qui consanguineus dicebatur Antecessoris Domni Berardi defuncti, cùm in Marchia in quadam degeret tunc Præpositura, clanculo cohortatus est à quibusdam nostrùm, & nos præcedens adiit Curiam Domni Imperatoris. Cui cùm fingeret plurima haud vera, regiminis hujus ab eo accepit investituram, & ad nos cum sibi comitantibus Legatis Imperialibus vênit. Quod audiens præfatus electus; videlicet Domnus Rainaldus, ab hoc recessit Monasterio, & in præsidium se cujusdam nostræ contulit Rocchæ. Nos verò hoc prospicientes, quoniam tamquam destituti Pastore utili eramus, & eumdem electum nequaquam in cura regiminis tam magni, meliorare, vel pro-

(59) Idest Guiberti Ravennatis Archiepiscopi, quem Henricus IV. Imperator sub Clementis III. nomine Antipapam constituit.

proficere, sed potiùs deficere cernebamus: idcirco ad hunc Berardum Florentinum recipiendum præbuimus assensum. Ad quem suscipiendum usque Teramnensem Urbem perreximus, & illic ei obviare studuimus. Et quoniam nimium pavebamus, ne super nos tyrannidem exerceret confirmatus, & hujus bonorum Monasterii distractor fieret in futurum, sacramentum ab eo jurisjurandi de bonæ consuetudinis observantia, & hujus Monasterii bonorum salvitate exegimus, quod manu propria super Sancta Dei Evangelia coram nobis XII. ex Monachis, & tribus ex Laicis, se observaturum confirmans spopondit: quòd numquam à regimine nostri Conventus auferret has terras, vel res, nec alicui tribueret per aliquam dationem, scilicet omnem Tornariam, Campum Sancti Benedicti, Campum de Guarnica, molendina omnia Farfæ, vel Currisii, & mortuorum oblationes, exceptis necessariis regiminis sui sufficientiis, ideft quod justè sufficiat. Manualia per singula Castella, & bovum paria eis sufficientia; villanos omnes ad opera exercenda, & xenia, vel tributa reddenda; gualdum de Salisano, & gualdum de Catino. Omnem quoque Decimam secundùm Canones, & portuum reditus, & mercatorum toloneum. Nullum Castellum, aut terram alicui se daturum, de quo suspicio vel damnum fieret in futurum. Præcipuas res & utiles non tantùm cum Laicis, quantum cum omni Congregatione se acturum. Dominium Castellorum non Laicis eminentibus, sed humillimis, & maximè Monachis se daturum. Ecclesiam, & totum Monasterium se melioraturum, & in antiquum, justumque usum reducturum. De obedientiis fratribus imperatis nullum munus more Simoniaco suscepturum, & à se qui accesserit Consiliarius repulsurum. Tunc super nos Pastorem elegimus, & magna cum caterva equitum illum huc duximus Anno Incarnationis Dominicæ MXC. die V. mensis Junii, Feria quoque VI. hora quasi IX. qui exstitit in Catalogo Abbatum XXXIX.

Hujus nempe temporibus, quidam Benedictus Presbyter filius Albini nobilis viri Civitatis Utriculanæ veniens ad conversationem in hoc Monasterio, obtulit hic res suas, & præfato Domno Berardo Abbati, ideft domum unam infra ipsam Civitatem juxta portam majorem, seu foris juxta muros ipsius, casas, & casalinas, & Ecclesiam Sancti Angeli ante portam majorem; & de terris atque vineis portionem suam in toto territorio Utriculano, in monte, sive in plano, & de terra Populari, & in fundo Salicto ad Cacabum, & in fundo Leonis minoris. Item Rainerius filius Zaczonis cum Roccia uxore sua concessit res suas immobiles in Castro Græcie. Item Ofredus filius Rustici vendidit & concessit terram & vineam juxta muros Civitatis Perusinæ, ubi dicitur Rasurum, quæ sunt tabulæ X. facientes modia II. & dimidium; & recepit pretium valens libras XXX. Lucensis monetæ à Domno Berardo Abbate II. & in quo loco ab ipso constructa est Ecclesia vocabulo S. Mariæ in Oliveto. Item quidam viri Comites Balbenses, ideft de Castro Galliano, fecerunt convenientiam & obligationem huic Monasterio de Ecclesia S. Joannis, quam *Todinus Comes* in hoc Monasterio concesserat, ut præfati viri non sint in facto, neque in consilio, ut ipsa Ecclesia de jure & potestate ipsius Monasterii exeat, sed adjuvent nos ad defendendum, & retinendum eam ipsi & heredes illorum, ut quicumque eorum damnum, vel contumeliam ipsi Ecclesiæ fecerit, & infra dies XXX. non emendaverit secundùm Canones, vel secundùm legem, omnes alii cogant eum ad emendam. Et qui fecerint donationem, vel oblationes mortuorum, sive vivorum, in ipsa Ecclesia Sancti Joannis, huic Monasterio tribuant, excepto aliquam particulam in Ecclesiis eorum potestati subditis dandum. Et omnia corpora in ipsis terris morientia, in nullo Cimiterio, nisi Sancti Joannis, sepeliant. Et si omnes has promissiones non observaverint, componant huic Monasterio bizantos centum. Item Rapizo filius Crescentii, & Rainerius filius Joannis Boni promiserunt Domno Berardo Abbati, ut adjuvent nos ad defendendum, & retinendum res Rainerii filii Razonis, & acquisitas, vel acquirendas de fundo Repasto; & si aliquid inde contrarium contigerit, cum omni posse sint nobiscum ad recuperandum; & non vendant, neque permutent, aut aliquo modo alienent, nisi in hoc Monasterio. Quòd si omnia hæc non observaverint, componant nobis centum bizantos Romanatos. Item *Rodulphus Episcopus Narniensis*, *& Abbas Monasterii Sancti Cassiani* cum majori parte Monachorum ejusdem Monasterii refutavit per nostrum Monachum Joannem Grammaticum omnem litem, quam habuerat contra nos de rebus Petri Presbyteri Farisindæ. Item Morinus, & Joannes filii Petri concesserunt res suas prope Turritam, & Scage, ubi dicitur Serra. Item Joseph filius Rusticelli cum consortibus suis omnibus Guidoniscis concessit res suas territorii Sabinensis, & Comitatus Reatini: ideft Castrum Antoni, & portionem de Rocca Salicis, & de Castello Colle longo, & Castellum Veclum vulgò Recta. Item quidam homines de Castello Terraniano fecerunt promissionem & obligationem huic Monasterio de portione sua ejusdem Castelli. Item Oldebrandus filius Olderisii cum Rosa uxore sua, & Franco Presbyter filius eorum concesserunt portionem suam de Castello Aronconi, & de fundo Palatino, & de fundo Lepozica petias VII. & de fundo Cerreta, & de Campo, de Adam, & de fundo monte Majo, & de fundo Pedicinulo & de fundo Tassenara, & de fundo Fabricæ, & de fundo Canapinæ, & de fundo Valle Evellano, & de fundo Palumbara. Item omnes Arnolfi fecerunt refutationem, & obligationem, & quinque ex eis firmaverunt jurisjurandi vinculo de omnibus rebus, & terris hujus Monasterii à flumine Narico usque in Civitatem Spoletanam, ut numquam ampliùs faciant litem, vel molestiam contra hoc Monasterium aut Missos nostros, neque ipsi neque heredes eorum. Quòd si hæc omnia non observaverint, componant auri optimi Romanatos mille. Item Beraldus filius Benedicti, qui vocatur de Bono, concessit terram, & vineam extra Urbem Romam ad Sanctum Calentinum, & ad pusterulam de Pila; & qui subtraxerit de ipsa Cella, sit anathema in perpetuum. Item quidam boni homines de Catino fecerunt sacramento firmare per Joannem de Jota, & Petrum de Amato, & Carbonem de Drogo ad Domnum Berardum Abbatem de ipsis rebus, quæ huic Monasterio pertinent in cuncto vocabulo Rescaniano, ut quocumque tempore interrogati fuerint de Abbate, vel Præposito hujus Monasterii,

rii, non eas occultent, sed palàm dicant. Item Guilelmus filius Leonis portionem suam concessit de Catino, & Luco, & Rocca Tanciæ. Item Senebaldus filius Rustici, & Ugolinus germanus ejus, concesserunt portionem suam de Catino, & Luco; & promiserunt, atque sacramento firmaverunt, ut non sint in facto, neque in consensu, aut consilio, vel certa meditatione, ut perdamus nostrum derictum de Catino, seu Luco, & eorum pertinentiis, & quæ ibi modò habemus, & deinceps acquisierimus à senioribus, vel minoribus hominibus; & adjuvent nos retinere, & defendere contra omnes homines nostrum derictum per bonam fidem. Quòd si non omnia observaverint, componant libras XII. auri optimi. Item Arnulfus filius Martini concessit res suas in Ducatu Spoletino juxta aquam Marrubiam. Item Nicolaus filius Joannis Gualabruni refutavit res suas infra Castellum Limisanum. Item Maro filius Dodæ, & Purpura filia Faidonis concesserunt res suas in Ducatu Spoletino ad Maltinianum, & in Staquino, & in rigu de Guiti modiorum CCC. Item Adam Presbyter, & Monachus, & Joseph Monachus, qui fuerunt fideicommissarii cujusdam Jordanis nepotis prædicti Joseph, concesserunt res illius territorii Sabinensis, idest tertiam portionem in pertinentia Collis de Nigra, & in Pacciano. Item Benedictus filius Presbyteri Diaconi, & Rosa uxor ejus concesserunt rerum suarum medietatem in pertinentia de Catino ad Carolianum, & de Ecclesia Sancti Stephani duas portiones. Item Ophridus filius Crescentii, & Giramba uxor ejus concesserunt res suas territorii Sabinensis Comitatus Otriculari, idest quintam portionem de Castello Malliano, & de Castello Civitella, de quibus rebus Carbo filius Alamanni fecit promissionem huic Monasterio, ut unà cum heredibus suis in perpetuum per bonam fidem adjuvet retinere nobis acquisita & acquirenda in pertinentia de Malliano, & Civitella contra Papam & Regem, & Comites, & omnes homines, & portionem suam non donent, neque concambient, aut vendant ad detrimentum hujus Monasterii Et si hoc non observaverint, componant libras XXX. auri optimi. Item Lidonus filius Joannis cum consortibus suis concessit portionem suam de Castello Alatrino. Item Rainerius filius Joseph concessit res suas, idest medietatem de Castello Cornu, & medietatem de Castello Paterno, & sextam portionem de Castello Bajo, quod vocatur Janule. Item Crescentius Presbyter cum consortibus suis concessit Ecclesiam Sancti Laurentii in Sala territorii Sabinensis. Item Franco filius Savini concessit res suas in pertinentia de Gaviniano, idest domum infra ipsum Castellum, & alias plurimas res cum silva in Ruciano, & ad fontanam de Cerreto, & in Pantano de Gaviniano, & in Casarini. Item Lioto filius Joannis de Scage cum consortibus suis concessit res suas de Scage, & in Rocca, & in campo Tyberis, & Forsungi, & Geniperito in opus Sancti Nicolai de Forsungi.

Item prædictus Domnus Berardus Abbas II. in hujus prælatione regiminis confirmatus, eos, qui pro illo de istius honore Abbatiæ studuerunt, exosos habere cœpit, & à se repellens abjecit; quibusdam etiam plurimas injurias irrogavit. Quosdam verò illorum Deus percussit, & morte detestabili ac repentina obire fecit. Denique per Sarracenum, qui habitum Monachicum amiserat, & Joannem quemdam Longobardum, qui noviter conversatus fuerat, hujus negotii mendacissimos auctores absque pœnitudine vidimus interire, & sine sancta communione infra dies plus minus X. vel menses III. post illius honoris sublimationem. Attamen idem Abbas post aliquantum tempus hoc fieri annuit Chartarum mirificum Opus, sicut in Præfariuncula ejusdem Operis veraci stilo intimavimus.

Castella quoque prope & omnia bona filiorum Ilpini, & sex Castella, quæ per chartulas concessionis huic contulerant Monasterio, pavidè, latenterque amisit, & retinere neglexit, faciens cum *Rainaldo Comite* pactum in futurum legaliter damnabile. Item omnia bona filiorum Guidonis, quæ sunt Castella sex, nec non & terras, sive prædia, atque Castella *Rainaldi Comitis Auriculani* (60), & multa alia immobilia, quæ acquirere potuit, damnabili incuria, & pigriori negligentia amisit, quoniam terras acquirere noviter spernebat, & adeptas antiquitus persæpe scriptitabat. Quod nostrarum contra libertatem præceptorum agere videbatur, in quibus continetur, ut nullus Abbas audeat exercere inscriptiones libellorum, vel precariarum, nisi priùs ab Imperatore confirmatus, à Catholico Pontifice consecretur. Anteriorum etenim anathema Abbatum, vel Seniorum pro nihilo duxit, & Constitutum de Campo, & Arcibus cum excommunicationis obligatione pro hujus Ecclesiæ opportuna renovatione destruens violavit, & corrumpens infregit.

Post hæc autem cùm omnes Seniores majores, atque minores hujus sacri Conventus de hujus Monasterii vetustissima defectione causarentur, & de novi Monasterii in hoc super nos eminenti monte constructione assiduè ratiocinarentur; plurimi etiam Romanorum Civium Magnates hoc votis omnibus niterentur: tamdem vix quasi compunctus, & hominum clamoribus coactus, hanc fecit constitutionem cum anathemate, auctoralique excommunicatione pro novi in monte hoc Monasterii constructione. Licèt autem hanc præfatus Abbas firmiter statuerit constitutionem, citò tamen in illo defecit bona voluntas in operatione. Nam veluti tœdium sustinebat, & opus Ecclesiæ negligens incipere formidabat. Hujus tamen operis occasione per omnes Abbatiæ homines imposuit tributi reddendi rationem.

Denique pro eo quòd intus vel extra bona hujus Cœnobii sinè retractatione devastabat, quidam hujus Congregationis fratres non ferentes, de Monasterio recesserunt, & cum aliquibus Capitaneis, vel Civibus Romanis satagere moliebantur, ut compescerent dictum Abbatem ab hujus Monasterii devastatione, donec Domno Imperatori fideliter intimarent. Sed illis differentibus, tamdem dictus Abbas à plurimis coactus inchoavit in monte Ecclesiæ magnum opus. Sed Deus omnipotens, qui misericorditer consuevit nobis tribuere meliora, quàm petere sciamus, dona quoque sua melius prævidet . . . . . . causam Matris integerrimæ, præfati Abbatis finem imposuit actioni prodigæ. Nam per dies quinque febribus cor-

(60) Num legendum *Asculani*?

correptus est; jamque in extremo positus, satis ore pœnitens compungitur. Sed altero omnipotentis Dei judicio subitò obiit Anno Dominicæ Incarnationis MXCIX. mense Martii, die XXV. Feria etiam VI. post Caput jejunii, horâ quoque sextâ diei.

Hujus quoque Abbatis concessiones de hujus rebus Monasterii factas hìc etiam fideliter referre curemus. In villa Bucciniani concessit quasdam res sextariorum XV. pro sol. XXIV. In Quadruvio modios III. & dimidium pro solidis XII. In Ortisiano, & in Rivo torto res, & aquæmolum ad Scoplum pro solidis XX. In pertinentia Terraniani, & in Acutiano, & ubi dicitur Casalis, res pro equo uno librarum trium. In Cavallaria, & ad Sanctum Paternianum modios III. & in Agelli, & in Cornazano modios III. pro solidis XV. In Limisano, & Carpianello, & Lavino, & Acutianello, & Casale Trisonis, & Peneta pro equo centum solidorum modios XL. In Carboniano modios II. pro bove uno. Ad Sanctam Justinam tertiam partem rerum. In Coroliano concessit quasdam res, exceptis duabus portionibus Ecclesiæ Sancti Stephani, & concessit domum infra Castellum de Catino.

Hæc sunt Castella, quæ de jure nostri Monasterii possident filii *Comitis Rainaldi*: Tophia, Nercula, Podium Sancti Petri, Trebulæ, Castellum Ilperini, Castellum de Ugo, Ginestra, duæ partes de Turricella, & in Castello de Leto pars Tassonis.

Quadragesimus autem in hujus Cœnobii prælatione regiminis electus est *Domnus Oddo* Presbyter venerabilis, quem ipso die post Solis occasum sepulto prædicto jam Berardo Abbate. Nam quamvis hujus Congregationis aliqui maximæ utilitatis fratres abessent, quidam de confratribus sua quantumlibet conquirentes, quidam verò intentione simplici, & improvisa festinantes elegerunt eum solemniter, Longobardum quidem genere, sed nobiscum conversatum, & plurimo tempore. Erat denique astutus, & cautus in agendis negotiis, doctus, & prudentissimus in literarum studiis, nimiumque promtus, omnibus sociis compatiens, habilis, affectuosus, hilaris, gratulosus, verax, & decenter amabilis. Præterea rerum videbatur acquisitor cupidus, infatigabilis scriptor, & assiduus, laborator improbus, & non modicè honoris avidus, nec inaniter, rerum largitor superfluus. Hunc itaque sublimatum in electionis prælatione, qui aderant præcipui fratres per sacramentum firmitatis omni Conventui fecerunt promittere, ut secundùm infrascriptam promissionem providè in nostro præesset regimine.

Juramentum ab Oddone Abbate electo Monasterii Farfensis præstitum de non alienandis Cœnobii rebus, & de servandis usibus. Anno 1099.

„ IN nomine Domini nostri Jesu Christi. „ Ego frater Oddo, quem vos fratres „ electum ad hujus Monasterii regimen habe„ tis, omnibus simul fratribus, & sociis, fi„ liisque fidelissimis hujus gloriosæ Pharphen„ sis Ecclesiæ, & Matris Christi nostræ Domi„ næ Beatissimæ Mariæ, omnino firmitatis sub „ juramento, promitto, me observaturum „ omnes inferiores subscriptas res, quas co„ ram Deo, ejusque Genitrice confirmo huic „ venerabili loco, sanctoque Conventui, sicut „ ab antiquis Senioribus nostris audivimus „ anathema fuisse in Capitulo coram cunctis „ fratribus, & Domno Hugone Abbate, in „ præsentia quorumdam Episcoporum, & ve„ nerabilium *Abbatum Odilonis*, (61) *& Guillelmi*, ut nemo Abbatum istius Cœnobii „ audeat, vel consentiat aliquo modo auferre „ subscriptas res, & terras a jure, & regimi„ ne hujus Monasterii, neque alicui tribuere, „ neque per scripti munimen, neque per aliam „ donationem, idest tota Tornaria manualia, „ & quæ in Campo habentur, vel in antea „ facere poterimus; Campum de Granica, & „ manualia de Phara, & cetera, quæ nunc „ sunt, vel deinceps congruè addere commu„ ni cum consilio poterimus. Manualia de „ Tribuco, molendina quæ modò habemus, „ vel in antea facere poterimus; mortuorum „ oblationes, quas Dominus hic pro anima„ bus fidelium concesserit, exceptis tantùm „ dextrariis, & armis militaribus, vel quæ „ modò regimini justè competent, vel mode„ stè. Per omnia verò Castella, vel manua„ lia, tot paria bovum habeatis, quot justa „ censura facere poteritis. Castellum verò, „ aut terram, nulli umquam sublimi personæ „ aliquo modo tribuam. De præcipuis autem „ rebus pro Monasterii utilitate agendis non „ tam maximè cum Laicis, quàm cum ali„ quibus ex fratribus utiliter consiliantibus, „ ubi mecum affuerint, seu in Capitulo, cum „ omni agam Conventu. Ecclesiam autem, „ ac totum Monasterium studebo meliorare, „ & in antiquum, & justum usum reducere „ juxta meam possibilitatem. Gualdum de Sa„ lisano ad Conventus utilitatem faciam labo„ rare. De obedientiis, quas ex aliquibus fra„ tribus dedero, nullum pretium accipiam „ more Simoniaco; nec alicui meo Consilia„ rio me sentiente permittam. Præterea de „ omni legali Decima totius Abbatiæ quan„ tum secundùm Canones nobis attinet, & „ omne nostrorum portuum, vel mercati to„ loneum, & reditus vobis confirmo. Hæc „ omnia, sicut dictum est, firmiter spondeo „ observare, nisi fortè vos communi assensu „ aliquid volueritis indulgere, per ista Sancta „ Dei veridica Evangelia.

His autem ita pactis, non multò post quidam minùs sagaces, non æquo illum consilio de morum constanti benignaque probitate subverterunt, & ab æqui rectitudine fervoris quamcitius everterunt, eumque nimis pavidum affectum cum *Comite Rainaldo* ejusque socero pactum firmitatis inire fecerunt, ut illorum suffragio in Abbatiæ honore & quocumque commodo tutiùs roboraretur. Quibus etiam non modicam concessit pecuniam cum aliquantis ornamentis Ecclesiæ, & veste principali Altaris majoris in pignore posita. Et hæc latenter, & sinè Conventus notitia fecit, agens contra sacramentum, quod omni Congregationi juravit. Quod nos percipientes, nimis condoluimus, & subjugandum Comitibus hoc prævidentes Monasterium ampliùs pertimuimus. Unde suppressè invicem tristes loque-

(61) Hoc est Odilonis Cluniacensis, & Guilielmi Divionensis Abbatum, quorum fama celeberrima; Cluniacensis quippe instituta receperat Farfense Coenobium, uti & alia plurima Italiae Monasteria.

quebamur, & diu afflicti quotidie tractabamus. At hæc Domni Oddonis consiliarii sentientes, suaserunt ei, ut armatam manum equitum nostrorum, seu villanorum ad nos compescendos & conterrendos in hoc Monasterio faceret venire: quod & factum est. Itaque omnibus & nobis collectis in Capitulum vênit, & ut omnes in sua consentiremus electione, propriam à nobis in ipso loco, manuum exegit per vim descriptionem. Hinc referendum, notandumque est quòd eumdem Domnum Oddonem, ante Abbatiam, ut supra retulimus, prudentissimum, solertissimum, ac loquacissimum, nec non promtissimum vidimus; postea pavidum, & tremebundum, & ignarum, & quasi amentem, atque insensatum penè in cunctis prospeximus. Denique postquam Altaris vestem Beatæ Mariæ, & quælibet Ecclesiæ hujus ornamenta oppignorare fecit, quia à quodam sibi famulante est admonitus, immo coactus, excusavit se, & non se esse conscium facti illius, professus est. Sed cùm emendare differret, biduo à Domini Genitrice expectatus est. Tunc demum diutissimè ægrotare & languescere cœpit. Ingravescente autem languore, petiit unctionem: quod cùm in Capitulo referretur, Romanus Prior, qui tunc præerat, mandavit ei dicens: *Quia exspoliasti Dominam nostram Mariam, ideo emendare stude: sin autem, nec tibi unctionem faciemus, nec si obieris, in fratrum cæmiterio, sed magis in sterquilinio sepeliemus*. Quibus auditis maximè doluit, & ingemuit; & quasi mente minoratus, quia facturam emendare non poterat, petebat à quodam Canonico clanculo perungi, & confratribus ignorantibus pœnitentiari. Sed hæc præstolando, tribus noctibus durissimè in visu quasi à sublimi fœmina tribus acerrimis virgis est cæsus. Et ipse quadam nocte custodienti se famulo retulit hæc, & deprecatus est illum, ut sibi subveniret. Altera verò nocte idem custos pervigil audivit eum in ipsa visione inter flagella deprecari lacrymabiliter eam, quæ se cædebat, atque dicentem: *Mea Domina, mercede*. Et cùm evigilasset, interrogavit eum famulus, cur in somnis vociferasset, tunc ille ostendit eidem famulo læsiones vulnerum inflictas in corporis dorso, & confessus est, quòd quædam præclarissima fœmina tribus virgis acribus cædebat eum dicens: *Quare exspoliasti me?* Et ille dicebat: *Mea Domina, non feci hoc*. Et illa: *Quis ergo operari ausus est hoc? An ille Diabolus suggessit hæreticis?* His ergo recitatis, tunc quidem siluit, sed post biduum perdidit colloquium. Veruntamen priùs communicatus est Dominico Sacramento, sedet unctionis unctus mysterio obiit quasi hora IX. in Dominicæ Ascensionis Vigilia, cùm esset Quadragesimus in hujus sacri Cœnobii Abbatia, sepultusque est altero die, idest in ejusdem solemnitate Ascensionis.

His verò relatis, ad superiora paululum redeamus. Interea cùm Domnus Oddo præfatus, ut prætulimus, jam in Capitulo exegisset à nobis invitam manuum descriptionem de suæ Abbatiæ confirmatione, tunc quidem valde contristati variis perturbationibus, tempus non habentes opportunum siluimus, & qualiter ad Curiam Domni Imperatoris hæc omnia intimanda pergere possemus, inter nos tractabamus. Tunc visum est nobis utillimum consilium, si ad Domnum Beraldum Aschari filium, qui tunc in Ophida Præpositus erat, iremus, & simul cum ipso de nostri libertate Monasterii apud Domnum Imperatorem perfectiùs studeremus; Itaque clanculo de hoc egressi Monasterio, ad ipsum perreximus, & per dies XIII. cum illo in Ophida morati sumus. Post hæc in Dominicæ Ascensionis die, quæ tunc evenit VIII. Kalendas Maji post Missas, & prandii refectionem legatus illuc ad nos vênit dicens, Domnum obiisse Oddonem Abbatem; qui etiam ex parte confratrum nostrorum præcipuorum nobis retulit mandatum, ut nusquam pergeremus, sed ad eos simul cum Domno Beraldo festinanter reverteremur. Nos verò eodem die reverti cœpimus, & ad urbem Reatinam die jam Dominico devenimus, ubi iterum ad nos cariores legati venerunt, & omnia prospera & jucunda ab omni Conventu, cunctoque populo nobis denuntiaverunt. Altera autem die cum magno nostrorum sociorum, equitumque caterva nobis obviante, in hoc Monasterium reversi sumus gaudentes. Tunc omnes Seniores in Capitulum venerunt, & prædictum Domnum Beraldum, si de Abbatiæ honore immunis esset à Simoniacæ dationis munere certatim cœperunt inquirere. Tunc ipse omnimodis negavit, nullum omnino cuiquam munus dedisse, nec daturum promisit, nec aliquem per se id se sciente fecisse. Quam verò professionem omni placuit Congregationi, ut ibi certificaretur per testimonium sacramenti, & adderetur, ut si aliquis pro eo quamlibet habuisset factam promissionem, ipse eam ex toto deinceps evacuatam haberet. Deinde præfatus Domnus Beraldus cognatum suum nomine Berardum assurgere fecit, & sicut Conventus petierat, manu super Evangelia imposita, pro se jurare præcepit. Quod omnis Congregatio cum plurimis bonis hominibus videns, benivolo animo hoc sacramentum, quasi jam factum accipiens, indulsit. Mox verò pari voluntate, morosaque deliberatione magno cum gaudio, elegimus super nos Pastorem *Dominum Beraldum* (62), & continuò po-

(62) Berardum, & Berlandum in aliis locis ac Libris appellatum vidi. Electus autem fuit Anno Christi 1099. Subdere autem lubet professionem ab eo factam, quae heic innuitur; e Mabillonii Annalibus Benedictinis excerptam.

Promissio de rectè regendo Monasterio Farfense, facta à Beraldo Abbate nuper electo. Anno 1099.

,, IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, ego *Frater Beraldus Diaconus, & exiguus Farfensis Monachus*, ab annis pueritiæ in hoc Sanctæ Dei Genitricis, & Dominæ nostræ semper Virginis Mariæ Cœnobio nutritus, quem, Omnipotente Domino disponente, communi assensu rectaque concordia cum omni Populo electum ad hujus regimen Monasterii habetis, vobis Senioribus & dilectissimis Confratribus, vestrisque in perpetuum sociis, & successoribus, filiisque istius gloriosæ, Regalisque suprascriptæ Ecclesiæ, & famulis, coram Deo, ejusque Genitricis & perpetuæ Virginis Mariæ Dominæ nostræ præsentia, Sanctorumque omnium, veraci spondeo promissione, quòd deinceps hanc Abbatiam cum omnibus membris suis, idest Monasteriis, Ecclesiis, Terris, & Castellis ubique constitutis, ad honorem Dei Omnipotentis ejusque integerrimæ Matris & Dominæ nostræ Mariæ, semper salva *Serenissimi Domni nostri Heinrici semper Augusti Imperatoris* fidelitate, ipsique placentis prolis, retineam & ad omnium vestrum hic & quocumque loco nostro juri commisso, commorantium Monachorum, sive fidelium famulorum, orphanorum etiam, & quammaximè viduarum, totiusque Populi utilitatem, congruam fidelissimè regam & conservabo.

posuimus in sede. Post hæc ab illo petivimus fideliquc deprecatione, ut benigni regiminis mores, & optimæ consuetudinis observationem, sicut ejus alii juraverant Antecessores, nobis præscriptam regulam se observaturum bona fide, facere dignaretur veridicam promissionem. Quod libentissimè annuit, & magis se omnia observaturum, ac benignissimo animo spopondit promissionem, quam sui, qui juraverant, observassent Antecessores. His ita peractis, decentissimè gradatimque in Ecclesiam perreximus, & quæ explenda erant, dignissimè perfecimus. Quibus expletis vespertinam incœpimus Synaxim. Hæc autem omnia ritè peracta sunt X. Kal. Junii Anno Incarnationis Domini MXCIX. Indictione V. Feria quoque II. infra Ascensionem Dominicam.

Quadragesimus denique primus in catalogo Abbatum hujus sacri Cœnobii hic venerabilis, & *Domnus* exstitit *Beraldus*, altioris ac nobilioris secundùm seculum prosapiæ natus, & in hujus schola Monasterii à sua pueritia nutritus, & literarum nostro congruentium ordini studiis bene imbutus. Qui cùm ab omni Abbatiæ populo fidelitate & sacramentis confirmatus in hujus honore culminis fuisset, cœpit regimen liberè exercere, bonaque hujus Monasterii ab omnibus defensare, firmissimèque per omnia tueri. De quo in ipsa novitate prælationis quidam nostrorum se quidem in somnis vidisse visionem narravit. Videbat quippe dormiens Sanctum Eutychium, cum quo etiam Avum ejusdem Domni Abbatis, Adam scilicet filium Rodulphi, cernebat consistere, & audiebat eumdem Sanctum ipsi viro dicentem: *Manda Nepoti tuo* (Abbatem Pharphensem innuens) *ut destruat Idola, lucosque succendat; meam quoque festivitatem, quæ ipso die evenit, in quo Abbatiam suscepit, decentissimè celebrare faciat, ut me tutorem suum Deo auxiliante suis in causis habeat.* Quod cùm is, qui visavit, audisset, surgens studuit Domno Abbati referre: erat enim gnarus bene literarum. Quam utique jussionem cùm nos audissemus, sic interpetrati sumus: scilicet, quòd idcirco à Deo in hoc regimine prælatus est, ut infra extraque Abbatiam hanc ab omni incommoditate satagat purgare. Per Idola enim, quæ infra Templum consistunt, ut quosque velut ignis infra Abbatiam potenter destruens corrigeret; per lucos verò, quibus situs silvarum significantur, ut quascumque ab extraneis illatas huic Monasterio oppressiones igni concremaret, idest ad nihilum deduceret. Quæ omnia non multò post adimpleta cognovimus. Nam plurimi infra Abbatiam fraudulenter & nequiter agentes, Domni Abbatis fortitudine perterriti, à malignitatibus quieverunt. Nonnulli etenim ejus pavore timidi fugientes, hinc discesserunt. Itaque totius regimen Conventus cœpit vigilanti studio perficere, & maximam de nobis curam habere, Ecclesiæque decus solertissimè ampliare. Nam vestem Altaris Sanctæ Mariæ, & plurima ornamenta à suis prædecessoribus oppignorata studuit recipere, & ad hujus Ecclesiæ honorem recolligere. Nova quoque nonnulla acquirere. Armatam manum super nos equitum, & villanorum totius Abbatiæ, multoties ab ejus prædecessoribus perminitati sumus, hic conquiescere & amovere suis fecit temporibus. Si quando enim aliqui subditorum delinquere inveniebantur, ipsi solummodo puniebantur, & corripiebantur; immunes verò, & sinè culpa cum iniquis minimè condemnabantur. Interea Capitanei, & Comites & viri nobiles fortitudinem illius experientes, aliquantulum à nostra vexatione cessarunt; & cùm non possent apertiùs, clandestinis machinationibus mala contra hoc Monasterium exercere, moliebantur.

Unum factum est, ut quia hujus bona Ecclesiæ invadere; & sibi assumere, sicut erant soliti nequibant, Domni Abbatis Beraldi terrore compressi, cœperunt oblationes mortuorum de suis terris, & hìc virorum sepeliendorum, & quæque munuscula solita invidiosè subtrahere, & in quantum quibant hujus Ecclesiæ antiquissimam libertatem minuere, & Domno Abbati in quibuscumque causis valebant omni nisu læsiones facere, & ne hujus bona Monasterii augmentare posset, contrarii per omnia existere. Anno verò Dominicæ Incarnationis MCIV. quidam viri nobiles habitantes territorii Sabinensis Castrum, quod vocatur Foranum, unà cum uxoribus, & filiis suis, respectu inspirati à Domino, pro delictis suis, & propter timorem Dei, & mercedem animarum suarum refutaverunt & restituerunt in hoc Monasterio, & Domno Beraldo Abbati, quidquid eis pertinebat per scriptum tertii generis, quod olim susceperant à Domno Berardo I. Abbate de præfato Castello Forano, & Colle de Nera, quod eis pertinebat per acquisitionem infra hos fines: à primo latere rigus Calentinus veniens in rigum Rojanum, & in rigum Gabinianum, & in Anizanum, & in Lajam Episcopi, & in flumen Tiberis revertentes in Calentinum. Insuper quæcumque habebant & possidebant, infra supradicta vocabula, eorumque pertinentias, sive fines, jure hereditario, sive acquisitione, aut emtione, vel successione, & quocumque modo, aut actione. Similiter Petrus filius Grazonis refutavit, & reddidit terram, & Castellum Marciliani in hoc Monasterio, & ad supradictum Domnum Berardum Abbatem. Huic facto interfuit, & consensit *Octavianus Comes filius Oddonis* coram *Gentile Comite filio Senebaldi*, & per sacramentum firmavit eumdem Domnum Abbatem, & Monasterium de supradictis Castellis, & omnibus rebus, & terris, quotquot deinceps acquirere posset per totum Comitatum Sabinensem, quod ipse ad suum posse adjuvare eum ad retinendum & defendendum in hoc Monasterio contra omnes homines. Hac de causa post hoc dolo & invidia ductus. *Oddo* (63) *Comes, frater ejusdem Octaviani*, immissiones, & suggestiones, atque causationes pessimas cœpit exercere, contra Domnum Abbatem, & Monasterium Sanctæ Mariæ cum omnibus, quos suadere, & sibi sociare valuit. Et sic egit, ut Castrum nomine Caput Pharphæ capere, & huic Monasterio auferre faceret; & per se ipsum deprædationes, & desolationes, ac plurimas destructiones nostris locis & Castellis operari studeret. Denique Castrum de Campo, & Tri-

(63) In fine Chronici habes Catalogum Sabinensium Comitum, sed ibi minime occurrunt *Octavianus Comes*, & *Oddo Comes* ejus frater, heic memorati, qui tamen infra contendunt, *se quondam Comitatum Sabinensium ab Imperatore accepisse*: quare & isti eidem Catalogo adjungendi.

Tribilianum, ac Cuphi, incendi & desolari fecit, multosque captivos ex equitibus, & famulis Sanctæ Mariæ secum asportavit. Cùmque interrogaretur à quovis, cur tanta mala bonis Sanctæ Mariæ non pertimesceret inferre, has referebat excusationes, dicens, quondam se Comitatum Sabinensium ab Imperatore accepisse, ideoque Monasterium Sanctæ Mariæ non posse in eo aliquid acquirere, nisi salvo sui Comitatus jure. Contra pars Domni Abbatis talem reciprocabat rationem dicens: Ab initio hoc Monasterium hanc habuit libertatem à *Joanne VII. Papa*, & à Regibus Longobardis, & Imperatoribus antiquis, Carolo scilicet & reliquis deinceps, & à Pontificibus Romanis, ut quocumque tempore, à quocumque hominum aliquid quocumque modo legali acquisivisset more, ab omni conditione, ab omni reditu, ab omni pensione, ab omni datione, ab omni districtione Pontificum, Ducum, Comitum, vel quorumcumque Romani Pontificis Ministrorum, & cujuscumque dignitatis personæ inconcussum, imminuatum, & liberrimum existeret. Hanc quoque convenientiam voluit Domnus Abbas per pignus, & obsides obligare, ut utraque pars in præsentiam Domni Imperatoris iret, & ejus auctoritatem sanctissimam de his quisque observaret. Sed neque hoc ipse Oddo accipere, neque à damnis bonorum Sanctæ Mariæ voluit quiescere. Domnus verò Abbas, omnisque Conventus ad arma potentissima orationis assiduè conversi, Christum Dominum flagitabant suppliciter, ut causam suæ Genitricis à pessimis hostibus defenderet misericorditer. Verùm non multò post eorum preces Christus Dominus se justè ostendit exaudisse. Nam quadam die *Joannes ejusdem Oddonis filius* collecto exercitu ad Castrum equitavit Collis de Nera, ut caperet, & à Sanctæ Mariæ jure auferret. Cui Domnus Abbas cum paucis occurrit militibus; & tunc idem Joannes, qui capere venerat Castrum, Dei nutu in conflictu à nostris continuò capitur, & in custodia redigitur. Quo tamen facto Domnus Abbas non exaltatur, sed potiùs humiliatur; & ut justitiam, & æquitatem potuisset habere, maximam pecuniam adversariis voluit dare, quatenus pacem ab eis potuisset obtinere. Sed ipsi duri adhuc & pessimi corde minati sunt, ut Domnum Abbatem de Abbatia expellerent, & alium sibi placitum constituerent. Missis namque circumquaque legatis, innumeros exercitus congregaverunt, quos omnes Sanctæ Mariæ exercitus obvians faciliùs devicit, & *OphridumComitem*, aliosque quamplures capiens custodiæ delegavit. His peractis Domnus Abbas humilis finem petiit; sed cordibus obduratis eorum, adhuc obtinere nequivit. Deinde prædictus Oddo mentem Octaviani fratris sui, Domni Abbatis socii, & jurati, corrupit, & ut ab eo recederet, persuasit, atque ut sibi in captionem Domnum Abbatem traderet, sacramentum, & obsides ab eo in termino statuto accepit. Sed cùm in hoc prævaricaretur idem Octavianus filius Oddonis, quidem miles ante Domnū Abbatem, coram equitibus ibidem astantibus, appellavit eumdem Octavianum perjurum esse contra Patrem suum. Quo audito perculsus pavore Octavianus, & verecundia constrictus, reum se contra Domnum Abbatem per omnia confessus est fuisse. Tunc omnes astantes rogaverunt Domnum Abbatem, ut reciperet illum pœnam perjurii componentem, & iterum vera fide, firmoque sacramento Domno Abbati firmantem, quòd numquam ampliùs ab ejus discederet societate. Pœnam verò insuper perjurii composuit libras L. argenti, filiumque suum per sacramentum fidelitatis manibus commendavit Domni Abbatis. Sed non multò post iterum à fratre suo Oddone seductus in perjurium incidit, & à Domno Abbate discessit, & quæque contra eum potuit, damna operari studuit. Nam post hoc, majorem exercitum Oddo molitus est colligere, ut contra bona Sanctæ Mariæ invaderet, & deprædaretur, suumque de captione filium per vim eximere valeret. Cum quo etiam Octavianus Sanctæ Mariæ sæpe perjurus vênit armata manu. Tunc quidam fideles se intermiserunt, & obsides, & pignora ab utrisque acceperunt, & in manus Romanorum *Petri* (64) *Leonis*, & *Tebaldi Cencii* dederunt, ut in eorum Curia legaliter ipsa in territorio judicaretur lis, & justè finiretur; vênit itaque tempus, & adiit Domnus Abbas Romam cum omni justa defensione præparatus. Altercantibus verò Causidicis utriusque partis in placito apud Sanctum Nicolaum de Carcere, ventum est ad sacramentum calumniæ, quod per se facere Oddo renuebat, dicens, sibi, cùm obsides & pignora darentur, per pactum fuisse remissum, & concessum, ut per appositam personam ipsum sacramentum daret. Quod quamvis non legaliter omnibus pateret sic fuisse concessum, lege prohibente, tamen coactus suscepit Domnus Abbas ipsum sacramentum per appositam personam, sed tamen non secundùm legem factum, quia, nec qualitate rei, nec quantitate juris, nec veræ tempora possessionis assignavit. Octavianus autem cùm se repræsentasset, ut sacramentum faceret calumniæ, innotuit ei, & ad memoriam reduxit *Gentilis Comes* coram omnibus, qualiter olim Domnus Berardus Abbas, & Monasterium Sanctæ Mariæ per sacramentum confirmavit acquisita, & acquirenda in toto territorio Sabinensi, sicut supra relatum est; ideoque non deberet timere, & scienter in perjurium currere, quia se vidente, & audiente hoc fecerat, & ipse legaliter defendens hoc testificabatur.

Deinde *Petrus Leonis* hæc audiens, suggerendo cohibuit. Quapropter substitit, & minimè juravit. Tunc quidam Judex ipsius partis sinè qualitate, vel certa quantitate, & indefinitè sententiam dedit, dicens: quòd eidem Oddoni jus suum de præfatis Castellis deberet restitui. At contra Judex alius Sanctæ Mariæ partis judicavit, non debere restitui. Tunc Petrus Leonis Arbiter constitutus laudare diffinitè voluit, favens magis parti Oddonis. Sed *Tebaldus Cenci* socius ejus, videns sententiam controversam, non consensit, sed alium terminum composuit, ut clariùs, consultiùsque causam eamdem diffinire valerent. Ad quod iterum præparatus vênit Domnus Abbas; sed idem Petrus causam distulit, & non laudans postposuit. Peracto verò termino, proferre voluit diffinitionem; sed lege jubente post termi-

(64) Inter nobiles Romanos celeberrimi, cujus insignis mentio in controversiis Pascalis II. Papae, & Heinrici V. Regis, sive Imperatoris IV. Vide Tomum III. Rer. Italic.

minum datum, alteram partem ostensum est à Judicibus, nulla ratione ad illa suprascripta cogi debere; sic ergo divina agente miseratione desiit laudare, vel diffinire, & æquior pars Beatæ Mariæ à decipientium tunc clandestina erepta est deceptione. Et non multò post iterum prædicto Oddone conveniente cum legatis Domni Abbatis, sublati sunt obsides & pignora à Romanis, & dati sunt in manus *R. filii Senebaldi*, ut restitutione remota, & superflua Causidicorum controversia diminuta, in Curia ipsius tempore statuto utriusque partis amiciter, & sinè causatione ostenderentur monimina, & instrumenta, ac rectitudinis jura; & sic benignè, atque pacificè, & æquiori animo præfati *R. Comitis* mediatione recta, ipsa finiretur causa.

Cùmque statuto simul termino convenissent, pars Oddonis agere cœpit contra partem Domni Abbatis, dicens, se causam ipsam inquirere, ac defendere per Sancti Petri, ejusque successorum Pontificum possessionem; ibique relegerunt *Privilegium Constantini Imperatoris Beato Silvestro concessum*, per quod censebant, omnem Italiam, cunctaque Occidentalia loca, Beati Petri, & Pontificum ejus juri per omnia subjicienda, ita ut nemo privatorum, nec alicujus persona dignitatis in præfatis locis sibi aliquid vindicare valeat proprietatis. At verò pars Beatæ Mariæ enucleatiùs veriùsque ipsum perspiciens Edictum, asserebat, quòd non sic; quia Constantinus non jura privatorum, nec ex toto terreni Imperii dominium Beato Silvestro concessit; sed sicut ibi legitur, ut Principatum teneat super omnes in universo Orbe terrarum Dei Ecclesias, & ejus judicio quæcumque ad cultum Dei, vel Fidem Christianorum stabilitate procuranda fuerint, disponantur. Denique in Marci successoris Beati Silvestri Actis legitur, quòd ejus suggestione obtulit idem ipse Constantinus Augustus Basilicæ, quam ipse Papa fecerat via Ardeatina, fundum Rosarum. Aliæ verò Basilicæ in Urbe obtulit idem Constantinus fundum Antonianum via Claudia, fundum Vaccanas via Appia, fundum Orrea via Ardeatina. Hic animadvertat prudentissimus censor, si priùs *Constantinus* omnem Italiam *Beato Silvestro* concessit, quid hoc exstitit, quòd illius successore *Marco* suggerente præfatos fundos in supradictis Ecclesiis contulit? Sed & dominium sibi terreni Imperii in Italia omnes Imperatores ex tunc ita reservarunt, ut illorum semper consensu Pontifices confirmarentur, sibique in aliquo offensi corrigerentur.

Denique *Liberium Constantius Augustus* triennio exiliavit; & postea reconciliato eo Felicem Catholicum, interea constitutum, ejecit de Episcopatu. *Felicem* quoque *II.* qui eum hæreticum declaravit, capite truncari fecit. *Bonifacius* autem *I.* una die sub intentione ordinatus cum Eulalio jussione *Placidiæ Augustæ*, sedentis Ravennæ, & filii ejus *Valentiniani*, habitantis Mediolani, missa auctoritate, de urbe expellitur; sed postmodum utrorumque jussione, Augustorum revocatur, & in Sede confirmatur. Eulalius autem foràs in Campaniam mittitur. *Sixtus* verò *III.* cùm à quodam Basso criminaretur, ab Episcopis LVI. purgatur, & Bassi damnati facultates, & prædia, præfatorum Augustorum præcepto Catholicæ Ecclesiæ sociantur. *Symmachus* etiam, & Laurentius sub intentione ordinati, diviso Clero, atque Senatu, constituitur, ut ambo pergerent Ravennam ad judicium Regis Theodorici. Quò cùm irent, censuram æquitatis, primò ordinatus, & maxima parte constipatus, invenitur Symmachus, & in Sede confirmatur. Silverium quoque Papam *Theodatus Rex* tyrannus, pecunia corruptus, per vim ordinavit sinè deliberatione Decreti, in quo Sacerdotes non subscripserunt, secundùm morem antiquum, nec Decretum confirmaverunt, nisi post ordinationem; quem postmodum Vilisarius, Patricius Imperatoris, deponi, & Monachica indui veste fecit. *Vigilium* autem successorem ejus, *Justinianus*, & *Theodora Augusti* Constantinopolim accersierunt, & in custodiam miserunt.

Tunc temporis misit Imperator Justinianus Narsetem Eunuchum & Cubicularium suum in Italiam, cui contra Gothos pugnanti Deus victoriam dedit, Rege Badua, qui & Totila, interfecto; qui etiam rogatus à Clero Romano, de exilio Vigilium Papam reduxit. Beatissimus quoque *Gregorius* veridicus, eximiusque Doctor Ecclesiæ, quem cùm Clerus, Senatus, Populusque Romanus, sibi concorditer Pontificem eligerent, *Imperatori Mauricio*, cujus filium susceperat ex sancto lavacro literas latenter destinavit, adjurans, & multa prece deposcens, ne umquam assensum populis præberet, ut se hujus honoris gloria sublimaret. Sed Præfectus Urbis nomine Germanus, ejus nuntium anticipavit, comprehensoque, ac diruptis epistolis, consensum, quem populus fecerat, Imperatori direxit. At ille gratias agens Deo, pro amicitia Diaconi, eo quòd locum deferendi ei honoris, ut cupierat, reperisset, data præceptione ipsum ordinari præcepit. *Bonifacius* (65) autem *III. Papa* obtinuit à Phoca Cæsare, ut Sedes Apostolica Beati Petri Apostoli caput esset omnium Ecclesiarum, quia Ecclesia Constantinopolitana se primam omnium Ecclesiarum scribebat. *Bonifacius* verò *IV. Papa* impetravit à Phoca Principe Templum Pantheon, quod fecit Ecclesiam esse Beatæ Mariæ semper Virginis, & omnium Martyrum, Reliquiis in ea collocatis, in qua Ecclesia etiam Princeps multa obtulit dona. *Bonifacius* namque *V. Papa* constituit, ut testamentum valeat secundùm jussionem Principis. *Honorius* denique *Papa* cooperuit omnem Ecclesiam Beati Petri Apostoli ex tabulis æreis, quas levavit de Templo, quod appellatur Romæ, ex consensu piissimi Eraclii Imperatoris. Temporibus verò *Theodori Papæ*, mortuo Isaacio, misit Imperator Theodorum Patricium, & Exarchum cognomento Calliopam, ad regendam omnem Italiam. In diebus autem *Martini Papæ* direxit Imperator Olympium Cubicularium suum, & Exarchum ad regendam omnem Italiam; & post hæc misit Theodorum Exarchum cognomento Calliopam cum Theodoro Imperiali Cubiculario, qui & Pelluria dicebatur; qui tollentes Sanctissimum *Martinum Papam*, de Ecclesia Salvatoris, quæ & Constantiniana appella-

(65) Quae heic longa oratione adferuntur, omnia desumsit Causidicus, aut pro illo, ut suspicor, Chronographus noster congessit, ex Romanorum Pontificum Vitis Anastasio tributis. Sed omnia parum accurate digesta animadvertas; miscet enim rite facta quaedam cum impotentium ac Tyrannorum actibus minime laudandis.

pellatur, perduxerunt Constantinopolim. Vitaliani verò Papæ temporibus vênit *Constantinus Augustus* in Urbem Romam, & omnia, quæ erant in ære ad ornatum Civitatis, deposuit; sed & Ecclesiam Beatæ Mariæ ad Martyres, quæ de tegulis æreis erat, discooperuit, & in Regiam Urbem cum aliis diversis, quæ deposuerat, direxit. *Agatho* quoque *Papa* suscepit divalem jussionem piissimorum Principum *Constantini*, *Eraclii*, ac *Tiberii Augustorum*, secundùm suam postulationem suggerens, per quam relevata est quantitas, quæ solita erat dari pro ordinatione Pontificis facienda; sic tamen ut si contingeret post ejus transitum electionem fieri, non debeat ordinari Electus, nisi priùs generale Decretum introducatur in Regiam Urbem secundùm antiquam consuetudinem, & cum eorum conscientia, & jussione debeat ordinatio provenire.

Leonis etiam *Papæ II.* temporibus, percurrente divali jussione Principis clementissimi, restituta est Ecclesia Ravennas sub ordinatione Sedis Apostolicæ, ut defuncto Archiepiscopo, qui electus fuerit, juxta antiquam consuetudinem, in urbem Romam veniat ad ordinandum. *Benedictus* autem *II. Papa* suscepit divales jussiones clementissimi Constantini magni Imperatoris ad venerabilem Clerum, & Populum, atque felicissimum exercitum Romanæ urbis, per quas concessit, ut persona electa in Sede Apostolica, è vestigio & absque tarditate ordinetur Pontifex. Conon verò cùm eligeretur Papa, Judices unà cum Primatibus, Exercitu & Clero, Populoque in ejus scripserunt Decreto, & missos pariter unà cum Cleris, & Populo ad Excellentissimum Theodorum Exarchum, ut mos est, direxerunt, ut ejus assensu confirmaretur. Quem postmodum ejus Archidiaconus videns infirmitate constrictum, scripsit Ravennæ Joanni glorioso Exarcho, ut ad Pontificatum eligi mereretur. Qui demandavit Judicibus suis, quos Romæ ordinaverat, & direxerat ad dispensandam Civitatem, ut post mortem Pontificis, ejusdem persona Archidiaconi eligeretur. A Sergio quoque Papa Joannes Patricius, & Exarchus cognomento Palatinus, Romam veniens centum auri libras exegit Electo. Temporibus autem *Constantini Papæ*, *Justinianus Imperator* misit Theodorum Primicerium Ravennam, qua capta Felicem Archiepiscopum arrogantem & omnes rebelles compedibus constrinxit, & Constantinopolim misit. *Justinus* verò *Imperator* missa jussione suprascripto Pontifici, præcepit eum ire Constantinopolim; cui etiam obtemperanti Imperialibus jussis, omnia privilegia Ecclesiæ renovavit, eumque ad propria reverti cum honore fecit. *Gregorii* quoque *Papæ III.* temporibus, *Constantinus Imperator* duas Massas, idest Nymphas, & Normias, juris existentes publici, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ juri perpetuo possidendas direxit. Theodorus autem major filius Megisti, prædium, quod ex hereditate fruebatur paterna, situm quinto milliario ab urbe via Tyburtina, Beato Petro reliquit defunctus.

Adriano quoque *Papæ Carolus Rex Francorum* concedi, & contradi spopondit has Civitates, & territoria per designatum confinium, idest à Lunis cum Insula Corsica, deinde in Suriano, deinde in Monte Bardone, idest in Verceto, deinde in Parma, deinde in Regio, exinde in Mantuam, & Montem Silicis, & universum Exarchatum Ravennatensium, sicut antiquitus erat, atque Provincias Venetiam, & Histriam, & cunctum Ducatum Spoletanum, & Beneventanum. Hujus etiam temporibus Leoninus Consul & Dux, Monachus factus, tres uncias Massæ Aretianæ, quibus parentum fruebatur hereditate, XVI. milliario ab Urbe via Ardeatina Beato Petro Apostolo perenniter concessit permanendas.

Hæc idcirco omnia brevi stylo ex Sanctorum scriptis authenticorum auctoritatibus decerpere studuimus, ut veridica relatione ostenderemus, omnes Pontifices Romanæ Sedis, Imperiali Edicto post Electionem semper confirmatos, & Italiam totam semper habuisse Imperatorios Procuratores, Rectores, Patricios, Exarchos, & Duces, qui Imperatoria jura, & Reipublicæ potentissimè possidentes defenderent, dominiumque Italicum obtinerent in omnibus constantissimè usque ad tempus Pipini Regis Francorum, quem Stephanus Papa II. apud Parisium coronavit & unxit cum duobus filiis suis circa Annum Dominicæ Incarnationis DCCLIV.

Nam Dominicæ Incarn. Anno DCCLXXIV. Carolus Pipini filius, & Rex Francorum, & Patricius Romanorum, Ticinum obsidens Civitatem, Desiderium Regem comprehendit, secumque in Franciam deportavit, suæque potestati, cunctum Regnum Longobardorum subjugavit. A tempore itaque Beati Papæ Silvestri, qui sedit penè Incarnationis Dominicæ Anno CCCXXXV. usque ad tempus Adriani Papæ præsulantis circa Dominicæ Incarnationis Annum DCCLXXII. cujus Anno III. prædictus Carolus Regis Francorum Pipini filius, Romanorum Imperator est factus, computantur Anni ferè CCCXXXVII., & à tempore *Adriani Papæ* usque ad tempus *Gregorii VII. Papæ*, qui contra Henricum III. Romanorum Imperatorem scandalum (66) nisus est Sanctæ Dei Ecclesiæ suscitare, sunt anni plus minus CCCXXXI. In quibus omnibus temporibus nemo, ni fallor, Pontificum legitur, absque Principis jussione ordinatus fuisse, præter Pelagium Papam. Nam de illo legitur, quòd ordinatus sit sinè Principis jussione, eo quòd Lon-

(66) Dissidia inter Gregorium VII. Papam, & Henricum IV. Regem agitata, animos etiam Catholicorum olim divisere, pro Pontifice multis, pro Rege non paucis militantibus atque sentientibus. En ut bonus iste Monachus, qui iisdem temporibus vixit, Henrici patronum se prodit. Nec mirum. Farsense Cœnobium tunc unius Augusti patrocinium & jus venerabatur, & ubique ambitiose jactabat. Henricus ipse, ut supra vidimus, illic veluti numen exceptus fuit, & locum eximiis Privilegiis ornavit, quidquid Monachi petiere largitus. Itaque pro illo pertinacissime steterunt Farfenses, atque adeo minime Gregorii VII. acta probarunt. Verum haec perturbatissimi illius temporis infelici conditioni sunt condonanda. Et ad nos quod attinet, tantummodo memoria repetendum, perditos nimium fuisse Henrici mores, intolerandos vero abusus invaluisse in Ecclesia, quos resecare necesse erat, & tunc resecare sine ferro & igne fortasse non licuit. Denique etsi non defuere, qui Henrici causam ea tempestate tutati sunt, boni tamen omnes zelum & constantiam Gregorii VII. laudarunt, ita ut ejus acta nullo amplius defensore indigeant. Sed legendus heic prae ceteris immortalis Baronius.

Longobardi Romanam Civitatem obsiderent, multæque ab eis per Italiam fierent vastationes. Denique post eum Gregorius Doctor Beatissimus à Clero, & Populo electus, roborari ante noluit in Præsulatu, quàm ab Imperio assensu fuisset confirmatus. Quod ergo per DCCLIX. annorum curricula constitutum & observatum, sine ullius Sancti Apostolici, sive Doctoris contradictione fuit, non arbitramur aliqua ratione posse contradici; & maximè quòd extra fidem minimè dignoscitur fore. Nonnulli enim Pontificum quamquam sub intentione electi sint, nullo modo Præsulatus habere potuerunt sublimitatem, nisi Imperatoris obtinerent consensionem. Hic prudentum attendat solertia, quia si Constantinus quondam Augustus priùs Vicario Beati Petri Apostoli, Silvestro scilicet, coronam Imperii concessit, postmodum verò alter Beati Petri Vicarius, *Stephanus* videlicet *Papa II.* prædictum Pipinum cum duobus filiis germanis, Carolo, & Carolomanno Regem Francorum unxit. *Stephanus* quoque *Papa III.* eosdem Romanorum Patricios confirmavit. *Leo* etiam *III.* Carolum coronavit, eumque defensorem tutoremque Sedis Apostolicæ, Sanctæque Ecclesiæ Catholicæ stabilivit, & unà cum omni Senatu Romano Imperium illi per omnia confirmavit. Sed quomodo eum terrenarum rerum potestate, & totius jure Imperii fraudavit? vel dominia illi Italica denegavit, per quem Romani Populi, omnisque Christiana libertas ab omnibus præjudiciis, & universis incōmodis debet defendi?

Fuerunt præterea & multi in Italia viri, qui per diversa loca jus proprium, & privatum jure hereditario possederunt, & locis sacris Deoque dicatis ob animarum suarum mercedem de suis substantiis plurima concesserunt. Non omnis ergo Italia in terrenis facultatibus, patrimonium Beati Petri Apostoli Ecclesiæ extitit, nec umquam Pontificum Romanorum ex toto dominium fuit, nisi in his, quæ ad cultus Dei pertinent dispositionem, vel ad veræ Fidei conveniunt ostensionem. Ex quibus duobus non solùm Italia, sed etiam omnis Mundus Apostolici Præsulis magisterium observat, & impositum modum. Nec enim congruit, totius Orbis Speculum, hoc est Præsul Apostolicus, humano pulvere sordescere, & curis Mundo militantium avidiùs incumbere; quia scriptum est: *Omnis Pontifex ex hominibus assumtus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum*. Ergo Pastor ipse est animarum, ipse Doctor Fidei electorum; ipse caput omnium Ecclesiarum. In his tamen rebus, & causis, non quæ sunt ad Seculum, sed quæ sunt ad Deum. Non enim claves Terræ, seu Regni terrestris, sed claves Regni Cœlorum concessit illi omnium Pastor Pastorum, ut quæ solvenda sunt in Cœlo, solvantur & in Terra ab eo; & quæ sunt in Cœlo liganda, ligentur & ab ipso in Terra.

Sed jam redeamus ad nostri libertatem Monasterii antiquam, perfectam, & à plurimis Orthodoxis, Summisque Pontificibus, & Imperatoribus, ac Regibus Catholicis, ostendamus illam nostris antecessoribus, & nobis incunctanter fuisse concessam, & in perpetuum fore permanendam. Itaque Carolus Imperator Monasterium hoc Sanctæ Dei Genitricis, & semper Virginis Mariæ, sub Imperiali tuitione sive defensione, sicut antea Reges egerant Longobardorum, recepit, eumque quietum, & liberrimum ab omnis occasionis conditione per suorum paginas præceptorum in omnibus acquisitis rebus, & acquirendis perenniter fore sancivit. Pontifices etiam Apostolicæ Sedis verè Catholici, & Pastores, totiusque Orbis Ecclesiarum Patres, idest *Joannes VII. Paulus*, *Adrianus I. Stephanus IV. Paschalis I. Benedictus VIII. Leo Magnus* Teutonicus, & *Nicolaus II.* providentiam habentes Pastoralem, & sicut misericordes Patres, verique Doctores, curam spiritualiter habentes suorum filiorum, & maximè domesticorum, hujus Sancti Monasterii antiquissimam perspicientes, & consuetam cognoscentes indultam pleniùs libertatem, perfectiùs & ipsi illam confirmaverunt, & in perpetuum permanendam corroboraverunt; atque si quis illam infringere ausus fuerit, cujuscumque dignitatis sit, & quocumque modo, perenni anathemate feriendum constituerunt. Dehinc quoque exstiterunt Reges, Duces, Marchiones, & Comites, & plurimarum dignitatum personæ, quæ de suæ jure proprietatis, Deo inspirante, eidem Monasterio concesserunt plurima, & firmaverunt perpetuò inibi permanenda.

Igitur cùm pars Sanctæ Mariæ authentica scripta, & antiquissima Pontificum privilegia, & Regum, vel Imperatorum veraciora, de omni libertate huic Monasterio perpetuò concessa perlegisset præcepta, omnibus in placito audientibus, pars Oddonis è contra fingebat, dicens: *Non potest Prælati cujuscumque Ecclesiæ scriptum, vel concessio, aut constitutio valere, nisi tantùm concessore vivente*. Quod pars Sanctæ Mariæ optimè defendit, cùm Beati Gregorii Doctoris, Summique Pontificis, super hoc auctoritatem ostendit, dicentis: *Privilegia Monasteriis indulta, nulla ratione infringi posse; quia qui prædecessoris institutionem molitur dissolvere, suam quandoque ostendit in hoc non posse statuere*. Itemque ostendit edictum Domni Ottonis Augusti, dicentis: *ut Regibus, & Imperatoribus ea, quæ Regni, & Imperii sunt, non sit licitum, nisi se viventibus, alicui tribuere, exceptis Ecclesiis; & omne scriptum, sive jus, aut lex, vel consuetudo, quæ Dei Ecclesiis obsistere videtur, in irritum habeatur*. Ergo libertas Ecclesiarum in nullo prægravatur.

Iterum ostendit pars Oddonis Beati Gregorii dispositionem, qui per partes Italiæ locis nominatis ordinaverat Defensores, sive Ministros, ut patrimonium videlicet suum, vel Beati Petri Apostoli Ecclesiæ, honestissimè, & rectissimè, ac fidelissimè non divitibus, sed pauperibus, & indigentibus dispensarent; quos etiam non Laicos, sed Clericos censuit esse debere, sub Divini præcepti interdictione. Ad hæc Sanctæ Mariæ pars sic respondebat: Si unius tantùm Pontificis temporis dispositione patrimonii per aliqua Italiæ loca ...... omnem Italiam ad jus Patrimonii Romanæ Ecclesiæ vos vendicare censetis: quomodo non magìs per CCCXXX. annorum curricula à Constantino Imperatore Augusto usque ad Carolum Imperatorem expleta, in quibus jura Imperii per Exarchos, ac Patricios defensa, nobis ostendentibus, fuerunt, credere debetis? Et à Carolo Imperatore usque nunc similiter per Duces, Marchiones, Comites, & Castaldos Reipublicæ, & Imperialis pertractata sunt per annos ferè CCCCLIII. Et ne fortè vobis placeat causare præcepta Regalia ad hujus Mo-

Monasterii libertatem edita, libeat vobis audire quod Bonifacius Papa V. constituit, *ut testamentum valeat secundùm jussionem Principis*.

Constat ergo sanè, quia, ut supra retulimus, non omnis Italia, sed quædam in ea loca, seu vocabula, parti Beati Petri Ecclesiæ patrimonio fuerunt largita. Alioquin si omne Sabinense territorium, patrimonii prædicti fore censetur, ubi sunt jura reliquarum Ecclesiarum? ubi hereditates Comitum, & illustrium virorum? ubi etiam Reipublicæ, & privatorum? Et si sua sunt omnia, quare antiqui Pontifices, vel moderni, aut gratis accipiunt proprietates, aut emunt potiùs res, & possessiones terrarum sibi largientium virorum?

Nam quod à temporibus *Caroli Imperatoris*, & deinceps, numquam de Italia, vel Roma cessaverit Imperiale, vel Regale dominium, fideliter nunc intimemus. Pontifices etiam semper Principali assensu ordinatos ostendamus. Denique idem Carolus, unà cum Pipino filio suo Romam vênit, & Domnum *Leonem Papam III.*, ab impiis lingua præcisum, & cœcatum, potentissimè vindicavit; & ab eo coronam Imperii suscepit. Temporibus autem *Sergii Papæ II. Hlotharius Rex* Romam vênit, & ab eo coronatus, aliquandiu ibidem deguit. Deinde Papiam reversus est, ubi ab exordio Principatus sui culmen regebat. *Leone* verò *Papa IV.* electo, Romani contristabantur, eo quòd sinè Imperiali non audebant auctoritate futurum Pontificem consecrare, periculumque Saracenorum Romanæ urbi maximè imminentem metuebant, ne iterum, ut olim, alienis ab hostibus obsiderentur. Quapropter sinè permissu Principis Præsulem consecraverunt. Hic tamen venerabilis Pontifex, dum pavore Saracenorum, Civitatem Leoninam vellet construere, adjutorio, consilioque ejusdem *Hlotharii Augusti* studuit perficere; à quo etiam, sive ab ejus fratribus, non modicas argenti libras pro his meruit accipere. Cujus temporibus quidam Daniel, (67) Magister militum Domni Ludovici Imperatoris Curiam adiit, & Gratianum quemdam Magistrum militum pessime accusavit, dicens: quòd idem Gratianus secum habuisset occultè consilium; *Quia Franci*, inquiens, *nobis nihil bona faciunt, neque præbent adjutorium, sed magis nostra violenter tollunt: quare Græcos non advocamus, & cum eis fœdus componentes, Francorum gentem de nostra dominatione expellimus?* Quo audito Imperator iratus vênit Romam, quem Domnus Leo Papa honorificè suscipiens, prædicationis verbo studuit placare. Quadam autem die Imperator unà cum Papa, & omnibus Romanis, atque Francis de prædicta accusatione placitum habuit; & inventus est mendax Daniel, qui etiam legali judicio traditus est Gratiano, ut quicquid facere vellet de eo, potestatem haberet. Imperator verò humili supplicatione à Gratiano recepit, & de mortis periculo liberavit.

Benedictus verò *Papa III.* coram Missis Imperialibus consecratus legitur; quem cùm *Cæsar Ludovicus* defunctum audisset, qui ante paululum à Roma discesserat, concitus ad eam rediit, & ipso præsente *Nicolaus* à Romanis electus, Papa est consecratus. Joannes autem Pontifex XIII. à Rofredo Comite Campanino, Petri Præfecti adjutorio, & vulgi Populi de Carcone, est comprehensus, & in Castello Sancti Angeli reclusus. A quo abstrahentes, Campaniæ partibus in exilium mandarunt. Interfecto autem Rofredo, Joannes Papa reversus est in suum honorem. At ubi *Otto Imperator* Romam vênit, & hæc gesta audivit, Romanorum Consules comprehendit, & ultra montes in exilium direxit. De vulgi autem Populo in patibulum XI. suspendit. Præfectum verò in potestatem Papæ dedit. qui ejus barbam abscindere fecit, & capillos ejus in caballo Constantini ad omnium exemplum suspendit; exspoliatumque super asinum posuerunt; adverso capite ad caudam asini, & manibus sub cauda ejus, & posuerunt utrem pennatum in capite, & in coxis ejus, & tintinnabulum ad collum, & per totam Romam flagellatum duxerunt; & tunc in carcerem miserunt; post hæc Imperatori dederunt. Rofredi quoque Comitis, & Stephani Vestararii ossa de sepulcris abstracta, foris Romam sunt projecta. *Benedictus* etiam *Papa VI.* à quodam Cencio est comprehensus, qui & in Castellum Sancti Angeli est missus, ubi mortuus est; eoque vivente *Bonifacium Diaconum Papam* miserunt, qui post mensem unum fugit in Constantinopolim. Deinde ordinatur Papa *Benedictus VII.* Sutrinus Episcopus; post quem *Joannes Papiensis*. Hunc post menses VIII. superior Bonifacius à Constantinopoli, quò fugerat, reversus, comprehendit, ac deposuit, & in Castello Sancti Angeli in custodiam misit, ubi famis & infirmitatis angustia post menses IV. est mortuus, & ut fertur, occisus. Ipse etiam Bonifacius post menses XI. repentè interiit, quem sui execratum post mortem cæciderunt, & lanceis vulnerarunt, & ante caballum Constantini per pedes trahentes dimiserunt. Mane verò Clerici colligentes sepelierunt.

Post hæc *Johannes XV. Papa* eligitur. Iste exosos habuit Clericos, propter quod & Clerici eum odio habuerunt; & meritò, quia quæ habere poterat, parentibus distribuebat. *Benedictus* quoque *Papa VIII.* (68), *qui & Theophylactus* dicebatur, de Pontificatu ejectus est, & *Joannes Sabinensis Episcopus* constitutus, cui nomen imponitur *Silvester*. Quo ejecto post dies XLIV. *Benedictus* præfatus recuperavit Papatum; qui post mensem I. vendidit illum *Johanni Archidiacono Sancti Johannis Portæ Latinæ* nomine *Gratiano*, cui nomen imponitur *Gregorius*, quem Imperator deposuit, & ultra montes ire compulit; & *Clementem II. Papam* constituit. Post menses autem IX. prædictus Benedictus Pontificatum mensibus VIII. recuperavit. *Damasus* post hæc sedit dies XXIII. Post quem exstitit Præsul Apostolicus *Leo Magnus Teutonicus*; inde *Victor* Noricus; tum *Stephanus* IX. Demum *Benedictus Beliternensis Episcopus*, qui post menses IX. expellitur; & *Nicolaus Allobrox*, qui Burgundio dicitur, Papa eligitur. Hic quippe venerabilis Pontifex, cùm omnia superiùs denotata optimè didicisset, & cognovisset multoties sub maxima intentione, & Cleri Populique dissensione, plurimos Pontificum Sedem Apostolicam olim subripuisse, & quod deterius est, pecuniis eam obtinuisse, vel vi Seculari invasisse, propter pa-

(67) Desumta quoque ex Anastasio Bibliothecario fuere, quae heic narrantur. Vide T. III. Rer. Italic.

(68) Immo *Nonus*, quod ex sequentibus constat.

pacem, & concordiam, unitatemque Sacerdotalis dignitatis, & fastigii Imperialis, generale congregavit Concilium, in quo ut cuncta supra commemorata, & iniquè exhibita destruerentur, & ne quidquam eorum à quovis in posterum hoc fieret, sanctum studuit decretum firmissimè statuere.

Decretum (69) Nicolai II. Papæ de electione Romani Pontificis in Synodo Romana emissum. Anno 1059.

„ IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi Anno ab Incarnatione ejusdem MLIX. mense Aprili Indictione XII. Propositis Sacrosanctis Evangeliis; præsidente quoque Reverendissimo, ac Beatissimo Nicolao Apostolico viro in Basilica Lateranensis Patriarchii, quæ cognominatur Constantiniana; considentibus etiam Reverendissimis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, seu venerabilibus Presbyteris, atque Diaconibus. Idem venerabilis Pontifex authoritate Apostolica decernens de electione Summi Pontificis, inquit: Novit Beatitudo vestra, dilectissimi fratres, & Coëpiscopi; inferiora quoque Christi membra non latuit: defuncto piæ memoriæ Domno Stephano Decessore nostro, hæc Apostolica Sedes, cui Deo authore deservio quot adversa pertulerit, quot denique per Simoniacæ hæresis trapezitas, repetitis malleis crebrisque tunsionibus subjacuerit, adeò ut columna Dei viventis jam jam penè videretur concussa nutare, & sagena summi piscatoris, procellis intumescentibus cogeretur in naufragii profunda submergi. Unde si placet fraternitati vestræ, debemus auxiliante Deo, futuris casibus prudenter occurrere, & Ecclesiastico statui, ne rediviva (quod absit) mala prævaleant, inposterum providere. Quapropter instructi prædecessorum nostrorum, aliorumque Sanctorum Patrum authoritate, decernimus atque statuimus, ut obeunte hujus Romanæ universalis Ecclesiæ Pontifice, in primis Cardinales diligentissima simul consideratione tractantes, salvo debito honore, & reverentia dilectissimi filii nostri Heinrici, qui in præsentiarum Rex habetur, & futurus Imperator Deo concedente speratur, sicut jam mediante ejus Nuntio Longobardiæ Cancellario W. concessimus, & Successorum illius, qui ab hac Apostolica Sede personaliter hoc jus impetraverint, ad consensum novæ electionis accedant. Nimirum præcaventes, ne venalitatis morbus qualibet occasione subrepat, Religiosi viri cum Serenissimo filio nostro Rege Heinrico præduces sint in promovendo Pontificis electionem; reliqui autem sequaces. Eligant autem de ipsius Ecclesiæ gremio, si reperitur idoneus; vel si de ipsa non invenitur, ex alia assumatur. Quòd si pravorum atque iniquorum hominum ita perversitas invaluerit, ut pura, sincera, atque gratuita electio fieri in Urbe non possit, licèt pauci sint, jus tamen potestatis obtineant eligendi Apostolicæ Sedis Pontificem, ubi cum invictissimo Rege congruentiùs judicaverint.

„ Planè postquam electio fuerit facta, si bellica tempestas vel qualiscumque hominum conatus malignitatis studio restiterit, ut is, qui electus est in Apostolica Sede, juxta consuetudinem intronizari non valeat; Electus tamen sicut verus Papa authoritatem obtineat regendi Sanctam Romanam Ecclesiam, & disponendi omnes facultates illius: quod Beatum Gregorium ante suam consecrationem fecisse cognoscimus. Quòd si quis contra hoc nostrum decretum Synodali sententia promulgatum, per seditionem, vel præsumtionem, aut quodlibet ingenium electus, aut ordinatus, seu etiam si intronizatus fuerit, non Papa, sed Satanas, non Apostolicus, sed Apostaticus, ab omnibus habeatur & teneatur, & authoritate divina, & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, perpetuo anathemate, cum suis authoribus fautoribus, & sequacibus, à liminibus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ separatus abjiciatur, sicut Antichristus, & invasor, atque destructor totius Christianitatis; nec aliqua super hæc audientia aliquando ei reservetur, sed ab omni Ecclesiastico gradu in quocumque priùs fuerat, sinè retractatione deponatur. Cui quisquis adhæserit, vel qualemcumque tamquam Pontifici reverentiam exhibuerit, aut in aliquo illum defendere præsumserit, pari sententia sit mancipatus. Quisquis autem hujus nostræ decretalis sententiæ temerator exstiterit, & Romanam Ecclesiam confundere & perturbare voluerit, & contra hoc statutum ire tentaverit, perpetuo anathemate, atque excommunicatione damnetur, & cum impiis, qui non resurgent in judicio, reputetur; omnipotentis scilicet Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti contra se iram sentiat, & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, quorum præsumit confundere Ecclesiam, in hac vita, & in futuro furorem sentiat; fiat habitatio ejus deserta, & in tabernaculo ejus non sit, qui inhabitet; fiant filii ejus orphani & uxor ejus vidua; commotus amoveatur ipse, atque filii ejus mendicent, & ejiciantur de habitationibus suis; scrutetur fœnerator omnem substantiam ejus, & diripiant alieni omnes labores ejus; Orbis terrarum pugnet contra eum, & omnia elementa sint ei contraria; & omnium Sanctorum quiescentium merita illum confundant. Observatores autem hujus nostri decreti, Dei omnipotentis gratia protegat, & benedicat, & authoritas Beatorum Principum Apostolorum Petri, & Pauli, ab omnibus peccatorum vinculis absolvat.

„ Nicolaus Episcopus Sanctæ Catholicæ, & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, huic decreto à nobis, sicut superiùs legitur, promulgato subscripsi, & Romani Episcopi V. idest Bonifacius Albanensis, Umbertus Silvæ Candidæ, Petrus Ostiensis, Petrus Lavicanensis, Joannes Portuensis. Et Cardinales IV. Joannes tituli Sancti Marci, Leo tituli Sancti Laurentii in Damaso, Guido Sanctæ Mariæ Transtyber m Desiderius Sanctæ Cæciliæ. Et Diaconi III. Martius, Crescentius, Amantius; & Hildebrandus Subdiaco-

(69) Hoc idem habes antea editum in Collectione Labbeana Concilior. Tom. IX. & à Chronographo Virdunense integrum refertur, ut alios omittam. Sed heic Episcopi enumerantur, quorum catalogum non exhibet Labbeus; & alia quaedam ab illius textu diversa habentur.

„ conus, & Monachus cum ceteris subscripsit. VVibertus (70) Archiepiscopus, Dominicus Gradensis Patriarcha, Ugo Crysopolitanus Patriarcha; Hildeprandus Capuanus Archiepiscopus; Oldericus Beneventanus Archiepiscopus; Alphanus Salernitanus Archiepiscopus. Et ceteri Episcopi, Joannes Sabinensis; Joannes Tyburtensis; Rolandus Sutriensis; Ailardus Episcopus, & Abbas Sancti Pauli; Leo Episcopus Gajetanus; Joannes Terracinensis; Pandolfus Marsiensis; Atto (71) Teatinus; Dominicus Balbensis; Joannes Pinnensis; Palumbus Surensis; (72) Petrus Civitatis Castellanæ; Ludovicus Nucerinus; Herimannus Castellanus; Henricus Spoletanus; Mainardus Urbinensis; Gotifredus Perusinus; Aganus Eduensis; Gottifredus Atellanus, Odelricus Firmanus; Bernardus Esculanus; Ugo Camerinensis; VVillelmus Humanensis; Transmundus Fesulanus; Joannes Suanæ; Rofredus Eugubinus; Martinus Fundensis; Albertus Varianus; Bernardus Agathensis; Teuzo Urbevetanus; Joannes Clusinus; Joannes Senensis; Guido Vulterranensis; Benedictus Suessanus; Azo Fuliensis; Petrus Aprutiensis; Gerardus Rosellanus; Anselmus Lucensis. Petrus Pesauriensis; Andulfus Feretranus; Rodulphus Gubinus, Teodicus Senogalliensis; Arduinus, Tudertinus; Arduinus Faventinus; Arnulphus Cunensis; Stephanus Trojanus; Benedictus Sempronienfis; Ugo Calliensis; Gerardus Reatensis; Gislebertus Tusculanus; Agginus Assuensis; (73) Ingo Balneoregiensis; Tegrinus Popilonienfis; Ubertus Genuensis; Deodatus Grabinensis; Joannes Trebensis; Joannes Alatrinensis; Placidus Berolanensis; Herasmus Senensis; (74) Arichis Alifanæ; Gumbertus Taurinensis; Opizo Bobiensis; Oddo Novariensis; Einricus Iporigiensis; VVillelmus ...... Hi omnes confirmaverunt. De quibus fuerunt Episcopi LXXVI. Cardinales IV. Diaconi III. Subdiaconus Hildebrandus Monachus, & ceteri Subdiaconi Romanæ Ecclesiæ, & multi alii Catholici confirmaverunt.

De privilegiis Ecclesiasticis, & constitutionibus sacris numquam corrumpendis neque violandis, Sanctorum authoritates Patrum, quas authenticas reperimus, omnipotente Deo adjuvante, huic inserere (75) Opusculo, & adnotare curavimus: propter eorum videlicet ignaviam, qui fatentur, Privilegium, sive constitutionem alicujus non valere Pontificis, nisi tantùm temporibus illius, qui edidit. Primò itaque videndum est clariùs, quid sit Privilegium. Privilegium quippe, privata lex est, idest præcipua, atque summa & excellentior omnium legum, quam numquam violare, aut corrumpere, aut infringere potest sana fides. Dicitur etiam Decretum, idest diu declaratum, & ad purum examinatum. Quapropter si Decianæ Leges, aut cujuslibet Imperatoris Hæretici promulgatæ, habentur, & custodiuntur per innumera annorum curricula, idest post eorum interitum, qui eas statuerunt: multo magìs Beati Petri Apostoli Vicariorum, qui vice illius, æterno dono, potestatem à Christo ligandi & solvendi acceperunt, & perpetuò cum eo regnare creduntur, Constitutiones in omnibus firmissimè, & omnimodis valere debent; & qui eas prævaricari præsumserint, perpetui puniendi sunt vinculo anathematis. Denique si, ut ait Apostolus, initam faciens legem Moysi, sine ulla miseratione, duobus, vel tribus testibus, moritur: quanto magìs putatur deteriora mereri, qui spirituali gratiæ contumeliam fecerit? Illa enim lex per servum carnali Populo data est; hæc verò per Christum Filium Dei vivi Apostolo Petro, & ejus Successoribus gratiæ spiritu sanctificatis, ligandi, atque solvendi potestas largita est, quam qui denegat, vel detrahit, aut corrumpit, Spiritui Sancto contumeliam facit. Ipse enim Dominus Christus loquitur dicens: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit*. Notandum quoque est, quòd Bulla vel formata principalior, non auri, vel pretiosioris metalli insignita habetur; sed tantummodo plumbi, & hoc non incongruè. Plumbum enim non pretiosius, non durius, non fortius est metallum, sed vilius, & mollius, mitiusque fore dignoscitur. Et re vera mens & doctrina Summi Pontificis, & viri Apostolici humilis, & mitis in omnibus esse debet, semper habens viscera mitiâ, pronaque ad misericordiam, & ad omne opus bonum, & sicut plumbum magni ponderis est, ita Apostolica authoritas in causis providendis, sive constituendis, gravis, & fixa, stabilisque constans semper est habenda; semper irreprehensibilis debet vigere, quia quæ sunt ad Deum, ipsius dispositione moderantur, & æterna, sive spiritualia mysteria ejusdem magisterio informantur; Ergo si permansura Apostolica authoritate constituta immobilia permanent, quanto magìs temporalia, ejus dispositione largita, firmissima perdurare debent? Nam postquam æternam potestatem per Beatum Petrum Apostolum Romana Sedes adepta est à Christo, temporale etiam suscepit Privilegium ab Imperatore Constantino, quod jure possidere creditur æterno; & ei quoque impossibile est ex acceptis ab eo, quæ largienda sunt, pro ut cujusque opus fuerit, alicui Ecclesiæ largiri, quia

(70) Scilicet Archiepiscopus Ravennas.
(71) Scribe *Reatinus*.
(72) Idest *Soranus*.
(73) Scribendum *Assisiensis*.
(74) Corrige *Segmensis*, idest Signinus.
(75) Heic nemo non videbit, Chronographum nostrum plane extra chorum abire; neque enim ejus argumentum haec poscebat. Arripit ergo ille tutelam Henrici IV. & Quincti etiam, sub quo is haec scribebat, eorumque causam multis agit, expilatis fortasse eorum temporum hac de controversia scriptis. Verum nihil habet ille, quod jam millies protritum non fuerit a Cardinali Baronio, immo olim a summe piis & doctissimis Scriptoribus eo ipso tempore, quo hujusmodi contentio fervebat, quorum Opuscula Jacobus Gretserus e Soc. Jesu Anno 1612. Ingolstadii edidit, ac praecipue a Sancto Anselmo Lucense Episcopo. Debuerat Chronographus ipse meminisse quoties eodem Privilegio, sive antiqua consuetudine abusi fuissent Imperatores ac Reges, tum in Romanorum Pontificum Electione, tum in reliquarum Ecclesiarum Pastoribus eligendis sive confirmandis, & quam latus aditus simoniae fuisset apertus. Quid rogo, perpessum non fuerat Farfense ipsum Coenobium ab Hugone Italiae Rege, ab Ottone III. Augusto, ab Henrico III. inter Reges, ut alia praetermittam? Attamen ad Historiae Ecclesiasticae complementum juvat haec etiam edere ac nosse, quamquam futilia; nam & hinc fortius roboratur, clariusque dignoscitur rectitudo disciplinae, quam tunc restituere conati sunt, & porro restituerunt Pontifices Romani.

quia omnium Pastor est ovium, & cuncta providere cura pastorali debet. Et sicuti Privilegium sibi collatum defendit per Constantinum, licèt ipse fuerit terrenus Dominus, ita convenit defendere singulis Ecclesiis, idest suis membris, aliquod à se Privilegium indultum, quia Summus Pastor æterni dono Pastoris, stabile & velut æternum velle debet, quod suo dono concedit, exemplum veri figuli gerens, qui vasa terrea ex molli luto conficiens, postquam ea coxerit igne, firmissima permanent: sic credendum est de concessis donis Summi Pontificis. Postquam enim Spiritus Sanctus virtute concessa perpetuò stabilienda judicaverit, sicut Dei dona omnipotentis irrevocabilia sunt, ita & ipsa inconvulsa, æternaque sunt habenda. Non enim quodvis Apostolicum jus minuit, cum reliquis Ecclesiis, propriis scilicet membris, commodum eorum tribuit; & extra Matris Ecclesiæ jura, non fit pia largitio, cùm de manu in manum, & de sinu in pectus, fuerit discreta translatio. Ergo Privilegia Ecclesiastica, Apostolica authoritate Ecclesiis concessa, & sacræ Constitutiones à Sancto Pontifice roboratæ, & eo, qui statuit, vivente, & quocumque Pontifice succedente, firmissimæ & inconvulsæ, atque incorruptæ perpetuò sunt habendæ. Quarum sponte prævaricatores æterna punientur ultione. De his enim Clemens Romanæ Ecclesiæ Præsul scribit: *quòd omnes legum divinarum libenter violatores, & sacrarum institutionum voluntarii perturbatores, Ecclesiasticâ indignos regulâ, & sancta communione, Beatus Petrus Apostolus ore suo judicabat*. Item: *Præcepta Apostolica nemo credat absque suo periculo negligere, vel dissimulare; quia in judicio Dei ignis æterni tormenta sustinebit, qui Ecclesiastica decreta negligit*. Item: *Si quis præcepta Apostolica non integrè custodierit, sit anathema usque in adventum Domini nostri Jesu Christi*. Anacletus Papa: *Transgressores sponte legis suæ, ejusque violatores Apostatæ nominantur; omnis autem Apostata refutandus est*. Item: *Privilegia Ecclesiarum & Sacerdotum Sancti Apostoli, jussu Salvatoris, intemerata & inviolata æternis decreverunt manere temporibus; leges verò Ecclesiæ Apostolica firmamus authoritate, & peregrina judicia submovemus*. Evaristus Papa: *De cetero talia caveantur per omnes Ecclesias, ne Ecclesiæ sanctitas, per nostram fatigata negligentiam, perdat privilegia, quæ per viros Venerabiles est consecuta*. Alexander: *Nobis loqui necessitas imperavit, dicente Propheta: Exalta, ut tuba vocem tuam; & cui omnium Ecclesiarum cura est commissa, si dissimulem, audiam Dominum dicentem: Rejecistis mandatum Dei, ut traditiones vestras statuatis. Quid enim aliud est rejicere mandatum Dei, quàm privato consilio, judicio humano, novis rebus constituendis liberiùs delectari? Unde & alibi scriptum est: ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui. Terminos indubitanter transgreditur, qui dominica præcepta, & Apostolorum, eorumque Successorum decreta, confundit, & minimè observat*. Xistus Papa: *Nos, fratres, nullum perdere volumus; sed ipse se perdit, qui pia inconsideratè avertit, & qui Apostolorum, & hujus sacræ Sedis decreta violat libenter. Ante nos veteri quidem lege habetur: Quicumque Sacerdotibus non obtemperasset, extra castra positus lapidabatur à populo, aut gladio, aut cervice subjecta contemtum expiabat cruore. Nunc verò inobediens spirituali animadversione truncatur, aut ejectus de Ecclesia, rabido ore Dæmonum discerpitur*. Fabianus Papa ita loquitur: *Maledictus omnis, qui transfert terminos agri proximi sui; & dicit omnis populus Amen. Si enim in rebus secularibus suum cuique jus, & proprius ordo servandus est: quanto magis in Ecclesiasticis dispositionibus nulla debet induci confusio? quod hac observatione servabitur, si nihil potestati, sed totum æquitati tribuatur*. Cornelius Papa: *Nos verò suspicientes Apostolorum, eorumque successorum jura, firmamus. Quæ si quis invanum duxerit, hostis est animæ suæ*. Stephanus Papa: *Infames autem esse eas personas dicimus, quæ Christianæ legis normam abjiciunt, & statuta Ecclesiastica contemnunt, & Apostolorum, atque successorum eorum, religiosorumque Sanctorum Patrum institutiones libenter violant*. Dionysius Papa: *Infames esse censemus, qui suam, aut Christianam prævaricantur legem, aut Apostolicam, vel regularem libenter postponunt authoritatem*. Felix Papa: *Paterno affatu tuam, frater, monemus prudentiam, ut Ordinem Sanctæ Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ per omnia teneas, & violari Sanctorum decreta non permittas*. Leo Papa: *Omnia decretalia constituta tam beatæ recordationis Innocentii, quàm omnium prædecessorum nostrorum, quæ de Ecclesiasticis ordinibus, & Canonum promulgata sunt disciplinis, ita vestram dilectionem custodire debere mandamus, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari*. Synodus Calcedonensis: *Regula Sanctorum Patrum, per singula nunc usque Canonica statuta, perpetuum robur obtinere decrevimus; ut si quis Sacerdotum contra hæc interdicta fecerit, à suo sit officio submovendus*. Gregorius Dominico Episcopo Charthaginensi: *De Ecclesiasticis privilegiis, quæ nostra fraternitas scribit, hæc postposita dubitatione teneat; quia sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque Ecclesiis sua jura servamus*. Item Gregorius Joanni Sillicitano Episcopo: *Grave nimis, & contra Sacerdotale constat esse propositum, cujusquam Monasterii privilegia olim indulta confundere, & ad irritum, quæ sunt pro quiete disposita niti deducere. Volumus ergo, perpetua stabilitate, & sine aliqua constitutionis refragatione servari, sive quæ scripto decrevimus, sive quæ in nostra præsentia videntur esse disposita. Nec à quoquam Pontificum in totum, vel in parte, & qualibet occasione convelli decernimus, vel mutari; nam nimis est asperum, & bonis præcipuè Sacerdotum moribus inimicum, niti quempiam quacumque rationis excusatione, quæ bene sunt ordinata rescindere, & exemplo suo docere ceteros sua quandoque posse constituta dissolvere*. Item Gregorius Vigilio Episcopo Arelatensi: *Sicut hoc, quod ratio exigebat, utiliter obtinuit definiri, ita quod definitum est, non debet violari*.

De suprascripto autem Privilegio Domni Nicolai Papæ notandum, ne quis insipiens parvipendat in illo Catholicam Constitutionem, & ne alieno spiritu seductus contemnat hujus institutionis, veræque fidei unitatem; ne ibi prolata multetur damnatione æterna; quoniam non nova in eo instituit, nec aliqua recentia ordinavit. Antiquissima enim sunt, & authentica istius decreti moderamina in sancta semper usitata Ecclesia, & à nullo umquam Apo-

Apostolicorum confusa. Non verò terminos à Patribus constitutos transgressus est; sed sicut omnes ejus prædecessores constituerunt, vel ipsi gesserunt, sic etiam ipse stabilivit, & ut pax & concordia semper in Sancta permaneat Ecclesia, illud commendavit. Quapropter nemo respuat quæ statuit habens Regni cœlestis clavem; quia lingua pacifici fidelisque Apostolici, clavis est perpetua Cœli, ut quæ solvenda sunt, solvat, & alliget quæ sunt liganda. Hanc denique clavem Beatus Petrus, ejusque Vicarii susceperunt ab eo, qui claudit, & nemo aperit, aperit, & nemo claudit; & sicut credimus Sanctam Ecclesiam à Domino Christo supra firmam petram ædificatam, sic confitemur Beati Petri Vicariorum firmissima per omnia esse statuta. Ergo sicut Ecclesia Christi non potest à procellis subverti, ita nullo modo debent transgredi discretè instituta viri Apostolici. Nam quicumque ea, quæ propter unitatem fidei, & concordiam pacis, sanctæque stabilitatem Ecclesiæ, Pontifex Apostolicus instituerit, contemnere satagit, firmissimam petram Ecclesiæ subvertere conatur, ideoque judicium Dei non effugiet. Nec aliquis etiam Pontificum successorum, quæcumque ejus Antecessor disposuerit ob Sanctæ Ecclesiæ quamcumque utilitatem, debet evellere. Quoniam si exorbitaverit à Patrum itinere priscorum, & dissimilis fuerit à rectitudine, non verus Pastor, sed prævaricator existimabitur in Regno Cœlorum, quia nititur solvenda claudere, & claudenda solvere, immortales animas necare, & mortales vivificare: propter quod carebit honore Cathedræ Domini, & nusquam sui poterit esse firmus constitutor, qui alieni exstitit monumenti promtus violator. Denique cunctorum sanctorum authoritates, infames esse piarum legum destructores notant.

Hinc verò referendum est, quod plurimi insipientium dicentes fatentur: *Antiquorum statuta moderni destruere possunt, quoniam uti nos, & illi homines fuerunt*. O quàm detestanda præsumtio! quàm abominanda dictio! quàm execranda blasphemia! Blasphemat hic in Sanctos, immo contra Spiritum Sanctum, cujus munere cœlestia docuerunt: idcirco lapidibus vivis idest sanctorum sententiis Patrum puniendus est, sive obruendus. Si enim authenticorum Patrum statuta subverti vel destrui possunt: doctrina Petri & Pauli, ceterorumque Sanctorum, pro nihilo duceretur, & à quocumque Hæreticorum penitus destruerentur. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ Inferi non prævalebunt adversùs eam*, credimus, & omnimodis asserimus. Quorumdam etiam Vicariorum Beati Petri institutiones perpetuò inconvulsæ debent esse & permanere, quemadmodum in Beati Petri sancta permanet Ecclesia Fides. Non solùm autem Pontifices, sed & omnes Sanctæ Ecclesiæ constructores, qui Fidem de Domino nostro Jesu Christo retinent purè, quam idem Petrus confessus est: sicut ipse Petrus, quod ei Dominus concessit, perenniter suscepit, sic ipsi donum perpetuæ cupiunt remunerationis. Petrus enim pro omnibus respondit, & in Petro Dominus Christus omnibus fidelibus, quibus Sancta Ecclesia constat, æternaliter concessit; & quicumque in Petri confessione solidatur firmissimè, in Petri quoque dono remunerabitur æternaliter. Fundamentum namque Ecclesiæ super Petri petram constituitur, à cujus doctrina nullus deviare debet; quoniam quicumque ab eo deviat, non super ipsam petram, sed super arenam ædificat. Scriptum est enim: *Fundamentum nemo potest ponere aliud præter id, quod positum est, qui est Christus Jesus*. Quicumque verò Sanctorum Catholicorum in hoc fundamentum lapidem construxerit, idest Sanctam Ecclesiam statuerit, non potest à quovis subverti, quoniam supra firmissimam petram jecit; in quo fundamento, alieni petra ædificii non potest injici, quia Domini Dei, idest Sanctæ Ecclesiæ, perfidiæ vel pravitatis, & dissensionis doctrina non convenit. Qui enim Patrum authenticorum, & maximè Apostolicorum bene ordinata, & pro quiete concessa destruit, à Patrum dignitate excidit, & non ejus audienda sententia, quia extra Christi fundamentum, & contra ejus Ecclesiam jacere illum, Patrum priscorum demonstrat doctrina authentica; etenim, quemadmodum decrevit Beatus Gregorius Papa, *sicut hoc, quod ratio exigebat, utiliter obtinuit definiri, ita quod definitum est, non debet violari*.

Interea pars Oddonis legit quoddam præceptum Domni Ludovici Imperatoris, Stephano (76) Papæ IV. concessum, de quibusdam plurimis locis, per Italiam diversè sitis, Beati Petri Apostoli Ecclesiæ donatis. Pars quoque B. Mariæ econtra ejusdem Ludovici (77) Imperatoris huic Monasterio præceptum emissum antiquitus ostendit per quod confirmavit omnem libertatem, ab aliis Imperatoribus antea concessum; idest à Lothario Patre, & Avo Ludovico Imperatoribus, ubi loca ipsa nominatim designabantur, unde intentio, & causa agebatur. Videlicet fundum Furanum, fundum Pavinianum, fundum, qui Collis de Nera cognominatur, & fundum Marcilianum. Insuper & Privilegium confirmationis illius Stephani Papæ pars Beatæ Mariæ huic Monasterio relegit concessum, ubi similiter loca ipsa prænominata, & fundi continebantur. Tunc non jam de proprietate ipsorum locorum concessa Causidici Oddonis quæstionabantur, & volebant ut pars Sanctæ Mariæ deberet assignare. Quod quia non legibus, sed iniquè exigebant, rectè impetrare nequibant. Nam qui contra aliquem petit quamcumque rem, petitor debet ipsam consignare secundùm legem. Denique in hoc placito, prudentissimus Judex Florentinus, nomine Bellincio, erat constitutus & à *Comite Raynaldo* electus, qui cautissimè utrisque partibus auditis, proferre debebat sententiam. Qui omnia superiùs comprehensa sapienter audiens, novissimè quæsivit antiquiores, & ab utraque parte viros tres ipsorum locorum circummanentes, ut illorum vera recordatione posset discernere prædictorum locorum possessionem; nam Oddo dicebat, quòd ipse recordaretur, à tempore Nicolai Papæ prædictorum locorum omnem reditum sive districtum habuisset exactor Romanæ Curtis.

Altero autem die venerunt, quidam homines

(76) Num heic designetur notissimum Diploma Ludovici Pii a Paschale I. hoc est a Successore Stephani IV. impetratum, an vero alterum eidem revera Stephano concessum, aliis perpendendum relinquo.

(77) Si huic Ludovico pater fuit Lotharius, ergo non Ludovici Pii, sed Ludovici II. fuit hoc Diploma.

nes de Septimiliana ex parte Oddonis, qui dicebant, se aliquando exactores fuisse, & de Pacciani loco quartum exegisse. Affuerunt quoque & de Castris Furano, & Colle de Nera viri antiquissimi IX. qui primò sigillatim, & insimul postea interrogati, legem se purissimam facere proferebant: quòd numquam tributum, nec aliquid reditum, neque districtum, ex eisdem Castellis exactor habuisset aliquis Romanæ Curtis, præter quàm temporibus Domni Gregorii Papæ VII. aliquando super nos hostiliter (78) venientibus, & æstatis tempore segetes vel areas nostras incendere minantibus, obsides coacti dabamus, sicque nostra reliqua bona pretio redimebamus. Itaque superati sunt ridiculi partis Oddonis, & horum veracium ausu testium per omnia confusi. Super hoc autem & viri nobiles, ac Domini prædictorum Castellorum ostendebant munimina, & instrumenta acquisitionum suarum, quas à singulis hominibus magno pretio antiquiores emerant parentes ipsorum, in quibus continebatur, quòd venditores ipsi sic vendiderunt parentibus eorum omne placitum, omnem districtum, omnem reditum, & omne quartum, & portum, & toloneum de Pacciano, qui & Collis de Nera vocatur, & de Marciliano, simulque & Gabiniano, sicut ipsi per successiones parentum suorum quietè, & pacificè, ac sinè alicujus violentia potestatis possederunt.

Hæc audientes, & subtiliùs indagantes Comes Rainaldus & præfatus Bellincio Judex ejus, secretius invicem consilium habuerunt, & de sententia diffinitè proferenda prudentissimè pertractare cœperunt; & quia alicui partium forsitan gravari prævidebant, sagaciter egerunt, ut minimè sententia proferretur; sed magìs æquo pacto inter eos causa ipsa finiretur. Quod quia non valuerunt, rogatu Comitis Rainaldi quæque pars pignora sua & obsides ab eo receperunt, & in fine pro spatio annorum IV. per sacramentum firmaverunt Oddo, & Domnus Abbas, ut hujus Monasterii, & Oddonis captivi laxarentur, & permanere eos omnimodis decrevit, Anno Christi Incarnationis MCV. mense Julii die XV. in Palatio Castri Tophiæ, ubi interfuerunt ex parte Oddonis Leo Judex Cencio, Joannes Madelmi, Benedictus de Piscatrice, & Goffredus Morator, Reatinæ Urbis; ex parte autem Domni Abbatis Petrus Judex à Sancta Maria Majore, Raynerius Perusinus, Berardus de Archidiacono Ortanus, & Petrus de Transtibere.

Prudentium sanè virorum moris est providere in omnibus bona, non solùm coram Deo, sed & coram omnibus hominibus, ut in cunctis glorificetur Deus, atque laudetur operibus. Non enim parvipenditur, si quando ab impiis blasphematur Deus, vel si inter pios aliqua causa sit, ut scandalum possit oriri, Scriptura quippe dicente: *Oportet nos testimonium bonum habere, & ab his, qui foris sunt*. Hæc idcirco fatemur, quia quosdam simpliciter, quosdam verò invidiosè novimus mussitare de Domni Patris nostri Beraldi prælatione. Ajunt enim, illum ceu tyrannum, & bonorum distractorem fuisse Cœnobii hujus; ideoque in eo aliquo modo scandalizantur. Quorum scrupulum ut vitare queamus, ipsius nonnulla gesta à primævo tempore huic opusculo inserere curemus, quatenus proficua plurima erga hujus Cœnobii negotia ab eo perpetrata fideliter proferamus. Enimvero ipsius prælationis diebus periculosa tempora prospeximus, & quædam inaudita adversùs hoc Monasterium invidiæ causa à nostris vicinis, Capitaneis, Comitibus, & maximè à Pontifice (79) Romano injustè effici, minimè ignoramus: quæ ille omnipotentis Domini juvamine, ejusque suffragio Genitricis, immenso certaminis pondere, pertransivit viriliter.

Defuncto denique nostro Berardo II. Abbate, hæc Ecclesia Pharphensis in maximam devenit defectionem; eramus enim sicut oves non habentes Pastorem, quoniam qui nostrum tunc assumserat regimen, à suis non modicè contemnebatur, & ab extraneis pro nihilo ducebatur. Comites quoque, sive Capitanei penè omnes, bona Abbatiæ pedetentim sibi conabantur obtinere. Quapropter præcipui Seniores *Domnum Beraldum* nobiliorem, inclyti viri Ascari filium elegerunt Abbatem, videlicet, ut suorum plurimorum sublimium fultus juvamine parentum, nequaquam cederet cuiquam res hujus Monasterii subripere: quod ita factum Dei providentia perspeximus, quemadmodum inposterum fideli relatione narrare curabimus. Postquam verò corroboratus est in Abbatiæ honore, illi, qui antea bona hujus Cœnobii satagebant demoliri, aliquantum istius sunt terrore compressi, & qui priùs crudeles videbantur æmuli, demum se simularunt fideles clientes fore. Sed minimè diu latère potuit virus, quod in eorum jecore latebat. Interea cœperunt, quamplurimi Sabinensis territorii ad istius Ecclesiæ dominium festinare, & sub istius Domni Abbatis auxilio properare, quatenus istius muniti suffragio, ab illorum morsibus eruti forent. Quod illi prospicientes, & nimium præ oculis dolorem habentes, agere aliud nequibant, & infra semetipsos, suosque domesticos sæviebant, & infelicium suorum visceribus pascebantur. Sed quid de eorum sævitia dicam? Jam enim quia istius probitatem, suamque misericordiam ferre nequibant, inierunt fœdus, erraverunt, à ventre locuti sunt vana. Interim noster Abbas, qui & Pater, nullius tunc conscius doli, in Marchiam secessit. Illi verò tempus sibi aptum putantes habere, quadam nocte surgunt, Oppidaque nostra, quædam summo invadunt conatu, & omnia, quæ inveniebant, depopulabantur. Mox itaque ut hæc facta aures præfati pulsarunt Patris, celeri cursu rediit, & ab illorum insidiis se circumquaque munire studuit, ac planè mutua dona eis reddere cœpit. Et tamdem illi, placitum protegente Deo, nutu finem fecerunt, & aliquantulum à manifesta læsione cessarunt. Præterea nos ad istius Patris actuum narrationem subtiliter properemus, ut cujus fuerit constantiæ, vel laboris, enucleatiùs videatur.

Igitur postquam divina propitiatione, ex puerili custodia exiit prædictus Domnus Beraldus, perrexit ad suum Genitorem Ascarum, qui ejus amoris causa, concessit huic Monasterio unam Ecclesiam, & Presbyteros quatuor,

(78) Quum Farfenses Monachi partes Henrici IV. Regis pertinacissime tuerentur, floccique penderent anathemata a Gregorio VII. Pontifice in eum ejusque sectatores intorta, nil mirum si & ipsi aliquando bellicis insultibus paruere.

(79) Adversus quem ipsi Monachi antea insurrexere, Guibertum Antipapam, & Henricum IV. quamvis anathemate perculsum amplexi.

tuor, ideſt Actonem Saxonis, & Letonem Curciæ, & Benedictum, & alium Benedictum, cum Eccleſiis duabus, ſcilicet Eccleſiam Sancti Pamphili, & Eccleſiam Sancti Angeli cum dotibus, omnique tenimento, & rebus eorum in loco, qui vocatur Miſcianus. In Folliano Manſos XII. in Recanita Eccleſiam Sancti Laurentii, & Amicum Presbyterum cum omnibus rebus ſuis. In Bezano Eccleſiam Sanctæ Crucis, & Bernardum Presbyterum. In Toniano Eccleſiam Sancti Martini recuperavit ſuo ſtudio, quæ penitus amiſſa erat, & à memoria hominum lapſa cum antiquo tenimento, & quibuſdam partibus ſuperadditis. Arquatam acquiſivit, & Roccam de Cupolo, & de Caſtro Treſunco partem filiorum Triſei. Et Caſtellum de Pontana, cum villa Aſtorali; in Submano quaſdam partes; & Caſtrum montis de Novem cum maximo labore ad effectum perduxit. Oppidum de Moricone conſtruxit; & Canoſam acquiſivit, & Caſtella filiorum Zavionis, ſcilicet Caſtaneæ montem, Mortam, montemque Ajonis. Item Patrinionem, & Montem Patricium, & Caſtrum Apponianum. Monaſterium Sanctæ Mariæ in Georgio exuſtum recuperavit, & magnis munitionibus gyravit; turrem Caſuli conſtruxit; Caſtrum Ophidæ ampliavit, & inibi Civitatem condidit. In Comitatu Aſculano Furcam de Caſtello, Submanum; Sanctum Jacobum in Morriconis. In Comitatu Tudertino res *Rapizonis Comitis filii Guazæ*; Eccleſiam Sancti Hippolyti, & Sancti Nicolai in Aviliano in integrum, & alias quaſdam res, quæ in precepto à Domno Henrico Imperatore ſibi in hoc Monaſterio conceſſa habentur.

Hujus autem Domni Beraldi Abbatis temporibus quidam Franco, qui vocatur de Sabino, dedit in hoc Monaſterio omnes res ſuas in pertinentia Gabiniani infra Caſtrum ipſum, & de foris. Quidam Riccardus filius Lanzolini de Comitatu Teatino dedit in hoc Monaſterio Caſtrum unum, quod vocatur Lentiſcum juxta flumen Aventinum; & in Monaſterio Sancti Stephani de Lucania quidam Petrus Presbyter de Ringa dedit terram cum domo ædificata, & omnibus columnis, & aliam caſam juxta eam cum hortalibus, & plateis, & ipſam domum ad Eccleſiam conſtruendam in medio Civitatis Terranenſis in vocabulo, ad Columnas; & terram in vocabulo Terranano, in Candeto modios XX. & ad vadum de Macerata modios III. ad fontem Joannis de AlKiſio modios VII. Ad Pontaum modium I. In Airano modios II. & ad vadum de Macerata modios III. In Cerqueto modios II. Ad Cerquiliam modium I. Quidam Beraldus filius Rainerii, & Rainerius filius ejus dederunt in hoc Monaſterio portionem ſuam de Caſtello Forano, & Colle de Nera cum Eccleſiis, & placitis, & fodris, & uſibus. A primo latere rivus Calentinus, veniens in rivum de Rujano, & vadens in puteum de Gabiniano, & in rivum de Amezano, & in lajam de Epiſcopo, & in flumen Tiberis, & per flumen in rivum Calentinum. Item Azarellus, & Joannes filii Senioricti, cum filiis, & filiabus ſuis, & Giborga, & Ruſticus filius Cencii, & Doda uxor ejus, & Stephanus filius Ugonis, dederunt in hoc Monaſterio portionem ſuam de ſupradictis Caſtellis de Forano, & Colle de Nera, cum Eccleſiis, placitis, fodris, uſibus, pertinentiis, & datis de Caſtellanis, infra fines, & cohærentias prædictas.

Item Berardus, & Rainerius, & Albertus de Cencio, & Ruſticus frater ejus dederunt in hoc Monaſterio Eccleſiam Sancti Petri in Brezano, cum omnibus pertinentiis, & medietatem dominii de omnibus ſuis hereditariis. Item Beraldus Abbas promiſit Beraldo de Rainerio, & Alberto de Cencio, & Ruſtico fratri ejus, & omnibus qui chartam fecerunt, & perpetuitatem dederunt in hoc Monaſterio, quod ſcriptum faceret eis in tertiam generationem eorum, legitimam maſculinam in quocumque ſupervixerit, de ipſis rebus, quas ipſi dederunt in hoc Monaſterio, exceptâ Eccleſiâ Sancti Petri in Brezano. Quidam Joannes filius Guidonis de Caſtro Forano dedit res ſuas in hoc Monaſterio in vocabulo Colliclo, & Bariliano. Quidam Bon-homo Presbyter conceſſit Eccleſiam Sancti Nicolai infra Civitatem Terranenſem, in regione Sancti Caſſiani. Quidam filius Rainerii commutavit terram, & vineas in Ducatu Spoletino, ubi dicitur Celle, modiorum III. pro qua accepit res in Valle Sancti Pauli. Quidam Rainerius filius Leonis, & Rolandus Paganelli, & reliqui viri CXVI. cum Presbyteris dederunt duo Caſtella Stablonenſia in Comitatu Amerino cum Eccleſiis, & omnibus pertinentiis eorum. Quidam Ruſticus filius Baruncelli, dedit omnes res ſuas quæcumque ei obveniebant à patre, vel matre, vel quicquid illi per legem & rationem competebat in territorio Sabinenſi, ubi dicitur Scandrilia; & ipſam terram ibidem in Scandrilia, quam Avus ejus emit à *Comite Berardo* pro IX. libris, unde fecit chartam ad Pomettam filiam Berardi, & heredibus ejus; & ipſam terram tenebat Fulcardus; vel Caſales IV. ſcilicet Caſale Gojuſum, Caſale Cancellarium, Caſale Cavallum, & Sanctam Luciam cum ſuo tenimento. Quidam Anzo filius Guinizonis pro offenſa, quam fecit contra Domnum Beraldum Abbatem, obtulit in hoc Monaſterio totam ſuam ſubſtantiam, & terram, & vineas, & portionem de Eccleſia Sancti Thomæ, & Sancti Pauli in vocabulo Sala in Achiniano. Franco Presbyter, Girardus, Baro, Joannes, & Atto filii Joannis de Martino dederunt per concambium res ſuas in vocabulo Sala, & in Achiniano, & in caſa Pauli, cum portione ſua de Eccleſia Sancti Thomæ, & Sancti Pauli. Senebaldus filius Benefacti, & Joannes qui vocatur Villanus, & Benincaſa, atque Tranſaricus filius Berardi, dederunt portionem ſuam de Caſtello Fenocleto, & de Caſtello, quod dicitur Turris cum ſuis pertinentiis in Comitatu Narnienſi. A primo latere confinium Sabinenſe; à ſecundo confinium Reatinum; à tertio foſſatus, qui deſcendit Coppæ, & Turrem; à quarto latere Laja. Infra iſtos fines omnium rerum partem quartam; & ex alia parte portionem quartam de intus & de foris, & portionem ſuam Eccleſiæ Sanctæ Mariæ, quæ dicitur in Monte, & de Eccleſia Sancti Clementis, & de aliis Eccleſiis, quæ ſunt infra ipſos fines cum omnibus pertinentiis. Exceptaverunt Caſalem de Nordo. *Rapizo Comes filius Rapizonis de Comitatu Tudertino*, dedit duas portiones de Monaſterio Sancti Petri in Valle, & medietatem Sancti Petri in Laureto, & Eccleſiam Sancti Angeli totam in integrum; & Heremitarium in Valle de Ceraſa, & Eccleſiam Sanctæ Mariæ in Aviliano, & Sancti Hippolyti, & Hoſpitale in IV. Capellas de ambabus Eccleſiis

fiis Sancti Petri, sicut supra legitur; & alia duo loca Sanctorum in integrum cum omnibus pertinentiis; & Ecclesiam Sancti Nicolai in Aviliano in integrum, & medietatem Ecclesiæ Sanctæ Secundinæ ibidem; in Urbe Ameria Ecclesiam Sancti Proculi in integrum; in Urbe Tudertina Ecclesiam Sancti Hilarii, partem tertiam Hospitalis in Muliere mala, medietatem Sanctæ Victoriæ in Submanu Sancti Laurentii in Niphili; in Farneta Ecclesiam I. Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Galazano; in Melezone Ecclesiam I. in Fossule Sanctæ Crucis; in Ilice unum Heremitarium. Hæc omnia prædictus Rapizo concessit, & corporali traditione confirmavit in hoc Monasterio, & in manibus Gregorii, & Clementis Monachorum Sanctæ Mariæ.

Rainutius filius Oderisii, cum filiis suis Oderisio, Oddone, Rainaldo, & Senobaldo concessit omnes res suas territorii Sabinensis, vocabulo Aquaviva, & Mons Rotundus, à primo latere Serra montis, quæ decurrit inter pertinentiam Scandriliæ, & Montem Rotundum, & descendit in cacumen ipsius montis juxta res Domini Salvatoris; à secundo latere ipsum cacumen montis, & descendit in rivum de Mojano; à tertio latere ipse rivus, & venit in pertinentia Cerriti mali, & revertitur in serram primæ finis. Rusticus filius Crescentii, & Oddo filius ejus dederunt per concambium Castrum Currise cum sua pertinentia, & quicquid eis pertinebat de Castro Phara, & ejus pertinentiis. A primo latere rivus Carbulanus, & terra *Landonis Comitis*; à secundo pertinentia Nerulæ, & terra *Rainaldi Comitis*, & pergit in montem, & vadit in Rianam; à tertio ipsa Riana; à quarto Vallis, quæ descendit inter montes Mutillæ, & montem Pharæ, & vadit in Casale Classianum, & descendit per Vallem de Lano in rivum, & per ipsum in viam publicam, & pergit in rivum de Loriniano, & descendit per Vallem usque in alveum Currisem, & per ipsum Currisem vadit in prædictum Carbulanum, excepto Casale de Sancta Maria de Sanctis, & alio Casale prope ipsum ad comparationem ejus, quos ad Rodulphum, & ad ejus fratres dederunt, & receperunt cambium per scriptum tertiæ generationis Castellum, quod dicitur Post-montem cum suis pertinentiis, & quod minùs interest, augeatur inter Farsam, & Currisem.

Alberio filius Bardonis promisit Domno Beraldo Abbati de Podio, quod illi promisit ædificare in plano de Vallariano super rigum, qui Turbidillus vocatur: pro quo factus est homo ipsius diebus vitæ suæ; & post obitum ejus unus de filiis illius, vel de nepotibus ipsius, qualis melior fuerit; & per ipsum Podium malum non faciat Domno Abbati, nec posteris ejus; nec conducet per ullum ingenium, vel fraudem; & quicumque homo in hoc Monasterio litem fecerit, in ipsis partibus ipse & hæredes ejus frangent ei litem secundùm possibilitatem suam; & neque finem, neque pacem, aut ullam treguam facient cum ipsis sinè consensu Abbatis; & si nobis oportuerit litem facere inimicis nostris, nobis non contendent habitare in eo propter intentionem faciendam; & Podium non vendent, nec donabunt, nec per ullum ingenium alienabunt sinè consensu Abbatis, vel ejus successorum. Omnes viri Stablonenses & seniores, & minores, fecerunt chartam in hoc Monasterio, & pactum promissionis, ut nulli eorum liceat alienare suum Podium extraneæ personæ, nisi inter se ipsos per tres interpellationes, infra spatium XX. dierum; & si inter se tollere noluerint, dent Abbati, & in hoc Monasterio. Quod si tollere noluerimus, det cui voluerit. Et Decimas, & mortuorum oblationes dent in Sanctæ Mariæ Stablonensis, excepta portione quarta Episcopi Amerini. Domnus verò Abbas promisit illis omnibus pro se, & successoribus suis facere adjutorium contra omnes homines de personis, & de eorum bonis. *Beraldus filius Rolandi Comitis Narniensis*, cum Maria jugali sua tradidit suam portionem, & omnes res suas, & in Ecclesia Sancti Joannis in Turillo, & in manus Domni Abbatis Beraldi infra Comitatum Narniensem, & intra Civitatem, vel de foris, exceptâ unâ petiâ terræ, ubi dicitur Macla mortua; Dedit etiam portionem suam de Podio Lorito, & Podio Coppe cum omnibus pertinentiis; & de Castello Sigizonis, & de Castello Collis Sancti Pauli, & de Castello Perticara, & de Oratorio Sancti Valentini, & de Monasterio Sancti Simeonis, & de Monasterio Sanctæ Mariæ in Monte, & de Oratorio Sancti Clementis, & de Monasterio Sanctæ Mariæ in Piscle, quod est intra Civitatem Narniensem, & de Oratorio Sancti Proculi, quod est supra Castellum Sancti Gemini.

Domnus Beraldus Abbas fecit convenientiam pro se, & successoribus suis *Tudertinis Comitibus*, idest heredibus *Rapizonis*, pro ipsis, & eorum heredibus, quorum nomina sunt hæc, Sarracenus cum filiis suis legitimis masculis, Guilielmus, Donadeus, & Ugolinus filii Rainerii, Bulgarellus, Rodulphus filii Oducii, Tebaldus cum filiis suis, Transaricus cum filiis suis legitimis masculis. His omnibus, & filiis eorum fecit Domnus Beraldus Abbas scriptum præstariæ de octava portione, terras montis Martani, & de monte Martano, sicut Albertus filius Galterii habuit, & tenuit, & de octava portione Scojani, & octava portione Castri Ripæ, de Bornia, cum silva ipsius; & de octava portione Castri Casiliani cum silva, exceptis grossis arboribus, & de octava portione Castri Mezanelli cum silva, exceptis grossis arboribus collis alti; & de octava portione Podii Sancti Martini cum silva, & de tertia portione Podii Sanctæ Mariæ in Pantana, & dedit prædictis Comitibus omnes res, & homines, qui fuerunt *Albertini Comitis*, sicut ipse dedit in hoc Monasterio, excepta Curte Castri Aquæspartæ cum suis pertinentiis, & quod habet in Lanciola, & excepto Castro à Laja intus ipsum Castrum, & exceptâ Ecclesiâ Sancti Faustini, & Sanctæ Mariæ, & exceptâ Ecclesiâ Sancti Faustini, & Sanctæ Mariæ in Pantana. Alia omnia prædictus Abbas jam dictis Comitibus dedit præstariam. Isti verò sunt termini, qui designati sunt pro ipsa convenientia concambii, de rebus *Albertini Comitis*, videlicet à Cruce Sanctæ Barbaræ vadit per viam antiquam de Mezanelli, & in Ajam usque in stagnum de Crassis, & intrat in rigum qui est inter nos, & filium Guidonis de Tebaldo, & inde in viam publicam, & per semitam in pede de silva Lanciola, & per rivum Cavaniclæ in Vadum Ripæ, & per ipsum in salicem Martini Rivaliosi, & in pede vineæ Adenulfi, quæ est filiorum Tebaldi, & vadit juxta

juxta terram Petri de Moronto, quæ est filiorum Rainerii de Oddo, & vadit in silvam de Lanciola nostra, ubi debent augere nobis in una fronte cannas X. & in alia fronte cannas X. & inde juxta terram filiorum Rainerii de Oddo in pede silvæ de Gutti, & inde in rigum Sancti Petri, & in pontem Sanctæ Barbaræ, & in viam, & exit in Crucem Sanctæ Barbaræ.

Beraldus filius Rainaldi obtulit unum Castrum, quod vocatur Basione, & Podium, & suam portionem de Monasterio Sanctæ Mariæ in Consenano, & omnes res quantascumque tenebat à rivo, qui dicitur Cornu usque in flumen Reatinum, cum Ecclesiis, Castris, & omnibus pertinentiis, atque subjacentiis. *Carbo Abbas de Monasterio Sancti Nicolai*, quod est in Comitatu Narniensi in Castaldatu Sancti Gemini, & Oddo Clericus, & Juvenalis, germani fratres, & filii Berardi de Juvenale, & Guido de Tebaldo Oddonis, & Rodulphus de Bonino, omnes isti insimul dederunt in hoc Monasterio Ecclesiam Sancti Nicolai de Comitatu Narniensi, & Castaldatu Sancti Gemini, cum omnibus rebus mobilibus & immobilibus sibi pertinentibus in toto Comitatu Narniensi, & in Todino, & in Amerino; & Ecclesiam Sancti Egidii in Comitatu Todino, vocabulo Spina, quam quidam viri, idest Opizo filius Curæ, & Morico, & Rodulphus, & Ildebrandus nepotes ejus dederunt in supradicto Monasterio Sancti Nicolai, quod est in loco, qui vocatur Collis de Ficunigra, in Castello Sancti Gemini, qui vocatur Arenarius. Gualfredus filius Tebaldi dedit in supradicto Monasterio Sancti Nicolai portionem suam de Ecclesia Sancti Martini. Rodulphus filius Berardi, & Albericus, & Azolinus filii Albini, & Petrus & Bernardus, & Cencius filii Baronis, & Rabertus filius Berlandi, & Rapizo, & Oddolinus, & Tebaldus filii Tebaldi, & Munaldus, & Ofridus, & Baronus, & Suppolinus filii Rapizonis, omnes simul dederunt in supradicto Monasterio Sancti Nicolai Ecclesiam unam infra Castrum Cicilianum Comitatus Tudertini, & unam casam ad faciendam Ecclesiam subtus ipsum Castellum de Ciciliano, cum tota terra, & silva juxta ipsam casam in loco, qui vocatur Grappula: ipsa verò Ecclesia suprascripta infra Castellum Cicilianum, nuncupatur Sancta Maria.

Baroncellus filius Beraldi, & Oddo filius, dederunt in hoc Monasterio res suas in Comitatu Reatino, & in Frascari, & Septemjanule, & Taliatam, & in montania Campli, & Peritulo omnem portionem suam in integrum. Ascarus illustris vir dedit in hoc Monasterio res suas in Ducatu Spoletino, ubi dicitur Furca Casaline, & Mizanus, servitium, quod ei facere debebat Stephanus de Teuzo, & in Mizano servitium Stephani de Alberto, & Stephani, & Petri, & Massarelli filiorum Uccellonis, omne servitium, quod ipsi, & heredibus eorum per usum facere debent, itaut non habeant ipsi licentiam alicui servire, nisi cum voluntate supradicti Abbatis, vel successorum ejus Abbatum. ***Albertinus Comes filius Gualterii Comitis Tudertini***, dedit in hoc Monasterio omnes res suas in cuncto Ducatu Spoletino, & in Comitatu Tudertino, excepta portione sua de Monte Castro cum sua pertinentia, de totis aliis Castris & Ecclesiis concessit portionem suam, & consentiente Burga conjuge sua, dedit in Ecclesia Sancti Nicolai de Carriola, quæ est Cella hujus Monasterii, res ipsas, quas per præstariam receperat ab hoc Monasterio, idest Silvam & terram in integrum, quam per concambium à parentibus suis legaliter in transactum recepit, & portionem de molendino in Haja de Grassis, & Berdeleto, cum omni suo tenimento, & portione molendini de Meso, & fratrem ejus Hugonem cum omni tenimento, & alium hominem nomine Letulum in fundo Ripa Labornia cum suo tenimento, exceptis casalinis de Castello, & concessit fruges omnes de terris & vineis per totum fundum Confinium.

Domnus Beraldus Abbas confirmavit cuidam *Valentino Abbati Ecclesiæ Sancti Petri in Vallibus*, portionem ejusdem Monasterii, quam *Rapizo Comes* in hoc Monasterio concessit, ut teneat eam secundùm nostram consuetudinem; & promisit, ut nec ipse, neque ejus successores, prædictam obedientiam ei sine sua voluntate, vel assensu tollant, & ipse Abbas Valentinus firmavit hoc Monasterium, & prædictum Abbatem, ejusque successores, quòd fidelis foret deinceps huic Ecclesiæ, & Abbatibus nostris; & quæ in ipsis partibus habemus, vel ulteriùs acquiremus, contra omnes homines nos ad retinendum adjuvare studeret, sine fraude & malo ingenio: sic promisit observare, per sacra Evangelia, & suscepit ipsam obedientiam, quam paulò ante in manu Domni Abbatis refutaverat: Rodulphus Presbyter filius Azonis de Carzano concessit res suas de Curzano: à primo latere, usque casarinum Roccii de Joanne, & usque Castrum de Istriano, & usque fossatum de Rutino, & in Sancti Silvestri, & per ipsum casarinum pergit usque in fossata, quæ pergunt ad Flajanum, vel ad collem Sancti Viti, cum portione de Ecclesia Sancti Joannis de Carsano, in integrum. Henricus Rodulphi filius, & Gemma uxor ejus, & Senebaldus, & Transaricus, & Munaldus filius ejus, omnes insimul dederunt medietatem Monasterii Domini Salvatoris, quod est in Ducatu Spoletino, & confinii territorii Terraniani, & Reatini vocabulo Marmora, cum omnibus Ecclesiis eidem pertinentibus. Infra Civitatem Teramnensem, Ecclesia Sancti Alexii in Monte supra ipsum Monasterium Sancti Angeli; in Fagi Sanctæ Mariæ; in Criptis Sancti Nicolai; in Furca Melonis Sancti Maximi; in Bassano Sanctæ Mariæ, medietatem Sancti Hermetis; in Furca Sanctæ Mariæ; in Cesi Sancti Apollinaris; in Plaure Sancti Secundi; in Trepunzo Sancti Angeli de Ocosia, & Sancti Fortunati in territorio Teramnensi. Et fecerunt supradicti viri sacramenta, quibus promiserunt huic Monasterio, & Domno Beraldo Abbati, ejusque successoribus, pro se suisque heredibus in perpetuum, quod numquam auferent, nec auferre consentient per se, vel per ab eis submissas personas Ecclesiam Sancti Salvatoris in Marmora ab hoc Monasterio, ubi eam dederunt, neque ejus res, quas tunc habebat, vel in futurum acquisierit; & studiosè in prædicta Ecclesia, vel ipsius rebus molestiam non facient, nec facere permittent; sed adjuvabunt nos nostrosque ordinatos ad retinendum eamdem Ecclesiam Sancti Salvatoris cum rebus sibi pertinentibus, & omnia alia bona Sanctæ Mariæ, & suum honorem contra omnes homines. Henricus autem filius Transarici concessit in supradicto Monasterio Sancti Salvatoris totam suam portionem de Ca-

Castello in Marmora cum casis, casalinis, & Ecclesiis, omnibusque rebus ejusdem Castelli Curiæ pertinentibus. Similiter dedit in hoc Monasterio prædictus Henricus totam suam portionem de ipso Monasterio Sancti Salvatoris, quod est in eodem Castello, cum omnibus rebus mobilibus & immobilibus sibi pertinentibus &c.

Octavianus autem, & Rodulphus filii Transarici, dederunt in supradicto Monasterio Sancti Salvatoris tertiam partem de Marmoribus, cum Curte, & omnibus rebus ei pertinentibus, & duas casas in Basano, quas tenet Simeon Arduinus. Omnia hæc dederunt pro anima Transarici genitoris usque in perpetuum pro libris XXX. argenti monetati. Atto filius Arderadi, & Presbyter Guido filius ejus dederunt in hoc Monasterio res suas territorii Terranani, in pertinentia Collis Stacti: à primo latere, & secundo fluvius Naricus; à tertio pertinentia Antisani; à quarto Tesinus. Theodinus filius Berardi dedit res suas in hoc Monasterio infra Comitatum Reatinum in Narnate: à primo latere mons Cornu; à duabus partibus terra Aldonica; à quarto latere terra Tibertisa: omnem portionem suam in integrum.

Beraldus filius Crescentii, & Dominica uxor ejus, dederunt in hoc Monasterio, & Domno Beraldo Abbati, ejusque successoribus in perpetuum, in territorio Tiburtino Castrum, quod vocatur Pocile, cum omnibus pertinentiis, & Monasterium Sanctæ Mariæ quod est in ipso loco, cum omnibus rebus mobilibus & immobilibus sibi pertinentibus. *Tigrinus qui vocatur Tiniosus, filius Guidonis Comitis*, dedit in perpetuum octavam partem Monasterii Sanctæ Barbaræ, & suam portionem de Ecclesia Sancti Petri ibidem, & Sanctæ Luciæ in Bucelano, & Sancti Andreæ in Ripe, & Sancti Clementis de Confinio, & Sancti Stephani ibidem cum omnibus pertinentiis & subjacentiis earum. Carbo filius Alberti concambiavit, & tradidit ad perpetuitatem in hoc Monasterio, in territorio Asculano, & Firmano Castellum Rovetinum, & portionem suam de Castro Terra talliata, cum omnibus rebus illorum. A primo latere flumen Asum; à secundo via, quæ vadit ad aquam de Furce, ad plebem Sancti Severini in verticem montis Polisiæ, ad Carpinum Umbreclæ; a tertio aqua Furcæ, & pergit in aquam de Raso; à quarto prædictum Campinum vadit ad montem Sancti Martini ad Sanctum Pancratium in Cerritum Alberti Bardoni in rigum Patrinionis, & per girum de Cimbriano in prædictum flumen Asum. Infra istos fines dedit per concambium supradictus Carbo, consensu filiorum suorum, Castella, & Podia, & Ecclesias cum omnibus rebus eis pertinentibus, pro quibus omnibus recepit in cambium Castrum Lumeranum cum omnibus pertinentiis & subjacentiis ejus. Mainardus filius Brituli, consentiente illi Cono dativo tutore ejus, concambiavit in hoc Monasterio Castellum Collis Macri cum omnibus Ecclesiis, & pertinentiis ejus, & podia cum quarta parte de Castello Sancti Joannis, & medietatem de Canosa: quarum rerum fines sunt, Caputvacca; à pede terra hujus Monasterii; ab uno latere currente Pallore, & fluvio Aso; à secundo latere tenet filius Corvionis. Et promisit idem Mainardus, quòd res ipsas, quas recepit in concambium in Comitatu Firmano, nullo modo vendet, nec donabit, vel concambiabit, nec in loco pignoris, vel hypothecæ titulo dabit, vel pro anima judicabit, alicui homini cujuscunque potestatis, nisi in hoc Monasterio. Item prædictus Mainardus concessit, consentiente ejus tutore, res suas in territorio Asculano, vocabulo Collis Macri, cum Ecclesia Sanctæ Mariæ, infra ipsum Castellum, & portionem suam de Ecclesia Sanctæ Mariæ de Beloniano, & de Sancto Petro, cum omnibus pertinentiis, vel subjacentiis, ipsi Castello juste vel injustè pertinentibus, & quartam partem de Castello Sancti Joannis, & de Ecclesiis ejusdem Castelli, & omnium Ecclesiarum sibi pertinentium, quarum rerum fines sunt superiùs descripti.

Beraldi Farfensis Abbatis libellus supplex ad Guarnerium Ducem & Marchionem Anconitanum de injuriis suo Monasterio illatis à Morico, & Carbone, circiter Annum 1106.

„ QUoniam Dei Ecclesiæ persecutores maximis ac variis pœnis Leges persequuntur, & aliquando datis potestatibus semper ulciscuntur, idcirco ego *Beraldus Abbas*, insimul cum Carbone Advocato meo tibi *Guarneri Dei gratia Excellentissime Dux & Marchio*, querimur, atque omnibus Christianis in Christo piè viventibus notum fieri volumus, sanctæ Dei Genitricis Ecclesiam multis & variis esse afflictam miseriis. Quapropter conquerimur, & proclamationem facimus de Morico & Carbone, qui in tantum Dei Ecclesiam persecuti sunt, quia nullus Paganus, & nullus Judæus super hoc transire valuit. In primis scilicet nos stantes, & Castrum nostræ Ecclesiæ corroborantes, ipse prædictus Carbo supradictæ Ecclesiæ persecutor nobis securitatem dedit, & postea assaltum nobis posuit, & duos nostros Milites interfecit; ab hac hora in antea terram nostram divastaverunt, prædam abstulerunt, messes nostras ignibus concremaverunt, homines, quos potuerunt capere, occiderunt; Monasteria nostra spoliaverunt; tribus vicibus infra immunitatem Ecclesiæ damnum dederunt, & postea in Ecclesiam Dei irruerunt; & crimen sacrilegii commiserunt; altaria spoliaverunt; libros & paramenta abstulerunt; Monachum infra Dormitorium apprehendentes exuerunt: alios verberaverunt; alios in captivitatem funibus in collo ligatis duxerunt: & de scapulariis eorum vestimenta & caligas sibi & suis militibus fecerunt: in capite asini scapularium miserunt, & *Domne Abba benedicite*, dixerunt. Insuper Dei famulum spoliatum nudum cum quadam muliere in foveam miserunt; alium verò musellaverunt, & morti tradiderunt, quamdam Dei ancillam apprehendentes: cippos in pedibus ejus miserunt, & funibus suspensam per gyros eam revolverunt, variisque pœnis affecerunt. In tantum Dei Ecclesiam affligebant, ut culvertas (80) suas mitterent, quas offertiones de manu Presbyteri per vim distraherent, in quorum ma-„ ni-

(80) Fortasse *suos mitterent, qui* &c. Ego heic servos viles significari puto; atque hinc explicari posse videtur vox *Culvertagium* apud DuCangium in Gloss. Latino.

„ nibus, qui offerebant, osculum præbebant. Super hæc omnia tam pessimam & nefandam & inauditam injuriam, quam dicere licèt verecundemur, reticere tamen non possumus: scilicet quia apprehensum Dei famulum & venerabilem Monachum, de jumento in terram miserunt, & fustibus cæsum ac malè verberatum spoliaverunt, eumque ad caudam vulvam & anum osculari fecerunt, qui eos rogare cœpit, ut eum dimitterent, quia pro animabus parentum illorum illo die sacrificaverat. De nostris verò hominibus, quos potuerunt, ceperunt, & plusquam centum Libras extorserunt; prædas & assaltus & injurias innumerabiles nobis fecerunt; Abbatem verò alium sinè armis in via assalierunt, & armati super eum irruerunt, & in fugam miserunt, & vix fuit, quin in captionem eum non habuerunt. Post tanta & tam nefaria nobiscum convenerunt, pactiones & obligationes nobiscum fecerunt, & plurimis sacramentis nos firmaverunt, nostrique Homines devenerunt, & fidelitatem juraverunt, obsides dederunt. Interea dum in eis magìs, quàm in nullo alio nostro fideli confideremus, fraudulenter ad Vicecomites nostros venerunt, inimicos nostros prædam nostram captos esse dixerunt, & ut nostri, cùm aliquid audirent, cum præda ad eos fugerent, securitatem dederunt. Tunc ipsi malitia pleni fraudeque detenti, per diversa loca prædones venire fecerunt, omnesque nostri cum omni præda ad eos confugerunt. Postquam verò in sua virtute prædam habuerunt, & homines tenuerunt, & ultra centum Libras .... acquisierunt. Insuper Sanctæ Mariæ Castrum Carbo cum sua fortitudine intravit, & filiam cujusdam nostri boni hominis per vim rapuit, suoque militi in uxorem tribuit; nec ante eam ejus pater recipere potuit, quàm bonum equum, & aliud quantum ipse Carbo voluit, pro ea dedit: alii etiam nostro bono homini, nomine Zaccios, unoquoque anno prædam auferebant, quam æstimamus valuisse plusquam centum Libras. Hæc & alia plura nobis fecerunt, quæ omnia nulla lingua enarrare, vel manus scribere valet de tantis & tam nefariis & scelestissimis hominibus, Ecclesiam Dei variis & diversis malis persequentibus. Vos fideles Christiani deprecamur, Ecclesiæ Dei sic persecutæ consoleatis, & qui justitiam à divino Numine concessam geritis, suppliciter oramus, ut quæ Leges præcipiunt, pleniter nobis exhibeatis.

Guarnerii Ducis & Marchionis Anconitani literæ contra Moricum & Carbonem invasores bonorum Cœnobii Farfensis, & protectio ab eo suscepta ejusdem Monasterii circiter. Annum 1106.

„ IN nomine Domini nostri Jesu Christi. *Guarnerius Dei gratiâ Dux & Marchio*, notum fieri volumus in Christo piè viventibus tam futuris quàm præsentibus, qualiter Maynardus quondam filius Gualterii bona Sanctæ Mariæ, in Marchia sita, Pharphensi Ecclesiæ omni jure pertinentia, invadere, molestare, diripere, quoad vixit, sacrilega præsumtione non destitit. Simili etiam tyrannide, ejusdem venenati patris venenatus filius Adalpertus contra idem Cœnobium omnimodis impugnare, destruere conatus est. Post hunc quippe Adalpertum sceleratissimi ejus filii Morico & Carbo, quæcumque patri ipsorum, vel avo de bonis prædictæ Ecclesiæ indestructa remanserunt, temerario ausu, & irrefragabili furore præcipitare, demoliri, ac penitus confundere non cessaverunt. A qua sacrilega factione, divinâ potentiâ, vel Imperatorum sive Apostolicorum concessa prædicto Cœnobio Præcepta, seu Privilegia, mentes reproborum nullatenus revocaverant. Sed dum tantis, ut jam diximus, pravitatibus prædictam Ecclesiam intolerabiliter distraherent, & ejusdem innocentes famulos gravissimis calumniis lacesserent, Abbates unà cum Cœnobitis crebras & miserandas Principibus ac Rectoribus super his fecerunt querimonias; sed, ut supra docuimus, nec divino timori, nec Principum jussioni obtemperantes, à nefario opere cessavere. Postremo nostri regiminis tempore *Abbas Beraldus*, virtutibus & nobilitate vir clarissimus, zelo justitiæ & ultionis divinæ accensus, contra pestiferas prædictorum fratrum Morici scilicet & Carbonis machinationes potenter se erexit; sæpe de ipsis sacrilegis Ecclesiæ Dei, ac Genitricis ejus invasoribus nobis reclamavit. Sæpe nihilominus ipsum venerabilem Abbatem, & eosdem scelestos, datis finiendæ litis terminis, in nostri præsentia ad judicium legaliter vocavimus. Advenientibus autem terminis Abbas justitiam & satisfactionem recepturus, in nostri præsentia adfuit; sed dignam perpetrati sceleris sententiam & proscriptionem metuentes, reproborum fratrum neuter vênit, sed in consueta pravitate contumaciter perseveravere. Deinde præfatus Abbas, Deo cœlitus, & ejus Sancta Genitrice victoriam sibi administrante, vindex præteritorum malorum potenter exstitit, contra eosdem hostes prævalens, ipsosque de bonis ipsorum prorsus exhereditavit. Quapropter quomodo ultione divina ac judiciali censura declaratum est, prædictorum rebellium possessionem & proprietatem præfatæ Ecclesiæ jure in omnibus deliberavimus, sive censuimus possidendam, ita ut amodo liceat prædicto Abbati ejusque Ecclesiæ quietè & liberè, ac sinè aliquo præjudicio Rectoribus procurare infandorum præfatorum possessionem & proprietatem. Auctoritate itaque *Domni Imperatoris præsentis Serenissimi Heinrici*, & eidem sacro Cœnobio antiquitus Imperiali, vel Apostolica statuta in Præceptis seu Privilegiis censura præcipiente, jubemus, ut nullus deinceps Marchio, Comes, Vicecomes, vel aliqua magna parvaque persona prædictam Ecclesiam molestare vel inquietare in prædictis bonis præsumat. Quòd si aliquis fortè contra hæc statuta ire præsumserit, centum Libras auri componat, medietatem prædictæ Ecclesiæ, medietatem verò Cameræ nostræ. Quod ut ratum & inconcussum sit, tam apud posteros, quàm apud præsentes jugiter permaneat, manu propria hoc signum huic paginæ impressimus, & nostri sigilli impressione consignari præcepimus.

„ Raynerius (81) Johannis de Rainer, Patro-

(81) Nihil rei his cum Guarnerii Ducis Diplomate. A tamen retinere placuit, quia jamdiu edita.

„ tronus Scholæ Sandaliorum, pro se & pro „ Petro de Rosa Priore dictæ Scholæ, & pro „ omnibus Scholensibus minoribus & majori- „ bus firmavi Petro Præposito & Beraldo Ab- „ bati hujus Monasterii & eorum Successori- „ bus in perpetuum Portum Currisem & usum „ antiquum. Et si damnum aliquod evenerit „ hominibus Abbatiæ, & ipsi compellati fue- „ rint per duas vices, inter spatium quatuor „ mensium emendare faciant nobis; & si ipse, „ qui damnum fecit, emendare noluerit, da- „ bit nobis licentiam capiendi tantum de ipso, „ quantum damnum est.

Erat autem in Castello Corgnito Ecclesia constructa in honorem Sancti Petri Apostoli, in prædio virorum Rainerii, Geizonis Monachi hujus Monasterii, & Franconis, & Petri, filiorum ejus, quos *Guido venerabilis Episcopus Tuscanensis* paterno ac pastorali admonuit affectu, ut pro redemtione animarum suarum eamdem Ecclesiam, quæ est in plaja subtus Ripam, offerrent Deo & Salvatori Domino, & perpetualiter liberam redderent. Insuper servis servorum Dei Monachis ibidem ordinatis, in persona Domni Beraldi Abbatis Ecclesiæ Sanctæ Mariæ Pharphensis, in suisque posteris disponendam concederent. Ipsi autem prædicti viri, ejusdem Episcopi prædicationibus acquiescentes, fecerunt chartam perpetuæ, & irrevocabilis refutationis de ipsa Ecclesia Sancti Petri præfato Episcopo, in persona prædicti Beraldi Abbatis, & suis Successoribus, sub pœna centum librarum Lucensis monetæ optimæ. Episcopus autem, prævidens hujus Ecclesiæ futuræ libertati, consensu omnium, & in pertinentia donatorum ac refutatorum concessit prædictam Ecclesiam præfato Abbati Beraldo, & huic Monasterio in sempiternum.

Quodam verò tempore ortum est grave bellum contra Domnum Abbatem à quibusdam Secularibus potestatibus, in quo Dominus Jesus Christus filius Virginis defensor factus est hujus domus Genitricis suæ, omniumque bonorum ejus, & eumdem Rectorem, in omnibus fecit victorem. In quo etenim bello captus est *Ophriducius Comes*, post hoc dimissus est à Domno Abbate, & fecit chartam r futationis in hoc Monasterio, & Domno Abbati Beraldo, & dimisit omnem inimicitiam pro ipsa captivatione, & deprædatione rerum suarum, scilicet aurum, argentum, vestimenta, & omnia, quæ ei ablata sunt & suis hominibus in ipso bello, refutavit, & pacem finemque nobiscum fecit. Joannes Presbyter filius Adæ dedit res suas de Luco, vel Bucciniano. A primo latere rivus de monte Lupulo; ab alio rivus de Cannitulo; ab alio terra de Bucciniano, quæ vocatur Cerquetus rotundus. Et in alio loco, qui vocatur Guadus, & in Calviniano, & in valle Gramandella, & Marella, & in Sala. Petrus Presbyter filius Joannis dedit res suas in Comitatu Narniensi de fundo Cervaro petias II. de terra, & petiam unam in colle Cocturo, & ad fontanam de Spoletinis, & vineam de fundo vallis Mercurii, & de valle Hebose, & à Lavatoriis, & de fundo Fugiano, & de fundo collis Luparii, & de valle de Majo. Et petias tres terræ in pede Capehano, & de valle Antonina, & de fundo Petra Rea, & de fundo Rubicino, & de fundo Turris, & de fundo Cischano, & de fundo Scopello, & de fundo Atiano, & de Fargeto, & de colle Gregorii, & de colle Junco, & de Terminoto, & de monte Rotundo. Et portionem suam de Ecclesia Sancti Valentini Martyris in Bobio, & de Monasterio Sancti Simeonis, & de Sancto Christophoro cum tenimento ipsarum Ecclesiarum; insuper argenti libras IV. Faido filius Leonis, & Joannes filius ejus dederunt res suas de Comitatu Reatino territorii Fallaginensis. In Ganiperito petiam unam, & unam silvam in colle Morco modiorum IV. & quartarum III. & in Casarinis, vel ad Roccam modiorum XX. Ubertus filius Fusconis, & Gervisa uxor ejus dederunt res suas de Ducatu Spoletino, & Comitatu Reatino, atque Asculano; à pede Castellare collis de Spata; vadit per rivum usque in petram Moliginem, & ascendit in furcam de Pesa, & usque in Palezectam, & exinde per Maclas ad petram Corumunalem Aventedani, & descendit in furcam Sancti Marcelli, & vadit per viam publicam, usque in Copulam, & inde in pratum Cardosum; & vadit per finem terræ de Camponiscis, & in vadum Segezonis, & per rivum, qui est juxta res filiorum Gisleri usque in fontanam ad Peritulum, & descendit per ferram Longoni, & in Regiam Alejanam, & per ipsam aquam usque in pedem collis de Spata, quæ est primum latus. Inter hos fines tertiam partem de Castello Raditu cum suis pertinentiis; & de Castello Aqua Sancta tertiam partem; & de Podio Sallo medietatem. Petrus Presbyter de Cono dedit casam intra Castellum Sancti Gemini juxta plateam, & aliam casam ibidem, & terram in fundo Canneta modiorum VII. & ad Ficulneam albam modii I. & ad Petram-latam modii I., & portionem suam de Sancto Angelo in collibus.

Epistola, sive Decretum Comitis cujusdam, fortasse Rainaldi Sabinensis, quo nonnulla Farfensi Cœnobio largitur circiter Annum 1105.

„ P. R. I. (82) Dei gratia Comes Beraldo „ Abbati Farfensi, omnique Congregationi „ suæ, quicquid indissolubile dilectionis, & „ amoris vinculum. Epistolam quidem ve- „ stram serena fronte & tranquillo recepi ani- „ mo. Ecce quicquid postulastis, auxiliante „ Altitonante, quantum nostræ possibilitati „ pertinet, revera, semota omni occasione, „ habebitis. Concedo, & firmiter promitto, „ pro redemptione animæ Patris, & Matris „ meæ, nec non & animæ corporis mei, he- „ redumque meorum, & pro fidelitate Con- „ ditoris mei, & Genitricis ejus, & dilectio- „ ne almi Abbatis, & Seniorum fratrum il- „ lius Monasterii, ut quomodo habere soleba t „ in sua potestate tempore patris mei, ita „ habeat licitu meo Monasterium Sancti Ste- „ phani, homines, & Castella, & Cellas, & „ quicquid sibi pertinet. Captura quippe ho- „ minum ejus minimè erit, semotas duas res, „ scilicet causa traditionis meæ terrarum mea- „ rum, aut causa fugitionis eorum, cum fa- „ cultatibus Ecclesiæ similiter, & de proposi- „ tis. Et si quis meorum de suis illuc impen- „ dere cupit proprietatibus licitu meo faciat. „ Quid plura? omnipotens incolumes vos cu- „ stodiat. Taxionis Rogerius miles acerrimus. Atto

(82) Ita in exemplari, quo sum usus. Fortasse scribendum *RAI.* Hoc est *Rainaldus Sabinensis Comes*.

Atto Comes dedit medietatem unius Ecclesiæ Sancti Martini de Morro cum omnibus pertinentiis ejusdem medietatis. Domnus autem Beraldus concessit Beraldo filio Rustici de Crescentio, & ejus conjugi Annæ, eorumque filiis, & nepotibus Casales XII. sicut olim prædictus Rusticus detinuit suis manibus, & suis dedit equitibus, infra Castrum Currisem, & Castrum Bricti, & Castrum Nerulæ. A primo latere tenimentum Castri Currisii; à secundo aqua Currisis; à tertio aqua Curbulani; à quarto Fons marmoreus, & tenimentum Castri Nerulæ pensione denariorum XII. Pro quibus rebus ipse Beraldus juravit fidelitatem in hoc Monasterio, & prædicto Abbati, & spopondit firmissimè, quòd nec ipse, nec filii ejus, qui Castrum Nerulæ retinerent, acciperent alium Seniorem, nisi Abbatem hujus Monasterii in perpetuum, & cum aliquo inimico hujus Ecclesiæ, numquam facerent finem, neque pacem sinè Domno Abbate, & sic alia Castella, idest Fara, vel Tribucum, & Buccinianum, permanerent in dominio prædicti Abbatis, & Successorum ejus, atque hujus Monasterii. Et si fortè per bonam fidem, & sinè fraude, vel malo ingenio ita non observaverint ipse Beraldus, & filii ejus, qui Castrum Nerulæ retinebunt, componant huic Monasterio, & Domno Abbati, vel ejus successoribus, & sinè aliqua contentione ipsum Castrum Nerulæ veniat in possessionem hujus Cœnobii, & Domni Abbatis, vel ejus successorum. Quod factum, & definitum est, omni Congregatione consentiente. Quidam Benedictus Prior Ecclesiæ Sancti Martini super Vallem Transaquam, suscepit à Domno Beraldo Abbate Ecclesiam Sancti Rufini de vocabulo Ratino, cum omnibus ejus pertinentiis, ad meliorandum, ab Anno Domini MCXIII. usque ad XXX. annorum expletionem; & ibi sit semper ordinatus noster, quem nos proponimus, & ad jus nostrum liberrimè consistat in ipsa Ecclesia Sancti Rufini; & annualiter perfectorum piscium duas salmas in festivitate Sancti Benedicti, vel in Ascensione afferant hic nobis. Post hoc verò Præpositus ipsius Ecclesiæ Sancti Martini cum omnibus fratribus suis refutavit ipsam Præposituram, & omnem conditionem, quam acceperat ab hoc Monasterio de ipsa Ecclesia Sancti Martini, in manibus Domni Beraldi, atque Monachorum nostrorum. Petrus Presbyter, filius Henrici, dedit in hoc Monasterio, & in Ecclesia Sanctæ Mariæ de Colle Bajano, petiam unam in loco vocabulo. . . .

Henrici V. (83) *Regis, Quarti verò Imperatoris Diploma, quo Farfensi Monasterio bona, jura, ac Privilegia omnia confirmat, Anno* 1118.

„ IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Henricus divina favente clementia IV. Romanorum Imperator Augustus. Omnibus Episcopis, Abbatibus, Marchionibus, Ducibus, Comitibus, & cunctis Reipublicæ Procuratoribus, totiusque Italici Regni Ministris. Imperatoria Majestas ad bonæ fidei viris, veræque cultoribus Religionis opportuna largiendum, per omnia benivola fore debet atque largissima. Denique si loca Sanctorum nostro proficiunt studio, in nostris nos negotiis nunc utiliùs eorum auxiliis credimus foveri, & in futuro tunc confidimus digniùs remunerari. Noverit autem omnium vestrûm sagacissima solertia, quoniam quidam Beraldus, vir venerabilis, magnæque constantiæ, Abbas Monasterii Beatæ Mariæ semper Virginis Cœnobii Farfensis, una cum venerabili Congregatione, nostram adiit excellentiam, intimans nostræ clementiæ multas incommoditates, invasiones, & subreptiones à viris nefandis, nostrique coronæ Imperii adversariis, de bonis ipsius Monasterii, hactenus illatas; simulque deprecatus est, ut inspectam authenticam ipsius Monasterii libertatem à Regibus, vel Imperatoribus olim inibi concessam, aureis sigillis munitam, scilicet Liutprando, Rathgisio, Haistulpho, & Desiderio Longobardis, nec non & Carolo, & Ludovico, & altero etiam Ludovico, & à nostris parentibus Chuonrado, & Avo nostro Henrico, & bonæ memoriæ patre nostro Henrico, qualiter prædictum Monasterium Sanctæ Mariæ propter Domini amorem, & reverentiam Sanctæ Dei Genitricis semper Virginis Mariæ Dominæ nostræ, sub sua semper tuitione tenuissent: nos quoque plena corroboratione eamdem antiquam libertatem per omnia confirmaremus, & quandocumque res ablatas Christo propitio, restituere studeremus, quatenus cunctis vexationibus remotis, ipsi servi Dei in Dominicis laudibus persistere valeant quietè, & pro nobis Dei misericordiam attentiùs studeant postulare. Igitur eorum justis postulationibus benignissimè assentientes, confirmamus dicto Monasterio, quicquid in superioribus continetur præceptis, & quiquid futuris temporibus per instrumenta Chartarum, vel donationem quorumcumque hominum vindicare contingerit, prout justè & legaliter possumus. Videlicet quicquid habere videtur in territorio Sabinensi, idest Ecclesiam Sancti Angeli in Terentiano, Ecclesiam Sancti Angeli in Tancia cum gualdo, & omnibus suis pertinentiis, sicut Hildebrandus Dux per suum confirmavit præceptum. Item Ecclesiam Sancti Angeli in Petroniano; Sancti Angeli in Mutilla; Sancti Angeli in Silignano; Sancti Angeli in Montiano, Sancti Angeli in Viviano; Sancti Angeli in Luciano; Sancti Antimi in Acutiano; Sanctæ Anatoliæ in Busiano; Sancti Abundii in Botiano; Sancti Bartholomæi in Foriano; S. Benedicti in Ortelle, Sancti Benedicti in Campo; Sancti Blasii in Fistula; Sanctæ Barbaræ in Ponticello; Sancti Cipriani in Albiano; Sanctæ Cæciliæ in Paterno; Sanctæ Cæciliæ in Fuliano; Sanctæ Cæciliæ juxta rivum Bandonis; Sanctæ Cæciliæ in Terentiano; Sanctæ Cæciliæ in Cerrito malo; Sancti Calistrati in Cipriano; Sancti Cesigii in Cossiano; Sanctæ Columbæ in Capitiniano; Curtem in Picte; Sancti Donati in Ciciliano. Sancti Donati in Agello; Sanctæ Eugeniæ, & Sancti Juvenalis in Malliano; Sanctæ Eugeniæ in Bubete;

(83) Non à Gregorio Monacho Chronici hujus Auctore, sed ab altero Monacho adjectum Diploma hoc puto. Nam uti in Præfatione monui, longe ante Annum 1118. Gregorius e vivis ereptus fuerat.

bete; Sancti Felicis in Antiano; Sancti Felicis in Silvanione; Sancti Gethulii in Fornicata; Sancti Gethulii in Lavariano; Sancti Gregorii in Acutiano; Sancti Gordiani in Apiciano; Sancti Gordiani in Longitia; Sancti Gordiani in Postmontem; Sancti Gangulfi in Coscie; Sancti Hiacynthi in Gualdo; Sancti Heleuterii in Canali; Sancti Heleuterii in Catino; Sanctæ Helenæ in Migniano; Sanctæ Justæ in Cassiano; Sancti Joannis in Criptula; Sancti Joannis in Cornazano; Sancti Joannis in Paterno; Sancti Joannis in Ginestra; Sancti Laurentii in Calistrano; Sancti Laurentii in terris; Sancti Laurentii in Ortelle; Sancti Laurentii in Cassiano; Sancti Laurentii in Tophila; Sanctæ Luciæ in Luciolo; Sanctæ Mariæ in Terentiano; Sanctæ Mariæ, & Sancti Silvestri in Ciciliano; Sanctæ Mariæ in Saliano; Sanctæ Mariæ in Catilini; Sanctæ Mariæ in Cannito; Sanctæ Mariæ in Plano; Sanctæ Mariæ in Pensile; Sancti Martini in Saliano; Sancti Martini in Valeriano; Sancti Martini in Rescaniano; Sancti Martini in Ponticello; Sanctæ Margaritæ in Mojano; Sancti Marcelli in Carboniano; Sancti Nicolai in Macla; Sancti Petri in Cassicella; Sancti Petri in Germaniciano; Sancti Petri in Oriclange; Sancti Petri in Catino; Sancti Petri in Lucaniano; Sancti Pancratii in Corviano; Sancti Pancratii ad gualdum prope gualdum Tanciæ; Sancti Stephani in Roiano; Sancti Stephani in Domitiano; Sancti Stephani in Leptiniano; Sancti Silvestri in Postmontem; Sancti Silvestri in Mediana; Sancti Silvestri in Ciginiano; Sancti Silvestri, & Sancti Nicolai in Cerrito malo; Sanctæ Sabinæ in Catiniano; Sancti Sabini in Foliano; Sancti Sebastiani in Prætoriolo; Sancti Thomæ in Quintiliano, & in Pontiano; Sancti Thomæ in Rocca; Sancti Thomæ in Vivario; Sancti Viti super Farfam; Sancti Viti in Urbana. Sancti Viti in Palmis. Sancti Victorini in Marciano; Sancti Victorini in Bassiano; Sancti Victorini in Paterno; Sancti Valentini in Tulliano; Sancti Valentini in Sabinis; Sanctæ Victoriæ in Feclinule. In territorio Reatino Curtem Sancti Nazarii; in vallantis Sancti Gregorii; in Pitiliano Sancti Heliæ; in Peruniano Sancti Jacobi; Sancti Joannis in Asera; Sancti Joannis in Tezano; Sancti Leopardi, & Sancti Joannis de monte Sancti Joannis in Ginestra; Sancti Laurentii in flumine Mellino; Sancti Laurentii in Ausigino; Sanctæ Mariæ in Salto; Sancti Petri in Pensile; Sancti Petri in Cervario; Sanctæ Agathes ad Arces; Sanctæ Agathes in Paludibus; Sanctæ Anatoliæ, Sancti Cassiani, Sanctæ Cæciliæ in Beruniano; Sancti Justini, Sancti Flaviani, Sancti Georgii, Sancti Gregorii, Sancti Valentini in Prato Reatino; Sancti Angeli in Capistrello in territorio Interocrino; Sanctæ Mariæ in Casalicis; Sancti Martini in Cesonis; Sanctæ Mariæ in Forfone; Sancti Silvestri in Summati; Sancti Petri in Fulagrine; Sancti Rufi in Noveri. In Balba Sancti Laurentii, Sancti Joannis, Sancti Peregrini. In Pinne Sancti Clementis, Sanctæ Luciæ. In Camerino Sancti Abundii. In Tore Sanctæ Mariæ. In Cornito in Perito Sancti Silvestri. In Ophiano Sanctæ Crucis. In Trebule Sancti Adriani. In Repasto Sancti Andreæ. In Columerte Sancti Banedicti; Sanctæ Mariæ in Lauriano; Sanctæ Cæciliæ in Macte; Sancti Heleuterii, Sancti Nerei, Sancti Xisti in Sextuno; Sanctæ Justæ in Capricis; Sanctæ Mariæ in Turrita; Sancti Benedicti ad Tres casas; Sancti Adriani, Sanctæ Mariæ in Tibe; Sancti Cæsarii in Poli; Sancti Laurentii in Macri; Sancti Angeli in Avenucla; Sancti Crisanti in Camurda. In Tuscana Sanctæ Mariæ in Minione; Sancti Maximini, Sancti Petri in Casale Annone. Sancti Peregrini, Sancti Salvatoris, Sancti Laurentii in Gerræ flumen. Sanctæ Severæ juxta mare. In Viterbio Sanctæ Mariæ, Sancti Angeli, Sancti Alexandri, Sanctæ Mariæ in Vico-Flabiano; Sancti Petri in Casale Antoniano; in Cornito Sancti Petri, Sancti Angeli, Sancti Antimi, Sancti Simeonis, Sancti Clementis, Sancti Laurentii; Sancti Angeli in Stroncone; Sancti Joannis in Torella; Sanctæ Mariæ in Colle Bajano; Sancti Petri, in Colle; Sancti Petri in Casa murata; Sancti Quirici, & Sancti Angeli in fundo Vinioli. In Amelia Sancti Stephani. Interamnæ Sancti Salvatoris, Sancti Syri; Sanctæ Agathes; Sanctæ Mariæ in Mejana; Sancti Nicolai in Colle Stacti; Sancti Petri, Sancti Angeli in Scoplo. In Flajano Sancti Andreæ; in Bisano Sancti Blasii, Sancti Sebastiani; Sanctæ Mariæ in Manciano; Sanctæ Luciæ in monte Martiano. In Roma Cellam Sanctæ Mariæ in Cripta Agonis, & Ecclesiam Sancti Benedicti in Scorticlari cum Criptis, & eorum pertinentiis; Sanctæ Mariæ in Formello, cum omni pertinentia, & tribus Casalibus, sive fundis, quos Leo Papa IX. Sanctæ Mariæ misericorditer contulit. In Marsi Sancti Adriani, Sancti Potiti, Sancti Vincentii in Cellis, Sanctæ Mariæ, & Sancti Leucii in Opinianicis. In Tupho Sancti Angeli; in Tocco Sancti Victorini. In Comitatu Teatino Monasterium Sancti Stephani, quod ponitur in Lucania cum pertinentiis omnibus, & adjacentiis suis, & fara filiorum Guarnerii, & Podium Ortonellæ Sancti Clementis, sicut Atto Comes per concambium pro portione de Atissa dedit. In Samnii partibus super Vulturnum flumen Monasterium Sancti Vincentii (84) cum Castellis, & omnibus pertinentiis, quæ Sanctus Thomas Farfensi Monasterio à Duce Gisulfo per præceptum acquisivit. In Spoleto Sancti Marci; Sancti Pauli in Pirello; Sancti Salvatoris. In Saliano Sancti Viti; Sancti Martini in Orzano; in Ponte Sanctæ Crucis; in Aqua-sicca Sanctæ Christinæ, Sancti Eutichii. Sancti Viti in Asisio; Sancti

(84) Diligenter animadverte. Vulturnense celebre Monasterium, cujus Chronicon supra evulgavi Par. II. Tomi I. Rer. Italic. sui juris erat, & ab uno suo Abbate pendebat: quam libertatem ei asseruerant & confirmarant tot Romani Pontifices, ac Imperatores. Attamen Farfenses Monachi numquam destitere a tribuendo sibi jus in illud Coenobium, uti Chronographus ipse noster in Lib. I. fine ambagibus atque apertissime contendit. En ergo quam occasionem arripuerint Farfenses ut Vulturnense Coenobium suarum ditionum Catalogo adjungerent. Vide Henrici IV. Diploma supra, ubi hoc idem procuratum fuit.

„ cti Bartholomæi, Sancti Jacobi; Sancti Joannis in Satriano; Sancti Benedicti in Perosia, Sancti Apollinaris, Sancti Blasii, Sancti Mortani, Sanctæ Mariæ in Oliveto, Sancti Martini, Sanctæ Christinæ, Sanctæ Mariæ in Diruta. In Narnate Sancti Angeli. In Sabello Sancti Angeli; In Fitto Sancti Andreæ, Sancti Martini, Sancti Petri, Sanctæ Mariæ. In Pisia Civitate terræ Tusciæ, Sancti Petri, Sancti Thomæ cum pertinentiis suis. Item terram juxta Pisiam, unam petiam in loco, ubi dicitur à la Revoluta; aliam petiam juxta flumen Arnum, quæ vocatur Campus de vinea Donnica; aliam petiam, ubi dicitur Plaja de Plutiniano in Gomfo; terram modiorum XXIV. ad sextarium Pisanum, quam Pater noster dedit Sanctæ Mariæ. In Comitatu Senensi Curtem Leoninam. In Comitatu Camerino Sancti Angeli in Lanciano; Curtem de Salabona; Curtem Sancti Gregorii in Trevenano; Sancti Abundii, Sancti Marini, Sanctæ Mariæ in Manciano. In territorio Firmano Monasterium Sancti Silvestri, & Sanctæ Mariæ cum eorum integritate. Sancti Salvatoris sub muro Civitatis Firmanæ; Sancti Gervasii, Sancti Sigismundi; & terra de Paratinis; Sancti Angeli de Villamagna, Sancti Desiderii; Curtem de Cupressето, Sancti Angeli in Niviano; Sancti Venantii; Curtem de Columnellis, Sanctæ Felicitatis. In Raviliano, & Solario quasdam terras Sanctæ Mariæ; in Mociano Curtem de Caminatis, ubi dicitur Murrus; Curtem de Bressiano in loco qui vocatur.... Cella filiorum Guazonis; Sanctæ Mariæ Matris Domini; Sancti Marotis; Curtem de Valle de Ortatiano; Sancti Salvatoris in Memoriis; Curtem de Blotenano, Sancti Antimi; Curtem Montis Falconis, Sanctæ Mariæ. In Teramnensi Sancti Sabini, Curtem in Prætorio, Sanctæ Mariæ in Insula cum Curte Sancti Martini in Aquatinis. Aliam Curtem Sancti Martini in monte super Asulam; Curtem Robellæ; terram de Maceriatinis. In Moliano Sanctæ Victoriæ, Sancti Benedicti, Sanctæ Mariæ in muris, Sancti Angeli inter duas Tennas. Aliam Curtem Sancti Angeli in Mariano. In Comitatu Esculano Sanctæ Mariæ in Solestano; Sancti Angeli in Valle Veneria. In Comitatu Aprutiensi Curtem de Montiano; Curtem de Sardinaria; Sancti Petri in Pedoniano. In Comitatu Pinnensi Curtem Montis pediti cum Castello ibi ædificato; & aliam Curtem prope, scilicet Sanctæ Mariæ in Catilini, Sanctæ Luciæ in Ciciliano. Item res Attonis filii Arderadi cum Ecclesia Domini Salvatoris, & Castello Casa nova, quæ scilicet habentur in Charta, quam ipse Beatæ Mariæ fecit. Res Guinizonis filii Ildebrandi ab eo inibi collatæ cum ministerio de Spartiano, & campo Arsiccio, & de valli. In Comitatu Auximano Curtem de monte Polisco cum omnibus pertinentiis suis. In Monte Granario Sancti Petri. Item in Esculano Sancti Joannis in Piscariis. Item in Firmo Sancti Salvatoris in Cantalupo; & Castellum de Agnanello, vel alia loca, quæ ibi contulit AlKerius Comes, in Furcia Sancti Salvatoris. Item in Clenti Sancti Petri in Pompejano. Item in Comitatu Teatino Monasterium Sancti Stephani in Lucania cum

„ Curtibus XLVII. & Castellum Tornariæ, & Faram, & Lentiscum. Item fundos omnes diversorum locorum territorii Sabinensis, quemadmodum in privilegiis Adriani, Stephani IV. atque Paschalis I. cunctorumque Pontificum releguntur, & Ludovici II. & Ottonis I. Præcepto roborati sunt, in ipso venerabili Monasterio confirmamus perpetuò permanendos in integrum. Videlicet fundum Acutianum, ubi ipsum Monasterium est constructum, Arturianum, Agellum, Apicianum, Alinianum, Arianum, Anianum, Antiquum, Albucianum, Aquianum, Balberianum, Belperianum, Calistrianum, Cervinariam; Casalamantis, Cicilianum, Criptulæ, Cassianum, Casulam, Canianum, Catilianum, Carbonianum, Cæsarianum, Casam Pauli, & Montem Operis in integrum. Casalem Fornicata cum trajecto suo, seu gualdo in integrum, Fisinianum, Follianum, Forianum, Fissianum, Gignianum, Germanicianum, Jussianum, Lucianum, Lucanianum, Lumerianum, Laurigevaldi medietatem Larinianum, Marianum, Mutellæ medietatem Musileum, Mallianum, Montanianum, Morianulæ, Mignianum, Montianum, Marcilianum, Monteaureum, Olivulam, Ortisianum, Orcilianum, Ordeoloum, Paternionem, Patrinianum, Pompejanum, Pinianum, Perticatulæ, Pacinianum, Pontianillum, Paternum, Privatum, Pulgianum, Prætorium, Pipilianum, Paccianum, Purpurariæ, Olivetum, Scandrilianum, Scaplianum, Sentianum, Textam turris, Turriam, Tanciæ gualdum, Tribilianum, Urbanam, Ventilianum, Verruculæ. Castella territorii Sabinensis, idest Castrum Faræ, Arci, Campum Sancti Benedicti, Collem Neræ, Foranum, Marcilianum, Terranianum, Lirnisianum, Podium Catini; Montem Operis, Buccinianum, Tribucum, Cavallariam, Roccam Monaciscam, Salisianum, Agellum, Postmontem, Currisem, Alatrum, Repastum, Montalianum, Ophianum, Castellum vetus de Vivaro, & Roccam Tanciæ, & Græcio. Quasdam partes item territorii Sabinensis, Castrum Cuphi, Podium de Mojano cum toto gualdo. In territorio Tuscano Sanctæ Mariæ in Minione cum gualdo, & monte Gosberti, Ripa Albella, & Marino portu; & medietatem Civitatis Vetulæ, cum portu, & omnibus pertinentiis. In Comitatu Senogalliensi Curtem de Luzano. In Castello Petroso Sanctæ Antiæ de Cavallo albo partes duas. Curtem de Plotenano cum Castello. Curtem de Cannitulo cum Castello. In Ripula Curtem de Crestano cum Castello. Sanctæ Mariæ in Casule cum Castello de Area antiqua, & Castellum de Tariano, & portionem de Morta. Castellum de Agnarello cum pertinentiis, & molendinis. Sanctæ Mariæ in Clenti cum Castello, & Ecclesiis, & molendinis; & medietatem Collis Bonelli; & Castellum de Bubeta, & portionem de Rota, & Insulæ de Verano Troliano, terras, & vineas cum littore maris, & portu. Medietatem Castelli de Luritu; & medietatem Castelli de monte Alberti; Curtem filiorum Rotlandi, cum Castello, Ecclesiis. Monasterium Sancti Benedicti de Ripa; Sancti Salvatoris in Aso, cum Castellis Furciæ Calliano, & Cimbriano. Castrum Ophi-

„ dæ.

" dæ. Isclam, Beneventulum, Sancti Valen-
" tini, montem Auguscianum, Insulam Heli-
" sei; medietatem de Porche, quintam par-
" tem de Ripa, Cosennanum, Asinnanum,
" Montem Cosi, Spinetulum, Avillanum,
" Dullianum; medietatem Podii Sancti Emin-
" dii. Castellum de Carro, Sancti Laurentii
" in Polesia, cum Castello Robellæ; Octavam
" partem Postmontis; Cellam Marii; Podium,
" Montem Pandonis, Montem Cretaceum,
" Sculculam, medietatem de foce de Tronto,
" Curtem de Mozano, Sessu, Pesile. In Co-
" mitatu Aprutiensi, Curtem de Motiano;
" Curtem Sardinariam, Sancti Petri in Pedo-
" niano. In Comitatu Pinnensi Castella IV.
" quæ Comes Transmundus Beatæ Mariæ con-
" tulit, idest Caphianum Pertitulum, Maria-
" num; & Alvivetulum. In Amiterno Ca-
" strum Prætorium. In Civitate Reatina Mo-
" nasterium Sancti Georgii, Sancti Angeli, &
" Sancti Jacobi, & aquam de Manicone; San-
" cti Salvatoris de Acuprete; Sancti Petri in
" Pesile. In territorio Carsulano Sancti Vin-
" centii, Sancti Thomæ, Sanctæ Agnæ. In-
" super res & Ecclesias, quas prædictus Be-
" raldus temporibus suis in ipso Monasterio
" acquisivit. Idest in Interamnensi Urbe San-
" ctæ Mariæ ad Columnas, & Sancti Nicolai
" in silva Lanciola, cum portione aliarum Ec-
" clesiarum Comitis Albertini, & de VIII.
" Castellis octavam partem, idest de Aqua-
" sparta, de Terre, & monte Martano, de
" Scojano, de Rapa-Bornia, de Casiliano, de
" Mezanillo, de Podio Sancti Martini, de
" Podio Sanctæ Mariæ in Pantana, & de Mo-
" nasterio Sanctæ Mariæ in Pantana, & San-
" ctæ Barbaræ, & Sancti Faustini, & omni-
" bus Ecclesiis, & pertinentiis eorumdem Ca-
" stellorum. De Monasterio Sancti Petri in
" Valle duas partes, & aliarum Ecclesiarum,
" sicut quidam Rapizo Comes concessit, idest
" Ecclesiam Sancti Hippoliti, & Hospitale
" juxta mercatum in IV. Capellis cum omni-
" bus pertinentiis; Sancti Nicolai in Aviliano
" in integrum. In Urbe Amelia Sancti Pro-
" culi in integrum. In Urbe Tudertina Sancti
" Hilarii partem tertiam, & alias res perti-
" nentes in Monasterio Sancti Petri, idest
" Sancti Petri in Laurito. Hospitale in Monte-
" malo; medietatē Sanctæ Victorinæ in Sub-
" manu; Sancti Laurentii in Ophili. In Phar-
" neta Ecclesiam unam Sanctæ Mariæ in Ga-
" laziano; in Molezola Ecclesiam unam; in
" Fossulle Sanctæ Crucis; in Hilice Heremi-
" tarium; & Castella duo in Stablamone. In
" Urbe Narniensi in regione Vallis, sive Ma-
" rulinata, res cujusdam Castelli, & vineam
" ad Ripam-blancam, & alias res cujusdam
" Alberti de Baruncello; turrem ad Pontem-
" planum, & ad Illianum; medietatem Sancti
" Salvatoris in Marmore, sicut Henricus filius
" Transarici concessit Sanctæ Mariæ. In Mi-
" siano Ecclesias duas, idest Sancti Pamphili,
" & Sancti Angeli, in Folliano, mansos,
" XII. in Recanata Sancti Laurentii in Bezano
" Sanctæ Crucis; in Triano Sancti Martini;
" ad quartum Roccam de Cupolo; de Castro
" Tresuncto partem filiorum Tesei; Castellum
" de Paritana cum villa Astorali. De Submanu
" quasdam res; Castrum Montis, Novum,
" Canosam, Castello filiorum Rainonis, scili-
" cet Castaneæ montem, & Mortam, Montem
" Ajonis, idest Paternionem; Montem Patri-
" cium, Montem-altum, Aponianum; Mona-
" sterium Sanctæ Mariæ. In Georgio turrem
" Casulæ; Hæc autem supradicta omnia, quæ
" ad dictum Monasterium pertinere videntur,
" seu quæ in futurum acquisiturum ab aliis ho-
" minibus justè & legaliter acciderit, nec
" non etiam ea, quæ injustè ab aliqui-
" bus possidentur, aut in Urbe Roma, vel
" in cunctis totius Regni nostri Italici parti-
" bus, per hoc nostrum præceptum eidem
" Sancto loco confirmamus, & per bannum, &
" jussionem nostram, nostrorum que Antecef-
" sorum Regum, & Imperatorum authorita-
" tem, unà cum terris, vineis, Monasteriis
" sibi subjectis, Ecclesiis, Castellis, Curti-
" bus, domibus, villis, Capellis, aquis, aqua-
" rum decursibus, piscationibus, molendinis,
" mercatis cultis, vel incultis, colonis Aldiis,
" Aldiabus, manentibus, omnibusque super
" terram ipsius Monasterii residentibus, ser-
" vis, ancillis, omnique familia utriusque se-
" xus, cunctisque animabus. Atque pro Dei
" amore, nostræque animæ salute, eidem Mo-
" nasterio ministrantibus perdonamus, ut nul-
" lus eorum, aut suorum hominum, dein-
" ceps freda, seu tributa, undecumque exi-
" genda sunt, aut mansiones, vel paratas fa-
" ciendas, vel fidejussores tollendos, aut ho-
" mines ejusdem Monasterii, tam ingenuos,
" quàm servos, libellarios dictos Chartula-
" tos, offertos, omnesque sub ditione ipsius
" Monasterii commanentes distringendos, vel
" ad publicas excubias compellendos, aut ul-
" las redhibitiones, vel quaslibet occasiones
" requirendas, nostris, vel futuris tempori-
" bus ingredi audeat, aut in aliquo loco det
" portunaticum, aut ripaticum, aut glandati-
" cum, vel herbaticum, vel pontonaticum,
" tam de Monachis, quàm de Monachabus,
" tam de Clericis, quàm de omnibus super
" terras eorum residentibus. Si autem aliqua
" querimonia adversùs eos insurrexerit de re-
" bus Monasterii mobilibus, & immobilibus,
" quod eis legaliter non ibi visum fuerit pos-
" se esse definitum; nostramque acclamave-
" rint præsentiam, Comes noster, Missi nostri
" discurrentes, seu Ministri Reipublicæ faciant
" ambas partes in nostram audientiam guadia-
" re. Præcipimus quoque, ut sicut in præcepto
" Ludovici habetur Imperatoris de rebus su-
" pradictis, vel quas in usum Monachorum,
" vel hospitum, seu eleemosynarum consti-
" tuimus, vel in antea, Deo auxiliante, eidem
" fuerint collatæ Congregationi à bonis ho-
" minibus, nullam habeat licentiam aliquis
" Abbas, qui pro tempore fuerit, cuiquam
" hominum exinde aliquid dare, aut in bene-
" ficium concedere, nisi servitoribus ipsius Ec-
" clesiæ, atque illis, qui meliora & aptiora
" de suis rebus eidem Monasterio cupiunt tri-
" buere, & de quibus nulla suspicio alienan-
" di aliquando ab ipsa Ecclesia poterit eveni-
" re. Præstarias verò, & commutationes in-
" justè factas, vel injustè acquisitas, volumus
" irritas esse omnes, & absque pœna obliga-
" tionis solutas. Et quandocumque Abbas
" hujus Monasterii de hac luce migraverit,
" ipsis inter se Monachis unanimiter cōsentien-
" tibus secundùm regulam Sancti Benedicti,
" sicut eorum edocet ordo, & rectum est,
" quem digniorem sibi invenerint, licentiam
" habeant eligendi Abbatem. Electus verò
" priùs ab ipsa Congregatione, deinde Impe-
" riali

„ riali patrocinio præsentatus gratis robore-
„ tur, & à summo Pontifice consecretur. Aliter si præsumpserit, Imperiali censura condemnetur, & quicquid de bonis Monasterii scriptitaverit, omnimodis evacuetur. Sed & hæc dicta obtestatione, sancimus, & hac nostra præceptali pagina, omnia, se quondam Otto Imperator perpetuò roboravit, ut in æternum numquam detur idem Monasterium neque per nos, neque per nostros Successores, quocumque modo in beneficium; sed semper permaneat Reipublicæ destinatum, Abbati mancipatum, & nulli alteri præstitum, vel subjectum, nisi Imperiali patrocinio. Unde Deum omnipotentem invocantes, precamur, ut si quis Papa, vel aliquis Imperator, nosterque Successor umquam memoratum Monasterium alicui personæ subjugaverint, nobiscum in Christi adventu, dum venerit judicare seculum per ignem, rationem reddat, & se deliquisse pro hac causatione, & in præsenti Seculo omnipotentis judicio condemnatus recognoscat. Et quod superius obliti sumus, in territorio Sabinensi Castella duo, videlicet Catinum, & Lucum, ob reverentiam Beatæ Mariæ, & dilectione præfati Abbatis Beraldi Karissimi nobis eidem Monasterio Imperiali concedimus dono. Si quis verò hujus nostræ præcepti confirmationis quandoque violator extiterit, vel quippiam eorum, quæ fieri prohibuimus, contra dictum Monasterium facere tentaverit, sciat se secundùm constitutionem Domini & Genitricis nostri Henrici Imperatoris Augusti, aliorumque Imperatorum, qui hujus Monasterii præcepta roboraverunt, ac nostram præceptionem mille libras auri purissimi compositurum, medietatem Cameræ nostræ, & medietatem prædicto Monasterio, ipsumque regentibus.

„ Signum Domni Henrici IV. Romanorum Imperatoris Augusti. Gebehardus Tridentinus Episcopus, & Cancellarius recognovit. Datum II. Kal. Jun. Anno Domini MCXVIII. Indictione XI. Regnante Henrico IV. Rege Romanorum Ann. XIV. Imperante VIII. Actum est Romæ in Christo feliciter Amen.

Additamenta aliquot Chartarum ad Chronicon Farfense.

Juramentum fidelitatis ac hominii præstitum ab Henrico filio Guiscardi Adenulfo Abbati Farfensi. Anno 1140.

„ ANno ab Incarnatione Domini MCXL. mense Februarii. Ego quidem Henricus filius quondam Guiscardi spontanea voluntate feci hominium, & juravi fidelitatem Monasterio Sanctæ Mariæ in Farfa, tibique *Domno Adenulfo ejusdem Monasterii venerabili Abbati*, de Podio, quod fuit ante Roccam Septemjanulæ, & de ejusdem pertinentiis, sicut antiquitus fuit, de Curte, & pertinentia præfatæ Arcis, & sicut parentes mei per chartam dederunt, & receperunt à Monasterio prædicto Farfensi. Et promisi legitima conventione, me inducere, & invehere in præfatam Curtem omnes habitatores prædicti Podii, omnemque pertinentiam ejus constituere sub Curte & pertinentia prædictæ Arcis. Et promisi reconciare & reficere, & nullo modo destruere, & minuere prædictam Arcem, sed magìs augere, ampliare, sicut bonus Paterfamilias. Quam Arcem in feudum recepi à prædicto Monasterio, & Domno Abbate Farfensi. Item convenimus, ut Domnus Abbas, ejusque Successores plenam habeant facultatem faciendi guerram, & pacem sinè omni contentione per Arcem præscriptam cuicumque voluerint. Præterea si quo tempore nos, nostrique Successores, seu qui nostro nomine tenuerint, præfatam Arcem Monasterio Farfensi, ejusque pro tempore venerabili Abbati, seu certis Missis, & Economis reddere noluerimus nos nostrique Successores, aut contendere præsumpserimus, aut litem seu controversiam fecerimus, promittimus nos compositituros centum libras Papiensis monetæ prædicto Monasterio, ejusque venerabili Abbati, & pro pœna prædicta obligamus pignorique ponimus Podium nostrum, quod vocatur Henrici, cum omnibus suis pertinentiis. Insuper quæcumque habemus in Civitate Reatina, ejusque pertinentiis, ut sint pignori obligata prædicto Monasterio Farfensi, ejusque venerabili Abbati pro jam dicta pœna. Ad hæc si vos, Domne Abbas Adenulfe, vestrique Successores prædictam Arcem, quam in feudum accepimus, sinè nostra culpa auferetis, liceat nobis securè habere in præfata Arce Septemjanulæ ea, quæ de Podio fuerunt. Beraldus Reatinus Comes. Adeodatus. Todinus de Liuto, Senebaldus Guinisi, Benedictus Capestrelli, Rainaldus Trottæ, Gentilis, Rainardus, & plures alii rogati testes interfuimus. Ego Albertus Judex scripsi.

Refutatio domus, quæ appellatur Palatium, facta Farfensi Cœnobio, ejusque Abbati Adenulpho, à Sarraceno, aliisque consortibus. Anno 1139.

„ ANno ab Incarnat. Domini MCXXXIX. temporibus Conradi II. Regis, & die XIV. ante Kal. Januarii, Indictione II. Hoc quidem tempore ego Sarracenus Rainerii Randonis filius, & Girardinus, & Octavianus ejus filii, & Presbyter Rainerius, & Paganellus Audonis filius, & ego Rainucius Rainucii filius, definivimus, & refutavimus Farfensi Monasterio, & Ecclesiæ Sancti Marci, & Domno Adenulfo Venerabili Abbati Farfensi, & Reatino Monasterio, & in manibus nuntiorum ejus, videlicet Manassis Camerarii ejusdem Monasterii & Clerici, & in præsentia Leuzonis Ecclesiæ Sancti Marci Præpositi, & Romani Ferentelli Abbatis, & Domni Treuguani gloriosi, Presbyteri Alexii, & Tiberti Judicis, & Grimaldi Judicis, & filiorum Giraldi Bosonis, & filiorum Petronis, & aliorum plurimorum

„ rum hominum : casam, quæ dicitur Palatium, quæ est cum lateribus : à primo via jam dicti Monasterii ; ab alio est casa Arnolfi Horcizonis, & nepotum ejus; ab alio est casa Gualterii Judorini ; & ab alio latere quod nobis reservavimus. Infra ista latera definivimus, & refutavimus vobis supradictis ipsam casam totam cum omnibus rebus, sicut ipsi casæ pertinet cum constructuris, & ædificiis suis, & tali pacto, ut non habeamus licentiam ullo ingenio nos, & nostros heredes, aut alia nostra submissa persona, vobis, vel alicui vestro subjecto, causationem, vel molestiam faciendi. Et si taliter non observaverimus, obligavimus nos, nostrosque heredes vobis supradictis componere solidos L. & hæc chartula difinitionis, & refutationis firma permaneat : Ego Sarracenus, & Octavianus, & Girardinus, & Presbyter Rainerius, & Paganus, & Rainuccius hanc difinitionem, & refutationem fecimus. Ego Nicolaus Judex scripsi. Ego Tancredus Petri Berardi, & Petrus Henrici Alberici, & Ofriducius Petri Girardi, rogatus in hac chartula definitionis, & refutationis testes sumus.

Beraldi Abbatis Farfensis Pacta inita cum Henrico filio Rodulphi, & aliis, pro rebus Monasterio suo donatis circiter Annum 1115.

„ IN Dei nomine. Breve recordationis, & promissionis, & obligationis facio, ego Domnus Beraldus Abbas Farfensis Monasterii, consentientibus ejusdem Cœnobii fratribus, ad vos Henricum filium Rodulphi, & ad Senebaldum Transerici, ac Munaldum, & ad vestros heredes, quòd in antea ab hodie adjuvabo sinè fraude ab omnibus hominibus, excepto Rainerio Todini super terram suam, & exceptis filiis Octaviani super terram illorum, si dederint illorum portionem Monasterii Sancti Salvatoris. Si aliquis ex vobis, vel vestris heredibus ad Monachicum Ordinem in nostro Monasterio venire voluerit, accipiemus eum sinè alia omni datione, nisi quod ipse facere voluerit. Et concedo vobis justam paterentiam de portione Monasterii Sancti Salvatoris, quam in nostro Monasterio dedistis, & de rebus sibi pertinentibus. Similiter promitto, quòd nec vendo, nec cambio illam prædictam rem, quam in nostro Monasterio contulistis, absque vestro consilio. Et si quis vestrûm quandoque in nostra Curia maneat, in consilio nostro erit, ubi sunt vestri æquales. Quòd si omnia, quæ superiùs promittimus, atque perdonamus, non observaverimus, vel adimpleverimus, pro his omnibus promitto, & obligo me, & meos successores componere vobis prædictis, vestrisque heredibus bonorum denariorum Papiensium libras viginti nomine pœnæ, & pœnâ solutâ, hoc breve omni tempore maneat ratum : quia sic per sacramenta firmatum est, & factum est.

Decretum Ottonis Comitis Palatini pro congruis alimentis præstandis à Rustico Abbate Farfensi, atque ab ejus successoribus, Monachis ejusdem Cœnobii. Anno 1159.

„ IN nomine Domini Jesu Christi. Anno Incarnationis ejus MCLIX. Ego *Otto Palatinus Comes*, jussu *Domini Imperatoris Friderici Divi & Invicti Augusti* ad partes Romanas Legatus transmissus, plerisque in comitatu nostro à latere dicti nostri Imperatoris adjunctis, videlicet carissimo *Comite Blandratensi*, Giiroone, & eruditissimo viro Heriberto Præposito Asianæ Capellæ, aliisque quamplurimis Magnatibus, ad Regale Monasterium Farfense devenimus, ubi velut in Imperiali Camera residentes, convocatisque ad nostram præsentiam Comitibus, Capitaneis, & aliis partium ipsarum Magnatibus, causas plurimorum & audivimus & determinare curavimus. Ubi etiam commorantes Fratres ipsius Sancti Cœnobii pia sollicitudine in ipsorum Claustrum visitare studuimus. Qui unanimiter ante nostram præsentiam accedentes, super *Abbatem ipsius Monasterii Rusticum*, eo præsente, voce flebili sunt conquesti, quia scilicet in victu & in vestitu eos acriter nimis affligeret, subtrahendo illis quæcumque auctoritate suorum majorum prædecessorum eidem sanctæ Congregationi pro victu & vestitu fuerat attributum, & maximè à *sanctæ memoriæ Abbate Adenulfo*, cujus ordinationem in scripto ipsi Fratres ostendebant, quod eisdem Monachis annualiter pro ipsis vestimentis dumtaxat solvi deberet. Quod nos piis auribus intendentes, & eorum afflictioni clementissimè condolentes, iniquissimum esse consideratione provida deprehendimus, ut hi videlicet, qui die noctuque psalmis & hymnis invigilant, tanta necessitatis angustia coarctentur, ut ipso victu atque vestitu dicantur egere, præsertim cùm boni quique viri res suas in Monasterio quolibet hac omnino de causa condonent, ut ad utilitatem ibidem servientium Deo proficiant. Communicato itaque consilio Baronum nostrorum, Imperiali auctoritate præmissa, statuimus & nostro præcepto firmavimus, ut juxta tenorem nobilissimæ illius constitutionis venerandæ memoriæ Abbatis Adenulfi, omnia quæ Monachis infra Claustrum commorantibus attributa esse noscuntur, eidem sancto Conventui ad vestimentorum usum intemerata perveniant........ præsenti sanctione jubemus, ut quicumque Abbatum seu Præpositorum aliquo tempore vel minuere seu violare præsumserit, Abbatiæ sive Præpositurae jacturam habebit, & sui honoris potestate privabitur...... Testes hujus rei *Petrus Præfectus Urbis*, *Jonathas Comes Tusculanus*, *Otto Comes Monticellensis*, *Octavianus Comes Palumbariæ*, *Raynerius Comes Tyburtinus*, Stephanus Tetaldi, Raynerius, & Gentilis illustres,

F I N I S.

MO-

MONUMENTA COMITUM MARSORUM.

FINIS.

OPUSCULA

TRIA NONDUM EDITA,

nempe:

CARMEN VETUSTISSIMUM

DE LAUDIBUS MEDIOLANI;

RYTHMUS IN OBITUM

CAROLI MAGNI AUGUSTI;

E T

MUTINENSIS URBIS DESCRIPTIO,

SIVE ADDITAMENTUM

AD VITAM SANCTI GEMINIANI

EPISCOPI MUTINENSIS,

AUCTORIBUS ANONYMIS

EX MANUSCRIPTIS CODICIBUS VERONENSIBUS.

PRAEFATIO LUDOVICI ANTONII MURATORII IN TRIA SUBSEQUENTIA OPUSCULA.

IN CARMEN DE LAUDIBUS MEDIOLANI.

INter varios membranaceos, manuque exaratos Codices venerandae antiquitatis, literis nimirum Romanis, majusculisque scriptos, quos nobilissimum Collegium Veronensium Canonicorum in sua Capitulari Bibliotheca adservat, unus prae ceteris, mendis tamen ad saturitatem scatens, complectebatur Carmen, nunc mihi primum evulgandum *de Laudibus Mediolani*. Illius autem exemplar debeo Illustrissimo viro Johanni Francisco Musellio, ejusdem Capituli Archipresbytero, qui in usum meum frustulum hoc antiquitatis describendum curavit per Bartholomaeum Campagnolam ejusdem amplissimi Capituli Cancellarium, & veterum characterum peritiâ summe spectabilem. Auctor illius mihi ignotus; incerta quoque aetas, nisi quod Codex, unde haec hausta fuere, ante Annos ferme octingentos scriptus videtur; ac proinde monumenti hujus antiquitatem inde saltem metiri unusquisque possit. Attamen animadvertas velim, quae heic ad literam S. [singula enim Alphabeti Latini elementa exordium praebent versibus] exhibet Poëta. *Sceptrum inde Langobardi principalem obtinet Liutprandum pium Regem, meritis almificum, cui tantam sanctitatis Christus dedit gratiam*. Parum castigata verba nemo non videt, quorum tamen hic est sensus: *Inde Liutprandus pius Rex, obtinet Sceptrum Langobardorum Principale*. Certe in MSto legitur *obtinet*, praesens videlicet tempus, ita ut non immerito suspicari nobis liceat, posse haec pertinere ad Langobardorum, ac nominatim ad *Liutprandi Regis* tempora, qui Anno 744. finem vivendi fecit. Sequentia quoque intuere: *Totam Urbem Praesul magnus ornavit Theodosius, veniens benigne, natus de Regali germine, quem ad Sedem raptum trahens* (fortasse *rapuit*, aut *traxit*) *pro amore Populus*. Qui heic appellatur *Theodosius*, ita me Deus amet, non alius est, quam *Theodorus*, cujus nomen ab antiquo Librario non satis accurate scriptum. Nullus enim umquam ex Archiepiscopis Mediolanensibus *Theodosii* nomen detulit; sed quidem duo *Theodori* fuere, quorum alter revera floruit sub supra laudato Langobardorum Rege Liutprando. Theodori hujus antecessorem *Sanctum Benedictum Archiepiscopum* Scriptor supra memoraverat. Regis ergo, simulque Archiepiscopi mentio, qui circiter Annum 740. Mediolanensi Urbi praeerant, quique conjuncti heic nominantur, aliquem conjecturae locum faciunt, circiter ea tempora ab humili Poëta hos versus (si tamen versus reapse appellare fas est) fuisse concinnatos in laudem praeclarissimae Urbis. Si Francis, aut reliquis Regibus in Italia imperantibus, scripta haec fuissent, ii non tam facile insalutati abiissent. Cur vero Liutprandi potius, quam Caroli Magni, aut alterius ex subsequutis Augustis & Regibus, mentio facta est, si Seculo tantum Decimo Auctor floruit, uti quae infra dicam, significare videntur?

Et Mediolanensem quidem Urbem Poëta laudat primo àb amplitudine aedificiorum, à fortitudine Turrium ac Moenium, ab ordine Portarum. *Foris valde speciosum habet aedificium*, scribit ille: quo nomine, ut sane conjicio, *Arcus Romanus* designatur, illustre olim Mediolanensis Urbis ornamentum extra Portam Romanam situm, atque a Friderico I. Augusto tamdem una cum ipsa Urbe solo aequatum.

rum. Illius famam nobis servavere Landulfus Senior Tom. IV. Radevicus, Morena, & Syre Raul Tom. VI. Collectionis hujus, ut mittam Gualvaneum Flammam, aliosque rerum Mediolanensium Scriptores. Addit Poëta: *Undam capit per ductorem lymphae quamdam balastris*. Parum & haec castigata: attamen verborum sensus est, ibi fuisse *Balnea*, ad quae per formas suas deferebatur aqua. *Balastra* enim, sive *Balustra*, Isidoro & Ugutione Ferrariensi, antiquis Grammaticis testibus, apud mediae aetatis Scriptores, *Balnea* appellabantur. Celebres vero olim fuere Mediolani *Thermae Herculeae*, a Maximiano nempe Herculio Imperatore magnificentissime constructae, de quibus est Ausonii versus:

„ *Et regio Herculei celebris sub honore Lavacri*.

Mediolanum subinde Poëta commendat a splendore Templorum, Laurentianam praecipue Basilicam memorans, *alavanis lapidibus, auroque tectam, suisque turribus* conspicuam. Quid *alavana* marmora fuerint, aliis explicandum dimitto: ego mendum heic suspicor inesse. Tum a dignitate Metropolitica, a Religionis studio, a copia Sanctorum Corporum, a Templorum cultu, a misericordia in pauperes, ab annonae affluentia, denique a fortitudine Civium, reliquas Mediolani laudes arcessit Poëta. Qui vetustiora cupit encomia, Ausonium nuper memoratum adeat. In his profecto versibus non stili solum ruditas, sed etiam sphalmata non pauca in oculos legentium incurrunt, quae non omnia fortasse Auctori, sed Amanuensibus, meliorum etiam scripta depravantibus, tribuenda sunt. Attamen vel adeo incomta oratio lubentissime a me profertur, quod praeconium complectatur praestantissimae, mihique in primis carissimae Urbis, ad cujus laudes ea etiam in posterum accedet, quod Collectionem hanc meam, adnitentibus Sociis Palatinis, universae Literatorum Reipublicae praestet, & communem efficiat.

Subsequebatur in eodem Veronensi Codice *Hymnus in laudem Sancti Ambrosii*. Ne hunc quidem, quia pervetustum, excidere sum passus. Viderint autem Mediolanenses mei, num in usu sit ipsis alius aliquis huic similis. Ego nihil aliud addam, nisi quod ex literis initialibus fortassis elicitur, quis Hymni ipsius fuerit Auctor. Si enim eas colligas, & animadvertas, ibi fuisse ad tertium versiculum *Xps* pro *Christus*, quod ego scripsi, inde tibi exsurget nomen *Maximianus*. Exhibebat insuper idem Codex Rythmum alterum, quem heic Lectori sisto.

Coelestis Rex, qui plasmasti omnia, da mihi sensum atque intelligentiam ad corrigendum Populum in hoc Seculo.

Elegit me Deus in suum servitium ad offerendum Sanctum Sacrificium, & deprecandum pro justis & impiis.

Habui magistrum Adalbertum Episcopum, qui me docuit in suo sancto spiritu, & me inunxit in gradum Presbyteri.

Qui haec literis consignavit, si sensum recte perpendas, inter Presbyteros cooptatus, Parochiali alicui Ecclesiae Urbis, aut Dioecesis Veronensis praeerat, testaturque se discipulum fuisse *Adelberti Episcopi Veronensis*. Circiter Annum 891. Panvinius & Ughellius putant, Adelbertum hunc Veronensis Ecclesiæ regimen suscepisse. Fallitur autem idem Ughellius, quum suspicatur, ejusdem Episcopi mentionem fieri in Diplomate Hugonis Italiae Regis, ubi *Adelbertus & Notherius* (sive *Notecherius*, aut *Notcherius*) *Reverentissimi Episcopi* Anno 926. occurrunt. Longe quippe ante illum Annum e vivis excesserat Adelbertus Veronensis Antistes, eique successerat *Notherius* heic memoratus. Adelbertus vero in Diplomate laudatus, Bergomensis Ecclesiae Praesul erat, vir ex rebus gestis ea tempestate praeclarus. Itaque Rythmi hujus Auctor circiter Annum 930. floruisse dicendus est. Num vero eidem tribuenda sint Carmina duo, quae nunc evulgare statui, scilicet in *Laudem Mediolani* & *Sancti Ambrosii*, an potius ipse eadem Carmina & reliquum Libri tantummodo scripserit, decernere minime ausim. Haec saltem innuere videntur, Codicem Veronensem circiter ea tempora fuisse conscriptum.

IN RYTHMUM
DE OBITU
CAROLI MAGNI AUGUSTI.

IN vetustissimo Codice Capituli Canonicorum Veronensium, cujus est supra mihi facta mentio, legitur hic Rythmus, sive lugubris Hymnus. Accuratissimus, mihique nuper laudatus ex eruditione sua Bartholomaeus Campagnola de-

descripsit, & ad me per humanissimum Cathedralis Veronensis Archipresbyterum Musellium misit. Heic autem agi de *Carolo Magno*, nemo, ut arbitror, in controversiam revocabit, & praecipue, quod is Aquisgrani tumulo traditus dicitur. Sed cur Auctor in haec verba erumpit: *O Columbane, stringe tuas lacrymas, precesque funde pro illo ad Dominum?* Ex his conjicere posse mihi videor, Rythmum ab aliquo Monacho concinnatum fuisse, incolente Bobiense Monasterium à Sancto Columbano Abbate conditum, ubi & ipsius sacrum Corpus quiescit. Ex ipso autem Monasterio evulgatus is Rythmus fuerit per Italiam, & in Veronensem Codicem illatus.

IN MUTINENSIS URBIS
DESCRIPTIONEM.

EGregius Vir, meique amantissimus Johannes Franciscus Musellius, Cathedralis Veronensis Archipresbyter, monuit me per literas, in vetustissimo Lectionario MSto, quem penes se adservat Bartholomaeus Campagnola, studiosissimus antiquae eruditionis Sacerdos, & Collegii Canonicorum Veronensium Cancellarius, haberi Vitam Sancti Geminiani, Mutinensium Episcopi ac patroni; cujus Auctor ante complura secula floruisse deprehendebatur. Ego exemplum continuo petii, neque difficile impetravi ab humanissimo Campagnola, de me alias, ut supra jam significavi, bene merito, quippe qui nihil antiquius habet, quam studia sua ad publicam utilitatem, literarumque bonarum progressum conferre. Verum ubi accepi, animadverti, hanc ipsam esse Sancti Geminiani Vitam, quam Mombritius primum evulgavit, tum clarissimus Bollandus in Actis Sanctorum pridie Kalendas Februarias, quo die solennia illius recurrunt. Et quidem e Veronensi Codice Variantes quasdam Lectiones castigatiores colligere potuissem, & potissimum Capite IV. ad restituenda Sancti Severi Ravennatis Archiepiscopi verba, in editis manca, videlicet: *pro eo quod expergefactum fecistis me: quia in sancta Mutinensi Ecclesia eram, & ibidem* &c. Attamen ne his quidem quisquiliis sum immoratus, & ab eadem Vita rursus edenda temperandum duxi, ne supervacanea merce papyrum, Lectoresque onerarem. Sed quum in Veronensi Codice huic ipsi Vitae adsuta fuerit lacinia non contemnenda, quam Mombritius ac Bollandus ignorarunt, nimirum brevis descriptio Mutinensis Urbis, tum pietas erga Patriam meam, tum hactenus inediti monumenti praerogativa, a me plane exigunt, ut lucis beneficium huic ipsi frustulo procurem. Anonymus Auctor iste prodit, a saevissima Hungrorum sive Hungarorum gente Mutinam eo ipso tempore, quo is scripsit, afflictam fuisse, de gente illa haec tradens: *Quam ex horrendo Scytharum genere originem duxisse comperimus, & in nostris valde tribulationibus compertam habemus;* & infra: *lue illa, quam utinam nesciremus*. Atqui irruptio ista barbarae gentis, Regione, Liutprando Ticinensi, Sigonio, aliisque testibus, ad primos Annos Seculi Decimi statuenda est, & Pagius contendit referendam eam esse ad Annum Christi 902. quo non solum Mutina praeter tot alias Urbes, sed & celebre Nonantulanum Monasterium ipsorum Hungarorum furori succubuit. Itaque ex his liquet, circiter Annum 910. Vitam Sancti Geminiani ab Auctore, ut conjicere possumus, Veronensi fuisse scriptam, simulque discimus, quot calamitates antiquae Mutinensium Urbi fluminum debacchatio olim attulerit. Ea de causa, ut reor, Cives ad Occidentem *Civitatem Novam* condiderant, cujus etiam mentio est in Testamento Caroli Magni, & adhuc nudum nomen loco superest. Sed rebus fluviisque tamdem compositis, evulsa Civitate Nova, ad veterem cuncti se recepere, ubi nunc eorum nepotes perseverant. Haec pauca de Hungarorum rabie, & antiquorum Mutinensium fortuna, Lectorem non pigebit ex hoc fragmento accepisse. Nam quod est ad ejuratam a Mutinensibus Gentilium superstitionem sub Joviano tantum Augusto, id nullo veritatis, aut veri similitudinis fulcro nititur, atque ad fabulas amandandum.

VERSUS
DE MEDIOLANO.

Alta Urbs, & spatiosa manet in Italia, firmiter ædificata opere mirifico, quæ ab antiquitus vocatur *Mediolanum Civitas*:
Bonam retinet decoris speciem, & variis rutilat cultura modis, ornata perspicuè. Locus ita fructuosus constat in planicie.

Celsas habet opertasque Turres in circuitu, studio nitentes magnas sculturas, & forinsecusque introrsus decorata magnis ædificiis:

Duodecim enim latitudo pedibus est, immensumque deorsum est quadrata rupibus, perfectaque eriguntur sursum, & fictilibus.

Erga murum pretiosas novem habet Januas vinclis ferreis, & claves circumspectas naviter, ante quas cataractarum sistunt propugnacula.

Foris valde speciosum habet ædificium, omnemque ambitum viarum firmè stratum; scilicet undam capit per ductorem limphæ quamdam balastris:

Gloriosè sacris micat ornata Ecclesiis, ex quibus alma est *Laurenti*, intus alavanis lapidibus, auroque tecta, edita in turribus.

Hæc est Urbium Regina, mater adque patriæ, quæ præcipuo vocatur nomine *Metropolis*, quam conlaudant universi nationes Seculi.

Ingens permanet ipsius dignitas potentiæ, ad quam cuncti venientes Præsules Ausoniæ, juxta normam instruuntur Synodali Canone.

Karitas benigna manet scilicet in Populo: omnes sedulè ad Dei properant Ecclesiam, devota sua offerentes munera Altaribus.

Lætantur ibidem & quiescunt Sancti circa mœnia, *Victor*, *Nabor*, *& Maternus*, *Felix*, *& Eustorgius*, *Nazarius*, *Simplicianus*, *Celsus*, *& Valeria*.

Magnus Præsul cum duobus sociis *Ambrosius Protasio*, *Gervasio*que manet, & *Dionysius*, *Calimerus*que. Ibi almus *Benedictus* recubat.

Nulla potest reperiri Urbs in hac Provincia, ubi tanta requiescunt Sanctorum cadavera electorum revelata, quanta ibi excubant.

O quàm felix & beata Mediolanum Civitas, quæ habere tales Sanctos defensores meruit, precibus invicta quorum permanet & fertilis.

Pollens ordo Lectionum, Cantilenæ, Organum, modulata Psalmorum, quæ conlaudantur. Regula, Actusque adimpletur in ea cotidie.

Quæstu congruè ditantur venientes incolæ; nudi quoque vestiuntur copioso tegmine; pauperes & peregrini satiantur ibidem.

Rerum cernitur cunctarum inclyta speciebus, generumque diversorum referta seminibus, vini copia, & carnes adfluenter nimiè.

Sceptrum inde Langobardi principalem optinet *Liutprandum* pium Regem, meritis almificum, cui tantam sanctitatis Christus dedit gratiam.

Totam Urbem Præsul magnus ornavit *Theodosius*, veniens benignè, natus de Regali germine, quem ad sedem raptum trahens pro amore Populus.

Viribus robusti Cives, adstantium certamine nefandarum subdent colla expugnando gentium, palmam possident & nomen quam fidei amplissimum.

Christum Dominum precemur universi pariter, ut dignetur custodire hanc Urbem & regere, atque cunctis liberare ipsam de periculis.

Ymnum Regi modulanter cantemus altissimo, qui eam pulcro decoravit ornamento Martyrum, Sanctorumque Confessorum ibi quiescentium.

Zelemus omnes Christiani Salvatorem Dominum, ut in illam nos permittat Civitatem ingredi, in qua Sancti per æterna gratulantur secula.

Gloria sit Deo Patri, ejusque Unigenito. gloriam canamus omnes Spiritui Paraclito, qui trinus Deus & unus regnat in perpetuo.

HYMNUS
SANCTI AMBROSII.

Miraculum laudabile canite omnes populi, quod datum est Ecclesiæ fluctuanti in Seculo.

Ambrosius vas magnum, prædestinatus à Deo, tempore quo Diabolus fœdaverat templa Dei.

Christus qui numquam deserit quos suo redemit sanguine, direxit virum inclytum, ut Arrium destrueret.

Infulas dum gerit Seculi, adquisivit Paradisum, jus tum portans gladii suscepit Evangelium.

Mysterium incognitum, Altissimus quod noverat, nondum ablutus lavacro Pontifex erigitur.

Ingressus est Ecclesiam plebem sedare turbidam: cunctorum ora conclamant Ambrosium Episcopum.

Arrii perfidia purgatur de Ecclesia: cuncta concrepunt agmina, nec desunt Christi munera.

Nox tetra cedat lumini, confundantur Hæretici adstantes; piissimus qui purgat mentis infida.

Virtus ex alto data est Ambrosio: in Baptismum statim ut renatus est, cœpit fugare dæmones.

Suscepit Ecclesiam, gubernavit intrepidus; Confessor esse meruit, dum Arrianis non cedit.

FINIS.

RYTHMUS

RYTHMUS
IN OBITUM
CAROLI MAGNI
AUGUSTI.

A Solis ortu usque ad Occidua litora maris planctus pulsat pectora: heu mihi misero.
Ultramarina agmina tristitia tetigit ingens cum mœrore nimio: heu mihi misero.
Franci, Romani, adque cuncti creduli luctu punguntur & magna molestia: heu m. m.
Infantes, senes, gloriosi Præsules, Matronæ plangunt detrimentum Cæsaris: heu m. m.
Jam non cessant lacrymarum flumina: plangit Orbis interitum Caroli: heu m. m.
Pater communis orfanorum omnium, peregrinorum, viduarum, virginum: heu m. m.
Christe, cœlorum qui gubernas agmina, tuo in regno da requiem Carolo: heu m. m.
Hoc poscunt omnes fideles & creduli: hoc Sancti, senes, viduæ, & virgines: heu m. m.
Imperatorem jam serenum Carolum telluris tetigit titulatus tumulus: heu m. m.
Spiritus Sanctus, qui gubernat omnia, animam suam exaltat in requiem: heu m. m.
Væ tibi Roma, Romanoque Populo, amisso summo glorioso Carolo: heu m. m.
Væ tibi sola formosa Italia, cunctisque tuis tam honestis Urbibus: heu m. m.
Francia diras perpessa injurias nullum jam talem dolorem sustinuit: heu m. m.
Quando Augustum facundumque Carolum in Aquisgrani glebæ terræ tradidit: heu m. m.
Nox mihi dira jam retulit somnia, diesque clara non adduxit lumina: heu m. m.
Quæ cuncti Orbis Christiano Populo vexit ad mortem venerandum Principem: heu m. m.
O Columbane, stringe tuas lacrymas, precesque funde pro illo ad Dominum: heu m. m.
Pater cunctorum misericors Dominus, ut illi donet locum splendidissimum: heu m. m.
O Deus cunctæ humanæ, militiæque Cœlorum, Infernorum Domine: heu m. m.
In Sancta Sede cum tuis Apostolis suscipe pium o tu Christe Carolum: heu m. m.

MUTI-

MUTINENSIS URBIS DESCRIPTIO,

SIVE ADDITAMENTUM

AD VITAM SANCTI GEMINIANI

EPISCOPI MUTINENSIS,

Hactenus luce carens,

AUCTORE ANONYMO,

Qui circiter Annum Christi DCCCCX. floruit.

QUoniam bonus Dominus, & in æternum misericordia ejus, operæ pretium est mandare posteris, qualis quantave fuerit Civitas Mutinensis. Sed quia tanti Patris Domni Geminiani, pro ut potuimus, vitam stilo transegimus, libet quoque de situ Urbis, in qua resedit Episcopus, aliquid enucleare veraciùs. Ut enim antiquorum relatione comperimus, ipsiusque Civitatis ruinæ testantur, eadem Mutina magna quondam effulsit & inclyta inter Æmiliæ Urbes, locuples & fertilissima, ædificiis murorum & turrium propugnaculis admiranda, fœcunda terris, planicie incomparabilis & gloriosa, montanis vicina, & per omnia fructifera, navium quoque conventiculis undique decorata. Insuper omnibus Gentilitatis ceremoniis dedita, cultu Herculis & Dianæ, Apollinis quoque & Minervæ, ceterorumque numinum longo tempore subacta permansit. Sanè ad Christi culturam toto Mundo confluente, jam dicta Civitas per Sanctorum Apostolorum successores Domini Fidem recipiens, vanam idolorum respuit fœditatem, ac Sanctorum prædicatione Sacerdotum amissam diu Cœli recipere cœpit hereditatem. In quorum catalogo Confessorum Beatissimum Geminianum Fide Christi perfectissimum, moribus reverendum, virtutibus coruscum, suo in territorio natum & nutritum, eadem Domino jubente suscepit Civitas Mutinensium, temporibus Joviani Augusti totius Reipublicæ Principis. A quo cœlestis vitæ pabulo recreata, sanctæque purificationis fonte purgata, superfluam idolorum servitutem reliquit, & suavi jugo Christi rigida colla subegit. Denique si quis requirat, ut quid non ejusdem Civitatis operosa monstrentur ædificia, spectaculo hominum condigna, Capitolia quoque, ut in aliis assolet, triumphalia? veridica ei respondetur assertione, quòd in eadem, dum viguit, Urbe, multiformia lapidum insignia, innumera quoque fuere præstigia. Sed quod comprobatur esse verissimum, ut assiduè cernitur, sæpedictæ Urbis solum nimia aquarum solentia enormiter occupatum, rivis circumfluentibus, & stagnis ex paludibus excrescentibus, incolis quoque aufugientibus noscitur esse desertum: Unde usque hodie multimoda lapidum monstratur congeries, saxa quoque ingentia præcelsis quondam ædificiis aptissima, aquarum crebra, ut diximus, inundatione submersa. Verùm qualis modò est, ab omnibus cernitur; quanta verò fuerit, narrando monstratur.

Deprecemur itaque Deum & Dominum nostrum Jesum Christum, ut per intercessionem Beatissimæ Genitricis suæ, semperque Virginis Mariæ, atque per meritum Sancti Confessoris, & Episcopi Geminiani, cujus inibi Sanctum Corpus ambitur, ab omni visibilium hostium incursu sua potenti dextera nos defendat. Illud quoque ad tanti Viri extollendum præconium silere nequaquam convenit, quod sum referre paratus. Ungarorum sævissimam & pæne omnibus metuendam gentem, quam ex horrendo Scytharum genere originem duxisse comperimus, in nostris valde tribulationibus compertam habemus. Hæc sanè communi promerente facinore, à parte Aquilonari Italiam ingressa, Forojuliensi vastata Marchia, Veronam usque transiliens, omnemque regionem inaudita feritate depopulans, cuncta firmissima Urbium mœnia, cunctaque murara nullo resistente invasit Oppida. Itaque lue illa (quam utinam nesciremus) non dico certaminis, sed insoliti funeris, quo omnis simul corruit Italia, heu heu magnifica potiti victoria, Domino permittente, omne Latium obtinuere. Quumque incredibili depopulatione omnia circumquaque lustrasset, tamdem ad Mutinense devênit Episcopium, quo sanctissimi patris Geminiani tumulatur corpusculum. Denique ejusdem loci Antistes cum omni Plebe tam Cleri, quàm Populi, horrifico eorum metu compulsi, fugæ præsidium quæsierant, & sacrosanctum Domni Geminiani Corpus unà cum Ecclesiæ aliquantulo ornamento moribundi dimiserant; Sed licèt fuerit ab hominibus incustoditum, Christi tamen mansit potenti dextera defensum. Sanè sævientes Ungari Civitatem ingressi, ipsâ penitus perlustratâ, tamdem ad Ecclesiam veniunt, atque sinè alicujus læsione aliquantulum diei spatium inibi occupavere. Obtentu igitur gloriosissimi & sæpe nominandi Patris Urbem velociter intactam reliquere. Idque mirum dictu: Sic jam defunctus ab Ungaris propriam defendit Plebiculam, uti quondam ab Ungarorum Rege Attila suam liberaverat Ecclesiam. Agimus tibi, Domine Pater, innumeros servitii hymnos, qui nos tanto non desinis tueri patrono, ut tibi nostra grata pareant famulicia, ipsumque apud te fidissimum interpellatorem sentire valeamus, per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum cooperatorem, tibique consubstantialem, unà cum Sancto Spiritu in secula seculorum, Amen.

FINIS.

CHRONICI MONASTERII NOVALICIENSIS

FRAGMENTA QUÆ SUPERSUNT

AUCTORE

MONACHO ANONYMO

Scribente circiter Annum Christianæ Æræ MLX.

PARTIM ANTEA

A DU-CHESNIO VIRO CLARISSIMO EDITA,

PARTIM NUNC PRIMUM

EX MANUSCRIPTO CODICE MALASPINEO

ADDITA,

CUM QUIBUSDAM CASTIGATIONIBUS

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

IN FRAGMENTA CHRONICI NOVALICIENSIS *PRAEFATIO* LUDOVICI ANTONII MURATORII.

Celeberrimum olim fuit Novalicienſe Benedictinorum Monaſterium in Valle Seguſina ad radices Montis Ciniſii, nunc *la Novaleſa*, in Subalpina, ſive Pedemontana regione ſitum. Si Auguſtinum ab Eccleſia, Ughellum, alioſque audire lubet, ipſo Sancto Benedicto adhuc in terris agente, hoc eſt ante Annum 543. & conditore Abbone Romano Patricio, Coenobii hujus exordia fuiſſe creduntur. Verum Mabillonius V. Cl. in Annal. Benedictin Tom. II. ad Annum 739. recte contendit, Novalicienſe Monaſterium ſub titulo Sancti Petri Apoſtolorum Principis conditum fuiſſe ſub initium Seculi VIII. Immo is Lib. VI. num. 62. de Re Diplomatic. Abbonis ipſius fundatoris Teſtamentum adfert, cujus ope fabulae praecedentes atteruntur, & vera loci origo ſtatuitur. Nunc profecto poſt tot humanarum rerum, bellorumque vices, abjectum videas, ac humili forte contentum tantae olim celebritatis locum, atque a paucis dumtaxat Fulienſibus Monachis inhabitatum. Non ita plane fuit antiquis Seculis, quibus ſplendebant Coenobii illius fama, potentia, ac opes, non minus apud Italos, quam apud Gallos, ut propterea operae pretium duxerit olim Monachus quidam Hiſtoriam ſacri ejuſdem Aſceterii contexere, cujus fragmenta nunc ſum editurus. Et ex iis quidem non pauca jam dudum evulgaverat Andreas Quercetanus, ſive Du-Cheſne inter Scriptores Hiſt. Franc. Tomo II. pag. 223. & Tomo III. pag. 635. indicans, ſe ea excerpſiſſe *ex vetuſtiſſimo Codice MSto Coenobii Novalicienſis*. Hinc mihi excitata cupiditas ingens, ſi poſſem, reliqua proferendi, quae ab illo (utpote a conſilio ſuo, & ab Hiſtoria Francorum aliena) fuiſſe neglecta putabam. Curam proinde omnem adhibui, quo mihi integrum Novalicienſe Chronicon compararem; ſed vexatis inutili literarum commercio hanc ob cauſam Amicis Subalpinis, illic tamdem, unde numquam ſperaſſem, mihi praeſidium obvenit. Nempe Illuſtriſſimus ac praeſtantiſſimus Vir Joſeph Marchio Malaſpina, Abbas Commendatarius Sancti Marciani Derthonenſis, quo cum mihi vetuſta neceſſitudo intercedit, non contentus alia Hiſtoriarum monumenta mihi ſuppeditaſſe, uti Tomo VI. monui, atque opportunis locis infra Lectorem monebo, hoc etiam qualecumque ſit, mihi ſingulari humanitate & ſecundis avibus procuravit.

Verum mihi cecidit animus, quum praeter illa, quae jam publici juris fecerat Du-Cheſnius, reliquam Chronici Novalicienſis ſupellectilem conſpexi adeo attenuatam ac levem, ut non tam mihi de novis fragmentis conquiſitis gauderem, quam de tot jam deperditis expoſtularem. Scilicet multos ante annos, immo & antea quam Du-Cheſnius deſcriberet, ac in ſuam Collectionem inferret monumenta illa, quae nuper memoravi, jam injuria temporum exciderat ex eodem Chronico Liber Primus, & ex Secundo aliquot Capitula; atque inſuper perierat integer Liber Quartus. Hujuſmodi jacturam fruſtra nunc ſentimus, & plane vereor, ut eam aliquis umquam reſarciat. Quidquid ergo Novalicienſis Chronici ex edacitate temporum evaſit, nunc in lucem effero, ea videlicet, quae a Du-Cheſnio jamdiu habebamus, & reliqua fragmenta huc uſque in MSto Codice latentia. Haec autem omnia conſcripta fuiſſe videntur circiter Annum 1050. Etenim Chronographus iſte auctor eſt in poſtremis lineis, *Bremetenſe Monaſterium*, in Ticinenſi Dioeceſi ſitum, quem in locum pulſi jam diu ſeſe receperant Novalicienſes Monachi, a Conrado I. Auguſto conceſſum fuiſſe Novocomenſi Epiſcopo pro more infelicis ejus aetatis. Verum *Chuonradi filius Beniamin, qui alio nomine appellatur Heinricus Imperator, a profano dominio, quo premebatur, abſtraxit, & in proprio ſta-*

ſtatu, ideſt Regio, erexit &c. Innuitur heic Heinricus inter Imperatores Secundus, qui Anno 1046. Imperiali Corona redimitus fuit; ac proinde poſt Annum illum haec literis conſignata fuiſſe certiſſime noſcimus. Auctoris vero ipſius nomen evanuit. Illud conſtat, ipſum fuiſſe Monachum Benedictinum, Bremetenſi Monaſterio nuper memorato adſcriptum, qui, ut conjicere poſſumus, circiter Annum 1050. Novalicienſis Monaſterii, unde Bremetenſes Monachi proceſſerant, Hiſtoriam ſibi conſcribendam ſumſit.

Atque ille quidem ſcripſit. Sed bone Deus! (neque enim diſſimulare licet) quot fabularum atque ineptiarum plauſtra vir bonus congeſſit! Lege, & riſum continere interdum nequeas. Nulla aut modica heic Chronologiae ratio; quaecumque inſanum vulgus de Novalicienſibus Monachis tradiderat, ambabus ulnis ab Hiſtorico exceptum eſt, & imperterrite chartis commendatum. Pleraque etiam magnificata, atque amplificata videas, ut Coenobio uberior laus & honor accreſceret. Cujus etiam primordia fabulis non carent, conficta nempe antiquitate majore, & Abboni inſtitutori dignitate Romani Patriciatus, neſcio quibus tabulis, attributa, immo duplici Abbone ſomniato. Haec fateor me deterruere, ne fragmentis iis, quae Du-Cheſnius ante ex eo Chronico ediderat, aliquid ego ultra adjicerem, ſatis perſpiciens, nulli utilitati futurum fabulas fabulis adtexere. Et profecto Du-Cheſnius ſibi prudenter caviſſe videtur, quando ea dumtaxat ſelegit, atque excerpſit, quae ad Hiſtoriae veritatem propius accedunt, reliquis nugis inter ſuas tenebras dimiſſis. Verum contraria ſententia vicit. Nempe ſtatutum eſt mihi, omnia nihilominus ex eodem Chronico hactenus ſervata ſub omnium oculos ponere, tum quod non paucis monumentis, quae revera ad Hiſtoriam ſaltem Monaſticam aliquid lucis & opis afferre poſſunt, negandus minime erat dies; tum etiam, quod ad ipſam Literariam Hiſtoriam pertinet noſſe, quei compoſita olim forent, & quam prona ad fabulas & nugas Scriptorum ingenia, dum barbari mores, ac poſtrema ignorantia in Italica Provincia obtinerent. Proinde Eruditorum munus erit ſecernere, quae heic cum veritate conſentiunt, quaeve ab ea abſcedunt. Ego paucula tantum adnotavi. Neque enim mihi placuit ſordes iſtas omnes (quod facile erat) detergere, eo etiam nomine, ut Lectoribus ad exercendam heic criſim ſuam aditus reſtaret. Ad acutiores vero Criticos ſpectabit, vel in ipſis Fabulis aliquid interdum veritatis immixtum venari; neque enim Poëtarum more conſueverunt Hiſtorici confingere ex ingenio ſuo quae narrant, ſed qualia a praecedentibus Chronographis, aut etiam a traditione Populi circumferebantur, accepere. In his autem vulgi rumoribus etſi multum ſaepe falſi ineſt, vera tamen non pauca latêre poſſunt, aut ſolent. Hanc autem excuſationem mihi adhibitam volo, ubi alios ejuſmodi Hiſtoricos in Collectionem iſtam per me illatos deprehendes. In gravi denique alimentorum inopia locum cibi tenere vel ipſis glandibus liceat.



Placido Romoli inv. et del. Gio. Batta Sintes Sculp. Roma

CHRONICI MONASTERII NOVALICIENSIS FRAGMENTA QUÆ SUPERSUNT

AUCTORE

MONACHO ANONYMO

Scribente circiter Annum Christianæ Æræ MLX.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

ANtiquis verò temporibus, quibus ipsa Nova Lux totius Abbatiæ suæ dominationem strenuissimè regebat, mos erat illius Abbatum, ob jura Sanctitatis custodienda, remoti vel separati manere cum aliquantis senioribus ad Ecclesiam Domini Salvatoris. Ea autem caterva senum, quorum multitudo in unum habitare nequibat, in diversis Cellulis in circuitu manebant Ecclesiarum. De quibus tuguriolis, nisi cùm nimia infirmitas obstitisset, opportunis horis ad Capitulum, & ad mensam pariter occurrebant. Turba verò juvenum Fratrum Regularium omnis, summa cum custodia infra Claustra inclusi retinebantur Monasterii. Erat autem vallis ipsa valde decora, hominibus copiosa .... Nemo pergebat ad alium, exceptis his, quos Decanos dicimus, ut si cogitationibus quis fluctuaret, illius consolaretur alloquiis. Post horam tertiam in commune concurrebant. Psalmi A resonabant. Scripturæ ex more recitabantur; & completis orationibus, cunctisque residentibus, medius, quem Patrem vocabant, incipiebat disputare. Quo loquente tantum silentium inerat, ut nemo ad alium respicere auderet, nemo audebat excreare. Dicentis laus ...... audientium mentes tacitæ volvebantur. Per facies, & ora lachrymæ discurrebant; & ne in singultus quidem erumpebat dolor. Cùm verò de Regno Christi, & de futura beatitudine, de gloria inenarrabili cœpisset annuntiare ventura, videres cunctos moderata suspiria, & oculos ad Cœlum levare, & intra se dicere: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Post hæc concilium B solvebatur, & cùm tempus fuisset reficiendi, unaquæque Decuria cum suo parente pergebat ad mensam, quibus per singulas hebdomadas vicissim ministrabant. Nullus in cibo strepitus, aut sonitus. Nemo comedens loquebatur. Alebantur autem secundùm Regulam. Dehinc consurgebant pariter, & hymno dicto, ad præsepia senes redibant: juvenes namque sub disciplina manebant. Ibi usque ad vesperam cum suis unusquisque sensibus loquebatur, & dicebat: *Vidisti illum, & illum, quanta sit in ipsis gratia, quantum silentium, quàm moderatus incessus?* Si infirmum vidissent, consolabantur. Si in Dei amore ferventem, co- C hortabantur ad studium. Et quia nocte extra Orationem publicam in suo cubiculo unusquis-

que

que vigilabat, circumeuntes Cellulas singulorum, & per aures appositas, quid facerent, diligenter explorabant. Quem tardiorem deprehendissent, non increpabant, sed dissimulabant quod nossent: tum sæpiùs visitabant, & priùs incipientes, provocabant magìs orando, quàm cogendo. Si verò quis ægrotare cœpisset, transferebatur ad exedram latiorem, & tanto senum ministerio confovebatur, ut nec delicias Urbium, nec matris quærere opus esset affectum. Dominicis diebus, orationibus tantùm, ac lectionibus vacabant: quod quidem omni tempore, completis Opusculis, faciebant. Quotidie de scripturis aliquid discebatur. Nullus siquidem mortalium bona, quæ in ipso Monasterio gerebantur, enarrare prævalet: in illo etenim Hospitalitas vigebat, Castitas redolebat, Caritas relucebat; Eleemosynarum largitio, Oratio assidua Deo exhibebatur, tam pro vivis, quàm etiam pro defunctis.

CAP. II.

NEque hoc silentio prætereundum puto, quod sanctissimi ipsius venerabilis Cœnobii Abbates quondam suis temporibus statuentes sanxerunt. Audivi enim (Domino teste, non mentior) quodam tempore cuidam seni referre, quòd antiquis temporibus ab ejusdem Ecclesiæ Abbatibus prohibitum sit ibi accessum fœminarum. Ante verò ipsius sacri Cœnobii tantum, quantum potest ictus jaci sagittæ, erat Ecclesia in honore Beatissimæ ac gloriosissimæ Virginis Mariæ fabricata, sub qua carpitur via, qua pervenitur ad prædictum Cœnobium. Juxta igitur istius Ecclesiæ fuit quædam domus, in qua hospitabantur omnes fœminæ, quæ ad adorandum Hominum ibi veniebant, & merita illorum Apostolorum, nobiles, vel ignobiles quæque. Eratque Crux ibi Domino sacra juxta viam, muro & calce composita, quæ adhuc in hodiernum permanet diem; in qua, ut opinor, erant pretiosæ Reliquiæ collocatæ; quam nulla fœminarum ultra eamdem audebat vel quippiam progredi, ut ad seniorum aliquando perveniret Monasterium; quia, ut refertur, ideo ibi apposita fuit. Nam si contigisset, ut aliqua ob qualicumque temeritate vellet statutum terminum irritare, continuò aut cum ignominia, aut cum infirmitate nimia retinebatur, aut mortem corporis illic patiebatur. Tradunt autem nonnulli, qui ejus antiquitatem, vel acta legerunt, quòd ibi olim reperta sit ista constitutio. Nam ipsi Monachi hoc decretum ab ipso suæ fundationis die, usque ad destructionem ipsius loci ultimam, quam fecerunt ipsi Saraceni, qui de Fraxenedo exierunt, inviolabiliter & inconcusè tenuerunt. De qua nonnulli exemplum sumentes, observare dicuntur, quemadmodum ipsi nuper observabant, veluti hodie faciunt aliquantuli, & ipsi valde perpauci. Erat enim ipse locus ita in circuitu suo Oppido præmunitus, ut cùm modicis obstaculis posset undique protegi, aut cum stipitibus, maceriave, vel Peribolo. Ergo ex uno latere rupis excelsa, atque saxea prominet, in cujus cacumine sunt Ecclesiæ à prædictis Patribus fabricatæ. Ex altera verò parte mons excelsus, atque nemorosus, nomine Panarium, qui in sua summitate pascua dicitur retinere uberrima.

CAP. III.

NAm cur hoc fœminis illo tempore vetitum sit, ne ad hoc Cœnobium accessum haberent, quandoque necesse est, quantulumcumque pudore abjecto, enarrare. Igitur devotissimus Vir Dominus Abbo Patricius, antequam tantum Cœnobium, idest Novaliciense, sua sacra ordinatione institueret, fecit in eadem Civitate scilicet Secusina, Monasterium in loco, cui Vocabulum est Urbiano, in quo fuit Præpositus quidam, contra quem Diabolus insidiator humani generis, sua profana machinamenta sæviter jaciens, concupivit etiam (quod nefas est dicere) formam cujusdam mulieris. De quo scelere prædictus Abbo altiùs cùm ingemuisset, cœpit casus humanæ fragilitatis, ut in priori Libello (1) dixi, cogitare, dicens: *Non potest tuta fore Monachorum habitatio, si circa Urbes, vel Vicos fiat eorum assidua conversatio*. Tunc mutavit Monasterium in ipsa Valle Novælucis, ubi testamentum suum feliciter delegavit: præcipiens Abbati & Monachis, ut nulla fœmina nobilis, vel ignobilis, ultra ipsum sacrum locum audeat pedibus contingere. Relinquens interea in priori Cella aliquantos Monachos diuturna Religione probatos, sub ditione ipsius loci, scilicet Novalicienšis: in quo siquidem loco tam ab ipso, quàm etiam ab illius loci Abbatibus prohibitum sit semper accessum fœminarum, usque quo profanatum est ipsum locum ultima vice ab impia gente Saracenorum. Ecce cunctis liquidè patet, unde iste mos primùm Monasteriis inoleverit. Hæc autem sententia, quam huic Libro inserendam conscripsimus, non de relatione alicujus hominis, vel nostro visu addidimus, sed à quodam Antistite Petro, qui Librum quemdam suis legit temporibus Veronæ, in quo multa de eodem loco invênit. Ab ipso enim audivimus talia, qualia hìc à nobis apposita sunt. Scimus ergo in veritate, nonnullas fuisse quondam Vitas in illo loco conscriptas de illorum Abbatum, seu Monachorum, atque de actu ipsius loci, qui diutissimè ibi sanctitatem exercentes, virtutibus coruscantes micuerunt. Sicut legimus de *Asinario*, & *Waltario*, ac de *Arnulpho*, & *Frodoino*, de *Aldrado* quoque, atque de aliis pluribus, quorum nomina nobis omnino ignota sunt. Sed sicut superiùs jam diximus, per Mundum dispersi prædicti Libri, inrecuperabile nobis est damnum.

CAP. IV.

QUodam igitur tempore, cùm Carolus Princeps Francorum, Pipini Ducis filius, dum Regnum Italicum divinitus à Deo obtinuisset, & in Novalicio Monasterio quodam tempore resedisset, scilicet in diebus Sanctæ Quadragesimæ: nam ista erat ei consuetudo, quando in Italiam veniebat, ut in supradictis diebus in antedicto maneret loco. Diligebat enim ipse valde hoc Cœnobium, eo quòd multi Nobiles è Regno Franciæ in eo sæpiùs viderentur sumere habitum Religionis. Cùmque quadam die ipse Imperator ad Matutinum surrexisset Monachorum, videlicet in Feria quinta, qua celebrabatur Cœna Domini,

(1) Hic desideratur.

ni, erat uxor ejus Regina, nomine Berta (2), multo tempore cupiens videre hoc Monasterium. Quæ latenter surgens eadem nocte, nemine sciente, præter unam suam fidelissimam, induens Sebirro (3), ut à nemine agnosceretur, concitoque gradu extemplo tendit ad Monasterium. Ubi ante fores Oratorii Beati Petri advênit, subitò cecidit, ac illico exspiravit. Cùm autem post finitum Matutinum Rex ad cubiculum regrederetur, invênit eam jacentem, ubi priùs corruerat. Pueri verò Regis, qui antecedebant, adhibitis propius cereis, contemplabantur eam, mirantes quænam esset. At ubi Rex eam agnovit, ita inquit ad eam: *Cum illis ergo pedibus, cum quibus huc venisti heu nequibis, mi cara, jam remeare*. Amoventesque protinus eam, multùmque ejus funus plangentes, in diem usque tertium ei protendentes sepulturam, ad ultimum cum maximo honore, cum turba copiosa ei ducentes obsequium, ad Ecclesiam Beatæ Mariæ, quæ ad Crucem dicitur, humantes sepelierunt, cujus sepulchrum ab incolis illius loci sæpiùs mihi ostensum est. Rex autem Monasterium suis Regiis decorans muneribus, abiit.

CAP. V.

AD dexteram namque hujus Monasterii partem habetur mons Romuleus (4), excelsior cunctis montibus sibi adhærentibus. In hoc ergo monte fertur quondam habitasse æstivis temporibus Romulus quidam Rex Elefantiosissimus (5) (à quo & nomen accepit) propter refrigerium, & amœnitatem loci vel laci. Hic ergo mons ad dexteram .... circumcingit prædictum Cœnobium, ad cujus radicem est iter, quo vehitur Burgundiam. In eo quippe monte asserit popularis vulgus haberi nonnulla ferarum genera, sicut & in Cenisio monte, Ursi, Ibices, Capreæ, & aliæ ad venationem aptæ. De quo oritur rivulus descendens per nimiam petrarum ipsarum profunditatem, in quo dicitur fontem salitum oriri, mixtimque cum eo currere. Ibices autem, & Capreæ, ac oves domesticæ sæpiùs solent ad eum concurrere, scilicet per crepidinem ipsius alvei, cùm in planitiem demergitur, ob amorem salis, ubi plerumque capiuntur. Dicitur autem, in isto monte Romuleo enormem quondam congregasse pecuniam prædictus Romulus, cùm in eo maneret, quò nullus qui sponte volet pergere, aliquando ascendere valet.

Hic autem Senex, qui mihi tanta de eodem loco retulit, insinuavit mihi, quòd quodam tempore ipse observasset magnam Cœli serenitatem, in qua summo surgens mane, cum comite quodam, nomine Clemente, ad eumdem quantocius festinasset scandere montem. Qui cùm jam prope essent, cœpit cacumen ejus nubium densitate cooperiri, ac tenebrescere. Deinde paulatim crescens, pervênit usque ad ipsos. Ipsi verò inter tenebras nubium positi, manibusque se palpantes, vix per eamdem obscuritatem evadere potuerunt. Visum itaque, ut dicebant, erat illis, ut desuper lapides mitterentur, nam & aliis nonnullis talia contigisse fertur. In summitate verò sua ex una parte nil aliud invenitur præter saliuncam. Ex altera namque parte lacum miræ magnitudinis cum prato fertur esse. Idem autem Senex solitus erat narrare de quodam cupidissimo *Marchione*, nomine *Arduinus*, qui cùm sæpiùs talia à rusticis audiret, videlicet de thesauro in eo congregato, accensoque animo protinus mandans Clericis, ut celeriter secum properè illuc ascendere debeant; qui acceptam Crucem, & aquam benedictam, atque vexilla Regia, Letaniasque canentes, ire perrexerunt; qui antequam pervenirent ad apicem montis, æquè ut primi cum ignominia sunt reversi. Ergo quia occasio narrandi se intulit, dum circumquaque narratio se extendit, amodo ad enarrandum Opus vertamus stilum.

CAP. VI.

ITaque ab *Episcopo Maurigenensis* (6) *Ecclesiæ* sermonem exordiamur. Inclytus autem Abbo Patritius Romanorum, sic inter cetera, quæ instituit, vel ordinavit, & alia fatus verba ait: *De Clericis itaque istarum Civitatum vicinarum, quibus .... rectorem dederam constitui; Præcipio, ut nullam aliquando violentiam, scilicet ab Archidiacono, vel Primicerio prædicti patiantur Monachi. Chrisma, & sacrum gratìs ab ipsis accipiant oleum. Consecrationes quoque Altarium, vel benedictiones Sacerdotum, seu Clericorum, ab Episcopo Ecclesiæ Maurigenensis, sinè aliquo lucro, vel præmio accipiant. Statimque post peractam consecrationem, sinè mora Episcopus ad propriam redeat Sedem. Si autem Episcopus ibi defuerit per qualemcumque absentiam, supradicti Monachi, ubi meliùs elegerint, accipiant Episcopum, qui & ipse eadem faciat similiter*. Huc usque de decretis viri religiosissimi Abbonis. In solemnitatibus verò Beati Petri Apostolorum Principis erat talis consuetudo, ut veniens Episcopus prædictus Maurigenensis cum mappula, ad omne quidem obsequium Abbatis paratus, digniter, ut decebat, valde stola indutus candida, ante ipsius Sacri Cœnobii stabat Abbatem ad tota Missarum Solemnia. Nam usque in præsentem diem in antedicto Episcopio ab ipsis tenetur beneficium, quod olim ab ipso Monasterio obtinuerunt priùs Episcopi, quod ipsi sic fecisse refertur *Mainardus*, *Joseph*, *Wilielmus*, & *Benedictus Episcopi*. Istorum ergo Epitaphia Episcoporum in prædicto sæpiùs vidi Monasterio, ubi humati quiescunt.

CAP. VII.

DIcitur autem in hoc Monasterio prisco habuisse tempore Monachum quemdam olitorem, nomine Waltharius, nobili ortum stegmate, ac Regali procreatum sanguine. Famosissimus enim valde ubique fuisse refertur athleta, ac fortis viribus, sicut de eo quidam sapiens Versicanorus scripsit.

Waltharius fortis, quem nullus terruit hostis,
Colla superba domans, victor ad astra volans.
Vicerat hic totum duplici certamine Mundum,
Insignis bellis, clarior ast meritis.

Hunc

(2) Mater quidem Carolo M. Berta fuit. Uxorem quoque Bertam fuisse, non legi. Sed heic nil nisi fabula mulierculis tantum propinanda.

(3) Scribe *se birro*, hoc est vili veste se induens.

(4) Nunc appellatur *Roccamelone*.

(5) Hoc est, ut opinor, elephantiasis, lepræ nempe morbo laborans. Hæc tamen gerris omnino accensenda.

(6) Idest *Maurianensis*.

Hunc Heroa . . tremuit quoque torridus Indus,
Ortus & occasus Solis eum metuit.
Cujus fama suis titulis redimita coruscis,
Ultra Cæsareas scandit ab hinc Aquilas.

Hic post multa prœlia & bella, quæ viriliter in Seculo gesserat, cùm jam prope corpus ejus senio conficeretur, recordatus pondera suorum delictorum, qualiter ad rectam . . . . pervenire mereretur. Qui cùm in Monasterio, ubi districtior norma custodiretur Monachorum, explere meliùs animo deliberasset, continuò baculum quæritans perpulchrum, in cujus summitate plurimos configi præcepit anulos, qui (7) per singulos orbiculos ipsorum anulorum singula tintinnabula appendere fecit; sumensque habitum peregrini, atque cum ipso pæne totum peragrans Mundum, ut exploraret cum ipso studia vitæ Monachorum, atque regulam ipsorum, ad quodcumque pervenisset Monasterium. Tuncque illam, quam olim fertur peregrinationem habuisse, aggressus est. Qui cùm in quodcumque ingrederetur Monasterium in tempore, quo ipsi Monachi ad laudes Deo reddendas intrabant. (Hoc enim ipse valde observabat) percutiebat siquidem bis vel ter cum ipso baculo pavimentum Ecclesiæ, ut ad sonitum ipsorum tintinnabulorum discerneret illorum disciplinam. Erat enim in eo maxima calliditas, & solers exploratio, ut sic Monachorum disciplinam agnosceret. Qui cùm, ut supra retulimus, prope totum peragrasset Cosmum, vênit utique ad Novaliciense, tunc in studio sanctitatis florentissimum Monasterium. Ubi cùm ingressus foret Ecclesiam, percussit, more solito, Ecclesiæ solum. Ad quem sonitum quidam ex pueris retrorsum aspiciens, ut videret quid hoc erat, protinus Magister Scholæ in eum prosiliens, alapa percussit puerum alumnum. Ubi ergo Waltarius talia vidit, ingemuit illico, & ait: *En ergo hic, qui multis diebus nonnulla terrarum spatia quæritans reperire talia adhuc non valui*. Exiens igitur statim ab Ecclesia, mandavit siquidem Abbati, ut secum colloquium habere dignetur. Cui cùm suam insinuasset voluntatem, in proximo habitum sumens Monachorum, efficitur protinus cultor horti, sponte & voluntariè, ipsius Monasterii. Ipse verò accipiens duas longissimas funes, extenditque eas per hortum, unam scilicet per longum, alteram namque per transversum, ac tempore æstatis omnes noxias in illis suspendebat herbas, videlicet radices ipsarum desuper expandebat contra Solis fervorem, ut ultra non vivificarentur.

CAP. VIII.

HIc ergo Waltarius, quis vel unde nuperrimè fuerit, vel à quo patre genitus sit, non est bonum silentio abscondere. Fuit enim quidam Rex in Aquitaniæ Regnum nomine Alferius. Hic de Conjuge propria habuit filium nomine Waltarius, quem supra nominavimus. Hujus temporibus in Burgundiæ Regnum alius Rex extiterat nomine Cricus, qui similiter habuit filiam valde decoram, nomine Ildegunda. Hi verò Reges juramentum inter se dederant, ut quando ipsi pueri ad legitimam ætatem primitus venissent, se invicem sociarent, scilicet cùm tempus nubendi illis venisset. Qui ergo pueri antequam se sociarent, subjecta sunt Regna patrum suorum, atque ipsi obsides dati sub ditione Regis Attilæ, flagellum Dei, qui eos secum duxerat, cum Aganone obside Regis Francorum nomine Gibico.

CAP. IX.

HI namque pueri, (8) Attila, causâ obsidionis à propriis accipiens patronis, cum maxima pecunia ad sua cum suis redivit arva. Sic quidem Metricanorus de ipsis ait:

Tunc Avares gazis onerati denique multis,
Obsidibus sumtis Aganone, Ilgunde puella',
Nec non Walthario, redierunt pectore læto.
Attila Pannonias ingressus, & Urbe receptus,
Exulibus pueris magnam exhibuit pietatem,
Ac veluti proprios nutrire jubebat alumnos;
Virginis & curam Reginæ mandat habere.
Ast adolescentes propriis conspectibus ambos
Semper inesse jubet.

CAP. X.

INterea in eodem Monasterio per consuetudinem eisdem temporibus dicitur habuisse plaustrum ligneum miræ pulchritudinis operatum, in quo nihil aliquando fertur portasse aliquid, præter unam perticam, quæ sæpissimè configebatur in eo, si necessitas cogeret. Sin autem tollebatur, & alio in loco recondebatur. In cujus summitate ferunt qui videre vel audire à videntibus potuerunt, habuisse tintinnabulum (9) appensum valde resonantem. Cortes verò, vel vicos ipsius Monasterii, quæ erant proximiores Monasterio per Italiæ tellures, in quibus Ministri Monachorum opportunis temporibus congregabant granum aut vinum. Cùm autem necessitas vehendi exigeret ad Monasterium; idem supradictum mittebatur plaustrum cum supradicta pertica in eo confixa cum scilla ad prædictos vicos, in quibus scilicet vicis inveniebantur nonnulla alia plaustra congregata, plerumque centena, aliquando etiam quinquagena, quæ deferebant frumenta vel vinum ad antedictum Cœnobium. Hoc verò plaustrum dominicale nil ob aliud mittebatur, nisi ut agnoscerent universi Magnates, quòd ex illo inclito essent plaustra Monasterio. In quibus erat nullus Dux, Marchio, Comes, Præsul, Vicecomes, aut Villicus, qui qualemcumque violentiam auderet eisdem plaustribus inferre. Nam per foros Italiæ annuales, ut tradunt, nullus audebat negotia exercere, donec idem plaustrum vidissent advenire mercatores cum scilla. Contigit autem quadam die, ut Ministri ipsius Ecclesiæ cum supradictis plaustris oneratis solito venirent more ad Monasterium. Qui venientes in ipsa valle in quodam prato invenerunt familiam Regis . . . . . . pascentes equos Regios.

(7) Scriberem *quibus*.

(8) Circiter Annum Christi 450. Attila vixit. Novaliciense Monasterium conditum fuit circiter Annum 730. Quei ergo VValtarius Monachum ibi egit, si Attila vivente floruit? Habes heic Romanensem fabulam, & non unam: neque a risu fortasse temperes.

(9) Quamdam similitudinem habuisse videtur hic currus cum Carrocio bellico, quod primum a Mediolanensibus adinventum, aliis quoque Italiae Urbibus olim in usu fuit.

gios. Qui statim ut viderunt tanta bona Servis Dei ministrari, fastu superbiæ inflati insurgunt illic super eisdem hominibus, auferentes ab eis omnia, quæ deferebant; qui defendere volentes se & sua, incurrerunt in majorem ignominiam, perdentes omnia. Qui statim mittunt Legatum ad Monasterium, qui ista nuntiaret Abbati, & fratribus.

CAP. XI.

Abbas autem mox jussit congregari fratres, quibus insinuavit omnem rei eventum. Erat autem tunc pater Congregationis ejusdem Monasterii nomine Asinarius Vir sanctitatis egregiæ, Franciscus genere, multis fulgens virtutibus. Cui cùm unus nomine Waltarius, cujus superiùs memoriam fecimus, respondisset, ut dirigeret illuc prædictus Pater sapientes fratres, ob quorum precationem tanti sumtus dimitterent jam dicti prædones invasionem. Respondit protinus eidem Abbas, & ait: *Quem prudentiorem, & sapientiorem te mittere possimus, omnino ignoramus. Te autem, frater, moneo, ac jubeo, ut celeriùs ad eos pergas, nobisque victum vi raptum, quantociùs reddere festinent, moneto: alioquin citissimè in gravi ira incurrant Dei.* At Waltarius, cùm sciret conscientiæ suæ illorum contumaciam ferre non posse, respondit, se denudandum ab ipsis tunicam quam gestabat. Prædictus verò Pater, cùm esset religiosus, ait: *Si abstraxerint à te tunicam, da illis & cucullam: dicens, præceptum tibi fuisse à fratribus.* Cui Waltarius: *Ergo de pellicia, ac de interula quid facturus sum?* Respondit Venerandus Pater, & ait: *Dicito, tibi à fratribus æquè fuisse imperatum.* Tunc Waltarius: *Obsecro mi Domine, ne irascaris, si loqui addidero. De femoralibus quid erit, si similiter voluerint facere, ut priùs fecerunt?* Et Abbas: *Jam tibi prædicta sufficiat humilitas: nam de femoralibus tibi aliud non præcipiam, cùm magna nobis videatur fore humilitas priorum vestium exspoliatio.* Exiens verò Waltarius cùm talia audisset à tanto patrono, cœpit à familia quæritare Monasterii, an haberetur ibi caballus, cui fiducia inesset bellandi, si necessitas cogeret. Cui cùm famuli ipsius Ecclesiæ respondissent, bonos & fortes habere penes se essedos, repentè jussit eos sibi adsistere. Quibus visis, ascendit mox cum calcaribus, causâ probationis, supra singulorum dorsa; cùmque promovisset primos, & secundos, & sibi displicuissent; renuit eos, extemplo narrans illorum vitia. Ille verò recordans secum nuper deduxisse in Monasterio unum caballum valde bonum ait illis: *Illum ergo caballum, quem ego huc veniens adduxi, vivit, an mortuus est.* Responderunt illi: *Vivit, Domine*; sed inquiunt: *Jam vetulus est. Ceterum ad usum pistorum deputatus est, ferens quotidie annonam ad molendinum, ac referens.* Quibus VValtarius: *Adducatur nobis, & videamus, qualiter se habeat.* Cui cùm adductus esset, & ascendisset super eum, ac promovisset, *Iste*, inquit, *adhuc bene de meo tenet nutrimentum, quod in annis juvenilibus meis illum studui docere.* Accipiens ergo VValtarius ab Abbate, & cunctis fratribus benedictionem, ac valedicens, sumens secum duos, vel tres famulos, properè vênit ad jam dictos prædatores; quos cùm humiliter salutasset, cœpit illos monere, ne jam servis Dei ulteriùs talem inferrent injuriam, qualem tunc fecissent. Illi autem cùm dura VValtario cœpissent respondere verba, VValtarius econtra sæpissimè illis duriora referebat. Ii verò indignati, ac à superbiæ spiritu incitati, cogebant VValtarium exuere vestimenta, quibus indutus erat. At VValtarius (10) humiliter ad omnia illos obaudiebat juxta præceptum Abbatis sui, dicens à fratribus hoc sibi fuisse imperatum. Cùmque exspoliassent eum, cœperunt etiam calceamenta, & caligas abstrahere. Cùm autem venissent ad femoralia, diutiùs institit VValtarius, dicens sibi à fratribus minimè fuisse imperatum, ut femoralia exueret. Illi verò respondentes, nullam sibi fuisse curam de præceptis Monachorum: VValtarius verò econtra semper asserebat, nullo modo sibi convenisse ea relinquere. Cùmque cœpissent illi vehementissimè vim facere, VValtarius clam abstrahens à sella retinaculum, in quo pes ejus antea hærebat, percussit uni eorum in capite, qui cadens in terram, velut mortuus factus est, arreptaque ejus arma, percutiebat ad dexteram, sive ad sinistram. Deinde aspiciens juxta se vidit vitulum pascentem, quem arripiens, abstraxit ab eo humerum, (11) de quo percutiebat hostes, persequens ac dibacchans eos per campum. Volunt autem nonnulli, quòd uni eorum, qui VValtario plus ceteris importuniùs insistebat, cùm se inclinasset, ut calceamenta VValtarii à pedibus ejus extraheret, idem VValtarius illico ex pugno in collum ejus percutiens, ita ut os ipsius fractum in gulam ejus caderet. Ex illis namque plurimis occisis; reliqui verò in fugam versi, reliquerunt omnia. VValtarius autem adeptâ victoriâ, accipiens cuncta & sua, & aliena, repedavit continuò ad Monasterium, cum maxima præda oneratus.

Abbas autem talia, ut ante audierat, vidit, illico ingemuit, ac se in lamentum, & precibus cum reliquis pro eo dedit fratribus, increpans eum valde acriùs. VValtarius verò exin pœnitentiam accipiens à prædicto patrono, ne de tanto scelere superbiret in corpore, unde jacturam pateretur in anima. Tradunt autem nonnulli, quòd tribus vicibus cum Paganis superirruentibus pugnaverit, atque victoriam ex illis capiens, ignominiosè ab arvis expulerit.

Nam ferunt aliquanti, quòd alio tempore, cùm de prato reverteretur ipsius Monasterii, quod dicitur Mollis, (12) de quo ejecerat equos Regis Desiderii, quos ibi invênit pascentes, ac vastantes herbam, quòd cùm multos ex illis debellans vicisset, ac reverteretur, invênit juxta viam columnam marmoream, in qua percussit bis ex pugione, quasi læto animo ex victoria, quàm maximam ex ea incidens partem, dejecit in terram. Unde usque in hodiernum ibi dicitur diem, *Percussio*, vel *ferita Waltarii*.

CAP.

(10) Novalicienses Monachi Casinatibus fortasse Carlomanni facinus invidentes, ab Ostiensi enarratum, suum VValtarium excogitarunt longe magis mirandum.

(11) Novum Samsonem habes, sed in cerebello tantum otiosae gentis natum. Cachinnis parce, si potes.

(12) Vulgo dicitur hodie *Molard*.

A

CAP. XII.

OBiit interea Vir magnanimus, atque inclitus Comes & athleta VValtarius, senex & plenus dierum, quem asserunt nostri multos vixisse annos, quorum numerum collectum non reperi; sed in actibus vitæ suæ cognoscitur, quibus exstiterit temporibus. Hic sicut legitur in hoc fuisse ævo prudentia, corpore, ac decore vultus strenuissime adornatus, ita in prædicto Monasterio post militiæ conversionem, amoris, obedientiæ, & regularis disciplinæ oppido fervidissimus fuisse cognoscitur. Inter alia etiam, quæ ipse in eodem gessit Monasterio, fecit siquidem, dum vixit, in summitate cujusdam rupis sepulcrum in eadem petra laboriosissimè excisum. Qui post suæ carnis obitum in eodem, cum quodam nepote suo, nomine Rathaldo, cognoscitur fuisse sepultus.

Hic filius fuit filii VValtarii, nomine Ratheris, quem peperit ei Hildegund prænominata puella. Horum ergo virorum ossa post multos annos defunctionis suæ sæpissimè visitans, præ manibus habui. Nam hujus Rathaldi caput quædam nobilis matrona, cùm illò causa orationis cum aliis convenisset ex Italiæ tellure, occultè in brachiali supposuit suo, atque ad quoddam Castrum suum deportavit. Quod cùm quadam die igne supposito concremaret, post multam adustionem, illius recordans capitis, foras traxit, atque contra ignem tenuit, qui mox mirificè extinctus est.

CAP. XIII.

POst itaque incursionem Paganorum, quæ ultima contigerat vice, antequam isdem locus reædificaretur, ignorabatur omnino supradicta sepultura VValtarii ab incolis loci, sicut ceteræ aliæ. Eratque tunc Vidua, nomine Petronilla, in Civitate Segusina, quæ ob nimiam senectutem tota, ut fertur, incedebat curva, cujus quoque oculi jam pæne caligaverant. Hæc verò mulier filium habuit nomine Maurinum, quem Pagani de prædicta Valle secum, vim facientes, deduxerunt cum ceteris concaptivis. Cum quibus, ut dicebat, ampliùs quàm triginta in illorum manserat arva annorum spatio. Postmodum verò licentiâ à proprio acceptâ Domino, ad domum remeavit propriam, in qua invênit matrem jam senio confectam, quæ, ut supra diximus, quotidie ad Solis residere erat solita teporem super quamdam amplissimam petram, quæ proxima erat Civitati. In hujus ergo fœminæ circuitu veniebant viri cum fœminis Civitatis, sciscitantes ab ea de antiquitate ipsius loci, quæ referebat illis multa, maxime de Novalicio Monasterio. Dicebat enim illis multa & inaudita, quæ viderat, vel audierat à progenitoribus, & quantos Abbates, quantasve destructiones ipsius loci factæ à Paganis fuerant. Hæc igitur quadam die deduci illuc se fecerat à quibusdam viris, quæ ostendit illis sepulturam VValtarii, quæ ante ignorabatur, sicut ab antenatis audierat: quamquam enim nulla fœminarum olim appropinquare illo in loco audebat. Referebat etiam, quantos puteos nuperrimè in illo habebant loco; nam vicini ajebant prætaxatæ mulieris, ducentos prope vixisse annos.

CAP. XIV.

ANtiquis quoque temporibus erat Monasterium subditum Novalicio in valle Bardonisca, ubi dicitur Plebe Martyrum, pro eo quia ibi quondam occisi fuerunt Monachi ipsius Monasterii, cum diversi generis sexu, qui ibidem quasi confugium fecerant, à Paganis Langobardis, eo tempore, quo ipsi Novaliciense Monasterium similiter depopulaverunt. Inter quos interfectus fuit quidam Monachus nomine Justus, qui Justus erat nomine, & opere, atque alter, cui nomen Flavianus. Horum namque Monachorum Epitaphia suis capitibus supposita sunt tempore interfectionis eorum, quorum unum sic legebatur: *Hìc jacet Justus Monachus Frater Leonis, socius Sancti Petri Veri*. Alterum verò non reminiscimus.

B

CAP. XV.

IN eodem denique Monasterio multæ fiunt semper Sanctorum visitationes, & sæpissimè bonis Monachis, & simplicioribus hominibus, à quibus nonnullis audivi, Domino teste, referre, quòd tanta turba Beatorum hominum albatorum ibi bonis apparent in silentio noctis, quanta, si videres ex Civitate aliqua omnes viri & fœminæ simul pergere, sicut faciunt Christicolæ tempore Rogationum, quando pergunt per Ecclesias Sanctorum Suffragia flagitantes . . . .

C

Reliqua pars hujus Capituli unà cum duobus subsequentibus Capitulis desideratur in Codice Manuscripto.

Patricio, qui & ipse mox tradidit eidem loco, atque Abbati, pro eo quia prope erat jam dicto Cœnobio, & ille Archiepiscopus præfatam Cellam puellarum, vocabulo Sancti Petri in sua Civitate . . . . . .

CAP. XVIII.

D

CUm autem Vir Clarissimus, atque mente & rebus Deo ditissimus, jam sæpe dictus Patricius, cum cuncta donatione, quam ex suis opibus, & ruribus, sive servis & ancillis quibuscumque Beato Petro Novaliciensi Monasterio tradiderat, quem sibi, ut supra locuti sumus, heredem mente devota instituit, timens ne aliquando post multa annorum curricula ipsum Monasterium à qualicumque gente vastaretur (quod & ante eum factum fuisse legimus) præcepit, ex candidissimis marmoribus, & diversis lapidum generibus miræ pulchritudinis & altitudinis elevari arcum in Segusina Civitate, hærens muris ipsius de foris, sub quo olim tenebatur via, qua vehebatur juxta Aquæductum ante Castrum Viennensis, in quo fecit ex ambabus scribere partibus, quæ & quanta in Civitate ipsa, & in tota Valle tradiderat heredi suo Beato Petro, ut si aliquando invidiante, vel incitante Diabolo, Monasterium ipsum destrueretur, tunc Monachi, qui ibidem iterum ædificantes habitare vellent, in prædicto lectitando invenirent arcu quæ ad eumdem locum pertinere videbantur arva. Propterea enim studiosissimus Pater in prædicto scribere voluit arcu, ut quanto plures eam legerent, tanto minus honor ipsius Monasterii occultaretur; videlicet ut hi, qui de Italia transituri erant ad Galliam, supra se ante oculos in promtu ha-

E

haberent eamdem scripturam; similiter verò illi, qui de Gallia viam carpebant ad Italiam, ex altera arcus parte haberent quod legere possent, quatenus semper scirent Monachi ipsius Cœnobii quid olim ibi delegasset ipse. Similiter per omnes vicos & Curtes præcepit fieri, quæ usque in hodiernum permanent diem. Ipse verò residebat in Castrum Viennense, in quo aliquantas petras de eadem re jussit conscribi.

CAP. XIX.

ERant autem sub eodem Monasterio eo tempore multa Monasteria, scilicet in Francia, & in Burgundia, sive in Italia, seu in Gallia, nec non & per diversas provincias, sicut & in Roma duo Monasteria, atque Ingolismo alia duo. Cùm verò persecutio Paganorum facta fuisset in prædicto Novalicio, tunc illi Monachi, qui erant de Francia, ad propria repedaverunt arva, manentes deinceps per Cellulas, quæ ante fuerant sub ejus ditione constitutæ. Similiter namque alii atque alii fecerunt, deferentes Libros ex illo antiquissimo loco, atque membranas. Tertia autem destructione facta, permansit locus ille sacer ac Deo dicatus, multis annis absque habitatione alicujus hominis. Sicque factum est, ut cùm illi, qui de Francia fuerant, sive de diversis locis, sicut supradiximus, qui ob metum Paganorum exinde fugissent, ut ampliùs non repedarent Novalicium, neque illi ex Novaliciensi suos ultra agnoscere potuerint fratres, cùm omnes Monachi infra supradictorum annorum solitudinis illius spatium defuncti fuerint.

CAP. XX.

NArrabo etiam adhuc miracula, quæ de tanto bene condecet fari loco. Erat præterea nostri temporis in familia prædicti Cœnobii bubulcus quidam, ortus ex Viculo quodam Viennensi Urbi proximo, nomine Gislardus, qui ampliùs quadraginta annorum fertur in ipso servisse loco. Hic cùm quadam die summo surrexisset crepusculo, ut boves ejiceret in pratum, quod est ante ipsum sacrum Monasterium ad pascendum, continuò se in terram sternens, ubi pervênit in quodam loco, conculcans obdormivit. Qui cùm post somni quietem surrexisset omnis coma capitis, ac barba in eodem loco, ubi obdormivit, mox cecidit ut surrexit: erat enim valde capillatus, ut asserunt, qui eum ante viderant, ac barbam habens prolixam. Mecum enim per triennium habitans, sæpissimè loquela ejus & aspectibus omnino ubertim frui sum visus.

Alio namque tempore militum turba in eodem causâ orationis convenerat loco, ubi dum omnes quietem corporis in nocte dedissent, unus ex illis, cui equi traditi fuerant ad custodiendum, in prædictum eos ejiciens pratum, ut pastu herbarum reficeret, eos illico insecutus est. Ubi cùm se inclinasset, & obdormisset, omnes capilli ejus à capite defluxerunt. Idem namque vir, ut surrexit, mox caput ejus denudatum apparuit, lucens tamquam quasi galeam ferret in capite micantem ac perlucentem, continuò socii illius cùm vidissent quæ evenerant, mirati sunt, dicentes: *Supra tumbam alicujus Sancti obdormisti*. Ipse verò lachrimis totus perfusus, cum maximo dolore & ignominia talia videbatur invitus sustinere. Et quid mirum, si in eodem tanta fiunt miracula loco, in quo multa quondam fuerunt martyriorum diversa genera celebrata?

Explicit Liber Secundus.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI TERTII.

INCIPIT LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

De quodam Viro insignissimo, atque præcipuo, nomine Magafredo.

FUit igitur circa hæc tempora apud Regnum Francorum Vir quidam inclytus, nomine Magafredus, qui & ipse Francigena exstitit, scilicet tempore *Pipini Ducis* ejusdem prænominatæ gentis. Hic verò, ut nonnulli tradunt, lineam consanguinitatis ab ipsis Regibus Francorum priscis traxit temporibus. Fuit etiam dives in opibus, ac terrarum fultus rubus. Iis quoque diebus *Liutprandus Rex Langobardorum* apud Italiam strenuè regnabat, qui tantæ longitudinis fertur pedes habuisse, ut ad cubitum humanum metirentur. Horum verò pedum mensura per consuetudinem inter Langobardos tenetur in metiendis arvis usque in præsentem diem, ita ut pedes ejus in pertica vel fune quatuordecim faciant tabulam. Erat enim pius in pupillis, & viduis, misericors in judiciis, largus in eleemosynis pauperum, beneficus & rector Dei Ecclesiarum. Hujus ergo temporibus apud Forovicum erat *Sanctus Baodolenus*, & in Episcopio Astensi Sanctus præerat *Evasius Episcopus*. Ad hunc verò prædictum Regem, Pipinus suum parvulum filium nomine *Carolum* direxit, ut ei juxta morem ex capillis totonderet, & fieret ei Pater spiritualis: quod & fecit. Nam remisit eum Patri suo multis honoratum muneribus. Cùmque Pipinus ex hoc Mundo migrasset, regnante Carolo filio ejus Saraceni super ejus arva irruentes, devastabant cuncta. Qui Carolus statim per Legatos Liutprando mandans, ut cum Langobardis Galliam sibi in adjutorium veniret. Nam conjuncti Franci cum Langobardis, & cum comprovincialibus Saracenos ab ipsa terra ignominiosè ejecerunt. Non multo ergo post tempore gloriosus Rex Liutprandus defungitur, & in loco ejus *Desiderius Rex* exaltatur. Huic ergo fuit uxor nomine *Ansa*. Ergo de his nobis dicta sufficiant succinctè: ad historiam redeamus.

CAP.

CAP. II.

De filio ejus, nomine Frodoino, quem puerum Novalicienſi Monaſtico Ordini tradidit erudiendum.

HAbuit ſiquidem idem prænominatus Vir (*ideſt Magafredus*) inter ceteros filios unum nomine *Frodoinum*, qui magnæ auctoritatis, & miræ ſanctitatis apud Novalicienſe Oppidum legitur fuiſſe Pater. Siquidem cùm eſſet parvulus puerulus, tradidit eum jam nominatus Pater Abbati Novalicienſis Cœnobii, qui & ipſe illis diebus maximis fulgebat in Mundo virtutibus. Putatur enim tunc Pater ejuſdem Monaſterii fuiſſe ſanctæ memoriæ *Aſenarius Abbas*. Fuerat ſiquidem & ipſe Franciſcus genere, ac nominatiſſimus inter proceres Francorum. Dedit ergo pater multa terrarum prædia eidem filio ſuo, quem tradidit Monaſtico Ordini erudiendum.

CAP. III.

Quòd idem Juvenis creſcendo, obedientia ſub Abbate pollebat, atque de virtute in virtutem ſemper proficiebat.

NUtritus verò idem puer, ac eruditus in omni ſcientia literarum, ſive in cunctis, in quibus doceri eum oportuerat. factuſque juvenis, cœpit ſemetipſum in nonnullis bonorum operum exercitiis conſtringere, atque ſapientioribus, & ſanctioribus ſenioribus ita obedientia & ſubjectione ſe humiliabat, ut nulli putaretur in Monaſterio ſecundus. Sicque creſcens de virtute in virtutibus quotidie pollebat nonnullis bonis operibus. Quis ergo valeat lingua facta illius explicare? Ante ergo, ut opinor, tempus deficeret, lingua tabeſceret, mens æſtuaret; & etiam ſi totius corporis membra verterentur in linguas, nequirent fari virtutes illius, in quibus ſe die noctuque exercitans, ſcilicet in vigiliis, quibus alios prævenlebat, orationibus peculiaribus, maceratione corporis, abſtinentia ciborum & potus, caritate, humilitate, obedientia, patientia, caſtitate, manſuetudine, ſubjectione; & ut ante dixi, dies ante deficerent, quàm facta bona operum ſuorum lingua explicare valeret.

CAP. IV.

Quòd poſt ejuſdem Monaſterii Patris obitum memoratus Frodoinus in loco ipſius ſit ordinatus.

DEfunctus itaque eſt ſeculo almificus Pater Aſenarius, cui ſucceſſit protinus in Abbatem (*in margine Codicis hæc addita ſunt characteribus minutioribus:*) Vir valde laudabilis Domnus Witgarius Epiſcopus, qui cùm obiiſſet, ſucceſſit poſt eum. *Tum ſequitur textus*. Ejus ſanctitatem ſequens glorioſiſſimus Pater Frodoinus. In hujus quoque Abbatis electione poſtulatum eſt à Domino, quis ex ipſis omnibus dignus eſſet tantum honorem excipere. Quibus mox divinitus oſtenſum eſt, Frodoinum ad hoc eſſe dignum. Evenerat igitur illo in loco tali conſuetudine antiquis temporibus, ut non aliquis ibi in Paſtorem eligeretur defuncto Patre, donec cuncti fratres, communi conſilio, unianimeſque Dominum per biduanas, & triduanas abſtinentiæ, die noctuque ſupplicarent. Sicque à Deo poſt hanc flagitationem digni ad laborem hunc inveniebantur; & ideo quia Dei cum voluntate fiebat, ſemper bono melior ſubſequebatur. Hæc verò non vidi, neque in lectione aliqua reperi, ſed auditu didici.

CAP. V.

Quòd nemo hominum poteſt prudentiam ejus Sanctitatis pleniter enarrare.

ERat præterea in Beato Frodoino Abbate tanta vigilantia, & ſtudium ſanctitatis, ut neminem in hæc arva Abbatum, vel Epiſcoporum, aut aliquem in ſtudio ſanctitatis degentem ejus meritis & virtuti comparare audeam. Quippe cùm nemo hominum ejus prudentiam, vel ſanctitatem nullo modo pleniter poſſit enarrare, cùm in finem hujus Opuſculi mirum de eo quidpiam & incredibile forſitan dicturus ſum.

CAP. VI.

Quòd ſuis temporibus Carolo Regi Francorum Dominus proviſionem inſinuavit, ut ad Italiam ſuæ ditioni properaret ſubjugandam.

EO igitur tempore, quo fama iſtius viri ſanctiſſimi per Mundi partes micans refulgebat, Dominus omnipotens per viſionem *Carolo Regi Francorum* oſtendere dignatus eſt, ut ad Italiam quantocius properaret, ſuæ ditioni ſubjugandam. Qui protinus convocans vicinas gentes, fecit exercitum copioſum, & cum manu valida Francorum ad Italiam diſpoſuit illico cum ſuis properè venire.

CAP. VII.

Quòd Gemino monte, ubi primùm pertranſivit, in Novalicio mox aliquandiu cum exercitu ſedit.

MOvens interea idem Rex ingentem exercitum ſuum, pervênit in montem Geminum, qui janua Regni Italiæ dici poteſt, in quo olim Templum ad honorem cujuſdam Cacodæmonis, ſcilicet Jovis, ex quadris lapidibus, plumbo & ferro valde connexis, miræ pulchritudinis, quondam conſtructum fuerat. In eo quoque Monte duo conſurgunt fontes, unus ex uno latere Montis, alter ex alio, ſicque in convallibus ſuis deſcendentes, & paulatim creſcentes, magna efficiuntur flumina. Unum verò, cui nomen Duria, pergens per Italiam ſemper turbidum, paucos ferens piſces, non omittens ſuum nomen, donec demergitur in Eridanum, maximum fluviorum. Aliud namque diſcurrit per Galliam Provinciam, valde piſciferum, & clarum, donec veniatur in Rhodanum fluvium. Cùmque de eodem monte Carolus deſcenderet, invênit in deſcenſu ipſius Montis Turrem quamdam, ſub qua carpebatur via, in qua manebat latro cum ſuis latronibus, nomine Ebrardo, qui multa mala ibi faciens cum ſuis, non permittebat aliquem inlæſum tranſire, aut deprædabantur, aut vapulabantur, aut interficiebantur, ſicque ſanguis

guis ibi innoxius nimis effundebatur. Hunc ergo latronem obpugnans Carolus, devicit, cepit, & interfecit, Turremque ipsam destruxit. Exinde verò movens exercitum, pervênit ad Novaliciense Monasterium, ubi cum suis diutissimè moratus est.

CAP. VIII.

Ubi omnem sumtum Monachorum in cibum cum suis consumsit.

CUmque Rex cum suis totam Vallem Segusinam occupasset, pervênit ipse, ut supra diximus, ad Novaliciense famosissimum Cœnobium, ubi tamdiu stetit, donec omnem sumtum & escam Monachorum in cibum consumeret. Non enim ibi sinè causa morabatur. Erat verò illis diebus hoc Cœnobium valde opulentissimum, & de Sanctissimo Patre bene fuerat comtum.

CAP. IX.

De Desiderio Rege Langobardorum, qui omnem aditum Italiæ illi prohibere voluit.

ANte ergo adventum Caroli audiens *Desiderius Rex Langobardorum*, quòd super se venturus esset, misit ad universos potentes, & Magnates Regni sui, sciscitans ab eis, quid facturus esset. Qui respondentes dixerunt: non posse sibi cum modico exercitu occurrere, qui cum valida manu super se veniebat. *Sed jube*, ajunt, *omnes valles, & aditus Italiæ, per quos de Gallia ad Italiam transiri potest, muro & calce de monte ad montem claudere, & sic propugnaculis, & Turribus aditum ipsum prohibere*: qui ita fecit. Nam usque in præsentem diem murorum fundamenta apparent; quemadmodum faciunt de monte Porcariano usque ad Vicum Cabrium, ubi Palatium illis diebus ad hoc spectaculum factum fuerat.

CAP. X.

De Joculatore, qui ad eum venit, & ei viam se ostensurum sinè jactura repromisit.

DUm autem hæc à Desiderio facta fuissent, & Franci nullum transitum alicubi reperire potuissent, veniebat pars exercitus Francorum per dies singulos, plerumque milleni, aliquando duo millia, oppugnabant, & obsidebant Langobardos, super eis propugnaculis obsistentibus. Erat enim Desiderio filius nomine *Algisus* à juventute sua fortis viribus. Hic baculum ferreum equitando solitus erat ferre, tempore hostili, & ab ipso fortiter inimicos percutiendo sternebat. Cùm autem hic juvenis dies & noctes observaret, & Francos quiescere cerneret, subitò super ipsos irruens, percutiebat cum suis à dextris, & à sinistris, & maxima cæde eos prosternebat. Cùm verò hæc per dies singulos agerentur, contigit, Joculatorem ex Langobardorum gente ad Carolum venire, & cantiunculam à se compositam de eadem re, rotando in conspectu suorum, cantare. Erat enim sensus prædictæ cantiunculæ hujusmodi. *Quod dabitur viro præmium, qui Carolum perduxerit in Italiæ Regnum? per quæcumque itinera nulla erit contra se hasta levata, neque clypeus repercussus, nec aliquod recipiet ex suis damnum*. Cùmque hæc dicta ad aures Caroli pervenissent; accersivit illum ad se; & cuncta, quæ quæsivit, dare illi post victoriam repromisit.

CAP. XI.

De Sancto Frodoino Abbate, qui ad eum duos Monachos misit, mandans illi, ut in crastinum ante profectionem escam capere dignaretur.

CArolus ergo mandat suis mox in crastinum paratissimos esse ad iterandum. Ubi Sanctissimus Pater Frodoinus hoc comperit, protinus illi duos Monachos misit, mandans ut in crastinum ante profectionem escam capere dignaretur. Quibus Carolus respondit: *Ergo jam plurimi evoluti sunt dies, quibus ego cuncta vestra bona cum meis in cibum consumsi*. At illi perseveranter instabant, ut jussa Sancti Viri facere dignaretur: & ille: *faciam* inquit, *quod jubet Dominus meus*. Illis verò recedentibus, præcepit suis tota nocte vigilare, & explorare fores Monasterii, ne de qualicumque parte ibi cibus vel potus introduceretur. Sciebat enim, quòd nihil cibi vel potus, sive aliquid ad edendum in Monasterio remansisset: noverat enim per omnia virum esse Sanctum.

CAP. XII.

De Miraculis ejusdem Beatissimi Frodoini, & quantum in eum Rex admirationem exinde habuerit.

EAm verò noctem idem Pater beatissimus totam duxit pervigilem, rogavitque Dominum cum lachrymis, qui servis suis in montibus & in desertis locis semper ferculis suis ministrare dignatus est, ut sibi misereri dignaretur, præbens alimenta Monachis; & qui in deserti regione quinque millia ex quinque panibus & duobus piscibus satiavit hominum, suis subvenire dignaretur hospitibus. Cùmque hiis orationibus & aliis hujusmodi tota nocte peroraffet, reperit summo mane tantam copiam vini & panis in Cellario, quantam aliquando ex labore proprio habere potuit: erant enim omnia vascula vinaria vino optimo repleta, & horreum repletum ipsum. Facta autem die sumens Rex cibum cum suis, sciscitatur, qualiter, vel unde illis ipsum advenisset cibum, Cui cùm cuncta per ordinem relata fuissent, admirans ergo Rex, & clamans sanctitatem hujus viri, laudansque Deum, & glorificans abiit.

CAP. XIII.

Ubi multa bona per admirationem Sanctitatis ibi facere prædixit.

PRomittens ergo interea Rex ante suum egressum ibi multa bona facere, propter admirationem prædicti Abbatis, & venerationem ejusdem loci cœtumque fratrum inibi degentium, quia multi Nobiles carne, & nobiliores Fide, scilicet ex Francorum prosapia, ibidem militabant. Si quis verò Episcopum, vel Abbatem suo loco desiderasset, de Monachis ipsius loci, & de discipulis Beati Frodoini, & de ejus doctrina Viri requirebantur. De

De quibus nonnulli miræ & perfectæ Sanctitatis in eodem loco exercebantur.

CAP. XIV.

Quòd per invasionem Italiæ, Sancto Viro Cortem quandam Regiam, nomine Gabianam, tradidit.

IGitur tuba convocatur omnis Regis exercitus, ipseque Rex Abbatis & omnium fratrum orationibus se commendans, deinde valedicens, præcedente jam dicto Joculatore, cœpit abire. Qui Joculator relinquens omnia itinera, ducebat Regem cum suis per crepidinem cujusdam montis, in quo usque in hodiernum diem *Via Francorum* dicitur. Cùmque de prædicto descendissent monte, devenerunt in planitiem Vici, cui nomen erat Gavensis (13) ibique se adunantes, struebant aciem contra Desiderium. Desiderius verò sperans, Carolum ante se ad bellum a fronte adventurum, Carolus autem ad dorsa ipsorum de monte descenso festinabat. At ubi Desiderius talia comperit, ascenso equo Papiam fugiit: Franci enim diffundentes se huc illucque, capiebant omnia, vastantes Castella scilicet & vicos. Tunc accedens jam dictus Joculator ad Regem petiit, ut sibi promissum daretur, quod ante illi pollicitus fuerat. Tunc ait illi Rex: *Postula quod vis*. Cui ille: *Ego ascendam in unum ex his montium, & tubam fortiter personabo corneam, & quantum longè audiri potuerit, dabis mihi in merito & munere cum viris & fœminis*. Et Rex. *Fiat tibi juxta verba tua*. Qui protinus adorans Regem, abiit; ascendensque in uno monticulo fecit, sicut dixerat. Descendensque illico ibat per Viculos, & arva interrogans, quos inveniebat. *Audisti* inquit, *sonitum tubæ?* Cui si dixisset: *etiam, audivi*, dabat illi mox colaphum dicens: *Tu*, inquit, *es meus servus*. Ita ergo dedit illi Carolus quantum sonitu tubæ audiri potuit; atque ita, dum vixit, tenuit, suique filii post eum: qui usque in præsentem diem servi ipsi *Transcornati* vocantur.

Carolus denique capiens Taurinensem Civitatem, atque cunctas Urbes, & Castra universa; cùmque ad Papiam venisset; erat ibi eo tempore *Sanctus Theodorus* (14) *Episcopus*, qui tunc ibi episcopabat, ob cujus merita prohibitum est Carolo de Cœlo, ut dum prædictus Episcopus viveret in corpore, non esset ab eo capta ipsa Civitas: nam ita divinitus Carolo revelatum fuerat. Discedente itaque Carolo ab ea, cœpit abire per circuitum ejusdem Civitatis, capiens Urbes universas, scilicet Eporrediensem, Vercellas, Novariam, Placentiam, Mediolanum, Parmam, Tortonam, atque eas, quæ circa mare sunt, cum suis Castellis. Deinde non multo post defungitur ille Beatus Episcopus. Insinuatum est protinus Carolo, quòd ille obiisset, qui congregans statim universum exercitum, tendit Papiam, circumdat eam, atque obsidet. Ibi autem Desiderius Rex fugiens manebat cum Algiso filio suo, & filia. Erat autem Desiderius valde humilis & bonus. Tradunt verò nonnulli, quòd cum isdem Desiderius quotidie media nocte surrexisset, & veniret ad Ecclesiam Sancti Michaëlis, vel Sancti Syri, seu per ceteras Basilicas, aperiebantur statim Regiæ (15) divinitus ante suum conspectum. Dum ergo Ticinensis Civitas diu obsideretur, contigit, ut filia Desiderii compositam Epistolam ultra Ticini fluvium per balistam Carolo transmisit, dicens, ut si se in conjugium (16) accipere dignaretur, traderet illi continuò Civitatem, & cunctum thesaurum Patris. Ad hæc Carolus scripsit talia verba puellæ, quæ amorem ipsius magis in se incitarent. Quæ statim furando tulit claves portæ Civitatis, quæ erant ad caput lectuli Patris, atque mandans per balistam Carolo, ut eadem nocte paratus esset cum suis, cùm signum sibi ostenderetur, intrare in Civitate. Qui ita fecit. Nam cùm Carolus ipsa nocte, portæ Civitatis appropinquans, intraret, occurrit illi prædicta puella gaudio ex promissione sublevata, quæ statim inter pedes equorum conculcata, atque interfecta est: erat enim nox. Tunc in ipso fremitu equorum per portam intrantium expergefactus Algisus Regis filius, evaginato ense percutiebat omnes Francos intrantes per portam. Cui Pater statim interdixit ne faceret, quia voluntas Dei erat. Videns autem Algisus, quia non poterat tanto exercitui sustinere, fugiens abiit. Carolus verò capiens Civitatem, ascendit in Palatium, ubi ad eum omnis Civitas vénit, receptoque sacramento fidelitatis abiit. Post modicum denique mandavit prædictus Rex Abbati Novaliciensi, scilicet Frodoino, ut ad se veniret: quod & fecit. Nam dedit illi Cortem magnam, nomine Gabianam, ubi cum appendiciis suis erant Mansa mille, propter reverentiam Abbatis, ad ipsum locum Novaliciensem. Dicunt verò nonnulli, quòd Carolus Rex oculos eruisset Desiderii in Ticinensi Civitate, ubi eum cepit.

CAP. XV.

De Filio suo Hugone, quem Beato Viro in Monastica professione nutrire rogavit.

POst denique invasionem Italiæ à Carolo factam, pergente eo in Romaniæ tellus, ubi & Imperium, & Patriciati honorem promeruit. Revertente eo, *Hugonem filium suum* puerulum adduci præcepit, quem Beato Viro Frodoino commendans, rogavit, ut in sancta & Monastica professione illum nutriret. Qui benignè eum suscipiens, aluit & nutrivit, ut filio tanti Imperatoris decuit. Ob cujus amorem illo in loco multa prædia terrarum, & thesaurum multum ibi largitus est: nam Sanctos Cosmam & Damianum Martyres ibi adducens, donavit. Sanctum quoque Walericum similiter ibi largitus est, atque aliorum Sanctorum pignora.

CAP.

(13) Nunc *Giaveno*, Oppidum, cui nostris temporibus famam auget Petrus Hiacyntus Gallitia ibidem Canonicus & vir doctissimus.

(14) Hunc in dubium revocat Ughellus in Italia sacra. Sed Chronographus iste favet, ita ut potius de Sancto Theodoro Primo Ticinense Episcopo, qui sub Papa Zacharia floruisse dicitur, dubitandum sit. Certe nullis veterum monumentis alter Theodorus ab isto diversus statuitur.

(15) Idest portæ Templi, ut eruditis notum.

(16) Fabulae: tunc vivebat Hildegardis Regina Caroli M. uxor.

CAP. XVI.

De Cruce, quam idem Beatissimus Vir in eodem loco fecit, & quæ pignora in ea locavit.

SUo igitur tempore Beatissimus Frodoinus thesaurum multum ibi faciens, congregavit. Cum quo etiam thesauro fecit Crucem in eodem loco auro argentoque, nec non gemmis pretiosissimis oppido operatam, in qua ferunt nonnulli gloriosissima pignora haberi, scilicet ex lacte Beatissimæ Mariæ, & de capillis suis, & de Circumcisione Domini. Ceterum quæ patrocinia in ea contineantur, facta ipsius demonstrant. Nam paralitici curati, cœci illuminati, Dæmones fugati, infirmi sanati, incendia sedata, furta inventa, sæpissimè & vidimus & audivimus per merita beatorum pignorum in ea quiescentium, & Beati Frodoini Abbatis.

Caput XVII. deest indicatum ex summa ejusdem, quam in Indice Capitum ejusdem Libri videre licet.

CAP. XVIII.

De testamento ipsius loci, quem fecit renovari.

EO tempore Beatus Frodoinus volens testamentum ipsius Ecclesiæ renovari, quod quondam Abbo Patricius de ipsa Ecclesia fecerat tempore Theodorici Gothorum Regis, misit duos Monachos, Agabertum scilicet, & Gislaramnum ad Carolum Magnum Imperatorem, ut sibi suo Imperiali præcepto testamentum ipsum renovari (17) concederet, qui benignè illi annuens, cuncta, quæ illi petiit, impetrare valuit.

CAP. XIX.

De famulis ipsius Monasterii, qui manebant in Villa Ociatis, qualiter eos ante Regis legatos devicit.

ERat denique suo tempore Villa, nomine Otiatis (18) de eodem Cœnobio, quam quidam homo nomine Dionysius, cum quodam filio suo Hunnone Beato Petro Novaliciensi dedit, cum Servis, & Ancillis pro animæ suæ mercede. Ii quoque famuli post multos dies, & post mortem suorum dominorum, cœperunt contra Monachos, & contra Ministros ipsius Ecclesiæ insurgere, & litigare dicentes: *Nos, neque nostri pertinentes, non sumus de vestro Monasterio, pro eo quia aviones nostri vobis pertinentes non fuerunt.*

Post paucos verò dies advenerunt Legati Caroli Imperatoris in Italiam, causas ipsorum hominum, & aliorum discutiendas, inter quos adfuerunt *Raperto Comes*, & *Andreas Episcopus, atque Cappellanus Domini Imperatoris*, cum quibus etiam interfuerunt multi Judices, & Scavini cum Sculdaxibus, quorum nomina dicere potuissemus, si ad alia gressu concito non tenderemus: & consederunt in Civitate Ticinensi. Tunc Pater Frodoinus misit duos ex suis, Adam scilicet, & Dodonem Monachos, cum Raimperto Advocato de Felecto ipsius Monasterii. Inter quos etiam adfuerunt homines de Villa Oziatis, videlicet famuli ipsius Monasterii; & facta reclamatione, examinataque causa, sic diffinita est. Post nonnullos verò annos iterum cœperunt prædicti homines vexari, & eadem verba repetere, ut priùs dicentes, contra legem omnino fuissent pignorati, & servitio addicti humano. Tunc etiam misit *Hludovicus Rex filius Caroli Boso Comes* cum suis Judicibus in Taurinensi Civitate, inter quos adfuit *Claudius Episcopus Taurinensis* à parte Monasterii, cum duobus Monachis, Agleramo scilicet & Richario Præpositis, cum suo Advocato. Tunc præ manibus ostenderunt de prædicta Villa judicatos Dionysii, atque Hunnoni Pater & filius, in quibus continebatur, qualiter ipsos homines cum Villa sub ditione Sancti Petri Novaliciensis tradidissent. Erat enim tunc *Pater Eldradus* pastor ipsius Monasterii, & convicti sunt homines jam dicti iterum in conspectu illorum omnium Comitum, Judicum, cunctæque Convocationis.

CAP. XX.

De exemplariis Emunitatis Caroli Regis, atque Patritii ad Abbatem Frodoinum.

VIxit autem Sanctissimus Pater Frodoinus in Abbatia quadraginta tribus annis sinè crimine; quibus decursis migravit ex Orbe Sexto Idus Maji, plenus dierum. Ordinatus verò in Pastoralitate Quarto Idus Februarii. Nam in Texto quoque Evangeliorum, quod Attepertus ex præcepto illius Sanctissimi Patris scripsit, in capite invenimus versus inter alios conscriptos ita:

Quæstio, si Lector, movet hunc quis condere Librum,
Carmine namque illi saltim sint nomine nota.
Frodoinus qui pridem Pastor & inclitus esset.
Nam decies quater stabuli custos oviumque est.
His super adjectis ternis sinè crimine mansit.
Attepertus ovans scripsit pro nomine Christi.

Mancum fortasse caput istud, in quo nihil de exemplariis Emunitatis, de quibus in summa.

CAP. XXI.

De Atteperto Monacho.

FUit enim isdem Attepertus Monachus & Sacerdos in jam sæpe dicto Monasterio, scilicet in temporibus almi Frodoini. Hic famulus fuit prædictæ Ecclesiæ, tam in scientia literarum valde imbutus, quàmque in recta conscriptione scriptor velocissimus. Siquidem ipse multos, & varios, ac permaximos Libros in eadem Ecclesia suis conscripsit temporibus. Ergo ubicumque sua manu antiquaria Libros à se conscriptos inter alios invenimus, extemplo recognoscimus.

CAP.

(17) Vide infra Caroli M. diploma, quo idem testamentum confirmatur.

(18) Nunc Ours.

CAP. XXII.

De Carolo Imperatore & Algiso Regis Desiderii filio.

QUodam igitur tempore cùm cunctum Italiæ Regnum sub ditione Caroli pacificè subsisteret, ipseque in Ticinensi Civitate, quæ alio nomine Papia appellatur, resideret, *Algisus Desiderii Regis filius* per semetipsum ausus est, quasi explorando accedere, cupiens scire quæ agebantur, vel dicebantur, ut mos est juniorum. Erat enim ipse juventute, ut supra retulimus, fortis viribus, animoque audax, & bellicosissimus. Qui cùm in prædictam introisset Civitatem &......... inventus est omnino à nemine. Venerat itaque ibi navigio, non ut Regis filius, sed ceu foret de mediocri vulgo, modicaque militum turba constipatus. Cùmque à nemine militum ocius agnosceretur, tamdem postremò agnitus est ab uno suo notissimo, & Patri suo quondam fidelissimo, eratque tamdiu, quo Patrem, & Regnum amiserat. Qui cùm vidisset se omnino ab illo agnosci, & celari non posse, verbis deprecatoriis cœpit illum rogare, ut per sacramentum fidelitatis, quod nuper Patri suo, & sibi fecerat; Regi Carolo suam essentiam non insinuaret. Adquievit ille statim, & ait: *Per fidem meam non te prodam alicui, dum celare te potuero.* Ad quem Algisus: *Rogo ergo te, o amice, ut hodie ad mensam Regis, quando pransurus est, in summitate unius tabularum colloces me ad sedendum, & omnia ossa, quæ levatura sunt à mensa, tam carne detecta, quàm quæ cum carne in conspectu Seniorum vescentium sublata, ante me, quæso, ponere studeto.* Qui ait illi: *Faciam, ut cupis.* Erat enim ipse, qui cibos regios solitò inlator erat. Cùmque ad expectatum jam venissent prandium, fecit ille omnia, ut dicta fuerant. Algisus verò ita confringebat omnia ossa, comedens medullas, quasi leo esuriens vorans prædam. Fragmenta verò ossium jaciens subtus tabulam, fecit non modicam pyram. Surgens namque Algisus, ante alios abiit. At Rex cùm surrexisset à mensa, & prospexisset, vidit pyram prædictam subtus tabulam, & ait: *Quis*, inquit, *edens hic tanta confregit ossa?* Cùmque omnes respondissent se nescire, unus adjecit, & ait: *Vidi ego hic militem residere perfortem, qui cuncta cervina, ursinaque, ac bubina confringebat ossa, quasi quis confringeret cannabina stipula.* Vocatusque est mox ille inlator ciborum ante Regem. Cui ait Rex: *Quis, vel unde fuit ille miles, qui hic sedit, & tanta ossa edens confregit?* Respondit, & ait: *Nescio, mi Domine.* Et Rex: *Per coronam*, inquit, *capitis mei tu nosti.* Videns autem se deprehensum, timuit, illicoque conticuit. Cùm autem Rex animo percepisset, quòd Algisus fuisset ille, valde doluit, quòd ita impunis omisisset illum abire, aitque suis: *Qua*, inquit, *parte abiit?* Ait illi unus: *Navigio ergo, Domine, venit, & ita suspicor eum abire.* Dixitque Regi è suis alter: *Vis*, inquit, *mi Domine, ut persequar illum, & interficiam?* Dixitque illi Rex: *qualiter? Da mihi ornamenta brachiorum tuorum, & in ipsis eum tibi decipiam.* Dedit namque illi Rex dextralia aurea, & insecutus est eum, ut interficeret.

CAP. XXIII.

Cur occidere eum Carolus voluit.

CUcurrit igitur vir ille post eum per terram citissimè, donec invênit. Qui cùm vidisset procul, vocavit eum nomine suo. Nam cùm respondisset, insinuavit illi, quòd Carolus ei sua dextralia aurea munere transmisisset, culpans illum, quòd ita clam abscessisset, addiditque, ut navem ad ripam prope declinaret. Declinavit ille mox navim. Cùm autem prope esset, vidissetque munusculum prædictum in summitate lanceæ sibi porrigi, intellexit statim malum sibi imminere. Statimque jectâ in dorso loricâ, arripiensque lanceam, ait: *Si tu cum lancea mihi ea porrigis, & ego ea cum lancea excipio. Ceterum si Dominus tuus mihi in dolo misit munera, ut me interficeres, nec ego illi inferior debeo apparere: mittam ergo illi mea.* Dedit ergo illi sua, ut Carolo quasi in talionem afferret; & reversus est illico ille, fefellerat enim sibi suspicio sua. Ergo cùm Carolo obtulisset dextralia Algisi, induit illa sibi statim, quæ cucurrerunt illi mox usque ad humeros. Exclamans verò Carolus dixit: *Non est utique mirandum, si iste vir maximas habeat vires.* Timebat autem semper idem Rex Algisum, eo quòd se, & Patrem Regno privaverat; & quòd viribus laudabilis esset Heros: propterea ad interficiendum illum miserat.

CAP. XXIV.

Qualiter evaserit, & ad Ansam matrem usque pervenerit.

PErvênit itaque Algisus, cùm evasisset permaximum periculum, ad matrem suam Ansam Reginam, quæ tunc temporis (19) illuc advenerat ob orationis causam, scilicet in Brixiensi Civitate, ubi Oratorium Sanctorum Faustini (20) & Jovitæ miro opere construxerat, multaque rura largiens, ditissimum fecit Monasterium. Nam ipsa nuperrimè multo donato pretio, Sanctam Juliam Virginem ibi à Corsica adduci fecit Insula. Ergo quia jam longè narrando discesseramus, nunc succinctè ad historiam redeamus.

CAP. XXV.

De Amblulfo Abbate.

DEfuncto interea Seculo Beato Patre Frodoino, ut supra retulimus, Domnus & religiosus *Amblulfus* Monachus in regimine ipsius surrexit Ecclesiæ. Venerat ipse siquidem in Monasterio temporibus *Domni Witgarii* (21) *Episcopi*, atque Abbatis. Hic ex nobilibus ortus fuit parentibus, & à pueritia sua tra-

(19) Ducta jamdiu fuerit Ansa Regina in Franciam captiva, ideoque Brixiæ commorari non poterat.

(20) Immo sub Salvatoris & Sanctae Juliae nomine dicatum, & sacris virginibus attributum. Quod celebre ac nobile Monasterium adhuc floret.

(21) Episcopi Mauriennensis, qui & Novaliciense Monasterium Abbatis titulo rexit.

traditus Deo; scilicet Beato Petro Apostolo in Novaliciensi Cœnobio sub testimonio bonorum hominum, devotus pater devotissimè eum offerre curavit. Nam in illa quoque offersione sic invenimus contineri: *Dum legaliter sancitum antiquitus teneatur, & cautum, cum oblationibus Domino parentes suos tradere filios, in Templo feliciter servituros, procul dubio hoc de nostris filiis faciendum nobis salubriter præbetur exemplum. Æquum etenim judico Creatori nostro de nobis reddere fructum. Idcirco ego Widilo hunc filium nostrum Amblulfum, cum oblatione in manu, atque petitione, Altaris palla manu mea involuta, ad nomen Sancti Petri, & Sancti Andreæ, ceterorumve Sanctorum; quorum Reliquiæ hic continentur, & tibi Warnari, præsenti Decano, ad vicem Domni Witgari Episcopi, seu & Richarii Præpositi, trado coram testibus, regulariter permansurum, ita ut ab hac die non liceat illi collum de sub jugo Regulæ excutere, sed magis ejusdem Regulæ fideliter se cognoscat instituta servare, & Domino gratanti animo militare. Et ut hæc nostra traditio inconvulsa permaneat, promitto cum jurejurando coram Deo, & Angelis ejus, quia numquam per me; numquam per submissam personam, nec quolibet modo per rerum mearum facultates, aliquando egrediendi de Monasterio tribuam occasionem; & ut hæc petitio firma permaneat, manu mea eam subtus firmavi.*

CAP. XXVI.

Quòd post Amblulfum Hugo in Abbatiam electus sit.

CUm autem hìc sanctè & religiosè vivere in præsenti studuisset Seculo, post aliquantos annos sarcinam carnis abjiciens, feliciter migravit ad Dominum. In cujus loco protinus ad regendam Novaliciensis Ecclesiam, Dominum & Sanctum promoverunt fratres *Hugonem Caroli Magni filium*. Ob istius quippe Hugonis amorem, sicut supra in sua oblatione descripsimus, multa & carissima Sanctorum corpora, cum variis vasculis aureis argenteisve, ibi pater ejus Carolus largitus est. Ibi quoque Cortes in Italia, seu in Regno Francorum, atque Burgundionum tradidit, tam pro filio, quàmque pro amore almi sui Magistri, videlicet Frodoini, cujus certè vitam & exempla imitatus est.

CAP. XXVII.

De eo quòd feliciter eam suis temporibus rexerit.

DOminavit namque Abbatiam Novaliciensem suis temporibus felix ipse feliciter ac prudenter. Hic ergo tales habuit adjutores, & amatores, quales fuerunt Reges Italiæ, atque Franciæ, *Carolum* scilicet *Patrem suum*, & *Hludovicum fratrem suum*, atque *Lotharium Nepotem suum*, ac alios post istos sequentes. Carolus ergo dedit in prædicto Cœnobio, scilicet in Mauriannensi Episcopatu duas Cortes, Jarua, & Liana, & in Italia Cortem Gabianam nomine. In qua Corte cùm appendices suas mille mansa numerantur. Hludovicus namque cum Patre Carolo eidem auxit Vallem Bardoniscam cum Castro Bardino. Lotharius verò de eadem Valle *Abbati Joseph* præceptum faciens, insuper adcrevit Pagum quemdam ditissimum, & Regale Monasterium, quod olim Aystulfus Rex ambidexter condiderat. Horum ergo præcepta Regum ex his supradictis Curtibus, & aliis in hodiernum usque in eodem Monasterio conservantur diem.

CAP. XXVIII.

De transitu Caroli Imperatoris.

HOc tempore siquidem Carolus Rex Francorum, atque Imperator, & Patritius Romanorum, postquam septuaginta sex annis vitæ vixerat in seculo, migravit ex hoc Orbe Quinto Kalendas Februarii. Nam Regna tenens ipse, dum vixit, quadraginta & sex annis feliciter jam ab Incarnatione Domini Anni evoluti octo centies, & quatuordecim: Sic enim in suo Epitaphio legitur.

Aurea (22) Cœlorum postquam de Virgine Christus
Sumserat apta sibi Mundi pro crimine membra,
Jam decimus quartus post centies octo volabat
Annus, fluctivagi meruit quo fervida secli
Ætherei Carolus, Francorum gloria gentis,
Æquora transire, & placidum comprendere portum.
Qui deciesque quater per sex feliciter annos
Sceptra tenens Regni, & Regno Rex Regnaque jungens,
Febro migravit quinto arii ex orbe Kalendas,
Septuaginta sex vitæ quo terminat annos.
Quapropter flagito, precibus si flecteris ullis,
Quique hujus relegis, Lector, Epigrammata versus,
Astriferam Caroli teneat, dic, spiritus Arcem

Ad hujus ergo Caroli funus affuisse dicuntur filii ejus, Hugo scilicet Abba, cum reliquis fratribus.

CAP. XXIX.

Quòd iisdem temporibus ortum sit bellum inter quatuor fratres, filios Caroli.

CIrca igitur hæc tempora, cùm veri inter se æqualiter divisissent filii Caroli Regna Patris sui, ortum est illico bellum inter eos: nam in Campo quodam, ubi fontes nonnullæ oriuntur, unde & nomen accepit, videlicet Fontaneto, (23) ibi quoque conglobati quatuor Reges, cum cuneis suis fortiter invicem dimicarunt: ubi occisa nonnulla millia hominum non modicam ibi stragem dederunt. Quia licèt multi ex utraque parte occubuerint, constat tamen Hludovicum cum Lothario filio, superatis fratribus, campum obtinuisse cum victoria. Sicque victores effecti Regnum Italicum potiti sunt.

CAP.

(22) Exstat Carmen hoc in calce Operum Agobardi Lugdunensis Archiepiscopi.

(23) O indoctum Chronographum! Non a filiis Caroli Magni, sed quidem a filiis Ludovici Pii jam morte sublati, commissum est Anno 841. atrocissimum proelium apud Fontanetum. Ergo infra scribendum, *Ludovicum cum Lothario fratre*. Revera tamen victus est Lotharius, Ludovicus vero, & Carolus victores fuere.

CAP. XXX.

Quòd eo die, quo commissum est prœlium, Diabolus Romanis nuntiavit.

EOdem itaque die Diabolus insidiator humani generis, qui hæc inter eos perpetrari fecerat, Romanis hoc bellum nuntiavit. Ergo consedit ipse in excelsioribus fenestris Ecclesiæ Beati Petri, dum Canonici plenum Officium Missæ agerent, & retulit illis magna voce, quòd Carolus junior, & Pipinus, Lotharius, & Hludovicus Reges in jam dicto Campo prœlia agebant. Qui notantes diem & horam, ita invenerunt, ut Diabolus insinuaverat.

CAP. XXXI.

De Sancti Medardi Monasterio.

ERat præterea in arva Francorum Monasterium quoddam ditissimum, in honorem Sancti Medardi Confessoris fundatum, quod nuper Carolus ob amorem filii sui Hugonis, quem oppido videbat incrementis sanctæ Religionis & sanctitatis ubertim excrescere, & ad exemplum Beati viri Frodoini Magistri sui de die in diem proficere: auxit, ut dicunt, ipsud Monasterium Novaliciense, ubi ipse præerat Pater. Cantantur denique Antiphonæ de prædicto Confessore bene compositæ per Abbatiam Novaliciensis, quæ per nonnulla alia Monasteria cantari videntur, maximè infra Regnum Italiæ. Nam incomparabilem thesaurum, & præcipuum honorem ab ipsis Regibus Francorum, quondam prænominatæ Abbatiæ audivimus, & vidimus conlatum.

CAP. XXXII.

De transitu Hugonis Abbatis.

POst paucos verò annos idem vir venerabilis Hugo, cùm quadam die, secundùm morem Abbatiæ suæ Cellas causâ providentiæ, & admonitionis circuiret, devênit in Franciæ tellus, ubi multæ Cellæ erant sub ditione Novaliciensis Cœnobii erectæ. Quas cùm ex parte requisisset, consedit mox in præfato Monasterio, videlicet Sancti Medardi Confessoris. In quo cùm aliquantis commoratus esset diebus, infirmitate corporis tactus, ægrotare cœpit. De qua ægritudine ad necem usque perductus, obiit illic Idus Iunii, per omnia felicissimus. Ibique sacrum ejus Corpus honorificè quiescit humatum. Erat enim sapientia & scientia præcipuus, eleemosynis largus, pietate laudabilis, corpore castus, mente devotus, animo vigil, pulchritudine corporis valde decorus, sicut prolem tanti decebat Imperatoris. Post multos itaque annos retulit nobis Abbas ille de Sancto Medardo, quod præfatus Hugo Abbas apud ipsos multis virtutibus, & miraculis per eum Dominus illo in loco operatus sit, & quanta veneratione ab incolis loci haberetur. Hoc quoque defuncto, excellentissimus Pater *Eldradus* in Abbatia præficitur. Hujus itaque Patris vitam nostris temporibus quantumcumque ex suis miraculis, atque virtutibus colligere potuimus, tam visis, quàm auditis, lectisve, quæ ibi per eum Dominus operare dignatus est, devotissimè in ejus laudibus simul scribere curavimus.

CAP. XXXIII.

De Ottone Imperatore, qui post multos annos Carolum invisere voluit.

POst multa itaque annorum curricula *Tertius Otto Imperator* veniens in regionem, ubi Caroli caro jure tumulata quiescebat, declinavit utique ad locum sepulturæ illius cum duobus Episcopis, & *Ottone Comite Laumellensi*. Ipse verò Imperator fuit quartus. Narrabat autem idem Comes, hoc modo dicens: *Intravimus ergo ad Carolum (non enim jacebat, ut mos est aliorum defunctorum corpora) sed in quamdam cathedram, ut vivus residebat. Corona aurea erat coronatus. Sceptrum cum Wantonibus indutus, tenens in manibus, à quibus jam ipsæ ungulæ perforando, processerant. Erat autem super se tugurium ex calce & marmoribus valde compositum. Quod ubi ad eum venimus, protinus in eum frangendo fecimus foramen. At ubi ad eum ingressi sumus, odorem permaximum sensivimus. Adoravimus ergo eum statim poplitibus flexis ac genu. Statimque Otto Imperator albis eum vestimentis induit, ungulasque incìdit, & omnia deficientia circa eum reparavit. Nil verò ex artubus suis putrescendo adhuc defecerat, sed de summitate nasi sui parum minus erat: quam ex auro illico fecit restitui. Abstrahensque ab illius ore dentem unum, reædificato tuguriolo, abiit.*

Explicit Liber Tertius.

INCIPIUNT CAPITULA LIBRI QUARTI.

EXPLICIUNT CAPITULA LIBRI IV.

Integer hic Liber Quartus deest in MSto Codice, neque hactenus rescitum, num prorsus perierit, an vero apud aliquem servetur: quod vulnus huic Historiæ, qualiscumque sit, inlatum graviter mecum ferent Eruditi omnes, ac potissimum quod de illo Seculo agebatur heic, quo Italica Historia nimiis premitur tenebris. Paucula tantum fragmenta, quæ Du-Chesnius ex eo Libro excerpserat, jam ab ipso Edita, heic subdere juvat.

Circa hæc tempora maxima pars Saracenorum mare navium vehiculis transfretantes, ingressi sunt Fraxinetum (24) ad habitandum. Ubi plurimos annos commorantes inexpugnabilem reddiderunt. Erat enim circumseptus nemore perdenso, maximè silvarum plurimarum. Est autem locus ipse situs super ora maris in Provincia prope Arelatem . . . .

Morantibus interea eisdem Saracenis in eadem arva, discurrebant huc illucque, deprædantes & vastantes cunctas Provincias, quæ in circuitu suo fuerant, scilicet Burgundiam, Italiam, & ceteras, quæ proximiores videbantur.

Audiens itaque Domnivertus Abbas profanissimam famam eorum, qui tunc Sanctæ Novaliciensi præerat Ecclesiæ, nimis pavidus de eorum metu factus, Taurinensi Civitate fugere, malo suo & nostro, curavit cum suis. Erat autem Ecclesia in præfata Civitate in honore Sancti Andreæ, & Sancti Clementis dedicata, ubi hodie dicitur Sanctum Benedictum, scilicet ad Portam Segusinam, quæ longè ante pertinens fuerat de ipsa Novaliciensi Abbatia. Ibi præfatus Abbas mox ut vênit, cum suis consedit. Fateor in veritate; meliùs illi fuisset, & omnibus Monachis, ut validè in loco consisterent, & colla sua ferro pro Dei amore submittere non formidarent, ut per præsentem mortem omne territorium Abbatiæ cum cuncta suppellectile locum contaminatum reservatumque foret, quàm sic evasisse, & omnia perdidisse. Heu! heu! tunc amisit sanctissima mater nostra Novaliciensis Ecclesia omnem honorem suum, insuper & dominatum suarum omnium Ecclesiarum.

Discedentibus denique Monachis ab ipso Cœnobio, statim dirissima gens Saracenorum occupavere locum. Qui illico deprædantes universa, quæ invenire poterant, concremaverunt omnes Ecclesias, ac domos universas. Invenerunt siquidem ibi duos senes Monachos, qui illic ob custodiam Ecclesiarum domorumque relicti fuerant. Quos arripientes, ad necem usque vulnerantes, vapulaverunt.

Veniente ergo Abbate Domniverto cum Monachis suis, & cum cuncta suppellectile, & thesaurum enormem in Civitate Taurinensi, ibi-

(24) Vide Liutprandi Historiam Tom. II. Rer. Ital.

ibique Monasterium ædificantes consederunt. Erat autem tunc in *Episcopio Taurinensi Episcopus nomine* Wilielmus, sub cujus dominio erat Præpositus nomine Riculfus. Hic notissimus satis, & amicus valde fuerat Monachorum supratаxatorum. Qui venientes in jam dictam Civitatem non habebant domos, ubi tantos Libros, & tantum Thesaurum custodire quivissent. Commendaverunt ergo ipsi Monachi ipsum Thesaurum Riculfo Præposito, & aliquid ex ipso Thesauro impignoraverunt, accipientes annonam, sicuti mos est advenarum, qui in loco non serunt. Perturbatâ vero terrâ propter metum Saracenorum, fugientibus Monachis; alii namque ..... nonnulli mortui, defungitur & ille Riculfus. Periitque impignoratum, ut & accommodatum: sicque remansit pars maxima Thesauri cum Ecclesiasticis Libris accommodati, nec postea recuperati. Hoc tempore in Taurinensi Civitate translatio facta est *Sancti Secundi Martyris* infra Civitatem, qui fuit Dux Thebeorum Legionis, facta à Domno VVilielmo Episcopo Anno Incarnat. Dominicæ DCCCCVI. Hic composuit Passionem Sancti Solutoris cum tribus Responsoriis. Et ab Apostolico Romanæ Sedis, & cunctorum Episcoporum, qui in Sancta Synodo convenerant, tribus annis ob pœnitentiæ causam ab Episcopatu suspensus est.

EX LIBRO V.

De Domniverto Abbate aliqua optamus dicere, ut cœptus ordo non omittatur. Nihil tamen boni de eo dicere quimus. Sed tamen ubi præsentem amiserit vitam, quo loco humatus sit referre habemus. Hic vero persecutionem Barbarorum fugiens, à Monasterio Novæ-lucis Taurinum veniens ..... bato Monasterio sarcinam deposuit carnis. Vixit autem in regimine Abbatiæ XLII. annis.

Quæ sequuntur, ex MSto Codice desumta sunt, & spectant ad Librum V. cujus duo priora Capitula desiderantur.

LIBER QUINTUS.

CAP. III.

Non est nobis gnaviter accipiendum de *Hugone* callidissimo, qui vênit labefactare Regnum Italiæ. Is ortus est in finibus Viennensis, imperavitque Regno Italiæ. Hic denique mittens auriculares, & præcones, qui lustrarent Civitates, & Castella, ne homines inconsultò loquerentur de eo. Tunc itaque pavor invasit cunctos, ut minimè auderent loqui palam de eo, sed more scurrarum per calamos fossos adinvicem loquentes. Sic insidias parabant ei. Ipse autem Rex genuit *filium*, quem vocavit *Lotharium*: qui convalescens ad juvenilem pervênit ætatem. Gaudet quippe Pater; de semine ....etis, conjugem suadet accipere. Iste namque obtemperans monitis patris, conjugem accepit. Pater verò post dotem succensus face luxuriæ, nurum (25) vitiat, antequam ad filii perveniat thalamum. O nefas! O libido indomita, patres, ut stuprum exerceant in nurus, & etiam in filias, ut in acta legitur Apollonii. Sed divina pietas inultos abire non permittit; illum namque fulmine percutit cœlitus misso. Hic post perpetrationem vitii vorticem subiit tetri vadi. Morte namque præreptus congrua, funditus amisit vitam. Cui filius succedens in Regnum tenuit Italiam. Putrida igitur radix, ortus ex spinis, lædens omnia, & quæ lædere non valens, conculcans pedibus, per viam nocentiæ protulit passus. Qui cùm aliquando de Papia veniret Taurinum cum Uxore sua, Feriâ quartâ, quæ erat decima tertia die mensis Novembris, Præcepto dedit *Arduino Marchioni* Abbatiam Bremensem (26) qui non post multum temporis mortuus est, transacto vix spatio unius mensis, Feriâ sextâ, quæ erat Decimo Kalendas Decembris, & Mediolanum vectus. Ibique tumulatur in sepulchro sui genitoris.

CAP. IV.

Post mortem horum Regum regnavit *Berengarius* cum filio suo *Adelberto*, die Dominica, quæ est quinta decima die mensis (27) .... in Civitate Papia, ad absidam Sancti Michaëlis. Sic electi sunt Reges, ut præessent Italiæ. Qui inde exientes laureati cum *Willa* uxore ipsius Berengarii, Indictione Nona.

CAP. V.

Hujus temporibus quidam vir exstitit clarus genere, sed clarior fide, nomine *Albertus Marchio*, pater hujus Berengarii Tyranni. Hic dum videret loca nostra diruta à Paganis, & Monachos perire egestate, tribuit Ecclesiam consecratam in honorem Sancti Andreæ sub Porta Comitale secus murum Civitatis, ubi Domino opitulante, Monachi divinum exercent opus.

CAP. VI.

In eodem loco, quem supra nominavimus, erat quidam *Abbas*, *Belegrimmus* nomine, humilis & bene educatus, eruditus in peritia literarum, & ut ajunt multi, qui auctor exstitit Hymni *Omnipotentis Dei*, & *Genitricis*, qui more congruo per universa loca habitata Bremetensis Oppidi, Dei in honorem modulatur in Assumtione Sanctæ Mariæ. Hic videns, negotium divinum nullo modo misceri posse cum seculari, mutat Monasterium, quod constructum fuerat ante Castrum, ad Ecclesiam secus murum Civitatis, sitam ad Portam Comitalem.

CAP. VII.

Idem igitur Domnus Belegrimmus non satis cautus in iis, quæ secularibus sunt, scientia literarum sciolus, sed ignarus omnium, quæ

(25) Gerrae germanae, ac aniles fabulae. Nurus illa vitae sanctitate fuit, aeternumque erit celeberrima.

(26) Scribe *Bremetensem*, quae Abbatia Novaliciensibus Monachis subinde concessa est, ut ibi, suo Monasterio vastato Deo inservirent. Inter Padum ac Ticinum sita est in Dioecesi Ticinensi.

(27) Supple *Decembris*, ut habetur in brevi Chronico Regum Italiae a me edito Tom. II. Anecdot. & Tom. IV. Rer. Italic.

quæ hujus seculi sunt, quamvis foret nobilis secundum seculi putredinem .... Igitur post decem & novem annos vitam amisit labentis seculi.

CAP. VIII.

Itaque dum reteximus acta, vel gesta Regum, dignum est, ut de ...... loquamur. *Arduini* infelicem prolem satagimus dicere. Antiquorum scilicet sermo narrat, quia fuerunt duo fratres *Rogerius*, & *Arduinus*, & unus eorum cliens, nomine Alineus. Hi ergo prodigi, & exuti omnibus rebus, ad Italiam veniunt de sterilibus montibus. Subdunt colla Nobilibus: divites in proximo existunt. Ipsi verò sibi met spondent, si quis eorum altior insurgeret, ceteri adjutores, & servitores essent illius numinis. O scelus! Dei impervia sunt judicia, & homines ante spondent honores, quàm adquirant. Sed cupida mens, aliquando quod optat, in consequenti tempore occupat. Dum ita sermocinarentur, Rogerius avidus mortalis honoris eripit Auretitem Comitatum. Tunc quidam Comes erat, cui potestas concessa erat illius Comitatus, *Rodulfus* nomine. Aliter solers Arduinus, non valens tenere Comitatum illum, manibus innexis miles fit Rodulfi. Ipse denique Rodulfus jam fessus longa senectute, Rogerium ad se vocat semotis cunctis. *Vides me crebrò in malis; Curias Regales jam lustrare non sufficio: mitto te ad eum, ut consideres quæ facienda sunt.* Ille autem non surdus auditor, mox complet dictum jubentis Domini, & celeri cursu ad Papiam vênit Civitatem: Rex namque illic manebat. Ubi autem vênit ad Regem, salutat eum dulcibus verbis. Condescendente ei Rege, gratiam spopondit habere largissimam, si obsequium illius frequentaret innocuè. Qui moratus aliquantulum cum Rege, post non multos dies ad Seniorem suum revertitur; vidensque Senior, quòd providenter egisset, viciniùs ad se eum clamans, inquit: *Post mortem quippe meam Senior totius terræ eris, quam cognosco me pridem habuisse*; & iterum eum ornans diversis monilibus ad Regem misit. Qui adquirit Comitatum illius; & Rex illi donat, interveniente Regina; & ipse Comes interim mortuus uxorem illius Rogerius accepit; & sic arripit potestatem illius terræ. De qua genuit filios duos, vocans uni nomen suum, alteri nomen fratris, *Rogerium*, & *Arduinum*, (hic (28) enim Maginfredum genuit).

In vita reminiscor parentum meorum infra persecutionem Barbarorum interim nominatorum, & qualiter circumventi sunt, commodo stilo persequar, ut etiam memoriæ nequeat latêre posteris. Quidam miles fuit meus patruelis, qui exiens ex finibus Mauricianæ, Vercellis properabat ad Urbem; audierat namque adventum Barbarorum; sed distulit credere, quanti procul aberant à finibus nostris. Dum iret per nemus quoddam in jure ipsius Civitatis, subitò insiliunt in eum infinitæ multitudines Saracenorum. Venerant jam in finibus Liguriæ. Qui protinus confligunt, & sauciantur ex utraque parte. Non valentes verò pauci contra tam magnam multitudinem delitescunt. Quidam eorum vivi detinentur. Tunc captus est patruelis meus, cum uno suo vernula. Ceteri verò pessumdantur; alligatur cum taureis loris & vernula. Dum hæc agerentur, fortè accidit, ut frater illius, scilicet avus meus, ad Curiam properaret Episcopi. Videt vernulam Fratris vinctum cum taureis. Illicò exhorruit. Quid rei evenisset, interrogat causam. Respondisse verò fertur, illuc cùm devenisset, ab exploratoribus captus est: malitiosè celans concaptionem sui heri, ob gratiam sui liberandi. Ipse autem Præfecto dedit thoracem trilicem, quo inerat indutus, & servum fratris liberat à vinculis. Post ereptionem suam, nequam pandit, Seniorem esse captum, quia ut Terentius ait: *Omnes meliùs malunt sibi esse, quàm alteri.*

Frater autem valde condolens fratre capto, stipendium non habens redimendi, ad Episcopum properat Civitatis, nomine *Ingobardus*, qui erat suus Compater, ut daret illi aliquod adminiculum. Sed cùm non haberet, quo... posset, cuncta sua penetralia rimatur quærens quod sumeret; sed non reperiens in suis facultatibus, vicinos & amicos requirit, & quæcumque habere potuit, pro liberatione dat fratris, & sic eum liberat à funere mortis.

At nos Regium captantes nomen, facili sermone eorum facta comprehendimus. Mortuo quippe *Lothario* uxor ejus *Adheleida* à Berengario capitur, & in Papia Civitate in quodam cœnaculo vi opprimitur, & diversis coangustatur calamitatibus. Sed Deus inspector omnium, nihil constituens sine remedio, quia semper est misericors humilium, Reginam ocius liberat. Nam quædam ejus tyruncula, Christi præmonita dextera, Dominam propriis manibus liberat. Hæc subtus limina ostiorum terram cavat manibus, & quemdam hiatum faciens, se & Dominam clam liberat. Quæ inde evadentes, collocant sese in humectis locis, ut sic fugere valerent. Factum est autem, ut quidam Clericus, nomine Warinus, anceps illuc tenderet passus, vidensque Reginam, finxit se capi ab ejus amore, & requirere scelus nefarium. At Regina nobilissima stuprum abnegat. Ille minacibus verbis eam minitat, quia proderet eam Regi. Dum angustatur undique, admonet, ut se abutatur pedissequa, ne fœdaret Reginam. Modestus namque Clericus verba renuens ficta renuit inania. Post non multum tempus Præsul efficitur Mutinensis (29), conferente sibi eadem Regina. Regina, ut supra retulimus, coangustatur diversis calamitatibus, & auxilium petit ab *Attone*, Avus qui fuit *Bonefacii*. Qui audiens legationem, equos perducit, Reginam aufert in Canusino (30) Castro.

Sed Rex Berengarius audit, Reginam morari in Canusino Castro, hostiliter movit à Papia, veniensque ad Castrum passim obsedit. Inter hæc inimicus humani generis Attonem alloquitur: *Si meus effícieris homo, multa copia tibi subministrabitur.* Atto verò audiens hæc, respondit, se esse facturum, ut oporteret. Interrogat, qualiter hoc agere potuisset. Diabolus respondit; *adveniente Sabbato, venerit alius ad custodienda mœnia; tu verò non abibis; sed rogato eum, ut tribuat tibi assensum morandi.*

(28) Uncis interclusa in Codice MSto alio charactere scripta sunt.

(29) Usque VVarinus Mutinensem Cathedram circiter Annum 1002. conscendit, atque per annos plures tenuit. Atqui ante annos circiter quinquaginta Adelhais Regina vexata est a Berengario II. Ergo saltem delenda illa verba: *post non modicum tempus.*

(30) Vide Mathildis Vitam a Donizone conscriptam Tom. V. Rer. Italic.

randi, quamdiu vehicula, quibus sustenteris, venerint. Quod ita factum est. Veniens verò coævus ejus, dum audit talia petulantia, regressus est. Mortuus est in eadem hebdomada Episcopus Regiensis. Atto vi obtinet Castrum. Fuerat illius Episcopi. Modò ad cœpta redeamus.

Regina verò dum obsideretur à Berengario, ab Arduino Glabrione consilium quærit, quomodo evadere posset: defecerat enim jam panis & vinum. Sed Deus auxiliator ejus illi donat adminiculum. Arduinus namque loquitur ad Regem, ut fari permitteret eum cum Attone, qui annuit petitioni ejus, & jubet ut loquatur. Adgreditur Arduinus eum, interrogatque: *Quot modia sunt vobis tritici?* Respondit: *Non sunt nobis ampliùs præter quinque modia sigalæ, & tria sextaria tritici. Adquiesce* (*monet*) *meis consiliis, & accipe aprum, & vescere eum tritico, emittesque eum foribus, & ego illum requiram Regi. Ut verò viderit, vehementer obstupescet, & sic prævalere poteris*. Hoc ideo fecit Arduinus ob id, quia Atto socer erat filii sui. Facto videlicet mane suadela fit Arduini. Exit aper à mœnibus Castri: Arduinus illum occupat: occiditur, & exenterato eo, plenus venter reperitur tritico. Exercitus videlicet admirans, fatetur frustra se laborare. Relinquunt obsidionem, Papiam revertuntur. Mansit quippe Regina in eodem Castro pæne tribus annis.....

Hoc tempore *Otto Dux Bajoariorum* vênit in Italiam, fungens legationem Langobardorum. Vindicat sibi Regnum Italicum per interpellationem accolarum, qui accepit *Adbeleidam* in conjugio: Deo prosperante, perpetim eam habuit Uxorem. Berengarius autem Rex fugit in Castellum Sancti Julii (31), quod est circumseptum lacu; & ibi obsessus ab Ottone captus, & effossis ejus oculis, sic est relictus. Denique Atto remuneratur ab Ottone, quia fidelis & servitor esset Uxoris suæ; & tradidit omne jus terræ illius. Nec mora. Lividus, qui & Behemoth, iterum reciprocat lethiferam sententiam. *En*, dixit Attoni, *omnia, sicut promisi, feci: modò imple promissionem tuam*. Tum ille: *Faciam, dixi, ut oportet. Præcipit nobis Apostolus, omnia agi in nomine Domini; & in illius nomine volo agere. Non ita*, inquit, *promisisti*. Atto autem consignans se signo Crucis, Diabolus velut fumus evanuit.

Adhuc de Abbatibus Bremensium, (32) Deo auxiliante, loqui optamus. Seriem *Romaldi*, & vitam, quæque reperimus, dicemus. Fuit autem vir timoratus, & totus plenus Deo, ut clara ejus fama postmodum edocuit. Fuit quippe, tam corpore, quàm Sanctitate procerus. Nam ex ejus tumba odor manat suavissimus, quomodo, Deo adjuvante, proprio anhelitu traxi, & inde totus repletus, velut quis satiatus .... corporalibus. Dignum videlicet est, ut caro mortua reddat odorem, quæ viva redolevit pæne circulum Italiæ.

Antequam caperetur prædictus Rex Berengarius ab Ottone, dedit præceptum hominibus morantibus in finibus Laumellinæ in Villa Folingi, ut caperent lupos, qui vehementer infestabant terram illam propter densitates opacas, vel nemora silvarum. Ii verò parentes præcepto Regis, occidunt plurimos, & ad Curias Regis properant. Rex verò videns exercitum illorum lætatus est, quia ante magnum exitium patiebantur, euntes & redeuntes ab eo.

Temporibus his duo magni fuere fratres in Bremito Oppido divites, & nimium locupletati. Ii ergo durum servitium assueti ponere cervicibus horum hominum in lateribus, & in quibuscumque oneribus. Relinquentes igitur illud servitium, post præcepta Regalia, Regique soli colla submittunt. Ipsi verò tumefacti, auferunt hos, & puniunt dirè. Quibusdam oculos evellunt, quibusdam manus, & pedes incîdunt: nonnullos squalloribus carcerum damnant. Conquestio illorum ad aulas pervênit Regis: qui vehementer commotus, minitavit illis, quòd jam ultra non essent possessuri terram illam.

Hos denique timor invasit immanis; & timentes minas illius, à proprio limite subtrahunt pedes: fugientibusque illis, quidam illustris *Marchio nomine Albertus* hos insequitur; & dedit pecuniam, & emit locum illum mediatim. Alteram verò partem Aimo sibi vindicat. Is respectu divini moderaminis, Sancto Petro contulit, eo quòd non haberet heredes, & Sanctum sibi Petrum fecit heredem.

Monachi denique Novaliciensium, videntes locum aptum vel amœnum, & fructiferum omnibus, quæ dici possunt, tam in leguminibus, quàm in piscibus, sibi illum expetunt in caput, & ob id quod populosus esset, & undique septus aquarum copiis: quod magnum spectaculum præstat omnibus usque in præsentem diem. Excellentior verò est cunctis Oppidis constructis in Comitatu Laumellensi; & medius cunctis Civitatibus, & vicinus Regalibus sedibus, & protectus ab afflictione Barbarorum. Nunc autem ad persecutionem Paganorum vertamus stilum.

Pietas videlicet divina, *quæ non sinit nos tentari supra id, quod possumus, sed facit quoque cum tentatione proventum*, ut possimus sustinere. Eodem tempore quo Fusci (33) morabantur in Castro Frascenedello, & undique diffluentes per climata Mundi, tollunt & prædantur omnia: quidam eorum fuit, nomine Aimo, coætaneus illorum. Hic cum his exit devastare terram illam, & rapiunt aurum, & equas, & buculas, diversaque monilia, puellasque, & parvulos. Factum est, ut servarentur quæcumque captaverant: & mulier quædam pulchra nimis sortitur in portione Aimonis. Ex ea autem altercatio fit inter utrosque. Vênit quidam potentior illo, subtrahit illi. Ipse autem tumefactus, mansit extra illos. Volens verò Deus liberare populum, fixit illi in corde, quatenus proderet locum illum, & homines morantes in eo. Vadit quippe ad *Comitem Robaldum* Provinciæ finibus, & adjurat eum, ut nemini prodat secretum, quod cupiebat illi fari, nec etiam propriæ uxori. Ipse autem testatur nemini prodere. Ille ait: *Ecce trado vobis inimicos vestros, prævaricatores*

(31) In Dioecesi Novariense situm, & Lacu circumdatum. Continuator Liutprandi tradit, Berengarium obsessum fuisse *in Monte Feretrato*, sive Feretrano. Contra Continuator Reginonis auctor est, conclusum illum, captumque fuisse *in Monte Sancti Leonis*. Ita & Annales Hildeshemenses. Num primo in Insula Sancti Julii, tum in altero Castro obsessus ille fuit?

(32) Iterum moneo: scribendum est *Bremetensium*, nunc *Bremido*.

(33) Idest Mauri, a fusco sive nigro colore etiamnum appellati *Neri*, & *Mori*.

res nequitiæ. Qui gavisus est valde, & spopondit ei tribuere omnia, si hoc opus exercuisset. Mandat idcirco omnibus, *Arduino*que, ut adjuvarent eum in quodam negotio. Omnes denique occurrunt hostiliter ei. Litigantes verò inter se homines, nescii quò tenderent. At ipse ordinavit illis, ut sequantur illum. Dum itaque venirent ad Castrum, hortans eos Robaldus, ait: *O Fratres, pugnate pro animabus vestris, quia in terra estis Saracenorum*. Illi verò fortes Athletæ dimicant, & depopulantur locum illum. Hæc ultio dolo Aimonis facta est: cujus genus nostris adhuc manet temporibus. Carne itaque Imperatore *Othone majore* mortuo, illico successit in Regno *Secundus Otho* filius æquivocus ejus. Migrato verò isto è seculo, *Tertius Otho* in Regno eligitur.

In hiis ergo temporibus, cùm Vallis Segusina inermis & inhabitabilis permaneret, *Arduinus* vir potens eripit illam, & nobis tulit. Tantum igitur erat plenus vitiis, quantum & divitiis, superbiæ, & carnis suæ voluptatibus subditus, & in adquirendis rebus alienis avaritiæ facibus succensus.

Mortuo denique Belegrimmo, per biennium Johannes Præpositus præfuit Abbatiæ, largiente sibi *Arduino*, qui nequaquam consecrationem meruit, sed adminiculante Deo, amoto hoc, strenuissimus & humillimus *Gezo* Abbatiam suscepit.

Denique rudibus, ac posteris fratribus insinuare cupimus, quid à *Lothario Regulo* jam prænominato actum sit. Malumus patefacere, quàm illud abdere, tametsi in quodam capitulo aliqua de eo carpsimus, tamen reliquimus aliqua, quæ non sunt omittenda. Exstitit quidam *Marchio* illius temporibus, cujus memoriam sæpissimè fecimus, nomine *Arduinus Glabrio*. Qui rectè exæquari lupis potest, violenter auferens aliena, & dispersor alienarum opum. Is privata lege sibi expetit jus Abbatiæ Bremetensis. Quod ubi illi obtulit Regulus, dignam à Deo retulit vindictam. Revolutis aliquot diebus vitam amisit, mortemque invênit.

Post hæc, nutu disponente divino, *Otto* fungebatur Regnum Italiæ. *Abbas Gezo* conquestus est, vir Deo plenus, Regi mala passa dudum Abbatiæ. Rex verò adquiescens ejus petitioni, præceptum illud nefandum è medio tolli præcepit, & in conspectu omnium Quiritum ejus uri. Gezoni autem contulit aliud, quod usque hodie manet in armariolo nostro.

Paulo post quidam *Palatinus Comes*, nomine *Samson*, ut ajunt multi, qui nostris temporibus supersunt, illusus à propria Conjuge, nostrum petiit dogma, & ad sacra Sancti Petri limina adtonsus, factus est Monachus in loco Bremetido, ubi sarcinulam posuit carnis. Hic autem tantas opes Beato Petro obtulit, ut egestas prisca repararetur. Nam adtenuata loca nostra ad tantam inopiam devenerant, ut carerent victualibus cibis. Contulit autem aurum, argentum, equas, & bubulas; & domus Dei in proprio loco reparatur. Quin verò Curiam detulit unam, qua servatur mos Regius, nomine Cannobius (34).

Est enim sita penes rupes, habilis & nimis rutilus locus, & undique septus aquarum meatibus. Piscium fertilitas multa. Ante cujus os stagnum miræ magnitudinis habetur; quadraginta namque millibus in longum extenditur, & quinque in latum. Fervet enim flatibus ventorum aliquando, ut nemo audeat ingredi; ubi quisquis obierit, visus ultra non erit. Inde Ticinus fluvius proprios trahit fluctus, egrediens, & ingrediens in eo. Mos verò servorum illorum miratur ab omnibus: talis adhuc perseverat. Sunt omnes nuper vocati Aulici, quorum nomen, & exercitium perseverat. Nam sunt, qui deferunt ligna à nemoribus, & ad aliud negotium non vacant. Sunt, qui larem faciunt, minimèque aliud operantur. Quod si fortè scintillula prodierit, & aliqua stramenta incenderit, ex propriis facultatibus reparant damnum. Sunt qui faculas te .... aliis operibus non exercent.

Hic *Secundus Otto* defungitur, & *Tertius* eligitur, sub quo magni Comites fuerunt, qui iisdem temporibus vestigia Sancti Benedicti arripiunt. Quorum nomina ideo à nostris cordibus pulsa non sunt, ut cognoscatur, quantam dilectionem circa illos habemus. *Rogerius* vocatus est unus; alter dictus est *Otbertus*: illustres secundùm sanguinem, sed illustriores secundùm stegmata divina. Mox ut illud divinum sumunt negotium, ditioni sacræ subdunt colla, & exercent Humilitatem, quæ Regina est omnium Virtutum; & omnis Virtus ægra jacet, quam Humilitas non firmat. Alunt denique sues, conglomerantque olera infusa, residuum farinæ, & ciunt eos ad esum. Præstantiùs illis operibus dicere quimus, quæ operati sunt; sed modestè ista exaravimus, ut cognoscant reliqua in parvo omnia redegisse. Verùm tempus deficiet, si ea, quæ ad notitiam devenere nostram, scribere curaremus.

In tempestate igitur temporis hujus condolens Abbas Gezo loci Bremiti, quòd Novælucis Monasterium dirutum & pæne incognitum jam lateret, misit quemdam Monachum, qui mansit recuperator, & auctor, in quantum licuit, firmata cujus secutus sum, quem multi noverunt propinquum mihi fuisse. Qui veniens, domos Dei plenas lucis invênit, sed dum inciderentur, longè abibant. Mœnia verò Ecclesiarum minimè confringebantur, quasi forent rationabilia, & quispiam eis indiceret, ne nocerent septis.

Sed quoniam relatio horum Monachorum à nobis reserata est, ad Monachum Bruningum, sacro ex stemmate virum, portio conlaudanda descendit. Qui cùm foret sapientissimus, & vafer, & sciens, tantum operis divini, quantum secularisque, visum est ei Abbatis jussione, ut adiret locum ad hunc, & strueret absidam Sancti Andreæ, quæ tunc parva habebatur. Quamquam foret extima, adjuti divino adminiculo, jam redintegratur, ut foret præstantior cunctis. Hæc enim ad favorem nostrorum fati sumus, sed conspiculatio hominum ostendit minimè nos falli. Quæ quisque nobilis facilè poterit investigare tenorem hujus sermonis, si convenientia aspexerit. Nam septa nobilibus hominibus, in capite Civitatis, magnum spectaculum confert omnibus. Tale opus egit Bruningus excellentissimus vir, & admodum castus, sobriusque, & Monasterium Novælucis sæpissimè considerabat, & opum instrumenta largitus, ut reædificaretur.

Ad actum clarissimi viri Uberti Præpositi Bremetensis vertatur stilus. Memoria hujus viri

(34) Oppidum illustre in Verbano Lacu, nunc *Lago Maggiore*, cui dominatur Illustriss. & Excellentiss. Comes Carolus Borromaeus, Caesareus in Italia Plenipotentiarius.

viri magna, & apud Deum & apud homines enucleatiùs tractanda est. Ut series cana narrat, vir sanctus iste, sanctus, & modestus fuit in tantum, ut potestas sit ei tradita Dæmones eliminare. Quadraginta videlicet anni exstiterant, quòd numquam in latus dextrum sua membra reclinavit. Post cantum pullorum in lecto numquam dormivit, sed in absidam intrans, Deo plaudebat Cantica Vatum. Volens autem Deus requiescere tantum virum ab opere gravi (grave dico, propter sarcinam carnis, sed leve valde per amorem Spiritus Sancti, quia omnia possibilia sunt credentibus) longè antequam moreretur, ei Dominus per visum affatur .... paucis diebus in gaudia Sanctorum ab Angelis susciperetur, & à Deo caro ejus in tantum afflicta est, ut post mortem sic hærebat cutis ossibus, ut prorsus pulpa abesse videretur: apertè demonstrans, cujus meriti fuerit.

H........ secutus est, alteri minimè impar, tam sedulus in oratione, quàm in lectione, memorator exempli Apostolici: *Vir non refrenans linguam suam, vana ejus religio est*. Ut ajunt illi, qui aderant, jam verbis fluentibus ab altero in alterum, quadam nocte dum Matutinalibus Officiis, ut necessaria peteret humana, exiret; margo togæ illius à catellulis duobus tenetur, qui nitebantur adtrahere eum .... aut taciturnitatem corrumperet. Sed mens locata in firma petra, faciliùs potuit occidi, quàm superari. Cùm sic laborarent, ventum est ad domum in qua signum trepidandum habebatur. Fugantur Dæmones à victrici signo, qui videbantur esse catelli; & ad punitatem revertuntur suam, ajendo: *Heu, heu, superati à Monacho, vincere dum optavimus, victi sumus*.

Eodem tempore fuit Vir idoneus, & Sapiens nomine *VVido* Clericus ex stemmate *Otberti Comitis*, cujus superiùs memoriam fecimus. Is ex prædiis suis contulit Sancto Petro munus, ferè quod sufficere posset ad Monachorum victus duodecim. Post hæc verò concupivit videre locum Bremeti; ivit ad Baptistam suum Gezonem Abbatem, in quo tantum delectatus est, ut adjiceret duo Castra, scilicet Verdunum & Rodum.

Et factum est iis temporibus, ut quidam *Marchio, nomine Oddo*, afflatus alto flamine, ex propriis stipendiis loca auxerit nostra. Ipsemet igitur Oddo circumvolans sacra vestigia Apostolorum, reliquit sua in terris, ut glorificaretur in cœlis. Interpretari enim possumus nomen ejus Auctorem, quia auctor fuit habitaculi vatum. O Petre, tradidit tibi Pollentiam, locum dignum: memor esto doni clarissimi; contrade cœlica dona ipsi, qui tribuit terrea tibi. Ibi modulantur rithmica laudum. Mœnia cujus loci emicant claræ patulæ, quo pareat, quantivis pretii fuerit. Qua latices tot reperiuntur, quot non inveniuntur loco in ullo. Præter quos est ibi latex quidam, olim vocatus Impius, ubi inter fluctus conspiciuntur cærulei silices veluti madefacti sanguine. Quo in loco multi referunt, cæsa fuisse Sanctorum corpora. Tradunt etiam multi, quia fuit Civitas prisco in tempore; & ut verè credatur, exemplum Historiæ Romanæ in medio proferimus. Dicit enim: *de malis apud Pollentiam gestis satagimus dicere aliquantisper*. Quidam autem Rex nomine Attila flagellum Dei obsedit eam multis annis, ad ultimum cepit eam, & dejecit maceries ejus usque in terram.

Non ideo propagavimus sermones, ut digna facta Domni Gezonis conemur omittere, cujus temporibus hæc adquisita sunt. Idcirco intrinsecus hæc posuimus, ut illatio hæc demonstret, qualiter mordaciter ejus facta tenemus. Virtutis insignia ipsius tale ostentamentum primò ostendit. In bivio hoc secus muros Civitatis in angulo Sancti Andreæ occurrit ei quidam circumdatus ferro in femore, & in brachiis: quem ut Beatus vidit Gezo, miserans illi propensiùs, oransque, ut erat benigno affatu, lacrymans, & orationibus instans, manus hominis in suas palmas inflectit: sic ab eo pepulit ferri circula. Cruor exit passim, & membra viri solidantur in pristinum statum. Jam verò carnem detexerat ferrum illud, & cutis supercrescens interiùs mittebat.

Item præclarum ejus miraculum narratur. Fortè accidit, ut aliquando adventaret ad Vicum, cui nomen Supiavicus, causâ hospitandi; erat enim de rebus ipsius Ecclesiæ. Ubi non post multum *VVido Marchio* vênit fremens ut leo, quem jure possumus coæquare leoni, & impœnitens thesaurizabat sibi iram in die iræ. Ubi dum veniret, audivit Domnum Gezonem ibi adesse. Non formidavit, quin à propriis vernulis expellere fecisset. Sed Vir timoratus, non solùm non fugit, verùm etiam locum dedit iræ, & distulit pedes statim ab illo, & in domum aliam præparat sibi refectionem, parvoque intervallo meditatur in oratione, ventre ejus hærendo in terram. Ibi dum protelaret orationem, per visum ei patefactum est: *VVido non diu mansurus in hac fragili vita*. Quidam Sacerdos longe manens in somnis vidit se se tendere gressum in lucum, qui est juxta Padum in loco Padoæ; & ibi in visione vidit duos Dæmones furentes, à quorum æstu videbantur rami & folia arborum uri, gestantes enses flammiferos in manibus; qui dum graderentur retrorsum, aspiciunt Sanctum Petrum Paulumque venire, cedentesque locum, ex via secedunt. Ubi veniunt ad locum, interrogant quid rei esset, ut sic trepidarent. Illi inquiunt; *Vos ignoratis?* Sanctus verò Petrus auferens eis pugiones, virgas eis tribuit, & inquit: *Ite, & VVidonem punite virgis, non ensibus*. Euntes verò illi percusserunt VVidonem sedentem in convivio, qui extemplo amens effectus, caruit sensibus hominum. Et improbus talem luit vindictam, ut absque munimine Corporis, & Sanguinis Domini obiret.

Fuit iisdem temporibus quidam Monachus, nihil discrepans ab illis, de quibus memoriam superiùs fecimus. Hic observabat limina Sanctarum Ecclesiarum, ut post Matutinale Officium ad strata numquam rediret. In tempore igitur Sanctæ Quadragesimæ consueto more ante Aram Sancti VValerici orabat. Fortè accidit, ut somno caperetur. Hoc actum est in festivitate Sancti Benedicti. Factum est, dum obdormiret, vidit per visionem quemdam, togam albam indutum, desuper contextam auro, gestantem in manu thuribulum aureum, plenum odorifero thimiamate. Qui cùm venisset ad Aram, à quatuor partibus odoratus est eam. Porrigens autem illud, inquiens, ei: *Vade, nuntia fratribus, euge, nostri ex parte. Scito me esse Benedictum Patrem, hodieque lustrasse cuncta Cœnobia, in nullo ta-* men

men sic obsecutus sum, ut in isto. Ita inquiens, evanuit ab oculis ejus. Liquet hoc a Catholicis viris demonstratum, & nulli sit ambiguum, quin in suis festivitatibus, & in aliis diebus Sancti suas visitent Ecclesias. Sanctus quippe Gregorius in Libro Dialogorum scripsit: *Quadam nocte vênit Sanctus Petrus in absidam nomine suo constructam. Quemdam Custodem alloquitur: O Conliberte, cur tam ocius surrexisti? Reficiebat namque lampadas. Qui extemplo solutis omnibus membris ad stratum devehitur.* Hoc quamobrem evenerit, scire si quis cupit propensiùs, reperire potuerit, si illum Librum legerit.

In illis diebus, dum Gezo Abbas adveniret in Albam Civitatem, quidam *Episcopus* nomine *Fulcardus*, contulit ei duo magna pignora, scilicet Sanctorum Frontiniani, & Silverii. Receptis autem pignoribus, dum ad Tanagrum fluvium advenisset, aqua divisit se in duas partes, & Domnus Gezo transivit per siccum in medio ejus. Ideo hoc irrationabilis creatura egit, ut patefaceret, quibus meritis apud Deum obtinent Sancti, ut nec vectoris humida faceret vestimenta. Is Fulcardus nostrum dilexit locum, quia Monachus fuit.

Eodem tempore, dum solemnitas Sanctorum Philippi & Jacobi celebraretur, evênit in memoriam, ut ipsa die in honorem Sanctorum Acci, & Acciolæ solemnia Missarum celebrarentur. Ignorabatur quando, vel quo tempore solemnitas horum Sanctorum celebrari debuisset. Itaque dum peracta memoria illorum esset, omnes lucernæ more congruo extinctæ sunt. Mansionarius verò putans se esse illusum, extinxit iterum. Dum à mensa surgeret, ecce iterum invênit omnes accensas. Illico obstupuit. Patefactum est, ut ipsa die festivitas horum Sanctorum celebrari debuisset, quòd per eos Dominus tam mira operari voluit. Unde factum est, ut per singulos annos in eodem die Missa celebretur ad Altare nomine illorum dedicatum. Hi verò digni Deo Martyres apud præfatum locum tumbam possident.

Referam autem quod contigit *Leoni Vercellensi Episcopo*; Qui quodam tempore dum usurpare vellet hanc Abbatiam, simul cum Episcopio Sanctæ Mariæ Eporediensis Ecclesiæ, quadam nocte vênit Beatissima ac gloriosissima Dei Genitrix, quasi conspersis crinibus, & dissolutis atque lachrymosis oculis, ducens secum Beatissimum Patronem nostrum Petrum. Ipsa verò præcedens, ut Domina, vênit ad lectum prædicti Episcopi. Ad quem cùm venisset, ait: *Dormis, Episcope?* Ad quam ille pavidus respondit: *Quis es?* Et illa *Sum Maria Genitrix Dei, ac Salvatoris humani generis*. Cui ille: *Quid ad me venisti, præclara Domina?* Et illa: *Cave, ne ultra Ecclesiam meam Eporediensem, atque Ecclesiam Bremetensem Sancti Petri Apostolorum Principis, quærere audeas, si mortem pessimam non vis ocius incurrere. Ad hoc enim venimus, ne tale scelus fieret per te*. Quæ cùm talia dixisset, recessit. Ipse verò non solùm præfatas quæritare cessavit Ecclesias, sed etiam plena voce hanc visionem sibi apparuisse sæpissimè confessus est.

Eodem quoque tempore evênit, ut quidam homo pateretur ulcus in nare longum tempus. Quippe percussus sagitta hastile bidentale ipsum intrinsecus remansit. Hic autem homo ad sacra Beati VValerici vênit pignora in celebritate illius. Qui dum venisset, ante aram illius præ nimio dolore obdormivit. Quod dum fieret, protectus adjutorio pii Confessoris, ab nare exiit sagitta, & sic liberatus est à proprio dolore. Inde gaudens, quamdiu advixit, nomen pii Abbatis ab ejus ore non defuit.

Guntramni furitas ideo narratur; ut discant potentes, quanto magis sævierint, tanto magìs cruciabuntur. Oderat hic infelix nostra loca; & Monachos, & Laicos sæpe turpiabat. Accidit, ut quadam die à Domno Gezone vocaretur, qui veniret, ut pranderet, ad Monasterium, & faveret aliquod negotium excutiendæ rei. Ipse verò superbia tumidus, non respuit, sed vênit more ferino. Erat quoddam cœnaculum ante feras Ecclesiæ. Ibi dum esset satur, somno præreptus est. Dum igitur dormiret, ante lectum ejus adstitit Sacerdos quidam in manibus habens bipennem, qua bis eum percussit clam. Tertiò verò durè à tergo capitis. Et talem miser vindictam luit. Expergefactus respexit, & cit servos, ut eum vindicent ab illatore mortis. Qui venientes, illuc atque illuc aspicientes, neminem viderunt. Ipse verò æger aspexit, viditque illum introëuntem per rimulam ostiorum in absidam. Cognovit illico miser mala, quæ egerat, & quis esset, qui eum interemisset. Enim verò die tertio funditus vitam amisit.

Ipsemet Domnus Gezo, quem supra nominavimus, plenus dierum jam convalescerat bona ætate, præ nimiaque senectute petiit sibi adjutorem, & protectorem Monachum fidelem nomine Gotefredum, & adeò mansuetum, ut mansuetior illo inveniri nequiret. Tantum iste vir timidus fuit, & mansuetus, ut diceres, quòd nec prospera, nec adversa eum conturbare quirent. Patientiæ verò gratia ita plenus fuit, ut numquam irasci videretur.

Contigit hoc, quod narrare volumus, in solemnitate clari Apostoli Petri, quæ maxima habetur in cunctis nostris Monasteriis. Casu accidit, ut quidam Monachus, superbiâ Diaboli tumidus, non timuit quin extenderet manum suam, & virum per omnia dignum feriret. At ille non solùm pacificè pertulit, verùm etiam aliam faciem cessit; non immemor præcepti Domini: *Qui te percusserit in unam maxillam, præbe ei & aliam*. Mox verò ille punitus luit culpam in pœnam tumoris. Extemplo verò tumefactum brachium illius liberari non potuit, quoadusque ipse Domnus Gotefredus non celebravit Sacrificium pro eo.

Post hæc igitur quidam Adolescens erat in finibus Pollentiæ nomine Stabilis, tantæ simplicitatis, ut ignoraret, quæ esset forma segetum & pecudum. Attamen Deum timebat studiosiùs, ut mors ipsius postea edocuit. Mortuus verò ut fuit, more consueto lotus est, & in pheretro locatus. Erat illo igitur tempore *Albertus* (35) *Episcopus Cumensis* in eodem loco. Intempesta igitur nocte à cacumine Cœli usque ad pheretrum visum est descendisse columna ignis. Quod Albericus videns, miratus est, & cum suis Cleris pro obsequio illius

(35) Albericus infra appellatur, quo etiam nomine donatur apud Ughellum in Catalogo Episcop. Comensium. Jam diu animadverti, duo haec nomina facile à Librariis confundi. Florebat hic Albericus non anno MV. ut habet idem Ughellus, sed quidem anno MXV.

illius cadaveris thuribula, & luminaria fert, & ipse frequenter ejus pedes osculatus est, & vigiliarum Cantica celebravit.

Ipsoque verò tempore fur erat in loco Novalicio, qui violabat, & lædebat quæque poterat, & sub antro quodam reponebat, & ibi ne caperetur, jacebat. Hæc agebat die tertio ante Nativitatem Christi. Is ergo exploratus est ab hominibus degentibus in illo loco, captusque est, & ad Monasterium deductus, & in custodiam missus. Nocte igitur adveniente media Nativitatis Christi, qua enixam credimus Dei Genitricem, solutus est à vinculis, ignorante eo. Ipsemet mox cit custodes, & prodit se esse solutum. Omnes verò ammirant, relinquuntque illum absque ullo discrimine.

In eodem loco fortè lupus, veniens à supercilio montis, puerum captavit in prædam, & ore tulit in Vallem, quæ vocatur Frigida, non procul distans à Monasterio. Dum verò ab eo duceretur, mortuus est, sed minimè comestus. Egit ergo mirabile quoddam, quod tacere nolumus: nam mutata feritate, bestia fit custos illius, quem paulo ante fuerat interemtor, & demum sepultor. Detulit autem eum versa vice ad absidam Sanctæ Dei Genitricis ad Crucem, & ibi eum sepelivit sub quercu quadam. Cornices verò, quæ ibi cornicuabantur, videntes puerum non integrè coopertum, nitebantur comedere eum: sed ille, qui conclusit rabidum, conclusit & avidum rostrum. A cornicatione harum excitati genitores, cognoscunt illorum fuisse filium, & rem gestam pandunt.

De Armentario illius Monasterii, qui liberatus est. . . . . anguis, satagimus dicere. Hic dum cerneret armenta boum in monte Cinisio, somno captus est. Anguis quidam illic latens, videns apertum ejus os, introivit continuò. Is cùm sensit dolorem propinquum mortis, clamans & vociferans, habebat unde exclamare posset. Hìc hìc audire potestis Deificum opus. Dum volutaretur ante aram Sancti Petri, munitus est Corpore, & Sanguine Christi. Evectus est domum. Extemplo obdormivit. Morari enim non potuit serpens in corpore, ubi jam introierat munimen divinum. Diffidere non valet creatura contra Creatorem suum. Aperto igitur ore prodivit serpens lubricus. Avus autem coævus ejus, viso eo illum interfecit, & patefecit cunctis mira, quæ potestas egit divina.

Notum est cunctis, quòd Monasterium Novæ-lucis dirutum à Paganis, & usque ad terram exinanita sunt ejus mœnia. Moderno denique tempore condolentes Monachi inibi degentes damnum illud, accersunt Episcopum Vigintimiliæ, ut consecraret absidas dirutas, videlicet Sancti Michaëlis, Sanctæque Dei Genitricis Mariæ, & Sancti Salvatoris, Sanctique Heldradi. Nocte ergo præcedente quidam ex domesticis accubabat in quadam domo. Audit luctum miræ magnitudinis Dæmonum dicentium: *Heu, heu: ea loca, quæ usque modò possedimus, jam amittimus; diu possessores, nunc expertes:* quos intelligimus esse Dæmones absque ullo ambiguo. In die sequenti ædes illæ sacræ consecrantur. Corroboramus hoc gestum dictionibus Sancti Papæ Gregorii. Dicit enim in Libro Dialogorum, quia *quidam Episcopus Andreas consecravit Ecclesiam quamdam in honorem omnium Sanctorum, auditæque verò ibi sunt voces multiplices Dæmoniorum.*

Quadam die cùm Vervicarius ipsius loci afferret victum aliis, qui tunc Campo Merleti erant, intravit in lintrem, cœpitque remigare per fluvium Duram. Diabolus autem antiquus homicida, perdidit hunc negando; suffocavit enim eum in gurgitem aquæ. Nec minùs Presbytero fecit in die secundo; nam per negligentiam cuidam fratri abstulit memoriam, ut solummodo aquam ferret ad celebrandum Missam. In sequenti nocte quidam frater ibat ad Ecclesiam Sanctæ Dei Genitricis Mariæ ad radicem montis sitam. Apparuit ei Dæmon in speciem scurræ, tenens duos lituos in manibus. Vestimentum ejus undique scissum, marginibus offatis. Ille interrogans, quis esset, respondit: *Sum ille, dudum qui perdidi Vervicarium negando in aquam, & heri celebrare Missam feci absque vino.* Ita verò inquiens, submersit se in aquam, ultraque visus non est. Factum est, dum rediret ille frater, obviam habuit tres Virgines. Sacerdos intuitus, quarum nimis erat candidus vultus. Media verò harum tantæ pulchritudinis, & proceritatis, ut etiam nequiret ille vultum ingerere in eam. Dixerunt autem utræque ad Monachum: *O Monache, quò vadis?* Respondit ille. *Ab Ecclesia Sanctæ Dei Genitricis regredior. Rectè*, ait, *facis, quia ejus sacra limina lustras. Etenim illa quotidie exorat pro peccatis omnium populorum:* Sic dixerunt, & ille somno solutus est.

Fertur quòd quadam die Mansionarius illius Ecclesiæ, more assueto, dum extinxisset cuncta lumina, & accendisset cereum unum vespertino in tempore, in crastinum, cùm surrexisset, ut sonaret Matutinum, illum cereum minimè reperit, sed candelam aliam in Ceroferario, cæpitque mirari; & interrogans suum adseclam, *hoccine egisset?* respondit, *non.* Voluit quippe auferre eum hinc; sed recordatus quod accidit cuidam custodi, ut narratur in Libro Miraculorum, quia dum tolleret candelam accensam positam ante Altare, ex improviso mox conversa in colubrum, (36) ejus momordit digitum.

Item contigit, ut eodem loco, quem supra nominavimus, erat Monachus placidus & humilis. Apparuit ei quidam in similitudinem pastoris gestantis in manibus ferulam dicendo: *Vade, nuncia fratribus, ut sæpe visitent has sacras ædes, quia fuerunt . . . . præceptor quorum ego fui, & inibi tumulati.* Sic ait, & evanuit ab oculis ejus.

EXPLICIT LIBER QUINTUS.

Quæ sequuntur nescio an spectent ad Lib. Sextum. Diploma vero Caroli M. antea ediderat Clariss. Mabillonius in Append. Rei Diplomaticæ, adjecta etiam Adnotatione, quam huic Libello adjungendam censui.

Renovatio Testamenti Abbonis Patricii pro Cœnobio Novaliciensi, facta per Carolum Magnum circiter Annum DCCCV.

„ IN nomine Patris & Filii & Spiritus San-
„ cti. Karolus Imperator Augustus piis-
„ simus,

(36) Hisce olim pascebatur hominum immoderata credulitas. Atque utinam hujusmodi nugivendulorum genus omninò desierit.

„ fimus, à Deo coronatus, magnus, pacificus „ Imperator, Romanum gubernans Imperium, „ qui & per misericordiam Dei Rex Francorum & Langobardorum. Igitur notum sit „ omnium fidelium nostrorum magnitudini, „ præsentium scilicet & futurorum, quia vir „ venerabilis Frodinus Abba ex Monasterio, „ quod est constructum in honore sanctorum „ Principum Apostolorum, loco nuncupato „ Novaliciis, missa petitione per religiosos „ Monachos Gislarannum scilicet, & Agabertum, serenitati nostræ suggessit, qualiter „ Abbo quondam vir Deo devotus per Testamentum donationis suæ aliquas res ad ipsum „ sanctum locum Novaliciis delegasset, unde „ ipsa casa Dei & Monachi ibidem consistentes seu pauperes & peregrini euntes & redeuntes maximam consolationem habere videntur, & ipsum Testamentum nostris detulerunt obtutibus ad relegendum. Sed quia „ sæpissimè per placita Comitum per diversos „ pagos, necessitate cogente, ipsum ad relegendum detulerunt, jam ex parte valde dirutum esse videbatur. Et ideo quia per se „ non fuerunt ausi ipsum Testamentum renovare, petierunt celsitudini nostræ, ut per „ nostram jussionem denuo fuisset renovatus „ eo tenore, sicut ipse ad hoc relegi meliùs „ potuisset. Nos autem considerantes eorum „ necessitatem, & mercedis nostræ augmentum, jussimus per fideles Notarios nostros „ infra Palatium ipsum Testamentum denuo „ renovare; ita ut deinceps pro mercedis nostræ augmentum, inspecto ipso Testamento, „ sicut inibi declaratur, ad ipsam casam Dei „ nostris futurisque temporibus in augmentis „ proficiat. Non enim ex consuetudine anteriorum Regum hoc facere decrevimus, sed „ solummodo propter necessitatem & mercedis augmentum transcribere præcipimus, „ hoc modo, & subter plumbum sigillari jussimus.

„ In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Sub die tertio Nonas Majas, Anno vigesimo primo, gubernante inlustrissimo nostro Karolo Regna Francorum, Indictione „ VII. feliciter. Ego in Dei nomine Abbo „ filius Felici & Rusticæ nomine quondam, „ sana mente atque consilio, cogitans casus „ humanæ fragilitatis, Testamentum condidi, „ quo venerabili Hitberto Clerico scribendo „ rogavi. Quod Testamentum meum si quo „ casu & jure Prætorio, vel qualecujus Lege „ adinventionis, quæ quo modo valere nequiverit, ac si ab intestato ad vicem codicellorum eum valere volo ac jubeo. Quos, „ quas liberos, liberasve esse decrevero, liberi liberæve sint omnes; & quæque per „ hoc testamentum meum dedero, legavero, „ dare jussero, id ut fiat, detur, præstetur, „ fidei heredis mei committo. Ego in Dei „ nomine Abbo, cùm me dispensatio divina „ de hac luce migrare præceperit, debitoque „ naturæ complevero, tunc tu sacrosancta „ Ecclesia in honore Beati Petri Apostoli, „ seu & ceterorum Sanctorum Novaliciis Monasterii in Valle Sigusina, quam ex opere „ nostro in rem proprietatis nostræ construximus, ubi norma Monachorum sub religionis ordine spiritale, & Regula Sancti Benedicti custodiendis Domino adjuvante collocavimus, ubi a (*) præsens vir Abbo „ præesse videtur, heres mihi esto, heredem „ meam te esse volo ac jubeo, ceteri ceteræ „ exheredis sint totæ. Te verò sancta Ecclesia Beati Petri Apostoli suprascripti Monasterii in Valle Sigusina, tam infra muros „ ipsius Civitatis, quàm & in ipso pago, ex „ alode parentum meorum, vel undecumque „ michi justissimè ibidem ex legibus obvênit, „ hoc est quicquid in ipsa Valle Novaliciis, „ etiam in Barro, seu & in Albanato, & ultra Cinisca subtus Cravasca, & in Faido, „ vel cetera loca, quod præsente tempore ad „ ipsum Monasterium adjacet, vel aspicere videtur, cum silvis, pratis, alpibus, aquis, „ aquarumque decursibus, quicquid præsente „ tempore ad ipsum sanctum locum aspicere „ videtur, tam de proprio, quàm de conquisto, seu & de commutationis causa. Promaciano in Valle Maurigenica recepimus, „ unà cum mancipiis, terris, vineis, silvis, „ cum omni integritate, ut habeas volo ac „ jubeo. Similiter quicquid in Balmas, ubi „ Oratorius in honore Sancti Verani est constructus, visi sumus habere, & in Lastadio, „ Gallionis, Grummo, Camundis, Luxomone, Corvallico, Petracava, Trebocis, vel „ circa Civitate, quantumcumque ex proprietate parentum nostrorum, vel conquestum, „ in ipsa loca habere videmur, te heredem „ meam habere volo ac jubeo: & quicquid „ circa Civitate Segusia, vel in ipsa valle habere videmur, hoc est in Orbano, Cicimiano, Voroxio, Raudenoviliano, te heres „ mea habere volo ac jubeo. Et in Valaucis „ portione, quem à liberto nostro Theudoaldo dedimus, volo ut habeat & ipse & infantes sui, ad heredem meam aspicere debeant, volo ac jubeo. Similiter Cammite „ superiore, & Cammite subteriore, Brosiolis, unà cum ingenuis Rogationis, Tannoborgonis, unà cum ministrale nostro Johanne & infantes suos, libertato cum infantes „ suos, Critovis, Orbana, Bicorasco, unà „ cum nepotes Vualane, hoc est Harioldo & „ germana sua, quem Dunimius habet, Galisiaca, & alpes in Cinisio, quem de Ecclesia Sancto Petro de ipsa constructa Lugdunense commutavimus. Ista omnia superiùs „ comprehensa unà cum mancipiis, libertis, „ terris, domibus, ædificiis, vineis, campis, „ pratis, pascuis, silvis, alpibus, vel omnis „ adjacentias ad se pertinentes, te herede „ mea habere volo ac jubeo. Et Cella infra „ Regnum Langobardorum, qui vocatur Tollatecus, quicquid ex alode parentum nostrorum mihi ibidem obvênit, unà cum „ mancipiis ibi consistentibus, vel omni jure „ suo, ut habeas volo ac jubeo. Etiam & Colonica in valle Diubiasca, infra fines Langobardorum, ubi dicitur Bicciatis, quem „ parentes nostri, & nos ibidem habuimus, „ ut habeas volo atque præcipio. Simile namque modo, & quicquid in Valle Maurigennica ex alode parentum nostrorum, vel per „ quodlibet titulo justè & rationabiliter nobis „ ibidem obvênit, & legitima subpetit redebere, hoc est in ipsa Morogenna domus, „ quem apud Ecclesiæ Maurigennica commutavimus cum ædificiis, cortiferis, exavis, „ ortis, vineis, campis, seu imglis, unà cum „ Ec-

(*) f. *Apostolicus*.

„ Ecclesia Sancto Petro, quam parentes nostri ibidem construxerunt, cum omni integritate vel adjacentias ad se pertinentes, immoque Ecclesia Sancto Pancrasio proprietatis nostræ, unà cum Colonica in Birisco cum omnis adjacentiis ad se pertinentes, te herede mea habere volo. Et in ipsa Valle Maurigennica loco nuncupante Fontana, quicquid ibidem præsente tempore de parentis nostris visi sumus habere, seu & in Nanosces, unà cum illos ingenuos de Amberto, & liberto nostro de Alsede nomine Orbano, & ingenua nostra nomen Rigovera de Bonnosco, vel quicquid in Bregis de alode parentum nostrorum, quem Austrualdus in beneficio habet, te suprascripta Ecclesia Sancto Petro heres mea habere volo ac jubeo. Pro modo simile quicquid de Domna Siagria in ipsa valle Maurigennica conquesivimus, Misiottano, Obliciacis, Mago, Colonica, in Albiadis, in Bausetis, & Colonica super Bricoscis & Amalicione, ubi Blancolus verbicarius manet, & Gratavinina, etiam & cetera vocabula cum adjacentiis earum, te sacrosancta Ecclesia habere volo ac jubeo: immoque quicquid in Valle Darentasiense ex alode parentum nostrorum, vel quod de Siagria ibidem ad nos pervênit, unà cum mancipiis, libertis, colonis, inquilinis, & servis, te heredem meam habere volo atque præcipio.

„ Similiter in pago Gratianopolitano, Olonna quem ad liberta mea nomen Sendeberti dedi, volo ut habeat, Missoriano quem de Siagria conquesivi, Piniaco, & Corennum quem à liberta mea nomen Auriliana dedi, ipsas libertas meas cum ipsas res volo ut habeas ac jubeo: seu in Aravardo unà cum libertos nostros, Magnebertum unà cum germano suo Columbo, Misicasiana, Mesatico, Cambe, Quinciaco, Viennatico. Ista omnia suprascripta unà cum libertis ac colonis & servis vel omnes adjacentias suas ad ipsa loca pertinentes in suprascripto pago Gratianopolitano, tu heres mea ut habeas volo atque discerno. Item quam in pago Viennense Maconiano, quem de alode parentum meorum nobis obvênit, & quod de Siagria conquisivimus, & Colonica in ipso pago Viennense, Baccoriaco super fluvium Carusium, ubi faber noster Majoranus mansit, & filius ejus Ramnulfus de Blaciaco, quem incontra Ardulfo per judicio Agnarico Patricio evindicavimus.

„ Similiter & in pago Vianense & Leudunense Bornaco, Basciasce, Amblariao, Blaciaco, Colonica Senorio. Ista omnia suprascripta unà cum terris, domibus, vineis, campis, pratis, vel cum omne jure earum, ac colonis, servis & libertis ad ipsa loca aspicientes, tu heres mea ut habeas volo atque præcipio. Item in pago Matascense, Carnaco Æbasciaco, quem de Siagria conquesivimus, unà cum ingenuis, libertis, ac colonis, & servis, vel omnes adjacentiis ad ipsa loca aspicientes, ut habeas volo, ac jubeo. Similiter & in pago Briantino, & Aquisiana, & Annevasca, in loca nuncupantes Briancione valle, unà cum libertis, ac colonis & servis; Annedæ unà cum ingenuis, libertis, & servis; Agracianis, Exoratiana, Aquislevas cum libertis & servis, vel omnes adjacentias ad se pertinentes, te Sacrosancta Ecclesia ut habeas volo atque præcipio, & Colonicas infra ipsa valle Briantina & Aquisiana, quem de Windegunde conquesivimus, unde Bardinus Capitolarius est. Similiter & in Gerentonnis Colonicas de ipsa ratione Windegundi quod ad nos pervenerunt, quem Sigualdus libertus noster in beneficio habet. Colonica, quem de muliere Gismundo nomine Pannutia in ipsa valle in tercia recepimus, ubi Marius noster verbecarius in ipsa Colonica manet. Similiter curte mea Salliaris; alpes, prata, ingenua, Vendanum, Mullinaricus, Willa, Jutole. Ista omnia suprascripta unà cum libertis, ac colonis, servis, vel omnes adjacentias earum ad ipsa loca aspicientes, tu heres mea ut habeas volo ac jubeo. Et Colonicas in valle Gerentonica & in Ralis, quem ad libertos meos, quem Theudoaldo & Honorio dedi, ut ipsi & infantes ipsorum habeant, & ad heredem meam Sacrosancta Ecclesia aspiciant. Ista omnia superiùs comprehensa unà cum adjunctis, adjacentiisque suis, campis, pratis, pascuis, silvis, alpibus, montibus, rivis, aquarumque decursibus, axiisque omnibus cum omnem jure vel terminum earum, tu Sacrosancta Ecclesia heres mea ut habeas volo ac jubeo.

„ Similiter libertos nostros in valle Aquisiana, qui ad parentes nostros aspexerunt, seu & ipso pago Brigantino commanere videntur, unde Vitalis Capitularius est, admemorata Ecclesia heredem meam ut aspiciant & impensionem faciant volo ac jubeo. Emmo, quem in pago Ebredunense, & valle Occense Bruitico portiones nostras, quem de Waldeberto Presbytero & de Rigaberga conquisivimus, & de proprio alode meo, & quod de parente mea Godane ad me pervênit; & in ipsa valle Moccense, quem de Siagria conquisivimus unà cum alpes; & quem de Dodone & Godane ad nos pervênit, seu & quod Domno Waldeberto Episcopo & de Riguberga ibidem conquisivimus. Et Colonica ubi dicitur Albarioſco, quem Marcianus servus noster habet, quem de Dodone parente meo in ipso pago Ebredunense ad me pervênit: nec non & Colonicas nostras in pago Ricomagense, quem Baronta libertus noster in beneficium habet, & liberto meo ipsum Barontane una apud Solia quem ei dedimus, ut ad te heres meam ipse Baronta aspicere debeat volo ac jubeo. Item in ipsum pago Ebredunense Colonicas in Boresio, quem Sauma in beneficio habet. Rodis, ubi Verbicarius noster nomine Laurentius manet. Colonicas in Velentio, quem per præceptionem Dominica de ratione Riculfu & germano suo Rodbaldo ad nos pervenit. Omnia & ex omnibus quicquid in ipsum pago Ebredunense, seu & in valle Moccense & Rigomagense tam de conquesto, quàm de alode parentum nostrorum nobis in ipsius pagos obvênit, ad integrum unà cum alpes tibi suprascripta heres meam Sacrosancta Ecclesia habere volo ac jubeo. Simile namque modo in pago Wapencense, Corte mea Talarno unà cum libertos nostros Sicualdo cum sorores suas & infantes earum; Maximo cum sua & infantes eorum, Calaico unà cum libertos nostros, & Allionicos,

„ quem

„ quem de VVidegunde conquisivimus, & li„ berti nostri in ipsum Allionicus commanere „ videntur; Marius cum germanos suos, & „ libertus noster in Venavella, Hidebertum „ cum uxore sua & infantes eorum, quem de „ VVidegunde ad nos pervenerunt; Kalares „ quem de ipsa VVidegunde conquisivimus, „ ubi Matarellos libertus noster manet. In „ Colonica Dominicale & extra sunt terras & „ vineas Dominicales. Ista omnia suprascripta „ unà cum libertis ac colonis & servis unà „ cum adjunctis, adjacentiisque suis ad ipsa „ loca pertinentes, te Sacrosancta Ecclesia ut „ habeas volo ac jubeo. Et dono liberto meo „ ad ipsa Ecclesia nomine Amalberto, qui „ habet uxore filia ipsius Matarello, quem „ ego manumisi, & ipsum dua mancipia de„ di ad casa VVapenicense his nominibus Ru„ sticiu & Lupolina. Itemque & in ipsum „ pago VVapenicense Altana, quem de alo„ de parentum meorum habeo, Curenno, „ Galisco ancilla, quem genitor meus de „ Persa conquisivit, & illas terras ibidem in „ campania cum illa alpe Cassauda, quem de „ Lavarnosco ibidem habemus; ipsas terras „ usque ad summa mancipia, quem Siagria „ conquisivimus. Ista omnia suprascripta unà „ cum campis, pratis, silvis, pascuis, alpi„ bus, adjacentibusque suis ad ipsa loca per„ tinentis, tu Sacrosancta Ecclesia habeas vo„ lo ac jubeo.

„ Simile namque modo in ipso pago VVa„ ponicense Corte mea Opaga cum omnis „ appendiciis suas ad se pertinentes, quem „ alode parentum meorum habeo apud Colo„ nica, quem de Venatore avunculus meus „ Domnos Semforianus Episcopus conquisivi, „ tu heres mea ut habeas volo ac jubeo. Co„ lonica subtus ripas, quem ad libertum „ meum nomine Bertarii dedimus, infantes „ sui habeant volo ac jubeo, & ipsi ab here„ de mea aspicere debeant, Bonis, Craviosco, „ tu heres mea Sacrosancta Ecclesia Sancti „ Petri Monasterii Novalicius ut habeas volo „ ac jubeo. Similiter Corte mea Valerignaca „ unà cum libertum meum Savino cum filius „ suos & filiis liberti mei Siseberga, Magni„ bertum cum germanus suos, & filius suos, „ vel alius libertus nostros, qui ad ipsa Cur„ te aspiciunt, habere volo ac jubeo Roma „ unà cum apendiciis earum & alpes, præter „ quem ad libertus meos infantes Aldefredo „ & Godoberti in ipsa Roma dedimus, volo „ ut habeant, & ipsi ad heredem meam aspi„ ciant. Laquatico unà cum appendiciis suis „ ad ipsa loca pertinentes, & quod à liberta „ mea Dumnulina, quem commutavi, dedi in „ ipsum Laquatico, volo ut habeat, & ad „ heredem meam Sacrosancta Ecclesia aspi„ ciat. Et terras in Esturbatina, quem de „ Bonevalo conquisivi, & ad suprascripta li„ berta mea nomine Sendeberti dedi, volo ut „ habeat, & ad heredem meam aspiciat. Co„ lonicas in Taraone, quem de Ricuberga „ conquisivimus, & terras in Crariis, & li„ bertus nostros Maroaldo, & uxore sua vel „ filiis eorum, quem genitrix mea Rustica de „ pago Genevense fecit venire, & supra ipsa „ terra ipsus mansurus fecit; Terra & man„ cipia in Sevelis, quem de Avolo Presbyte„ ro & de Frederga fœmina avunculos noster „ Domnus Senforianus conquisivit, & libertos „ nostros in Artonosco filius Victore & Ve„ ræ, Johannis, Justebertus, Paulos, & Ve„ rissimus, Justina & Bertildes, ipsa terra & „ mancipia in Sevelis in beneficio habent, tu „ heres mea Sacrosancta Ecclesia Sancti Pe„ tri Novalitius Monasterii, ut habeas volo ac „ jubeo. Campannas quem ad liberta mea „ nomine suprascriptæ Berteldi dedi, volo ut „ habeat, & ad heredem meam aspiciat. Vo„ bridio quem de Mauro conquisivi, & ad li„ berta mea suprascriptæ nomen Justini dedi, „ quem Dadinus habet, volo ut habeat, & „ ad heredem meam aspiciat. Colonica „ Utronno ex alode parentum meorum, Gla„ sia, Pentus, Bullone, Muccunava, Blado„ nis, tu heres mea ut habeas volo ac jubeo. „ Similiter & res illas Maurovilla, Rodanone „ unà cum adjacentiis earum, vel quicquid „ de parentes nostros Dodone, & Godane no„ bis ibidem obvênit, & res illas, quem de „ Gondoberto conquisivimus, quem Maraber„ tus in beneficio habet, & illas res, quem „ de Escuffario conquisivimus, unà cum man„ cipiis, terris, vel omnes adjacentias ad ipsa „ loca aspicientes, ista omnia suprascripta te „ Sacrosancta Ecclesia Domini Petri heredem „ meam habere volo atque præcipio. In „ Gronno Luciano ex alode parentum meo„ rum & in Latiomaus, ibi Mora ancilla no„ stra manet, quod de genitrice nostra Rusti„ ca michi obvênit. Colonicas in Gradosa, „ quem ministerialis noster Bajo in beneficio „ habuit, tu heres meam ut habeas volo ac „ jubeo. Quoanone in pago Vasense unà „ cum ingenuis, quem de VVidegunde con„ quisivimus. Doliana in pago Vendascino, „ quem de ipsa VVidegunde ad nos pervênit, „ & suprascripti liberti mei. Justini & Dadi„ no dedimus, volo ut habeant, & ad here„ dem meam Sacrosanctam Ecclesiam aspi„ ciant. In pago Sigesterico vineas & terras „ in Planciano, quem de parente nostro Wan„ dalberto Abbate conquisivimus. Et in Mas„ silia res nostras proprias, casas, & ortiles, „ quem de avunculo meo Dodone mihi obvê„ nit, & de avia nostra Dodina.

„ Similiter ad Pero casas & ortiles, qui mi„ chi de parente mea Godane obvênit, & „ campos & vineas infra civitate & portione „ nostra in Centronis, & ad fontem Lisola, „ terras, & pascuis. In pago Arlatino, An„ glarias, & Vivario portione nostra, & illa „ alia, quem avunculo meo Dodone mihi ob„ vênit, tu heres mea habeas volo ac jubeo: „ Cronia in pago Tolonense unà cum libertis „ ac colonis & servis, terris, vineis, olivetis, „ seu & adjacentias ad se aspicientis, te he„ rede mea sacrosancta Ecclesia Sancti Petri „ Monasterii Novalicis habere volo atque „ discerno. In pago Regense Wardacelis illo „ proprio nostro & illa portione, quem de „ Godane conquisivimus, unà cum Colonica „ in Cumbolis & in Pratalioni, qui ad War„ dacelis aspicit, ubi Siricarius noster Pater „ mansit, tu heres mea ut habeas volo ac „ jubeo. Salines in Viu in pago Arelatense, „ quem de Godane parente nostra ad nos per„ venerunt, & illa portione Siagriæ, quem „ de ipsa conquisivimus, unà cum arias & „ campos, vineis, & olivetis, mancipiis, pa„ scuis ibidem & in campo, & illas Salines „ in Alterneto, Cattorosco, & in Leonio „ tam nostra porcione, quàm & quod de „ avunculo nostro Dodone ibidem conquisivi„ mus,

„ mus. In pago Diense Caffies sibi teptis & „ portione nostra in Bosedone, quem de Siagria conquisivimus unà cum libertis & servis vel adpendices suas, & libertum nostro „ Unebertum, & filius suos, quem ex alode „ de genitore meo habeo, ut habeas volo ac „ jubeo. In Ambillis, ubi Gavioaldus servos „ noster manet, unà cum cultura, quem de „ Domna Siagria ad nos pervênit, quem ipse „ Unebertus in beneficio habet, & illa Colonica de ratione parenti mei Gaudane super de Derauso in pago Diense, ubi Orbicianus servos manet, ubi dicitur Riaciosco, „ te heredem meam sacrosancta Ecclesia habere volo ac jubeo. Colonicas in pago Attense in Variates, & colonicas in pago Cavellico, Attanisco, Quossis, Pecciano, Torrido, qui mihi ex alode genitrici mei Rusticæ & avunculo meo Dodone obvênit. Ista „ omnia suprascripta unà cum adjunctis adjacentibus suis ad ipsa loca aspicientis, te sacrosancta Ecclesia Beati Petri Apostoli Novalicis Monasterii, te heredem meam habere volo atque præcipio. Colonicas in pago Diense, ubi dicitur Macitha unà cum „ Salines ad Verdone, qui ad Lavariosco „ Corte nostra aspexerunt, quam de Domna „ Syagria conquisivimus, te heredem meam „ habere volo ac jubeo. Casalis in Tenegaudia „ unà cum terris & pascos in ipso monte, „ quem de Valeriano genitor meus conquisivit, te heredem meam sacrosancta Ecclesia „ Domini Petri Monasterii habere volo ac jubeo. Et placuit michi in hac pagina testamentis mei adnecti de alode parentum meorum, aviis meis Maurino & Dodine, quem „ apud consobrina mea Honorata filia Eptolenæ amitæ mei pro pectionis titulum inter „ nos divisimus, noscitur conveniisset, ut ipsa „ omnem portionem suam de ipsa facultate „ præsentialiter recipit, & de proprietate nostræ, quod pro Falcidia se nos ipsa vel heredis sui superstites fuerint, estare, aut per „ lege recipere potuissent, eis præsentialiter „ de proprietatis portione nostræ loca dominata, quem in pactionis nostræ continetur, „ & scriptæ in Falcidia reputata dimisimus, „ ut nullo umquam tempore in postmodo ipsa „ nec heredes sui contra hanc testamento meo „ nec pro iesta nostra ambulare, nec refragare debeant. Quod si fecerint, pœna quod „ in pectionis nostræ per commune consensum „ continet, incurrant; & quod repitent, „ evendicare non valeant. Et volo ut omnis „ liberti nostri, quos & quas parentes nostri „ fecerunt liberos, & nos postea fecimus, ut „ ad ipsam heredem meam Ecclesiam Sancto „ Petro aspiciant, & obsequium & impensionem sicut ad parentes nostros & nobis juxta „ legis ordine debetur impendere ita & inantia „ ad ipsa herede meam Sancto Petro Novalicis Monasteri constructa facere debeant. „ Quòd si contumacis aut ingrati ad heredem „ meam suprascripta Ecclesia steterint & revellare voluerint, tunc liceat Agentes herede meam eos cum pietatis ordine cohercere, „ ut ipsi impensionem faciant, sicut ad parentes nostros & nos fecerunt. Quòd si ingrati „ & rebelli perstiterint, tunc quod lex de ingratis & contumacis libertis continet cum „ judice interpellatione & distractione ad herede mea exsolvant, & ad ipsa revertant „ volo ac jubeo. Et dono suprascripto pago „ Gratianopolitano liberta mea Sanctitilde, „ qui manet in Pino cum filios suos Sicufredo „ & Sigirico, Sicumare & germanos eorum „ Helene & Sigilinæ, & in ipsum pago Gratianopolitano donamus liberto nostro nomen Gondoberto eunucu & germanas suas „ cum omni rem, quem Widegundas ad parentes suos in Pagnanum per cessione dedit, „ volo ut habeant, & ad herede mea aspiciant. Donamus liberta nostra Droctesenda „ cum filius suos, & habet ipsa liberta nostra „ homo ingenuus nomine Radbertus, dedimus „ Celseberto Colonica in Glisione prope de „ Arcia, volo ut habeat, & ad herede mea „ aspiciat. Colonicas, terras, & vineas dominicales, quem Jocos serator noster in „ cessione, & Opilonicus usque nunc in beneficium habuit, quem de Siguberga conquisivimus, volo ut ipse per testamento nostrum libertus fiat, & ipsas colonicas sub „ nomine libertinitatis habeat, & ad heredem „ meam sicut liberti nostri aspiciunt, ita & „ ipse sic facere debeat; & si ipse de ipso „ Monasterio sicut libertus se abstrahere voluerit, in pristinu servitio revertatur, & „ ipsas colonicas & ipsi Monachi ad parte „ herede meam Sancti Petri Monasterii recipiant.

„ Et illud mihi in hunc testamento meum „ addere placuit, ut dum & Domnos patruus „ meus Semforianus condam Episcopatum „ Wapencense in suam habuit gubernatione „ & devotione suæ, ut medietate derogationes portionis ipsius in valle Segucia ad ipsa „ Ecclesia per sua estrumenta delegare voluit, & diebus vitæ suæ tutillam meam „ in suam habuit recepta potestate, & „ apud nos nullam deduxit ratione, & dum „ per lege nulla exinde potuit delegare, „ & facultates nostras indivisas remanserunt, ipse carta donationis de medietate „ locello nostro commune derogationes in „ valle Segusina ad jam dicta Ecclesia sanctæ „ Mariæ Vapencense quod scripserat, dum & „ lex hoc prohibit, & postea ipse de ipso onos „ Episcopato à malis hominibus ejectus fuit, „ & ipsa portio derogationis ad ipsa Ecclesia „ VVapencense numquam fuit tradita nec recepta. Ideoque nos tam pro animæ nostræ „ remedio, quàm & pro ipsius suprascriptus „ patruum nostrum communi ratione Domno „ Senforiano donamus ad ipsa Ecclesia VVapencense locella nostra in pago Regense, „ nuncupantes Braccio, unà cum Vocontio, „ quem de parente nostra Godane ad nos pervênit, unà cum libertis, ac colonis, & servis, domibus, ædificiis, terris, vineis, campis, pratis, pascuis, silvis, omnia & ex „ omnibus, quicquid infra ipsum pago Regense ad ipsum Bractio & Vocontio aspicere videtur, præter quod superiùs scriptum est, quod dum heredem meam Ecclesia Sancti Petri dedi, ut tam pro animæ „ meæ remedio, ut diximus, quàm & pro „ devotione patruum nostrorum Domno Senforiani in luminaribus ipsius Ecclesiæ, & „ pro substantia pauperrorum perhennis temporibus proficiat in augmentis, volo ac jubeo: Immoque donamus ad ipsa Ecclesia „ Sanctæ Mariæ VVapencense locella nostra „ in ipso pago VVapencense nuncupante Ruarmo, Ambillis in Taraone, unà cum libertis ad ipsa loca aspicientes. In pago Cavel-

„ vellico, Memiana, quem Domnos & Auvos noster Marro condam de Domno Cramelino Episcopo conquisivit. De ista omnia suprascripta, dum adhuc vixero, usum & fructum mihi reservo: post obitum quidem meum, quandoquidem Deus voluerit, Agentes Ecclesiæ Sanctæ Mariæ VVapencense ipsa loca recipiant & habeant, volo ac jubeo. Simile modo donamus ad Ecclesia Sancti Johannis Baptistæ Maurogenna in luminaribus ipsius sancti loci, & pro animæ nostræ remedio, loca nuncupantis in pago Gratianopolitano, Crispiaco, quem de Siagria conquisivimus: Abrici Colinica in pago Viennense, quem de ipsa Siagria ad nos pervênit; Macciano, quem de alode parentum habeo, & in commutationis causa ad ipsa casa Maurogennica pro Colonicas in Venavis in valle Segusina dedimus; Vircarias in Malenciano, quem ad filio Bertelino servo Sancti Johanni pro ingenuitatis dedimus. Ipsa verò loca unà cum colonis, accolanis, servis, libertis in ipsa loca commanentes, & cum omnes adjacentias ad se pertinentes, in luminaribus ipsius Ecclesiæ Sancto Johanne Maurogennica, & pro substantia pauperorum, volo ut habeat & proficiat in augmentis.

„ Donavimus dulcissimæ nostræ Virgiliæ loca nuncupantis in ipso pago VVapencense, Laciomaus, & Licentiaco, Cassaniola, Ciconiola, quem de Domno VValdeberto Episcopo, & de Domna Syagria, & VVidegundæ, & Deo sacrata Ricuberta fœmina in ipsa loca conquisivimus. Similiter & in pago Segisterico, Lavariosco, unà cum omnis adjacentias suas, quanto infra pago Sigisterico ad ipsa Corte aspicere videntur, quem de Domna Siagria ad nos pervênit. Etiam & in pago Regense Cinicino, quem de Domno VVadelberto ad nos pervênit: in ipsa verò loca unà cum ingenuis, libertis, accolanis, & servis, terris, domibus, ædificiis, mancipiis, campis, pratis, pascuis, silvis, vineis, cum omnis adjacentias earum ad se pertinentes, ut habeas volo. Propter quod in ipsos pagos Sigisterio, Regense, & VVapencense ad heredem meam Ecclesia Sancto Petro Monasterii Novaliciis dedimus, ut habeat volo ac jubeo. Et placuit mihi in hunc testamentum meum plenissima voluntatem scribere, dum & Domnos & in Christo pater noster VValchuni Episcopus ab initio incoationis opere fundamentum Ecclesiæ Sancto Petro Monasteriæ Novalicis heredem meam posuit, & usque ad culminis consummationis fabrica perduxit, & in omne opere ædificiorum adjutor & gubernator stetit, ut dum ipse advixerit, sub suo nomine & gubernatione & nostra commune, ipse Monasterius Sancto Petro heredem meam cum omnibus rebus ad ipsum delegandis consistere valeat. Et quod humanum est, quando Abbas de ipso Monasterio de hac lucem migraverit, tunc Abbate, quem ipse Domnos VValchuni Episcopus in ipso Monasterio elegere voluerit, ibidem mittat, & ipse Abba, vel sui Monachi taliter agant, dum & ipse Domnos VValchuni advixerit, qualiter ipse eos spiritaliter monere voluerit; & licentia non habeat de ipsis rebus aliud faciendi, nisi quod ipse suprascriptos Domnos VValchuni Episcopus pro commune utilitatem ipsius Monasterii eis, jusserit. Et ita mihi placuit, addendo, ut omnis facultas mea, quem per hunc testamentum meum vel epistolas ad ipso Monasterio delegavi, dum & ego & ipse Domnos VValchuni advixerimus, sicut jam dictum est, sub suo nomine & nostrum diebus vitæ suæ ad protectum jam dicti Monasterii consistere valeat. Et si michi superstis fuerit, diebus vitæ suæ ad profectum jam dicti Monasterii consistere valeat; & si michi superstis fuerit, diebus vitæ suæ in sua permaneat potestate. Et si quislibet (quod esse non debet) de Monachis ipsius Monasterii contumax aut corruptor fabulis insidiarum contra jam dictum Domno VValchuni Episcopo estiterit, aut rebellare voluerit, licentia habeat eos juxta qualitatis opere cohercere, & sententia juxta canonica regula Sancti Benedicti institutionis judicare. Et si noluerit se in sua castigatione corrigere, & rebellis extiterit, licentia habeat eum de ipsum Monasterio in sua contumacia eicere.

„ Dono ad suprascripta heredem meam sacrosanctam Ecclesiæ Sancti Petri Monasterio Novalicis terras & vineas unà cum mancipiis in Matanatis, quem de alode parentum meorum habeo, quem Beroleos in beneficio habuit, volo ut habeas ac jubeo. Dono fidele meo Protadio res illas in pago VVapencense, ubi dicitur Semprugnanum cum adpendices suas, quem de Agloaldo conquesivimus, & illa portione, quæ de Maurengo Clerico, pro sua infidelitate quod nobis mentivit, & per verbo dominico conquisivimus, dum & ipse nobis mentitus fuit, ipsas res Palatius nobis cessit, volo ut habeat. Donamus Tersiæ filiæ Honoriæ liberti nostræ quam Teudaldos de Seguciu huxorem habuit, res illas, quæ fuerunt Riculfum filium Rodulfum quondam, quem per præceptione Domno Theoderico Rege, & inluster verò Domno Karolo in pago Diense, VVapencense, & Gratianopolitano conquesivimus præter Colonicas in pago Ebredunense, in Velencio, quem ad Monasterio Sancto Petro heredem meam delegavimus, dum & ipse Riculfus apud gente Sarracenorum ad infidelitatem Regni Francorum sibi sociavit, & multa mala cum ipsa gentem Pagana fecit, volo ut ipsa Terscia ipsas suprascriptas facultatis habere debeat. Et volo ut liberti nostri filii VValanæ cum illas res quem ipsius VValanæ dedimus, ad heredem meam Ecclesiam Sancto Petro aspiciant. Dono liberta mea ad herede meam Ecclesia Sancto Petro nomine Fredberga uxore Tasculsum cum nepotes ipsius Fredbergæ in Etone, aut Pareliano manere videntur, ut libertiçam eorum res ad ipsa Ecclesia aspiciant volo ac jubeo. Et notamini in hac pagina testamentis mei addendum placuit, dum & provincias justas ad Agentes Serracenorum dissolatas & distructas sunt, & tam liberti nostri, quàm & servi & ancillas utriusque generis per plura loca vicinorum per necessitate dispersas fuerunt, volo ut ubicumque Adgentes heredem meam Monasterii Sancto Petro Novalicis constructum eos invenire potuerint, ut licentia habeant in eorum absque cujuslibet contradictione revo-

„ ca-

" care dominatione. Et ficut ad parentes no-
" ftros & ad nos afpexerunt, ita & ad here-
" dem meam Ecclefia Sancto Petro Mona-
" fterii Novalicis afpicere debeant, volo ac
" jubeo. Et volo, ut Gislarannus libertus no-
" fter & uxor fua, quem de Domna Siagria
" ad nos pervenerunt, unà cum Colonicas il-
" las, quem eis in Comario in pago Gratia-
" nopolitano dedimus, ut ipfas habeant, &
" ad herede meam Monafterio Sancto Petro
" Novalicis afpicere debeant. Et illa, quæ
" non funt nominata, & ad noftro jure per-
" tinet, & alicubi non delegavimus, volo ut
" ad herede meam perveniant, & fi qua Ka-
" raxatura, aut litteratura (*) in hanc pagi-
" nam teftamentis mei repertæque fuerint,
" nos ea fieri rogavimus, dum & non femel
" fed fæpiùs eum requifivimus. Et humiliter
" preco Domnis Principibus, vel omnium po-
" teftatibus & Epifcopis per Patre & Filio &
" Spiritu Sancto, qui poteftatem dominandi
" regendi habeatis, ut hunc voluntatis noftræ,
" quem per hunc teftamentum meum ad he-
" redem meam Ecclefia Sancto Petro Mona-
" fterio pro fubftantia Monachorum & pau-
" perorum delegavi, ut in nullo permittatis
" convellere nec irrumpere, ut ad augmentis
" mercedis veftræ commune pertineat. Et fi
" quis fperat hoc temerario contra hanc vo-
" luntatem meam, quem promptiffimam de-
" votionem confcribere rogavi, infidiator ex-
" titerit, & fe fe .... noluerit, iram cœ-
" leftem incurrat, & ad communionem om-
" nium Ecclefiarum excommunicatus appa-
" reat, & infuper inferat ad ipfum fanctum
" Locum heredem meam fociantem fifco auri
" libras quinquaginta, & quod repetit, &
" vindicare non valeat, ftipulatione pro omni
" firmitate fubnixa.
" Ego Abbo hunc teftamentum à me fa-
" ctum fubfcripfi.
" Rufticius vir clariffimus.
" Magnabertus vir clariffimus.
" Widbertus vir clariffimus.
" Semphorianus vir clariffimus.
" Vitalis vir clariffimus.

NOTATIO MABILLONII.

HOc *teftamentum ejufque confirmatio ac renovatio per Carolum Magnum optimæ notæ mihi videntur. Utriufque exempla manu propria defcripta nobis conceffit vir de re publica litteraria benemeritus Antonius Herovallius, qui ex Chartario Gratianopolitano illa eruerat. Chartarius ille Codex fcriptus eft ante annos quingentos, Pontificatu Hugonis iftius Sedis Epifcopi. Ex eo teftamentum accepit clariffimus Annalifta Carolus Cointius, illudque calculo fuo approbavit. Hoc idem vifum eft aliquod operæ pretium recudere cum prævio diplomate Caroli Magni inedito, quo Abbonis teftamentum confirmat, recognofcit, atque integrum per Notarios fuos renovat. Ejus rei mentionem facit Chronographus Novalicienfis apud Chefnium his verbis:* Eo tempore Beatus Frodoinus volens teftamentum ipfius Ecclefiæ renovari, quod quondam Abbo Patricius de ipfa Ecclefia fecerat tempore Theoderici Gothorum Regis; mifit duos Monachos, Agabertum fcilicet, & Gilaramnum, ad Karolum Magnum Imperatorem, ut fibi fuo imperiali Præcepto teftamentum ipfum renovari concederet. Qui benignè illi annuens, cuncta, quæ illi petiit, impetrare valuit. *Falfus eft Chronographus in Theoderico Rege, de quo mentionem facit Abbo in fuo teftamento, ubi tradit* res illas, quæ fuerunt Riculfum filium Rodulfum quondam, quem per præceptione Domno Theoderico Rege, & illufter verò Domno Karolo in pago Dienfe, Wapencenfe, & Gratianopolitano conquefivimus. *Hìc Theoderici nomine intelligit Abbo, non Theodoricum Gothorum, fed Theodericum Francorum Regem, cognomento Calenfem, quo regnante Princeps erat Carolus, cognomento Tudes, feu Martellus. Certè Abbonis teftamentum conditum eft* anno vigefimo primo *Regni Caroli Martelli, cujus renovatio nullo chronologico charactere prædita eft, nifi quod Carolus tunc erat Imperator. Denique Abbo in fuo teftamento mentionem facit de impreffione Saracenorum in pagos illos, ex quibus bona quædam Cœnobio Novalicienfi tradiderat. Pagi illi præter Novalicienfem, qui fitus eft in diœcefi Taurinenfi, aliàs Maurinenfi, funt Lugdunenfis, Matifconenfis, Viennenfis, Gratianopolitanus, Arelatenfis, Vendafcinus, Vafenfis, Dienfis, Maffilienfis, Tolonenfis, Aptenfis, Regenfis, & Darantafienfis. In hos verò pagos aut certè in plerofque effufi funt Saraceni Anno DCCXXXI. quo Theoderico regnante Carolus Martellus principabatur. Lege quæ de hac clade diximus in Seculo tertio Benedictino ad eum Annum. Ceterùm quod Carolus Magnus in præmiffo diplomate habet de figillo plumbeo, auctoritatem habet ex iis, quæ diximus fupra in Libri Secundi Capite XVI. Qui duo Abbones Patricios facit Ughellus in Italiæ Sacræ Tomo IV. col.* 1423. *alterum fub Theoderico Oftrogothorum Rege, cujus principatu conditum fit Novalicienfe Monafterium; alterum fub Pippino Rege: nullo nititur fundamento, & facilè ex fuperioribus refellitur.*

Anno ab Incarnatione Domini Noftri Jefu Chrifti DCCCLXXIV. Indictione III. menfe Junii Feriâ fextâ, quintâ horâ noctis oftenfum eft fignum in Cœlo: apparuit enim Stella Cometis in fignum Arietis, fulgens quafi facula; luxitque per dies quatuordecim. In ipfo verò Anno *Domnus Ludovicus Sereniffimus Auguftus* obiit menfe Augufto feriâ fextâ. Et *Karolus Rex Francorum* ingreffus eft in Italiam, cum multitudine magna, & obtinuit Regnum annis duobus. In fecundo verò anno quam ingreffus eft Italiam, apparuit fimiliter menfe Martio Stella Cometis, parte Occidentali in fignum Libræ, & luxit per dies quindecim; fed non tam præfulgida, quàm illa, quæ primitus apparuit. In ipfo verò anno mortuus eft *Karolus Imperator*, & *Karolus Mannus Rex Bajoariorum* ingreffus eft in Italiam cum infinita populi multitudine, & obtinuit Regnum. In proximo verò apparuit aliud fignum in Cœlo mirabile pridie Nonas Januarii, cùm effet Cœlum totum ferenum, & jam aurora crebrefceret, apparuit nempe lux immenfa, ut nobis vifum eft, quafi duodecim momenta, & cùm fuiffet intervallum quafi punctum unum, auditum eft tonitruum magnum in Cœlo, quod omnes qui audierunt, & viderunt tam immenfum lumen exterriti funt & pavefacti. Be-

(*) *Legendum* litura.

Belegrimi (37) Abbatis Novalicienſis, ſeu Bremetenſis, & Monachorum Epiſtola ad Johannem XIII. Papam, qua ejus auxilium implorant adverſùs Arduinum Marchionem uſurpatorem bonorum Monaſterii illius circiter Annum 965.

,, APice Apoſtolicæ dignitatis decenter
,, prædito, perſpicuaque proſapia lucu-
,, lentæ ingenuitatis ineffabiliter prælucenti,
,, atque vaſto dogmate Sophiæ rutilantis ac
,, ſempiternæ ſolerter inſtituto, *Domno Jo-*
,, *hanni venerabili Papæ*, inſignique patrono
,, totius Eccleſiæ Chriſtianæ, Religionis, ac
,, veræ Fidei, nec non auctori rectæ creduli-
,, tatis, quem Dominus poſt ſe dignatus eſt
,, ſublimare in ſacratiſſimo ſuggeſtu Petri &
,, Pauli Principum Apoſtolorum; & cui ritè
,, commiſit oves ſacri gregis: *Belegrimus hu-*
,, *milis Abbas*, cunctique fratres Cœnobialem
,, vitam ducentes in Cœnobio Beatiſſimi Petri
,, priſco tempore ſtructo ferè ad Alpes Sigu-
,, ſiæ Civitatis, quæ eſt confinis Italiæ in loco
,, qui nuncupatur Novalicium, à quodam Pa-
,, tricio nomine Abbone, tempore ſcilicet
,, Theoderici Regis; & deinceps à Karolo
,, Imperatore, cunctiſque Romanis Principi-
,, bus, videlicet Conſulibus, Patritiis, & Se-
,, natoribus, quin etiam ab univerſis Ordina-
,, riis Romanæ Eccleſiæ, ſacris literis præcepti
,, & Privilegii corroborato, atque Beatiſſimo
,, Petro Claviculario cœleſti dicato; inſuper
,, (proh nephas) à dira gente Saracenorum
,, illò ſuperveniente funditus diſſipato; ſed
,, rurſum, annuente gratia ſuperni Conditoris,
,, à quodam *Marchione*, *Adhelbertus* nomine,
,, patre *Berengarii Regis* qui dicebatur, feli-
,, citer reſtaurato in Oppido, quod dicitur Bre-
,, midum; jugem æternæ famulationis, & aſ-
,, ſiduæ venerationis conſtantiam, continuam-
,, que ineffabilium orationum ſeriem. O Cle-
,, mentiſſimè Paſtor, atque univerſæ Europæ
,, Rector, intimamus veſtræ Sanctitati, ac
,, clementiæ, nobilitatique ingenuæ, quòd præ-
,, ſcriptus Marchio, qui reſtruxit Monaſterium
,, in ſupradicto Oppido, convocavit eò omnes
,, Monachos antiqui Cœnobii, qui ſuperve-
,, nientibus Saracenis erant diſperſi in diverſis
,, Provinciis per alia Monaſteria, relinquens
,, ibi non exiguam partem ſui prædii. Sed
,, moderno tempore, quod ille, aliique ſibi
,, conſimiles bonitate, Sancto conceſſerunt
,, loco, alter inſanus, & immani amentia de-
,, tentus, penitus abſtraxit. Nimirum *Mar-*
,, *chio Arduinus*, rapax lupus, latens ſub ima-
,, gine candidæ ovis, ingenſque deſtructor Ec-
,, cleſiæ Chriſti, ferme prædictum deſtructum
,, eſt Cœnobium, niſi (quod ſupereſt) mi-
,, ſericordia Dei, tuaque clementia, ac ſum-
,, ma pietas nos famulos tuos reſpexerit. Nam-
,, que, ut accepimus ab antiquis, & venera-
,, bilibus ejuſdem loci Patribus, hoc Cœno-
,, bium ſemper fuit ſubditum defenſionis Papæ
,, Romani. Quandoquidem conſtructor, &
,, auctor ejuſdem, reliquit ipſum ditioni æterni
,, Regis, & gubernaculo clariſſimi Apoſtolici
,, Baſilicæ cunctarum Baſilicarum excellentiſ-
,, ſimæ, inexplicabiliter deprecans illum, at-
,, que ſuppliciter poſtulans, quòd pro dile-
,, ctione ſummæ individuæque Trinitatis, ſi
,, aliquod infortunium caſu eveniret Abbati
,, ipſius loci cum Monachis, prælibatus Papa,
,, ſicut pius & acer Paſtor defendit cuſtoditque
,, affabrè gregem ſuum à laceratione atrocium
,, ferarum, ita conſervaret illos ubique, &
,, ſalvaret, ſuccurreret eiſdem, ac ſubveniret,
,, à perſecutioneque pravorum hominum eos
,, liberaret. Quapropter, Sanctiſſime Vates,
,, competenter veſtræ clementiæ benignitatem
,, requirimus, ſuppliciterque propriam inge-
,, nuitatem veſtri Idalmatis flagitamus, ut
,, pro ſumma veneratione Cunctitonantis ge-
,, nitoris, qui condolens humanam propaginem
,, eſſe damnatam, atque neci ſubjectam probro
,, corruptelaque protoplaſmatis, tradidit uni-
,, genitam prolem morti, quatenus reduce-
,, ret famulum ad priſtinum immortalitatis
,, æternæque beatitudinis ſtatum, dignemini
,, nobis conſulere, nec non fauſtè cunctis in
,, neceſſitatibus ſubvenire noſtris. Quoniam
,, aut per vos veniet ſalus nobis poſt Coſmi
,, conditorem, aut omnino dimittemus locum
,, iſtum. Siquidem tanta eſt feritas prænotati
,, Marchionis, ut nemo noſtrûm permanere
,, poteſt in eodem loco, quia omnes Cortes,
,, Vicoſque & cuncta Oppida, de quibus vi-
,, ctus & veſtitus nobis veniebat, totamque
,, meliorem Cœnobii terram cum famuliseidem
,, pertinentibus, abſtulit nobis ſervis tuis. Et
,, niſi fuiſſet quidam vir præclarus virtute, &
,, illuſtris propagine antiquæ gentis, Sanſon
,, nomine, qui prope metam felicis vitæ in
,, prætitulato Cœnobio ſumſit habitum ſacræ
,, Religionis, concedens huic loco non mini-
,, mam portionem ſuæ poſſeſſionis, minimè ha-
,, beremus unde ſpatium duorum menſium
,, vivere quiſſemus. Denique quod nefas eſt
,, dictu dirus Marchio, geſtiens totum Mona-
,, ſterium in ſuam redigere ſervitutem, & in
,, filiorum hereditatem, dicit ſe habere Præ-
,, ceptum de eodem: quod frivolum eſt, &
,, mendoſum. Namque ſcimus, quòd *Lotha-*
,, *rius Regulus*, *filius Hugonis Regis*, dece-
,, ptus blanditiis fraudibuſque ſævi Ducis, ac
,, ingenti amentia detentus, neſcientibus Italis
,, Principibus, nobiſque omnibus ignoranti-
,, bus (proh dolor) clam firmavit illud Præ-
,, ceptum, pro quo nobis, ſanctoque loco
,, accidit omne malum. Poſt quod factum,
,, divinitus ingenti plaga percuſſus, in ipſa
,, hebdomada obiit mortem. Quod præceptum
,, *Otto piiſſimus Imperator*, clementiſſimuſque
,, Rector multarum Provinciarum, veniens ad
,, Italiam, interventu *Domnæ Adheleidæ Uxo-*
,, *ris ſuæ*, glorioſiſſimæ Auguſtæ, jam dicti
,, *Lotharii* olim relictæ viduæ, coram cunctis
,, Principibus ſuis, videlicet Marchionibus,
,, Epiſcopis, Comitibus, & Abbatibus igne
,, cremari fecit. Poſt aliud nobis reſcribere
,, juſſit, quod propria manu firmavit: inſuper
,, comminatus eſt ſcelerato Duci, ne amplius
,, intromitteret ſe de prædiis, Cortibus, Vi-
,, cibus, Oppidis, famuliſque, neque de ali-
,, quibus rebus ipſius Cœnobii pertinentibus.
,, Quid plura? Almus Imperator ad propriam
,, ſuæ nativitatis provinciam rediens, confe-
,, ſtim

(37) Quem *Pellegrinum* appellat Mabillonius in Annal. Benedictin. ad Annum 928. Quum heic memoretur *Otto* Magnus Imperator, idcirco Epiſtolam hanc retuli ad Annum circiter 965. Vereor autem, ut idem Mabillonius rectè conſignaverit tempus, quo hic Abbas Novalicienſi Abbatiae praefuit.

„ stim supra nuncupatus Marchio diris modis „ cœpit affligere Abbatem, universosque Cœnobitas, septies abstrahens omnes res, quas, „ Imperator benignus reddere Monasterio fecerat, & multa insuper, quæ antea non „ abstulerat: sæviens quòd ausi fuimus proclamare ante sacrum Imperium de malis, quæ „ nobis inferebat. Ad ultimum reddens nobis „ aliquam particulam, sed perexiguam de „ prædiis Monasterii, compulit Abbatem promittere promissionem indignissimam, quòd „ deinceps non proclamaret se ante aliquam „ Imperatoris præsentiam de tali facto. Quod „ scelus credimus condolere Omnipotentem „ Trinum, & simplicem Clavigerumque cœlestem cum omnibus Sanctis. Quin etiam „ cupimus esse divulgatum præsentiæ vestræ „ Majestatis, quòd aut per vestram benignitatem sanctus stabilis manebit locus & firmus, aut prorsus ab ipso Arduino erit destructus, & à nobis relictus: quod prohibeat rerum Conditor. Idcirco assiduis precibus minimè desistimus fundere vota, ut vestras mittatis sanctissimas elementorum notulas Sanctissimo Imperatori, quæ resignent „ illi, qualiter res gestæ fuerint inter præscriptum Marchionem, & nostrum Patronum, quoniam adeò ad nihilum sumus redacti, ut nemo nostrûm neque palàm audeat „ inde verbum dicere, neque ad Cortem ire „ ob metum iniqui hostis. Insuper posset illum taliter supplicare, ut si gratiam Dei „ cupit habere, æternumque Imperium superni Regis si gestit participare cum Angelis, „ reddet Abbati, ac Monachis totam tellurem „ ad ipsum Cœnobium pertinentem, cum famulis ac rebus ibidem attinentibus: ac dicet „ effero Comiti, quòd si ampliùs intromiserit „ se de prædiis ipsius Monasterii, in perpetuum „ minimè ipsum habebit amicum, nec Dominum. Deinde supplices exoramus munificentiam vestræ ditionis, quatenus ex parte vestri, & per vestros legatos talem illi transmittatis Comiti anathemationem, quòd si „ ampliùs contra voluntatem Cœnobitarum „ tenuerit prædia ipsius loci, condemnatus, & „ anathematizatus permaneat in æterno Tartari igne. Quod superest, manifestare ac „ promere gestimus summæ majestati vestræ, „ o præpotens Præsul universæ Sanctitatis, & „ facundiæ, quod semper expectavimus, quòd „ Mundi Plastes Dominus tribueret talem patronum Apostolicæ Ecclesiæ, qui ritu antiquorum Patrum sanctam regeret Ecclesiam, „ per quem salus ac recuperatio nostræ egestatis veniret cœlitus: quod credimus fore „ concessum. Quandoquidem candida fama „ pervênit ad nostras aures, nuntians nobis famulis tuis, quòd nec munere placaris, neque timore perterritus usquam recesseris à „ veritate judicii, quod est sanctissimum omnium rerum. Nec te latêre volumus, Sancte Pater, quòd quidam senex sanctimonialem habitum ab infantia gerens in ipso Cœnobio, dum quadam nocte, solito more, „ intraret in Ecclesiam causâ orationis, repente insolitus sopor oppressit eum. Qui ut „ ipse refert, per visionem vidit quemdam „ virum candidis vestibus indutum, in læva „ manu gerentem auream pugillarem, in „ dextera verò argenteam Crucem, de qua „ ter percutiens caput ipsius senis, à somno „ eum excitavit, præcipiens illi, quòd diceret „ cunctis fratribus: *Implorate auxilium à Romano Patrono*.

Post obitum *Domni Gotefredi Abbatis*, qui timore, & amore Dei plenus fuisse refertur, cujus videlicet dominatus pacificè permanserat temporibus illis: nam vocante eum Domino de hac instabili luce, *Odilo* quidam juvenis Cluniacensis, nepos alterius *Odilonis Abbatis*, Abbatiam nostram ab Imperatore Chuonrado Romæ illi confertur ad regendum. Qui Juvenis tunc rudis à Claustralibus exiens disciplinis, conspiciens se tanto honore sublimatum, cœpit turbam militarem sibi adhærere, nonnullis prædiis terrarum, unde sumtus veniebat Monachis illis, Vassis in beneficium tradidit. Contra Monachos verò, & maximè in majores impudenter insurgens, ac contra eos sedulò vexans. Quid multa? Dum pueriliter cuncta agit, ac nimium jocis præoccupatur, Curtemque Domini sui Imperatoris parvipendens, cogitans ne quis posset ei extemplo obsistere, dat prædictam Abbatiam in beneficio cuidam *Alberico Cumano Episcopo*. Nam quidam sciolus, nec dum Præsul ita scripsit: *Nam cùm Henricus moritur Cæsar, & alter oritur, tunc Bremetenses Domino deviduantur proprio*. Et iterum: *At Cumanorum Pontifex Chuonrado multum serviens, tantum aurum incanduit, promissio prævaluit*. Itemque:

Cucullata militia
Horruit hanc malitiam.
Hi Columbæ filii
Et serpentis discipuli.
Nam ego Regnum circui,
Et Claustra multa fricui,
Sed numquam vidi aliquos
Sic temperatè callidos,
Ut Bremetenses Monachos,
Hostili fraude . . . . .
Spernentes jugum sumere,
Quod Regis datur munere.

Data itaque Abbatia est, sicut supra retulimus, unde Abbas cum Monachis non modicè doluerunt. Episcopus verò callidè satis agens, protinus invadit Abbatiam, ac famulos jurare sibi fidelitatem compulit, & ii, qui noluerunt, metu suo ab arva exierunt, relinquentes proprias domos. Prudentiores namque Monachi suo conspectui aliquando noluerunt se præsentare, nam omnem thesaurum auferentes secum, occultaverunt. Ipse igitur Taurinum veniens, egit arte callida cum *Marchione Maginfredo* (38), & fratre suo *Adalrico* (39) *Præsule*, datoque multo pretio, ut Abbatem caperet, quod & fecit. Qui palàm omnino nequivit facere, quod optabat; timebat enim Cives ipsius Civitatis: sed malum citrinum ipsi dirigens, mandansque, ut ad se veniret, & sic tradidit. In crastinum autem convenientes omnes Cives in unum voluerunt Abbatem eripere vi; sed prædictus Marchio cum turba militare prævaluit, interdicens illis, ne quid offenderent. Episcopus verò secum Abbatem sub custodia ducens, mancipavit illum mox in carcerem, ac non post multum fidelitatem illi faciens de Abbatia, dimisit eum.

In tempore quo messis tunditur, idem ipse Cumanus Episcopus Bremito vênit, invasitque duos Monachos, ut mitteret in custodiam, qui magni

(38) Scilicet Marchione Secusiæ, qui circiter annum 1010. floruit.

(39) Episcopo Astense, cujus mentio in Historia Arnulphi Mediolanensis Tom. IV. Rer. Italic.

magni tunc apud Deum, & seculum habebantur. In nocte sequenti dum cogitaret hoc nefas, Sanctus Petrus ante stratum ejus assistens, inquit: *Alberice, quo pacto vivere potes, qui tanta mala injecisti loco meo, Monachisque ita agens?* Et in inguine percussit eum. Qui statim cernens suam internecionem, cùm redditur lux terræ, proficiscitur. Tamen optavit ibi mori, & sepeliri: sed magno timore capti domestici ejus, hoc ne fiat rogant; enim verò si hoc ageretur, vivi à Potestatibus Terræ detinerentur. Ipsemet verò vectus in equis, semivivus abiit. Mortuus denique est, antequam ad Cumanam perveniret Urbem. Dum exueretur vestibus, saraballa ejus stercoribus labefactata reperta sunt. Ipsi, qui viderunt, testimonium præbuerunt, & adhuc supersunt, qui se vidisse confitentur. Nam ipse sæpissimè testabatur, quòd à quodam Clerico barba, & capite cano, qui sibi in eodem Cœnobio apparuerat, percussus sit, quem omnino intelligimus Beatum fuisse Petrum. Dignus quippe fuit tali morte, qui servos Dei & locum sanctum multis affecit calamitatibus.

Post mortem hujus quidam Teutonicus Episcopatum suscepit nomine *Leuticherius*. Hic contulit Abbatiam *Domno Eldrado*, reprobato *Odilone*. Is Eldradus vir bonus fuit, plenus dierum, crescens in senectute bona. Demoravit Abbatiam suam decem annos cum omni moderatione æqua, paceque cum digna. Post circulum multorum annorum mortuus est, & sepultus in pace. Temporibus hujus Abbatis actum est miraculum quoddam, quod tacere nolumus. In hebdomada Sanctæ Paschæ dum cantarentur Vesperæ, quidam homo vênit, surdus, mutusque, & contractus, plenus Dæmonibus. Qui ingrediens Templum vociferabatur, nihil dicens, nisi tantùm vocem dans ad sidera. Post spatium unius horæ concito gradu ad aram cucurrit Sancti Petri, & amplexatus est eam, statimque erectus est, & vinculum linguæ solutum est: & evomens cænulentum sanguinem, liberatus est per intercessionem Sancti Petri à tot infirmitatibus. Hoc verò nostris oculis vidimus, & testes sumus hujus rei.

Igitur notum facimus omnibus Sanctæ Dei Ecclesiæ Fidelibus, præsentibus scilicet, atque absentibus, de malo, quod passum est Monasterium Bremetense ab illo, qui nuper Abbas visus est, *Oddo* nomine; nam hic in quodam prœlio percussus, magis causâ timoris, quàm Dei veneratione ad Monasterium Bremetense pervênit, ibique se Deo, & Sancto Petro, atque *Domno Gezoni Abbati* Monachum vovit. Interim volventibus annorum curriculis, erat Abbas illius loci senectute inhabilis. Volentibus cunctis fratribus, nec non *Domno Imperatore Heinrico* consentiente, Abbatiam alteri dedit. Quidam Frater Monasterii deprecatus est Abbatem, ut huic supradicto Monacho Oddoni quamdam obedientiam de Pollentia ..... subtus eum daret: qui precibus ejus adquievit. Illo namque tempore magna persecutio erat inter *Ardoinum*, & *Maginfredum*. Quod sciens prædictus Monachus, Oddo scilicet, abiit ad Ardoinum; postulatus est eum pecuniam, dante atque pollicente, ut illum Abbatem faceret de Cella, unde Prioratum habebat. Marchio autem dixit, se non posse facere, quia Pater suus dederat Bremetensi Monasterio. Tunc Monos acephalus ait: *Si mihi dederis Abbatiam, & contra Abbatem meum tenere feceris, chartas Patris tibi reddam.* Tunc Ardoinus ita dixit, ut fieret. Statim quippe Judæ Pædagogus furatus est chartas, & reddidit Ardoino. Nec mora: ipse Marchio duxit secum Romam, obtulit maximam pecuniam Papæ, & dedit consecrationem. Quo audito, Bremetensis Abbas grave pertulit. Abiit ad Domnum Papam. Retulit per ordinem, quomodo contra Deum, & ordinem suum gesserat. Tunc Domnus Papa cognita veritate, dato Anathemate jussit ut nec Abbas fieret, & in jussionem sui Patronis rediret; deditque licentiam, ut quicumque vellet adjuvare eum, suo deposito liberam haberet facultatem, & benedictionem. Nec mora: Abbas perrexit ad Maginfredum, petiit misericordiam de suo oberrato, ut per licentiam Papæ, si posset eum quocumque ingenio caperet. Interim Maginfredus præparat se ad capiendum Leviatham. Incœpit & perfecit. Insuper omnibus modis juravit, ita dicendo: *Ego Oddo Monachus diebus vitæ meæ amplius Bremetensem Abbatiam non accipiam, neque sinè licentia Domni mei Gottefredi Abbatis Abbatiam nec Prioratum habebo.* Sic callidè liberatus, oblitus sacramentum, & omne firmamentum, ad prius recurrit delictum. Ita se habuit, donec *Domnus Imperator Heinricus* Regnum vênit, qui cognitis omnibus ejus nequitiis, cunctis videntibus Episcopis, qui aderant, detestabilem Sarabaitam cepit, baculum fregit, atque superbum de sede deposuit. Insuper ut numquam de Claustro exiret, firmiter præcepit. Nec multum cum fratribus permanens, inter eos discordiam posuit. Hoc Abbas vidit. Illum abscedere maluit, quàm totam congregationem in præcipitium mittere; & dedit ei unum Prioratum, ut vel hoc sufficiens quiesceret. Quo accepto nec quievit, sed quidquid in ea Cella invênit, Libros, Calices, Crucesque, atque thesaurum (de vino & pane non est numerus) omnia vendidit. Maximam pecuniam fecit. *Alrico Episcopo Astensi* dedit pro una Abbatia sic res permansit. Quievit viventibus Abbatibus istis, Gezone, Gottefredo, Odilone. Eldrado ultimo mortuo, adiit *Cumensem Episcopum Leuticherium*; dedit, promisit, jurejurando spopondit & Episcopo, Clericis, fidelibus, & famulis inter omnes quingentas libras pro Bremetensi Abbatia; qua recepta, tulit, & vendidit pro pecunia, quam promisit, Cruces, Calices, Coronas, Texta Evangeliorum, Tabulas Altaris, Thuribola, quidquid de Thesauro invênit. De pane, vino, carneque, lingua dicere non sufficit. Insuper coëgit ut Monachi jurarent sibi fidelitatem, quomodo & Laici faciunt. Unus ex majoribus, idcirco quia lamentatus est Nuntiis Domni Imperatoris, captus est, & posuit in carcerem, nec inde exeundi habuit facultatem, donec ipsemet dedit sibi unum ex famulis, & fecit pro ipso sibi ipsi jurare fidelitatem. Quidquid hîc scriptum est, si quis probare voluerit, in veritate comperi, & quomodo plus sit, nihil deerit, quemadmodum hìc legitur.

Fruebatur interea bona ipsius Abbatiæ, cum suis comedens, ac distrahens cuicumque poterat. Nam in terrarum, & diversarum opum adquisitione nullo modo studebat: interdicens nostris, ne adquirerent; ex suis autem totam replebat terram. Erat enim plenus dolo & simulatione. Monachos verò sibi subjectos, omnino secularibus hominibus, maximè Marchio-

chionibus, malè diffamabat, ceu semet exaltans, uti justum, suos verò criminibus pessimis, tamquam privignus, apud seculares criminabat. Sicque factum est, dum filios velut criminosos denudat, imitatus est Cham qui verenda patris non operuit, quin potius deridendo detexit, ut ipse magis postmodum in deterioribus, & cænulentis laberetur factis. Cùm verò Deus suam contemplatus esset infidelitatem, obcœcavit illum, ut dignus fuerat; traderetque alteri clam ipsam Abbatiam: quod & fecit. Ergo cum perjuriis, & inlicitis sacramentis, sinè voluntate, & consensu Fratrum, cupiens inde infinitam pecuniam accipere. Unde credimus Divino judicio aptum, quod tanti honoris deinceps caruisset: datusque est alteri, multo se meliori.

Interea quid impiissimi Tyranni Maximiani olim sit consecutum, breviter colligere placuit. Cùm dispositis insidiis, genero suo Constantino mortem moliretur, deprehenso dolo, apud Massiliam captus est: nec multo post strangulatus, teterrimo supplicio adfectus, impiam vitam digna morte finivit. Circa igitur hæc tempora apud Maxiliam Civitatem Sepulchrum ejusdem Maximiani Christianorum ingentis persecutoris inventum est: nam sicut nobis retulerunt, qui tunc fuerunt, erat mirabiliter corpus ejus intus & extra unctione balsami, & alia nonnulla generatione odoramentorum perfusum; corpus quoque ejus totum integrum tectum pilo; caro candida, barba permaxima. Ad caput verò ejus pocula erant ex auro obrizo, plena balsami. Ipse verò in locello plumbeo quiescebat in quodam labro ex marmore candidissimo cum literis aureis desuper scriptis. Nam consilio *Rainbaldi Archiepiscopi Arelatensis*, & ceterorum Fidelium actum est, ut in mari magno cum totis labris jactaretur: nam diebus ac noctibus maris æquora ibi videntur semper ardere, ubi jactatum est corpus.

Hoc tempore *Leodegarius Archiepiscopus Viennensis* vitam & mores, mortes & actus suorum antecessorum Archiepiscoporum scribendo colligere curavit.

Hoc tempore *Lambertus Rex* apud Italiam regnabat, suoque tempore fuit *Comes Maginfredus*, quem interfecit: nec non & *Ammulus Episcopus Taurinensis*, qui ejusdem Civitatis turres & muros perversitate sua destruxit. Nam inimicitiam exercens cum suis Civibus, qui continuò illum à Civitate exturbarunt: fuitque tribus annis absque Episcopali Cathedra. Qui postmodum pace peracta, reversus, & manu valida cinctus destruxit, sicut diximus. Fuerat hæc siquidem Civitas condensissimis turribus bene redimita, & arcus in circuitu per totum deambulatorios, cum propugnaculis desuper, atque antemuralibus; siquidem præfatum Regem idem Episcopus à filio Maginfredi Comitis cùm in silva venationi exerceretur, & in gremio adolescentis, somno oppressus, obdormisset, interfecit. Post modicum autem apparuit illi quadam die Diabolus in modum Vulpeculæ, cùm equitaretur, quam perniciter insecutus est (sicut fatur popularis vulgus) in tantum ut ulteriùs non sit visus.

Iis quoque diebus *Wido Serenissimus Imperator* Regnum Longobardorum paucis detinuit annis. Circa hæc tempora *Rodulphus Rex* regnavit apud Italos.

Carne itaque Imperatore *Ottone majore* mortuo, illico successit protinus in Regno *Secundus Otto* filius æquivocus ejus. Migrato verò isto Secundo, *Tertius Otto* in Regno eligitur, qui in Conjugium quamdam sumens Græcam filiam Constantinopolitani Imperatoris, quorum Paranymphus exstitit *Archiepiscopus Arnulphus Mediolanensis*. Hic cum Græcis quodam tempore bellum agens, in quo videlicet prœlio captus est, cùm ab ipsis teneretur super æquore marino, suspectus est ab ipsis fore Regem. Quam suspicionem ipse cum suis in quantum quibat destruens, se Regem abnegabat, sed suum fidelissimum, & auricularem ejus se fatebatur. Dum autem ista & alia nonnulla hujusmodi litigando prosequerentur, insinuabant, ut nisi auro argentove quantum sui corpus æqua lance pensitaret, redimeret, non fore dimissurum. Missa protinus relatio est ad Reginam, quæ ibi tunc proxima aderat, & insinuatum est illi omne rei eventum: quæ citissimè plurimos ephœbos misit juvenes, fœminili habitu indutos, cum mucronibus sub tunicis absconsis, qui videbantur ceu turba puellarum, ferentes duodecim scrinia, uti plena ex auro, in quibus erant tria plena ex auro, & argento, omnia verò alia plena erant lapidibus, firmiter clavibus obserata. Cùmque ad litus pervenissent maris, aperta sunt illa tria scrinia, in quibus erat aurum, & proferentes sermocinabantur. Tunc unus ex suis militibus ei durè collocutus est, reminiscens illi priorum bellorum victorias. Subitò excutit se cum magna vi à manibus illorum de navicula, in qua tenebatur, ita ut manus illorum plenæ relictæ essent diploide, qua indutus fuerat; & misit se in aqua; in qua cùm strenuissimè nataret, duo fortissimi illorum perniciter insecuti sunt illum. Unus autem illorum, qui illum insequebatur velociùs, cùm vellet Regem manibus capere, Rex injecta manu, suffocat illum extemplo, atque alteri æquè faciens, evasit.

Circa hæc tempora *Heinricus Imperator* Regnum excipiens Italicum, dejecto Arduino, cum quo sui ante dimicaverant & victi fuerant; & quem post triduum in Sparronis Castrum annum obsederat integrum, quem capere minimè potuit, sed post modicum Monachus efficitur. Illo verò Regno privato, Henricus mox illud arripuit, tenuitque eum viginti annos. Hic multæ prudentiæ fuit. Scientia namque literarum strenuissimè imbutus, Marchiones atque Episcopos, Duces, & Comites nec non etiam Abbates, quorum prava erant itinera, corrigendo multum emendavit. Marchiones autem Italici Regni sua calliditate capiens & in custodia ponens, quorum nonnulli fuga lapsi; alios verò post correctionem ditatos muneribus dimisit. Hic dum vixit, multum amator nostræ Abbatiæ extitit ac custos cum Conjuge sua Augusta.

Defuncto quoque Heinrico, *Chuonradus* per omnia literarum inscius, atque idiota, Regnum arripuit Longobardorum. Qui nonnullas subjugauit Ecclesias, Episcopia quoque, nec non Abbatias, inter quarum nostra proprio Domino orbata, ut supra retulimus, sub jugo Cumani Episcopi tradita est lucri causâ à prædicto Chuonrado. Cujus quoque filius Beniamin, qui alio nomine appellatur *Heinricus Imperator*, bene peritia literarum imbutus, à profano dominio, quo premebatur, abstrahens, & in proprio statu, idest Regio, erigens, interdixit maledictionibus in priori præcepto quod nobis de eadem Abbatia fecit, ut nullus Rex nec Imperator ultra subjugationi alicujus traderet.

F I N I S.

CHRONICON CASAURIENSE,

SIVE HISTORIA

MONASTERII CASAURIENSIS

ORDINIS SANCTI BENEDICTI,

A LUDOVICO II. IMPER.

ANNO DOMINI DCCCLXVI. CONDITI,

AUCTORE

JOHANNE BERARDI

EJUSDEM CŒNOBII MONACHO,

AB EJUS ORIGINE

Usque ad Annum MCLXXXII. quo Scriptor florebat, deducta,

ATQUE ANTEA PARTIM

A DU-CHESNIO, ET UGHELLIO,

PARTIM

A DACHERIO EDITA,

Nunc autem

In unum collecta, & ordinata, atque insigni mole Chartarum nondum editarum,

E CHRISTIANISSIMI REGIS BIBLIOTHECA

DEPROMTARUM,

Locupletata.

IN CHRONICON CASAURIENSE

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

Casauriense Benedictinorum Monasterium, *Piscariense* quoque, & *Sanctissimae Trinitatis* appellatum, situm est in Insula Aprutii ulterioris ad fluvium Aternum, sive Piscariam, olim in Dioecesi Pinnensi, nunc in Theatina. *Eo nullum fere in tota Italia olim illustrius fuit*, si Clariss. Mabillonium audimus in Annalib. Benedictinis ad Annum 866. Sed pace tanti Viri certe illi praeferebantur Monasteria Nonantulanum agri Mutinensis, Farfense, Casinense, & Cavense, ut alia omittam, quae certare & ipsa cum eo potuissent. Debet autem Casauriense Coenobium non sua solum fundamenta, sed & ornamenta singularia, ditissimamque dotem Ludovico II. Imperatori, qui Anno 866. in eo excitando & locupletando munificentiae suae lora laxavit, & amplissimis Privilegiis donavit, atque insuper Sancti Clementis Papae & Martyris Corpus illuc intulit, unde *Monasterium Sancti Clementis* postea appellatum est. Nunc vero sedes deserta; antiqui reditus dissipati; qui vero supersunt, in Abbatis Commendatarii commodum cedunt. Historia illustris hujus Coenobii literis olim consignata, una cum amplissima sylloge Diplomatum atque Chartarum ad illud spectantium, ibi custodiebatur. Delatus autem Codex pervetustus, & fortassis unicus, ad Carolum VIII. Francorum Regem, quo tempore is Neapolitano Regno potitus est, tanti ab eo factus est ea etiam de causa, quod illic frequens laus & mentio Augusti fundatoris, aliorumque Regum Francorum occurrebat, ut ipsum in Gallias secum adduxerit, atque in Regiam Parisiensem Bibliothecam invexerit, ubi adhuc veluti pretiosum antiquitatis monumentum adservatur. Ex hoc igitur Chartulario Franciscus Du-Chesne Anno 1641. depromsit, ac Tomo III. pag. 544. inseruit *Historiam de fundatione Monasterii Casauriensis*, quae ad marginem Codicis interiorem continua serie scripta est. Atque hanc ipsam subinde Anno 1659. Ferdinandus Ughellius, ex Codice Petri Columnae, ejusdem Monasterii perpetui Commendatarii descriptam, nulla Du-Chesnii mentione facta, tamquam primus promulgavit Tomo VI. pag. 1291. Italiae Sacrae, adjectis etiam quibusdam Chartis ab illo minime editis. Neque heic stetit Codicis hujus fortuna. Lucas Dacherius e Congregatione Sancti Mauri, vir optime de Literatorum Republica meritus, Anno 1661. Tomo V. pag. 361. Spicilegii sui, praetermissis, quae praelaudati Auctores jam publica fecerant, evulgavit ex eodem Regio Parisiensi Codice *Chronicon Casauriensis, sive Piscariensis Monasterii Ord. S. Benedicti*, ibique coacervata dedit praecipua ejusdem Chartularii Diplomata. Demum ejusdem Codicis praesidio usi fuere ad augendam rudium Seculorum eruditionem Clarissimi Viri Johannes Mabillonius in Diplomatica, & in Annalibus Benedictinis, & Stephanus Baluzius in Notis ad Capitularia Regum Francorum.

Spectant haec omnia, ut nemo non videt, ad Italicam Historiam; & mihi proinde, qui nihil antiquius duxi, quam ipsam pro virili juvatam atque illustratam in Collectione hac exhibere Lectori, decretum denique est, frusta Casauriensis Chronici in unum congerere, eaque rursus edendo ceteris Historiae nostrae monumentis adjungere. Summopere vero in votis mihi erat, ut si qua possem via, novam hanc editionem aliquo foenore auctam, utiliorem gratioremque Eruditorum Reipublicae sisterem. Quare literis datis ad Cl. Virum *Johannem Boivinium*, Regiae Parisiensis Bibliothecae primum Custodem, cujus benevolentiam ac officia, quoties res poposcit, summam in me & constantissimam sum semper expertus, ab eo petii, ut mihi ejus ope liceret Auctarium aliquod ad Casauriensis Mo-

Monasterii Historiam afferre. Continuo annuit ille lubens pro more suo, immo pro more Gallicae gentis, quae ubi de amplificanda re literaria agitur, quidquid MStorum habet, liberalissime confert, non avaritiam nonnullorum imitata, quae nulli prodest, sed illorum magnanimitatem sectata, quibus publica utilitas & felicitas prae ceteris cordi est. Forte proxime praeteritis mensibus Lutetiae Parisiorum agebat eruditae peregrinationis gratiâ una cum praestantissimo adolescente Marchione Alphonso Fontanellio nostrate, *Dominicus Vandellius* conterraneus & ipse meus, juvenis ad omnium Literarum studia proclivis ac impiger, meique amantissimus. Is ergo in se recepit seligere ac describere quaecumque alicujus momenti Dacherius insalutata dimiserat, quae nimirum conducere posse ad eruditionis antiquae augmentum putabantur. Et quidem promissa strenuissime ille implevit; nam Codex MStus, veniâ a Christianissimo Rege per amplissimum Virum Johannem Rangonium Castri veteris Marchionem, & Serenissimi Domini mei Ducis Mutinae Ablegatum, petitâ, Boivinio lubentissime ministrante, eidem Vandellio traditus est; atque is tot inde Chartas, & Placita praesertim, descripsit, & ad me misit, quot luculentam Appendicem numquam antea editam, & nunc Casauriensi Chronico per me adjectam, conficere potuerunt. Unà igitur cum Chronico ipso Dacheriano accipiat mantissam hanc Lector, simulque omnia, quae jam prodiere curâ Du-Chesnii, & Ughellii: hoc est Diplomatum, Chartarumque antiquarum seriem ac supellectilem magni faciendam, cujus possit esse non modicus usus inter tenebras Seculi IX. X. & XI. Ceterum, quando infra sum editurus Praefationem Dacherii, nihil opus esset commemorare, Auctorem Chronici & Chartarii Casauriensis fuisse *Johannem Berardi* Monachum ejusdem Coenobii, qui jubente Domno Leonate Abbate circiter Annum 1182. Opus hoc magnae molis aggressus est atque perfecit; Regium vero Codicem scriptum fuisse manu *Magistri Rustici*. Unum ergo addam, a Dacherio appellari Scriptorem hunc *Johannem Berardum*, quasi is duplici nomine uteretur. Verùm Monacho illi, uti ex ejus narratione liquet, *Johannes Berardi* nomen fuit, quod idem est ac *Johannes* filius *Berardi*: ita enim eum appellatum puto, ut ab altero Johanne ejusdem Monasterii Monacho distingueretur.

LUCÆ

LUCÆ DACHERII MONACHI BENEDICTINI E CONGREGATIONE SANCTI MAURI

PRÆFATIO.

CHronicon S. Clementis Casauriensis sive Piscariensis Abbatiæ nobis ultro contulit V. C. Antonius Vion dominus d'Heruval, perspicacissimus in discutiendis anterioris ævi scriptis, qui continuò satagit aliis prodesse magis quàm laudem sibi conciliare, quippe omni ipse laude superior. Illud ex ingenti volumine elegantissimis characteribus ante annos D. exarato, quod omnes Monasterii chartas complectebatur, excerpsimus. Auctor siquidem Johannes Berardus, ejusdem Monasterii Monachus Benedictinus, summatim ordine chronologico quæ prolixiùs referunt chartæ, marginibus ascripsit, historiamque contexuit, additis, præter ea quæ Piscariam spectant, serie Imperat. Regum ac Principum, bellis quoque & cladibus, ac depopulationibus, variisque eventis. Præcipua diplomata, nempe Regia, & Pontificia privilegia, rati nec injucunda nec inutilia fore lectori, inseruimus. Piscaria autem insula (quæ vulgò *Pesquaire* vocitatur) in Aprutio ulteriori ad mare Adriaticum sita est, ubi Abbatia S. Clementis etiam num stat suis privilegiis decorata; sed heu! amandatis hinc omnibus Monachis, qui juxta piam Fundatoris voluntatem, Deo laudes diu noctuque persolverent, Abbas Commendatarius cunctos reditus nunc solet sibi vindicare. Doctissimus Abbas SS. Vincentii & Anastasii Ferdinandus Ughellus Monasterii statum perstringit describens Archiepiscopatum Teatinum: *In ea* (Metropoli) *Monasteria aliqua sunt, & plures fuerunt Abbatiæ insignes, quarum maxima est S. Clementis de Piscaria, quæ & si in Pinnensi diœcesi fundata fuerit à Ludovico II. Imp. à summis tamen Pontificibus Teatinæ aliquando tribuitur, donec nullius declarata Romano Pontifici immediatè subjecta facta est.* Tanti viri pace dixerim, à vero hic nonnihil aberrat, quandoquidem ab ipsa fundatione ad hodiernum usque diem nulli unquam nisi Romano Pontifici addicta fuit; etenim Episcopus loci dum Abbatia conderetur jure suo, rogante Imperatore Ludovico II. cessit, & illud in Abbatem transtulit.

Præcellebat Monasterium Piscariense insigni adeò dignitate, ut in omni ditione sua Abbas (*) non secus ac Imperator gerens sese, pedi loco sceptrum Imperiale seu Regale (quod nulli antea vel posthac concessum invenio) gestaret: at ducentis plus annis jam elapsis, summum Hierarcham cùm adiisset, sceptro Imperiali abjecto baculum pastoralem suscepisse docet Berardus in Chronico agens de Grimoaldo Abbate ad an. MXCVIII. *Cum maxima, reverentia*, inquit, *à Papa Urbano susceptus est, & sub protectione Romanæ Ecclesiæ, quam hactenus Abbatia S. Clementis ignoraverat, quia ab Imperatoribus gubernabatur. Hic primus ab illo in Abbatem consecratus, baculum pastoralem in loco sceptri Regalis, quod antecessores & ipse in dextera portabant, suscepit.* Et in præfato Codice MS. ad hunc annum in fronte Urbanum Papam Grimoaldo Abbati pedum porrigentem cernere est, & sic alloquentem.

Cæsaris ob sceptrum baculum tibi porrigo dextrum
Quo bene sis fretus, plus Cæsare dat tibi Petrus.

Cur ea solum tempestate Abbates Piscarienses adierint summum Pontificem, rationem reddit idem Berardus lib. 2. Chronici, quem adi si lubet.

Chronicon hocce nostrum docebit te, lector, si nescias, corpus S. Clementis Papæ & Martyris in Piscariensi Monasterio, quod S. Clementis nomine insignitur, asservari & coli. Siquidem ab Adriano II. Summo Pontifice Ludovico Imperatori ejusdem Abbatiæ Fundatori, sanctissimum corpus istud concessum in Cœnobium Piscariense translatum est, atque inibi reconditum hactenus perseverat. Testes habeo locupletes ac præclaros, Imperatores, Reges, Romanos Pontifices, in privilegiis ac diplomatibus à se concessis. Imperatores, inquam, habeo Ludovicum Monasterii Fundatorem, Berengarium, Othonem, Henricum, & alios: habeo Rogerium Siciliæ Regem. Habeo Summos Pontifices Leonem IX. Calixtum II. Adrianum IV. & Alexandrum III. Habeo tandem Berardum in Prologo, & in ipso

(*) Vide effigiem ante Chronic. Piscar.

ipso libri primi limine, passimque in Chronico, maximè ubi corpus Sanctissimi illius Martyris, conspiciente, mirranteque Augustino Cardinale detectum est, & titulus in sepulcro inventus aureis literis exaratus: HIC JACET S. CLEMENS S. PETRI DISCIPULUS, ET A B. PETRO SECUNDUS, QUI JUSSU TRAJANI IMPERATORIS, ANCORA AD EJUS COLLUM LIGATA, FUIT IN PELAGO DEMERSUS. *Quem titulum* (prosequitur Berardus) *cùm legeret Cardinalis, ejus facies illico est perfusa ubertim lacrymis, & procedens ad cætera, cùm pro certo cognovisset, quòd ibi S. Clemens jaceret, in laudibus prosilivit incipiens* Te Deum laudamus. Et post pauca: *collocavit Præsul Gualterius in eodem altari Sacrosanctum Corpus Clementis Papæ & Martyris integrum totum sicut traditum fuerat Ludovico Imperatori*, &c. Ita Berardus testis oculatus.

Sed prætereunda minimè sunt quæ non edidi, utpote jam vulgata, Privilegia. (*) 1. *Rogerii Siciliæ Regis: In nomine Domini, &c. Rogerius divina favente clementia Rex Siciliæ &c. Regum Catholicorumque Principum nihil constat gloriosiùs esse, quàm Deum vereri, loca sancta venerari &c. Quo circa Monasterium, quod Rex bonæ memoriæ Ludovicus in insula, quæ Casa aurea vocatur, ad honorem Sanctæ & Individuæ Trinitatis construxit, & dotavit, in quo Corpus* B. CLEMENTIS PAPÆ ET MARTYRIS *venerabiliter recondi fecit, &c.* 2. Leonis Papæ IX. *Leo Episcopus servus servorum Dei, &c. Dominico venerabili Abbati Ecclesiæ S. Individuæ Trinitatis, quæ est in insula Piscaria, quæ etiam Casa aurea vocatur, ubi Corpus* B. CLEMENTIS PAPÆ ET MARTYRIS *requiescit, tuisque successoribus in perpetuum &c.* 3. Alexandri Papæ III. *Alexander Episcopus &c. Dilectis filiis Leonati Abbati &c ejusque Fratribus &c Religiosis votis annuere, & cum operis exhibitione complere, officium nos invitat suscepti regiminis, & ordo videtur exigere rationis. Ea propter dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum Monasterium, ubi Corpus* B. CLEMENTIS PAPÆ ET MARTYRIS *requiescit, & in quo divino estis mancipati obsequio, ad exemplar Prædecessorum nostrorum Rom. Pontif. fel mem. Leonis, Calixti, & Adriani, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, &c.* c. 4. Cœlestini Papæ III. *Cœlestinus Episcopus, &c. Joheli Abbati S. Clementis de Insula Piscaria*, &c. Eadem Alexandri decessoris sui verba repetit.


Quibus addo historiam de fundatione Monasterii S Clementis Insulæ Piscariæ lib. 1. in med. post relationem eorum, quæ in Corporis S. Clementis Inventione atque in urbem Translatione, sunt acta: *Accersitis Primatibus suis* (verba sunt historiæ) *cum Archiepiscopis, & Principibus totius urbis accessit ad Papam: Adrianus quidem II. Papa ille vocabatur, qui B. Clementem suscepit à Philosopho, & eundem Clementem postea dedit Regi Ludovico.* Ac multis interjectis: *Jussu Beatissimi Papæ Adriani allatum est Corpus Clementis Martyris gloriosissimi, & traditum Ludovico Imperatori, qui frangens illico vas in quo erat positum, traxit singillatim ossa ejus, & ne aliquid deesset diligenter aspiciens, involvit totum Corpus in pretioso pallio: deinde posuit in vasculo pretioso, quod ipse Rex secum habebat, factum de alabastro; ibique celebravit excubias, & solemnes vigilias per aliquot dies &c. Perfectis igitur illis quæ in Romana civitate decreverat facere, levaverunt corpus Sancti Martyris, & cum Hymnis & Canticis spiritualibus Domno Apostolico præeunte exierunt ab urbe, &c. Cùm autem venissent ad Insulam Piscariæ, quæ validis aquis cingitur undique, in ea parte, qua erat pons regalis, constitit omnis multitudo jussu Imperatoris.* Et descriptis quæ tum acciderunt miraculis, infit; *Hic revoluto corpore S. Clementis, cùm ejus ossa teneret sacratissima manus Imperatoris. tantus odor egressus est de ossibus ipsis, ut visum esset illis qui aderant, quòd essent in paradiso Dei, &c. His exhilaratus Domnus Imperator, præcepit Clerum ordinari vestibus sacris, & populum intendere orationibus sanctis, & ipse cum Archiepiscopis, & Episcopis involverunt membra S. Clementis, & reliquias Apostolorum Petri & Pauli in medietate pallii, (quia alia medietas reservata est ad posteros in memoriam hujus Translationis) & recondi fecit eum in supradicto alabastro; & in ipso die Translationis locari in altaris medio, An. Dominicæ Incarnationis octingentesimo septuagesimo secundo, Indictione VI.* (lege V. ut in MS.) *Kal Junii, ad honorem & gloriam Domini nostri Jesu Christi.*

Anastasius Bibliothecarius, qui illo ævo florebat, calculum his adjicit, allatum fuisse asserens Corpus S. Clementis Adriano II. Romanam Ecclesiam gubernante, ut refert Papirius Massonus in Adriano II *per idem tempus vivebat in Aula Pontificis Romani Anastasius Apostolicæ Sedis Bibliothecarius. Is epistola ad excellentissimum Regem & Christianissimum Carolum data X. Kalend. April. Indictio. VIII. sic ait. Vir magnus & Apostolicæ vitæ præceptor Constantinus Philosophus Romam sub venerabilis memoriæ Adriano Juniori Papa venit, Sanctique Clementis corpus sedi suæ restituit.*

Lubet præterea subjicere coronidis instar descriptionem ostii Ecclesiæ Piscariensis ab admodum Reverendo Abbate Ughello, Petrum Teatinæ civitatis sextum Epi-

(*) Nos suo loco ex Ughello subjunximus.

Tom. II. Part. II. pag. 773



Episcopum exhibente. Et hanc sanè descriptionem haud inane videbis argumentum ad suadendum Corpus S. Clementis, quo de agimus, verè in Piscaria insula honorari. Sic igitur se habet.

„ Ecclesiæ hujus ostium æneum satìs mirificè fusum, auroque purissimo incru-
„ statum, nullo unquam tempore intermoriturâ Fundatoris munificentiâ Divo
„ Clementi dicatum est. Miraculorum omnium, Castrorum, Terrarum, Villa-
„ rum, ac totius Abbatiæ jurisdictionis compendium, & veluti speculum, in quo
„ vetustissima Imperatoris exprompta & indubitata tanti Pontificis Translatio-
„ nis monumenta spectantur. Historia digna est, unde meritò hìc eam adnotare
„ visum est. Supra arcum igitur medium portæ, quæ ænea est, extat à capite
„ sculpta Urbs quædam his verbis in medio, ROMA. Inde videtur Papa sedens,
„ qui capsulam tenet in manibus onustam, & ossibus plenam S. Martyris Clemen-
„ tis cum his literis; ADRIANUS PP. II. Coram Pontifice extat cum genu
„ curvo, & capite inclinato Imperator cum his verbis; LUDOVICUS IMP.
„ qui capit cum veneratione capsulam è manu Pontificis, sub quo hi duo versus
„ leguntur, quibus Pontifex alloqui videtur Imperatorem.

Ecce Pater patriæ magnum tibi confero munus
Clementis Corpus, tu sacrum suscipe funus.

„ Post Imperatorem extat quidam oblongis vestibus indutus, qui ensem in
„ manu tenet cum his verbis à latere; SUPPO COMES. Post ipsum Comitem
„ videtur sculptus idem Imperator, qui devotè capsulam illam imponi jubet su-
„ pra animal quoddam, & transmitti ad Monasterium ab ipso ædificatum, ipsis
„ verbis SUB IMPERIO LUDOVICI CÆSAR., post quem videntur sculpti
„ duo Monachi, qui obviam eunt capsulæ, ut eam recipiant, cum his verbis.
„ Fr. Celsus, Fr. Beatus: & post ipsos Monachos videtur sculptum TEMPLUM
„ SANCTISSIMÆ TRINITATIS, à quo egressi fuerant Monachi, & ubi Re-
„ liquiæ asservari debebant, cum his verbis: TEMPLUM SS. TRINITATIS
„ sub istis verbis extant incisi duo versus, quibus Ludovicus Imperator alloquitur.

Martyris eximii Clementis suscipe Corpus
Insula Piscariæ, paradisi floridus hortus.

„ Post videtur sculptus Imperator cum his literis LUDOVICUS IMPERA-
„ TOR, qui porrigit sceptrum dominii cuidam Abbati, qui primus fuit in Mo-
„ nasterio, juxta quem literæ sunt, ROMANUS ABBAS PRIMUS subtus au-
„ tem hic versus legitur.

Sceptro firmamus: regimen tibi sume, rogamus.

„ Post ista videtur quidam vestibus oblongis indutus cum his literis à latere,
„ SISEMANDUS MILES, qui sceptrum tenet in manibus cum hisce verbis:
„ CÆSAR VESTRA SIT HÆC INSULA PISCARIÆ. Ex quibus verbis
„ clarè colligitur, hunc dominum fuisse temporalem Insulæ. Post ipsum videtur
„ Episcopus, qui tenet Insulam in manibus sculptam, eamque offert Imperatori,
„ qui eam recipit. Circa Episcopum hæc verba leguntur: GRIBALDUS EPI-
„ SCOPUS. Circa autem Imp. ita LUDOVIC. IMP. Tenet Episcopus in ma-
„ nibus scriptum hujus tenoris: DAMUS VOBIS OMNE JUS NOSTRUM
„ DE HAC INSULA. Unde colligitur Gribaldum Episcopum Pinnensem, qui
„ aliàs Grimaldus dicitur, (*immo* Grimbaldus) omne jus concessisse Ludovico Im-
„ peratori de Insula ista. Subtus autem hi versus leguntur.

Insula Piscariæ quæ nostri juris habetur,
Libera perpetuo tua Cæsar jure vocetur.

„ Retro Imperatorem videtur sculptus Comes quidam togatus ensem gestans
„ cum hisce literis, HERIBALDUS COMES, hujus rei fortasse testis. Hæc
„ porta illa ænea continet rei peractæ pervetustum, ac nobile documentum, quod
„ cum scripta hujus Cœnobii historia adamussim convenire videtur.

Historiam de fundatione Casauriensis Monasterii supra citatam edidit primùm V. C. Franciscus Duchesnius Tom. III. Historiæ Francorum scriptorum, ac postmodum sæpiùs à me laudatus Ughellus Tomo VI. Italiæ Sacræ. Erat ipsa in eo volumine MS. cujus initio memini post Prologum sub hoc titulo, Pars prima & secunda Chronici Piscariensis. Eos autem libros hac de re prætermisimus, ne veluti crambe bis, terque recocta Lectori stomachum permoverent: deinde compendio eadem planè Berardus repetit in subsequenti libro, quem primum fecimus, immo & Ludovici Imperatoris diplomatibus confirmat, quæ in duobus illis conscripserat. Ecquid itaque emolumenti eruditis contulissem, si denuo eos prælo commisissem? Et miror vehementer qui Duchesnium & Ughellum, alioqui viros diligentissimos, Berardum historiæ hujusce auctorem fuisse latuerit.



CHRONICON CASAURIENSE,

AUCTORE

JOHANNE BERARDI

EJUSDEM CŒNOBII MONACHO,

AB EJUS ORIGINE

Usque ad Annum MCLXXXII. quo Scriptor florebat, deductum.

LIBER PRIMUS.

ANte conditionem Monasterii Piscariensis invenitur Ludovicus Imperator per diversas Italiæ Provincias acquisiisse possessiones plurimas, eo animo, & affectu, sicut postea claruit, ut cùm aptum locum inveniret, in quo Monasterium construeret, eas ibidem omnipotenti Deo largitori omnium bonorum offerret. Voluntatis enim ejus erat, & voti, ædificare domum Domino Deo; & ideo ex quo cœpit Italiam frequentare, omni sollicitudine studebat prædia, & possessiones acquirere, donec ei superna provisio aptissimum Monasticæ Religionis locum ostenderet. Prædia verò, & possessiones quas acquirebat, pretio vel aliis justis modis eas acquirebat, ut justo, ac legali ordine de ipsis Deum sibi faceret heredem. Sanè qualiter idem gloriosus Imperator, de genere Karoli Magni & Pipini Regis Francorum, ex patre Lothario natus, mirabilibus bellis necnon magnificis actibus in Romanum Imperium sublimatus effulsit, dicendum est; ad gloriam enim dignitatis, & honoris Monasterii Piscariensis pertinet, Ludovicum istum scire quis fuerit.

Ecclesia Romana cùm multis adversitatibus quateretur, & sicut in Ecclesiasticis Historiis, & Romanorum Pontificum gestis reperitur, & legitur, ab Aistulfo Longobardorum Rege tota pæne Italia vastaretur: Stephanus Papa, qui, ut habetur in Chronicis, septingentesimo quinquagesimo secundo Dominicæ Incarnationis anno Pontificari cœpit, vocavit Pipinum Francorum Regem Karoli filium, ejusque auxilio Aistulfum expulit, Ravennam liberavit, & viginti civitates, quas idem Aistulfus abstulerat, sub jure Beati Petri redegit; unde à Romanis Patritius effici meruit. Quo defuncto, filius ejus Karolus omnium generali consensu Francorum omnem Monarchiam Regni gubernandam suscepit. Qui Karolus Pipini filius ab Adriano I. Papa vocatus ad defendendas res Ecclesiæ obsedit Longobardos in Papia, ibique relicto exercitu; in Sancta Resurrectione ab Adriano Papa Romæ honorificè susceptus est. Post Sanctam verò Resurrectionem reversus Papiam, cepit Desiderium Regem, & Uxorem ejus, & secum portavit in Franciam; & inde re-

rediens Romam, constituit ibi Synodum cum supradicto Papa in Patriarchio Lateranensi, in Ecclesia Sancti Salvatoris; quæ Synodus celebrata est à centum quinquaginta tribus Episcopis Religiosis, & Abbatibus, & restituit Beato Petro quæ pater ejus dederat, & Desiderius abstulerat; addens etiam Ducatum Spoletanum, & Beneventanum. In cujus temporibus Leo Papa Romanus ab ipsis Romanis cœcatus, cùm ejus lingua truncaretur, ei Dominus & linguam, & visum reddidit. Qui pergens ad eundem Karolum, secum adduxit, & factâ vindictâ de inimicis, ipsum Karolum Imperiali diademate coronavit.

Per idem igitur tempus Karolus Imperator Regni jura feliciter moderans Ludovicum filium Cæsarem constituit, quia ipse solus superstes remansit, cui nomen, & regni potentiam Augusti secum habere constituit. Regnavit autem gloriosus Rex Karolus annis quadraginta septem, post susceptum Romanum Imperium annis quatuordecim, qui intra ipsos concludentur. Vixit autem annis septuaginta, & apud Aquasgrani febre correptus obiit quinto Kalendas Februarii anno ab Incarnatione Domini DCCCXIV. Cui successit filius ejus supradictus in Regno Francorum, & Imperio Romanorum. Qui Lotharium primogenitum suum diademate coronatum Regem & Augustum secum constituit. Defunctus est autem anno ab Incarnatione Domini DCCCXLI. anno vitæ suæ sexagesimo quarto, præfuit quidem Aquitaniæ per annos triginta septem, Imperator autem viginti septem. Mortuo autem Ludovico Augusto, qui ob merita clementiæ Ludovicus Pius cognomen accepit, Lotharius ejus filius Regni & Imperii hæres effectus est. Lothario quoque imperante, primogenitus ejus filius Ludovicus nomine regnavit Italiæ, quem Sergius Papa in Imperatorem Augustum coronavit. Iste siquidem Ludovicus fuit Sanctus, & imcomparabilis vir, & bellorum studiis eruditus; qui paterno more Italiam sæpissimè visitabat, & in his, quæ Beato Petro erant necessaria, seque suosque, ut boni patris bonus filius præparabat. Hic cùm audiret Calabros, & Apulos velle repugnare Romanis, exercitum copiosum aggregavit, Alpes transcendit, & ad Piscariam veniens Insulam delectabilem, cui nomen est Casa-Aurea, undique aquis cinctam invênit.

Ludovicus igitur Divina inspiratione tactus cùm supradictam Insulam circumspexisset, & ex omni considerasset parte, ac usibus servorum Dei profuturam cognosceret: cujus esset, & sub cujus potestate devotissimè requisivit. Qui cùm eam sub potestate cujusdam Sisenandi Illustrissimi viri esse, & de jure Pinnensis Episcopii descendere comperisset, priùs à dominio ejusdem Sisenandi absolvit: tribuens inde sibi decem libras argenti, & cum Episcopo Grimbaldo nomine, qui eo tempore Pinnensem regebat Ecclesiam, cambitionem fecit, totamque insulam sub jure regio retinens, quod magis valebat, & prope Episcopium Pinnense erat, pro eadem insula dedit, & testibus idoneis, & scripto ipsam donationem confirmavit. Grimbaldus verò Episcopus ne aliqua controversia à Successoribus suis inde oriretur ex parte sua scriptum fecit, & testibus idoneis corroboravit, & Sisenandus similiter, sicut in Instrumentis libri sequentis describitur.

Quæ scripta in Ecclesia Beati Clementis usque hodie conservata, ipsam insulam cum suis pertinentiis habitatoribus loci quietam reddunt.

Ludovicus itaque, sicut supra diximus, divina inspiratione præmonitus, cùm videret insulam omnibus bonis refertam, & quasi verum paradisum omnibus optimis fructibus redundantem, ipsam Deo omnium conditori, postquam liberam habuit, consecravit: & in ea Monasterium in honore Sanctæ, & individuæ Trinitatis ædificari præcepit, credens sinè dubio suæ pro hoc animæ redemptionem, Imperiique sui continuatam protectionem, & adversariorum suorum efficacem contritionem, divinæ sibi respectu misericordiæ præparari. Erat autem in eadem insula quædam Ecclesiola in honorem Beati Martyris Quirici ab antiquo ædificata, penes quam jussit Ecclesiam de qua loquimur ædificari, aptam videlicet Monasticis usibus, & congruentem: quatenus coadunato illic sub regulari norma Religiosorum virorum cœtu, altissimo Deo laudes, jugiter inibi votaque resultent.

Jactis igitur fundamentis, & collocata ibi non paucorum artificum multitudine, expensisque omnibus sufficienter præparatis, Imperator Ludovicus cum exercitu suo Beneventum perrexit, ibique infidelem Theobertum, ejusque complices, qui à facie ejus fugerant, prostravit, eorumque bona facta solemni donatione Piscariensi Ecclesiæ, quam noviter ædificari præceperat, concessit, tribuit, confirmavit. Præparatis igitur his, de quibus ad præsens sumus locuti, & armatis exercitibus suis, impatiens moræ tendit in Apuliam, & Tarentum obsidens, quæ proditorum nutrix, & eorum, qui contra patriam suam juraverant latibulum fovens insanibat, tamdiu pugnavit ibi, donec quosdam ex eis Romanis subiceret, alios detruncaret, alios verò nudatos armis à finibus illis exire compelleret. Inde petens Brundusium, Calabros, ac Siculos eodem & simili exitio devastavit, Romanoque Imperio subjugavit, Urbes possedit, Romamque reversus Imperiali laurea pro triumpho à Domino Papa Adriano, & omni populo, & Senatu Romano in Capitolio est coronatus. Tantam ei gratiam Deus contulit, ut universa terra ejus se subditam Imperio congauderet, & de reparatione novæ pacis omnis tribus, & lingua omnipotenti Deo gratias redderet. Ille verò quamquam in sublimitate Imperiali se positum esse consideraret, non tamen humilitatem, quam erga suum conditorem habere solitus erat, deseruit, sed humilior ex sublimitate, & subjectior fuit. Erat ei in animo assidua, & frequens cogitatio circa constructionem, quam in insula Piscariæ fieri præceperat, quatenus eam ad finem usque felicem perduceret: & tales ibi collocaret, qui pro se, & pro statu Imperii Romani Deo supplicarent, qui regulariter viverent, quorum conversatio in Cœlis esset, quorum preces, & pro vivis, & pro defunctis Deus clementer audiret. Cogitabat etiam clementissimus Imperator de rectore, & conservatore Ecclesiæ, qui post ejus discessum ante Deum pro servientibus inibi mitissimus appareret: qui hostes ipsius loci, & malefactores expelleret, benefactores verò ad majora, & utiliora sibi provocaret, & mercedem suorum operum indulgentiam peccatorum à Deo consequeretur, & eis præstaret. Hæc eo jugiter cogitante, jussit convocari Archiepiscopos,

pos, Episcopos, & Nobiles Consiliarios suos: & habito cum eis consilio in hæc verba prior ipse prorupit: *Viri bellatores, quos mater sapientiæ, & totius scientiæ inventrix Gallia enutrivit, qui adversarios Dei Saracenos fortissima dextra expulistis, quorum virtutem ultima sub sole terra cognovit, quod consilium mihi datis? Credo quia vos mecum cogitatis, quomodo nova Ecclesia, quam construere jussi, honoribus amplificetur, reliquiis Sanctorum Martyrum muniatur, & talem habeat protectorem, qui pro Christo mortem sumpserit, & stolam suam in sanguine laverit agni*. Et dum ad hæc singuli titubarent, nescientes quid responderent ei: accessit quidam veteranus Antistes studiosus valde in Sanctis Scripturis, & Sanctorum Martyrum plenariè gesta cognoscens, clara voce dixit Imperatori: *Imperator Auguste, cui Deus tantam contulit gratiam, ut quæ ipse in cœlis prædestinat per te operetur in terris: consilium quod requiris, ab homine tibi non potest dari. Immo ipse Deus, cujus nutu insulam elegisti, quæ revera alter paradisus potest dici, ipse talem tibi elegit protectorem, qui in aquis vitam pro Christo fuderit, si tua Celsitudo ad hunc perquirendum voluerit inclinari*. Cui Imperator. *De quo, Pater scientissime, loqueris? De Clemente*, respondit senex ille, *qui successor extitit Petri Apostoli, qui huic Romanæ præsidens Ecclesiæ Apostolum totius Galliæ Dionysium delegavit, qui noviter repertus, & ad hanc urbem per quemdam philosophum nomine Constantinum delatus, tuæ à Deo prædestinatus est custos Ecclesiæ: ut qui in aquis pro Deo spiritum exalavit, demersos in aquis Piscariensibus ne pereant liberare possit*. Ad hæc Ludovicus tanquam à Deo visitatus, quæ senex dixerat mente concepit, & Sanctum Clementem ante suos oculos ponens omnes Cardinales præcepit convocari. Et cum singulis habens colloquium, sciscitatus de Beato Clemente, quò erat, quomodo repertus fuerat, orans ut suarum precum forent apud Dominum exauditores, & apud Dominum Papam fidelissimi intercessores. Cui cùm singuli super interrogatis unam responderent sententiam, & in precatu regio suam fidelissimam promitterent opem: accersitis Primatibus suis, cum Archiepiscopis & Principibus totius Urbis accessit ad Papam; Adrianus quidem secundus Papa ille vocabatur, qui Beatum Clementem suscepit à Philosopho, & eundem Clementem postea dedit Regi Ludovico. Quem Dominum Adrianum tali voce Imperator alloquitur: „ si rectum est filios hoc requirere, „ quod eorum patres promeruerunt, ego paternis hoc addo meritis quod meis addere „ meritis parentis minimè potuerunt. Parentes mei Romanis necessitatibus succurrere „ parati fuerunt, & sua Regna relinquentes „ semetipsos, & suos exercitus ad excidium „ propter vos posuerunt. Ego autem cùm „ audirem rebelles nostros contra vos insurgere, non vocatus, sed spontanea mea voluntate veni, vestrosque inimicos cum Dei adjutorio sub pedibus vestris posui, totamque „ terram, quæ à Barbaris vastabatur, quietam vobis restitui. Si quid promeruerunt „ parentes mei, si quid & ego ipse talibus in „ obsequiis, quæro, supplico, rogo, obtestor, „ quatenus in præsentiarum reddatis mihi. „ Non quæro dilationem, volo in præsenti „ remunerationem, non aurum, non argentum, non castella, non civitates, sed illum „ qui propter Dominum in marinos demersus „ est gurgites. Ut mihi Deus clemens efficiatur, Clementem requiro, non alium nisi „ illum, qui fuit secundus à Petro. Ille in „ aquis demersus extitit, ego verò illum in „ medio aquarum locare desidero, ut summersos in aquis juvet precatu sanctissimo. „ Ne confundas quæso, Pater sanctissime, „ faciem meam. Reduc ad memoriam quæ „ sustinuerunt parentes mei, & in his, quæ „ postulo, efficacem præbens audientiam, da „ mihi quæ postulo, Clementem propter Dei „ clementiam, ut Clemens ipse postulet velocem indulgentiam. His Adrianus respondit: *Imperator Auguste, quem tu postulas non est possibile me dare tibi, sed in voluntate est tam Cleri, quàm populi, quibus nolentibus aliquid pretiosum non possum præbere alicui. Verumtamen si eorum rogatus tibi faverit, his quæ postulas mea voluntas deesse non poterit*. Quibus Imperator auditis, conversus ad Clerum & populum ait. *Quid super his quæ postulo, Sanctissimi Patres & Orbis domini, visum est vobis? Si majora postularem, in mea erat fiducia quòd facillimè impetrare deberem. Nunc verò minima postulo, quæ mihi non petenti à vobis offerri deberent ultro*. Ad hæc Cardinales: *Non hoc*, inquiunt, *Domine Imperator, debes postulare: immo si tibi non postulatum accipere, & acceptum ubicumque volueris ponere. Tu es enim Orbis terrarum Dominus, & Romanæ Ecclesiæ filius, & per te crevit, & crescet, Deo volente, nostrum & Ecclesiæ decus. Accipe quod postulas, quia in hoc favemus tibi, & totus populus*. Audiens hæc Papa Adrianus, cujus erat ad perficiendam Imperatoris petitionem promptus animus, respondit Clero, & in responsione Cleri, respondit populo. „ Licèt agnoscam „ Dominum Imperatorem Ludovicum majora „ promeruisse, non tamen volui ejus petitionibus assensum præbere, donec audirem ex „ vestro ore quid super his, quæ postulabat, „ judicaretis. Quia ergo vobis placet, quòd „ postulata accipiat, ne confundere videar „ faciem ejus, quem honorare decrevi, dono „ sibi & concedo Corpus Beati Clementis & „ Præsulis, qui jussu Trajani Imperatoris in „ mare demersus fuit, & nobis, volente Deo, „ redditus. Insuper & addo reliquias Apostolorum Petri & Pauli, ut in omnibus lætificetur mens Imperatoris, & habeat bonum „ animum erga filios pacis. His auditis Imperator Augustus procidit ad genua Papæ ipse & procerum suorum cœtus, & lachrymis effusis exultat in his laudibus: „ gratias tibi „ reddo Imperator cœlestis, cujus ego potentiâ teneo regnum in terris. Tu Domine „ adimplevisti desiderium meum, da mihi „ quòd possim videre Sanctum tuum, & in tali loco ponere, ubi honorificetur nocte dieque per nomen unigeniti Filii tui Domini „ Nostri Jesu Christi, cum quo & cum Spiritu Sancto vivis & regnas in sæcula sæculorum. Et cùm omnes dixissent *Amen*, jussu Beatissimi Papæ Adriani allatum est Corpus Clementis Martyris Gloriosissimi, & traditum Ludovico Imperatori, qui frangens illico vas, in quo erat positum, traxit singulatim omnia ossa ejus; & ne aliquid deesset diligenter aspiciens, involvit totum corpus in pretioso pallio. Deinde posuit in vasculo pretioso, quod ipse Rex secum habebat, factum de ala-

alabastro; ibique celebravit excubias, & solemnes vigilias per aliquot dies. In quo tempore tractavit cum Petro Consule & Duce Urbis Romanæ de possessione & Capella Sancti Blasii infra eandem urbem ædificata, & una curte in loco & fundo Tusciano, quam noviter à præfato Petro Imperator emerat: datis inde sibi, cùm esset Salerni, per Hermenulfum Comitem & Missum suum octingentis libris argenti, & de aliis multis rebus cum Domino Papa, & cum Cardinalibus & Senatoribus, & cum tota Romana plebe.

Perfectis igitur illis, quæ in Romana civitate decreverat facere, levaverunt Corpus Sancti Martyris, & cum Hymnis & Canticis spiritualibus Domino Apostolico præeunte exierunt ab Urbe, psallentes & gaudentes, & pro tanto thesauro sibi cœlitus collato gratias agentes omnium conditori. Hujus facti fama egressa est in universo Orbe Romano, & tanta convênit hominum multitudo, ut arenæ maris posset æquari: laudantes & magnificantes virtutem Imperatoris Ludovici, videntes in eo gratiam esse Dei. Cùm autem venissent ad Insulam Piscariæ, quæ validis aquis cingitur undique, in ea parte, qua erat pons regalis, constitit omnis multitudo jussu Imperatoris. Et illis stantibus, Ludovicus ait: *Sicut credimus, nos portamus ossa B. Clementis, quæ tumulare desideramus in loco, quem cernitis. Verumtamen ad hoc agendum habemus opus auxilio nostri Redemptoris. Rogemus ergo eum, qui omnia potest, ut demonstret nobis hodie in vestra præsentia, si hic veraciter ille Clemens est, qui in profundo maris præcipitatus invênit templum marmoreum Angelicis manibus sibi præparatum: iter præbens populo terræ in annuis festivitatibus suis, ut videntes enarrent mirabilia Dei. Si hic est, de quo non diffidimus, ostendat nobis Deus tali conditione, ut mulus iste, qui portat eum, incedat per medios fluctus sicco vestigio, & dirigatur non homine duce, ad illum locum, in quo loco honorificè eum sepelire decrevimus præstante Domino Nostro Jesu Christo.* His dictis mulus aquas ingreditur valde profundissimas, quæ impetu vasto currentes marinas repræsentabant undas, & super ipsas ambulans sicco vestigio longo tractu uno ferè stadio intravit insulam, & ibi constitit, ubi Dominus perordinaverat Sancti Martyris glebam. Quod videntes populi omnes, una voce laudaverunt Omnipotentiam Dei, qui præsens est omnibus invocantibus se in veritate, qui tam mirificè declaraverat merita Sancti Martyris sui. Erant ibi quamplures diversis infirmitatibus laborantes, qui audito adventu Martyris gloriosi fecerant se apportari de civitatibus & habitaculis suis, habentes in Deo fiduciam, qui per sanctos suos operatur mirabilia magna nimis. Hi revoluto corpore Sancti Clementis, cùm ejus ossa nuda teneret sacratissima manus Imperatoris, tantus odor egressus est de ossibus ipsis, ut visum esset illis, qui aderant, quòd essent in paradiso Dei. Ex quo odore ubi fuerunt tacti languentes, quos supra diximus, & multi paralytici, illico sunt redditi sanitati. O quantus luctus præ gaudio, & quantus clamor sublatus est in excelso; cùm viderent illos sanos, quos moribundos attulerant, videre, qui nihil antea videbant, audire, qui surdi multo tempore fuerant! His exhilaratus Dominus Imperator, præcipit Clerum ornari vestibus sacris, & populum intendere orationibus sanctis, & ipse cum Archiepiscopis, & Episcopis involverunt membra Sancti Clementis, & Reliquias Apostolorum Petri & Pauli in medietate pallii, quia alia medietas reservata est ad posteros in memoriam hujus translationis, & recondi fecit eum in supradicto alabastro, & in ipso die translationis locari in altaris medio anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo septuagesimo secundo (*) indictione quinta, VI. Kal. Junii, ad honorem & gloriam Domini nostri Jesu Christi.

Expletis igitur his, quæ animo firmiter inhærebant Imperatoris, videlicet de compositione Monasterii, & de susceptione Sanctarum Reliquiarum Clementis, & Apostolorum Petri & Pauli, cùm ipse videret locum aptissimum Monasticæ Religioni, ibi posuit nobiles genere, probos moribus, sanctos conversatione: quibus præfecit Abbatem Romanum nomine, virum honestum moribus, literali scientia eruditum, & quasi quoddam speculum bonitatis & innocentiæ, qui omnibus erat respicientibus ad se quasi murus inexpugnabilis, & contra omnia adversa securus. Fecit etiam præceptum super Abbatis electione, ut non eligatur de extranea Congregatione; Sed quotiescunque qui præest Abbas obierit, habeant fratres licentiam ex sua propria Congregatione eligendi Abbatem. Quod qui transgressus fuerit, sciat se non pastorem, sed lupum ponere, & in extremo judicio pœnam præparatam habere. Post hæc Ludovicus, habito cum suis consilio, jussit plures Episcopos convocari, & in die congrua & competenti fecere Ecclesiam in honorem Sanctæ Trinitatis, & Sancti Clementis, & aliorum Sanctorum solemniter dedicari. Tantaque multitudo populi fuit ibi, ut ab eadem insula, quæ satis lata & ampla est vix posset capi. In cujus dedicatione maxima donaria fecit Ecclesiæ, videlicet ad majorem suæ mercedis cumulum, ac loci ipsius necessarium supplementum, Christique servorum, ibique degentium, seu illuc undecumque adventantium, perenne subsidium contulit in præfato Cœnobio, quodcumque habebat in proprio, & justè, ac legaliter videbatur tenere intra fines Italiæ. De quibus fecit plura præcepta, quæ servantur in Archivis publicis ipsius Ecclesiæ ad notitiam posterorum profutura. Dedit ad honorem ejusdem Ecclesiæ in ejus solemni dedicatione plurima vasa ex solido auro & argento fusilia, quæ multo tempore resplenduerunt in ea ad Christi servitium dedicata; fuerant etiam in ejus dono diversa pallia auro & gemmis radiantia, quibus parietes Ecclesiæ ornabantur, & Fratres induebantur quoties magna festivitas in Ecclesia celebrabatur. Et ut affectus illius, quem erga Monasterium hoc habebat supra omnia Monasteria, quæ à Regibus ceteris in Regno suo fuerant ædificata, manifestaretur, & cunctis innotesceret, dedit eidem Monasterio in perpetuum possidendum jure hereditario Sceptrum regale, quod gestabat in dextera, ut illud Abbas portaret in solemnibus festis, in loco baculi pastoralis. Et in tantum dilexit Cœnobium, ut omnem causã ipsius tamquam peculiarissimæ domus suæ quoadusque vixit pro amore superno exequi modis omnibus prærordinavit. Post suum verò ex hac luce discessum illi ejus-

(*) Apud Du-Chesne *anno octingentesimo ...... secundo.*

ejusdem Ecclesiæ commisit tutelam, ad cujus honorificentiam suo studio eam constat extructam. Ludovicus igitur perfectis omnibus, quæ ad regimen præfati Monasterii, & ad decus totius Imperii pertinere videbantur, regressus est ad propria, ibique religiosè & piè vivens, & religiosiùs & magis piè moriens, animam Deo reddidit, Regnumque & Imperium suis hæredibus dereliquit. Cujus mortis indicio, sicut in quibusdam Chronicis reperitur, stella sicut facula ardere visa est post Septentrionem septimo die mensis Junii. Et tunc idem divæ memoriæ Imperator Ludovicus diem claudens extremum defunctus est XIII. die mensis Augusti. Romanus autem Abbas, quem ab eo ordinatum fuisse memoravimus supra, audito obitu ejus, tanto ardore memoriam ejus fecit, tot lachrymas pro eo fudit, tot pauperes & nudos vestivit & pavit; ac si eum ab inferis suis beneficiis crederet se posse revocare. Et non solùm in illis diebus, quibus auditus fuit obitus ejus, verùm etiam usque in sempiternum, memoria Ludovici Sanctissimi Regis, & victoriosissimi Imperatoris in Monasterio Piscariensi non derelinquetur, dum lapis erit ibi super lapidem, & aliquis in eo vivens invenietur. Romanus verò prudentissimus Abbas post obitum Ludovici Imperiali tenore Monasterium rexit, augmentavit bonis omnibus & religione cumulavit, & peractis in regimine decem & octo annis felix migravit ad Dominum.

Verùm quia superiùs de dedicatione Ecclesiæ aliquantulum breviter locuti sumus, huic placet inserere lectioni de consecratione altarium, & positione inibi Sanctarum Reliquiarum: ut noscant posteri continuam celebrare memoriam illorum, quorum sciunt semper sibi inesse præsentiam. Dedicatâ igitur Ecclesiâ, consecratum est altare majus in honore Sanctæ & Individuæ Trinitatis, & Beati Clementis, cujus corpus honorificè sepultum ibi requiescit. Et sunt ibi Reliquiæ Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, quas sanctæ recordationis Papa Adrianus dedit Ludovico Imperatori cum corpore Beati Clementis excellentissimi Papæ & Martyris gloriosi. Ad dexteram verò ipsius altaris medii consecratum est altare aliud in honore omnium Apostolorum, & conditæ inibi sunt Reliquiæ Sancti Andreæ Apostoli, Sancti Clementis, Sanctorum Stephani & Laurentii, Chrysanti & Dariæ, quadraginta Martyrum, Sanctæ Romulæ, Sanctorumque Marii & Marthæ, & Sanctæ Nymphæ. Ad sinistram autem consecratum est altare in honore Beatissimi Benedicti Patris Monachorum, & Institutoris cœlestis normæ, ibique positæ sunt Reliquiæ Sancti Stephani Papæ, Sancti Xisti, Sancti Calixti, Hermetis, Chrysanthi & Dariæ, & Sanctorum Cyri & Joannis, quatenus eorum patrociniis conservetur Ecclesia ista, in qua eorum per singulos dies celebratur memoria. In crypta verò quæ subtus altaribus istis est, tria altaria constructa & consecrata sunt: quorum medium est consecratum in honore Beatæ Mariæ Genitricis Dei & Domini nostri Jesu Christi, dextrum verò in honore Sancti Blasii Martyris & Episcopi, sinistrum autem in honore Sanctissimi Nicolai. Hæ reliquiæ, quas modò memoravimus, & aliæ plures, quas præsenti scripto tradere vitantes tœdium lectoris nolumus, conditæ habentur in Ecclesia, earumque memoria celebratur in ea ad laudem Domini nostri Jesu Christi, cui etiam una majestas eademque divinitas cum Patre & Spiritu Sancto per infinita sæculorum sæcula. Amen.

Finit prosa : Incipit metricè.

Sequuntur hæc in MSto Codice Bibliothecæ Regiæ Parisiensis post Librum I. editum a Du-Chesnio, & Ughellio.

DE Ludovico Francorum Rege loquamur.
Musa, para calamos, & eum modulando sequamur.
Quamvis egregia pollerent laude parentes
Istius, & Francos regerent simul, & Bibinentes,
Iste tamen Proavos, Atavos, & Avos superavit,
Dum virtute sua sibi regna novella paravit.
Tunc fines Calabros Rutuli, Siculosque tenebant,
Et se Romanis submittere despiciebant.
Audivit Ludovicus, gentisque Togatæ
Armari jussit populos per Gallica latè
Regna, Duces, Comitesque vocans; nullusque remansit,
Qui portet gladium; sic consitus ardua transit
Montis Apennini cacumina, usque ad undas
Piscarias vênit fluvio turgente profundas.
Insula cingitur hoc à flumine Crisea dicta;
Nascitur hac vinum, potusque sibique ministrum
Hujus Oliva tenet dextrum latus, atq; sinistrum.
Quo desit luctus, tanta est ibi copia fructus,
Ut credat visus, quod vera sit hæc Paradisus.
Hunc simul aspexit fortissimus Induperator,
Ecclesiæ murus, Regni decus, & moderator;
Dixit: Habet Dominus Paradisum deliciarum.
Vallibus his, caulas ovium statuamus earum.
Quæ jugiter famulentur ei noctuque, dieque,
Actibus in sanctis pietatis, justitiæque.
Iste locus, quem fertilitas, & copia rerum
Exornat, debet Domini secernere Clerum
A populo. Faciamus in hoc Claustrum Monachorum,
Qui sint suffulti Libris, actuque priorum.
His dictis, incœpit opus, cœptumque peregit
Inque Monasterio Monachos residere coëgit,
Ad victum præbens Villas, Castellaque plura
Naturâ munita, manu numquam ruitura.
His ita dispositis, si cetera scire velitis
Aures aptate; quantum loquar, enucleate
Rex Ludovicus postquam vênit Beneventum
Audivit Calabros commotos, atque Tarentum,
Et Siculos cunctos Romanis bella parantes,
Et gentes alias sibi multas consociantes.
Accingunt igitur ferrum, vibrantque lacertis
Hastas, & portis Urbem egrediuntur apertis.
Nec cessant, donec videant hostilia rastra.
Atque Tarentinos, & eorum fumea castra.
Exclamant Franci vallantes obsidione.
Urbes cum populis mox facta deditione
Summittunt Regi Francorum seque, suosque,
Urbes, castra, domos, villas, agrosque, lucosque;
Atque Fidem Christi devotè suscipientes
Sunt Ludovico Dominum victore colentes.
Subjectis igitur Calabris, Rutulisque fugatis,
Jamque novæ paci summittere colla paratis,
Mœnia Romanæ cum laudibus expetit Urbis
Debita victori solventibus undique turbis.
Obvius intranti totus processerat illi
Romanus Populus, magni simul, atque pusilli.
Summus Præsul ei tradidit cum codice Legem,
Atque coronatum vestit diademate Regem.
Ille vocabatur Adrianus Papa secundus,
Vir sanctus, legisque Dei notione profundus:
Hunc Ludovicus Rex noster magnificarat,
Ipsius & Clerum largè tribuendo bearat.
Et quantum Clerum largè tribuendo beavit,
Fecit propter eum Præsul quodcumque rogavit
Contigerat faciente Deo, quod Martyris ossa
Clementis jactata Mari, non condita fossa,
Angelicis manibus factâ de marmore cistâ
Romæ lata forent, quodam famulante Sophista.
Nomine dictus erat Constantinus Sophus iste,
Vir bonus, & sanctus famulansque piè tibi Christe.
Iste Sophus patriæ cœlestis tactus amore
Verborum Domini semen, quod habebat in ore,
Dum spargit gratis cunctis, & dividit æquè,
Aptus lucrandis animabus nocte dieque,
Indomitos lavit populos, & rore vetusto
Instituit, monuit, rexit moderamine justo.
Inde ferens secum pretiosi membra Magistri
Clementis, Petrique simul, Paulique Ministri,
Summum Pontificem Romanæ reddidit Urbi,
Laudibus immistis, resonantibus undique turbis.
Rex Ludovicus, cui displicet omnis iniquus,
Justitiæ cultor, & veræ pacis amicus,
Semper Piscariæ Fratres in corde tenebat,
Iccirco quantum locus hic Pastore carebat,
Et quantum Sancti nullius corpus habebat;
Accedens igitur Summi Pastoris ad ædes
Intrat, eique datur confestim regia sedes.
Assurgit Papa Regi, totusque Senatus,
Quos residere jubens, est talia verba profatus.
Imperiale decus recto moderamine rerum
Ut crevit, crescat cursu labente dierum;
Et licèt omnia sint subjecta meæ ditioni,
Est tantùm in Cœlis Rex Rege potentior omni,
Cui Rex terrenus nisi sponte velit famulari,
Perdit eos subitò, quibus ipse putat dominari.
Rex etenim summus cœlestia sic moderatur,
Ejus ut à cura terrestre nihil minuatur.
Ipse valet firmas Regum confundere leges;
Ipse potest ipsos etiam subvertere Reges.
Quid Nabuchodonosor septenis fecerat annis
Novimus: in campis quasi bos mansit sinè pannis.
Non est ex nobis, quòd nostros pellimus hostes,
Quòd duro firmos confregimus obice postes.
Quòd victor redii, laus nulla mihi tribuatur;
Non mihi, sed Domino, per quem vici, referatur.
Ille meos hostes sola formidine stravit;
Ille Tarentinos, Calabros, Siculosque fugavit:
Ergo meo Domino pateat devotio servi;
Subditus illi sum; nolintve, velintve protervi,
Gratia sola fuit, quòd ei placuisse probamur.
Addatur meritis, ab eo ne destituamur.
Quod meritum nostrum poterit conscendere sedes
Ad superas, ce sasque poli qui scandit ad ædes?
Profectò supplex inopum, viduæque precatus,
Quos super intendens, fiet sinè fine beatus.
Verus inops & pauper hic est, qui dives habendi
Cùm sit, velle jacit totum, votumque tenendi
Linquit, & ad nutum ponit sua vota jubentis.
Hic poterit Præsul vultum sedare potentis,
Talibus institui propriis ex sumtibus ædes,
Atque meas inibi jussi componere sedes,
Ut quotiens illis venient incommoda, ritè
Percipiant totiens à me solamina vitæ.
Sed quantum vallatur aquis locus ille profundis,
Atque cadens in eis moritur persæpe sub undis:
Quæro Tutorem Patriæ, vitæque levamen,
Qui ferat Ecclesiæ rebus, populisque juvamen.

Cujus

Cujus membra Maris fuerint demersa profundo,
Cujus vita fuit toto celeberrima Mundo.
Nomine qui proprio sit pronus ad auxiliandum,
Subjectisque suis sit promtior ad miserandum,
Qui fit pro Christo pelagi demersus in undas,
Cujus membra ferens tristes non sentiat undas.
Clementem testem Christi cupioque voloque:
Illum si tribuas, mihi plaudes, Imperioque.
Te, Pastor metuende, rogo, sacrumq; Senatum,
Et populum, quem lacte foves, Clerumque beatum,
Ut mihi des, quod jure peto; nec enim retinere
Debes, quod posco, nisi me contemnis, habere
Insula Piscariæ Papa Clemente beata,
Martyris egregii sit corpore glorificata,
Ut sanctus Clemens Pinnensi fine locatus
Sit Teatinis, & Valvis propitiatus.
Non me despicias; nec enim contendere debes.
Rectorem populi, quem postulo, si mihi præbes,
Urbis Romanæ plebem, Clerumque beabo,
Et te magnificis in rebus honorificabo.
Dixit. Et Antistes summus respondit ad ista.
Quem Dominus tribuit nobis operante Sophista
Urbs Romana tenet, multo servabitur ense.
Non decet ut fluvio mergatur Piscariense.
Obrutus in fluctus semel est, & redditus, Urbis,
Qua fuerat Præsul, gaudentibus undique turbis.
Ausus quis fuerit laudare, quòd hic tribuatur,
Qui decus est Urbis istius, qua tumulatur?
Non poterit fieri, quòd eum donare velimus,
Quo sinè pro certo nos qualibet arte perimus.
His dictis, unus de Clero dignus honore
Surgit, & hæc contra venerando protulit ore:
Præsul amice Dei, quæ tu de Martyre dicis,
Ipsa placent cunctis etiam nostris inimicis.
Traditus à Petro fuit hujus Episcopus Urbis,
Notus doctrina per climata quatuor Orbis.
Multa quidem vivens, quam plurima nunc operatur;
Et quod nunc vivit, virtutibus insinuatur.
Adhærens vitæ per vitam vivit, & ipse
Non solùm Romæ vivit, sed vivit ubique:
Non igitur perdes, si donas Induperanti;
Immo tibi servas illum, si das rogitanti.
Insula Piscariæ Clementis membra tenebit;
Spiritus ipsius Romam, Regemque fovebit:
Assensit Clerus Romanus: Papa quievit:
Lætantur Franci: Rex lætus munere flevit.
Traditur Augusto Clemens à Præsule totus:
Martyr Romana sic est ex Urbe remotus.
Accepit gaudens, & singula dinumeravit,
Involvens panno serico, strictimque locavit
In parvo busto, gemmis auroque micanti.
Et sic egreditur cum plebe sua reboanti.
Venerat ad fluvium, quo cingitur Insula tota;
Quæ, sicut supra jam diximus, est bene nota.
Præcipitem se se fluvius tumefactus habebat,
Et secum pontes, & grandia saxa trahebat.
Interiùs Fratres expectant advenientes
Hymnos, & Psalmos, & Cantica sacra canentes.
Non erat ingressus, quoniam vada nulla patebant;
Fluctus, ut dixi, pontes & saxa ferebant.
Quid facies dilecte Deo? Si Christus ad istas
Nos misit partes, tua Piscare flumina sistas.
Sanctus adest Clemens: cuncti discedite venti,
Dixit, & imposuit sanctissima membra jumenti
Unius in dorso: te Clemens dirigat inquit.
Percutiensque manu leviori, spinea linquit.
Intrat, & extemplo fluctus se se cohibentes
Et nomen Domini, Sanctique sui metuentes,
Sub pedibus muli quasi saxum diriguerunt,
Et sanctum corpus pede sicco transposuerunt;
Non fuit hoc subitò, ne dicas vana fuisse,
Sed longo tractu per siccum flumen abisse
Novimus, & ripas pede siccato tetigisse.
Hac Ludovicus re mira lætificatus,
Et ceteri Proceres, & pars non parva Senatus;
Condit in Ecclesia pretiosi Martyris ossa,
Exornatque locum, cui sit per secula doxa.
Amen.

Explicit Historia de fundatione Monasterii Piscariensis, & Translatione Corporis Beati Clementis.

LIBER SECUNDUS.

ILlis temporibus, quibus Ecclesia Christi sub Imperatore Ludovico florebat, Piscariense Cœnobium desiderabiliter per eundem clementissimum Augustum à fundamentis ædificatum sublimi & copioso rerum mobilium, & immobilium apparatu intra breve tempus surrexit, & in possessionibus de prope, seu de longè, largiter, & affluenter excrevit. Cùm enim idem piissimus Imperator divinitus inspiratus circa ipsius Monasterii à se constructi donationem valde esset intentus atque sollicitus, copiosam auri & argenti substantiam ex suo fisco protulit, & ad emendas possessiones Abbati Romano, quem ab eo supra ordinatum memoravimus, diligenter commisit, & liberaliter assignavit. Cui nihilominus præcepit, ut specialiter omnem ipsam provinciam, quæ ipsi Piscariensi Monasterio adjacet, & de monte, qui dicitur Mortula, circa eundem locum toto visu (1) potest æstimari: Omnia verò, quæ infra circuitum montium, qui de proximo considerantur, & intra meatus fluviorum concluduntur, continuatim & legaliter emeret. Quatenus omnis ipsa Pinnensis, & Teatensis de circuitu Casauriensis insulæ finitima regio, prout eam ipsa cacumina montium proximorum ambiunt & concludunt, & termini fluviorum discernunt atque circundant, esset sacro jure Beati Clementis continuata possessio, & ejus Abbatiæ Piscariensi justo, & legali tenore pertinens foret addicta, ipsique regali Monasterio sine interruptione regaliter & perpetuò mancipata. Per hanc siquidem emptionem Monasterio pertinere cognoscitur omnis possessio, quæ circa Piscariensem Insulam à parte Pinnensis territorii cernitur, in qua conspiciuntur montes Soti, Brunisati, & Aquiliæ. Quæ possessio suis finibus, tribus videlicet fluminibus, Cigno, Piscaria, & Tritano circumcluditur & terminatur. Incipit enim à quodam castello, nomine Furca, prope quod est quædam petra Cervaria nuncupata, ubi nascitur rivus, qui dicitur Cignus, quique suis meatibus fluens tendit in Piscariam. Citra quem fluvium quidquid intra flumen Piscariæ, & flumen Tritanum consistit, & per Vallem Catoppli revertitur ad priores fines, scilicet Furcas, tam in habitaculis, quàm in ceteris aliis rebus, videlicet terris, vineis, arboribus, campis cultis & incultis, silvis, salectis, planis & montuosis, molendinis, ac piscationibus, & cum omnibus circum circa meatibus aquarum; omnia tam ab eodem clementissimo Cæsare, quàm ab Abbate Romano, & aliis antiquis Abbatibus acquisita & legaliter empta, de Beati Clementis jure fuisse & esse, manifestis indiciis, & rationibus comprobantur, sicut & antiqua tradit opinio, & ipsius Monasterii chartulæ contestantur. Facta est autem similiter ex regali pecunia tam per dominum Romanum, quàm per alios antiquos Abbates à parte Teatensis territorii de finitima & circūjacenti Monasterii possessione continua & largior emptio & legalis acquisitio, quæ his fluminibus & montium summitatibus dilatata concluditur & terminatur, videlicet fluvio Lavino, & fluvio nomine Legio de pedemontis Magellæ, indeque consurgit in celsitudinem montis Tarini, & pertransiens per Vallensem Furcam, ascendit in montem, qui dicitur Vasa, & quomodo per ipsius cacumen vênit & descendit inter montes ad fluenta Piscariæ, ubi Piscaria Tritanas aquas interfluenter (2) recipit. Deinde designatur ista possessio ex alveo fluminis Piscariensis, donec supradictum flumen Lavinum in eo fluens ingrediatur. Infra quam possessionem quidam Monachus nomine & opere Karus, cùm esset de genere Karoli, & consanguineus ipsius Augusti Ludovici, sub ipso tempore fundationis Monasterii Piscariensis Deo devote in eodem loco se reddidit, &, Monachus factus, missus est propter industriam suam ad possessiones montanas noviter emptas gubernandas. Ibi quoddam oppidum ædificavit, quod ex suo nomine Caramanicum est vocatum, per quod omnis ipsa pertinentia dicitur Vallis de Caramanico, quasi de Caro Monacho. Ipsa verò & quæcumque infra suprascriptos & consignatos prædictorum fluviorum, & montium terminos consistunt in villis, casalibus, oppidis, & ceteris rebus omnibus integrum similiter de Beati Clementis jure fuisse & esse nulli sit dubium.

Qualiter autem & quo pretio, vel à quibus personis empta fuerint omnia supradicta qui scire voluerit, vel instrumentales chartas revolvat, vel librum ex eisdem chartis adhuc Monasterio residuis compositum diligenter relegat, & ibi ex maxima parte cognoscere poterit. Romanus autem excellentissimus Abbas à Regis liberalitate sufficienter acceptâ pecuniâ, cœpit eam ad Ecclesiæ profectus simul & ornatus secundùm Imperiale votum fideliter & prudenter expendere, Monasterium de ipsa in omnibus bonis, & maximè in possessionibus longè lateque opulenter augmentare. Cùm verò (3) oportebat, cum multo religionis habitu procedens ad hujusmodi exteriora negotia, consilio providus egrediebatur (4), & infra Monasterium contemplationis dulcedine, fruens in sacri ordinis observantia quietus atque tranquillus assiduè permanebat. In ipsius quoque insulæ amœnitate se jugiter exercebat, & tanquam in medio paradisi positus eam delectabiliter excolebat. Est enim ipsa Casauriensis insula valde delectabilis & amœna, fructuum & herbarum suavitate referta, fluminis insuper Piscariæ conclusa meatibus, ita ut, sicut supra scriptum est, velut alter paradisus appareat. De cujus nominis & naturæ pulchritudine quidam sapiens versificans ait:

Ad patriæ laudes naturæ nomen obedit;
Auro tota nitens, aurea nomen habet.
Ut verum fatear, si quid pretiosius auro
Mundus habere potest, hoc habet iste locus.
Omne genus grani, vini genus omne videres,
Arboris omne genus, sponte parare cibum.
Hic Domino vivit Sanctorum turba virorum;
Hic Martyr Clemens gaudet honore suo.

Ha-

(1) Du-Chesne *circa eumdem locum sito, visu &c.*
(2) Du-Chesne *aquas in se fluentes recipit.*
(3) Du-Chesne addit *illum.*
(4) Idem: *Egrediebatur, & regrediebatur.*

Habet enim Piscariensis insula proprium nomen suum, videlicet Casam Auream; nam in antiquis ex eadem insula conditis instrumentis invenitur habuisse nomen Casauræ, ab aura ventorum, quæ potenter ibidem flare dignoscitur. In regalibus quoque privilegiis & sequentibus Monasterii chartulis describitur Casa Aurea, pro eo nimirum, quia de regali Thesauro fuit eadem insula comparata, & ex ipso etiam eadem Sanctæ Trinitatis Ecclesia in sua constructione sublimi ornatu ditata refulsit. Potest etiam dici aurea, propter excellentiam pulchritudinis & honoris ejus, quia vineis, hortis, & fructiferis arboribus consita, & Piscariæ flumine circumclusa naturaliter, sicut dictum est, fertilis est & amœna. Unde quidam sapiens versificans ait:

Aureus iste locus tanto splendescit honore,
Ut res & nomen comprobet inde datum.
Nec tamen ex æquo nomen respondet honori;
Nam minus ipsa re nomen honoris habet.
Tot natura loco bona tam bene contulit isti,
Ut supplere nihil vel renovare queat.

Fluvius namque Piscariæ, qui Casauriensem insulam undique cingit & circumvallat, sicut tradit *Liber de mirabilibus Mundi*, & ipsa rei veritas ostendit: nascitur in imo cardinum valve, in loco ad radices montis, qui dicitur Calmentinus, indeque progrediens, & profluens, multisque jam aliorum fluviorum aquis in se receptis, meatu per montana vel mœnia canalium Alpium Magellæ scilicet inter montes duos Soti & Ursæ decurrit: postea verò egreditur in quamdam planitiem, ubi competenter incipit dividere Pinnense territorium à Teatense, & tanquam terminus eorundem inter utrumque fluens, suisque meatibus pulcherrimis & amœnis istarum duarum regionum fines usque ad mare determinans distinguit. Antea verò, quàm ad ipsam Casauriensem insulam deveniat in impetu & velocitate magnoque sonitu à loco, qui ab antiquo dicitur Pons-Regalis, in locum concavum & immensæ profunditatis defluit, & in largam atque profundam inundationem se celeriter expandit. De cujus profunditate ac inundatione fit mirabilis aquarum divisio; & una quidem pars à latere Pinnensis territorii tendit; altera verò à parte Teatensis, & circa radices montis Mortulæ decurrit, donec insulâ undique aquis cinctâ & circumvallatâ, ipsæ aquæ sibi reoccurrant. Quæ ad invicem rejunctæ in unum inter Comitatum Pinnensem & Teatensem per suum alveum usque ad mare discurrit, & sic in pontum Adriaticum Orientale se insinuat (5). Currit verò prædictus Piscaria millia quadraginta quatuor, & sic se in prædicto ponto obcludit.

Ut autem meliùs atque meliùs cognoscatur à posteris & à progenie in progeniem innotescat quanta fuerit in principio sui Piscariensis Abbatia Sancti Clementis, quæ terra possessionis ejus, quibus terminis, atque confiniis concludatur, quo quantove pretio fuerit acquisita, nomina quoque villarum seu casalium, & ex quibus villis atque casalibus in ipso fundo castella postea fuerint ædificata, quæ namque in ipsis pertinentiis, & tenimentis locorum, Ecclesiarumque vocabula, quemadmodum in Instrumentali volumine reperiuntur, summatim & liquidò dignum duximus in hoc opere declarare. Est igitur, ut supra tetigimus, in finibus Pinnensis Comitatus circa Monasterium, & Casauriensem insulam, Piscariæ tantùm flumine intercurrente, regio tribus ambita & conterminata fluminibus; quorum fluviorum unus nascitur in loco, ubi propter Cervos, qui de proximis Silvis potatum ibidem venire solebant, dicitur Petra Cervaria, nomine Cignus, qui suis meatibus in Piscariam defluens, quia ejus aqua in quibusdam suis gurgitibus serpenticulos & anguillulas nutrit, Cignus vocatur. Hujus verò regionis possessio facit initium ab eodem loco, ubi Petra Cervaria nuncupatur, & Cignus nascitur, & subit transitque per Furcas Pinnenses, & descendens in Valle de Trite in confinium Valvensis Comitatus protenditur usque ad locum, ubi Caputaquæ dicitur, indeque propter quod ex tribus fontibus, quod emanat, flumen Tritanum vocatur, vel ob copiam Truttarum piscium dicitur Trutanum. Possumus etiam dicere Aquas Tritanas, quia Trutta & Anas in ea fœcundissimo fœtu congignunt. Itaque flumen istud per ipsam Vallem de Trite decurrens prædictæ regionis extrema determinat, donec in Piscariam ingrediatur. Piscaria nempe, vel quia juxta sui magnitudinem piscium multitudine caret, vel propter pisces, quos valde saporosos & caros habet, tale nomen accepit. Cujus cursus cùm, postquam circa radices montis Soti, & Monasterii Beati Clementis insulam pertransierit, usque ad locum, in quo prædictum Cignum fluvium in se recipit, devenerit, prædictam regionem designat, atque concludit. Supradicti verò tres montes, qui infra regionem istam ab Occidentali plaga Monasterii conspiciuntur, unus eorum, quoniam in summitate sui est durus & asper, ab asperitate vocatur mons Soti; alter à Brungis & Prungis vocatur Brungata; tertius verò mons vocatur mons Aquiliæ, idest Aquilæ, eo quòd Aquila solet ibi nidificare. Est etiam à Septentrionali latere alius mons, in quo situs est quidam collis, qui dicitur Falconis: qui sive quòd à quodam viro nomine Falcone olim fuit inhabitatus, sive à volatu ipsius volucris Falconis totus ipse mons dicitur Falconius.

Præterea fontes & rivos aquarum habet hæc regio, videlicet rivum de Pantano, qui de prædicto monte Soti defluit, rivus Ceculi, rivus Candidi, in quo panni candidantur, quem etiam Adam Piscariensis Abbas, cùm à Rocca sua reverteretur, & inveniret Pastores ovium suarum ibidem uncinas facientes, commutavit nomen ejusdem rivi, & vocavit eum rivum de Uncinis. Sunt & aliæ aquæ in eo defluentes, quæ Tresrivi appellantur; rivus etiam, qui dicitur Vomeris, rivus de Fleccine, qui in loco nomine Vadaluto (6) Piscariam subintrant. Demum rivus, qui vocatur Merdariolum, & deficit in alveum de Piscaria.

Ante principium ergo Monasterii Piscariensis infra terminos supradictæ regionis erant villæ, casalia, locorumque habitacula, quæ legitima venditione fuerunt empta, & in jurisdictionem & proprietatem Beati Clementis de regali pecunia legaliter acquisita.

Hæc verò sunt nomina villarum & casalium ipsorum, secundùm quod astruunt instrumenta Chartarum: Vicus Pinnensis, Pantanum, Rangianum, Collis, Casalecclum, Teczanicum,

(5) Du-Chesne *se latitat*.

(6) Du-Chesne *Vadulato*.

cum, Victorita, Blunesa, Colmella, Stabuli, Pirolum, Loceriole, Opaculum, Fleccine, Vadulatum, Curtis de Leriano, Petacsanum, Petelianum, Cedisse, Cerbaranum, Collis Falconius, Carcosani (7), Morus, Lecertus, Casulæ, Capitinianum, Osanum, Blesianum, Madici, Niranum, Mortula, Asinarii, Retianum, Andrailanum, Legonianum, Palearitia, Casale de Maringe, Sancta Victoria, Sanctus Angelus, Mortianum, Fiola, Collis Superone, Banio, Collis de Cortina, Ruginosum, Carpentum, Sanctula, Collemanianum, Novæ, Banianum (8).

In ipsis profectò pertinentiis villarum, casalium, ac habitaculorum inveniuntur prædiorum, locorum, Ecclesiarumque vocabula, ex quibus duximus quædam ipsis suis exprimenda vocabulis.

I. In pertinentia de Vico Pinnensi hæc inveniuntur locorum Ecclesiarumque vocabula: Ecclesia Sancti Calixti, vocata Clusura, Casore, Lacus Rotundus, Lacus Minor, Lacus Major, Pratum Regale, ubi pons fuit constructus, qui Pons-Regalis est dictus, Via-Cava, locus qui olim dictus est Avium, ubi est nomine Sanctæ Mariæ Ecclesia dedicata, & ubi Sancti Joannis nomine Capella est constituta; Gemmetum, Piro-Corbolo, Gemeruti, Nuscule, Lamacina, Romaniani, Casatrottuli, Cennegetum (9), Spinetum, Subtusgratta (10). Possessio nempe Vici Pinnensis, sicut in utraque parte voluminis Instrumentalis supputatur, reperitur esse ad mensuram triticei seminis terra modiorum septingentorum octoginta unius. Pecunia verò inde à vendentibus exacta, & ab ementibus persoluta, necnon ab Abbatibus à principio Monasterii data vel locatione accepta, mille sexcentorum septuaginta duorum solidorum, & caballi duo, & boves septem, sicut ex singulis chartis colligitur & supputatur.

II. In pertinentia de Ragiano, Pantano, & Colle, inveniuntur locorum, Ecclesiarumque vocabula. In Pantano Ecclesia Sancti Pelini nomine dedicata, in Ragiano Ecclesia Sanctæ Mariæ, & alia Ecclesia Sancti Angeli nominibus dedicatæ. Casa de Antonio, Cæsa, Morus, Clusura, Fons de Curtina, Viniale, Tufagie, Porcianum, Pons remedii, Pastina, Ecclesia Sancti Silvestri in ipso Ragiano sita, locus ubi dicitur Mandra, & Garagetum; locus ubi dicitur Fossa, & ubi dicitur Rucciolum, & ubi dicitur ad Rivum sub Ripa, & ad Clivum, & Fornella, Plagia, Longezes, Quercus Crossa, Piscina de Aquaviva, Bolobro, Vallis de Flectomata, Transrivum, Mons Soti, Ecclesia Sanctæ Trinitatis, & Crypta in ipso monte Sancti Michaëlis nominibus dedicata; Locus nomine Collis, & Ecclesia Sancti Petri in pertinentia ipsius collis in loco, qui dicitur Periculi ædificata, Pomariolum, possessio nempe ipsorum trium casalium, Ragiani, Pantani, & Collis, est ad mensuram triticei seminis terra modiorum mille quingentorum viginti septem: pecunia verò inde à vendentibus exacta, & ab ementibus persoluta, necnon & ab Abbatibus à principio Monasterii data, vel locatione accepta, solidorum mille quingentorum quadraginta unius: conca una argentea, caballi tres, boves octo, sicut ex singulis chartis colligitur & supputatur.

III. In pertinentia de Casale Casalecclo, & de Villa Tezanico, inveniuntur locorum, Ecclesiarumque vocabula: Ecclesia Sancti Martini vocata, locus qui dicitur Collis, & suptus Colle Atrium Sancti Martini, Terra Piniataria, Via Saracinesca. Ecclesia Sancti Felicis nomine consecrata in eodem Tesanico, Locus, ubi dicitur Foris de Altula, Clusura. Possessio nempe ipsorum duorum Casalium Casalecclí, & Tesanici, est ad mensuram triticei seminis terra modiorum sexcentorum quatuordecim. Pecunia verò inde à vendentibus exacta, & ab ementibus persoluta, necnon ab Abbatibus à principio Monasterii data, vel locatione accepta, solidorum sexcentorum septuaginta unius, sicut ex singulis chartis colligitur, & supputatur.

IV. In pertinentia de Victorita, & Blunza, Colmella, Stabulis, & Perule, inveniuntur Ecclesiarum, locorumque vocabula; Casa-vetere, Orgule, Plano, supradicto Gemmeto, Noale Manaresce, Vintioni, Cellario, Terra, ubi dicitur Sancti Angeli. Locus, ubi dicitur Sacorum (11). Capella in ipsius Victoritæ receptaculo constituta Sancti Nicolai nomine. Extra ipsam Villam, Ecclesia Sancti Antonini vocabulo consecrata. Ecclesia alia in Blunsa Sancti Nicolai vocabulo dedicata. Vinea majore, Tufo, Urciona. Possessio nempe ipsarum quinque villarum, Victoritæ, Blunsæ, Colmellæ, Stabulis, & Perulæ, est ad mensuram triticei seminis terra modiorum octingentorum viginti trium. Pecunia verò inde à vendentibus exacta, & ab ementibus persoluta, necnon à principio Monasterii ab Abbatibus data, vel locatione accepta, solidorum septingentorum quinquaginta duorum, boves septem sicut ex singulis chartis colligitur, & supputatur.

V. In pertinentia Villarum, atque Casalium, videlicet, de Opaculo, Fleccine, Vadulato, & Petaczano, inveniuntur Ecclesiarum, locorumque vocabula: Petrosula, Fonsallonis, Ecclesia Sancti Pancratii nomine constructa, Pojum de Codaculis; Luciano, Vallis sub Forcella, Casalina, Frudunclii, Ripa Ansonis, Corni, Cortina, Maranello, Collecelli, Campus de Lentesco Viniali, Caleara, Ecclesia Sancti Martini vocabulo extructa. Possessio nempe ipsorum quatuor Casalium est ad mensuram triticei seminis terra modiorum septingentorum decem & octo. Pecunia verò inde à vendentibus exacta, & ab ementibus persoluta, necnon à principio Monasterii ab Abbatibus data, vel locatione accepta, solidorum octingentorum septuaginta quinque, sicut ex singulis chartis colligitur, & supputatur.

VI. In pertinentia Casalium de Peteliano, Cedisse, & Cerbarano, inveniuntur locorum, Ecclesiarumque vocabula, videlicet Ecclesia Sancti Viti nomine constructa, Cori, Castellovecclo, Conjulello, Fossatum de Fonte Savivana, inter rivos, Petræ majores, Ecclesia Sanctæ Justæ nomine dedicata, Ecclesia Sancti Comitii nomine dedicata, Ecclesia Sanctæ Mariæ vocabulo Ciaciris, Ecclesia Sancti Petri nomine constructa, Summa, Vico, Ecclesia Sanctæ Mariæ honore dedicata, Sessiano, Furcel-

(7) Du-Chesne *Carusani*.
(8) Eidem Du-Chesne *Bianum*.
(9) Du-Chesne *Cannegetum*.
(10) Eidem Du-Chesne *Subtus grutta*.
(11) Du-Chesne *Lacorum*.

cella. Possessio nempe ipsarum trium villarum est ad mensuram triticei seminis terra modiorum trecentorum octoginta novem. Pecunia verò à vendentibus exacta, & ab ementibus persoluta, necnon à principio Monasterii ab Abbatibus data, vel locatione accepta, solidorum trecentorum octoginta, sicut ex singulis chartis colligitur, & supputatur.

VII. In pertinentia Villarum atque Casalium de Carusani, Moro, Lecto, Casule, Capitiniano, Ozano, Blesiano, & Madici, inveniuntur locorum, Ecclesiarumque vocabula, Mansiano, Porcarecza, Sculcula, Petorci, Sancta Maria de Morello. Ecclesiæ Sancti Nicolai, & Sanctæ Justæ nominibus dedicatæ. Ecclesia Sanctæ Luciæ nomine dedicata in Moro. Sancta Maria de Cerraniano: Sanctus Appollinaris, Sanctus Vincentius in Lecto. Fasenario Sanctæ Mariæ Ecclesia dedicata, Porcari Paganeo, Pontiano, Cluso, Cancello, Macalæ, Trefoliæ. Ecclesia Sancti Leuterii vocabulo, & Sanctæ Luciæ vocabulo, in Osano. Ecclesia Sanctæ Mariæ in ipso Blesiano, Ecclesia Sancti Petri in Madici. Possessio nempe supradictorum octo Casalium est ad mensuram triticei seminis terra modiorum trium millium. Pecunia verò à vendentibus exacta, & ab ementibus persoluta, necnon à principio Monasterii Abbatibus data, vel locatione accepta solidorum sexcentorum, sicut ex singulis chartis colligitur, & supputatur.

VIII. In pertinentia Casalium de Nerano, & Fabrica, Mortula, Legoniano, & Asinariis, Retiano, & Andravano, inveniuntur locorum, Ecclesiarumque vocabula. Vocabulum de Sancto Savino, & de Sancto Andrea, & de Sancto Antonino. Macclabona, vocabulum de Sancto Petro ad Asinarios, Ruginosum. Vocabulum de Sancta Lucia, & Pontiano. Vocabulum de Sancto Petro Plaja Asole. Vocabulum de Sancto Damiano. Putella de puteo, Fossato-cupo, Colle-peluso; possessio nempe prædictorum septem Casalium est ad mensuram triticei seminis terra modiorum mille trecentorum viginti unius. Pecunia verò à vendentibus exacta, & ab ementibus persoluta, necnon à principio Monasterii ab Abbatibus data, vel locatione accepta, solidorum trium millium centum quadraginta novem.

IX. In pertinentia quoque Villarum, seu Casalium de Palearicia, Casale de Maringe, S. Victoria, & Sancto Angelo, Mortiano, Ruginoso, Carpeneto, Biano, Fiola, Campuli, & Superone, inveniuntur locorum, Ecclesiarumque vocabula, Pectiæ, Plajæ, Clusurulæ, Serrum-cello, Imbricæ, Castellum, vocabulum de Sancto Eleutherio; Clusura, Furcella de Rugenoso; Vocabulum de Sancto Simeone, & Sancto Angelo, Vallis de Arne; Vocabulum de Sancto Salvatore, Fons turturis, Collis de Lentesco, Planum de Fara, Cava de Sancto Joanne, Rojaro, Cerretum, Waldari, Cortina; Vocabulum de Sancto Victorino; Pratum Lensarose; Vocabulum de Sancto Leopardo, Ecclesia Sancti Leucii in Castello Campuli; Collis Munduli, Cellulæ Collis Stabionis, Foncella, Ofelici, Plajapetrosa, via de Sancta Lucia, Macerina Rivus de Bussi, Vorago de Plaja-sicca, Neretulo, Casadeladi, Casule, Prata inter Rigora, Fonsodonis. Sancta Maria de Superone, Balentii, Fossa Guarnonis, Ceppeta, Valentino, Sancta Agatha, Sanctus Laurentius, via Ostolesæ, Collemajo, Lacus; Possessio nempe prædictorum undecim Casalium, seu Villarum est ad mensuram triticei seminis terra modiorum mille centum viginti octo. Pecunia verò à vendentibus exacta, & ab ementibus persoluta, necnon à principio Monasterii ab Abbatibus data, vel locatione accepta, solidorum trium millium septingentorum septuaginta, boves quatuor.

Huc usque producta est pars Chronici Casauriensis à Du-Chesne, & ab Ughellio editi. Privilegia verò quæ Ughellius ad calcem editionis suæ amandaverat nos loco suo adtexuimus.

Sequuntur alii libri, quos Lucas Dacherius vulgavit, eosque primo & secundo succedentes tertium & quartum numeravimus. Prologum tamen auctoris, qui fortasse libro primo aptior fuisset, loco movere noluimus, ut singulorum editiones integras exhiberemus.

LIBER TERTIUS.

PROLOGUS.

Piscariense Monasterium in honore ac vocabulo Summæ & Individuæ Trinitatis, à Ludovico magnifico Imperatore fundatum atque constructum est; corpore namque gloriosi Pontificis & Martyris Christi Clementis donatum, ac proinde per diversas Italiæ provincias, multis prædiis & amplissimis possessionibus dilatatum, sublimiter effulsit, & in principio sui multa religione, seu morum excellentia præditum, mirabiliter claruit. Quod nimirum antequam construeretur, & in exordio fundationis suæ, ipso Serenissimo Augusto largiente, & multis aliis potentibus viris porrigentibus, multa possedit, & quasi cum primo lapide fundamenti tanquam vivum lapidem primum Abbatem nomine Romanum *accepit: de cujus morum gravitate, & rerum acquisitione, tam ipse Clementissimus Imperator in quodam suo privilegio testatur, quàm etiam ipsæ Monasterii chartulæ clariùs manifestant. De possessionibus verò & dignitatibus Monasterio collatis, habuit multa Regalia præcepta, & copiosa chartarum instrumenta. Sed postea, peccatis exigentibus, sicut de possessionibus multa perdidit, sic de regalibus privilegiis, & instrumentalibus chartis multò plura ob culpam & negligentiam quorumdam amisit.*

Nos igitur moderno tempore, licèt ingenio & scientia juniores & imperiti, tamen super hoc divinitus sollicitati, cum ingenti tœdio & labore residuum omne chartarum ipsarum revolvimus, & ad honorem B. Clementis, & munimen, & profectum sanctæ suæ domus, de eisdem chartis tanquam in unum opus librum ordinantes composuimus, ne videlicet causâ vetustatis, vel per negligentiam, sicut olim, amittantur; & maximè ut Abbatia S. Clementis Casauriensis, quòd excellenti & principali jure semper fuerit Regalis atque sublimis, non ignoretur à posteris.

Præterea sciendum, quòd tempore fundationis Monasterii Piscariensis nulla castella penitus infra omnem circuitum montium, qui de proximo considerantur, & qui fines ipsos ambiunt, erant adhuc ædificata; sed omnis illa tam Pinnensis, quàm Teatensis territorii regio, per finitima, & circumquaque posita loca frequentibus villis atque casalibus inhabitabatur, & quasi sub ficu, & vite, vel in propriis prædiis erat hominum illius temporis incolatus. Post Monasterii verò constructionem quadraginta circiter jam elabentibus annis, cùm ab Agarenis & gente Pagana, sicut in chartis & Chronicis reperitur, Monasterium fuisset igne crematum, & pæne destructum, & ipsa finitima regio desolata, Barbaris, ut fertur, à Christianis victoriosissimè effugatis, ob metum ipsorum, ex villis munitiones, & ex casalibus castella fieri cœperunt: quædam Abbatum constructione, quædam Abbatum concessione à divitibus acceptâ pecuniâ pro Cœnobii restauratione. Nonnulla quidem ab eodem tempore per eorumdem locorum invasores, in Monasterii possessione fuerunt oppida violenter ædificata: quæ postea per hujusmodi occupatores non solùm retenta, immo à Monasterii dominio, violento jure sunt exempta, & irrecuperabiliter alienata, miserâ pigritiâ seu carnali negligentia quibusdam Abbatibus incumbente.

Ad notitiam itaque posterorum, ex quibus villis & casalibus ipsæ munitiones, & eadem castella invaluerunt, prout veriùs scire potuimus, tam relatione scientium, quàm traditione chartarum, modò in capitulis hujus voluminis, modò in chartarum titulis expressimus.

INCIPIT LIBER TERTIUS.

COEpit igitur & creatum est Piscariense Monasterium tempore quo Papa gloriosissimus Nicolaus Romanum gerebat Pontificatum, & Michael Constantinopolitanum regebat Imperium, supradicto Cæsare Ludovico, Augusti Lotharii filio, in honore Sanctæ & Individuæ Trinitatis illud fundante & construente. Sicque cælesti prædestinatione seu dispositione factum est, ut uno, eodemque tempore fieret & Corporis B. Clementis inventio, & Sanctæ Piscariensis Ecclesiæ constructio, ut sicut olim eidem Sancto Corpori fuit ab Angelis habitaculum in maris pelago præparatum, sic etiam eidem reperto, & in Italiam reportato, foret ab hominibus Sacrosanctum Templum regaliter ædificatum.

854.

Sed ante non multos annos, videlicet Anno Dominicæ Incarnat. DCCCLIV. Imperii verò Domni Ludovici tertio, & patris ejus Lotharii Augusti XXXIV. Indictione prima currente; cùm idem gloriosus Imperator in Comitatum Pinnensem devenisset, & jam ipsum Monasterium fieri votivo corde cœpisset, emit ad honorem Dei & B. Clementis, & ad perpetuum commodum Sanctæ suæ Piscariensis Eccl. a quodam nobili & potente viro, nomine Corvino, omnes ejus per eundem Comitatum Pinnensem diffusas, uberes, & largas possessiones in casis, & casalinis, & casalia Brelianum, & Linari cum omnibus tenimentis & pertinentiis suis, & cum ceteris rebus mobilibus, immobilibus eorum. Unde receperunt ipsi venditores ab eadem Clementissima Regina bullas de auro duas equum optimum unum cum argentea sella, in pretium MCC. solidorum, sicut testatur chartula venditionis eorumdem.

Sequenti post hoc anno Domno Ludovico in finibus Spoletinis commorante, & pro Imperii tranquillitate augustaliter decertante, legibus acquisivit à quodam potentissimo viro Adelberto omnes res proprietatis ejusdem, quas opulenter videbatur tenere intra fines Italiæ, Tusciæ, Spoleti, & Romaniæ. Ipsas profectò Piscariens. Monasterio clementer addixit perpetuò possidendas: sed cùm post mortem prædicti Adelberti quidam Comes Hildebertus easdem temerario maloque ordine pervasisset, eisque incumberet, ab eodem Imperatore calumniatus, & causidicatus, ac per Advocatos & Judices palatii sui confutatus, atque convictus, ipsæ res in integrum in propriam potestatem Domini Augusti sicut antea reversæ, prorsus in juris proprietatem Piscariensis Ecclesiæ fuerunt redactæ. Qualiter autem

tem & quomodo in anno Imperii sui VIII. res ipsæ prædicto Adelberto dante fuerint acquisitæ, ac in anno Imperii ejus X. super ipsum Ildebertum Comitem causidicè recuperatæ. pagina, quæ decreto Principum & Optimatum Italiæ, qui in ipso placito præfuerunt, inde fieri jussa est, lucidè manifestat.

866.

Consequenter etiam anno Imperii sui XIV. idem gloriosus Imperator accepit in augmentum Ecclesiæ Piscariensis perpetualiter habendum, à quibusdam eximiis viris de Comitatu Senensi, videlicet Farimundo Diacono & Capellano, à fratribus suis, filiis quondam Farulfi, donationem sub titulo proprietatis curtem in fundo palmæ cum casis massariciis, & omnibus rebus sibi pertinentibus. Unde receperunt per missum Domni Augusti nomine Adegerium, caballum unum peroptimum, sicut testatur chartula donationis eorumdem.

Item Serenissimus Imperator per omnem Italiam cupiens Monasterium quod construi decreverat possessionibus dilatare, misit ideo Romam quemdam Hermenulfum Comitem familiarem suum cum infinita pecunia: qui datis ex ea octingentis libris argenti Petro Consuli & Duci Romanorum, accepit ab eo ad proprium jus Augusti in ipsa Romana urbe solarium habitationis suæ, cum area & curte. Sala seu Capella Sancti Blasii, cum balneo & viridiario & curtem in fundo Tussiano juxta lacum Sabbatini, cum omnibus rebus sibi pertinentibus.

869.

Unde Salerni. ubi Domnus Imperator anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXIX. pro totius Romani Imperii commodo, & Christiani nominis libertate morabatur, chartula firmitatis condita, & in ea eodem Petro & aliis nobilibus civibusque Romanis se subscribentibus testibus est corroborata hoc modo Petrus in Dei nomine Consul, & Dux in hac charta venditionis à me rata subscripsi. Signum manus Johannis filii Leonis de Civitate Roma ex genere Roman. Ego Gregorius, filius Leonis de Civitate Roma, legem vivens Romanam, in hac charta venditionis rogatus à Petro testis subscripsi. Signum manus Johannis Ducis de Civitate Roma legem vivens Roman. testis subscripsi. Teubaldus legem vivens Roman. in hac charta venditionis rogatus à Petro testis subscripsi. Signum manus Landerici ex genere Roman. Richinus rogatus à supradicto Petro testis subscripsi. Agelmundus Notarius Domni Imperatoris in hac charta venditionis rogatus à supradicto Petro testis subscripsi. Johannes, & Aripertus in hac charta vendit. rogati à Petro testes subscripserunt. Petrus Notarius Domini Imperatoris scriptor hujus chartulæ venditionis, quam post traditam complevi, & dedi.

872.

Vir etiam nomine Pratari vendidit eidem Aug. anno Imperii sui XX. terram in fundo Aprutino, Casale vocabulo Juliano pro supplemento Piscariensis Ecclesiæ acceptis ex Regio Fisco XX. solidis.

Circa tempus verò fundationis Monasterii Piscariensis magnificus Imperator nolens sicut olim Rex David, nisi in proprio solo constituere domum Dei, accersito quodam Illustrissimo Sisenando, & tributis ei per missum suum Adoaldum XX. libris argenti, exegit ab eo quicquid possessionis & juris proprietatis, nec non conditionis ex eadem habebat Insula.

I. ABBAS ROMANUS.

IGitur Abbate Romano jam ordinato, & in apparatu fundandæ Piscariæ Ecclesiæ studiosiùs insistente, quidam Auderadus Amiternensis concessit pro anima sua ipsi sancto loco in subsidium Monachorum servos & ancillas, in loco nomine Urbeto, & vallem Civitonicam, & in Pantano & Civitate Caballari; & terram modiorum mille nongentorum. Eodem modo fecit consobrinus ejusdem Auderadi, nomine Manardus, pro anima sua, & genitoris sui Auderadi, & matris suæ Mariæ, omnia, quæ habebat in ipso monte Sancti Mauri, videlicet sylvas & terras, & in loco nomine Poze terram viginti modiorum.

Ipso quoque tempore Romanus, religiosus Abbas, fecit plurimas prædiorum emptiones, videlicet à Liutaldo terram in eadem Insula Piscariæ.

Præterea Suppo Piceni Comes, qui & Dux inscribitur, in Imperatoris exercitu fulgidus, sub ipso tempore traslationis Beati Clementis obtulit pro luminariis ante ipsum sanctum corpus habendis quamdam villam suam apud Pinnensem Civitatem, nomine Paternum, cum reditibus, & omnibus sibi jure pertinentibus.

Item Romanns Reverentissimus Abbas eo tempore quo Monasterium construi debebat emit in Beloniano, Caniano, & vico Teatino, terras, casas, vineas, & omnes res Magelfredi, filii Formosiani, possessionem centum viginti modiorum præter silvas & vineas, & omnem hæreditatem suam, sicut videbatur habere in montanis, & planiciis.

Igitur cùm in vico Teatino in campestri planitie juxta fluenta Piscariæ maneret exercitus, & Domnus Imperator Ludovicus ad fundationem Monasterii vehementer anhelaret. Eodem tempore tractata & habita cambitione cum Grimbaldo Pinnensi Episcopo de Casauriensi insula, accepit ab eodem scriptum confirmationis.

Sanè Romanus Abbas prudenti consilio à possessionibus sibi venditis viros qui eas vendebant non penitus excludebat, sed & nonullis de venditoribus à se possessiones emptas, & in Monasterii jus conversas beneficiali ordine legaliter præstabat, sicut fecit de quibusdam viris Arifredo & Ildeperto & Raciperto, quibus ipsas res, quas ipsimet vendiderant, Paterno, Selcano, & Ragiano concessit sub certo censu. Cùm igitur Ludovicus Imperator Beneventum proficisceretur, fundata jam Casauriensi Basilica, commisit ipsum opus Domno Romano Abbati, ut donec idem Imperator rediret, structuræ parietum insisteret, & in emendis possessionibus valde solicitus & intentus esset. Unde sub ipso tempore fecit per plurima loca plurimas emptiones villarum, prædiorum, casalium, domorum, terrarum, vinearum, camporum, multarumque rerum mobilium & immobilium. Nam in villa Fleccine omnes res cujusdam Rimonis, filii quondam Aderisii ex genere Alaammandorum; & omnes res cujusdam Rosperti filii quondam Leonis in villa lucino Tocci tenemento, & omnes res & substantias cujusdam W. Indeperti filii quondam Luponis in Villa quæ nominatur Scanglare Castello Sancti Valentini pertinente.

Sequenti quoque die vir nobilis & ditissimus Lupo filius quondam suprascripti Aderisi, obtulit se cum omnibus rebus suis mobilibus & immobilibus quas habebat in Bectorrita Domno Romano Abbati, & veniens ante altare fecit oblationem rerum suarum, & secundùm Regulæ morem vitam Monasticam assumens in congregatione receptus est, sicut libellus traditionis, quem de suis rebus condidit, protestatur; Ipso etiam die Romanus Abbas fecit alteram emptionem à ditissimo viro Magelfredo, Formosiani filio de terra in vico Teatino & Tocco quam habebat in casis, prædiis, vineis & ceteris rebus, à flumine Piscaria usque in rivum Arullum, & confinium Valve, dans ei proinde pretium de argento solidos centum.

Pelerinus siquidem illustris vir Pinnensis, audiens Abbatem Romanum pro possessionibus emendis pecuniam regiam largiter expendere, vênit ad Casauriense Cœnobium, tradiditque Domno Abbati per chartulam venditionis quicquid in villa nomine Salajano videbatur habere, recipiens inde ab eo pretium in argento centum solidos.

Quod Casale cum aliis possessionibus, quæ vocantur Ampullula, Salsula, Albenetulo, Celisse, idem Pelerinus à Piscariensi Monasterio tenuit, Abbate Romano beneficiali ordine sibi largiente subscripto & certo censu atque servitio, ut in ipsius scripti chartula legitur. Per idem tempus Allo quondam Castaldio, vir locuples in Pinnensi & Teatino Comitatu, cum uxore sua nomine Fredeldi, investivit Romanum Abbatem de duabus Curtibus, quarum una dicitur Viarium in Tocci pertinentia, altera in Pinne, quæ dicitur Ocretanum; propter quod idem Abbas dedit eis duos caballos optime paratos, quemadmodum in ejusdem investituræ chartula testibus roborata legitur.

Itaque dum hæc taliter agerent, Domnus Imperator Ludovicus profectionem suam exequens Capuam applicuit, ibique pro totius Romani Imperii commoditatibus commorans, universisque ferè tam Ecclesiasticis, quàm secularibus potentibus viris congregatis, augustalem, atque solemnem Curiam celebravit, ubi de Piscariensi Monasterio præcipuum, ac principale verbum faciens coram omnibus Italiæ Principibus, ipsum Monasterium perpetua libertate donavit. De qua libertate, & de rebus, & dignitatibus, secundùm suæ liberalitatis clementiam eidem collatis atque concessis, augustalis edicti paginam scribere fecit, & etiam propria manu subter insignivit, & sua Imperiali bulla jussit annotari, sicut in ipsius præcepti pagina reperiri potest, & legi. Quæ verò pagina Monasterio porrecta, & habita, & ejus exemplo in instrumentali volumine pro recordatione descripta sic est.

PRIVILEGIUM PRIMUM

De cambio Insulæ & constructione, seu libertate Cœnobii Casauriensis.

„ IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei æterni, Ludovicus divina ordinante providentia Imperator Augustus. Quicquid famulorum Christi usibus Deo inspirante largimur, illi profectò damus, à quo bonum omne suscepimus; Ideoque omnium Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque fidelium, præsentium scilicet, ac futurorum, cognoscat unanimitas, eo quòd divino amore afflati Monasterium nos servorum Christi habitationi & quieti proficuum in Insula, cui nomen est Casa aurea, quæ etiam amne cingitur Piscariæ, instituendum providimus, atque institutum stabiliri, atque perpetualiter confirmari hujus nostræ liberalitatis pagina non incongruum fore perspeximus. Ac primò omnium aream ipsam in qua Claustrum venerabilis loci fabricandum censuimus à parte Pinnensis Episcopii justè ac legaliter ex nostro proprio commutari fecimus. In qua Ecclesiam ab antiquo Beati Martyris Quirici constructam invenientes, alteram non longè ab ea Ecclesia in honorem Sanctæ & individuæ Trinitatis ædificari præcepimus: Credentes sine dubio nostræ pro hoc animæ redemptionem, Imperiique nostri continuatam protectionem, & adversariorum nostrorum efficacem contritionem, divinæ nobis respectu misericordiæ præparari.

„ Quamobrem per hos nostræ auctoritatis apices confirmamus iterum, & perpetualiter stabilimus præfatam insulam, cum omnibus ex integro pertinentiis ipsius suprataxatæ reverendæ atque colendæ Sanctæ Trinitatis Ecclesiæ, & his qui inibi ex hoc nunc & deinceps deservituri sunt famuli Christi, ut habeant, perfruantur, atque possideant universa, quæ in ea comparatione, donatione vel commutatione legali nostræ parti acquisita sunt, vel quæ extrinsecus ad eandem respiciunt, cum servis, & ancillis, chartulariis, comenditis, aldionibus, libellariis, & cunctis pertinentiis ipsorum, cum vineis, & terris cultis & incultis, sylvis atque salectis, planis & montuosis cum molendinis ac piscationibus, & omnibus circum circa meatibus aquarum, omni nostra pro heredumque nostrorum repetitione, vel qualibet publica exactione remota.

„ Et quoniam, ut prædiximus, isdem sacer locus servorum Dei usibus nostrisque desideriis visus est aptissimus, idcirco ad regimen ipsius venerandum Presbyterum, Romanum nomine, probum moribus, & regularibus instrumentis tritum, Abbatem instituimus, quatenus ejus solicitudini ac vigilantiæ Christi Ovile commissum, universos qui ex mundi turbinibus ad se confugerint, tranquillissimam à mundi negotiis vitam, & ad æternæ Patriæ pascua feliciter præparare commoneat. Qua de causa tam ipsum & eos, qui cum eo sunt, quàmque & illos qui inibi futuri sunt, cum omnibus quæ nostra liberalitate vel aliorum fidelium Christi oblatione hucusque acquisierunt, aut in antea Deo propitio acquirere potuerunt, sub nostro mundburdo & Augustalis immunitatis nostræ defensione suscepimus: omni circa ipsos, & ea quæ illorum sunt partis publicæ deminoratione, invasione, vel qualibet inquietudine in perpetuum sopita. Ubicunque autem vel undecunque necesse habuerint tanquam pro domnicatis nostris, ita pro rebus eorum ac familiis à nostris executoribus inquisitionem fieri volumus. Præterea cavendum observandumque jubemus, ne quisquam aliquo tempore ausu nefario quemlibet extraneum ad regimen ipsius sacrati loci

„ loci superducere audeat, quin potiùs Dei „ servis inibi degentibus strenuum ex suo numero pari consensu Pastorem eligere liceat: „ quod qui irrumpens, & alium extrinsecus „ non Pastorem sed lupum subintrat, ac per „ hoc in tremendo judicio pœnam præparasse „ certissimè noverit. Præcipientes ergo omnimodis præcipimus, & sub interminationem „ jubemus, ut nullus ex Præsulibus, Ducibus, „ Comitibus, Castaldionibus, vel quibuslibet „ partis publicæ Officialibus, seu discurrentibus Missis nostris, aliquam suprataxato venerabili loco, vel eis qui ad ipsum pertinent „ rebus, vel familiis inferre audeat molestiam: „ sed liceat Dei servis inibi liberè ac securè „ degentibus, pro nostri statu Imperii altissimum Dominum assiduis precibus implorare. „ Quod qui præsumpserit, & hanc nostræ auctoritatis evidentissimam præceptionem vel „ in minimo violasse convictus fuerit immunitatis nostræ, mulctam triginta libras argenti „ probatæ monetæ publicæ Sancto ac reverendo Cœnobio componere compellatur. „ Et ut hæc nostræ largitionis, confirmationis „ atque donationis, nec non etiam immunitatis atque defensionis Augustalis auctoritas „ firmior ac stabilior habeatur, & diligentiùs „ futuris temporibus observetur, manu propria subter insignitam ex bulla nostra eam „ jussimus annotari.

„ Signum Domni Ludovici Serenissimi Imperatoris Augusti.

„ Giselbertus Presbyter & Notarius ex jussu Imperiali scripsi & subscripsi.

„ Data septimo Calendas Junias, Indictione sexta. Actum civitate Capua, anno „ Domni Ludovici Serenissimi Imperatoris „ Augusti vicesimo quarto, in Dei nomine „ feliciter.

Altera verò die Cæsar Clementissimus in eodem Conventu positus, admittens petitionem Domni Romani Abbatis, sibi per Celsum sui Cœnobii Præpositum atque legatum transmissam, subdidit Ecclesiam Sancti Mauri Martyris in colle Amiternino constitutam, de qua idem Romanus in Piscariensem Abbatem assumptus fuerat, & libentissimè contulit Casauriensi Monasterio. Indeque Imperialis præcepti paginam fieri jussit, in qua repetitis etiam quibusdam de his quæ in hesterno præcepto continentur, ipsam sigillo & proprio signo roboravit, quæ Monasterio porrecta & habita, & ejus exemplo in instrumentali volumine pro recordatione descripta sic est.

PRIVILEGIUM SECUNDUM

De Sancto Mauro de Amiterno.

„ IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei „ æterni, Ludovicus divina ordinante providentia Imperator Augustus: Omnibus Sanctæ Dei Ecclesiæ nostrisque fidelibus præsentibus scilicet & futuris, cognitum fieri „ volumus, eo quòd venerandus vir Romanus „ Monasterii Sanctæ & Individuæ Trinitatis, „ quod olim Deo inspirante construximus, „ Abbas nostram humiliter imploravit mansuetudinem per Celsum sui Cœnobii Monachum atque legatum, ut Ecclesiam Beati „ Martyris Mauri in colle Amiternino constitutam, cum omnibus quæ ad ipsam respiciunt rebus mobilibus atque immobilibus, „ seu utriusque sexus familiis, sub Monasterium Sanctæ Trinitatis à nobis in insula, „ cui nomen est Casa aurea, constructum ob „ nostræ mercedis augmentationem subdere „ dignaremur. Nos verò dignam satis ratamque ipsius intuentes supplicationem, juxtè „ quod humiliter petierat libentissimè annuimus, subdentes prædictam Beati Martyris „ Cellulam, cum his qui ibidem deserviunt „ devotè famulis Christi, & universis quæ „ possidere videntur circumcirca, vel longè „ positis ipsius sancti loci proprietatibus, cum „ servis & ancillis, & cunctis pertinentiis ipsorum, tam nostra, quàm prædecessorum „ nostrorum liberalitate, seu etiam quorumlibet fidelium Christi donatione, oblatione „ vel qualibet coëmptione aut commutatione „ acquisitis, nec non etiam universos commenditos, chartularios, vel libellarios ipsorum sub jure prædicti Cœnobii Sanctæ Trinitatis, atque dominatione ex hoc nunc & „ deinceps; quatinus hujus nostræ auctoritatis „ tuitione protecti & perenni provisione sufsulti, quicquid hucusque acquisierunt, aut „ in antea Deo propitio acquisituri sunt, inconvulsæ retinentes, quietè ac pacificè possidentes, altissimum jugiter Dominum pro „ nostri statu Imperii devotis precibus valeant „ exorare. Quin etiam ad majorem nostræ „ mercedis cumulum volumus, & omnimodis jubemus ut ubicunque vel undecunque „ necesse habuerint, tanquam de domnicatis „ nostris, ita & pro ipsius sacri loci rebus vel „ familiis inquisitio fiat. Si quis autem ex Præsulibus, Ducibus, Comitibus, Castaldionibus, Sculdasionibus, seu quibuslibet publicæ partis officialibus, vel curialibus nec „ non etiam discurrentibus missis nostris, aliquam supratanxato venerabili loco molestiam „ vel inquietudinem, deminorationem, vel „ invasionem in rebus ipsius vel familiis intulerit, & hoc nostræ auctoritatis augustale „ munimentum vel in minimo violasse convictus fuerit immunitatis nostræ mulctam, „ hoc est pœnam triginta librarum argenti „ sæpedicto sacratissimo loco componere compellatur. Et ut hoc certiùs credatur, & attentiùs observetur, manu propria inscripta „ roboratum ac stabilitum exannulo nostro „ subter jussimus insigniri.

„ Signum Dom. Ludovici Serenis. Imperatoris Augusti. Giselbertus Presbyter & Notarius ex jussu Imperiali scripsi, & subscripsi.

„ Data pridie Calendas Junias, Indictione „ sexta. Actum Civitate Capua, anno Imperii Domini Ludovici Serenissimi Augusti vicesimo quarto, in Dei nomine feliciter.

Post hæc Domno Ludovico Imperatore in rebus publicis augustaliter agente, & Domno Romano Abbate in emendis usquequaque possessionibus, ac aliis Piscariensis Monasterii profectibus laborante, factæ sunt in diversis provinciis emptiones plurimæ, videlicet facta est emtio de terris, vineis in cunctis rebus & substantia cujusdam Mainerii, filii quondam Manfredi in suprascripta villa Bectorrita, dante inde ipso Abbate argentum solidorum triginta.

Item completa est venditio quam fecerat Allo Castaldio, & Fredelli uxor ejus de Curte in vico, loco nomine Viario, cum Ecclesia Sancti Flaviani, & de alia Curte in Pinne, vocabulo Ocretano, cum Ecclesia Sanctæ Justæ, & Sancti Florentii, cum omnibus ad easdem cur-

tes

tes pertinentibus, datis inde à Romano Abbate in pretium trecentis solidis.

Per idem tempus venerunt duo nobiles viri, Maro videlicet filius quondam Luponis, & Rodelaso, filius quondam Rodi ad Piscariense Monasterium, & Domno Romano Abbate emente vendiderunt ipsi Monasterio quandam villam suam, nomine Laterno, in Comitatu Aprutino, habitaque possessio est æstimati mille centum modiorum in terris, vineis, & ceteris rebus substantiæ ipsorum, unde receperunt in pretium ab eodem Abbate de argento nongentos quinquaginta solidos, sicut in chartis reperitur, & legitur.

Redeunte itaque Ludovico Imperatore de partibus Beneventi, decrevit illico ut suum Piscariense Monasterium solemniter atque legaliter investiretur de cunctis rebus longè latèque acquisitis. Sed quoniam ipse non poterat ubique præsentialiter esse, constituit viros qui sui vice id peragerent. Unde Augusto præcipiente Grimbaldus Pinnensis Episcopus & Erifridus Basso, Imperatori confecerunt investituram de Curte Breliano, & omnibus rebus Amelfredi cum omnibus rebus eidem Curti pertinentibus Domno Celso Monaco Piscariensi ipsam investituram coram testibus recipiente. Gualbertus verò, & alii Primates Augusti, præfatum Monacum investiere per jussionem Domini Imperatoris de Curte, Sancti Sebastiani nomine, quæ fuit quondam Camerotii, & de Curte cujusdam Ecardi, nomine Perano, & omnibus rebus proprietatis eorum in Comitatu Teatino: quæ res proprietatis eorum poterant æstimari à flumine Piscaria usque ad flumen Trinium, inter mare Adriaticum, & Montem de Magelle; possessiones videlicet largissimæ & magnæ nimis, sicut chartulæ tradunt testibus roboratæ, & Monasterio cum eisdem possessionibus traditæ simul & habitæ.

Ordinavit præterea gloriosus Imperator unum ex collateralibus suis virum splendidum & illustrem, Haribaldum nomine, sacri Palatii Comitem, qui super causis & agendis Monasterii specialiter intenderet: Investituras rerum Imperiali vice faceret, necessaria Monasterio sicut propriæ domui Imperatoris secundùm voluntatem Abbatis provideret. Qui Comes eodem tempore ab Abbate Romano requisitus, celebravit Curiam in Casauriensi insula, Abbate querelante super quosdam viros, videlicet Liuterium de rebus Insuliano & Paterno, quas quidem Candolus & Romanus Cartulati, Allonis olim Castaldii, tunc ejusdem Cœnobii Monachi tenuerunt, & super Garisusum notarium de rebus in vico Teatino. Causa quoque Gundi uxoris quondam Justonis, in eadem Curia ventilata est, unde sacri Palatii Judices omnia ritè determinantes, ipsas res parti Monasterii legaliter addixerunt.

874.

Igitur anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXX V. Imperii Domni Ludovici Serenissimi Imperatoris Augusti XXIV. Indictione sexta, die quinta mensis Decembris, facta est Monasterio Piscariensi solemnis atque legalis investitura de cunctis rebus & possessionibus, quas idem Imperator acquisierat per diversas Italiæ Provincias; Heribaldo sacri Palatii Comite, per Ecclesiam & Casale Sancti Desiderii, Celsum Monachum & Matonem ejus Advocatum feliciter investiente: sicut hæc chartula declarat.

INVESTITURA MONASTERII

De cunctis rebus Augusti in diversis Provinciis Italiæ.

„ IN Dei omnipotentis nomine, Breve investituræ recordationis: in præsentia videlicet Adelperti de Camerino, Hervici, & Erifrid Rainardi, Bassi Dominici seu Guidonis Castaldionis Pinnensis, & Ildegardi Castaldionis de vico Teatensi, seu Attaldi Castaldionis de Amiterno, Ainardi, & alius Adelperti, Gisolfi Teodemarii, Ilderici, Arnulfi, & Ariberti, Kamelfrid, Petri Luponis, Saleuguardi, Ferelai, vel de aliis pluribus. In istorum suprascriptorum Judicum, & bonorum hominum præsentia, tradidit, & investivit Heribaldus Comes Sacri Palatii Domni Ludovici Imperatoris, per ipsius jussionem, & per ipsius Domni Ludovici demandatum, ipsam curtem de Sancto Desiderio de Pinne cum ipsa Ecclesia Sancti Desiderii per ipsas funes de ipsis Campanis; & ipsam Curtem de Linati cum pertinentia sua, in manus Gelsi Presbyteri & Monachi, & Majonis Advocati de Monasterio Sanctæ Trinitatis, quod ædificatum est intra insulam de Piscaria loco, ubi dicitur Casauria ad partem dicti Monasterii, & Romani Abbatis, ipsam dictam Curtem S. Desiderii, quam per chartam habuit Domina Hermengarda, genitrix ipsius Domni Ludovici de quodam Liutardo Diacono de finibus Pinnensis, non solùm autem ipsam Curtem, sed & omnem proprietatem, & quicquid eidem Domno Ludovico ex jure Patris, vel Matris pertinebat, vel quod ipse Domnus Ludovicus Imperator ipso die conquisitum habebat in jure proprietatis, vel quod in antea Deo propitio conquirere posset in diversis provinciis, videlicet in Romania, in Spoleti atque in Comitatu Teatense, Pinnense, Firmano, nec non & in Camerino, & in Tussia, & in Longobarbia, atque in Samnia, vel in totis finibus Italiæ, ipse præfatus Heribaldus Sacri Palatii Comes in præsentia supradictorum testium tradidit & investivit Celsum Presbyterum & Monachum ipsius Monasterii, cum Majone Advocato suo, cum omnibus quidquid in supradictis locis pertinere videntur, cum mobile & immobile in integrum, cum casis, terris, & vineis, campis, sylvis, pascuis, pomis, olivetis & ficariis, piscationibus, aquis & decursibus aquarum, salectis, & molendinis, atque cannetis, ut dictum est, cultum, vel incultum, cum mobilibus & immobilibus, servis & ancillis, chartulatis & alditionibus, libellariis & commendatis in dictis partibus, scilicet per diversa loca, in Spoletinis, Balba, Reate, Marsi, Furcone, atque Amiterno, & Spoleti, Nursia, nec non & Cicoli, Turre inter Ocrum, Noberim, Narnate, Asculum, Aprutiumque simul, & Terame, Ascisium, Fulgineas, Nucerie, Camerinum, Firmo, Teate, Picenum, simul & Tuscia, Italiamque, ut diximus: Quicquid ipso die in his totis finibus ex jure parentum habere visus sum, vel quod ipse acquisitum habebat ipso die, atque quod in antea conquirere posset; ipse jam dictus Heribaldus Sacri Palatii Comes investivit & tradidit Celso Presbytero, „ &

„ & Majoni Advocato, ad partem dicti Mo-
„ nasterii Sanctæ Trinitatis, & Romani Ab-
„ batis, in præsentiam dictorum Judicum.
„ Cùm ergo nos dicti Judices & fideles
„ Domni Imperatoris vidissemus, quòd dictus
„ Heribaldus Missus & Comes Sacri Palatii
„ ipsam dictam curtem Sancti Desiderii cum
„ omnibus quæ supra leguntur, traderet &
„ investiret Celsum Presbyterum & Mona-
„ chum, & Majonem Advocatum pro redem-
„ ptione animæ Domni Ludovici Serenissimi
„ Augusti, ad partem dicti Monasterii Sanctæ
„ Trinitatis, & Romani venerabilis Abbatis,
„ in insula Piscariensi, loco ubi dicitur Casau-
„ riensis, hoc breve memoratorium firmatio-
„ nis atque recordationis investituræ ex dictato
„ & de mandato nostro, Audoaldum Nota-
„ rium scribere demandavimus. Actum in
„ Pinne ad Sanctum Desiderium, in anno
„ Imperii Domni Ludovici vicesimo quarto
„ die quinto mense Decembris, per Indictio-
„ nem septimam feliciter. Ego Erifredus ibi
„ fui: Ego Guido Castaldio ibi fui: Signum
„ manus Aldegari Castaldionis ibi fui: Ego
„ David Diaconus ibi fui. Signum manus
„ Astaldi Castaldionis ibi fui: Signum manus
„ Ferelai qui ibi fui: Signum manus Sale-
„ vvardi ibi fui: Signum manus Ingelmanni
„ ibi fui.

Altera quoque investitura facta est die sequenti Monasterio Piscariensi ab eodem Heribaldo Sacri Palatii Comite, Domno Ludovico Augusto mandante, in manus Celsi Presbyteri & Monachi, & Majonis ejusdem Monasterii Advocati, de omni videlicet dotalicio supradictæ Gundi uxoris quondam Justonis: de curte videlicet de Monactiano, & Ecclesia Sanctæ Mariæ, & de Casalibus nomine Pecanie & Bucanie, tam in territorio Aprutiensi, quàm in Pinnensi.

Est profectò quædam villa vocata Superclo, in Sancti Valentini Castello translata, quam à Tederamo & Palumbo germanis filiis quondam Reparati legaliter ad profectum Piscariensis Ecclesiæ triginta solidis emit. A Gualdeberto cujusdam venatoris filio emit omnes res, & substantias suas in vico Teatino, nomine Viario, in casis, terris & vineis, indeque dedit ei solidos quadraginta. Emit etiam Villam nomine Fulonice, ubi est Ecclesia vocabulo de Sancto Marco, à quibusdam viris Ainardo & Petro cum omnibus rebus & substantiis eorum, dedit inde pretium in argento solidis quadraginta quinque.

Cùm igitur victoriosissimus Imperator Ludovicus ad propria reverteretur, & jam urbem Ravennam applicuisset, condidit ibidem Augustale confirmationis præceptum, de aliquantis rebus Piscariensi Monasterio collatis, videlicet de Sancto Desiderio ab ejus genitrice, ut supra scriptum est, acquisito: quod in hoc libro descriptum sic est.

PRIVILEGIUM TERTIUM

De Sancto Desiderio, & aliis rebus Cœnobio Casauriensi ab Augusto donatis.

„ IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei
„ æterni, Ludovicus divina ordinante pro-
„ videntia imperator Augustus, omnibus Fi-
„ delibus Sanctæ Dei Ecclesiæ cunctis, præ-
„ sentibus & futuris, cognitum esse volumus,
„ quia divinitus inspiratus aliquantulas res
„ concedimus in Monasterio Sanctæ Trinita-
„ tis, quod ædificari jussimus in honore San-
„ ctæ & Individuæ Trinitatis, videlicet res,
„ quas bonæ memoriæ Hirmingarda genitrix
„ nostra per chartulam à quibusdam fratribus
„ Liutardo Diacono & Conrado germanis,
„ consentiente Liuprando genitore eorum,
„ conquisierat in singulis locis, videlicet San-
„ ctum Desiderium Brilianum, atque Ligna-
„ ri cum omnibus pertinentiis, servis, & an-
„ cillis, cartulatis cum mobilibus & immobi-
„ libus, dedimus & res quorumdam hominum
„ infidelium nostrorum Ursonis Castaldii, at-
„ que Hitteri, similiter cum servis & ancil-
„ lis, cartulatis cum mobilibus & immobili-
„ bus, ubicumque de omnibus illorum rebus
„ adinventum fuerit. Pari etiam modo dona-
„ mus res Camarocii cum servis similiter &
„ ancillis, cum cartulatis, cum mobilibus &
„ immobilibus. Nihilominus & donamus res
„ Teobberti, qui ob nostram infidelitatem
„ Beneventum fugam petiit; simulque dona-
„ mus res Corvini, & res, quas Eccardus
„ Alamannus nobis per chartulam delegavit.
„ Nec non etiam & res quæ fuerunt Gundi
„ uxoris Justoni, idest Curte de Monatiano,
„ & cuncta portione ejus, quam à viro suo
„ Justone in dote acceperat. Quæ Gundi post
„ velamen religionis in adulterio cupulata in
„ placitum ante Judices Sacri Palatii nostri
„ legaliter devicta est. Omnia autem hæc
„ præcipimus, ut si intentio exorta fuerit à
„ publicis ministris tanquam de domnicatis
„ nostris per inquisitionem exigantur. Pro
„ nulla denique mallatura quispiam à Mona-
„ chis de præfato Monasterio, vel ab Advo-
„ cato eorum, totum quærere audeat, quia
„ ob reverentiam Sanctæ Trinitatis eidem
„ Monasterio concessimus. Concedimus etiam
„ in venerando loco, ut omnem compositio-
„ nem de cartulatis atque libellariis de ipso
„ Monasterio sibimet habeant, & nullus exa-
„ ctor publicus hoc inquirere audeat, sed in
„ quacumque compositione ceciderint in sua
„ potestate, hoc habeant, cujus cartulati esse
„ videntur; si quis autem ex Præsulibus, Du-
„ cibus, Comitibus, Castaldionibus, Sculda-
„ scionibus, seu quibuslibet publicæ partis Of-
„ ficialibus, nec non etiam discurrentibus Mis-
„ sis nostris, supra taxato venerabili loco mo-
„ lestiam vel inquietudinem intulerit, & hoc
„ nostræ auctoritatis augustale munimentum
„ vel in minimo violasse convictus fuerit, im-
„ munitatis nostræ mulctam, hoc est pœnam
„ triginta librarum argenti sacratissimo loco
„ componere compellatur. Et ut hoc certiùs
„ credatur, & attentiùs observetur manus
„ propriæ inscriptione roboratum ac stabili-
„ tum ex annulo nostro subter jussimus insi-
„ gniri.
„ Signum manus Domni Ludovici Serenis-
„ simi Imperatoris.
„ Giselbertus Presbyter & Notarius ex jus-
„ su Imperatoris scripsi.
„ Data tertia Calendas Majas Indictione
„ septima.
„ Actum foris Civitate Ravenna ad San-
„ ctum Apollinarem, Anno Imperii Domni
„ Ludovici Serenissimi Imperatoris vicesimo
„ quinto.

Per idem tempus licèt Imperator ad propria reverteretur, non tamen Romanus Abbas cef-

cessabat possessiones acquirere, imò sicut fidelissimus dispensator, de regali pecunia sibi credita continuatim villas & prædia largiter emebat, & in suæ Casauriensis Ecclesiæ profectum quotidie cumulabat.

Remeans itaque Domnus Ludovicus Imperator ad solum proprium adit Curtem Imperialem, quæ dicitur Olonna; ibique morans infra sexaginta dies edidit ad tuitionem Monasterii Piscariensis tria principalia sacræ institutionis privilegia, devotione plena, & omni auctoritate perpetuæ libertatis, & regiæ protectionis astipulata. In quorum uno specialiter notatur, de fundatione & consumatione ipsius sacrosancti Templi; de corpore namque B. Clementis ab eodem ibidem venerabiliter recondito; de largitione rerum, quas per totam Tusciam acquisivit, & ipsi Sancto Martyri perpetualiter porrexit, videlicet sedecim Curtes. Quæ Curtes & res in quibus locis, & à quibus hominibus, & qualiter ab eodem serenissimo Augusto fuerint conquisitæ ipsa sacrosancta præceptalis pagina manifestè declarat.

PRIVILEGIUM QUARTUM

De rebus Tusciæ, & aliarum Provinciarum.

„ IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei „ æterni, Ludovicus divina ordinante pro„ videntia Imperator Augustus, cunctis sanum „ sapientibus liquet, quia quo magis cultibus „ divinis insistimus, eo amplius supernæ Ma„ jestati reconciliamur. Proinde universorum „ Sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque fide„ lium, præsentium scilicet ac futurorum, „ agnoscat unanimitas, quia nos Divino afflati „ instinctu, ad honorem & reverentiam tre„ mendæ, ac individuæ Trinitatis Sacrosan„ ctum Templum in insula, quæ Casa-aurea „ vocitatur, fundari & consummari hilari „ mente præcepimus, ubi & almificum Bea„ tissimi Pontificis & Martyris Clementis Cor„ pus venerabiliter recondi fecimus, atque in „ eodem situ famulorum Dei Cœnobium per„ petuis temporibus permanendum augustali„ ter atque liberaliter instituimus, quatenus „ coadunato illic sub regulari norma Religio„ sorum virorum cœtu, altissimo Deo laudes „ jugiter inibi votaque resultent. Qua de „ causa ad majorem mercedis nostræ cumu„ lum, ac loci ipsius necessarium supplemen„ tum, Servorumque Christi in ipso degen„ tium, seu illuc undecunque adventantium, „ perenne subsidium, contulimus in jam dicto „ Sanctæ Trinitatis Cœnobio omnes res no„ stras, quas conquisivimus per totam Tu„ sciam à quibusdam hominum: hi sunt Fa„ rimundus Diaconus & Capellanus, simulque „ Farao & Farulfus filii quondam Farulfi, „ videlicet Curtem in fundo Hisiano, & aliam „ Curtem in fundo Palmæ, unà cum omnibus „ ad suprascriptam Curtem pertinentibus; & „ quod ipsius Farimundi in parte evênit à suis „ fratribus, hoc est quinta portione de Curte „ in fundo Pao, & Curtem in fundo Panta„ nola, & Curtem in fundo Venetia, & Cur„ tem infra Civitatem Tuscanam, cum omni„ bus ad suprascriptam quintam portionem „ pertinentibus. Donamus & Curtem nostram „ in Suberella cum omni pertinentia vel ad„ jacentia sua, cum servis & ancillis, cartu„ lariis, aldionibus, libellariis, mobilibus & „ immobilibu, sicut ad nostram tenuimus ma„ num totum in integrum. Similiter donamus „ ipsas res, quas Walbertus Episcopus nobis „ per Chartulam delegavit in territorio Tusca„ nense, hoc est Curtem in fundo Cassiano, „ & Curtem in Orta cum servis & ancillis, „ cum mobilibus & immobilibus, cum omni „ pertinentia eorum. Pari etiam modo dona„ mus Casas Massaritias numero decem, quas „ Asprandus filius quondam Asprandi nobis „ per Chartulam delegavit, quæ sunt positæ „ in finibus Castro Tuscana, omnia ad supra„ scriptas Massaritias pertinentes: seu & res „ in finibus Pistoriensis, quas Guilelmus no„ bis per Chartulam delegavit, cum omnibus „ ad easdem res pertinentibus, verùm etiam „ donamus & omnes res, quas nunc habemus „ in Castro Felicitatis, & Curtem nostram in „ Sancto Cerbonio, & Curtem nostram in „ fundo Carpena, & Moliano; nec non & „ donamus curtem nostram in fundo Gorgia„ no, qui vocatur ad Sanctum Heliam in fini„ bus Aprutiensis, similiter cum servis & an„ cillis, cum mobilibus & immobilibus, om„ nia sicut ad nostram tenuimus manum. Quæ „ autem Curtes, & res superiùs nominatæ, „ seu quocunque contractu justè ac legaliter „ in nostrum jus dominiumque transfusæ sunt, „ omnes dumtaxat juris nostri per denominata „ loca Curtes cum servis & ancillis, atque „ aldionibus, & omnibus, quæ in his inventæ „ fuerint rebus, ac cunctis appendiciis earum, „ jam dicto Summæ Trinitatis Cœnobio vene„ rabili præsentialiter solemniterque largimur, „ & per hujus nostri præcepti Imperialem „ auctoritatem irrefragabiliter stabilimus, ut „ habeant eas atque possideant, fruanturque „ jure quieto ac pacifico ab hodierno die ac „ deinceps, tam hi, qui præsentes sunt, „ quàmque & illi, qui venturi sunt famuli „ Christi.

„ Cunctis igitur tam præsentibus, quàm & „ futuris cognitum sit, suprataxatum Cœno„ bium, habitatoresque ipsius, cum universis „ respicientibus ad ipsum mobilibus & immo„ bilibus rebus, sub nostri mundburdi conti„ nuam tuitionem à nobis jam dudum esse re„ ceptum. In tantum, ut omnem ipsius tan„ quam peculiarissimæ domus nostræ causam „ pro amore superno quo ad usque spiramus, „ exequi modis omnibus decreverimus. Post „ nostrum verò ex hac luce vitæ discessum, „ illi soli ejusdem venerandi loci tutelam „ committimus, ad cujus honorificentiam no„ stro studio constat extructus. Quapropter „ cunctos, qui nobis in Imperium pro tempo„ re successuri sunt, Imperatores, Duces, ac „ Principes, Primates quoque locorum supra„ dictorum, ac Judices per ipsam trinam, & „ unam Majestatem districtè obtestamur, & „ terribiliter adjuramus, ut prænominatum „ Sacratissimum colendæ Trinitatis munici„ pium juxta hujus nostri præcepti tenorem „ ratum ac stabilitum, ut semel ordinavimus, „ esse permittant. Nullam contra leges vio„ lentiam, deminorationem, vel substractio„ nem, seu invasionem, neque etiam quam„ libet publicam functionem, eidem veneran„ do loco quocunque in tempore inferre præ„ sumant. Et si fortè reclamaverint, ad quos„ cunque eorum querela pervenerit, pro Dei „ summi amore omnem illis justitiam adim„ plere non differant. Si quis autem hujus no„ stræ

„ stræ institutionis, & quod magis est Divinæ
„ promulgationis sacrilegus contemtor, &
„ temerarius violator exstiterit, sciat se incur-
„ surum iram ipsius Sanctæ & Individuæ Tri-
„ nitatis, atque in tremendo justi Judicis exa-
„ mine causam nobiscum dicturum: ac per
„ hoc cum Juda proditore ab Apostolico agmi-
„ ne cum impiis ac sacrilegis sequestratus,
„ pars illius sit in stagno ignis ardentis & sul-
„ phuris. Sed ut hæc nostræ liberalitatis, ac
„ piæ largitionis, seu præfixæ institutionis pa-
„ gina perpetuum obtinere valeat robur, ma-
„ nus eam nostræ annotatione solemniter insi-
„ gnivimus, nostræque bullæ impressione subter
„ confirmari jussimus.

„ Signum manus Domni Ludovici Serenis-
„ simi Imperatoris. Giselbertus Presbyter &
„ Notarius ex jussu Imperatoris scripsi & sub-
„ scripsi.

„ Data Calendis Septembris, Indictione
„ octava, Actum Olonna in Curte Imperiali,
„ anno Imperii Domni Ludovici Serenissimi
„ Imperatoris vicesimo quinto, Deo propitio
„ feliciter.

In altero quoque Privilegio repetit de Monasterii constructione, & B. Clementis almifici Corporis Translatione. Deinde pernotantur ibi omnis Italiæ provinciæ, in quibus possessiones & omnes res ab eo sunt acquisitæ, & Piscariensi Monasterio collatæ. Hinc etiam præcipuè describit de Missis, & Psalmo centesimo vicesimo in diurnis & nocturnis Officiis, & de matutinalibus & vespertinalibus hymnis pro ejus anima perpetim decantandis.

IN HOC QUINTO PRIVILEGIO.

Libertatis mandat Imperator qualiter oretur pro eo.

„ IN nomine Domini nostri Jesu Christi
„ Dei æterni, Ludovicus divina ordinante
„ providentia Imperator Augustus. Cunctis
„ sanum, &c. ut in superiori.

„ Qua de causa ad majorem nostræ mercedis
„ cumulum, ac loci ipsius necessarium supple-
„ mentum, Christique servorum in ipso degen-
„ tium, seu illuc undecumque adventantium
„ perenne subsidium, universas nostræ pro-
„ prietatis res, quæ sive infra Romanam Ur-
„ bem, sive extra ipsam, seu etiam per totam
„ Pentapolim, Tusciam, & Spoletinum Du-
„ catum, atque Camerinum Comitatum, nec
„ non etiam Firminum, Ascolinum, Apruti-
„ num, Penninum, seu Teatinum territorium
„ quocumque contractu justè ac legaliter in
„ nostrum jus dominiumque transfusæ sunt.
„ Omnes duntaxat juris nostri per denominata
„ loca Curtes cum servis & ancillis, atque
„ aldionibus, & omnibus, quæ in eis inventæ
„ fuerint rebus, mobilibus & immobilibus,
„ cum universis casis, massariciis, & aldiona-
„ riciis, ac cunctis appendiciis earum, jam
„ dicto summæ Trinitatis venerabili Cœnobio
„ præsentialiter solemniterque largimur, &
„ per hujus nostri præcepti Imperialem aucto-
„ ritatem irrefragabiliter stabilimus, ut ha-
„ beant eas, & possideant, fruanturque jure
„ quieto ac pacifico ab hodierno die ac dein-
„ ceps, tam hi qui præsentes sunt, quàmque
„ & illi, qui venturi sunt famuli Christi,
„ omni nostra proheredumque ac successorum
„ nostrorum repetitione, molestatione, vel
„ qualibet publica exactione remota.

„ Ita tamen ut tres quotidie pro nobis Mis-
„ sas, & omnibus diurnis ac nocturnis officiis
„ centesimum vigesimum decantare non desi-
„ nant psalmum, exceptis duntaxat vesperti-
„ nalibus & matutinalibus hymnis, quos per-
„ petim pro nostræ remedio animæ repetere
„ jugiter non cessabunt. Cunctis igitur, &c.
„ ut supra.

„ Signum manus Domni Ludovici Serenis-
„ simi Imperatoris.

„ Giselbertus Presbyter & Notarius scripsi
„ & subscripsi.

„ Data tertio Idus Octobris, Indictione
„ octava. Actum Olonna Curte Imperiali,
„ anno Imperii Domni Ludovici Serenissimi
„ Imperatoris vicesimo quinto, Deo propitio
„ feliciter Amen.

In ultimo sanè privilegio tangit de se quòd in Beneventano itinere posito devênit in Piscariam, & Casauriensem invênit insulam, ibique Sanctæ Trinitatis construxit Basilicam, in qua Clementis collocavit glebam, atque Monachorum ibidem coadunavit turmam. Deinde repetit de largitione omnium rerum, quas in totius Italiæ provinciis ad ipsius Monasterii supplementum & Monachorum perenne subsidium acquisierat.

PRIVILEGIUM

De libertate & confirmatione omnium rerum Cœnobii S. Clementis.

„ IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei
„ æterni, Ludovicus divina ordinante pro-
„ videntia Imperator Augustus. Universorum
„ Sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium tam præsen-
„ tium videlicet quàm & futurorum compe-
„ riat solertia, quia cùm omnipotentis juva-
„ mine freti, Beneventum progrederemur, in
„ ipso positi itinere devenimus ad Piscariam,
„ ubi quandam invenimus insulam undique
„ aquis cinctam, quam divina inspiratione cir-
„ cumeuntes, & ex omni considerantes parte
„ perspeximus ipsam usibus esse Monachorum
„ aptam temporibus profuturis; qua de re Dei
„ Omnipotentis inspiratione tacti, jussimus
„ inibi ædificari Basilicam in honore Sanctæ
„ & Individuæ Trinitatis, ubi etiam collocare
„ fecimus corpus B. Clementis Martyris &
„ Pontificis Christi, ubi etiam ad cumulum
„ mercedis nostræ coadunavimus cœtum Mo-
„ nachorum inibi supernæ Majestati famulan-
„ tium. Quibus etiam pro amore ipsius San-
„ ctæ & Individuæ Trinitatis, nostræque pa-
„ riter animæ remedio, ne aliquando pateren-
„ tur egestatem contulimus omnes res nostras,
„ quas justo ac legali tenore acquisivimus tam
„ infra urbem Romam, quàm extra ipsam
„ Romuleam urbem; per totam scilicet Cam-
„ paniam, & per omnem Romaniam, nec
„ non & per ambos Spoletanos Ducatus, seu
„ per totam Tusciam, eo videlicet tenore,
„ ut quandiu divina annuente miseratione su-
„ perfuerimus, & locus, & omnes res me-
„ moratæ in dominium & dispositionem no-
„ stram consistant; post nostrum discessum re-
„ deant & locus, & res memoratæ, in ordi-
„ natione fratrum in præfato Cœnobio, eo
„ scilicet ordine, ut absque ullius controver-
„ sia regulariter sub norma Sancti Benedicti
„ degant, sanctæque & Individuæ Trinitati
„ de-

deserviant, & pro nobis misericordiam ipsius exorent, ante omnia, & super omnia commonentes & præcipientes, ut nullus eos nec intus nec foris eorum pertinentia à nobis justè possessa & eis concessa, lædere aut inquietare præsumat, sed sub nostræ Imperialis præceptionis privilegio securè subsistant, Deoque famulentur: interiora & exteriora secundùm Dei voluntatem ordinent atque disponant. Concedimus eis & monimina per quæ nominatæ res nobis delegatæ sunt, & quotiescunque ille qui præest Abbas obierit, habeant licentiam ex sua propria congregatione secundùm Dei voluntatem eligendi Abbatem.

Consideravimus & alterum locum vocabulo Moninellum, usibus similiter Monachorum aptum distantem fermè duobus millibus ab urbe Mantovana, ubi divina præeunte gratia decertavimus (*) construere Basilicam in honore gloriosissimæ Resurrectionis seu Ascensionis Domini nostri Jesu Christi. Nihilominus Deo famulandum coadunare jussimus inibi cœtum Monachorum die noctuque supernæ Majestati famulantium, & ut nullam in serviendo patiantur egestatem pro Dei omnipotentis amore nostræque animæ remedio, contulimus eis omnes res nostras quas justè ac legali tenore acquisivimus in inferiori Italia. Quæ duo suprataxata Monasteria pro Dei omnipotentis amore à nobis provisa, & in ejus honore constructa, statuimus atque præcepimus, ut sinè alicujus controversia aut inquietudine sempiternaliter permaneant stabilia sub Dei omnipotentis gubernatione, ad vota ipsius die noctuque persolvenda. Si quis verò, quod minimè credimus, ipsa sua loca, eorumque pertinentia, seu servos Dei inibi supernæ famulantes Majestati, lædere, aut inquietare, seu ex collatis à nobis minuere, vel auferre præsumpserit, duplum eis restituat. Insuper componat pro præsumtione sua auri probatissimi libras duodecim. Si quis verò nostrorum successorum divino instinctu præfatis locis aliquid addere vel augere voluerit, satìs desideramus atque inhianter exoptamus, sin autem unicuique eorum, qui per tempora fuerit nostrorum successorum interdicimus, & sub divina contestamur invocatione, ut ex his quæ præfatis contulimus locis, nihil minuere vel auferre moliatur. Quod si fecerit, sciat se incursurum iram Sanctæ & Individuæ Trinitatis, ita ut ad sortem Beatissimæ Resurrectionis & Ascensionis Domini nostri Jesu Christi nullatenus pervenire valeat, sed cum Juda proditore sortem æternæ damnationis perenniter possideat. Et ut hæc nostra largitio atque concessio pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, manu propria subter eam firmavimus, & bullis nostris roborari præcepimus.

Signum manus Domni Ludovici Serenissimi Imperatoris.

Giselbertus Presbyter & Notarius ex jussu Imperiali scripsi & subscripsi.

Data Calendis Novembris, Indictione octava. Actum in Curte Imperiali Olonna, anno Imperii suprataxati Domni Ludovici Imperatoris vicesimo quinto, in Dei nomine feliciter.

(*) Fortè decrevimus. *Dacherius*.

In ipsarum profectò trium præceptionum paginarum sacris apicibus fiunt augustales & perpetuæ constitutiones de tutelis & libertatibus Monasterii, & ejus multimoda quiete, & de ceteris honorum & sublimitatum excellentiis eidem singulariter attributis: addidit etiam ibidem de altero Sanctæ Resurrectionis Monasterio apud Mantuam constructo.

875.

Facta sunt equidem hæc tria suprataxata Imperialia privilegia Dominicæ Incarnationis anno octingentesimo septuagesimo quinto, Indictione octava.

In editione Ughelliana legitur aliud Diploma Ludovici II. spectans ad hunc annum, illudque hìc iterum exhibemus, ne quid lectori desiderandum supersit.

Ludovici II. Imperatoris Augusti Privilegium fundationis, & dotationis Monasterii S. Clementis in Piscaria anno Domini DCCCLXXV.

IN nomine D. N. Jesu Christi Dei, &c. Ludovicus divina ordinante providentia Imperator Augustus cunctis summis sapientibus liquet, &c. magìs cultibus divinis instititimus eo ampliùs supernæ Majestati, &c. Proinde universorum sanctæ æternæ Ecclesiæ, nostrorumque fidelium præsentium scilicet, ac futurorum agnoscat humanitas, quia Nos divino afflati instinctu ad honorem, & reverentiam tremendæ, ac Individuæ Trinitatis Sacrosanctum Templum in Insula, quæ Casa aurea vocitatur, fundari, ac confirmari hilari mente præcipimus; &c. Et almificum Beatissimi Pontificis, & Martyris Clementis Corpus venerabiliter recondi fecimus, quod quidem Sacrosanctum templum, Monasterium Sancti Clementis in Piscaria in antea vocitari præcipimus. Ad &c. famulorum Dei Cœnobium perpetuis temporibus permanendum augustaliter, atque liberaliter instituimus, quatenus coadunato illic sub regulari norma Religiosorum virorum cœtu, Altissimo, &c. laudes jugiter inibi, votaque resultent. Qua de causa ad majorem nostræ mercedis cumulum, ac loci ipsius necessarium supplementum, Christique servorum in ipso degentium, seu illic undecunque advenientium perenne subsidium, Castella, & res infrascriptas cum possessionibus, & juribus, Vassallis, Vassallorum redditibus, requisitionibus, molendinis, aquarum decursibus, piscationibus, valcatoriis, silvis, rupibus, domibus, massaritiis, aldionaritiis, arrenditiis, mercatis, nundinis factis, & ordinatis, & in antea in ipsis Castellis, & locis pro ipsorum Religiosorum virorum arbitrio construendis, & ordinandis jam dicto Venerabili summæ Trinitatis Cœnobio, quod Monasterium sancti Clementis in Piscaria supra nuncupati præcepimus præsentialiter, solemniterque largimur; Quæ Castella, & res inferiùs describuntur. Primò in Thete, Caramanicum, Piccaricum, Paternum, Bononianum, Mosilolum, Sallum, Roccum, &c. Cantalupum, Ranile, Petra Sancti Valentini cum ipso Castello: Acculæ superdi, Manupellum, Turri, Fullonicæ, Fara ambriliæ, Insulam,

" sulam, & Castellum ipsius Insulæ. In Penne, &c. Uliculam, Pesculum, Rocca de Soti, Corvariam, Petram iniquam, &c. Alandum cum Casalibus suis, Casale Sancti Desiderii. In Civitate Sancti Angeli, Castellum Sancti Mori cum Portu. In Comitatu Aprutino, Castrum guardiæ, Castellum Vetulum Monascum, Castrum Sancti Georgii; In Marchia Castrum Lori, Castrum Caldarole, Castrum Vestiman. Montem obceranum, Rocellum, Bricciam, Sanctum Vincentium, Sanctum Angelum ad Fabaram cum omnibus Ecclesiis prædictorum Castellorum, & locorum. Et per hujusmodi nostri præcepti Imperialem auctoritatem irrefragabiliter stabilimus, ut habeant ea, & possideant, fruanturque jure quieto, ac pacifico ab hodierno die, ac deinceps, tam qui præsentes sunt, quamque illi, qui venturi sunt famuli Christi, omnium nostrûm, heredumque, & successorum nostrorum repetitione, molestatione, vel qualibet publica ex auctoritate, seu &c. remota, ita quod nec prædicti viri Religiosi, nec ipsorum vassalli nobis in aliquo alio teneantur, nisi quod prænominati Sacri Cœnobii, &c. Religiosi tres quotidie pro Nobis Missas, & omnibus nocturnis, &c. Centesimum vigesimum decantare non desinant Salmum exceptis dumtaxat vespertinalibus, & matutinalibus hymnis, quæ in perpetuum pro nostræ remedio animæ repetere jugiter non cessabunt. Cunctis igitur tam præsentibus, quàm & futuris cognitum sit supratataxatum Cœnobium, habitatoresque ipsius cum universis, &c. Castellis, rebus, & Vassallis ipsius sub nostri, &c. continua tuitione à Nobis jamdudum etiam recepimus. In tantum ut omne ipsius tanquam peculiarissimè domna, &c. pro amore superno quoadusque spiramus exequi modis omnibus decrevimus: post nostrum verò ex hac vita discessum illi soli ejusdem Venerabilis loci tutelam committimus, &c. cujus honorificentiam nostri studio constat exercitus. Quapropter cunctos, qui Nobis in Imperium pro tempore successuri sunt, Imperatores, Reges, Duces, ac Principes quoque Lo. &c. supradictorum, ac Judices per ipsam Trinam, & Unam Majestatem distincte obtestamur, & terribiliter abjuramus, ut prænominatum Sacratissimum colendæ Trinitatis &c. pium juxta hujus nostri præcepti tenorem ratum, ac stabilitum ut semel ordinavimus esse permittant, nullam violentiam, diminutionem, vel subtractionem, seu invasionem, vel molestiam, neque etiam quamlibet functionem eidem venerabili loco, rebus, seu vassallis ejusdem quocunque in tempore inferre præsumant. Et si fortè reclamaverint, ad quemcunque eorum querela pervenerit, pro Dei summi amore omnem illis justitiam adimplere non differant. Si quis autem hujusmodi nostræ institutionis, & quod magis est, divinæ promulgationis sacrilegus contemtor & temerarius violator extiterit, sciat se in tremendo justi Judicis examine causam Nobiscum dicturum, ac per hoc cum Juda proditore ab Apostolico examine cum impiis, ac sacrilegis sequestratus sit in stagno ignis ardentis, & sulphuris. Et ut hæc nostræ liberalitatis, ac piæ largitionis, seu præfixæ institutionis nostræ pagina perpetuum obtinere valeat robur, eam nostræ manus adnotatione solemniter insignivimus, nostræque Bullæ plumbeæ impressione subter confirmari jussimus. Signum manus Domini Ludovici Serenissimi Imperatoris. Etulbertus Presbyter, & Not. scripsi, & subscripsi. Datum tertio Idus Octobris, Indictione octava. Actum Olonna Curte Imperiali anno Imperii D. Ludovici Sanctissimi Imperatoris vigesimo quinto, Deo propitio feliciter. Amen. Anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXXV. Indictione VIII.

876.

Præterea Dominicæ Incarnationis anno octingentesimo septuagesimo sexto Dominus Romanus Pater venerandus, emptionibus à quodam Rimefredo conquisivit in Ragiano suprascripta villa, terras, & vineas, & omnes res, & substantiam ejus.

Eodem itidem anno vênit Mauricius Castaldio jubente Domno Ludovico Imperatore, & mense januario, vigesima secunda die mensis, investivit solemniter Domnum Romanum Abbatem de omnibus rebus mobilibus, & immobilibus Sisenandi Salegi, tam in Tete, quàm in Pinne. Primò videlicet de Curte Ambrilia, quæ postea sarum Ambrilie vocabulum accepit, & de Curte de Neriano, & Martiano, & Obetiano, & Sclavis. Quæ possessio terminatur à flumine Piscariensi usque ad flumen Tritanum, & usque ad Furcas, & montem de Cannatino, & rivum de Cigno, sicut tradidit chartula ipsius investituræ pluribus & idoneis testibus roborata.

Eo tempore Rimo, filius quondam Aderisi, de genere Alemannorum, obtulit filium suum, nomine Leonem Monasterio Sancti Clementis suscepturum vitam Monasticam, traditque Romano Primo Abbati ad partem ejusdem Cœnobii omnes res & substantiam suam, quam in villa de Ragiano possidebat, videlicet possessiones largissimas. Altercationem insuper habuit Romanus Abbas cum Ildebrando Franco, Garisusi filio, de Curte Perano vocabulo, & omnibus rebus quæ fuerunt Camarotii, & Aldegontii, & Agisendæ conjugis ejusdem Camarotii, verùm in ipsis diebus apud civitatem Teatinam, cui Theodericus Venerabilis Episcopus præsidebat, à quodam viro nomine Fratello, Supponis Comitis Vicario, Curiâ celebratâ, ibique querelâ depositâ, excellenter idem Abbas ipsas res & Curtem de Perano, quæ ultra flumen est de Sangro, perobtinuit.

Defuncto itaque piæ semperque celebrandæ memoriæ Ludovico Augusto, testamento post eum Consobrinus ejus Carlomannus Rex, Ludovici Regis filius, regnum Italicum obtinuit. Quo audito Romanus Abbas deposito ingenti fletu atque tristitia, quam habebat de morte ipsius Cæsaris sui Cœnobii constructoris, statim direxit ad eum Domnum Celsum Præpositum cum augustalibus præceptis, ut omne bonum, quod de Piscariense Monasterio antecessor ejus ipse beatæ recordationis Ludovicus Imperator effecerat, ipse Rex ratum haberet, & omnimodo confirmaret, suoque novo regio præcepto corroboraret. Illo autem abeunte Romanus Abbas interim regimini ac profectibus sui Cœnobii validiùs insistebat. Vir potens & locuples suprascriptus Rimo largitus est pro anima sua domos, agros, vineas, & omnia quæ habebat de Casale suprascripto Be-

ftorrita, Monasterio Piscariensi, indeque duos de fratribus, videlicet Domnum Beatum, & fratrem Leonem ipsius Rimonis filium, solemniter investivit, & in tenimine posuit coram testibus.

Eodem tempore Carlomanno piissimo Imperatore mandante, jubentibus etiam Lamberto & Widone Comitibus, venit Grimbaldus Pinnensis Episcopus unà cum Anserio & Adelberto atque Arterio Castaldionibus, & investierunt Domnum Romanum primum Piscariensem Abbatem apud Sanctum Desiderium, ubi propterea convenerant per ipsam Curtem de Villis, Castellis, & omnibus prædiis & rebus per totam Italiam acquisitis, & Piscariensi Monasterio collatis, & de libertate, & omnium dignitatum excellentiis, sicut ei à quondam beatæ memoriæ Ludovico glorioso Imperatore per præceptalia scripta fuerunt concessa.

Facta nimirum est hæc investitura in manibus Romani primi Abbatis, ad profectum & corroborationem Sanctæ Casauriensis Ecclesiæ, anno ab Incarnatione Domini octingentesimo septuagesimo sexto, Indictione nona, prædicto Carolo imperante anno primo mense Junio feliciter.

Profectus itaque Domnus Celsus Præpositus ad Imperatorem Papiæ commorantem, benignè receptus, & in petitionibus & negotiis Monasterii Piscariensis alacriter est exauditus, accepitque ab eo sacrum præceptum confirmationis, & tuitionis omnium rerum, & dignitatum, quas Casauriense Cœnobium à Domno Ludovico suo Fundatore per præceptales paginas habebat, addiditque ei gualdum Corni cum ceteris rebus eidem pertinentibus, sicut in eodem sacro præcepto continetur.

PRÆCEPTUM

Carlomanni Regis de libertate Monasterii Piscariensis, & confirmatione omnium rerum & dignitatum ejus, sicut habuit à Ludovico Augusto.

„ IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Carlomannus Divina favente gratia „ Rex. Omnium videlicet Sanctæ Dei Ecclesiæ Fidelium nostrorumque tam præsentium quàm & futurorum cognoscat industria: quia cùm gratia auxiliante Divina regnum Italicum obtinuimus, primùm, Deoque duce Papiam venimus Civitatem, adiit serenitatem nostram quidam Monachus, nomine Celsus, Præpositus Monasterii quod Casa aurea vocatur, & quod beatissimæ memoriæ antecessor ac Consobrinus noster Ludovicus Imperator Augustus à fundamentis in honore Sanctæ & Individuæ Trinitatis construxit, afferens quoddam præceptum, in quo continebatur qualiter præfatus Imperator pro amore ipsius Sanctæ & Individuæ Trinitatis, nec non & pro remedio animæ suæ, omnes res suas, quas justo, ac legali tenore acquisivit, tam infra Urbem Romam, quàm extra ipsam Romuleam urbem, per totam scilicet Campaniam, & etiam per omnem Romaniam, nec non & ambos Spoletanos Ducatus, seu per totam Tusciam, ad prænominatum Monasterium contulit. Ea videlicet ratione, ut liceat Fratribus ibidem regulariter viventibus easdem res tam interiùs, quàm exteriùs perpetualiter sinè aliqua inquietudine possidere. Et si Abbas ejusdem Monasterii obisset, ex propria Congregatione Abbatem sibi eligere licentiam haberent, & ut id Monasterium perpetuis temporibus sub immunitate ac tuitione Imperiali persisteret.

„ Hæc nos cognoscentes decrevimus per hoc præsens præceptum nostræ mansuetudinis omnia præfata ita ut scripta sunt confirmare. Volumusque, atque omnimodis præcepimus, ut Abbas ejusdem prædicti Monasterii semper cum omnibus illuc pertinentibus sub nostra Regali immunitate ac defensione maneat. Et omnes prænominatas res, ideſt, sive infra urbem Romam, sive extra, sive per totam Campaniam, seu per Tusciam, & ambos Spoletanos Ducatus, sicut in priori præcepto habebantur, Monachis ibidem Deo militantibus concedimus. Nec non ut & in eligendis Abbatibus de propria Congregatione perpetualiter potestatem habeant. Insuper ergo placuit nostræ serenitati ad id prædictum Monasterium quendam gualdum prope ibidem situm, nomine Cornie, tradere, cum servis & molendinis de Balneolo ad id gualdum pertinentibus, habitantibusque in Villa, quæ dicitur Alanne, cum aquis, pascuis, pratis ad id gualdum pertinentibus. Ea videlicet ratione, ut hæc omnia ob amorem Domini nostri Jesu Christi, & pro remedio animarum nostrarum, ideſt, Ludovici præfati Imperatoris ac Consobrini, qui nobis regnum istud dispofuerat: nec non & piissimi Genitoris nostri Ludovici Regis, ac Patrui nostri Caroli, nostræque, qui hanc fecimus traditionem ad id Monasterium sinè ulla inquietudine, perpetuis temporibus pertineant, quatenus Abbas & Monachi ejusdem loci easdem res habeant atque possideant, & juxta id quod opus eis sit ad servitium Dei potenter disponant, vitamque jugiter Regularem ducant, nullo unquam successore nostro hoc irrumpente: Sed liceat eis quietè vivere, & pro nobis ac pro nostris antecessoribus semper ipsam exorare Sanctam Trinitatem, in cujus honore hæc ipsa eorum Ecclesia constat esse dicata. Et ut hæc auctoritas nostræ confirmationis atque donationis firmiorem in Dei nomine habeat tenorem, annuli nostri impressione jussimus sigillari, & manu propria nostra subtus confirmavimus. Si quis verò, quod minimè credimus, ipsa sua loca, eorumque pertinentia, seu servos Dei inibi supernæ famulantes Majestati lædere, aut inquietare, seu ex collatis minuere, vel auferre præsumpserit, duplum eis restituat, insuper componat pro præsumptione pondera auri probatissimi libras duodecim.

„ Signum manus Domni Carlomanni Serenissimi Regis.

„ Baldo Cancellarius Regis, ad vicem Theocmari Archicapellani recognovi & subscripsi.

„ Data decimo septimo Calendas Novembris, anno Christo propitio secundo Regni Domni Carlomanni Serenissimi Regis, Indictione decima. Actum Papia Civitate Regia in Dei nomine feliciter. Amen.

Post mortem piissimæ recordationis Ludovici Serenissimi Augusti, Domno Romano primo

mo Abbate, in augmentis, & profectibus Sacrosanctæ Casauriensis Ecclesiæ fortiùs & solicitiùs insistente, plures iniquæ & pravæ mentis homines insurrexerunt, cœperuntque ipsum regale Monasterium querimoniis conturbare, Abbatem nimiis vexationibus fatigare, quia non fuit postea Rex vel Imperator, qui tanta devotione vel solicitudine ipsum & res ejus tueretur & custodiret, sicut Imperator Ludovicus, qui eum à fundamentis construxerat. Nam erant eo tempore tres fratres, videlicet Amelfredus, Waningo, & Petrus filii quondam Justonis Franci, qui contendebant adversùs Romanum Abbatem res & possessiones Gundi genitricis eorum, quæ legibus & dono ipsius Cæsaris Piscariensi Monasterio erant addictæ seu confirmatæ, sicut in superioribus scriptis continetur. Unde cùm apud Civitatem Teatinam Ildebrando & Ellone & Singolfo Castaldionibus, Supponis Comitis Vicariis, generalis Curia celebraretur, Romanus Abbas est eos prudenter aggressus, & de eisdem rebus cum Advocato suo contra ipsos sapienter agens & causidicans, veris assertionibus eos devicit & confutavit.

Postquam igitur supradictus Imperator Carlomannus Imperii gubernacula in duobus annis explevit, Carolus, qui tertius est dictus, ei in Imperiatu successit.

878.

Eodem tempore, anno videlicet ab Incarnatione Domini octingentesimo septuagesimo octavo, Indictione undecima, cùm Romanus Abbas à multis infestaretur, & ipse prudenter se à cunctis defenderet, conquestus est super Rodelando & Madelberto germanis quondam Madelberti filiis, de rebus omnibus & substantiis quondam Corbini Pinnensis, Walfredii, Simponis, Simdemonis, Godeberti, Ursepertí, & Pauli, quorum omnium res Piscariensi Monasterio legibus pertinebant comparatione seu dono bonæ memoriæ Ludovici Imperatoris. Qualiter autem infra Civitatem Pinnensem cum ipsis coram Judicibus placitaverit, & qualiter ipsos Ecclesiæ adversarios superaverit, & res suprascriptas ad proprietatem Monasterii adeptus fuerit, in ipsa notitiæ chartula exinde facta, & testibus roborata reperitur & legitur.

Commutavit ipse Abbas alias res de casalibus Ratiano & Andrabano, Casule & Paterno; quæ cambitiones factæ sunt cum Domno Bertario Casinensi Abbate, qui eo tempore Sancti Benedicti Monasterio præerat. Erat eodem tempore vir quidam rebus locuples, possessionibus opulentus, Garibaldus nomine, genere, & habitatione Marsicanus, à quo Dominus Romanus primus Abbas acquisivit in territorio Marsicano per loca & vocabula, & mercatus est omnes possessiones, & res proprietatis suæ, tam infra civitatem Marsicanam, quàm extra, videlicet in casis, & terris modiorum tritici seminis quingentorum quinquaginta. In uberrimis & fructiferis vineis, & arboribus, & ceteris rebus, ipso Garibaldo studiosè vendente, & pretium ab eodem Abbate recipiente in auro & argento solidos sexcentos.

Sanso Valvensis, vir nobilis & illustris, à quo totum Rajanensium & Sansonicorum stemma protrahitur, cùm in ejusdem Comitatu esset dives & potens, & Piscariense Monasterium multis jam possessionibus ex dono beatæ recordationis Ludovici Imperatoris in partibus illis polleret, vendidit, Domno Romano Abbate emente, omnes res suas, quæ à Boneperto, & Arnoaldo, & ab avo suo Gisone sibi provenerant in villa Carrene, in terris & vineis, & ceteris rebus; recepitque in pretium ab eodem Abbate in argento & caballis centum solidos. Quæ villa Carrene cum ipsa possessionis emptione cùm esset de possessione seu jure proprietatis B. Clementis, concessa est eidem Sansoni per Domnum Romanum Abbatem, & per omnes fratres, usque ad præfixum tempus sub statuto censu annualiter persolvendo. Ipsa verò villa postea in Castellum conversa, & à possessoribus munita, Prezze vocabulum accepit.

Erant tres fratres, videlicet Ameldricus, Oldericus, & Ingelbertus, filii quondam Franconis Salegi, à quo tota progenies Consulensium Dominorum processit, vendiderunt Piscariensi Monasterio, Abbate Romano emente, agrum duodecim modiorum tritici seminis in villa, quæ dicitur de Pontiano, loco nomine Asinarii, indeque receperunt pretium solidorum decem. Fecit etiam cum uno ipsorum, videlicet supradicto Amelrico, utilem Monasterio cambitionem; Ipse Abbas accipiens ab eo terras & vineas, à quodam Justulo possessas, in Casale Asinarii, largitis proinde ipsi Amelrico res juris B. Clementis, quæ fuerunt quondam Roffredi & Rodilonis, terras & vineas ejusdem æstimationis in Casale, de Nasuniano vocabulo.

Investituram equidem eo tempore accepit Romanus Abbas ab Adeltruda, quondam Anderperti filia uxore cujusdam Aglerii, de rebus & possessionibus quondam Ainardi viri sui anterioris in dugalium acceptis, in vico Teatino & Beloniano, quæ possessiones protenduntur à fluminibus Piscariæ, & Orta usque in confinium Valvense.

883.

Porrò sub ipso tempore cùm annus Dominicæ Incarnationis octingentesimus octogesimus tertius haberetur prima Indictione, misit Domnus Romanus Abbas Celsum Præpositum ad Imperatorem Carolum, orans & petens ab eo, ut sex mansos in Amiterno acquisitos suo Piscariensi Monasterio Imperiali præcepto confirmaret. Imperator autem pro Piscariensis Monasterii & Abbatis veneratione, sive pro reverentia suorum Antecessorum Imperatorum, postulationibus annuit libentissimè, ipsosque mansos Monasterio concedens & confirmans, jussit fieri præceptalis pagina, quæ descripta sic est.

PRÆCEPTUM

Caroli Imperatoris de mansis in Amiterno, quos dedit Monasterio Piscariensi.

„IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Carolus divina ordinante providentia Imperator Augustus omnium fidelium Sanctæ Dei Ecclesiæ præsentium scilicet ac futurorum cognoscat industria, quia Romanus venerabilis Abbas de Monasterio Sanctæ ipsius Trinitatis, per suum Missum deprecatus est Celsitudinem nostram, ut quasdam res proprii juris nostri prænominato Cœnobio, pro remedio animæ nostræ concederemus. Statimque nos, Liutardo Episco-

„ scopo & Archicancellario nostro suggerente, postulationibus ipsius assensum præbentes decrevimus ita fieri. Concessimus igitur eidem Monasterio pro mercedis nostræ augmento, & ut Deo pro nobis inibi juges orationes liberè offerat, mansos sex in pago Amiternino, cum uxoribus illorum ac liberis, & substantiis, quæque habere videntur; & in loco qui nuncupatur Casale, videlicet cum universis illorum appendiciis atque pertinentiis in integrum. Et jussimus inde fieri hoc nostræ auctoritatis præceptum, per quod decrevimus atque jubemus, ut deinceps eosdem jam prædictos servos supranominatum Monasterium perpetualiter possideat, nullusque habeat potestatem aliquid minuendi vel auferendi. Si quis contra hanc traditionem venire aut eam infringere voluerit, mille mancosos auri eidem Monasterio persolvere culpabilis habeatur. Et ut hæc nostræ largitatis concessio pleniorem in Dei nomine obtineat firmitatem, hoc nostræ auctoritatis præceptum propria manu firmavimus, & annulo nostro jussimus sigillari.

„ Signum Domni Caroli Imperatoris Augusti.

„ Waldo Cancellarius ad vicem Liutardi Archicancellarii recognovi & subscripsi.

„ Data duodecimo Calendas Julii, anno Incarnationis Domini DCCCLXXXIII. Indictione prima, anno verò Imperii piissimi Imperatoris Caroli tertio. Actum ad Monasterium quod nuncupatur Nonantula, in Dei nomine feliciter, Amen.

884.

II. ABBAS BEATUS.

POstquam recolendæ memoriæ vir Dei Romanus Abbas primus Piscariensis feliciter de hoc seculo migravit ad Dominum, Casaurienses fratres gravi mœrore licèt afficerentur, tamen secundùm tenorem vel auctoritatem præceptorum Imperialium protinus de propria congregatione fecerunt Abbatem, Domnum videlicet Beatum virum benignum & eximiæ conversationis, anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXXXIV. Qui suscepto regimine, quia postea modico tempore vixit, aliqua de operibus suis, quæ memoriæ mandari possent, non sunt inventa, nisi quòd in Casale de Pateliano, & Cedisse auxit in possessionibus Monasterii, quodam Majo vendente, omnes ipsas res, quæ quondam fuerunt Melergonii, pro quibus ipse Abbas dedit pretium caballum unum, sicut ejusdem venditionis chartula docet.

III. ABBAS ALMERICUS.

DUobus igitur annis Domnus Beatus in Abbatiatu peractis feliciter vita decessit. Quo decedente Domnus Almericus ejusdem Congregationis Religiosæ vitæ Monachus, tertio loco factus est Piscariensis Abbas.

891.

Quo tempore Wido Imperator, supradicto Carolo jam defuncto, in Italicum Imperium augustaliter successit, anno ab Incarnatione Domini octingentesimo nonagesimo primo. Almericus autem Abbas cœpit ad munimen & profectum Ecclesiæ quoddam ædificium infra pertinentiam de Alanne, loco, qui ob Ecclesiam inibi ædificatam dicitur de Sancto Angelo, firmare, ibique quibusdam viris, quorum nomina in ipsa donationis chartula inveniuntur, pro anima sua donantibus, acquisivit terram ad ipsum opus construendum.

892.

Sequenti post hæc anno Lambertus in Imperium coronatus sicut Wido Augustus Pater ejus imperat.

900.

Temporibus igitur istis, supradictorum Augustorum Guidonis atque Lamberti jam annis expletis, tertius Ludovicus Regni & Imperii Coronam accepit nongentesimo Dominicæ Incarnationis anno currente. Quo imperante Domnus Almericus Abbas acquisivit in Casale Aquilano ad jus Monasterii à quodam Auderto, quondam Luponis filio, terras, & vineas: propterea concessit ei de rebus Monasterii in eodem Casali in beneficium, sicut ipsius convenientiæ charta declarat, sub statuto termino, & annuali censu. Concessit quoque cuidam Warneperto terram modiorum quadraginta in Casale Platiole sub annuo censu & statuto tempore.

910.

IV. ABBAS LUPUS.

HIs ita præmissis Almericus Abbas, cùm per annos decem & octo Piscariensem rexisset Abbatiam, migravit ex corpore. Cui Domnus Lupus, Casauriensis Monachus, Abbas est quarto loco continuò substitutus. Anno itaque Dominicæ Incarnationis nongentesimo decimo, Dominus Lupus Abbas pastorali cura suscepta adduxit in causam quemdam Waltarium contendentem rem proprietatis Monasterii in loco nomine Corneto. Quo rationabiliter in Curia superato possessiones ipsas in Monasterii proprietatem refudit. Per quatuor annos Piscariensem rexit Abbatiam, & in pace mortuus est.

916.

V. ABBAS ITTO.

CUi continuò Domnus Itto in Abbatiatu quinto loco successit. Qui cùm Abbatiæ sibi commissæ curam gereret anno ab Incarnatione Domni nongentesimo decimo sexto (quo anno Berengarius Regni & Imperii Coronam suscepit) præstariam fecit cuidam Rotardo de rebus Ecclesiæ in Casale de Colmeniano.

Circa tempora verò ista supervenientibus Agarenis, gente videlicet pagana & crudeli, fuit Monasterii S. Clementis tanta depopulatio, ut nihil funditus in eo remaneret, & tota congregatio præda hostium fieret. Tandem Christiani undique aggregati, auxiliante Deo, contra Agarenos pugnaverunt, ipsosque devictos à suis finibus expulerunt. Post quorum discessum præfatus Itto ad Monasterium rediit, & antequam ipse perdita recuperare, ædificia restaurare valeret, obiit. Vixit autem in regimine quinque annis, in dolore & ærumna, quia Ecclesiæ sibi commissæ destructionem videns eam restaurare non potuit. Post mortem verò Ittonis Monasterium Sancti Clementis sinè Pastore fuit, quia fratres erant dispersi, & res anihilatæ, villæ & castella destructa, & non erat in circumadjacentibus regionibus qui ei sub-

subvenire posset, tantùm propriis calamitatibus unusquisque opprimebatur. Hac tempestate nutu Dei quidam Imperator Augustus nomine Berengarius, accessit ad has regiones, quem adierunt fratres, & depositis coram eo suis miseriis, & ruina Monasterii, & gloria in qua fuerat temporibus Ludovici, acceperunt præceptum ab eo, ut Abbatem eligerent, & quæcumque de jure Monasterii fuerant, recolligerent, Congregationem ad priorem statum reducerent, & nihil de dignitate Monasterii perire permitterent. Sanè ipsa præceptalis pagina, quam de libertate, rebus, & dignitatibus Monasterii ad instar priorum Imperatorum idem Augustus fieri jussit, sigillo, & signo nominis ejus fuit impressa & insignita, descripta sic est.

917.

PRÆCEPTUM

Berengarii Imperatoris de libertate Monasterii Casauriensis, & rebus ejus.

„ IN nomine Domini Dei æterni Berengarius „ Divina favente clementia Imperator Augustus. Si Sanctarum Dei Ecclesiarum famulantibus aliquod tutelæ Imperialis nostræ „ subsidium seu defensaculum impendimus, id „ ad æternæ recompensationis meritum nobi „ proficere non ambigimus. Quo circa noverit omnium fidelium Sanctæ Dei Ecclesiæ „ nostrorumque præsentium scilicet, ac futurorum industria, qualiter Monachi cujusdam „ Monasterii, in quo almificum Beatissimi Pontificis atque Martyris Clementis Corpus dignoscitur esse reconditum, ubi Casa-aurea „ nuncupatur, & in honore Sanctæ, & Individuæ Trinitatis constructum esse decernitur. Quod etiam Monasterium Domnus Ludovicus olim Serenissimus Imperator, & noster Consobrinus, à fundamento pro Dei „ amore, suæque animæ salute, cunctas proprietatis suæ res infra civitatem Urbem „ (nempe Romam) sive extra ipsam, nec „ non & Pentapolis, Tusciæ, Spoletini Ducatus, Camerini Comitatus, atque Fermini, „ Asculini, Aprutini, Pennini, seu Teatini finibus positas, prætaxato Monasterio, ibique „ Deo famulantibus tribuens, construxit, ac „ Majestatis nostræ clementiam percurrentes, „ mercedis nostræ pietatem suppliciter postulaverunt, quatenus eis pro Dei amore, nostræque, vel parentum nostrorum animæ „ remedio ejusdem prælibati Monasterii res, „ ipsis in eodem Monasterio nunc præsentibus „ atque futuris Christo Domino famulantibus, „ hoc nostræ auctoritatis Imperialis præcepto „ confirmare & corroborare modis omnibus „ dignaremur. Quod firmiter attendentes, „ eorumque Monachorum miseriam atque „ inopiam attentiùs perspicientes, omnes ejusdem Monasterii res, quas prædictus Domnus „ Ludovicus Imperator, & Consobrinus noster, pro animæ suæ salvatione, in jam nominatis territoriis atque locis, prælibato „ Monasterio ad Beatissimi Pontificis atque „ Martyris Clementis honorem dicato, ubi „ Casa dicitur aurea, olim præbuit suo in tempore, per hoc nostrum Imperiale præceptum nolentes prænominati Domni Ludovici Serenissimi Imperatoris & Consobrini „ nostri eleemosynam, atque mercedis suæ „ largissimam donationem, in futuro penitus „ esse extinctam, quemadmodum jam sæpe „ dicti Domni Ludovici gloriosissimi Imperatoris animus futuris temporibus idem Monasterium in suo statu atque rectitudine decrevit, & statuit esse, pro Dei amore nostræque animæ remedio, vel parentum nostrorum salute, sicut etiam in eorum Monachorum jam nominato Monasterio assistentium „ præceptis legitur, quæ à præscripto Domno „ Ludovico Serenissimo Imperatore & Consobrino nostro, eidem Monasterio Monachis „ deservientibus conscripta esse videntur, per „ hoc nostrum Imperiale præceptum perpetualiter prædicto Monasterio, eique deservientibus Monachis confirmamus, modisque „ omnibus corroboramus. Præcipientes, ut „ nullus Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, „ Sculdasii, Castaldio, aut quælibet magni „ aut parvi officii persona, jam nominatum „ Monasterium, ibique Deo deservientes, atque Beatissimi Clementis humatum corpus „ custodientes Monachos, de ejusdem Monasterii rebus atque legali judicio devestire audeat, eisque quamlibet inferat violentiam „ atque injuriam. Sed liceat illis quieto ordine quieta pace, omnes prædicti Monasterii „ res tenere & frui, Deumque pro nobis quotidie exorare absque contradictione cujusquam. Si quis ergo hoc nostræ confirmationis præceptum infringere vel violare tentaverit, sciat se compositurum auri optimi „ libras ducentas, medietatem Cameræ nostræ, & medietatem prætaxato Monasterio, „ ibique Deo famulantibus. Quod ut veriùs „ credatur, diligentiùsque observetur, manu „ propria roborantes de annulo nostro subter „ assignari jussimus.

„ Signum Domni Berengarii piissimi Imperatoris.

„ Joannes Episcopus & Cancellarius ad vicem Ardingi Episcopi & Archicancellarii „ recognovi & subscripsi. Data duodecimo „ Calendas Novembris, anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo septimo decimo: „ Domni verò Berengarii piissimi Regis vicesimo octavo, Imperii autem sui secundo. „ Indictione quinta. Actum in Piscaria in „ Christi nomine feliciter. Amen.

VI. ABBAS ALPARIUS.

CAsaurienses verò Monachi ad Monasterium regressi, inito consilio unum ex Fratribus, Alparium nomine, Abbatem constituerunt, & cum eo ad restaurationem Monasterii laborantes, quia paupertas eos gravabat, vix medietatem parietum erigere potuerunt. Qua necessitate compulsi cœperunt terras vendere, villas in vadimonio ponere, & tam infelici mercimonio domunculas ædificare, & antiquæ gloriæ obliti, quam Ecclesia habuerat temporibus Sanctissimi Imperatoris Ludovici, cœperunt illis esse obnoxii, quibus debebant esse terrori. Et dum Ecclesia ipsa tot calamitatibus premeretur, Alparius sexto loco Piscariensis Abbas fecit præstarias quibusdam viris Prandoni, Joanni, & Formoso, de rebus in vico Pinnense quondam Donatiani, cuidam Leoni de rebus in Soractico, quæ fuerunt quondam Sinderisii, acceptis inde solidis viginti.

943.

943.

Præterea temporibus istis Lotharius cum Patre suo regnabat Ugone, anno ab Incarnatione Domini nongentesimo quadragesimo tertio. Tunc Alparius Abbas emit in Territorio Firmano Casale Aureliano loco, nomine Ripule, possessiones & prædia, duobus fratribus Titione & Joanne sibi vendentibus, & pretium inde recipientibus solidos quinquaginta.

VII. ABBAS ILDERICUS.

Peractis igitur in regimine viginti quinque annis Alparius ex hoc Mundo discessit, cui Ildericus successit, vir prudens & contra adversa securus. In cujus tempore factæ sunt præstariæ de rebus Ecclesiæ. Cuidam videlicet Urso de rebus in Casale, nomine Tresolie & Taungiano, acceptis inde solidis viginti. Cuidam Luponi de rebus in Casale Colmeniano ad Sanctum Rusticum, acceptis inde solidis viginti.

951.

Hoc siquidem tempore, anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo quinquagesimo primo, Berengarius & Adelbertus filius ejus regnabant, anno primo. Quo anno accepit Ildericus ab Alexandro quondam Ardemandi filio, natione Bajoario, possessionem in Vico centum modiorum. Datis ei de aliis rebus proprietatis Sancti Clementis. Quibusdam concessit Aldoni & Franconi de rebus quondam Gauderisii & Justini filii sui, in loco nomine Cori, & Mariano, acceptis inde solidis quadraginta. Eodem tempore venerunt Atto Comes, & Adelguda Comitissa uxor ejus, ad Domnum Ildericum Abbatem, & facta conventione acceperunt à Monasterio Piscariensi beneficiali ordine Curtem de Colle cum tenimentis suis, possessione terrarum ad mensuram triticei seminis modiorum quingentorum, sub præfixo tempore & annuo censu, acceptis inde solidis quingentis.

In hujus Ilderici Abbatis tempore Episcopus Pinnensis Ecclesiæ, Joannes nomine, gravem querelam super Monasterio præfato excitavit, dicens quòd tota Insula de jure Pinnensis Ecclesiæ pendebat, Monasterium sua propria sedes & Camera erat; Abbas in eo sinè ejus licentia & jussu institui non debebat; dominium in Castellis & Villis habebat; Abbas Monasterii non Dominus, sed quasi quidam Vicarius erat; Monachos Ecclesiæ non ab alio Episcopo ad Ordines promoveri, nisi à se permittebat. Quid plura? omnibus modis Monasterium opprimebat. Quod nefarium Ildericus (quem Alpario successisse supra memoravimus) vir prudentissimi ingenii, & constantissimi animi, ferre non valens, in præsentia Ducis & Marchionis Pandulfi, præsente Episcopo Firmano, nomine Gaydulfo, & Comite Lupone, & multis aliis eum devicit, & nihil juris eum habere in Monasterio, in Insula, in Castellis, in Villis, in hominibus rationali assertione demonstravit. Cùmque idem Episcopus quietus permanere non posset, præfatus Abbas Ildericus præsentiam Domni Imperatoris Adelberti, filii Imperatoris Berengarii, apud Senogallias adiit, & aperta ratione demonstrans, quomodo eundem Episcopum in præsentia Ducis & Marchionis, & Episcoporum, & Baronum devicerat, iterum illum fallacem, mendacem, & nil juris habere in his, quæ postulabat coram Imperatore justis assertionibus & privilegiis antiquis Ludovici, Caroli, Berengarii comprobans; etiam privilegium ab eodem Imperatore libertatis, munitionis contra ipsum Episcopum Pinnensem, & contra omnes, qui idem Monasterium, & ea, quæ ad illud pertinent, conturbare niterentur, suscepit: quod ita se habet.

PRÆCEPTUM

Adelberti Regis de libertate Monasterii contra Pinnensem Episcopum.

„ In nomine Domini Dei æterni, Adelbertus gratiâ Dei Rex. Omnium Fidelium Sanctæ Dei Ecclesiæ præsentium scilicet ac futurorum notum esse volumus sagacitati, qualiter Ildericus Abbas Sancti Monasterii constructi in honore Sanctæ & Individuæ Trinitatis vênit ad nos in præsentia nostrorum Fidelium proclamans, quòd Joannes Episcopus Sanctæ Pinnensis Ecclesiæ quæreret ei consuetudinem quandam, videlicet, ut Clerus ipsius Monasterii ab ipso consecrari deberet, & scriptionem aliquam de rebus prædicti Monasterii sinè suo consultu facere non posset Nobis autem inquirentibus, si rectum foret quod ipse prædictus Abbas quærebat, ostendit nobis qualiter divæ memoriæ Ludovicus Imperator Augustus per præcepti paginam concessit prædicto Monasterio, quatenus nullus Pontifex aliquam consuetudinē in eo mittere tentet. His auditis, Episcopum prædictum advocare jussimus, diligenter illum inquirentes qua ratione aliquam consuetudinem de prædicto Monasterio quæreret. Qui respondens scriptum à præfato Imperatore suam Ecclesiam recepisse dixit, quod ostendere jussimus, ut ex utroque veritatis norma dignosceretur. Duobus igitur diebus illum expectantes, suum scriptum videre nequimus, unde nobis visum est illum mentiri, & idcirco hunc bundburdum (*) scribere jubentes, præcepimus, ut nullus Pontifex aliquam consuetudinem, vel functionem de ipsa Abbatia exigat, & ipsam in statu suo liberam permanere jubemus, sicuti præfatus Imperator præcepti sui pagina permanere concessit. Si quis hunc bundburdum infringere tentaverit, sciat se compositurum auri libras centum, medietatem prædictæ Abbatiæ, & medietatem Cameræ nostræ. Quod ut veriùs credatur, diligentiùsque inconvulsè ab omnibus observetur, annulo nostro jussimus insigniri.

„ Amicus Diaconus jussu regio recognovi,

„ Data sexto Calendas Junii, Regnantibus Domno Berengario & Adelberto Regibus anno decimo. Actum in Comitatu Senogalliæ.

His ita peractis idem Abbas intentus ad restaurationem Monasterii, cùm ad profectum ejusdem noctuque dieque desudaret, & ob merita B. Clementis Deum adjutorem sibi esse cognosceret, finitis decem & novem annis in regimine migravit ex corpore.

VIII.

(*) *alibi* Mundburdum.

VIII. ABBAS ADAM.

CUi successit Adam notus in Curia primi Ottonis Imperatoris, & ab eadem Curia concessus Abbas in Monasterio Piscariensi. Qui Adam jussu Domni Imperatoris suscepit curam pastoralem: perlectis chartis Monasterii & privilegiis, postquam cognovit omnia ferè perdita esse, & privilegia cessata, cum ipsis privilegiis retendit ad Imperatorem, & exposita in ejus præsentia lachrymabili querimonia, impetravit novum privilegium, quod cum ceteris privilegiis continetur intra Monasterium, & accepit tres Legatos de latere Imperatoris, Petrum Episcopum Pinnensem, & duos Judices Henricum & Aldonem, quibus hæc præcepit, ut vendita redimerent, alienata Ecclesiæ restaurarent, nulli ex raptoribus parcerent, & ita facerent, ut quando ipse veniret, omnia pacata, restaurata, & reparata inveniret. Si quis autem contentiosus esset, & ejus præceptis obtemperare nollet, invitus ante ejus præsentiam adduceretur, demonstraturus qua fiducia rebellis existeret, quod juris in rebus Ecclesiæ & possessionibus, quas antecessores sui dederant, haberet. Quo timore omnes pervasores Ecclesiæ occupati, quidam spontanea voluntate quod malè invaserant dimiserunt; Alii pretium de malè emptis receperunt, ceteri stimulati spiritu nequitiæ, neque pro Imperatore quæ malè tenebant dimittere, neque ejus Legatis debitam reverentiam exhibere voluerunt, imò attrita facie sicuti meretrix præsentiam Domni Imperatoris adierunt; & cùm se accusare pro malefactis deberent, habitatores Ecclesiæ, & Abbatem incusare cœperunt. Unde duplici exterminio confutati, & ab Abbate & à Fratribus, qui præsentes aderant, judicio Curiæ pervasa dimiserunt, & ea in quibus se jus habere, cùm injusti probarentur, absque ullo retinaculo funditus perdiderunt. Præceptum autem sic habetur descriptum.

967.

PRÆCEPTUM

De libertate Monasterii Sancti Clementis, & aliis rebus ejus.

„ IN nomine Sanctæ Individuæque Trinita-
„ tis, Otto Divina dispensante providen-
„ tia Imperator Augustus. Cunctis san sa-
„ pientibus liquet, quia quo mag's cultibus
„ Divinis insistimus, eo ampliùs supernæ Ma-
„ jestati reconciliamur. Quo circa omnium
„ Sanctæ Dei Ecclesiæ Fidelium nostrorum-
„ que præsentium scilicet ac futurorum nove-
„ rit unanimitas, quemdam Abbatem, voca-
„ bulo Adam, videlicet de Monasterio, quod
„ Casa-aurea nuncupatur, nostram suppliciter
„ adisse Celsitudinem, suisque manibus augu-
„ stalia prædecessorum nostrorum divæ memo-
„ riæ Ludovici, Carolique Imperatorum præ-
„ cepta ferentem, eaque à nefandis homini-
„ bus funditus corrupta atque violata esse
„ querelantem: quatenus ea pro Individuæ
„ Sanctæ Trinitatis amore, nostræque animæ
„ remedio, nostro Imperiali munimine præfa-
„ to Cœnobio, quod Casa-aurea dicitur, cor-
„ roborare atque confirmare, cunctasque res
„ inibi aliquo titulo collatas, juxta prædicto-
„ rum Imperatorum decreta munire dignare-
„ mur. Igitur superno afflati instinctu, inter-
„ ventuque nostri dilectissimi Fidelis Huberti,
„ scilicet Parmensis Ecclesiæ Præsulis, inflexi,
„ prælibati Abbatis precibus annuimus, cun-
„ ctasque res inibi hactenus quolibet tenore
„ collatas, quæ etiam sitæ infra Romuleam
„ Urbem, extraque esse videntur, scilicet per
„ Campaniam, seu etiam per totam Pentapo-
„ lim, Tusciam, & Spoletinum Ducatum,
„ atque Camerinum, nec non etiam per Co-
„ mitatum Ferminum, Ascolinum, Aprruti-
„ num, Penninum, seu Teatinum territorium.
„ Quarum videlicet hæc sunt nomina. Curtes
„ Sancti Desiderii, atque Brilianum, Lignari,
„ Osteja, Catamanico, Paternu, Picerico,
„ Waldo, Corvino, Beloniano, Tocco, Ca-
„ sule, Selcanu, Ranile, Petra, Mampopplo,
„ Accole, Supercli, Turri, Fullonice, Raja-
„ no, Culle, Pantano, Bico, Pinnense, Ma-
„ dici, Capitinianu, Carusani, Niranu, Ce-
„ liffe, Seranu, Mortula, Asinari, Pecelianu,
„ Cedisse, Opacultu, Victorrita, Blunza,
„ Urciona, Sanctus Helias, Sancta Trinitas,
„ Porclanu, Tolenianu, territorium Leonis
„ filii Catulfi, Cella Sancti Mauri, territorium
„ Maginfredi filii Formosiani, nec non etiam
„ in Comitatu Furconino Curtem unam in
„ Cerule, unam in Balvense, unam, quæ
„ fuit Ursi Castaldionis, in Marsicano, unam,
„ quæ fuit Garibaldi, Soti, Turrem juxta
„ Reate, unam in Hisiano, portionem Eccle-
„ siæ Sancti Michaëlis, in Palme unam, in
„ Pao similiter unam, Pantanola, & in Ve-
„ nena, unam in Civitate Tuscana, in Sube-
„ rella, Catiniano, in horto Pistoriense, unam
„ in Castro Felicitatis, in Sancto Cerbonio,
„ in Carpena, Moliano, Baniolo, Biano,
„ Ocretano, Ecclesiam Sanctæ Justæ, Casas-
„ que decem, in finibus Castri Tuscani: no-
„ stro Imperiali præcepto cum omnibus rebus
„ mobilibus, & immobilibus, casis, pratis,
„ vineis, pascuis, molendinis, servis, pisca-
„ tionibus, aquis, aquarumque decursibus,
„ seu cum omnibus pertinentiis, quæ dici no-
„ minativè possent, prout justè & legaliter
„ possumus, prætaxato Sanctæ Trinitatis Cœ-
„ nobio confirmamus, corroboramus: eo sci-
„ licet pacto, quatenus nullus Dux, Marchio,
„ Comes, Episcopus, Vicecomes, Castaldio,
„ Sculdasio, vel aliquis publicæ rei exactor,
„ nec non magna parvaque persona, de jam
„ dictis rebus prænominatum Abbatem, suos-
„ que successores inquietare quolibet modo,
„ vel Sacrosanctum sæpe nominatum locum
„ divestire aliquando conetur; sed potiùs ve-
„ nerando cœtui inibi Deo famulanti sub no-
„ stra Imperiali auctoritate prælibatis rebus
„ liceat uti, perfrui jure quieto omni publi-
„ ca functione abdicata. Præterea statuimus,
„ ut de his omnibus, si aliqua intentio exorta
„ fuerit, à publicis Ministris tanquam de
„ domnicatis nostris per inquisitionem exigan-
„ tur. Denique pro nulla mallatura quispiam
„ ab Abbate vel Monachis de præfato Mona-
„ sterio, vel ab Advocato eorum tortum quæ-
„ rere audeat, quia ob reverentiam Sanctæ
„ Trinitatis eidem Monasterio concessimus.
„ Insuper etiam huic venerando loco conce-
„ dimus, ut omnem compositionem de char-
„ tulatis, atque libellariis ejusdem Monasterii
„ sibimet habeat. Nullusque exactor publi-
„ cus hoc inquirere audeat. Sed si in quam-

„ cumque compositionem ceciderint, in sua „ potestate hoc habeant, quorum chartulati „ esse videntur. Si quis autem hujus nostræ „ præceptalis paginæ, & quod majus est Di- „ vinæ promulgationis sacrilegus contemptor, „ & temerarius violator extiterit, sciat se „ compositurum auri libras centum, medieta- „ tem Cameræ nostræ, & medietatem ipsi Sa- „ crosancto municipio. Quod ut veriùs cre- „ datur, diligentiùsque ab omnibus observe- „ tur, manu propria roborantes nostro sigillo „ jussimus insigniri.

„ Signum Domni Ottonis invictissimi Cæ- „ saris.

„ Ambrosius Cancellarius ad vicem Huber- „ ti Episcopi & Archicancellarii.

„ Data decimo Calendas Januarii, Anno „ Dominicæ Incarnationis DCCCCLXVII. „ Imperii verò Domni Ottonis sexto, Indi- „ ctione decima. Actum Romæ feliciter. „ Amen.

Eodem itaque tempore vênit Itto Missus Imperatoris, & investivit Domnum Adam Abbatem de rebus, quas Piscariensis Ecclesia perdiderat, videlicet de ipsa re de Vicano, de Ecclesia Sanctæ Justæ, de rebus in Ocretano, de rebus in Pompeniano, de rebus in Cerana, de Ecclesia Sanctæ Mariæ de Romanis, de molinis de Corneto, de rebus in Saractico, de rebus in Asinariis, de rebus in Alanne, de rebus in Balneo.

968.

Gloriosissimus igitur Imperator Otto cùm de Urbe Roma, ubi eodem tempore, ideft, anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo sexagesimo octavo, filium suum Ottonem in Imperatorem Augustum excellentissimè coronaverat, & Domnus Adam Abbas ibidem ab ejus clementiæ magnitudine per scriptum Augustale præceptum acceperat, in Apuliam & Calabriam, ut eam suo subjugaret Imperio, tetendisset, Domnus Adam Abbas iterum eundem adiit Imperatorem, & enarratis omnibus, quæ fecerat, quomodo quædam perdita restauraverat, & quædam de malè venditis, & sub pignore positis redemerat, in eisdem Apuliæ finibus apud Bivinum secundò impetravit privilegium de libertate Monasterii, de tuitione rerum acquisitarum, & quòd posset construere in rebus acquisitis, vel acquirendis quodcunque vellet ædificium ad munitionem Monasterii, sive Ecclesiam, sive Castellum, & nemo in hoc sibi contrarius existeret, si adversùs hostes Ecclesiæ ad eos deprimendos munimina ædificaret. Norat etiam ibi prædictus Imperator Otto Ecclesiam Sancti Clementis in Lisina cum omnibus appendiciis suis, & eam eodem privilegio confirmavit, ne quis temerator auderet infringere quod tantus vir confirmasset Ecclesiæ, quod privilegium descriptum sic est,

969.

PRÆCEPTUM SECUNDUM

Primi Ottonis.

De libertate Monasterii, & ceteris rebus suis.

„ IN nomine Sanctæ Individuæque Trini- „ tatis, Otto divina ordinante providentia „ Imperator Augustus. Ad hoc nos divina „ potentia ad Imperialis culminis provexit „ apicem, ut omnium, maximè Divinorum „ cultui mancipatorum frugibus consulamus, „ quatenus Servorum Dei ibidem vigilantium „ & orantium precatibus status Imperii nostri „ serie tranquilla dirigantur, & post hujus „ temporalis vitæ discessum felicitatis æternæ „ contubernium nobis non denegetur. Quo „ circa noverit omnium Sanctæ Dei Ecclesiæ „ Fidelium, nostrorumque præsentium scilicet „ ac futurorum universitas, nobis redeuntibus „ de Calabria, (quam nostro subdere conati „ sumus Imperio) Hubertum venerabilem „ Sanctæ Parmensis Ecclesiæ Episcopum, & „ Archicancellarium, nostram adisse Clemen- „ tiam; quatenus venerabili Abbati Adæ de- „ sudanti in nostro servitio, & pro nobis, „ statuque nostri Regni oranti, confirmare- „ mus & corroboraremus nostra præceptali „ auctoritate Monasterium suum, dedicatum „ in honore Sanctæ Trinitatis, in loco, qui „ dicitur Insula Piscaria, & quæ vocatur „ Casa-aurea, ubi corpus B. Clementis re- „ conditum est. Cujus petitionem gratanter „ accipientes, confirmamus & corroboramus „ præfato Abbati Adæ supradictum Monaste- „ rium cum omnibus rebus & proprietatibus „ suis, videlicet de Castello Sancti Heliæ, „ quod illi legaliter pertinet, & Curtem de „ Querceto, & res, quas obtulit Johannes „ eidem Ecclesiæ, & Curtem de Linare, & „ res de Cerano. Res etiam, quas obtulit „ Magelfredus, & Curtem de Selcano, & res, „ quæ fuerunt quondam Mizoni, & Curtem „ de Corneto, & Curtem de Saline, & Cur- „ tem de Lauro, & Curtem de Vestiniano, „ & Curtem de Trifelo, & Curtem de Sere- „ niano, & Curtem de Domo, & Curtem de „ Mitiano, & res à Fulrado dimissas, & Cel- „ lam de Alisinal S Clementis cum piscatio- „ ne de Pantano, & cum ipsa Foce, & terram „ ipsius Foce, cum Insula, quæ est inter Mare „ & Pantanum, & res, quæ fuerunt quondam „ Corvini, & Curtem de Baniolo & de Via- „ no, & res, quæ fuerunt quondam filii Sca- „ tolfi, & Montem Soti, cum rupibus & Syl- „ vis ejus, & res de Blunza, & de Petiliano „ cum ipso Castello, & res Garibaldi, sicut „ in Chartula ab eo facta legitur, cum omni- „ bus adjacentiis & pertinentiis suis, cum „ Capellis, Castris, Casis, domnicatis, cam- „ pis, pratis, vineis, sylvis, aquis, aquarum- „ que decursibus, molendinis, piscationibus, „ pascuis, rupibus, planitiebus, montibus, „ alpibus, unà cum servis & ancillis, aldiis, „ & aldiabus, & utriusque sexus familiis, „ præstandariis, chartulatis, libellariis, ut „ habeat, teneat, firmiterque possideat, tam „ ipse venerabilis Abbas Adam, quàmque „ sui posteri in perpetuum.

„ Præterea sancimus atque statuimus, ut „ nullus Episcopus, Dux, seu Marchio, Co- „ mes, Vicecomes, Sculdasio, Castaldio, aut „ aliquis reipublicæ Minister, seu quælibet „ magna parvaque nostri Regni persona, de „ omnibus, quæ ad præfatum Monasterium „ pertinent, tam rebus, quàm familiis eum „ disvestire, aut inquietare audeat; vel de „ omnibus supradictis sine licentia præfati Ab- „ batis, successorumque ejus se intromittere „ præsumat, sed omnia judicio & potestati „ ejus, qui pro tempore fuerit, reserventur „ atque subdantur. Et si Castella, aut Eccle- „ sias, vel aliqua ædificia in eisdem rebus „ construere voluerit, habeat licentiam ordi- „ nan-

„ nandi, augmentandi, commutandi: quem-
„ admodum à nostris antecessoribus, Carolo
„ videlicet, atque Ludovico, per præceptalia
„ scripta eidem Monasterio concessa sunt,
„ omnium hominum contradictione remota
„ *&c. ut in priori Præcepto*.
„ Signum Domni Ottonis Serenissimi Imperatoris Augusti.
„ Ambrosius Cancellarius ad vicem Huberti
„ Episcopi & Archicancellarii recognovi, &
„ subscripsi.
„ Datum Calendas Majas, anno Dominicæ
„ Incarnationis DCCCCLXIX. Imperii verò
„ Domni Ottonis Augusti octavo. Actum in
„ Apulia in suburbio Bivino in Dei nomine
„ feliciter. Amen.

Cùm autem Abbas Adam à Curia cum honore & reverentia regrederetur, & à Baronibus terræ, & vicinis circumadjacentibus pro metu Imperatoris, & sui fortitudine animi timori haberetur, quod habebat in animo, in opere cœpit depromere.

Gavalterius quidam in Comitatu Pinnensi, videlicet in Muscufo, abstulerat Ecclesiam Sancti Rustici cum possessionibus, quæ ad illam Ecclesiam pertinebant victus ab Abbate in præsentia Curiæ, quod injustè pervaserat, justè dimisit & perdidit. Similiter fuit factum de Lupo quodam nobilissimo, qui suâ violentiâ abstulerat præfato Monasterio montem de Paterno, & Planum Ambrilie, & tenimentum Boloniani; Ipse devictus in Curia & confusus, quod injustè tenebat justè dimisit & perdidit.

Laurentius quidam in territorio Marsicano cupiens esse particeps iniquitatis eorum, qui Ecclesiam B. Clementis Summi Pontificis, & Martyris deprædabantur illas possessiones, quas Guaribaldus Abbati Romano vendiderat, ex prædicta Ecclesia ex venditione legitimè facta, & testibus confirmata tenuerat, nefaria subreptione abstulit, habuit, & possedit, donec in tempore præfati Abbatis Adæ, qui vigilabat ad profectum Ecclesiæ, ante præsentiam Domni Imperatoris ire coactus, ibique convictus, & confusus, reddidit, & quietavit quod malè tenuerat, & scripto confirmavit, quòd ampliùs nihil quæreret in tota possessione illa.

Petrus Aprutinus Episcopus commutaverat cum eodem Abbate possessiones quasdam, quarum possessionum vocabula, & loca in eadem commutationis chartula reperiuntur, & tenores & patuationes cambitionis. Cùmque idem Petrus Episcopus ipsam possessionem in Aprutino Comitatu nongentorum quinquaginta modiorum in loco, nomine Paco, inter Colata & flumen Trotinum, & flumen de Curte, & rivum de Larcianello, fractâ convenientiâ cambitionis, persuasisset, adductus est in causam, & coram nobilibus viris & potentibus, judicio Curiæ Imperiali quæ pervaserat dimisit & perdidit.

Præteritis insuper annis quando S. Clementis Abbatia ab Agarenis vastata opprimebatur, & possessionibus imminuebatur, Lupo quondam Ildegerii filius, cùm ut supra dictum est, Monasterium infestaret, tunc temporis ad montana conscendit, & circa montis ascensus, qui dicitur Ursa, de villulis & pertinentiis Beloniani & Tocci, à Sancto Clemente possessis, & ab ipso Lupone pervasis, oppidum violenter ædificavit. Quod cùm vigilantissimè custodiret, ac secundùm morem vigilantium munitiones & Castella ipsemet in ejus constructione vigilans frequenter cantaret, ob hoc vulgus arrisit, dicens: Cantat Lupo, ipsique sæpe applaudebat agens: Canta Lupo; unde Castellum ipsum, Canta-Lupo nomen accepit.

Erat præterea quidam vir alter, nomine Lupo, filius quondam Guidonis, qui habitâ convenientiâ cum Domno Adam Piscariensi Abbate, tribuit Monasterio Sancti Clementis in territorio Teatino, in ipsa plana de Piscaria, in pertinentia de Curte de Orfiano, possessiones & prædia, recepitque inde res Monasterii in Selcano & Soliano, in Petaczo & Zappino, secundùm quod chartula exinde scripta perdocet.

Hac igitur occasione & ex illo tempore Lupolinei, qui ab eodem Lupone dicti sunt Lupolinei, quum de Luponis linea processerunt, subintraverunt possessionem B. Clementis habitam inter tria flumina, Orta videlicet, ac Piscaria, & Lavinum, quæ protenditur usque ad Sanctum Martinum de plebe, & usque ad rivum Alegium; infra quam possessionem, videlicet circa rivum Cupum invenerunt petram, in qua postea munitionem ædificaverunt, quæ dicitur Castellum de Petra.

978.

Eodem nimirum anno videlicet Dominicæ Incarnationis nongentesimo septuagesimo octavo, cùm solus Otto Secundus Italiæ imperaret, quia primus Otto pater ejus Cæsar invictissimus jam ante quinquennium obierat, Liduinus Teatinus Episcopus invitans alios, qui Ecclesiam Sanctæ Trinitatis & B. Clementis possessionibus spoliare, & ad nihilum reducere, si possent, nitebantur, abstulerat possessionem centum modiorum ultra pontem Marmoreum, à flumine Piscaria usque ad rivum Arulli: quam possessionem, quam injustè possidebat, devictus & confusus dimisit & perdidit judicio Curiæ.

Matrona quædam nobilissima, nomine Ota, duos infantulos ex se genitos ad mortem ægrotantes Scifredum & Tresidium habens, illis diebus ut incolumes redderentur Sancto Clementi devovit. Qui profectò in ipsa votatione, quibusdam prædiis suis in vico Pinnensi Monasterio per Chartulam traditionis largitis, à funerea ægritudine convaluerunt. Deinde probitatibus & divitiis vigentes in hoc seculo nobiliter claruerunt.

Tresidius quidam in Comitatu Aprutino terram centum modiorum, in loco ubi dicitur Colle Corbino, inermi justitia & fraude sua B. Clementi & habitatoribus ejusdem Cœnobii abstulerat, convictus turpiter, quamvis non erubescens, dimisit, & ne in ea ulteriùs calumniam faceret pro se & pro suis heredibus sacramento & scripto confirmavit.

980.

Anno itaque ab Incarnatione Domini nongentesimo octogesimo, Domno Ottone Secundo feliciter imperante anno quarto decimo, mense Martio, Indictione octava, quædam mulier, nomine Ursa religionis habitu suscepto, & Monialis effecta, obtulit pro anima sua per chartulam traditionis tertiam partem de omnibus rebus & possessionibus suis, quas in vocabulo de Rajanello, & Pantano, atque Teczanico habebat.

His namque temporibus Abbas Adam ædificavit Roccam in summitate montis Soti, quam Roccam Abbatis jussit appellari: in qua munitione, si necessitas ingrueret, decreverat the-

thesauros Ecclesiæ, & quæque pretiosa locari: Fecit & aliud Castellum, quod Olivulam appellavit, in quibus duas villulas posui, Pantanum scilicet & Rajanellum. Castrum verò Collis jam antea erat ad jurisdictionem Monasterii Piscariensis ædificatum ab Actone Comite, & ab Aldegude Comitissa uxore sua, Domno Americo quondam Abbate sibi concedente, atque jubente, quando ipsam Curtem, ut supra scriptum est, eis concessit. Interea cùm ex diminutione quam Piscariensis Abbatia perpessa est à tempore quo barbara gens eam divastavit, Joannes Pinnensis Episcopus quædam adhuc de prædiis Monasterii B. Clementis in vico Pinnensi & Bectorrita, seu Colummelle, pervasa teneret, & Domnus Adam Abbas ab omni possessione juris Abbatiæ funditus illum conaretur evellere, & maximè quia tunc temporis pro construendis supradictis Castellis ipsæ possessiones erant necessariæ, facta cambitione, redditisque sibi quibusdam possessionibus in Pinne loco qui dicitur Casale, prædicta prædia ad opus Monasterii recepit, & sic Episcopum ex Abbatiæ finibus amovit.

981.

Hoc etiam tempore, anno scilicet Dominicæ Incarnationis nongentesimo octogesimo primo; dum his quæ supradiximus construendis Abbas Adam esset intentus, & Domnus Otto Secundus Imperator Romam advenıret, ut ibi sicut moris est coronaretur, Abbas Adam, qui non dormiens, sed bene vigilans debet appellari, ei occurrit, & privilegium ab eo impetravit, in quo quæcunque pater ejus dederat, & concesserat, confirmavit. Quæ verò præceptalis pagina ad instar priorum Regalium præceptorum descripta sic est.

PRIVILEGIUM

Ottonis II. Imperatoris de possessionibus & libertate Monasterii Piscariensis

„ IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Otto superno disponente ordine Imperator Augustus. Cunctis sapientibus liquet, &c. ut in præfatis Privilegiis.

„ Igitur superno afflati instinctu, interventuque nostri dilectissimi fidelis, Petri scilicet Papiensis Præsulis, inflexi prælibati Abbatis precibus annuimus, cunctasque res inibi hactenus quolibet tenore collatas. Quæ etiam sitæ infra Romuleam urbem, extraque esse videntur, &c. ut supra.

„ Quod ut veriùs credatur, diligentiùsque ab omnibus observetur, manu propria roborantes præsentem paginam nostro sigillo jussimus insigniri.

„ Signum Domni Ottonis Secundi serenissimi Imperatoris, & invictissimi Augusti.

„ Joannes Cancellarius ad vicem Petri Episcopi & Archicancellarii recognovi, & subscripsi.

„ Data decimo quarto Calendas Maji, anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXXXI. Indictione nona: Regni verò Domni Ottonis Secundi vicesimo primo. Imperii autem ejus decimo quarto. Actum Romæ in Palatio juxta Ecclesiam B. Petri Apostoli, in Dei nomine Amen.

Eodem post hæc anno Domnus Otto Imperator ex Romulea egressus urbe, & ædificata sibi regali domo in Campo qui vocatur de Cedici, toto ipso æstivo tempore ibi perendinans mansit. Igitur eodem ibidem augustaliter permanente, Domnus Adam Abbas in Curia, quæ in ipso Campo ab Episcopis, Comitibus & fere totius regni Principibus, atque ipsarum Provinciarum Judicibus solemniter est celebrata, à Scamberto Piscariensis Monasterii Præposito Imperialibus perlectis privilegiis, recuperavit super adversarios & pervasores rerum Sanctæ Piscariensis Ecclesiæ & judicio ipsius Imperialis Curiæ reinvestitus fuit de universis rebus & possessionibus, quas à principio sui Piscariensis Abbatia tenuerat, atque possederat, in Comitatu Amiternino & Farconino, & in Comitatu Marsicano atque Valvensi, & positum inde fuit Imperiale bandum, sicut in ipsius notitiæ scripto reperitur & legitur.

Postquam autem regressus est Abbas Adam ad Monasterium, studebat omni solicitudine recuperare omnia fere quæ temporibus Antecessorum suorum perdita, vel vendita, vel in vadimonio posita fuerant. Nam super quibusdam viris Lupo & Deodato, & super quibusdam Joanne & Amico germanis, quoddam tenementum, Gemmerutum vocitatum, per sententiam Curiæ recuperavit, quod tenementum castro Castellionis addixit; construxit enim in ipso tempore ipsum Castellum ubi solebant esse haræ porcorum, & stabula jumentorum, in quo posuit vicum, qui Pinnensis appellabatur, & Gemmetum, & duas villas, quæ ambæ Cevaranum dicebantur, cui nomen indidit & ipsum vocari instituit Castellionum, eo quòd ibi antea in castris suis solebant sedere pastores ovium. Fecit & Bitturritum ex nomine dictum Villulæ, quæ antea sic vocabatur, cui Bitturrito Blunsam junxit cum Petaciano, Perule, & medietate Opaculi.

Scifredus & Tresidius supradicti fratres, quos B. Clementis virtute supra diximus à mortali ægritudine liberatos, circa suam Ecclesiam semper fuerunt devoti. Quorum unus, Scifredus scilicet, ab Adam Abbate conventus & exoratus, possessiones ab antecessoribus ipsius Scifredi occupatas, quas Abbatia Sancti Clementis amiserat à tempore quo fuit imminuta ex desolatione barbaricæ gentis, venditionis actione reddidit & quietavit. Est autem hæc possessio in Frelle, Mosellule, Tocco, Boloniano, Casule & in Cori, pro qua suscepit prædictus Scifredus ducentos solidos. Ex istarum quidem villarum pertinentiis castellum nomine Mosillule fuit ex illo tempore à pervasoribus violenter ædificatum atque retentum. In hujus verò Misillule tenemento est Ecclesia in honore & vocabulo S. Andreæ Apostoli ædificata, & à priscis temporibus in obedientiam Monasterii B. Clementis addicta.

Confutavit etiam idem Abbas Adam quemdam potentissimum, Bezonem nomine, de possessione mille modiorum terræ in Caramanaco, & Piccerico, quæ ei ad censum data fuerat, & cùm censum reddere, & ea quæ pollicitus erat Ecclesiæ observare nollet, & terram in dominio contra jus & fas ipso tempore teneret, tandem devictus judicio, quod injustè tenebat dimisit, & ne ultra repeteret confirmavit scripto. Igitur in ipso tempore cùm istas possessiones possideret Bezo non proprio, sed B. Clementis titulo, ædificavit ex eis Castellula duo in valle de Caramanaco, unum videlicet ultra fluvium Orta, & Orfente quod vocavit Picericum, eo quòd picæ ibi circinebant,

bant, quod quasi propter picarum circinium dictum est Picericum. Alterum verò citra Orta fluvium ædificavit, cui nomen impositum fuit Salle, quia in ipso saltu montis, & infra saltum lignorum est positum.

983.

Per idem tempus anno videlicet ab Incarnatione Domini nongentesimo octogesimo tertio, Indictione undecima, cùm Domnus Otto secundus Imperator in Apuliam profectus, & Ottone filio suo in Regem coronato, apud Varim civitatem maneret, Joannes Pinnensis Episcopus, qui jam bis victus fuerat in Curia Imperatoris Adelberti tempore Hilderici Abbatis, quasdam villas, videlicet Ranile, Mampopplo, Accole, Turri, Superclo, Fullonice, & Arcessano invaserat, ibique à Domno Adam Abbate superatus atque devictus cum rubore dimisit, & tam sibi, quàm successoribus suis perdidit.

Sanè Tresidius Comes, cui frater erat supradictus Scifredus, cùm magnæ devotionis esset circa Beatum Clementem liberatorem suum, eo tempore quia potens erat in illa regione, Domno Adam Abbate volente, quoddam ex aliquibus istarum villarum possessionibus Castellum ædificavit, quod cùm filiis supradicti Luponis, & aliis consortibus suis & consanguineis displiceret, & ipse non desisteret, conviciabantur ei dicentes: Hoc est Castrum Abbatis ejus: quod verbum ipse Comes magnanimiter concepit, & quia dicebant castrum Abbatis ejus, imposuit ei nomen Abbatejum, quasi Abbatis ejus.

Postquam autem excellentissimus Abbas Adam de Apulia regressus est ad Monasterium, & omnia in eodem statu tranquilla possideret: in loco qui dicitur Petraniqua construxit Castellum de Petelliano, monte Falcone, valle Lupa, & altera medietate Opaculi. Corvariam quoque construxit, in quo Casule Lectum & Niranum posuit. Et dum his, quæ supra diximus, construendis Abbas Adam esset intentus, Deus volens remunerationem reddere pro labore, in quo ad profectum Ecclesiæ annis viginti & uno desudaverat, percussus corporis infirmitate cùm sentiret suæ mortis sibi diem approximare, sumpsit Viaticum, & habens cum Fratribus colloquium, commendavit illis obitum suum; & ita lætus & securus de se perrexit ad Dominum.

987.

IX. ABBAS JOHANNES.

QUo tumulato Fratres quemdam ex suis, Johannem nomine, ipsius Monasterii Decanum, elegerunt, & secundùm consuetudinem Ecclesiæ in sede posuerunt; & ut imitator boni Pastoris sui, videlicet prædecessoris, esset, & dictis & factis sæpiùs commonuerunt. Qui Johannes cùm esset Abbas effectus, cœpit facere præstarias de rebus & possessionibus Monasterii, sicut reperitur & legitur in chartulis dierum Abbatiatùs sui. Quæ chartulæ incipiunt ab anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo octogesimo septimo. Quo videlicet anno venerandæ memoriæ Adam Abbas est defunctus, & ipse Johannes Abbas fuit electus.

Quidam suprascriptus Comes fuit, qui Atto vocabatur, qui veniens ad prædictum Johannem Abbatem accepit ab eo in Comitatu Aprutino duas curtes, Urcionam scilicet atque Belerim cum appendiciis suis, videlicet cum septingentis modiis terræ. In Pinnensi etiam territorio idem Comes accepit ab eodem Abbate terram quingentorum modiorum inter flumen Piscariæ & flumen Tabæ, in locis qui dicuntur Saline, Coronule, Soractetu, Batuniano. Et in Teatino territorio inter flumen Sangum & flumen Piscariæ accepit ab eo mille modios terræ, in locis qui Ajano, Paterno, Corule, Ripa Corvaria, & Sanctus Calixtus appellatur. Et hæc omnia, quæ supra notavimus, prædictus Comes mille solidis accepit tali tenore ut possideret ipsam terram dum adviveret cum uxore sua nomine Aldegunde, & ipsis defunctis nepos ejus Comes Transmundus possideret easdem, & haberet ab Abbate Sancti Clementis usque ad tertiam generationem, & per singulos annos quinque solidos daret Ecclesiæ ob recordationem.

997.

X. ABBAS GISLEBERTUS.

TAlem successorem sanctæ recordationis Abbas Adam habuit, qui per novem annos Monasterio præfuit. Deinde condigna morte Deus illum ex hac vita migrare coëgit. Cui successit Gislebertus nomine, qui sicut in sequentibus scriptis reperitur, non sua sponte accepit Abbatiam, sed parentes ejus cum præfato Comite Transmundo ordinaverunt eum Abbatem. Qui non invenitur in chartulis dierum suorum fecisse nisi præstarias & cambitiones, quæ incipiunt ab anno Dominicæ Incarnationis nongentesimo nonagesimo septimo, quando concessit quibusdam Alberico & Prandoni de rebus in Corni, acceptis inde solidis quindecim.

XI. ABBAS GRIMOALDUS.

TUnc temporis quidam Adam tradidit pro anima sua quamdam terram modiorum septem in vico Pinnensi, ad opus Monasterii Sancti Clementis. Interea infra tempus Gisleberti quidam Grimoaldus Abbas reperitur, qui cuidam Aifredo concessit de rebus in Cerbarano, acceptis inde solidis quinque. Hinc ampliùs iste Abbas Grimoaldus non invenitur, tamen post Gislebertum scribitur, & nomen ejusdem Grimoaldi post nomen Gisleberti ponitur, & post eum locum habet in Catalogo. Porrò in Monasterii regimine vel actibus rursus Gislebertus Abbas habetur.

1000.

Igitur Incarnationis Domini nostri Jesu Christi anno millesimo, cùm Otto Imperator puer præterito anno Beneventum venisset, obiit Sutri, & hoc anno Domini millesimo, ipso defuncto. Henricus Patrui sui filius in Regem est coronatus. Gislebertus interea Piscariensis Abbas faciebat præstarias & cambitiones.

In tempore verò hujus Gisleberti posuit Deus in corde cujusdam nobilissimi hominis, Trasberti nomine, ut carens herede Christum suarum rerum faceret heredem. Iste Castellum Colleodonis, & medietatem Castelli Ripalte, & octavam partem Fabricæ cum omnibus, quæ ad hæc videbantur pertinere, dedit possidenda hereditario jure Ecclesiæ Sancti Clementis, & ejus habitatoribus.

Fecit cambitionem cum nobili & potenti viro

viro Pinnensi, Bernardo nomine, Liudini filio. Dedit nempe Castrum Bectorritæ cum molendinis, & omnibus appendiciis suis, & cum aliis possessionibus Castellionis, & Olivulæ, per loca & vocabula in charta descripta; & recepit in Pinne per loca & vocabula circa litora maris Adriatici prædia & possessiones terrarum, modiorum mille centum sex, sicut ejusdem cambitionis chartula protestatur. Porrò cambitionem istam opinati sunt quidam inutilem fuisse Monasterio, cùm pro rebus & possessionibus de longinquo tribuerentur possessiones & res Monasterio propiores, & maximè quia fiebat interruptio de possessionibus in circuitu Monasterii continuatim acquisitis ex mandato & pecunia felicissimi Ludovici, & ex acquisitione Domni Romani primi Abbatis, sinè interpositione continuatis. Nam ex ipso tempore Remigius quidam de capite Piscariæ & Sanso frater ejus, ambo militaris insignes potentiæ, totumque genus Sansonicorum subintraverunt, & pervaserunt castella & terras Ecclesiæ, quæ ædificaverat prudentissimus Abbas Adam cum multis expensis, ut essent profugium, decus, & tutamen Piscariensis Abbatiæ; & hoc malum totum deputabatur ignaviæ pigri Pastoris & insipientiæ. Verùm ab Abbatibus ei succedentibus factum istud non fuit ratum, immo continuò in irritum revocatum: & eo moriente conantibus vicinis Baronibus & Ecclesiæ fidelibus, ad nihilum penitus fuit redactum. Iste est famosus ille Bernardus de Pinne, qui postquam in ipso Comitatu Monasterium S. Mariæ de Piezano, & Monasterium S. Bartholomæi de Carpeneto construxit, in hoc Casauriensi Monasterio Monachus factus, senectutis & vitæ suæ dies moriens explevit.

XII. ABBAS GISLEBERTUS INTRUSUS.

ITem Gislebertus Abbas fecit cambitionem aliam cum Senebaldo, & fratribus suis, filiis Luponis, & per scriptum præstariæ concessit eis omnem terram, & omnem possessionem juris B. Clementis, à plebe S. Martini usque in flumen Piscariæ, & à fluvio, qui dicitur Orta, usque in fluvium nomine Lavinum, & concessit eis Pojum, ut Castellum ibidem construerent, cum Bosco de Zappino, & cum terris quingentorum modiorum; accepitque per cambitionem ab eis ejusdem quantitatis terras in Pago Pinnensi inter fluvium, qui dicitur Nora, & fluvium qui vocatur Tabe, & in planitie Piscariæ, ubi Orfianum vocatur, & per alia loca & vocabula, sicut in chartis inde conscriptis reperitur & legitur. Senebaldus verò, & Scifredus, & Wido filii Luponis, construxerunt Castellum in eadem propria terra B. Clementis, & aggregaverunt in eo villas plures assensu & voluntate Abbatis. Sanctus Valentinus nomen est Castelli, pro eo videlicet, quia sicut fertur, in supradicto vocabulo de Zappino fuit olim civitatula quædam, in qua cùm duo fratres Valentinus & Damianus pro Christi nomine fuissent martyrizati, & post ipsius civitatulæ destructionem inventi, & deportati, nec non Ecclesia in eorum honore seu vocabulo in ipsius Oppidi loco ædificata, ideo Castelli nomen est Sanctus Valentinus. Construxerunt etiam aliud Castellum circa fluvium Lavinum, cujus nomen propter ejus Ecclesiam inibi dedicatam est Sanctus Vitus.

XIII. ABBAS JOANNES.

TRedecim annis Ecclesiæ præfuit Gislebertus, & hac vita caruit. Cui Joannes in regimine successit, de quo non inveniuntur aliqua memoriæ commendanda, nisi quòd fecit duas præstarias, cuidam scilicet Alberico & Sociis ejus de rebus in Corni; quibusdam Alberico Diacono, & Franconi fratribus, de rebus in Insula, acceptis inde solidis triginta quinque. Uno tantùm anno Abbatiam scribitur tenuisse, & in infirmitate correptus carnis debitum solvit. Istis nempe temporibus à Teobaldo & Winisio, filiis quondam Dodonis infra terram & terminos possessionis juris B. Clementis ædificata fuerunt duo Castella, Paternum videlicet & Lucus.

1012.

XIV. ABBAS PONZIUS.

DEfuncto itaque Gisleberto successit Pontius, cujus negotia & sui temporis instrumenta incipiunt ab anno Dominicæ Incarnationis millesimo duodecimo. Tunc fecit commutationem cum quibusdam Petro & Faido, datis eis de rebus in Petaczano, & acceptis ab eis de rebus in vocabulo de Sancto Angelo. Concessit cuidam Petro & sociis ejus de rebus in Opaculo & Corni.

1013.

Incarnationis ergo Domini anno millesimo decimo tertio Henricus Rex vênit Romam, & coronatus est à Papa Benedicto. Interea Ponzius Abbas cum Tresidio Comite potentissimo Viro, quem superiori inseruimus paginæ, de Castello quodam, quod habebat Ecclesia in pago Teatesi, Perannum vocitatū, fecit cambitionem, & cum monte de Perano & cum omni re juris Monasterii de ipsa planitie de Sangro, & accepit Belonianum, quod erat in villis vicinis Ecclesiæ in propria Monasterii possessione, sed à tempore Luponis supradicti filii Ludegerii, erat à Monasterii dominatione quasi violenter extortum: recepitque inde Abbas super hoc in Comitatu Pinnensi prædium unum modiorum centum, in loco, qui dicitur Asinarii, vocabulo Pallaricia. Porrò post hæc ipse Comes Tresidius ipsum Belonianum accepit à Monasterio, Abbate Ponzio sibi tradente, in beneficiali præstariæ scripto usque in tertiam generationem, sub censu duorum solidorum singulis annis, acceptis inde Abbas solidis trecentis. Eo tempore per Tresidium Comitem translatum est Belonianum, & cum eo aliis villis juris B. Clementis aggregatis, positum est in loco quo nunc est super ripam fluminis Orta, & murorum & turris ædificio in oppidum fortitudinis communitum, permanente sibi antiquo nomine Beloniano, eo quòd de Benonia, sicut ajunt, fuit primus ipsius telluris cultor & habitator.

1016.

Hoc nimirum tempore anno siquidem ab Incarnatione Domini millesimo sexto decimo, Normanni Melo Duce cœperunt expugnare Apuliam. Quo videlicet anno Ponzius Abbas habuit convenientiam cum Comite Trasmundo. Porrexitque sibi per cambitionem in Pinnensi territorio de rebus Monasterii in loco

nomine Biano & Vallone, & in vocabulo Collis Oddonis, & in planitie Piscariensi, & in loco nomine Asinarii, vocabulo Pallaricia, accepitque Abbas inde per commutationem ab eodem Comite in Pago Teatensi, in loco qui dicitur Torrecella, & Colle alto, terram secundùm quantitatem suæ donationis, idest trecentorum modiorum, sicut ejusdem cambitionis chartula manifestat. Iste Comes Trasmundus construxit Monasterium S. Johannis in Venere, & de suis rebus & possessionibus opulenter ditavit. Qui Comes Trasmundus junior successit majori Comiti Trasmundo in possessionibus opulentissimis, quas à suprascripto Johanne Piscariensi Abbate in Aprutio, Pinne, seu Tete acceperat, terram videlicet modiorum duo millium quadringentorum. Ipsarum nempe possessionum quædam ab ipso S. Johannis Monasterio, quædam ab aliis Monasteriis possidentur; quædam verò à Normannis invasæ, ab illo tempore Monasterium S. Clementis occasione supradictæ concessionis eis penitus caruit.

Erat præterea eo tempore Girardus quidam quondam Rocconis filius, qui tunc castrum Poperim vocitatum tenens, solebat cum filiis suis frequenter in montem de Ursa venatum ascendere, & de ipso monte cum suis venationibus in Teatinum pagum descendere, ubi circa ipsius montis ima erant villæ Monasterii B. Clementis, & in eisdem villis sæpiùs pernoctare. Qui Gerardus Abbatem Pontium adiens convenit & allocutus est eum, & datis ei trecentis solidis accepit ab eodem Abbate præstariæ scripto usque in tertiam generationem, sub censu duodecim denariorum singulis annis, villam de Tocco cum possessione modiorum ducentorum sexaginta per loca & vocabula, quomodo in ejusdem concessionis chartula reperitur & legitur. Ab hoc siquidem Girardo processerunt Albericus, & filii Alberici, qui post mortem Girardi contra Monasterium S. Clementis se erexerunt, & violenter villis de circuitu aggregatis, castrum Tocci violenter ædificaverunt. Deinde pharum, qui dicitur inter montes, construxerunt. Ipsique à constructione seu diminutione Tocci, dicti sunt Tocculani.

Domna Ota nobilis matrona, quondam Andreæ filia, pro anima sua, & duorum quondam virorum suorum, Johannis atque Totonis, tradidit ad proprietatem Monasterii S. Clementis prædiolum suum, quod habebat in Cerbarano.

XV. ABBAS ADAM.

Ponzius Abbas cùm septem annis Piscariense Monasterium rexisset, obiit. Huic successit Adam, superioris Adæ, si diutiùs viveret, bonus imitator, qui contra Albericum suprascripti Girardi Rocconis filium, & filios ipsius Alberici, qui volebant ædificare Castellum Toccum, quod in propria possessione B. Clementis, & in emptione quam fecerat Romanus Abbas jussione & censu Ludovici Imperatoris, se erexit, & forti manu tam peditum quàm equitum eum expulit, quod ædificaverat subvertit, igne cremavit, & ad memoriam posterorum cineres concremati Castelli jubens in corbellis ponere, in agrum, qui Corbellarius ab eisdem corbellis dicitur, eos spargi præcepit.

1019.

Cùm ergo secundus Adam Abbas Piscariensi Monasterio præesset (cujus nimirum temporis actus, & instrumentorum principium fit in anno Incarnationis Domini millesimo nono decimo) duo fratres Deodatus & Bonizo pro anima Roczonis genitoris eorum tradiderunt in Monasterii proprietatem prædiolum, quod habebant in vocabulo Petaczano.

Temporibus hujus Adæ vênit Henricus Imperator in Italiam, & quidquid de oppressionibus Monasterii Piscariensis per Monachos ejusdem loci scire potuit, augustaliter emendavit.

XVI. ABBAS PETRUS.

Tribus annis tantùm Adam Abbas vixit, ex quo regimen suscepit, & mortuus est. Cujus in loco successit Petrus: qui cuidam Berardo Presbytero, & aliis viris ejus sociis, concessit scripto præstariæ de rebus Monasterii in Muscufo, vocabulo de Sancto Rustico, terras, & vineas, acceptis inde solidis decem & octo. Eodem anno mortuus exstitit quo fuerat Abbas institutus.

1023.

XVII. ABBAS STEPHANUS.

Deinde fratres ejusdem Ecclesiæ elegerunt Stephanum, qui cœpit abbatiari anno Dominicæ Incarnationis millesimo vicesimo tertio. Tunc enim quidam Adam, filius quondam Roccæ, tradidit pro anima sua S. Clementi medietatem omnium rerum suarum, quas habebat per loca & vocabula, Petaczano, Vadulato, Stabuli, Vico, & Rajanello, sicut in chartula continetur. Fecit etiam Stephanus Abbas tempore suo præstarias, videlicet cuidam Johanni concessit de rebus in Breliano acceptis inde solidis triginta.

Decem homines erant in Villa, quæ vocatur Inter-aquas, posita in Valvensi Comitatu, quæ Villa erat juris Monasterii S. Clementis à priscis temporibus. Qui homines videlicet Suppo & Sabinus, & reliqui, quorum nomina chartula tradit, pervaserant possessiones S. Clementis habitas in Valle Mesera supra ipsam Villam. Unde cùm easdem possessiones tenerent, & inde nollent Ecclesiæ servire, Stephanus Abbas coëgit illos in causam venire, ac infra Civitatem Sulmonem, ubi Beraldus Comes Valvensis, & Berardus frater ejus, cum multis aliis nobilibus viris, atque Provinciarum Judicibus in placito pro justitia facienda præsidebant, confutavit atque devicit; & faciens illos confessos in ipsis Ecclesiæ rebus nihil juris habere, à possessionibus habitione projecit, & terram ipsam in jurisdictionem Ecclesiæ convertit.

XVIII. ABBAS PEPARUS.

Stephanus autem Abbas cùm uno tantùm anno esset in regimine, in secundo accepit moriens temporalis finem vitæ. Cui successit Peparus, cujus actus nesciuntur, quia neque chartulis, neque opinione reperitur quid fecerit, vel quantum vixerit, verùm nomen ejus post Abbatem Stephanum in catalogo ponitur, & in fine libri primi nomine tenus tantùm describitur.

Jam verò Piscariensium Abbatum successio ad Domnum Guidonem pervenit, ipsique contradit Monasterii pondus. De quo quia plura sumus locuturi, aliquantulum pausare debemus, & dare fessa membra quieti, ut ad loquendum de tanto viro paratiores possimus inveniri.

Explicit Liber Tertius.

LIBER QUARTUS.

XIX. ABBAS S. GUIDO.

REfocillati aliquantulum à longo labore excutiamus torpida membra nostra gravi sopore, & arrepto stylo de Sancto viro Guidone, sicut promisimus, incipiamus tractare. Verumtamen aliquantulum superiùs habemus sermonis initium, ut decentiùs perveniamus ad eum locum, ubi fuit electus, & accepit curam Ecclesiæ atque ducatum. Incuriâ quorundam Abbatum, & irreligiositate Fratrum, ad tantam miseriam devenerat S. Clementis Piscariense Monasterium, ut pauci numero vix possent invenire qui eis præesse vellet; ita erant oppressi, & nomen Abbatiæ pæne perdiderat eorum Cœnobium. Quid facerent? hostes erant in capite à quibus circumvallabantur undique, nec eis erat facultas si possent aut vellent Insulam egredi, quia pontem subverterant, & in locis opportunis insidias posuerant illi, qui Castella Ecclesiæ pervasa tenebant ipsorum & Dei manifesti inimici. Ignorabat enim eos Curia Imperatoris, quia jam plures anni transierant, ex quo non fuerat frequentata à quolibet Abbate, vel Nunciis illius Abbatiæ. Unde factum est, ut pervasores eorum securi tenerent quod Ecclesia diù possederat ex dono Sanctæ recordationis Ludovici, & emptione Abbatis Romani, & nimiis expensis Adæ venerabilis & auctoris illius Cœnobii. Tandem inito consilio elegerunt de Fratribus quosdam, qui per medios hostes irrumperent, & ad Curiam Domni Imperatoris Henrici, qui successerat Ottoni tertio, tendentes lachrymabili voce & singultuosa ei miseriam Ecclesiæ panderent, & pervasionem inimicorum, nuditatem Fratrum, dolorem Conventus ex Abbatis absentia demonstrarent. Qui egressi portaverunt literas, quæ adhuc in Ecclesia ipsa habentur, & coram præfato Imperatore legerunt, & non solùm eum, verùm etiam omnes audientes & astantes ibi ad lachrymas usque ex relatione & miseria Fratrum perduxerunt. Quarum literarum exemplar talis est.

EPISTOLA

Monachorum Casauriensium ad Henricum Imperatorem.

„ SErenissimo, atque Illustrissimo, nec non „ à Deo coronato, à nobis summa cum „ veneratione nominando, Domno Henrico „ gloriosissimo Romanorum Imperatori Augu„ sto, atque Dominæ Agneti luculentissimæ, „ sagacissimæque Reginæ, unà cum eorum so„ bole, Sanctæ Trinitatis Cœnobii Fraterni„ tas tenuis, quicquid servi Domino. Quam„ vis S. Clementis Piscariense Monasterium „ ad multam miseriam devenerit, tamen hos „ mittit apices lugubres: Væ, væ miseræ ac „ miserabiliter repudiatæ Aureæ Insulæ, quæ „ antea bene aurea, nunc verò omni amari„ tudine oppressa, & pæne jam desolatâ suis ex „ delictis, culpâque cujusdam Regentis. Fuit „ denique ante hos annos quidam Gislebertus nomine, Monachico habitu coloratus, „ sed non opere, cum uno oculo lusco, sed „ mente omnino cæcatus, tamen non sua spon„ te accepit Abbatiam, sed parentes ejus cum „ Comite Transmundo ordinaverunt eum Ab„ batem; & propter quod extra voluntatem „ ejus ordinatus est, concambiavit, & dissi„ pavit totam Abbatiam, in tantum, ut pæ„ ne nil remaneret de prædiis Monasterii; „ Verùm etiam pontem, qui multùm neces„ sarius est ibi, eo quòd terribilis sit aqua ad „ transmeandum, ab illa hora nunquam fir„ miter potuit habere prædictum Monaste„ rium, sed quasi in carcere quotidie stamus, „ & cum grandi miseria pertransimus aquam, „ & multi moriuntur ibi propter periculum „ vadationis. Hoc malum Sanctissimus Hen„ ricus optimè emendasset, si non fuisset unus „ malus Monachus, qui non permisit recla„ mari prædicto Seniori, tamen quod scivit, „ honestè emendavit. Ad istum namque mœ„ roris cumulum alius accedit, quia quæ re„ stauravit prædictus Imperator de prædiis „ Cœnobii, à nostris vicinis plura invasa „ sunt. Nomina illorum dicuntur, Sanso cum „ filiis suis tulit Castra de prædicto Monaste„ rio, Castellionum, Bectorritam, Roccam „ Soti, Petaxcianum: filii Alberici Curtem de „ Tocco, & ipsam Insulam de præfato Cœ„ nobio, & ipsa molina, quæ ibidem stare „ videntur juxta portam Monasterii, & con„ tendunt nobis ligna de montibus, quos Lu„ dovicus Rex eidem Monasterio delegavit, „ & alias multas oppressiones nobis faciunt. „ Alios de nostris Monachis cæderunt, atque „ alios expoliaverunt. Filii quondam Lupo„ nis tenent Curtem unam, quæ nominatur „ Zappini modiorum mille. Adam filius Joannis „ tulit de ipso Monasterio terram sexaginta mo„ diorum, quam Adam medicus per chartulam „ delegavit. Transmundus filius Bernardi Cur„ tem de Ocretano, cum ipsa Ecclesia Sanctæ „ Justæ; & in Cerana & in Mascuso. Sed quid „ multa? si omnia voluissem scribere, antea „ dies deficeret, quàm possem comprehendere „ quantæ miseriæ circumdati sumus. Qua„ propter, ò Cæsar Invictissime, unà cum „ Domna nostra, & vestris pollentibus filiis, „ per Christum Dominum flebilis precatur „ turmula Aureæ Insulæ, ut opem feratis per„ ditæ, ut, si neglexeritis, Imperio animæque „ vestræ periclitemini. Periculosum est enim „ tempore si omnino deficiat sub vestro locus „ jam dictus, in honore Sanctæ & Individuæ „ Trinitatis, Beatique Clementis Martyris „ constructus à Domno Ludovico piissimo Im„ peratore. Nunc ergo zelo Dei accensi at„ tendite quanto grex vester invalidus distri„ ctionis pondere sit pressus, qui refrigerium „ petit à Christo, & à vobis, qui secundùm „ Deum regitis seculum. Ipse vos ubique cu„ stodiat, quem Angelicus Chorus semper „ adorat.

Domnus autem Imperator tunc temporis circa loca Farfensis Ecclesiæ morabatur cum grandi exercitu, quo erat Apulos & Trojanos expulsurus, qui faventes quibusdã Normannis, qui eos deceperant, & sibi subjugaverant non virtute, sed vitio illius gentis, rebellari nitebantur Romanis. Hic ut audivit quia Fratres care-

carebant Abbate, & idcirco ad nihilum deducebantur & devastabantur possessiones Ecclesiæ, habuit consilium cum Baronibus suis, & accersito Abbate Farfensi, requisivit, si esset in Monasterio illo aliquis Monachus amator religionis, custos Monastici propositi, eruditus literis, & nobilitate præclarus. Et cùm audiret famam Widonis celebrem non solùm inter Monachos, verùm etiam à popularibus & forensibus prædicari, petiit eum ut sibi daretur, & Ecclesiæ Piscariensi, quæ viduata Pastore erat, Pastor eligeretur; Qui cùm se indignum & minùs idoneum, ut moris Sanctorum virorum est, proclamaret, & ut quietam vitam eum ducere sinerent, profusus pedibus Abbatis cum lachrymis oraret, traditus Fratribus ad utilitatem Monasterii eligitur, & Abbas Sancti Clementis Piscariensis licèt invitus instituitur. In quo officio quantum ipse pro Ecclesia sibi commissa laboravit, quanta abstinentia corpus perdomuit, quàm modestus in exhortando, severus in corrigendo fuit, liber, qui de ejus vita scriptus habetur in Monasterio, vera assertione, quamvis humili stylo, manifestare non desinit.

Traditus itaque Fratribus, & cum grandi honore & jussu Imperatoris ad Monasterium usque perductus, cùm videret ruinam parietum, & fracturas domorum, pane & vino penum vacuum, nudos fratres, destructum Monasterium, paucis diebus ibi commorans, sumptis privilegiis & chartis revertebatur ad Imperatorem; Sed antequam veniret ad eum, audivit de morte ejus.

1025.

Antea verò quàm proficisceretur, cùm esset in Monasterio novus Abbas, in anno videlicet ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo vigesimo quinto, quædam possessiones datæ fuerunt Piscariensi Monasterio, quæ scriptæ sunt ad notitiam posterorum, & in chartulis habentur. Nam in territorio Teatino dederunt quidam pro redemptione animarum suarum per manus Domni Widonis Abbatis de rebus proprietatis suæ: videlicet quidam Lupus quasdam res in Beloniano, & quidam Giso Presbyter, & Lupus filius quondam Deodati, quasdam res suas in Tocco, per loca & vocabula, videlicet Plaja-perronis & Spineta.

1026.

In sequenti verò anno Dominicæ Incarnationis millesimo vigesimo sexto, quidam vir, nomine Adam, per chartulam tradidit, atque disposuit pro anima sua Sanctæ Trinitati & B. Clementi Ecclesiam, quæ dicitur Sanctæ Mariæ de Loro, cum omnibus rebus suis & possessionibus, quemadmodum in eadem chartula legitur; quod castrum videlicet Lorum est in ipso Teatino Comitatu.

Recuperavit etiam legali judicio Domnus Wido Abbas super quemdam potentem virum qui vocabatur Albizo, quasdam possessiones in loco, nomine Superone, pertinentia de Alanne, & in pertinentia de Tocco terram quinquaginta modiorum reacquisivit, per ipsam judicialem sententiam, quæ possessio est in planitie juxta Piscariam, in loco, ubi dicitur Undula.

Dedit etiam Siolphus quidam possessionem quamdam in loco, nomine Vico, qui Vicus à principio fundationis Monasterii Piscariensis fuit de jure B. Clementis, sed postea translatus fuit in castro, nomine Castellione, quondam ab Adam Abbate ad jus & proprietatem S. Clementis ædificato, sicut in superioribus scriptis habetur. Nam eo tempore tenebant ipsum Castellum Sanso & Gualterius, filii Rainaldi, & alia Castella, videlicet Roccam de Soti, Bectorritam, & cetera, quæ ab ipso Abbate Adam temporibus Augustæ recordationis Domni Ottonis gloriosissimi Imperatoris, ad profectum Monasterii S. Clementis fuerant ædificata. Sed cùm ex negligentia & culpa quorumdam Abbatum Piscariensis Abbatia foret imminuta, & potentia ejus attenuata, tota terra à supradictis Baronibus fuit pervasa, qui tenebant ipsas possessiones, quæ cùm ex antiquo jure fuissent B. Clementis, postea ab ipsis usurpatæ abusivè, fuerunt appellatæ Sansonicæ, ex nomine ipsius Sansonis.

1027.

Millesimo vigesimo septimo Sifredus & Rainerius quidam homines auxerunt quasdam res proprietatis suæ in possessionem, quam Ecclesia S. Clementis ex antiquo jure tenebat in loco, nomine Coronule.

Post mortem igitur primi Enrici Imperatoris, de quo supra locuti sumus, cùm Domnus Wido Piscariensis Abbas audiret, quia alter positus esset in loco ipsius, nomine Chuonradus, iterum sumptis chartis & privilegiis profectus est ad eum. Qui gloriosus Imperator eumdem Abbatem cum magna reverentia suscepit, privilegia & chartas coram se legi fecit, quod postulabat implere studuit, novoque privilegio quæ data in Monasterio fuerant ab antecessoribus suis confirmavit hoc modo.

PRÆCEPTUM

Chuonradi Imperatoris de libertate & rebus Monasterii Casauriensis.

„ IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Chuonradus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus, cùm „ petitionibus servorum Dei justis ac rationabilibus divini cultus amore faverimus, & „ his opportuna beneficia largiamur, præmium „ nobis æternæ remunerationis rependi non „ diffidimus. Quo circa omnium Sanctæ Dei „ Ecclesiæ nostrorumque fidelium præsentium „ videlicet ac futurorum comperiat solertia, „ qualiter Wido venerabilis Abbas Monasterii „ Sanctæ Trinitatis, ubi Corpus Beatissimi „ Pontificis & Martyris Christi Clementis reconditum est, in Comitatu Pinnensi, in Insula, quæ Casa-aurea vocatur, nostram adiens „ præsentiam ostendit nobis nostrorum antecessorum Regum vel Imperatorum præcepta „ eidem Monasterio facta, atque suppliciter „ postulans, quatenus pro ipsius Sanctæ & „ Individuæ Trinitatis, ac testis ejus Clementis amore, eadem præcepta, nostra Imperiali ac præceptali auctoritate confirmaremus. Nos verò ejus justis postulationibus „ assentientes confirmamus jamdicto Monasterio quicquid in superioribus continetur præceptis, prout justè & legaliter possumus, „ videlicet quicquid habere videtur infra Romanam Urbem, sive extra ipsam *&c. ut in* „ *superioribus præceptis.*

„ Et quicquid de prædicti Monasterii possessionibus Fiscus noster sperare potuerit, „ totum nos pro æternæ remunerationis præ„ mio

" nio Monasterio concedimus, ut in alimonia
" pauperum, & stipendia Monachorum ibidem
" Deo famulantium, nostris, futurisque tem-
" poribus semper proficiat in augmentis, &c.
" Concedimus etiam, & Imperiali auctori-
" tate præcipimus, ut in quantum præfata
" Insula tenere videtur, nulla fiat habitatio
" cujuscumque ordinis vel dignitatis, exceptis
" qui ibidem Deo deserviunt, & his qui illis
" servituri sunt. Quòd si aliquis huic nostræ
" præceptioni contraire voluerit, & per an-
" num integrum ibi permanserit, absque du-
" bio servus ipsius loci deinceps permanebit.
" Insuper concedimus, ut nullus homo audeat
" respondere mallaturam Advocato ejus. Et
" si aliquo tempore aliqua intentio contra idip-
" sum Monasterium exorta fuerit, non per vi-
" liores, sed per nobiliores & veraciores ho-
" mines diffiniatur ex utraque parte. Si quis
" igitur &c.
" Et ut hæc nostra Imperialis auctoritas fir-
" mior habeatur & diligentiùs observetur,
" manu propria roborantes, præsentem pagi-
" nam sigilli nostri impressione inferiùs jussi-
" mus insigniri.
" Signum Domni Chuonradi Serenissimi
" Imperatoris Augusti.
" Hugo Cancellarius vice Domni Haribo-
" nis Archicancellarii recognovit.

1028.

Deinde idem Imperator Domno Widoni Abbati unum ex Ducibus suis Ugonem Comitem dedit. Cui præcepit ut Imperiali potestate sumpta restitueret Ecclesiæ quicquid possederat, tam Castella, quàm Villas, & non discederet ab eo, donec omnia possideret pacata. Qui veniens, antequam Monasterium ingrederetur, de ponte, qui fuerat subversus, querimoniam fecit, & in præsentia præfati Ducis intus in eodem Monasterio coram Episcopo Nuceriensi Dodone, & Episcopo Synogalliæ Adelberto nomine, & coram Baronibus tam Pinnensis, quàm Thyatinensis Comitatus, quorum ibi maxima multitudo advenerat, in die statuta, videlicet die mensis Januarii, anno Dominicæ Incarnationis millesimo vigesimo octavo, ita sancitum est, & confirmatum scripto per manus Widonis Abbatis, ut liceat Abbatibus Sancti Clementis ex illo tempore usque ad finem Mundi construere pontes ubicunque voluerint. Et qui in hoc facto eis contradicere tentaverit, persolvat mille libras auri mundissimi in thesauros Domni Imperatoris.

Peractis itaque pactionibus & confirmatis scripto, sicut supra diximus, de pontium ædificatione, VVido Abbas habuit altercationem & placitum coram Duce, quem missum diximus ab Imperatore, de possessionibus, quæ erant circa Insulam Monasterio vicinæ. Plures enim invaserant ipsas possessiones, & tenebant eas non de Deo neque de homine. Qui autem fuerunt hi, cognoscant præsentes & posteri: Sanso & VValterius, filii Rainaldi tenebant possessiones, quæ abusivè fuerunt appellatæ Sansonicæ, ex nomine Sansonis. Theodinus & Gerardus, filii Alberici habebant Toccum cum tota Valle Caramanica, Senebaldus, Lupus, & Ubertus, filii Luponis, tenebant Sanctum Valentinum, & terram à flumine Lavini usque ad prædictam Vallem Caramanicam, & nolebant inde servire Abbati, neque servitoribus Ecclesiæ; fortes enim erant & potentes, & mutuò se colligaverant, ut si unus invaderetur, omnes eum pro suo posse juvarent. Unde prædictus Abbas VVido nimiùm impeditus, quia neque eos omnino pulsare, neque possessiones quas ipsi violenter tenebant eis auferre valebat, præfixit diem, eosque in placitum venire coëgit.

Cùmque multi advocati essent in præsentia præfati Ducis, & prædictorum Episcoporum, Synogalliæ videlicet, & Nuceriæ, nec non Berardi Spoletini Episcopi, & VValterii Furconensis, & in præsentia Bernardi & Petri Judicum Sacri Palatii, & Berardi Comitis filii Comitis Theodini, Attonis Comitis, & filii ejus Alberici Comitis, Ugonis Comitis, & Offredi Comitis filii Monaldi Comitis, prænominatus Abbas habuit verba hujuscemodi: *Domne Dux, & vos Domni Episcopi, Comites & Barones, qui ex præcepto Domni Imperatoris vocati venistis, audite me, si vobis placet, pro amore Domini nostri Jesu Christi: Monasterium istud, cui Deo volente præsideo, quod institutum fuit & fundatum à Sanctissimo Imperatore & victoriosissimo Ludovico, ita spoliatum est & nudatum omnibus bonis, ut servi Dei, qui in eo latitant vix habere valeant unde vivant diebus singulis, vicini nostri, qui nos pro Deo diligere & pro metu Imperatoris caros habere debuerant, invaserunt possessiones nostras, occupaverunt Castella, quæ Antecessores nostri cum magnis expensis ad tutelam Monasterii, & decus regni ædificaverant, nec ea nobis reddere volunt, imò de illis nos & nostros, quos paucos nobis reliquerunt, expugnant. Alii Abbates qui ante me fuerunt, quoniam erant de carne eorum læsionem Ecclesiæ patienter tulerunt. Ego verò, qui extraneus sum, qui in nullo habeo fiduciam, nisi in Deo & justitia Domni Imperatoris, tantum malum ferre non possum, obsecro & obtestor pro amore Dei, & reverentia vestræ præsentiæ, illos qui hactenus debacchati sunt in destructionem & confusionem Ecclesiæ S. Clementis, & dejectionem nostræ Congregationis, reddant sponte quod malè de nostro tenent, & non sperent me cedere minis, quia paratus sum pro honore Ecclesiæ meum sanguinem fundere, & pro nomine Salvatoris.* His dictis obmutuit, & quod illi respondere vellent, sicut vir sapientissimus cum maxima gravitate diutiùs expectavit.

Tunc illi in unum conglobati consilium acceperunt, & quod ex consilio acceperant uni pro omnibus intimare præceperunt. Tunc ille jussus, inquit: *Domne Dux, & vos omnes Episcopi, & Barones, qui præsenti interestis concilio, amicorum & consanguineorum nostrorum, qui revera una sumus caro, incœpi vobiscum loqui; & si defecero, sicut in hac terra est consuetudo, non est bonum quòd ipsi propter meam simplicitatem damnum patiantur, ipsi poterunt emendare si aliquid minus fuerit nostro eloquio! Non indigemus multis verbis, petimus misericordiam & pietatem Domni Abbatis, ne velit proscribere filios nostros, qui fuerunt nati & nutriti sub alis & præsidio B. Clementis: quod malè tenuimus, bene tenere parati sumus: occupatores, pervasores vocamur, nos servos Monasterii & benefactores amodo & deinceps & fatemur & promittimus, & quicquid necessarium fuerit Ecclesiæ tam in libris, quàm in ornamentis, de nostro dare, & censum annuatim persolvere, & contra hostes, si aliqui contra Monasterium insurrexerint, nos pugnaturos, & successores nostros scripto & sacramento confirmabimus.*

Ad

Ad hæc Abbas respondit ex consilio. *Non ego sum ex illis, qui blando possint decipi verbo, si funditus dimittitis possessiones, quas impiè pervasistis, ego suscipiam, sin aliàs, pro certo sciatis, quia nec angulum alicujus domunculæ vobis dimittam; totum quod invasistis dimittite, & postquam dimiseritis, quod nobis placuerit, non pro censu neque affirmatione alicujus chartulæ, & quandiu voluerimus, & res nobis dimissas ad profectum Ecclesiæ nostræ tractaveritis, pro amore parentum vestrorum, & rogatu circumstantium permiserimus.*

Illi metuentes mag's Imperatorem, quàm Deum, & cognoscentes Abbatis vigorem, & ejus invincibilem animum, ad ipsius genua procumbentes, quicquid ipsi malè invaserant in ejus misericordia dereliquerunt, & juraverunt, quòd nec ipsi, nec successores sui, aliquid de illis possessionibus, quas prædictus venerabilis Abbas Wido sibi retinuerat, usurparent, & illis tantùm, quæ sua miseratione non pro timore eorum vel parentum suorum habenda concederet, contenti essent.

Quæ autem retinuit Abbas in sua dominatione, & quæ illis concessit ne iterum fiat altercatio præsenti scripto mandare curavimus. Retinuit sibi dominationem totius terræ, & in proprio munitiones, in quibus etiam suos misit custodes. Retinuit & pascua, molendina, sylvas, optima rura, decimas, Ecclesias, sepulturam, & alia omnia quæcumque ad dominationis pertinere videntur officia. Illis dimisit cetera, non sub jure dominationis, sed sicut petierant servili conditione habenda. Sanso verò, qui princeps quodammodo, & actor hujuscemodi seditionis, ut prænominatum est, fuerat, Ecclesiam quandam in terra Sancti Clementis, in loco videlicet, qui Blisianus est appellatus, in honore Sanctæ Mariæ fundaverat, in qua contra jus & fas sicut alter Jeroboam suas aras erexerat, neque ad Monasterium Sancti Clementis funera tumulari sinebat, illam Abbas Wido cùm haberet in manu, & deberet & posset funditus destruere, non pro timore Sansonis, sed pro reverentia Sanctæ Dei Genitricis, in cujus honore ædificata fuerat, integram consecravit; ibique quendam Monachum suum, nomine Franco, posuit, qui eidem Ecclesiæ deserviret, & ad augmentum rerum non ad detrimentum studeret.

1029.

Quidam Gizo dedit in Valeriano majore & minore, & in aliis locis & vocabulis, in fundo Aprutino possessionem ducentorum modiorum, cum ipso Castello Valeriano, & Ecclesia S. Juvenalis, cum omnibus tenementis & pertinentiis suis. Rursus in Comitatu Teatino pro reverentia Domni Widonis Abbatis Ubertus filius quondam Senebaldi, refutavit, & per investituram reddidit Piscariensi Monasterio in manus ejusdem Abbatis omnem terram juris S. Clementis, quam Wido, & Sifredo & Senebaldus, filii quondam Luponis, acquisierant à prioribus Abbatibus in Zappino, & aliis locis, & vocabulis, videlicet à S. Martino de plebe, quicquid continetur inter tria flumina, quorum nomina sunt, Orta, Lavinum, & Piscaria, anno Dominicæ Incarnationis millesimo vigesimo nono.

Hæc, quæ supra diximus, & multa alia, quæ subtraximus à præsenti pagina ne tœdium inferre viderentur Lectori, data fuerunt Monasterio Piscariensi, & acquisita in tempore venerabilis Abbatis Widonis. Nomina quorum videlicet dantium atque datorum videlicet possessionum scripta sunt, & habentur in chartulis ad notitiam posterorum.

1030.

Quidam Presbyter, Ursus nomine, ædificaverat Ecclesiam in honore S. Mariæ, in loco, qui Fasanaria appellatur, ibique posuerat Abbatissam nomine Giburgam, quæ præerat Congregationi Monacharum. In millesimo trigentesimo Dominicæ Incarnationis anno illam divino ammonitus instinctu subdidit Monasterio S. Clementis per manum Domni Widonis Abbatis, cum tenementis & pertinentiis suis, in locis & vocabulis, videlicet Casule, Mauro, Porcari, Lecto, Sancto Apollinari, Mortula, terra quidem sexcentorum modiorum, sicut in charta, quæ est exinde facta, legitur.

1031.

In millesimo trigesimo primo anno ab Incarnatione Domini acquisivit Domnus Wido venerabilis Abbas in Comitatu Marsicano quandam Ecclesiam, in honore B. Clementis constructam & dedicatam, in loco, nomine Callucu, cum omnibus pertinentiis suis, donantibus eam quibusdam viris Mainardo, & Alberto germanis pro animarum suarum redemptione: Cui Ecclesiæ ad honorem Monasterii Piscariensis per manus ejusdem Abbatis augmentatæ sunt plurimæ possessiones à quibusdam fidelibus viris ipsius Comitatus, videlicet Dodone, Ponzone, Goffredo, Actone, Alberto, Francone, Mainardo, Majo, per loca & vocabula, videlicet Aniu, Pede de Monte, Cretario, Petre-late, Curiano, & valle de Ortuccle, sicut tradunt chartulæ, quæ inde scriptæ habentur in Piscariensi Monasterio cum aliis reconditæ.

1032.

Præterea in fundo Teatino est quidam locus, qui dicitur Oligetum, in quo à quibusdam viris, videlicet Joanne, Gisone, Aifretlo, Majo, Petro, Benedicto, & ceteris eorum consortibus, fundata est Ecclesia vocabulo Sancti Sylvestri: quam Ecclesiam communiter omnes pro remedio animarum suarum tradiderunt, & concesserunt ad proprietatem Monasterii S. Clementis, cum omnibus rebus, & possessionibus suis. Et in anno Domini millesimo trigesimo secundo ipsam donationem chartulis confirmantes in manibus Domini Vvidonis Abbatis devotissimè obtulerunt.

1033.

Per idem tempus vir Domini Vvido Abbas tam pro sua religione, quàm pro gloriosi imperatoris Chuonradi timore, florebat pace & quiete in Domino, sed ei diabolus invidens quosdam nefarios suæ crudelitatis ministros, videlicet habitatores S. Valentini contra eundem Sanctum Virum armavit, & campum, qui propriè proprius B. Clementis erat, & ad jus ejusdem Ecclesiæ pertinebat, invadere fecit; unde sæpissimè vir summæ mansuetudinis angustiatus Baronum turmam, & indigenarum aggregavit, quorum testimonio cùm præfati nequissimi acquiescere nollent, tandem sententiâ prolatâ judicio quod ipsi denegabant, & isti affirmare volebant, pugna terminari judicavit, ut qui victus esset campum amitteret, & de ceteris minùs credulus appareret. Hanc enim rationem Valentiniani videbantur habere, quia Piscaria antiquos cursus nota erat

erat prætermisisse, & idcirco affirmabant quicquid intra eam & castellum continebatur haberi de eorum possessione. Vênit dies in qua multitudo Baronum & plebis coadunari debebat, qui omnes uno ore affirmabant Abbatem injustè niti, & agrum esse de pertinentiis Sancti Valentini. Quid plura? Beatus vir VVido, cujus spes tota erat in Domino, suos jussit insistere orationi, & pridie antequam pugna deberet fieri, solus media nocte egressus de Monasterio, comitante eum, qui semper justis præsto est, Spiritu Sancto, vênit ad fluvium, & alta voce dixit ad eum: *Adjuro te per nomen Domini nostri Jesu Christi, & per virtutem Beatissimi Clementis Præsulis & Martyris, ut sequens me ad priorem cursum revertaris. & campum deseras, quem malignantibus non tua sponte, sed instinctu Diaboli delegasti*. Et ostendens signum baculo quem manu gestabat, quò illum fluere juberet, tandiu secutus est Sancti Viri vestigia, donec campum dimitteret Sancto Clementi, & ad locum antiquum reverteretur, per quem cum magno impetu ad mare tendebat flumen, quod vocatur Piscaria. Mane facto, cùm omnes, de quibus supradiximus, ad pugnam parati venirent, ut victori laudibus, vel victo, sicut mos populi, contumeliis insultarent, cùm viderent campum ex parte terræ S. Clementis liberum remansisse, & fluvium per antiquos cursus ad mare tendere, cognoverunt non humanæ virtutis, sed Divini judicii miraculum esse; omnes in fletum proruperunt, & ad pedes Abbatis ceciderunt, dicentes una voce: *Nunc cognovimus, Sanctissime Pater, quia in te habitat Spiritus Sanctus, qui per Prophetam loquitur* (Isai. 6. 2.) SUPER QUEM REQUIESCAM NISI SUPER HUMILEM, ET QUIETUM, ET TREMENTEM VERBA MEA? *Verè tu in Cœlis habitas, licèt in terris videatur conversatio tua, non volebas quòd pro te humanus sanguis effunderetur, magis petiisti ut Beatus Clemens quod sui juris est in aquis operaretur: in aquis marinis habuit templum, Piscariæ (flumini) præcepit, ut reverteretur ad antiquum cursum: per hoc cognovimus, quia Dominus Deus habitat tecum, cognoscimus reatum nostrum, petimus indulgentiam, habes in potestate tua, si velis extinguere vitam nostram subdimus tibi quæcunque possidemus, ne velis à nobis elongare misericordiam tuam.*

1035.

Vir autem Domini Wido pronus ad pietatem, ut vidit lachrymas, accepit misericorditer eorum petitionem, illos ammonens ne in terris S Clementis aliquam ullo tempore facerent invasionem, quia non erat mortuus, imò vivebat cum Christo, qui pro Christo gaudenter susceperat mortem: *Hanc noxam vobis condonet Omnipotens Deus, & custodiat vos, ne cadatis in pejus, quia illi malignando adhæsistis, qui nunquam de vobis fuerit, nisi vos integros hauriat, satiatus*. His dictis regressus est ad Monasterium, & non pro tanto facto in tumorem elatus, sed magis humilis de die in diem proficiebat, & ad profectum ducebat gregem sibi commissum. Illi verò Domini de Sancto Valentino, videlicet Lupus, & Ubertus, & VVido, filii quondam Senebaldi, tanto miraculo exterriti de Deo timentes, pro reverentia S. VVidonis Abbatis venientes, in præsentia supradicti Ugonis Ducis ante Abbatem renunciaverunt Sancto Clemeati omnem possessionem de Zappini & Soliano, quicquid à tempore quondam Gisleberti Abbatis parentes eorum pervaserant; ipsamque refutationem scripto & testibus legitimè confirmatam in Monasterio Piscariensi reponendam ad memoriam posterorum detulerunt. In qua chartula ipsemet Ugo Dux & Marchio, pro majori firmitate se subscripsit cum aliis nobilibus viris, qui ibidem continentur.

1036.

Adelbertus ex Monacho Casauriensi Eremiticam vitam agit.

IN tempore istius VVidonis, de quo plura locuti sumus, quidam Albertus filium suum eodem nomine appellatum, Monasterio S. Clementis obtulit, & humiliter eum sanctis institutionibus, & ritu Monastico erudiri rogavit: quem venerabilis VVido tanquam suum, & revera plusquam carnalem quia spiritualem, filium suscepit, monuit, erudivit, & in brevi ita perfectum reddidit, ut de Claustrensi Anachoritam redderet, de communi hominum cœtu Angelorum consortem efficeret. Iste cùm in Piscariensi Monasterio tanta religione proficeret, ut jam miraculis polleret, Sancto Patre VVidone permittente, in monte, qui Blettennius dicitur, primitus solus habitavit, deinde ad convallem descendens in Pinne Ecclesiam S. Michaëlis construxit; deinde Ecclesiam Sancti Eliæ positam in fundo juris proprietatis S. Clementis restauravit. Indeque hominum frequentiam fugiens in Comitatum Teatinum transivit, in montem de Caramanico, ibique cum latêre non posset, Monasterium S. Nicolai in pertinentia ipsius Castelli de Caramanico, in loco qui Civitatula dicitur, fundavit Ecclesiam Sanctæ Crucis circa ipsum Castellum, in loco qui dicitur ad Aquas putridas, restauravit: omnesque supradictas Ecclesias suo Monasterio S. Clementis offerens subdidit.

Postquam verò in monte qui dicitur Ursa per aliquantulum temporis latuit, & ibidem occultus manere non posset, in Convallem deductus descendit, & in Comitatu Valvensi in loco qui dicitur Eusinianus. Ecclesiam in honore Sanctæ Trinitatis, & Sancti Quirici Martyris, cum pertinentia de Castello, nomine Pacentro, ædificavit, in quo diutiùs habitans multis virtutibus & miraculis, & tunc in carne, & nunc in spiritu, claruit, sicut libellus de ejus vita conscriptus insinuat. Ille verò Sanctus Adelbertus antequam de Mundo exiret, eandem Ecclesiam cum omnibus quæ ad illam pertinere videbantur B. Clementi suo alumno tribuit, & in manus præfati VVidonis venerabilis Institutoris sui donum ipsum chartâ confirmavit.

Peractis igitur omnibus, & in pace radactis pro quibus missus fuerat præfatus Dux Ugo, revertens ad propria, VVidonem venerabilem Monasterio suo quietè manere, bonis temporalibus uti præcepit, & ipse reversus ad Imperatorem singula pro ut gesta fuerant enarravit.

1037.

Imperator autem Chuonradus tunc temporis Capuæ morabatur, in quam Vigiliæ Pentecostes ingressus, & in Pentecoste coronatus est, Anno Dominicæ Incarnationis millesimo trigesimo septimo, ubi supradicto Duce referente cùm

cùm audisset quia bonum Pastorem Piscariensis Ecclesia S. Clementis Domnum VVidonem haberet, qui factis & dictis omnibus comparibus suis lumen veritatis plenariè infundebat gratias Deo reddidit. Indeque suam Epistolam plenam affectu, & continentem, quod ipsa Piscariensis Abbatia nulli nisi suo regio juri esset reservata, quibusdam Baronibus, qui in ipsis literis nominantur, Monasterio vicinis transmisit corrigens, & suis minis illos exterritans, ut ab infestatione ejusdem Imperialis Abbatiæ desisterent, quarum literarum exemplum tale est.

EPISTOLA

De Abbatia Sancti Clementis Regali tantùm servata dominio.

„ CHuonradus Dei gratiâ Romanorum Imperator Augustus, Bernardo & filiis ejus, Beraldo & ejus fratribus Comitibus, & Rainaldi filiis, ac Alberici filiis, & Joannis filiis, atque Luponis filiis, salutem & gratiam. Quondam multùm precando & tanquam Pater præcipiendo mandavimus, ut bona Abbatiæ Sanctæ Trinitatis, & Sancti Clementis Martyris, quæ soli nostro dominio reservatur, causa Dei & nostris precibus invadere cessaretis; sed non solùm à malo facto cessavistis, sed priore pejus fecistis. Unde vehementer admiramur, & ultra quam dici possit dolemus: cùm neque pro Deo, neque pro me nostræ Abbatiæ satisfecistis. Qua pro causa multùm præcipiendo, & plusquam possit scribi, per hanc brevem nostram mandamus, ut si nostram bonam voluntatem vultis habere, & nostram salutem desideratis, ac nostri Imperii honorem, nullatenus refutetis Abbatiam nostram ampliùs prædando, vastando non laceretis, sed quàm citò potestis quod graviter peccavistis nostræ Abbatiæ emendetis, & similia non perpetretis, & meam bonam voluntatem omni tempore feliciter habeatis. Quod si non feceritis, scitote me in proximo ad vos pro certo venturum, & vos & vestra bona in quantum potero per omnia dissipaturum. Præter hæc omnia non parum præcipiendo tibi Petre & Carbunçelle mandamus, ut mala quæ nequiter nostræ Cellæ Sancti Eliæ usque modò fecistis, citissimè, & per omnia emendantes, Deo & nobis placeatis, quòd si nostra jussione satisfacere nolueritis, sciatis pœnas, & ut ita dicam, intollerabile damnum in proximo me vivo passuros.

Vvido verò Abbas non propter hoc in gloriam est elevatus humanam, sed magis & magis se se humilians, totum Deo non sibi ascribebat, quòd suum Monasterium in pace manebat, religio in eo florebat, inter fratres maxima caritas erat; nullus quod suum, sed potiùs quod alterius profectui esset, invigilando quærebat; Pastorisque boni exemplo eruditi, unusquisque transitoria hujus Mundi & vana gaudia despiciebat: & quia fallacem hujus Mundi pacem reverendus Vvido sciebat, armavit se, ut præcepit Apostolus, lorica justitiæ, & galea salutis, contra spirituales nequitias pugnaturus, rebellemque carnem perdomuit, & spiritui servire coëgit, jejuniis & orationibus intentus, pro Imperatore, pro Regibus, pro universali Ecclesia, populo videlicet Christiano, solicitus cum lachrymis & singultibus juges Domino orationes fundebat, ut ipse, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum est, pacem à superis in terram mitteret; Rectores Ecclesiæ conservaret, rebelles ad unitatem Fidei converteret. Et dum beatus vir favorem populi vitans, soli Deo vacare cuperet, exteriora negotia Fratribus Ecclesiæ commendavit, de grege curam habens, quo eum duplici pabulo reficeret, verbo & exemplo.

1038.

Accidit, ut quodam tempore Trasmundus quidam Marchio cum magno exercitu per fines S. Clementis iter haberet, & dum, sicut juvenum moris est, populares & rusticani, qui in ejus Comitatu plures aderant, ad villas & ad Casalia causâ deprædandi concurrerent; venerunt Alanum, quæsierunt cibaria sibi & exercitui necessaria, & nisi festinanter darent quod eis petebatur, Castellum illud subverterent, aut igne cremarent, atrocissimè minabantur. Oppidani verò quia non fuerat sibi imperatum ab Abbate, nec audebant in terra S. Clementis novas consuetudines ponere, ad portas concurrerunt, Castellum muniverunt, & se defendere deintus parantes, unum de caballis hostilis exercitus occiderunt. Unde Marchio succensus ira suos milites armari jussit, & Castellum obsedit, centum aureos solidos pro redemptione equi expetens, qui vix decem valebat. Et idem ipse in prima fronte cum armatis peditibus versabatur, mortem, pericula, incendia, destructionem comminans, nisi citò quod postulabat pretium sibi daretur. Venerabilis Wido hoc audiens Claustrum exivit, ad exercitum vênit, Marchionem furore succensum mitigare humiliter studuit. Et cùm videret quia nihil proficeret, ubi esset equus interfectus interrogavit. Quem intuens in acie deformem, vilem, & confectum senio, & si non esset percussus gladio, per se citiùs moriturum, in conspectu totius vulgi, facta primitus oratione, conversus ad Dominum dixit: *Domine Jesu Christe, cui nihil impossibile est, qui dixisti discipulis tuis, quodcumque credentes petieritis, fiet*; Matt. 21. 22. *ostende virtutem tuam nunc etiam in hoc vilissimo animali, redde sibi vitam, quam tulisti, quia sinè te nec passer potest ad terram cadere, ut quiescat furor istius populi, qui subvertere, succendere, destruere minantur (& , ut video, parati sunt) possessionem Beatissimi Clementis Martyris tui.* His dictis, accessit ad caballum, & tangens eum leviter cum virga, quam manu gestabat, dixit ad eum: *Surge, erigit te Dominus noster Jesus Christus; Vade incolumis, servi domino tuo, sicut fecisti hactenus*; confestim equus surrexit incolumis. Et hoc viso sedatus est furor Marchionis, & totius exercitus in res Monasterii debacchantis, & conversi ceciderunt proni ad pedes Sancti Viri, orantes, ut pro se preces ad Deum funderet, ne quod ipsi moliebantur injustè facere, in eos justè converteret. Sanctus autem Vir vultu placabili eis benedixit, & ut ab iniquitate discederent imperavit. Sicque factum est, ut illi sinè læsione reverterentur ad propria, & terra, quam succendere minabantur, sub protectione Beati Clementis remaneret intacta.

1039. 40. & 41.

Quidam nobilis & potens vir in Caramanico

eo, nomine **Thebaldus**, audiens celebrem famam honestatis atque religionis Sancti Guidonis Abbatis, & hortatione supraſcripti viri Dei Adelberti, contulit eo tempore pro anima sua B. Clementi duas Ecclesias, Sancti Nicolai à Sancto Adelberto fundatam, Sanctæ Crucis ab eodem restauratam cum omnibus rebus & pertinentiis earum.

His aliisque pollens virtutibus VVido Abbas Sanctissimus, intra Claustra Monasterii dum finem vitæ suæ sibi ostensum cœlitus expectaret, per singulos dies jejuniis & orationibus intentus ægrotare cœpit, & statim advocatis Fratribus, & qua die, & qua hora moreretur, eis innotuit, dicens: *Ego Fratres, & Filii carissimi, sicut mihi ostensum est, viam ingredior universæ carnis, commendo vobis transitum meum, ex hac vita egrediar in die, qua celebrabitur festivitas S. Clementis, in ea hora, qua in Missa recitabitur Evangelium, cùm perventum fuerit ad illum locum ubi dicitur:* EUGE SERVE BONE ET FIDELIS INTRA IN GAUDIUM DOMINI TUI: *ego in eodem momento absque ulla dilatione in manus nostri Salvatoris tradam spiritum meum, & credo, quia ejus, cui fideliter deservivi, Beati Clementis in cœlesti palatio habebo consortium.*

1045.

Obitus S. Guidonis.

GRavescente ejus infirmitate advênit celeberrimus dies festivitatis prænominatæ in qua se moriturum prædixerat, & antequam Missa inchoaretur, se portari fecit intra Ecclesiam, & sumpto Viatico, conversus ad Dominum expectabat sui exitus horam, quando Evangelium legeretur, sicut sibi fuerat repromissum; Fratres occupati in tanta solemnitate, & dolentes ultra modum de tanti Pastoris velocissima migratione, fecerunt processionem, & expletis omnibus, sicut moris est in tali festivitate, cùm Evangelium legeretur, in eodem momento, quo se mori prædixerat, cùm à Lectore diceretur, EUGE SERVE BONE, astante populo & Clero, &, ut magis credendum est, cœtu Angelico, tradidit spiritum, & quod diu desideraverat, & ad quod die noctuque suspirabat, vitæ æternæ suscepit bravium, anno Dominicæ Incarnationis millesimo quadragesimo quinto, nono Calendas Decembris, ejusque memoriam solet celebrare Piscariensis Ecclesia die altero post B. Clementis solemnitatem annuam. Sepultusque est in eadem Ecclesia prope Claustrum Monasterii, juxta parietem in parte Australi, ubi se vivere in cœlestibus probat quotidianis miraculis. Vixit autem in regimine annis viginti uno, mensibus sex, diebus viginti tribus. Non multo post tempore, post quam ad Dominum migraverat, multis virtutibus se vivere cum Christo declaravit: de quibus pauca memorabimus, quia ad alia memoranda properamus.

Miracula ejus.

QUidam puer, nomine Placidus, Monasticis institutionibus in Claustro erudiebatur, qui postea multùm proficiens ad profectum Ecclesiæ, quod in pueritia didicerat cumulavit: is dum esset sub custodia, sicut moris est, Monachorum, quadam die acriter cœpit febricitari, & dum ardore febrium incenderetur, & prope duceretur ad exitum, à Fratribus, à quibus pro morum honestate tenerrimè diligebatur, deportatur ad tumulum S. Confessoris VVidonis, & fusa oratione pro eo cum fletu & suspiriis in eodem momento absque ulla dilatione surrexit incolumis, tanquam numquam fuisset vexatus febrium incendiis.

Alio tempore quidam Monachus, nomine Gerguinus, illa infirmitate, quæ Gutta appellatur, graviter fuerat occupatus, ut in ejus toto corpore vix aliquod sanum membrum reperiretur; & non solùm à seipso, verumetiam à multis de ejus salute desperabatur. Rogavit deferri ad tumulum prædicti Confessoris Christi, ubi dum jaceret prostratus humi, confestim facta oratione sanus effectus est, & gratias agens suo Salvatori, devovit se de cetero in obsequium B. Confessoris Christi VVidonis.

Quædam mulier gravem oculorum dolorem diutiùs passa, ad ultimum cœca effecta est, ita ut neque diem à nocte discerneret, neque aliquid aliud videre posset; adducitur suorum manibus ad sepulchrum S. VVidonis Abbatis, & cum magno singultu ejus auxilium postulans continuò lumen recepit, & quæ tristis venerat cum magna lætitia ad propria remeavit; reddens gratias Deo pro salute recepta, & fideli servo ejus Sanctissimo VVidoni.

Multa alia sunt, quæ Dominus Deus per Sanctissimum servum suum VVidonem quotidie operatur, quæ singula à nobis si scriberentur, & fastidium generarent lectori, & fortasse incredibilia viderentur. Et quoniam, sicuti supra diximus, ad alia tendimus, hæc, quæ de Sancto breviter diximus, ut sufficiant breviter rogitamus.

XX. ABBAS FRANCO.

HUic successit Franco, qui vivens in regimine mensibus octo exivit de corpore, & antequam moreretur in tam brevi spatio temporis quidam Baro, nomine Petrus, dedit Ecclesiæ S. Clementis & servitoribus ejus Castellum quoddam, quod vocatur Ripa, cum Ecclesia S. Salvatoris, & hoc donum confirmavit scripto per manus Franconis Abbatis.

1046.

XXI. ABBAS DOMINICUS.

MOrtuo isto Francone, successit Dominicus in regimine, qui electus in Abbatem ab omni Congregatione consensu Imperatoris Henrici, venerabilis Chuonradi filii, & datus ab Abbate ejusdem Monasterii in quo fuerat ipse professus. Instrumenta verò chartarum, & ea, quæ fecit in diebus Abbatiatus sui, incipiunt ab Anno Dominicæ Incarnationis millesimo quadragesimo sexto, de mense Septembrio. Quo anno, regni sui videlicet jam octavo, Rex Henricus vênit Capuam, & Domni Dominici confirmavit electionem. De quo quia plura sumus locuturi, licèt faciamus digressionem, ad ejus electionem quomodo facta fuit, & in Monasterio quid egerit, enarrare decrevimus. Fuit de Monasterio Sancti Fructuosi, quod appellatur Caput-montis, vir religiosus, & eruditus arte medicinali; pro qua multùm placuit Imperatori. Sapiens in rebus secularibus, valens in literis, & quod magis appretian-

tiandum est, solicitus erga salutem animarum Fratrum subjectorum sibi. Quem omnes Fratres Casauriensis Monasterii propter sui honestatem, prudentiam, & vitæ sanctitatem in Pastorem elegerunt, ipsamque electionem per manus Imperatoris, sicut supra diximus, scripto confirmaverunt. Quod electionis scriptum adhuc habetur in Monasterio Piscariensi, & sic est.

Scriptum Electionis Domni Abbatis Dominici.

„ IN nomine Summæ & Individuæ Trinitatis. Nos denique cuncti Fratres Venerabilis Monasterii Sanctæ & Individuæ Trinitatis, atque Sancti Clementis Martyris, quod ponitur in Casa-aurea, pari voto, communique consilio, à majore usque ad minorem elegimus & præelegimus Domnum Dominicum Venerabilem Sacerdotem & Monachum, qui quondam fuit de Monasterio S. Fructuosi Episcopi & Martyris, quod dicitur Caput-montis, ad regimen prædicti nostri Monasterii, secundùm præceptum Regulæ B. Benedicti; quia scimus eum, largiente Domino, castum, benignum, misericordem, doctumque lege Divina: nec non & consensu Domni Berardi Abbatis sui, simulque etiam Elelini Cancellarii prudentissimi Domni Enrici Imperatoris & Augusti tertii, ipsiusque pro fidelitate ac veneratione, cujus Monasterium prælibatum esse dignoscitur, & cujus etiam fidelissimus Abbas ipse probatur, nobis illum largitus est. His videlicet auctoritatibus roborati & conglobati, ut supra dictum est, ascivimus eum, atque promovimus ad Abbatis officium peragendum; ad utilitatem atque profectum nostri Monasterii, animarumque nostrarum salutem. Cui omnes in unum, amore Dei inspirati, suaque dilectione, promisimus obedire cunctis diebus vitæ nostræ secundùm præcepta Regulæ, suaque justa imperia, favente Christo. Et ut hæc nostra electio firmiter atque inviolabiliter permaneat, bono animo, spontaneaque, voluntate cuncti simul propriis manibus roborantes insignivimus. Quam verò electionem à nobis factam prædicto Domno Henrico gloriosissimo Imperatori nostro dirigimus, ut sua miseratione electum Patrem nostrum Imperiali dono, privilegiique largitate confirmet, quatenus à Deo pro hoc remuneretur, & à nobis omni in tempore fideliter veneretur, ac pro statu sui regni Deus Omnipotens nostris assiduis orationibus incessabiliter supplicetur.
„ Ego Frater Terremenolfo Monachus & Præpositus consensi.
„ Ego Frater Adelmari Presbyter & Monachus consensi.
„ Ego F. Oddo Sacerdos & Monachus in hac electione consensi.
„ Ego F. Angelus Sacerdos & Monachus in hac electione consensi.
„ Ego F. Adelbertus Monachus in hac electione consensi.
„ Ego F. Joannes Presbyter & Monachus in hac electione consensi.
„ Ego F. Joannes Presbyter & Monachus in hac electione consensi.
„ Ego F. Landulphus Presbyter & Monachus in hac electione consensi.
„ Ego F. Petrus Presbyter & Monachus in hac electione consensi.
„ Ego F. Azzo Sacerdos & Monachus in hac electione consensi.
„ Ego F. Azzo Sacerdos & Monachus in hac electione consensi.
„ Ego F. Ardo Sacerdos & Monachus consensi.
„ Ego F. Joannes Sacerdos & Monachus consensi.
„ Ego F. Petrus Monachus consensi.
„ Ego F. Todaldo Monachus consensi.
„ Ego F. Adelbertus Monachus & Presbyter consensi.
„ Ego F. Azzo Presbyter & Monachus consensi.
„ Ego F. Azzo Presbyter & Monachus consensi.
„ Ego F. Giso Presbyter & Monachus consensi.
„ Ego F. Petrus Presbyter & Monachus consensi.
„ Ego F. Joannes Presbyter & Monachus consensi.
„ Ego F. Benedictus Presbyter & Monachus consensi.
„ Ego F. Grimualdus Presbyter & Monachus consensi.
„ Ego F. Joannes Diaconus & Monachus consensi.
„ Ego F. Mainardus Monachus consensi.
„ Ego F. Azzo Monachus consensi.
„ Ego F. Giso Monachus in hac electione consensi.
„ Ego F. Amizo Monachus consensi.
„ Ego F. Tresedio Monachus consensi.
„ Ego F. Joannes Monachus consensi.
„ Ego F. Giso Monachus consensi.
„ Ego F. Joannes Monachus consensi.

Eodem anno quidam vir nomine Suppo quondam Timmonis filius, divinitus inspiratus pro anima sua & parentum suorum, concessit & tradidit per manus Domni Dominici Abbatis Monasterio Piscariensi, & Ecclesiæ S. Angeli, quæ sita est in monte, nomine Apriano, quæ etiam est Obedientia juris Ecclesiæ B. Clementis, quandam Ecclesiam in honore ac vocabulo S. Nicolai, in loco, qui dicitur Cornisia: juxta fluvium Gomanum constructam, cum omnibus rebus & possessionibus suis, terra videlicet modiorum centum quinquaginta sex, sicut testatur chartula traditionis ejusdem. Erant insuper eodem tempore duo fratres, viri nobiles & illustres, in Comitatu Aprutino, Adelbertus & Raimundus vocabulo, filii quondam Grimaldi, qui compuncti divinitus pro salvatione animarum suarum & parentum suorum, concesserunt & per chartulam tradiderunt Monasterio B. Clementis unusquisque portionem suam de Castello de Sancto-vetere nomine, unusquisque medietatem de ipso Castello, cum Ecclesia, quæ in honore Domini Salvatoris est ædificata, in loco, qui dicitur Presiano, & cum alia Ecclesia vocabulo Sancti Andreæ constructa. Et unusquisque eorum medietatem de Castello Vecclo, & de Castello & Pojo de Beczano, cum muris & carbonariis, cum Ecclesiis in eisdem ædificatis, cum omnibus rebus & dotibus earum, & cum omnibus ædificiis, & præeminentiis, & subjacentiis eorumdem castrorum. Quæ est terra videlicet modiorum mille ducentorum, per loca & vo-

& vocabula sua, quemadmodum in Chartulis exinde factis & testibus roboratis reperiuntur.

Post mortem verò supradicti S. Vvidonis Abbatis cùm quidam ex Fratribus Monasterii Piscariensis, sicut supra legitur, accessissent ad Henricum Imperatorem, pro Domno Dominico Abbate sibi substituendo per illos, & præcipuè per fratrem suum carnalem Domnum Guimarium religiosum Monachum cum supradictis Fratribus prædictæ electionis legatione functum, ab eodem magnifico Imperatore Adelbertus Casauriensis religiosissimæ vitæ Monachus, qui ut supra retulimus, Sanctæ Trinitatis Ecclesiam in Comitatu Valvensi, in vocabulo Placentro, construxerat, & eam in obedientiam Monasterii Piscariensis addixerat, privilegium impetravit de prædicto loco, in quo eadem Ecclesia posita est, qui Finianus dicitur, ut patet in privilegio Henrici Imperatoris sic descripto.

PRÆCEPTUM

Henrici Imperatoris de libertate & rebus Monasterii Casauriensis.

„ IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Henricus divina favente clementia „ Romanorum Imperator Augustus: Si servorum Dei petitionibus assensum præbuerimus, ad spem Divinæ remunerationis nobis „ profuturum esse non diffidimus. Quapropter omnium Christi nostrique Fidelium tam „ futurorum, quàm præsentium noverit industria, qualiter nos pro amore Divino animæque nostræ remedio, tam ob petitionem „ venerabilis Adelberti Monachi, quàm & „ germani sui Guimarii, de Ecclesia Sanctæ „ Trinitatis, & Sancti Quirici Martyris, in „ vocabulo Placentro, in Comitatu Balbense, „ ubi Finianus dicitur: Concedimus eis ad „ habendum & possidendum ipsum prædictum „ locum, tam ipsis, quàm & Abbati ipsorum. Ut nullus Dux, Marchio, Episcopus, „ Comes, aut Vicecomes, aut magna parvaque persona aliquam molestiam seu invasionem facere præsumat. Insuper concedimus eis prædictum locum Finianus cum „ introitu & exitu suo, quod est à capite, „ fine Serra de Barbarano, pede fine ipso Rigo de Placentri, de uno lato fine ipso valle „ de Fuge, ex alio latere Serra de Corviano, cum ipsa Furca cum omni pertinentia „ sua: & sunt in supradictis istis modiorum „ de terra quatuorcenti, & si amplius inventum fuerit, ad ipsam jam dictam Ecclesiam „ pertineat, cum terris, vineis, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, molendinis, cultis & incultis, omnia & in omnibus, & quidquid de prædicti Monasterii „ possessionibus Fiscus noster sperare potuerit „ ipsi pro æternæ remunerationis præmio concedimus. Et ut nullus mallaturam persolvat Advocato ejus, &c. *ut in superioribus Privilegiis*.

„ Signum Domni Henrici Secundi Romanorum invictissimi Imperatoris Augusti.

„ Henricus Cancellarius vice Herimanni „ Archicancellarii recognovi.

„ Data Calendas Januarii, anno Dominicæ „ Incarnationis millesimo quadragesimo septimo, Indictione decima quinta; Anno autem Domini Henrici Tertii ordinationis ejus „ decimo octavo. Regnantis quidem octavo „ secundi, Imperantis primo. Actum ad Columna civitatem in Dei nomine feliciter, „ Amen.

In secundo anno quo Dominicus fuerat Abbas Sancti Clementis institutus, contigit Henricum Imperatorem venire Capuam, cui prædictus Dominicus Abbas ad Sanctum Flavianum in Aprutio perrexit obviam, & impetravit privilegium protectionis, munitionis, defensionis, ad instar eorum privilegiorum, quæ data fuerant ab Antecessoribus suis. Quod privilegium servatur honorificè in Monasterio, & descriptum sic est.

1047.

PRÆCEPTUM

Henrici Imperatoris de libertate & rebus Monasterii Casauriensis.

„ IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, „ Henricus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Si servorum „ Dei petitionibus assensum præbuerimus ad „ spem Divinæ remunerationis nobis profuturum esse non diffidimus. Qua propter omnium Christi, nostrique Fidelium tam futurorum, quàm præsentium noverit industria, „ qualiter nos pro amore divino, animæque „ nostræ remedio, tum ob petitionem venerabilis Abbatis Dominici dicti Monasterii „ Sanctæ Trinitatis, & B. Clementis Martyris inibi quiescentis. In Comitatu quidem „ Pinnensi, in Insula, quæ Casa-aurea vocatur, juxta præcepta prædecessorum nostrorum Regum ac Imperatorum quicquid justè „ & legaliter visum est habere, Imperiali nostra auctoritate decrevimus corroborare, & „ confirmare quodcumque videlicet idem Monasterium videtur obtinere infra urbem Romanam, &c. *ut supra in aliis Privilegiis*.

„ Signum Domni Henrici Imperatoris Secundi Romanorum invictissimi Imperatoris „ Augusti.

„ Henricus Cancellarius vice Herimanni „ Archicancellarii recognovi.

„ Data tertio Idus Martii, anno Dominicæ „ Incarnationis millesimo quadragesimo septimo, Indictione decima quinta. Anno autem Domni Henrici Tertii ordinationis ejus „ decimo octavo. Regnantis quidem octavo „ secundi, Imperantis primo. Actum ad Sanctum Flavianum in Dei nomine feliciter, „ Amen.

1048.

Cùm quidam Litolfus quondam Ursi filius, eo tempore, idest anno Dominicæ Incarnationis millesimo quadragesimo octavo, Ecclesiam quandam in honore S. Petri, & S. Martini constructam, in loco, cui vocabulum est in Colle de Casalecclo, in pertinentia de Castellione, possideret, timens de die mortis, & æterno judicio, pro animæ suæ redemptione tradidit & judicavit ipsam Ecclesiam in Monasterio B. Clementis per manus Domni Dominici venerabilis Abbatis, cum omnibus rebus & possessionibus suis, & cum terra modiorum viginti quinque, sicut testatur chartula traditionis, exinde legitimè facta, & testibus idoneis roborata, Monasterioque Piscariensi feliciter porrecta.

1049.

1049.

In tempore hujus Abbatis, anno videlicet ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo quadragesimo nono. Quo etiam anno Domnus Leo Papa ordinatus est, Indictione secunda currente: Domno quoque Henrico Augusto imperante, quidam vir erat in Comitatu Pinnensi possessionibus opulentus, & divitiis floridus & potens, nomine Ottebertus, cognomine Fratellus, quondam Otteberti filius, qui compunctus gratia Spiritus Sancti pro remedio animæ suæ, & desiderio cœlestis regni, dedit Monasterio S. Clementis legitima largitione: primò quoddam Castellum suum vocatum Ripa de Prata, cum Ecclesia S. Sylvestri ibidem ædificata, & cum casis & ædificiis, & omnibus rebus & pertinentiis atque subjacentiis suis: & cum terra possessionis modiorum trecentorum per loca & vocabula, quæ in chartula reperiuntur. Dedit in eodem Comitatu & aliud quoddam Castellum, vocabulo de Sancto Mauro, cum eadem Ecclesia S. Mauri cum universis rebus, ædificiis, & tenementis, ac pertinentiis suis, & portu maris, & piscatione sua, & cum possessione terrarum modiorum mille. Fecit etiam de ipsis scripta, quæ servantur in archiviis publicis ipsius Abbatiæ. Fecit etiam inde solemnem investituram cum Adelasa conjuge sua.

Matrona quædam, Teodorada nomine, dives & honesta mulier, quondam viri clarissimi Luponis filia, conjux cujusdam illustris viri, nomine Johannis, filii quondam Transarici, eo tempore ferè ad mortem ægrotabat, quæ à prædicto viro suo consilium & licentiam accipiens condidit testamentum, in quo divinitus compuncta pro mercede animæ suæ, & pro suorum, & genitoris, ac viri sui peccaminum redemptione, concessit & tradidit in Monasterio B. Clementis de re sui juris, suæque proprietatis, videlicet terram in pertinentia de Castello, nomine Moscufo, loco nomine Talliano, modiorum ducentorum, & Ecclesiam ibidem in honore Sanctæ Justæ ædificatam, cum universis rebus & pertinentiis suis.

In Aprutio quoque quidam vir dives, nomine Tresejo, filius quondam Rammaldi pro animæ suæ salvatione donavit & tradidit, nec non per chartulam confirmavit quasdam res proprietatis suæ Monasterio B. Clementis: videlicet Castellum de Valeriano, cum Ecclesia in honore S. Juvenalis ibidem constructa, & cum omnibus ædificiis, rebus, & pertinentiis suis, & cum possessionibus per loca & vocabula in eodem Valeriano, & in Occiano, Pastenis, Casaria, Waldo, Moniano, Fabricia, terra nempe modiorum sexcentorum, sicut ejusdem donationis charta declarat.

In eo tempore, quo Normanni devastaverunt Apuliam, & non sua fortitudine sed vitio gentis subdiderunt sibi terram illam, Papa Leo nonus cum Romano exercitu contra eos exivit ad pugnam, & in ipso conflictu inferior amisit gentis suæ partem non minimam. Tunc ad eum perrexit Abbas Dominicus & impetravit ab eo privilegium contra Episcopos, Archiepiscopos, Comites, Barones, & contra omnes, qui in Monasterio Sancti Clementis aliquid juris, dominationis, potestatis, vel in Ecclesiis ad eundem locum pertinentibus vellent habere, nisi ab iniqua petitione, & voluntate cessarent, quòd excomunicarentur, & à liminibus Sanctorum segregarentur, benefactores à Deo exaltarentur, & eorum peccata dimitterentur. Iste fuit primus Abbas Piscariensis Cœnobii qui impetravit privilegium, sicut supra diximus, à Pontifice Romano, quod Antecessores sui vel habere non potuerunt, vel duxerunt pro minimo.

Privilegium hoc editum in tom. 6. Italiæ Sacræ loco suo iterum recudimus.

„ LEo Episcopus servus servorum Dei. Dominico Venerabili Abbati Ecclesiæ Sanctæ & Individuæ Trinitatis, quæ est in Insula Piscaria, quæ etiam Casa Aurea vocatur, ubi Corpus Beati Clementis Papæ, & Martyris requiescit, tuisque successoribus in perpetuum. Convenit Apostolatui nostro dignè petentibus benivola compassione succurrere, & poscentium animis alacri devotione impertiri suffragium; ex hoc enim lucri potissimum præmium à Conditore omnium Deo proculdubio promerebimur, dum piis petitionibus annuentes, ea quæ distorta, vel injustè sublata sunt, nostro pio fuerint sinè dubio moderamine restituta atque directa. Quapropter tibi, Frater carissime, quem magis bona Ecclesiæ tuæ in quantum possibilitas tua obtinet, augere, quàm minuere, vel destruere novimus, caritativa, ut oportet, dilectione in recta tua pulsatione aperimus ostium misericordiæ Apostolicæ, confirmantes, & corroborantes per sanctum summæ nostræ Sedis privilegium, sinè omni læsione, vel aliqua perturbatione obtinere Ecclesiam tuam omnia, quæ usque modò possedit, vel modò possidet, vel possessura est imposterum. Unde ex Apostolica Apostolorum Principis Petri, & nostra, cujus vicem gerimus, auctoritate præcipimus atque interdicimus, ut nullus sub nostri Apostolici regiminis jure degentium, scilicet, Imperator, Rex, Dux, Marchio, Archiepiscopus, Episcopus, Comes, vel Vicecomes, aut aliquis exactorum alicujus rei, tam Laicorum, quàm Ecclesiasticorum, aut magna, aut parva cujuscunque conditionis persona invadere, distrahere, violare, aut perturbare præsumat præfatæ bona Ecclesiæ in cellis & castellis, in villis, ac prædiis, vel possessionibus, & quæ ubique in pagis, vel territoriis quibuslibet præscripta legalia, vel per præcepta possidet regalia. Si quis autem contra hujus nostræ præceptionis privilegium .... præsumpserit, aut præsumentibus consenserit, aut fautor extiterit, & non potiùs observare in integrum studuerit, & nostram Apostolicam hanc præceptionem, interdictionem transgredi præsumpserit, sciat se auctoritate Beati Petri Apostolorum Principis, Cœlorum Regni Clavigeri, nostroque anathematis vinculo, innodatum, & à Regno Dei alienatum, atque cum Diabolo, & ejus atrocissimis pompis transgressorem, Sanctorum Patrum canonica traditione deputatum. Quoniam scriptum est, terminos Patrum nostrorum nulla auctoritate inlicitæ temeritatis transgredi præsumi; Et quia opportunitatis exigit ratio propter vos, & transgressores canonicæ correctionis debere fræno constringi. Illius insuper spirituali jaculo perdat animam, cujus temporali gladio Malchus amisit auriculam. Qui autem observator

„ tor extiterit, dicetur dono Apostolicæ benedictionis &c. BENEVALETE.
„ Datum X. Kal. Julii per manum Federici Diaconi, & Bibliothecarii, ac Cancellarii Sanctæ Apostolicæ Sedis, vice Domini Heremanni Coloniensis Archiepiscopi, & Archicancellarii, Anno D. Leonis IX. Papæ III. Indictione IV.

Duo quidam viri Hilperinus & Longinus potentes, & in possessionibus locupletes, inter duo flumina, Gomanum & Plumba, per loca & vocabula, nomine Maranello, Occiano, villa Mayna, Montesicco, in ipso Francisco, Perricara, Trejo, terram cultam & incultam modiorum duorum millium, & duas portiones de Castello Mortule, cum Ecclesiis & tenementis suis, dederunt pro animabus suis S. Clementi, indeque confirmationis chartulas legitimè facientes eas Piscariensi Monasterio feliciter obtulerunt.

Dominicus Abbas simul & Episcopus Valvensis.

PRæterea circa tempora ista dum Domnus Dominicus Abbas floreret in Monasterio, & fama ejus bonitatis ubique divulgaretur, contigit ut Ecclesia Valvensis proprio Pastore viduaretur; & quia sinè Rectore esse non poterat, iste solus ad eam regendam inventus est dignus. Quid multa? eligitur, consecratur, & Episcopus Valvensis, & Abbas S. Clementis insimul instituitur. In qua honoris celsitudine positus, monachilis non est oblitus habitus, sed servavit humilitatem, quam in Monasterio habere consueverat; pro qua humilitate, & Deo, & hominibus complacebat.

1056.

Igitur anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo quinquagesimo sexto, quidam Loterius, quondam Alberti filius, pro animæ suæ redemptione, suorumque parentum concessit & dedit, per chartulam confirmavit, Monasterio S. Clementis, in loco, qui nominatur Banio, medietatem de Castello de Sancto Eleutherio, cum ipso Pojo novem masis hominum, & terra modiorum octoginta, & cum ceteris rebus & pertinentiis suis, sicut ejusdem donationis chartula protestatur.

XXII. ABBAS BERARDUS.

PEr idem tempus cùm Domnus Dominicus Valvensis Episcopus, & Piscariensis Abbas, esset in laboribus constitutus, & fortiter ipsarum duarum Ecclesiarum vigilantia fatigaretur, volens onus suum alleviare, tantique ponderis adjutorem accipere, propterea maximè, quia de curis & tumultibus Episcopatus sibi jam tanta succreverant, quòd Abbatiæ regimen & negotia detrimentum pati, & minor ejus videretur profectus; habito consilio cum Fratribus, unum ex eis, Berardum nomine, sibi substituit, & ut suas ageret vices in regiminis, & Abbatiatus sede posuit, sibique nomen & officium Abbatis attribuit, reservata suo arbitrio summarum rerum potestate, & præcipuorum Monasterii negotiorum dispositione. Igitur Berardus cùm, sicut dictum est, nomen & officium Abbatis suscepisset, fecit cambitionem cum Gregorio Abbate S. Nicolai ad Trutinum, & dedit Ecclesiam, quam habebat Monasterio S. Clementis in Comitatu Aprutino, in loco, qui dicitur Vallisscupa, cum trecentis modiis terræ, & accepit Ecclesiam Sancti Mauri ad flumen, quod vocatur Tabe, cum totidem modiis terræ.

In sinu præterea montis, qui dicitur Ursa, fuerat præteritis annis in proprio fundo juris B. Clementis Castrum à supradictis Dominis Tocci ædificatum, in loco videlicet ubi erat lapidea area, indeque à suis constructoribus vocatum est castrum ipsum Lapidaria, quasi Lapidum Area, in cujus pertinentia fundaverunt in loco, qui dicitur Caprofica, Monasterium in honore Sanctæ Trinitatis; quod cùm contra Monasterium B. Clementis, & pro suo detrimento fuisset ædificatum, Domnus Dominicus Episcopus & Abbas fundatores ejusdem Ecclesiæ, videlicet Gerardum, & Suabilum, quondam Alberici filios, Tocci dominos, ab iniqua voluntate & præsumptione convertit, ipsamque Sanctæ Trinitatis Ecclesiam Piscariensi Monasterio subdere fecit: quam Ecclesiam de rebus & possessionibus eorum pleniter dotatam idem Episcopus cum Monachis Casauriensibus solemniter dedicavit, & in obedientiam Monasterii S. Clementis perpetualiter addixit & consecravit. Possessionum verò ejusdem Ecclesiæ quædam duximus exprimenda vocabulis: primò est ipse locus in quo ædificata est terra modiorum quadraginta quatuor: deinde possessionis terra per loca & vocabula simul collecta modiorum centum quinquaginta: deinde Ecclesia S. Viti, Ecclesia S. Cassiani, Ecclesia S. Mariæ de Pesile, Ecclesia S. Nicolai de Cardia, cum omnibus rebus & tenementis earum. Possessio dotis Sanctæ Crucis de Colle Rotundo, possessio de loco, nomine Guastu: insuper omnes homines de parte prædicti Suabili de Lapidaria, & de Tocco, & Cantalupo, & Valle de Caramanico, cum omnibus rebus & tenementis eorum, & debitalibus reditibus.

1061.

De quibus omnibus chartulas confirmationis facientes, per manus Domni Dominici Episcopi & Abbatis eas Monasterio B. Clementis feliciter obtulerunt, anno videlicet ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo sexagesimo primo. Quo anno Domnus Alexander Papa ordinatus est; à quo Domnus Dominicus Episcopus & Abbas literas impetravit contra malefactores Ecclesiæ S. Clementis; quæ descriptæ sic sunt.

DECRETALIS EPISTOLA

Alexandri Papæ II. contra malefactores Ecclesiæ S. Clementis.

„ ALexander Episcopus servus servorum Dei, nobilibus viris Trasmundo, Bernardo, Berardo, filiis Sansonis, salutem & Apostolicam benedictionem. Quoniam erga Monasterium S. Clementis piæ devotionis studium vos habuisse, & ad ejus honorem plerumque benefacta vos contulisse, à Confratre nostro Dominico Valvensi Episcopo, & ejusdem loci Abbate cognovimus, grates vobis & nostræ dilectionis benevolentiam per hæc scripta mandamus. Sed quia Deus ad finem bonæ operationis maximè respicit, & non incipientibus, sed in bona actione persistentibus, larga remunerationis præmia pollicetur & tribuit, rogamus, & „ ut

„ ut cariſſimos filios vos admonemus, ut in Dei ſervitio, & in amplificando honore „ præfati Monaſterii, veſtra fides & ſtudioſa „ devotio creſcat, conſilium, & ubi neceſſe „ ſit, adjutorium, veſtra nobilitas ſibi exhibere „ ſtudeat; quatenus per interventum B. Martyris Clementis divinæ protectionis gratia, „ & Apoſtolicæ benedictionis abundantia, in „ hoc ſeculo & in futuro vos protegat, & „ conſervet. Illud autem vobis & omnibus, „ qui inter vos ſunt notum eſſe volumus, quoniam quiſquis ad injuriam præfati Monaſterii ſe erexerit, & Abbati, qui nunc ibi præſidet, ſuiſve ſucceſſoribus in regendis & tenendis bonis Eccleſiæ contrarius extiterit; „ niſi à tam nefanda & ſacrilega temeritate „ ſe retrahat, & damna, quæ Eccleſiæ intulit, digna emendatione reſtituat, ſinè dubio „ Apoſtolicæ maledictionis, & diſtrictam noſtræ excommunicationis ultionem ſuper ſe venturam eſſe pertimeſcat, & ab omni „ Chriſtiana communione ſe ſeparandum eſſe „ expaveſcat.

1064

Item Anno Domini milleſimo ſexageſimo quarto Bernardus quidam dedit Eccleſiæ S. Clementis, cui ſupraſcriptus Berardus præerat. Sanctam Euſemiam de Caramanico, cum centum modiis terræ.

Ab hoc ſiquidem tempore cœperunt Fratres obliviſci Imperatoris Curiæ, & Normannis depopulantibus totas terras non valentes reſiſtere, primitus fuerunt ſubditi Roberto primo Comiti de Rotello, & poſt mortem ejus Ugoni Malmazetto, de cujus perſecutione, quam fecit S. Clementis Monaſterio, ſumus locuturi tempore ſuo. Illi, quos ſuperiùs diximus, in præſentia Ugonis Ducis tempore Chuonradi Imperatoris fuiſſe devictos, & accepiſſe Caſtella per manus Domni VVidonis Sanctiſſimi Abbatis ſub conditione ſervili, obliti juramentorum & Fidei, invaſerunt poſſeſſiones, munierunt Caſtella contra Eccleſiam, & ut ſecuriores eam poſſent opprimere, fecerunt ſibi alios dominos, quorum auxilio & virtute tenuerunt quod malè invaſerant, ad diminutionem loci & detrimentum totius Abbatiæ. Berardus verò, ut poſtea patuit, Divino (*) illis non potuit reſiſtere, quia Deus ad confuſionem terræ immiſerat ſuper eos Normannos, dominandi gentem avidiſſimam. Iſte ſiquidem Berardus Abbas non invenitur in agendis multa vel aliqua magna feciſſe, ſed pauca, & antequam multa poſſet operari, dedit ei Dominus finem vitæ. Sex annis rexit Monaſterium, deinde moriens ſubivit mauſoleum. Ponitur quoque inter Abbates poſt Domnum Dominicum, & poſt ipſum nomen ejus ſcribitur in Catalogo. Poſt cujus mortem Domnus Dominicus, quamdiu ſupervixit, ſicut antea curam habuit Abbatiæ.

1065.

In quo tempore in Comitatu Valvenſi Albericus, Johannes, & Benedictus viri Valvenſes, dederunt Sancto Clementi, & per chartulas confirmaverunt omnes poſſeſſiones ſuas in Caſtello de Pauperi, & in loco, qui dicitur Bocetum. Ipſo namque tempore, anno videlicet ab Incarnatione Domini milleſimo ſexageſimo quinto, Sanſo Rainaldi filius confirmavit per chartulam Sancto Clementi Eccleſiam Sanctæ Mariæ in Bleſiano, cum trecentis modiis terræ, & eam in obedientiam Monaſterii Piſcarienſis perpetuò ſubdidit.

Obitus Dominici Abbatis, & Epiſcopi Valvenſis.

Igitur Domnus Dominicus Valvenſis Epiſcopus & Piſcarienſis Abbas, in expletione vitæ ſuæ, & conſummatione dierum ſuorum in caritate radicatus & fundatus diligebat proximum tanquam ſeipſum, & Deum ex toto corde, tota anima, & tota virtute, in tantum, ut ſi tempus perſecutionis adeſſet, libenter pro Deo ſanguinem funderet, & quoniam martyrium non ſolùm eſt quod accipitur ſanguinis effuſione, ſed abſtinentia vitiorum, & carnis maceratione, longum traxit martyrium; qui quamdiu vixit mortificavit membra ſua ſecundùm Apoſtoli dictum. Et quia Deus volebat eum de terris ad cœleſtia trahere, in Abbatia, quam regendam ſuſceperat dedit ei finem vitæ, & voluit ut cum Sancto VVidone, cuius ſucceſſor extiterat, in uno eodemq; Sarcofago haberet locum ſepulturæ. Obiit autem quinto Idus Martii, tempore victorioſiſſimi Imperatoris Henrici, accepitque à ſummo Judice ſtolam immortalitatis, & coronam gloriæ, illi ſociatus in Cœlis, cujus ſucceſſor extitit, & in cujus ſepulchro meruit ſepeliri. Vixit autem in regimine Monaſterii Sancti Clementis Piſcarienſis viginti octo annis, menſibus ſex, diebus decem.

1072.

Eodem tempore Alexandro Papa defuncto, Ildebrandus Archidiaconus in Papam Gregorium eſt ordinatus, menſe Aprilis, anno Dominicæ Incarnationis milleſimo ſeptuageſimo ſecundo.

1073.

XXIII. ABBAS TRASMUNDUS.

Poſt obitum verò Domni Dominici Valvenſis Epiſcopi & Piſcarienſis Abbatis, cùm Fratres diutiùs nollent ſinè Rectore manere, ne res Eccleſiæ decreſcerent, cum Clericis S. Pelini, qui ſimiliter Paſtore carebant, Romam tetenderunt, & habito conſilio, cùm non poſſent ad Imperatorem ire, quia jam diſcordia & diſſidium inter Romanam Eccleſiam & Imperium Teutonicorum parabatur, ad præſentiam Apoſtolicæ Sedis proceſſerunt. Agnitis itaque cauſis utriuſque Eccleſiæ in Romana Curia, Traſmundus quidam Monachus, nobilis vir, frater Oderiſii, qui poſt Domnum Deſiderium fuit Abbas S. Benedicti, in electionem ejus utriuſque concordantibus & conſentientibus à Domno Papa Gregorio, & Monachis S. Clementis in Abbatem, & Clericis S. Penini in Epiſcopum honorabiliter eſt datus, anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti MLXXIII.

Qui Venerabilis Papa Gregorius in univerſali Concilio quod Romæ celebravit contra Normannos, & alios invaſores, de prædiis & poſſeſſionibus Monaſterii S. Clementis ſpecialem ſententiam multùmque timendam taliter promulgavit.

SEN-

(*) *Fortè addendum* judicio. *Dacherius.*

SENTENTIA A GREGORIO PAPA VII.

Promulgata contra pervasores possessionum Monasterii S. Clementis.

„ SI quis Normannorum, vel quorumlibet „ hominum, prædia Monasterii B. Clementis invaserit, vel quascunque res ejusdem Monasterii injustè abstulerit, si bis vel ter admonitus non emendaverit, excommunicationi subjaceat, donec resipiscat, & Ecclesiæ satisfaciat. Si quis prædia B. Clementis ubicumque posita in proprietatem suam usurpaverit, vel sciens occultata non propalaverit, vel debitum servitium exinde B. Clementi non exhibuerit, recognoscat se iram Dei, & S. Clementis velut sacrilegus incurrere. Quicunque autem in hoc crimine deprehensus fuerit eamdem hereditatem B. Clementis restituat, & pœnam quadruplum de propriis bonis persolvat. Quicunque Militum, vel cujuscunque ordinis, vel professionis persona, prædia Ecclesiastica à quocunque Rege seu seculari Principe, vel ab Episcopis, invitis Abbatibus, aut ab aliquibus Ecclesiarum Rectoribus suscepit vel susceperit, vel invasit, vel etiam eorumdem Rectorum depravato sententioso consensu tenuerit, nisi eadem prædia Ecclesiis restituerit excommunicationi subjaceat. Romæ in universali Synodo præsidente Beato Gregorio Papa ab eodem promulgata, ab universali Concilio comprobata.

Istæ verò literæ, quas inde fieri jussit, ab eodem Apostolico per eundem Domnum Trasmundum, à se jam Abbatem & Episcopum ordinatum, ad Conventum Ecclesiæ S. Clementis sunt destinatæ, ut observandæ perpetuò cum privilegiis in Piscariensi Monasterio reserventur. Igitur cùm Domnus Trasmundus Episcopus & Abbas esset ordinatus, regebat utramque Ecclesiam, & negotia utriusque separatim agebat, nam aliquando in Sancto Pelino, aliquando in Monasterio habitabat.

1074.

Cujus in tempore, anno videlicet Incarnationis Dominicæ currente millesimo septuagesimo quarto, Indictione duodecima, quidam nobilis & illustris vir, Obertus nomine, quondam Guidonis filius, pro remedio salutis animæ suæ quicquid sibi pertinebat de Castello, qui dicitur Petrace de Sancto Valentino, B. Clementis Monasterio tradidit, & per manus prædicti Abbatis confirmavit, indeque literas confirmationis fieri fecit. Abbas præterea Trasmundus ut sapiens vir, dum plus studeret in præsentibus quàm provideret futuris, in hoc facto Castellum, quod foris erat intromittens, ædificavit in Insula, & ipsum turre & mœnibus circumdedit, viros & mulieres habitatores ipsius Castelli instituit; transitum suum & habitatorum ejusdem ante portas ipsius Castelli communem fecit: hac nacta occasione, quia Toccenses infestabant habitatores exterioris Castelli.

1075.

Præter hæc etiam sequenti anno, qui est ab Incarnatione Domini annus millesimus septuagesimus quintus, Rainardus, supradicti Oberti filius, eodem, & simile ordine ac tenore quo & pater ejus, quartam partem sibi residuam de suprascripto S. Valentini Castello devoto animo S. Clementi obtulit, & chartulam confirmationis inde faciens Domno Trasmundo Abbati legaliter tribuit.

Iste siquidem Abbas cùm esset Episcopus, & Ecclesiam S. Pelini miro opere renovasset, & etiam S. Pamphili Sulmonensem Ecclesiam jam renovare cœpisset, quamvis possessionibus non exuberaret, imò, sicut supra notavimus, detrimentum pateretur, tamen non fuit contentus humilitate prioris Ecclesiæ, quæ fuerat ædificata à Ludovico Imperatore, in loco ubi ob hoc usque hodie dicitur ad Sanctos novos, ædificavit novam Ecclesiam, in qua coëgit manere congregationem, volens ibi si tempus haberet, & Deus vellet, transferre Beatissimum Clementem.

1076. 77. 78. & 79.

Veruntamen Deus ejus nisibus obstitit, & quod ipse præordinaverat ut homo, sicut in sequenti dicemus, evenire non potuit. Tunc siquidem volvebantur anni Dominicæ Incarnationis millesimus septuagesimus sextus, & septimus, & octavus. In tempore etiam Abbatis hujus & Episcopi, in anno videlicet ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo septuagesimo nono, quidam Spanus nomine dedit Monasterio S. Clementis pro remedio animæ suæ Ecclesiam S. Sylvestri, quæ est in Caramanico, cum tenementis & pertinentiis ejusdem Ecclesiæ, sicut in charta ab eo facta legitur.

Ugo namque Malmazettus videns novas munitiones fieri, & metuens ipsas fore impedimentum sibi, invaserat multa Castella, & munitiones, & maximam partem illius regionis, finxit se amicabiliter velle habere colloquium cum Abbate. Tetendit insidias, illumque improvisum, & minùs cautum comprehendit, in carcerem trusit, & tamdiu ligatum tenuit, donec omnia nova ædificia dirueret, & habitatores rebus & utensilibus spoliaret. Postquam omnia sicuti sibi placuerat demolitus est, Abbatem solvit, & liberum abire permisit. Qui rediens ad Abbatiam cùm eam nudam & bonis spoliatam videret, & unde posset vivere in ea non inveniret, tristis & verecundus, partim quia destructum videbat quod ædificaverat, partim propter dedecus quod sibi grave illatum fuerat, postquam per octo annos præfuit Abbatiæ, regressus est ad Sanctum Pelinum suum Episcopium, ibique paucis diebus postea vivens, reddidit carnis debitum, & moriens quinto Calendas Decembris, ibidem in Ecclesia S. Pelini meruit habere sepulcrum. Monachi autem in destructione Ecclesiæ quæ facta fuerat, ut prædiximus, ab Ugone Malmazetto in tempore Trasmundi Abbatis S. Clementis, & S. Pelini Episcopi, per diversa loca dispersi, quando potuerunt reversi sunt ad Monasterium, & ante Corpus Sancti Clementis, quæ pars sola Ecclesiæ cum quatuor tantùm veteranis Monachis integra remanserat, quos quatuor Monachos in ipsa Monasterii mutatione vixisse nostri majores tradunt. Quia nunquam recedimus à loco quem elegit Dominus, & in quo Dominus noster B. Clemens voluit requiescere, non enim sinè Dei nutu hîc Ludovicus Imperator Domino templum istud ædificavit, & ideo non aliter quàm corpus sinè anima poterit quis nos alibi transferre, quia potiùs mori volumus, quàm hinc discedere. Cetera enim præter locum ipsum, in quo supradicti quatuor Monachi ante S. Clemen-

mentem excubabant, vepres & urticæ occupaverant, conglobati sunt ipsi Fratres, & desolationem Ecclesiæ, depopulationem Monasterii lugentes, in dolore & ærumna ipso tempore permanebant.

1080.

XXIV. ABBAS ADAM.

Tandem quia sinè Abbate esse nolebant, unum ex suis, Adam nomine, ipsius Monasterii præpositum in sedem posuerunt, ejusque auxilio ad restaurationem Monasterii, si facultas ei daretur, desideranter invigilabant anno Domini millesimo octogesimo, Indictione tertia.

1081.

Anno igitur Dominicæ Incarnationis millesimo octogesimo primo, quidam Benedictus de Castello Poperi, in ejusdem pertinentia dedit S. Clementi quasdam possessiones. Et quidam Dodo Presbyter quasdam alias in pertinentia de Tocco, per loca & vocabula quæ in chartis inde ab eisdem factis, & Abbati Adæ attributis habentur.

1082. 83. 84. 85. & 86.

Elabentibus post hæc annis ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo octogesimo secundo, tertio, quarto, & quinto. Anno etiam Dominicæ Incarnationis millesimo octogesimo sexto, Indictione nona, quidam Ugo, genere Francus, pro anima sua & parentum suorum, dedit S. Clementi possessiones in territorio Teatensi, videlicet in pertinentia de Castello, quod dicitur Villamaina, sexaginta & sex modiorum, & faciens inde chartam confirmationis obtulit Monasterio, de quibus Abbas Adam fecit cambium cum Domno Rainulfo Teatino Episcopo, recipiens inde prope Monasterium in loco, qui dicitur Caniano, & ad Pontem Marmoreum, terras & vineas, & Plebanam Ecclesiam S. Petri, cum omnibus quæ sibi pertinebant. Refutavit etiam idem Rainulphus Teatinus Episcopus Ecclesias, quas antiquitus habet S. Clemens in Caramanico, & eas ab omni conditione, quas in eisdem se dicebat habere, liberas & absolutas Piscariensi Monasterio reddidit, sicut habetur in legalibus instrumentis inde compositis.

Verùm quia nondum purgata erat iniquitas, nec tempora illa advenerant, in quibus Ecclesiæ suæ Deus, quam ineffabiliter opprimi sciverat, misereri debuisset, Abbas Adam & Monachi S. Clementis vix erigere caput valuerunt, & inter hostes degentes, quasi hostes essent, de suis miserabiliter tanquam non de suis vivebant. Et quia nemo est ex omni parte beatus, Dominus Deus, qui Sanctis semper presto est, ipsum Abbatem Adam permisit carnea voluptate aliquantulum superari, pro qua re, sicut fertur, Abbatia tota magnum detrimentum sustinuit, & terras illas, quas Ecclesia S. Clementis habebat in pertinentiis Tocci pro ejus fragilitate irrecuperabiliter perdidit. Sex annis vixit in regimine, deinde migravit ex corpore.

ADENULFUS ABBAS INTRUSUS.

Post defunctionem ipsius tenebat Abbatiam quasi Capellulam unam prædictus Malmazettus, & non permisit quòd Monachi crearent Abbatem, imò præposuit illis quem voluit, & quamdiu sibi placuit, quendam Adenulphum non de ipsa Congregatione Monachum, quod Fratres sufferre non valentes ipsius Malmazetti præsentiam adierunt, & isto remoto de præpositura Monasterii, ut Abbatem sibi eligendi licentiam habere permitteret, rogaverunt; quos rumor insanientis vulgi in hoc opere aliquantulum juvit; qui omnes acclamabant contra illum tanquam contra dissipatorem Ecclesiæ, & Dei, & S. Clementis inimicum.

XXV. ABBAS JOHANNES.

Quid multa? datur eis potestas eligendi, & adjutorio divino elegerunt, & præposuerunt sibi Johannem quendam ejusdem Monasterii Monachum, religione & vita probabili notum, in cujus tempore magna Crux, quæ est in choro Ecclesiæ S. Clementis erecta, miro opere facta est atque depicta: quæ in magna veneratione tam à Fratribus, quàm à multis aliis habetur, eo quòd ad honorem pretiosi ligni Crucis Christi circa sibi devotos multùm sit exaudibilis. Fecit etiam Domnus Johannes Abbas trabem, ubi Salvatoris Yconas, & imagines Prophetarum & Apostolorum, passionem quoque Domini, & Agnum Dei, laudabili depinxit opere, ac in sublime levans super ejusdem chori januam ordinavit.

1093.

Sanè Dominicæ Incarnationis millesimo nonagesimo tertio, nobilis vir Rainerius, filius quondam Tribuni, obtulit Monasterio S. Clementis chartam quam fecerat de S. Gregorio quodam Castello, & de Ecclesiis, videlicet de Sancto Martino, S. Maria de Melano, & de Sancto Flaviano, cum possessionibus terrarum mille modiorum in Aprutio.

1094.

Currente igitur anno ab Incarnatione Domini Nostri Jesu Christi millesimo nonagesimo quarto: Circa tempora veri illa Domnus Johannes Piscariensis Abbas, pro morum honestate & sapientiæ prærogativa, meruit S. Pelini sublimari in Episcopum, & Valvensis Episcopus effectus, cùm videret persecutionem Malmazetti ingravescere, utile sibi credens esse consilium, cœpit Abbatiæ curam postponere, & magis de Episcopatu curare.

XXVI. ABBAS GILEBERTUS.

Malmazettus autem plus suum velle, quàm Dei beneplacitum nisus perficere, quemdam suum Capellanum Gilebertum nomine, sub specie miserationis, & revera, sicut postea in facto patuit, spe spoliandi misit ad Monasterium S. Clementis, & præfecit eum ibi, præcipiens palàm, ut curam gereret Abbatiæ, quomodo eam posset augmentare, clam insinuans, ut festinaret quàm citiùs posset eam ornamentis & vasibus aureis & argenteis spoliare. Suspicabatur enim Malmazettus insidias de Monachis S. Clementis, & timebat, ne, si Henricus Imperator, qui tunc temporis in Italia & Romæ potenti manu triumphare credebatur, ad has partes veniret, ob copiam eorumdem thesaurorum, Piscariense Monasterium reconvalesceret, & ad suæ libertatis excellentiam rediret. Quod & fortè contigisset, nisi esset propter metum ejusdem tyranni, & aliorum Normannorum, qui eis, & in tota

tota regione potenter & cum multo terrore dominabantur, & etiam quia idem Rex Henricus Ecclesiæ Romanæ videbatur inimicari. Ille Gilebertus suscepit imperium, tenuit in mente consilium, & appropians ad Monasterium intravit sicut lupus sub tegmine agni, paratus occidere, jugulare, deprædari, & paucis post diebus reversus est ad dominum suum cum infinita copia auri & argenti: abraserat enim cruces, fregerat thuribula & calices, nec pepercerat testis aureis & argenteis, quibus tecta videbantur verba Salvatoris; de quibus namque thesauris Piscariensis Ecclesia S. Clementis copiosè jam restaurata erat à tempore Sanctorum Abbatum, videlicet Domni Widonis, & Domni Dominici, & ceterorum qui inter bonos Abbates computantur. Invenerat enim ibi oves moribus simplices, ad occisionem magis paratas quàm ad vindictam, quas metu territans, sicut diximus, sub specie Pastoris spoliavit Ecclesiam. Quid facerent? Pastorem non habebant, thesauros perdiderant, circum circa hostes suos potentes in possessionibus Ecclesiæ debacchari cernebant, qui eis misereretur qui ferret auxilium non inveniebant.

Taliter obstricti, afflicti cucurrerunt ad Tyrannum, & quæ sibi acciderant, tanquam nescienti voce singultuosa retulerunt. Ille verò fingens se velle misereri, qui revera lætabatur cùm malefaceret, & exultabat in rebus pessimis, dedit eis licentiam eligendi, quem vellent; non reddidit eis thesauros, quibus Ecclesiam repararent. Verùm primitus accesserunt ad Domnum Johannem Episcopum, rogantes eum ut sicut antea curam gereret Abbatiæ, qui non acquiescens eis, dimisit Abbatiam, & tenuit Episcopatum.

XXVII. ABBAS GRIMOALDUS.

Erat quidam Monachus de Monasterio Sancti Vincentii, qui fama notus, nec multum literatus, de agricultura solicitus, & in rebus secularibus studiosus, regebat Præpositur am S. Petri de Trite: istum siquidem, nomine Grimoaldum, de consilio & auctoritate prædicti Domni Johannis Episcopi, Abbatem petiere sibi Fratres pauci numero, rebus pauperes, ad restaurationem domuum, & ad reparationem Ecclesiæ valde soliciti. Qui cùm sibi datus esset, & locum desertum, & facultatibus & habitatoribus denudatum videret, voluntariè esset reversus ad Ecclesiam, de qua sumptus fuerat, si potuisset. Non enim videbat, nec invenire poterat unde ruinas Monasterii reparare valeret; fecit tamen quod potuit, expectans ut Deus visitaret Ecclesiam meritis & intercessionibus Sancti Clementis.

Ugo Malmazettus, quem superbientem, & immoderatum, & pervasorem supra notavìmus (cui non sufficeret, si in manu haberet, etiam totus Mundus) postquam Barones exheredavit, fugavit, expulit, & Castella eorum & possessiones sibi usurpavit, ad altiora tendens, quoddam Castellum munitissimum, Preze vocitatum, qua posset arte rapere disposuit. Abstulerat enim Domino prænominati Castri quasdam alias munitiones, & laborabat adhuc sicut de pluribus fecerat, ut eum omnino proscriberet. Dominus autem Castelli sororem habebat pulcherrimam & sapientem nimis, quæ auditu solo cognoscens mores luxuriosi Malmazetti, mandavit ei clam quòd si vellet ad eam venire in convallem Castelli, haberet cum eo familiare colloquium, & si daret ei aliquem de suis Baronibus in maritum, faceret quòd ipse habere posset sinè sui læsione Castellum. Quod audiens Malmazettus gratulabundè suscepit, & ad locum quem ipsa posuerat cum paucis vênit. Puella verò fratri indicaverat promissionem adventus ejus, qui armatus cum militibus, & turba peditum secutus est puellam de longè, & inter dumeta occultè assequi suosque. Puella vênit ad eum, & inter oscula lenibus verbis decipiens, fecit, ut recumberet in sinu ejus. Pedissequa quam secum duxerat tenebat in gremio suo pedes ipsius, & dum puella cum lenone dulcibus alloquiis frueretur, abra involvebat circa calcaria longam camisiam, qua erat indutus, ut cùm tempus esset, & vellet consurgere, non posset, quoniam foret impeditus. Frater puellæ videns eum in gremio procumbentem sororis, cum armata equitum turba & peditum, ad locum cucurrit, eumque jacentem nec valentem citò consurgere comprehendit, ligavit, & antequam à suis posset auxilium habere in firmissima Castelli loca eum sub custodia posuit. Barones audientes quia captus esset Dei & hominum adversarius, unusquisque ad ea loca, quæ Malmazettus violenter ac fraudulenter rapuerat, cucurrit, obsedit, obtinuit, & tamdiu ipse in carcere jacuit clausus, donec totam terram quam invaserat liberam redderet; & ipse sicut decens erat, nudus & pauper non in suo, sed in alieno vitam miseram actitaret. Habebat septem filios de uxore, quos omnes Comites & Duces proposuerat in terra non sua sub brevi facere, & quid de se existimaret si longiùs viveret satis est ad cognoscendum facile. Verumtamen Deus, quem ipse offenderat, & B. Clemens, cujus domum subverterat, auro, & argento spoliaverat, eum non permisit quod cupiebat factis implere, immo fecit eum gravissima torqueri infirmitate, qua ipse detentus occubuit: & eodem anno quo mortuus est secuti sunt eum moriendo quinque filii sui. Sicque factum est, ut in Monasterio quod spoliaverat haberet sepulturam, in eo loco ubi olim imago S. Clementis stans depicta erat, in crypta videlicet, quam Domnus Grimoaldus Abbas ibidem ob ejus honorem construxit, atque depingere fecit ante januam meridianæ subditæ ipsius Ecclesiæ.

1097.

Sanè per idem tempus quidam Lieto, Presbyter de Tocco, fecit chartam traditionis & confirmationis Piscariensi Monasterio de Ecclesia S. Comitii (*) per manus Grimoaldi Abbatis, in anno Dominicæ Incarnationis MXCVII.

Satis laboravimus in relatione miseriarum & desolationis Ecclesiæ, in persecutione Ugonis Malmazetti, & ejus dejectione, & quia bonum Abbatem Dominus Ecclesiæ suæ contulit, qui ad restaurationem ipsius multùm laboraverit. Postquam de morte adversarii quamvis pauca referentes aliquantulum fatigati sumus, quiescamus paululum, ut recreati sequentis libri alacriori affectu sumamus exordium.

(*) *Fortè* Domitii. *Dacherius.*

Explicit Liber Quartus.

LIBER QUINTUS.

Electo itaque, & nondum consecrato Grimoaldo Abbate, post mortem nequissimi Ugonis, de quo superiùs pauca de multis memoravimus, surrexit alter nequior illo Wilielmus, Tassio (*) vero nomine dictus, quia & fraudolentus erat, ex nomine rapacis bestiolæ, & amator terrenorum, quod signatur ex proprio nomine. Wilielmus enim amator terrenæ sapientiæ esse cognoscitur, si hujus nominis ad purum Etymologia discutiatur; Wi enim Græcè, Latinè terra dicitur, *erma* Mercurius Deus sapientiæ, sive somni vocatur. Itaque Wielmus adjectione duarum semivocalium, terra sapiens, vel sapiens terram, idest, terrena, nuncupatur. Hic totam suam sapientiam in acquisitione terrenorum primitus posuit, & in tantum debacchari cœpit, ut malleus universæ terræ crederetur; & non solùm ab his, quos violenter sibi subdiderat, verùm etiam ab eis, qui longè positi erant, sola crudelitate timeretur.

Iste cùm teneret in Pinne Castellum Loreti, & in Balva Castellum Poperim, & sæpe contra vicinos & circummanentes bellum gereret, valida persuasione ac venenata promissionum dulcedine, prædictum Domnum Johannem Valvensem Episcopum illexit, & frudulenter attraxit, dataque sibi quadam infirmiore (**) prædicti Castelli Poperi, juravit ei manu sua, quòd si idem Episcopus concederet ei custodiam turris Bectorritæ S. Pelini, & turrim Insulæ S. Clementis, & ut per terram utrorumque Sanctorum, se suumque exercitum securè conducere, ut de ipsa pacem, & guerram vicinis suis posset facere, finitâ guerrâ, quam cum suis vicinis & maximè cum Marsicanis habebat, quam in brevi ex fortunatis bellis & consuetis victoriis se terminare credebat, non solùm ipsas munitiones redderet, verùm etiam totum Castellum Poperi cum munitionibus, & pertinentiis suis S. Pelino & S. Clementi, tanquam rem juris eorum ex integra largiretur. Abbas enim Grimoaldus ipso tempore, sicut Vicarius prædicti Episcopi, donec consecraretur, Abbatiam gubernabat. Hac igitur sponsione, talique juramento dexteræ Wilielmi Johannes Episcopus securus factus, simplici animo, & sicut innocens, qui credit omni verbo, concessit ei unde postea deceptus fuit. Nam non post multum tempus ex tali intromissione cepit sibi Wilielmus Tassio ambas Ecclesias Sancti Clementis & Sancti Pelini, & terras earum tanquam proprias vendicare, & ex toto, qui à se prædictis munitionibus potentem videbat, suppeditaret. Ex hujus itaque gravamine Grimoaldus aliquantulum coartatus, quia neque ad Imperatorem ire, neque quò maneret Imperator noscere poterat (Normanni enim, qui totam terram illam invaserant, nec nomen Imperatoris audire volebant, nec ad illum quempiam ire sinebant) quid ageret nesciebat, quia destructionem suæ Ecclesiæ, & eversionem quotidie videns, & reædificare diruta non valens, ad lamentum potiùs, quàm ad delectationem corporalem provocabatur, totam tamen spem suam in Deum posuit, & ei humiles preces fudit, ut pacem Ecclesiæ redderet, & inimicos, qui superbum caput extulerant, humiliaret.

Eodem tempore miseratione divina Ecclesia Romana bonum Pastorem habebat, Christianitatis amatorem, & Fidei defensorem, Sanctum Urbanum. Hic dolens, quia Saraceni occupaverant Sanctam civitatem Hierusalem, & Sepulchrum Domini, volens eam eripere de manibus impiorum, & reddere pristinæ libertati, prædicavit remissionem peccatorum, & vice sibi tradita à Deo omnibus dedit quicunque Hierusalem tenderent, & civitatem & terram transmarinam, quæ à Sarracenis possidebatur, liberarent. Adjiciens etiam hoc, ut si quisquam in via, sive in pugna, pro Christo moreretur, in numero Martyrum absolutus ab omnibus peccatis suis computaretur. Et dum totus Mundus post eum curreret avidus remissionem peccatorum accipere, & in numero Sanctorum Martyrum esse, contigit, ut hoc prædicans prædictus Summus Pontifex devenerit Thyetum, ibique perendinans non multis diebus, cum Episcopis & Baronibus de via Jerosolomytana habuit commune colloquium. Quod agnoscens Grimoaldus accessit ad eum, & expositis calamitatibus Ecclesiæ suæ, & destructione funditus; cum maxima reverentia à prædicto Papa Urbano susceptus est, & sub protectione Romanæ Ecclesiæ, quam hactenus Abbatia Sancti Clementis ignoraverat, quia ab Imperatoribus gubernabatur, meruit collocari.

1098. 99. 1100. & 1101.

Hic primus ab illo in Abbatem consecratus, baculum pastoralem in loco sceptri regalis, quod Antecessores sui, & ipse ex dono Imperatoris in dextera portabant, sucepit: & ex illo tempore cœpit securus intentus esse ad restaurationem Ecclesiæ & ædificiorum, ad reparationem possessionum perditarum: virgulta jam erant nata in ruinis Monasterii, quæ fecit extirpare, & novos parietes erigi, & brevi spatio temporis, adjuvante sibi gratia Salvatoris, & meritis S. Clementis, reparavit Ecclesiam & officinas Monasterii, non in eo statu quo antea fuerant, sed sicut posse sibi datum est, & melius existimavit. Sanè quando ista fiebant, anni Dominicæ Incarnationis volvebantur, videlicet millesimus nonagesimus octavus & nonus, & millesimus centesimus, & centesimus primus.

1102.

Præterea in anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo centesimo secundo, fecit idem Abbas conventionem cum nobilibus viris de Marchia, videlicet cum Garendo Comite de Camerino, & cum filiis Gozoni, & aliis hominibus, quorum nomina in chartis inde descriptis reperiuntur, de possessionibus in Camerino, & in territorio Firmano, videlicet in Lauro, Monte Opterami & Vestiniano, per loca & vocabula earumdem, & census quos annuatim inde ordinavit, omnia in ipsis in-

(*) *Sive* Taxo, *&* Taxus, *alias melles*. *Dacherius*.

(**) *Fortè* parte. *Dacherius*.

instrumentis chartarum descripta manifestiùs habentur. Item Castellum de Faball, quod olim duo fratres Cono & Sanso tempore Domni Dominici Abbatis per chartulam Piscariensi Monasterio dederunt.

1103.

Comes Riccardus de Manuplello in anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo tertio, rursus de ipso Castello chartulam traditionis per manus Domni Grimoaldi Abbatis fecit S. Clementi sicut suum fore, & ex suo dono illud largiretur.

Wilielmus igitur Tassio, qui secunda persecutione post Malmazettum in possessionibus S. Clementis & vicinorum magnâ violentiâ grassabatur, nescio quo ductus spiritu transmarinas partes adire voluit, & quod malè invaserat non dimittens quietum quibus abstulerat, sed magìs impediens, vendidit Riccardo Comiti domino Manuplelli Abbatiam S. Clementis, Poperim, & Episcopium S. Pelini, pro mille bizantiis. Riccardus verò Comes cupidus Imperii, postquam emerat ab illo, qui sibi vendere non poterat jura Monasterii, cum magno Comitatu Insulam Piscariam vênit, & ibi tabernaculum suum fixit, & quamdiu sibi placuit ibi manens, postquam bona Ecclesiæ superfluè convivando consumpsit, cùm vellet regredi, dixit Abbati: *Nolo te latére, Abbas, quia nos mercatores idcirco tradimus aurum, ut accipiamus duplum, idcirco damus nostram pecuniam, ut ab his quæ emimus triplici cum usura acquiramus eam. Novisti quia ego emi istam Abbatiam cui præes cum aliis paucis, mille bizantiis; volo ut in præsenti mihi restituas quod ad te pertinere videbitur de suprataxata pecunia; nolo ut me facias irasci contra te aliqua morula, statim solve quod præcipio, quia te expectare vel ad momentum nec possum, nec volo.*

Cùmque Abbas humiliter responderet se pecuniam non habere, & ei ostenderet ruinas parietum & destructionem Ecclesiæ, ille furibundus, & extra se raptus, nec cedens Deo, nec honorem exhibens Martyri venerando, in hæc verba prorupit: *Si in tibi posita die pecuniam prænominatam integro pondere non attuleris, ruinas, quas monstravisti, complebo, & postquam omnia destructa fuerint, quæ fecisti, totius Insulæ cum omnibus pertinentiis suis depulsis habitatoribus dominabor.* Hæc dicens iter arripuit, & proculdubio facturus quod promiserat, si sibi licuerit.

Quid facies, Grimoalde Pater? rabies furibundi nunquam sedatur, nisi des quod postulat aurum. Quantus dolor, quanta miseria! Abbatia, quæ hactenus fuit Imperialis Camera, modò datur pro pretio, sicut à mercatoribus venditur vilis ancillula. Ubi sunt fastus regales? Ubi sceptri magnificentia? Omnia ex te ceciderunt, sub jugo posita es, non es libera, ille te liberet, cujus in te continetur gleba. Quid multa? statuta die, communicato consilio cum Fratribus habitatoribus loci, cùm habere non posset impositum sibi pondus auri, colligit animalia & pecora omnia, quæcunque potuerunt in possessionibus inveniri, & sumptis matribus cum vagientibus parvulis tetendit ad ædes tyranni, & quæ duxerat offerens, dixit ei: *Hæc sunt unde debent vivere pauperculæ mulieres istæ cum suis liberis, parce, ut pareat tibi Deus, noli terram S. Clementis in desertum redigere, depulsis habitatoribus loci, scias pro certo, quia si haberemus quod postulas, nulla esset cunctatio in reddendo, quia non volumus te nostro pro facto ad iracundiam provocare.* Ille verò, cujus animus igne succensus erat avaritiæ, non judicavit Abbatem dignum responsione, imò extendens manum ad munera suscepit boves & pecora, nec illi dimisit ex omnibus, nec pueris, nec eorum matribus unde possent sustentari die una.

Abbas Grimoaldus reversus est ad Monasterium præda dispoliatus, & magìs dolens pro cultoribus agrorum, quàm pro se vel Fratribus convertit preces ad Dominum, & effusus ante corpus S. Clementis dixit: *Domine memento nostri, etenim expectavimus, esto brachium nostrum in mane, & salus nostra in tempore tribulationis. Non gaudeat inimicus tuus diutiùs de præda, quam fraudulenter abstulit famulis tuis: ostende virtutem tuam pro Ecclesia tua, ne ei dicatur:* Ubi est Deus tuus? His dictis siluit, & quod esset facturus expectavit; credebat enim fiduciam habens in Domino, quia Deus esset pugnaturus pro loco suo. Vênit dies, in qua præfatus Comes Riccardus solemnes sibi jusserit epulas præparari, & sedens in palatio, cùm jam pæne plenus esset ferculis, quæ multa sibi fieri jusserat de præda S. Clementis, cùm adhuc ad mensam sederet cum Baronibus suis, vindictam Divinam sensit adesse sibi. Nam quædam persona terribilis ei soli apparuit, induta veste Sacerdotali, & cum clava, quam manu gestabat, super caput illius maximum ictum dedit; quo ictu ipse statim & visum & auditum perdidit, & ejulans magna voce ad proprium lectum advectus est manibus servulorum. Et cùm inquireretur à mulieribus quid haberet, quare tam subitò exclamavisset, ille recuperato auditu dixit: *Non videtis quod video? Iste Presbyter, qui hìc astat, cum mazuca (*) confregit uno ictu tempora mea, & elevato ictu si me iterum percusserit, protinus egrediar de præsenti vita. Clemens noli me percutere, noli Clemens:* in his vocibus expiravit, & sensit quia ille non dormit neque dormitat, qui suos semper & ubique custodit. Fama autem hujus facti licèt silentio premeretur, diutiùs celari non potuit, & tantum gaudium in corde bonorum crevit de hoc, quòd Deus lachrymas servorum suorum non tradiderat oblivioni, ut qui lugubrem vitam ducebant, suis bonis expoliati consolationem susciperent pro vindicta & morte inimici. Uxor ejus, quæ vidua remanserat, quamdam partem de his, quæ maritus ejus abstulerat, reddidit Grimoaldo Abbati, & filium suum ita castigatum & præmonitum tenuit, ut Abbatiæ Insulæ Piscariensis nihil mali faceret quandiu mater ejus vixit. Post mortem matris, oblitus monitorum ejus, ad mores patris revertens genitorem suum malitia superavit.

Mortuo autem Sanctæ recordationis Urbano Papa, Paschalis Sede locatus Pontificali meruit infula decorari. Qui mittens unum de Cardinalibus suis, Augustinum nomine, vice Legati, præcepit ut Attonem Comitem, qui propria ac legitima uxore relicta, & ea viventе sibi alteram duxerat, Rogatam videlicet uxo-

(*) *Clavum dixit supra Gal. Massua.* Dacherius.

uxorem defuncti Malmazetti, excommunicaret, & tamdiu extra Ecclesiam esse faceret, donec illam, quam malè tenebat, relinquens, pro reatu satisfaceret, & quos malè faciens suo exemplo læserat, pœnitens ad satisfactionem provocaret. Qui Legatus ad Insulam Piscariensem, in qua Monasterium S. Clementis est, devênit, ibique maximo cum honore susceptus, juxta præceptum Domini Papæ prædictum Attonem excommunicatum ad satisfactionem provocans, pœnitentem recepit, Ecclesiæ reddidit, & ne ultra ad peccatum rediret illud, pro quo sententiam excommunicationis acceperat, jurare fecit.

Hic dum familiariter in Monasterio cum Abbate & Fratribus maneret, & de statu Ecclesiæ & reliquiis, quæ in eo continebantur, requireret, audivit Corpus B. Clementis ibi tumulatum jacere, sed ad hoc credendum nulla potuit provocari ratione, donec Abbas ei promisit quia ostensione ejusdem Sacrosancti corporis ipse dubius dubio faceret fidem dictis. Adveniente itaque B. Clementis festivitate, & eodem Cardinali præsente, solemniter, ut moris est celebrata, vênit nox; Fratresque, sicut mos est, post Completorium petiere cubicula, & Abbas duos de Fratribus, & duos de famulis suis, de quorum fide & religione minimè dubitabat, in Ecclesia latenter jussit manere, donec in media nocte, accensis luminibus, & obseratis portis firmiter super se, datis sibi ferramentis frangerent tumbam, quæ erat post altare, & diligenter inquirerent, donec invenirent quod sufficeret & incredulitati Cardinalis, & multorum dubitationi. Qui parentes mandatis fregerunt tumbam, & invenientes vacuam timuerunt supervacaneum esse laborem suum, & fallacem assertionem Monachorum.

Inventio Corporis S. Clementis.

Tandem animati ruperunt pavimentum, ibique nihil invenientes, fregerunt secundum, & facto foramine, tanto subitò sunt repleti odore, ut putarent se in Paradiso Dei astare; tantusque sonitus auditus est ex percussione secundi, ut videretur illis, qui præsentes aderant ibi, corruisse totum Monasterium fractis parietibus cunctis. Cùm autem tremefacti instarent labori, & avidi contemplari cœlestis thecam thesauri, invenerunt subitò quod desiderabant, pretiosum corpus venerabilis Martyris Christi & Romani Pontificis S. Clementis in vase alabastri, in quo illud posuerat cautela & providentia venerandæ memoriæ Imperatoris Ludovici. Quod videntes, vas tangere non fuerunt ausi, sed statim nunciaverunt Abbati quæ viderant, quæ audierant, quæ invenerant, & quæ contigerant illis. Qui excitus à somno confestim surrexit de stratu suo, & convocatis Fratribus & Cardinali, cum timore & reverentia accesserunt ad locum, & facta primitus oratione, cum singultu & lachrymis aperuerunt thecam thesauri, & invenerunt titulum aureis literis scriptum:

HIC JACET SANCTUS CLEMENS PETRI DISCIPULUS, ET A PETRO PAPA SECUNDUS, QUI JUSSU TRAJANI IMPERATORIS ANCHORA AD EJUS COLLUM LIGATA, FUIT IN PELAGO MERSUS.

Quem titulum cùm legeret Cardinalis, ejus facies illico est perfusa ubertim profluentibus lachrymis, & procedens ad cetera, cùm pro certo cognovisset, quòd ibi S. Clemens jaceret, in laudibus prosilivit, incipiens: *Te Deum laudamus*; quod Fratres cum jubilo cantaverunt, & ad finem usque, exultantibus Angelis, & præsentibus Martyribus Sanctis, ipsum *Te Deum laudamus* modulizando perduxerunt. Quod factum vicinos latêre non poterat, sed ad hoc spectaculum omnis sexus occurrit; & tanta fuit hominum multitudo, ut arenæ maris posset æquari.

Cùm autem coram cunctis singillatim membra Beati Viri nec unum os deesse conspicerent, invenerunt etiam de carne B. Petri, & unum de dentibus S. Pauli; Titulum etiam ad confirmandam veritatem scriptum similibus literis: *Hic dens est de dentibus S. Pauli, qui fuit raptus usque ad tertium Cœlum; & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Caro verò B. Petri ita mollis effecta erat, quasi lana munda, & quando constrinxit eam Cardinalis cum manu dextera, videbantur sibi quasi nihil esset in palma; quando aperiebatur ipsa manus caro revertebatur ad quantitatem, quam habuerat antea. Videns autem Cardinalis magna mirabilia Dei, credidit quod priùs non credebat, esse videlicet ibi B. Clementem corporaliter, & in virtute spiritualiter, & remeans retulit quæ viderat summo Pontifici, Domno videlicet Papæ Paschali, & omnibus Concardinalibus suis, qui unanimiter reddiderunt gratias Salvatori, qui non frustratus fuerat Italiam Romano Pontifice, Sancto scilicet Clemente reverendo Martyre.

1104.

Facta est igitur hæc ostensio pretiosissimi corporis gloriosi Pontificis & Martyris Christi Clementis, post festum ejusdem altera die, idest octavo Calendas Decembris, anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo quarto, Indictione decima tertia, à conditione verò Monasterii Casauriensis . . . . (*)

Elevatio corporis S. Clementis.

Abbas verò Grimoaldus ultra modum lætus effectus, quia certus erat inde unde multorum dubitatio eum aliquantulum dubitare compellebat, construxit altare, & in die statuta coram maxima multitudine convocato Episcopo Valvensi, nomine Gualterio, qui supradicto *Domno Johanni Episcopo, & Piscariensi Abbati, in Pontificatu successerat, cujus Domni Johannis Episcopi & Abbatis obitus inscribitur octavo Idus Augusti, collocavit idem Præsul Gualterius in eodem altari Sacrosanctum Corpus Clementis Papæ & Martyris integrum totum, sicut traditum fuerat Ludovico Imperatori, exceptâ unâ particulâ, quæ ad recordationem posterorum, & certitudinem præsentium, & remedium ægrotantium, quæ etiam conservatur in locello argenteo, in quo honorificè custoditur, & quoties necessitas ingruit, trahitur non sinè remedio.

1105.

Postquam altare fuit clausum, & bene signatum plumbo & ferro, dedicavit illud præfatus Episcopus, jussu Grimoaldi Abbatis, quinto decimo Calendas Novembris, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quinto.

Nam

(*) *Hæc lacuna stabat in Manuscriptis.* Dacherius.

Nam in ejusdem altaris mensa facta est effossio, ubi Cassulam quorundam Sanctorum pretiosissimas Reliquias continentem deposuerunt, & paginulam literarum talem scripturam habentem: *In anno millesimo centesimo quinto, & die mensis Octobris stante quarto decimo, per Indictionem quartam decimam, peracta est consecratio altaris majoris B. Clementis Martyris Monasterii, in honore Sanctæ Trinitatis, & Beatæ Dei Genitricis Virginis Mariæ, & Sancti Vincentii Martyris, & B. Egidii Confessoris, à me indigno Vualterio Episcopo Balvensis Ecclesiæ, cujus prædicti Monasterii Grimoaldus maximus Abbas hoc in tempore regimen siquidem nutu Dei tenere videtur, unà cum Monachis suis, & sequacibus omnibus, astante illic Præposito Berardo Monasterii S. Liberatoris, vel plurimis aliis maximis hominibus, Regenteque jussu Dei Apostolicam arcem Romanæ Urbis Paschali gloriosissimo etenim Papa*. Quæ dies festiva ducitur per singulos annos, tam à Clero, quàm à populo, & remissio fit omnibus advenientibus de pœnitentia sumpta criminalium peccatorum integer annus, & quadraginta dies de venialibus. Ipso namque anno quidam Sulmonenses, Otto & Johannes, dederunt suas possessiones quascumque habebant Piscariensi Monasterio. Otto factus Monachus ejusdem Monasterii quamdiu vixit placere Deo studuit in sancta conversatione. Supradictis itaque ac aliis modis clarificavit Dominus merita Beati Clementis, ad correptionem præsentium, & eruditionem futurorum, ostendens eum in Monasterio Piscariensi esse reconditum.

Erat tunc temporis consuetudo, &, ut veraciùs dicam, religiosa devotio, ut omnes de circumadjacentibus Castellis, tam majores, quàm minimi, ob reverentiam gloriosi Martyris in Cimiterio B. Clementis ex hoc Mundo transeuntes sepelirentur.

Grimoaldus Abbas intuens multa mirabilia suo tempore sæpissimè fieri, magìs & magìs proficiebat in timore Dei, & quæcumque ex redditibus Ecclesiæ, vel bonorum virorum largitione congregare poterat, non parentibus tribuebat, sed ad decus Ecclesiæ in ornamentis & utensilibus expendebat. Fecit namque à Septentrionali parte Monasterii juxta latus Ecclesiæ palatium ad habitationem Abbatum, & cameras ad deponendas res & substantias Monasterii; quod palatium variis picturis & quibusdam historiis de veteri Testamento decoravit. Fecit crucem argenteam appendentem quindecim libras argenti, quæ à sinistris choriante altare fixa, ob reverentiam Dominicæ Passionis à populis debita veneratione coleretur. Fecit & calicem aureum appendentem libram auri purissimi, in quo mysteria Dei magnis festivitatibus conficerentur. Fecit & textum argenteum, qui expanderetur vel aperiretur super altare Dominicis diebus, & in Festis Sanctorum. Crucem verò magnam, quam Gilebertus abraserat argento, imagine ac passione Salvatoris depingere simul & decorare fecit. Iste Vir Sanctus quamvis esset & carnis munditia, & honestate vitæ consors Sanctorum habitantium in secretis cœlestibus, non tamen poterat dignoscere, nisi Deo sibi revelante, diem sui obitus. Dum autem esset valde solicitus de augmento Ecclesiæ sibi commissæ, ut sui moris erat, audivit quia Henricus Imperator, Henrici filius, Romam advenerat, ad quem dum ire obviam properaret, in Monasterio S. Vincentii, unde sumptus fuerat in Abbatem, hospitium habuit, ibique correptus infirmitate, Deo jubente, finem vitæ suscepit, sepultusque est in eadem Ecclesia cum Fratribus suis. Vixit autem in regimine Piscariensis Monasterii decem & septem annis, mensibus octo, diebus undecim, clausitque ultimum diem tertio nonas Septembris, anno Dominicæ Incarnationis (*).

XXVIII. ABBAS ALBERICUS.

Post hunc cùm levaretur Giso, essetque aliquantis diebus electus ob malevolentiam Fratrum, quia videbatur violentia Comitum Manuplellensium impositus, & quia Fratribus cœpit dominari ferociùs, quàm deberet, studeretque plus timeri, quàm amari, cessavit: & sic Domno Grimoaldo successit Domnus Albericus ejusdem Abbatiæ Monachus, quondam verò Præpositus, priùs equidem pro sua honestate & sapientia in Episcopatum Teatinensem electus extitit, sed quia adversarios habebat quosdam, maluit Abbas, quàm Episcopus esse.

1110.

Quando verò ejus electio facta fuit volvebatur annus Dominicæ Incarnationis Millesimus centesimus decimus; tenebatque tunc temporis in Tete Abbatiam S. Joannis de Arclano & Pinne S. Mariam de Piczano, indeque à Monachis & populo terræ S. Clementis honorificè fuit adductus, atque electus; & ita consecratus à Domno Paschali Summo Pontifice, suscepit curam pastoralem in baculi traditione.

Ejus in tempore adversarii, qui tenebant bona Ecclesiæ, ut audierunt adventum Henrici Imperatoris, cognoscentes animum Alberici Abbatis promptum in quantum posset ad sese vendicandum de eis, convocavere finitimos & longè remotos de sua cognatione, & habentes commune colloquium, ex consilio venerunt ad Abbatem Albericum, & illa Castella, quæ illi de Ecclesia tenebant, quieta ei reddiderunt in sua miseratione sine ulla retentione, parati ad juramentum, ad fidelitatem, & omnia quæcumque Abbas sibi præciperet facere. Qui postquam triduò ipsa Castella in manu sua tenuit, sumpto consilio ab eis, qui pavidi magìs erant parati ad persuadendum ut daret, quàm ut retineret, eadem Castella eisdem Baronibus interposita quadam conventione reddidit, ut ipsi jurarent & fidelitatem promitterent, ut nunquam per se, neque per aliquem, quem possent repellere, Ecclesia S. Clementis eadem Castella, vel alias possessiones, & modò possideret, vel acquirere posset, ulteriùs perderet, & si insurgerent adversarii, ipsi essent ad comprimendum adjutores fidelissimi. Constituerunt etiam dare censum annuum pro recognitione decem bisanzios; & si controversia de his oriretur, quæ supra diximus, ille, per quem fuisset orta, mille libras auri purissimi persolvere ad profectum Monasterii cogeretur. Hoc juravit Gentilis de Colle Petri, qui tenebat Castellum Pesculi, & Carusanum, & Olivulam, & Sanso, &

(*) *Annus in MS. deerat, fortè* 1110. Dacherius.

& Rainaldus, filii Remedii, & Temmarius filius Temmarii, & Sanso filius Theodini, qui tenebant Castella ista, videlicet Bittorritum, Castellionum, Roccam de Soti, Corvariam, Petraniquam. Fecerunt etiam, ut eorum filii essent homines Ecclesiæ fideles & legitimi in manus Alberici Abbatis, & tenerent ipsa Castella usque ad tertiam legitimam generationem; & finita tertia generatione legitima & masculina, ut est consuetudinis illius terræ, ipsa Castella quieta & libera reformarentur Ecclesiæ.

IIII.

Hoc juramentum, & hanc fidelitatem coram Episcopis istis, VValterio Episcopo Valvensi, VVilielmo Teatensi, Herberto Pinnensi, & Venerabili Berardo Præposito S. Liberatoris, & multis aliis bonis viris, qui præsentes aderant, fecerunt, & scripto mandare ad notitiam posterorum præceperunt; Illi, qui sacramentum fecerunt, superiùs sunt nominati, filii eorum, qui hominium fecerunt Abbati, sunt: VValterius filius Gentilis de Colle-Petri, hominium fecit Alberico Abbati, & Berardus filius Sansonis, & Temmarius filius Temmarii, & VVilielmus filius Rainaldi. Et hoc factum est in anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo undecimo.

Albericus autem Abbas duobus annis transactis in regimine, in tertio accepit finem vitæ, sepultusque est in Monasterio S. Clementis cum Fratribus suis, duodecimo Calendas Novembris.

1112.

XXIX. ABBAS GISO.

Cui successit supradictus Giso, revocatus atque reductus à Monachis, & toto populo S. Clementis, eo quòd in rebus secularibus esset studiosus. Quem sacravit Paschalis Præsul Romanus Beneventi; & sacrato, ut moris est, dedit curam animarum & regimen Monasterii, anno Dominicæ Incarnationis currente millesimo centesimo duodecimo. Ipse ædificavit domum, quæ Sacristaria appellatur, in qua thesauri, & ornamenta Ecclesiæ conservantur.

1113. 14. & 15.

Transactis autem annis ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo centesimo decimo tertio, millesimo centesimo decimo quarto, millesimo centesimo decimo quinto. Præfatus autem Giso sciens se pro benefactis suis à Deo bonam remunerationem habiturum, ad augmentum Ecclesiæ, & profectum omnium Fratrum, dedit Ecclesiam S. Bartholomæi de Orta, cum omnibus pertinentiis suis, & duos molendinos, & duos homines, in Castello, quod dicitur Phara. Hæc omnia in Capitulo dedit, confirmavit domui infirmorum Fratrum in perpetuum possidenda jure hereditario, sicut rogatus erat ab uno ex Monasterii Prioribus, videlicet Domno Mauro, viro admodum probo & honesto, procuratore ipsius domus infirmorum: de cujus literatura, & arte scribendi, honor Piscariensis Monasterii satis est augmentatus.

In hujus Abbatis tempore VVielmus Tassio, de cujus ferocitate aliquantulum supra locuti fuimus, confessus reatum, quem contraxerat de venditione Monasterii S. Clementis, pro remedio animæ suæ, & præcipuè pro absolutione istius sceleris, reddidit Castellum S. Mauri, quod infaustè tenebat, Beato Clementi per manus Gisonis Abbatis: In cujus tempore quidam potentes, videlicet Robertus Trogisii, & Gerardus de Conjulo, cum fratribus suis, occupabant bona Ecclesiæ & possessiones in Castello, quod dicitur Alanne, quos expulit, & terram, quam invaserant, licet eam de Ecclesia se tenere mendaciter assererent, liberam Monasterio reddidit.

Eodem præterea tempore ipso Domno Gisone Abbate amminiculante grande studium erat, & nimia exercitatio in Piscariensi Monasterio à Fratribus de renovandis Libris, videlicet homiliis, passionariis altaris, expositionum, & ceteris Ecclesiasticis Codicibus: in quo scribendi studio præcipui erant, Domnus Joannes vir literatus & honestus, de cujus scientia & gravitate Monasterium est augmentatum, & bonum exemplum posteris est traditum, & Domnus Maurus, & Domnus Oldrinus, qui in hac arte nimis erat assiduus, de cujus moribus & regulari disciplina, suo tempore dicemus: successit enim in Abbatiatu isti Domno Gisoni propter nimiam suam honestatem, & regularis vitæ custodiam.

In tempore hujus Gisonis Sanso de Petraniqua partim pro anima sua, partim pro pretio, quod accepit, dedit Ecclesiæ S. Clementis in perpetuum possidendam terram arabilem, fructiferam pro domanio Ecclesiæ, plusquam ducentorum triginta modiorum, pro qua Abbas Giso una vice dedit octoginta solidos, altera verò vice caballum unum optimum, & quindecim bisanzios. Hæc terra est ad Sanctum Petrum de Colle in pertinentia de Alanne.

1116. usque ad 1121.

Præterea vir quidam nobilis & sapiens, Tedemarius nomine, cùm haberet de jure B. Clementis in emptione Ludovici Imperatoris tria Castella, Paternum videlicet, Picericum & Lucu, ductus amore Gisonis Abbatis, & devotione, quam habebat erga Monasterium B. Clementis, hominium eidem Abbati fecit, & S. Clementi veram fidelitatem juramento semper servare promisit. Volvebantur tunc anni Domini millesimus centesimus sextus decimus usque vicesimum primum.

Circa tempora verò ista, residente jam Papa Gelasio in Apostolica Sede, fuerunt locustæ in universa regione ista, corrodentes segetes & omnes labores: Unde cùm ex jussione Domni Gisonis Abbatis capsula, in qua B. Clementis erat spatula, portaretur à supradicto Domno Mauro, & quibusdam aliis religiosis Fratribus in agriculturis Ecclesiæ, & cum ipsa perambularent atque girarent ipsos campos, in quibus propriè segetes & labores erant ad victum Monasterii, tanta fuit virtus B. Clementis, ut in ipsa portatione reliquiarum ejus ipsæ locustæ fugarentur, & conglobatæ una super alteram cadentes, & se ad invicem vehementer impingentes, in flumine Piscariensi se internecabant, sicque ex maxima parte sequenti tempore fuit sedata famis pestilentia.

Ugo Malmazettus, de quo supra locuti sumus, duos filios moriens dereliquit; quinque enim alii eum moriendo secuti sunt, quorum unus, qui eodem nomine quo & pater vocitabatur, & malitiæ paternæ in quantum poterat æmulator existens, homines S. Clementis, & res Ecclesiæ persequebatur; qui admonitus ab Abbate secundò & tertiò, ut à malo quie-

quiesceret, & ipse nullo modo quiescere vellet: Abbas sicut prudens ei cum parvo comitatu per terram S. Clementis equitanti occultas tetendit insidias, comprehendit, ligavit, eumque cuidam Baroni suo, Sansoni videlicet de Petraniqua, ad custodiendum tradidit, & tandiu incarceratum tenuit, donec juraret, quòd ulteriùs dum adviveret S. Clementis homines non inquietaret. Qui egressus de carcere, ab eodem Abbate coactus non multo post tempore Hierosolymam petiit, ibique finem vitæ suæ invênit. Hic Giso providens ad profectum Ecclesiæ impetravit privilegium Calixti Papæ, in anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo centesimo vigesimo primo.

Privilegium Calixti Papæ.

„ CAlixtus Episcopus servus servorum Dei, dilecto in Christo filio Gisoni Abbati Venerabilis Monasterii S. Clementis, quod in Insula Piscariensi situm est, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Apostolicæ Sedis auctoritate, debitoque compellimur pro universarum Ecclesiarum statu satagere, & earum maximè quieti, quæ specialis eidem Sedi adhærent, ac tanquam jure proprio subiectæ sunt, auxiliante Domino, providere. Ea propter petitionibus tuis, fili in Christo carissime Giso, non immeritò annuendum censuimus, ut Monasterium B. Clementis, cui Deo auctore præesse cognosceris, ubi videlicet gloriosissimum Corpus ejusdem Martyris requiescere credimus, sicut in Domini prædecessoris nostri Papæ Leonis privilegio continetur, Sedis Apostolicæ auctoritate muniremus. Mansuro igitur in perpetuum decreto statuimus, ut quascunque possessiones, quæcunque bona idem Monasterium in præsenti legitimè possidet, firma tibi, tuisque successoribus, & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus nominibus exprimenda. In Comitatu scilicet Teatino Castrum Insulæ: Monasterium S. Nicolai in Caramanico, cum cellis, & ceteris ad idem Monasterium pertinentibus: Ecclesiam S. Crucis: Ecclesiam S. Martini ad Guttam: Ecclesiam S. Johannis, Ecclesiam S. Cesidii: Monasterium S. Trinitatis de Lapidaria: Ecclesiam S. Mariæ in Pesile, S. Angeli, S. Cesidii, S. Bartholomæi de Orta, & Castrum Fare. In Comitatu Balbensi Monasterium S. Trinitatis cum pertinentiis suis: in Comitatu Pinnensi Castrum Alanne, Bectorrita, Castellione, Olibula, Corvaria, Pesclu, Roccam de Soti, Petram-iniquam cum Ecclesiis & pertinentiis suis. In eodem Comitatu Monasterium S. Desiderii, & Ecclesiam Sancti Quirici, cum pertinentiis suis. In Comitatu Aprutino Monasterium S. Clementis cum Castellis, videlicet Castro-vetere, Sancto-vetere, Guardia cum Ecclesiis & villis ad prædictum Monasterium pertinentibus. Quæcunque præterea in futurum concessione Pontificum, liberalitate Principum, oblatione Fidelium, vel aliis justis modis poteritis adipisci, firma tibi, tuisque Successoribus, & integra conserventur. Decernimus ergo, ut nulli omnino Episcopo vel Comiti, aut prorsus alicui hominum, facultas sit præfatum Monasterium temerè perturbare aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere vel minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, aut ei aliquas exactiones imponere, sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum sustentatione & gubernatione concessa sunt, usibus profutura. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiòque commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se Divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant Amen.

„ Scriptum per manum Gervasii Scriniarii, Regionarii, & Notarii sacri Palatii.

„ Ego Calixtus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

„ Datum Laterani per manum Grisogoni S. Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarii, quarto Calendas Aprilis, Indictione decima quarta: Incarnationis Dominicæ anno millesimo centesimo vicesimo primo, Pontificatus autem Domini Calixti secundi Papæ anno quarto.

1122.

Per idem tempus erant eidem Domno Gisoni Piscariensi graves inimicitiæ cum persecutoribus Ecclesiæ suæ, quia nolebat ut suâ incuriâ minuerentur ea, quæ ab antecessoribus suis magno labore fuerant acquisita.

1123.

Toccenses multùm gravabant Insulares, & non eis sufficiebat quòd terras abstulerant, verùm etiam Ecclesias ipsius Castelli auferebant; Vir summæ industriæ hoc malum sufferre non potuit, Papam Honorium, qui jam in Dominicæ Incarnationis anno millesimo centesimo vigesimo tertio Papæ Calixto in Apostolica Sede successerat, adiit, & eos excommunicari fecit, quamdiu ipsas Ecclesias non redderent, & pro sacrilegio satisfacerent. Illi obstinati malitiâ, qui primitus Deum contempserant, literas Apostolicas, & ejus excommunicationem contempserunt; addentes peccatum peccato, ipsi Abbati tetenderunt insidias, eumque ceperunt, & multis injuriis affecerunt. Tandem ipsi videntes quòd nullo modo ad Castellum Toccum eum portare valerent, & metuentes, ne populi adventantes ejus adjutorio essent, eum peditem dimiserunt, & mulam, super quam sedebat, secum ducentes, totam ejus supellectilem ad castrum, in quo degebant, portaverunt. Ille pedes revertens ad Monasterium, quæ sibi facta fuerant enarravit, & omnes vicinos ad vindictam malefactorum suis querimoniis & clamoribus incitavit, nec multò post tantus fuit concursus populi, Episcoporum & Baronum, qui omnes erant parati ad subvertendum prostibulum, ut pæne ad quatuor millia armatorum possent computari, & ni esset clementia Gisonis Abbatis, illa die funditus destructa esset, & annihilata superbia Tocci; pepercit rogatus, eosque supplices & pœnitentes suscepit, & quæ abstulerant integra

gra cùm redderent, ipsas Ecclesias, quas impiè possidebant, ab eorum possessione in jus S. Clementis, sicut antea fuerant, convertit. Et quia Deo cura fuit de servo suo, ipsos, qui manum miserant in eo, gravi delevit exterminio; quia non multò post perdiderunt Castella, & proscripti fuerunt ab hereditate paterna. Quidam verò eorum in hospitali domo ante portam Insulæ inflati, & toto corpore turgidi, usque ad mortem de eleemosyna Monasterii victum habentes jacuerunt; ibique post non multum tempus cum maximo cruciatu vitæ finem acceperunt.

1124.

Igitur in anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo centesimo vigesimo quarto, Joannes Magistri, Azzonis filius, & ipse etiam Magister appellatus, concedente Domino suo & scripto confirmante, quod scriptum habetur in Monasterio S. Clementis, dedit se, suosque filios, & hereditatem suam in perpetuum possidendam, Ecclesiæ B. Martyris per manus Gisonis Abbatis, sicut in charta, quæ est exinde facta, legitur.

1125.

Vir autem Domini Giso dum his & aliis pluribus ad profectum Ecclesiæ, ad correctionem morum, ad observantiam regulæ, noctu dieque invigilaret, tactus non modica infirmitate ad lectum devênit, & munitus sacro Viatico coram Fratribus expiravit Idibus Aprilis. Præfuit Monasterio Piscariensi quindecim annis, mensibus quinque, & diebus viginti sex. Sepultusque est in Claustro à parte sinistra egredientibus de Ecclesia.

XXX. ABBAS OLDRIUS.

HUic successit Oldrius ejusdem Ecclesiæ Monachus, vir magnæ simplicitatis & miræ erga Deum & Fratres suos caritatis; custos ovis sui, & amator disciplinæ regularis; de quo, sicut ejus opera protestantur, si vellemus non possumus pauca loqui. Cujus electio quia divinitus facta fuit, ab ipsa incipiamus.

1127.

Electio ejusdem Abbatis.

QUidam enim de pluribus Fratrum Piscariensium nobilitate carnis, quidam terrenâ potentiâ, quidam verò prioratu & religione credebant se posse ad Abbatiæ dominium pervenire. Unde in ipsos eosdem, qui sic erant ambitiosi, Monachorum & laicorum erat intentio: Sed Deus omnipotens distortam voluntatem, & inutile consilium hoc modo dissipavit. Post transitum Domni Gisonis Abbatis die sequenti facta est non modica potentum & nobilium virorum coadunatio in Piscariensi Monasterio, propter Abbatis ordinationem, & convenientibus in Capitulo cunctis Fratribus, cùm de Abbatis electione tractarent, unanimi constitutione, concordi voce, ab omnibus est præfixum, ut duodecim discreti Fratres & sanæ mentis de ipso Conventu surgerent, in partem secederent, & de persona, quam ipsi concorditer dicerent & approbarent, de ipsa sinè alicujus contradictione fieret electio. Jussi sunt igitur à prioribus & nominati duodecim, qui exeuntes de Capitulo, de communi proposito sex eorum in dormitorio, sex in Oratorio secesserunt, statuentes inter se, ut quicquid ab utraque parte meliùs æstimaretur, in medio & commune sui ipsorum referretur, & si fortè contingeret, ut esset unius personæ ab ambabus partibus unanimis æstimatio, bene constaret, sin autem una persona de pluribus æstimatis, in qua major numerus ipsorum duodecim concordaret, assumeretur, & de ipsa fieret in Capitulo communis pronunciatio. Illis autem abeuntibus, & his ita fientibus, in Capitulo erat sermo, ut communis status, & regimen Fratrum, antequam electio fieret, ordinaretur meliùs quàm fuisset hactenus. In quo verbo tanto zelo pro communi utilitate fuit accensus specialiùs Domnus Oldrius, ut vestes, quas intrinsecus viles habebat, ibidem, sicut ille, qui de se nihil suspicabatur, & simpliciter vivebat, ostenderet, quatenus ad meliorandum Fratrum commune subsidium, Fratres omnes ferventiores, & animosiores ipsarum vilium vestium ostensione redderentur.

Cùmque de his, ut supradictum est, tractaretur, subitò vox unius simplicis hominis de plebe in templo personuit *Domnus Oldrius Abbas, Domnus Oldrius Abbas*. Illo igitur per Ecclesiam & totum Claustrum talia vociferante, & utraque pars Fratrum, quibus vocatio personæ commissa erat, à se altera parte putaret vocem illam processisse, moventur ambæ, & in claustro sibi occurrunt, altera dicens ad alteram: *Si vobis placet de Domno Oldrio, nobis non displicet*. Sicque concorditer in hoc verbo Capitulum intrantes, unus ex duodecim, nomine Johannes, pro omnibus loquens dixit: *Exurge Domine & judica causam tuam*. Et signans se cruce adjecit: *In nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti, nos dicimus de Domno Oldrio quia bonus est, & dignus, ut illum in Patrem habeamus*. Interea vox, quæ ab illo homine, Benedicto nomine, proferebatur, cùm à populo de foris audiretur, & talis acclamatio per omnes excresceret, & penitus in toto Monasterio vox eadem, *Domnus Oldrius Abbas, Domnus Oldrius Abbas*, vehementissimè intonaret, apertis ostiis cum tali vociferatione Capitulum omnes intrant, & invenientes Domnum Oldrium renitentem, Fratribus illum assumentibus & clamantem: *Quare in tanto loco ponitis pecudem? Cur de me, & de hac sede facitis irrisionem?* Cogunt eum in sede tandem sedere, & Abbatiæ regimina suscipere. Facta est itaque ejus electio quinto decimo die mensis Aprilis anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo vigesimo septimo, & veraciter effectus est Pater Monachorum, & contra adversarios Sanctæ Dei Ecclesiæ quasi murus æneus, humilibus humilis & mansuetus, superbis in justitia rigidus, caritate diffusus. Hunc in Abbatem consecravit Papa Honorius, à quo suscepta benedictione ad Monasterium cùm esset regressus non mutavit mores pro suscepto honore, immo humilior & mansuetior elatis se præbebat exemplar humilitatis & gratiæ, ut veraciter credi posset, quia repletus esset Divino Spiramine.

In primo anno suscepti regiminis fuit necessarium quòd iret in Aprutium, & antequam egrederetur de Abbatia, cuidam fideli suo VVilielmo de Castellione commendavit, ut haberet curam de rebus Ecclesiæ, & præcepit hominibus suis, ut ei obtemperarent, sicut & sibi, & si necessitas ingrueret ejus omnes obse-

secundarent mandatis. Abbas iter faciens Aprutium perrexit, ibique in possessionibus Ecclesiæ aliquantisper moratus est. Quo spatio præfatus VVilielmus minister fraudis, & revera sacrilegus, cùm videret Abbatem morari, & haberet in sua potestate terras Monasterii, retendit Alannum, & convocans omnes habitatores illius oppidi, dixit eis, quia in crastina die venturi essent inimici, qui deprædarentur terram B. Clementis, dimitterent illa pascua, in quibus suas boves & oves solebant ducere, & ducerent eas secus fluenta Piscariæ, ut facilior sibi cursus esset in mane, quando decreverat cum satellitibus Alannenses prædas agere. Illi parentes jussis nequissimi, coadunaverunt animalia infinitæ multitudinis, & in loca illa ea duxerunt, in quibus præceperat eis. Mane facto coadunata satellitum multitudine, armata militum turba, VVilielmus vênit ad loca, & revera hostis nequissimus, qui deberet esse tutor fidelissimus, armenta boum, & greges ovium rapuit, & duxit secum, & ita dissipavit, quòd nec unam caudam ex omnibus reddere voluerit. Advênit Abbas, & audito quod fecerat, doluit, & ut emendaret semel, & secundò, & tertiò rogans, vix paucos boves recuperare potuit. Vir autem Domini Oldrius non armis secularibus, sed Divinis armatus S. Clementi quod iniquus fecerat humili precatu innotuit, & ut de suis curam ageret exoravit.

1128.

Cujus precatus non contemsit Altissimus, immò antequam finiretur unus annus in eadem die anniversaria, quæ est nono Calendas Septembris, in qua terram Ecclesiæ iniquè fuerat deprædatus, Castellionis oppidum perdidit: Nam, sicut fertur, in ipsa nocte circa horam matutinæ laudis duobus Fratribus in Capitulo quiescentibus per visionem apparuit B. Clemens, dicens: *Surgite, notifico vobis quia noster hostis VVilielmus de Castellione traditus est in manus inimicorum suorum. Hodie abjicio eum de terra mea, ut ampliùs contra me non vivat ex ea, nec etiam volo, ut cum patribus suis circa me locum habeat sepulturæ.* Expergiscentibus verò Fratribus illis, & de tali visione mirantibus, antequam silentium solveretur factus est insultus in eum, & VVilielmus captus, & exheredatus fuit in anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo centesimo vigesimo octavo: nec postea quispiam de ejus genere ad dominationem hereditatis ejus potuit pervenire, B. Clemente sibi vicem reddente, & Domino Jesu Christo præordinante, qui numquam deserit præsumentes de se.

1129.

Igitur in anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo vicesimo nono, mortuo Papa Honorio, & Innocentio ultra montes pergente, & Anacleto in Apuliam veniente, Dux Rogerius, qui jam ceperat Trojam, & ferè totam Apuliam, Rex est constitutus.

1130.

Qui sequenti anno, idest millesimo centesimo trigesimo ab Incarnatione Domini expugnavit & cepit Amalfiam.

1131.

Deinde in sequenti anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo trigesimo primo, idem Rex expugnavit Barim, & Rex Lotharius Italiam ingressus est.

[illegible]

Qui in futuro anno, qui est ab Incarnatione Domini millesimo centesimo trigesimo secundo Romæ coronam accepit ab Innocentio Papa.

1133. 34. 35. & 36.

Evolutis itaque annis ab Incarnatione Domini millesimo centesimo trigesimo tertio, quarto, & quinto, & currente jam anno millesimo centesimo trigesimo sexto, Domnus Oldrius Abbas accessit ad Imperatorem Lotharium, ad flumen quod dicitur Truntum, ubi erat cum magno exercitu: Cùmque factus esset coram Imperatore clamor de quodam Conone Guittonis, fecissetque eum venire in præsentia, tandem coëgit ipsum jurare, ut nihil ulteriùs juris & dominationis in obedientia Piscariensis Monasterii, Ecclesia videlicet S. Clementis de Gomano, quæreret, nec in possessionibus ejus. Præter hæc idem Imperator ceteris querelis Domni Oldrii Abbatis & Imperialibus privilegiis Monasterii Piscariensis auditis, cùm cognovisset quòd ipsa Abbatia ab antiquo fuisset Imperialis Camera, promisit se cum Domna Augusta venire ad Monasterium, & ei restituere omnia jura sua, in rebus & possessionibus ejus. Cùm autem ventum esset ad Piscariam, quibusdam rumoribus incitatus, idem Imperator festinus perrexit in Apuliam contra Regem Rogerium pugnaturus. Deinde cum Papa Innocentio apud Barim coadunatus, in ipso anno ad propria revertens idem Imperator moriens diem clausit extremum.

His itaque temporibus Robertus Manuplelli Comes, Ricardi filius, post mortem patris sui timore matris aliquantulum ab iniquitate retentus, postquam mater ejus naturæ debitum reddidit, ipse à malo patre malus filius generatus, malitiam paternam sua malitia superavit, & contra B. Clementem ejusque domum manifestas inimicitias exercere cœpit. Susceptus in hospitio ab Abbate Oldrio, qui etiam suam cameram propriam ei delegaverat, postquam fuit farcitus epulis, mustoque repletus, Abbatem fecit accersiri ad se, cui cum magno fastu & supercilio turris custodiam, quæ in Castello Insulæ est, ut sibi traderet non rogando sed interminando quæsivit. Et cùm Abbas hæc se nullo modo posse facere multis assertionibus demonstraret, ille ut citò sibi traderet, instantissimè postulabat, & nisi fieret, ruinam Ecclesiæ, depopulationem totius terræ minabatur. Quid faceret? vellet, nollet, tradidit, & mœrens, & multùm verecundus intra ambitum Claustri se contulit. Illi autem, quos in turre posuerat, quasi quidam stratæ exploratores prætereuntes deprædabantur, missas rapiebant salutes, & insani ministri domini in servos Christi & S. Clementis debacchabantur. Quod Fratres ferre non valentes, clam duos de sapientioribus ad Regem Rogerium, qui tunc ipso fungebatur officio, cum privilegiis Imperatorum in Apuliam transmiserunt, rem, ut fuerat gesta, enucleatim exposuerunt, de tyrannide Comitis & ejus persecutione lachrymabiliter conquesti sunt. Et tale responsum ab eo susceperunt, ut ad Monasterium quàm citissimè repedarent, & securi essent, quia si Deus terram sibi submitteret, & Ecclesiam liberaret & de suo daret, & Abbati, & Fratribus conferret adjutorium. Qui revertentes diutiùs quasi exules extra Monasterium in alienis domibus alieno quadrante vivere coacti fuerunt. Tan-

Tandem miseratione divina, & solertia Abbatis, datis primitus duabus libris argenti, refrenata est cupiditas avarissimi Comitis, & dedit eis licentiam ad proprium revertendi. Non multò post cùm ipse ad Castellum Manuplellum reverteretur, Abbas ei comitatum præstabat: Et cùm inter se de persecutione, quam faciebat Monasterio, loquerentur, iratus Comes quia Abbas, uti sibi videbatur, in responsis reverentiam non exhiberet, gladium evaginavit, & Abbatem percutere voluit, & nisi essent assidentes, qui eum prohibuerunt (quod Abbas multùm desiderаret, ut pro justitia moreretur) caput ipsius ense, quem extraxerat amputavisset. Abbas extenso collo securus de Divino auxilio, si ausus esset ut percuteret, instigabat; & in hoc quia non metum mortis sed spem vitæ æternæ haberet, demonstrabat. Sic ille in insania perseverans Manuplellum adiit, & Abbas tutior quàm antea fuerat ad Ecclesiam remeavit.

Ut autem manifestaretur, & certis indiciis probaretur, quia Deus maximam habebat curam de servo suo Abbate Oldrio, & de grege sibi commisso, quibusdam Fratribus in Ecclesia pernoctantibus venerabilis ostensa est visio, quam nos indignum judicavimus tegere silentio. Duo Fratres religiosa consuetudine Quadragesimali tempore ante matutinos de lectulis consueverant surgere, & flexis genibus ante sacratissimi Martyris ossa preces & singultus fundere, psalmos cantare, & Sanctos Dei in adjutorium populi Christiani cum Litaniis interpellare. Cùmque fatigati aliquantulum consedissent in angulis Ecclesiæ, diversi tamen loco sed non diversi mente, oculis dormitantibus, & vigili corde, ambo unam eandemque visionem in hunc modum vidêre. Duæ personæ reverendæ aspectu & veste præclara ante altare stare videbantur, unus quorum pontificali erat indutus habitu, alter regio diademate coronatus, qui ad eos venientes sciscitabantur qui essent, & quare inibi in tali hora morarentur. Responderunt se de Fratribus Ecclesiæ fore, pro peccatis suis, & pro benefactoribus ipsius loci misericordiam Dei deposcere, & idcirco antequam Fratres surgerent, de lectulis surrexisse, ut liberiùs possent orationi vacare. Cùmque respondērent, *Bene*; addiderunt, *Qui nos simus cognoscitis ne*? Dixerunt, *Minimè*; *sed propter amorem Dei rogamus, ut indicetis nobis, qui estis, & quare venistis, & unde*. Respondit ille qui regio erat coronatus diademate: *Ego sum Ludovicus, qui fui ædificator hujus Abbatiæ, & qui dedi ei quicquid habebam in hac terra, ut possideret hereditario jure. Qui autem mecum est pontificali venerandus habitu, S. Clemens est, qui pro Christo meruit in pelago mergi, cujus ossa meo labore ad hanc Insulam delata in præsenti altari meruerunt sepeliri, quem Robertus de Manuplello ita graviter flagellavit, ut plagæ ejus & livores, quos in dorso suscepit, vix possint ab homine dinumerari*. Et ut certiores essent Fratres ambo de visione auxilio Regis B. Clemens coram eis spoliavit se, & ostendit cicatrices vulnerum, & plagas virgarum, adjecit: *Ita malè tractatus sum, sed volo quòd sciatis, quia in proximo me vindicabo de inimicis, & faciam, ut proscribantur ab hereditate paterna & moriantur, & sepeliantur, ut miseri & exules in terra non sua*. Hic dictis visio disparuit, & expergefacti Fratres ipsi cœperunt enarrare sibi primitus quæ viderant, deinde post Capitulum cùm Fratres convenirent, retulerunt se personas venerabilis Ludovici & B. Clementis vidisse, & quæ supra dicta sunt sibi retulisse. Et quia videretur vana gloria si de talibus visis Fratres gratularentur, siluerunt, & quod Deus esset facturus cum maximo metu expectaverunt.

Interim Rex Rogerius Regio diademate coronatus, regnum Siciliæ, Ducatum Apuliæ, & Principatum Capuæ suscepit, filiumque suum, Anfusum nomine, quem Principem Capuæ fecerat, ad Theatinum Comitatum cum magno exercitu præmisit, eique diligenter inquirere jussit Manuplellenses Comites, qui erant adversarii S. Clementis, ut vivos sibi repræsentaret, in secreto præcepit. Qui cùm scirent præfatum Principem jussa patris velle perficere, clam fugerunt; & cùm ei nec huc nec illuc resistere possent, fugitivi terram propriam, & quod acquisiverant perdiderunt, & in aliena terra vitæ exitum qualem meruerant invenerunt. Ex tunc Ecclesia B. Clementis in abundantia pacis cœpit studere religioni, augmentari bonis temporalibus solertiâ boni Pastoris, qui per singulos dies invigilabat ad augmentum gregis sibi commissi.

In tempore illo (quando Dominus Deus visitare decreverat Piscariensem Abbatiam adventu Serenissimi & Victoriosissimi Regis Rogerii, quem Divina gratia, sapientia, fortitudine præ cunctis mortalibus illustraverat) quidam Domnum Oldrium Abbatem turbabant, & deterrebant, dicentes illum contra Regem fecisse, quia Castellum Belonianum, quamvis esset de jure S. Clementis, Comitibus Manuplelli fugientibus, ipsisque mandantibus suscepisset, nec debuisset terram fugitivorum Regis supraprendere. Sed Abbas de Deo & B. Clemente confidens nullo metu territus, constanter castellum tenuit, donec ipse Rex veniens penes Monasterium in Campestri sub Tocco, & juxta Piscariam castra posuit, ibique triduò cum exercitu perendinans mansit. Abbas igitur sumpto consilio cùm in crastinum ad Regem accedere, ipsumque precibus & xeniis placare, pro supradicto etiam castro pecuniam offerre deberet, sociatis sibi cunctis Fratribus, totum Psalterium cum genuflexionibus, Letaniis, & orationibus ante sacratissimum corpus B. Clementis in Ecclesia pernoctavit. Matutinalibus etiam hymnis decantatis, facto mane cum quibusdam de Fratribus equitans ad Regem proficiscitur. Unus verò ex ipsis Fratribus cùm pluribus esset intentus iter retardasset, & eminus post Abbatem pergeret, quidam senex venerandæ canitiei, venusti vultus, stans in ipso ponte ante portam Insulæ in habitu peregrini cum cortia & palma ei apparuit, dicens: *Ite in pace: Dic Abbati, ut securus ad Regem accedat, cavete ne aliquam ei pecuniam dare spondeatis, gratis enim dabit vobis quod petitis, & eo majora*. Et Monachus: *Quomodo nosti*? Et ille: *Quia in hac nocte consiliis Regis interfui quando vestro Monasterio deliberabat benefacere*. Gaudens itaque Monachus in hoc verbo, dixit ei: *Benedicaris tu quia bona nuncias, ingredere Monasterium, & accipe caritatem*. Et ille: *Facio, quia ibidem manere, & caritatem habere solitus sum. Ite cum benedictione*. Tunc ipse Monachus cœpit festinare, ut se jungeret Abbati, & hæc ei annunciaret, sed rogitans intra se quomodo po-

potuisset ille, qui hoc dixerat, arcanum Regis cognoscere, cùm videretur peregrinus & pauper, & maximè cùm non soleant hujusmodi homines nedum in consiliis, sed nec etiam in atriis Regum admitti, retroversus, ut subtiliùs de verbo cognosceret, totam Insulam, totumque Monasterium circuivit, & nullatenus illum reperire vel videre potuit. Unde opinati sunt illum fuisse apud quem ipsa nocte pervigiles oraverant, Beatum videlicet Clementem prosperitatis nuntium.

Accessit itaque Domnus Oldrius Abbas, & humilitatis prærogativâ tantam penes eum invênit gratiam, ut qui terribilis ante suam faciem ipsos etiam tremere cogeret montes, tanta amicabilitate cum eo loqueretur, non dico dominus cum servo, sed ut filius cum patre, quicquid postulabat, absque dilatione non pecunia sed sola gratia impetraret. Rex humilis juxta humilem, & mitis juxta mitem, magis respiciebat ad serenitatem vultus ejus, quem angelico decore præferebat, quàm ad serica indumenta divitum atque nobilium. Et qui alios pro merito suo viles & nullius pretii judicabat, istum supra cunctos, quos in regno suo Pastores Ecclesiasticos habebat, laudibus extollebat; hunc solum Dei famulum religionis non superfluitatis amatorem prædicabat. Rex nihil ab eo nisi munus orationum accipere voluit, imò de suo proprio largitus est Ecclesiæ B. Clementis, tria Castella, quorum nomina sunt hæc: Belonianum, Casaleplanum, & Colleodunum, & privilegium libertatis: tuitionis contra inimicos, & gratiæ, & reverentiæ, & honoris contra suos, & Abbatiam, & res ejusdem tanquam suas speciales augmentare, & custodire promisit.

En tibi Privilegium, de quo hìc sermo, jam ante ab Ughellio editum.

„ IN nomine Domini nostri Jesu Christi. „ Rogerius divina favente clementia Rex „ Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus „ Capuæ. Regum, Catholicorumque Principum nil constat gloriosius esse, quàm Deum „ vereri, loca sancta venerari, pauperibus „ Christi, qui sua spernentes, se Deo largiti „ sunt, alimenta vitæ necessaria providere, „ simulque conferre. Nec eo minùs gloriosum, quod à bonis Principibus pro Dei „ amore laudabili devotione factum est, pro „ ejusdem reverentia sancto desiderio colere, „ confovere pro temporum varietate, & loco „ tueri, & conservare. Quocirca Monasterium, quod Rex bonæ memoriæ Ludovicus „ in Insula, quæ Casa Aurea vocatur, ad honorem, & reverentiam Sanctæ & Individuæ Trinitatis construxit, & dotavit, in quo „ Corpus Beati Clementis Papæ, & Martyris „ venerabiliter recondi fecit, jam vetustate „ temporum, perversorumque hujusmodi, „ qui nec Deum timuere, nec homines veriti „ sunt, avida, & inexplebili rapacitate in „ quamdam servitutem redactum, Nos divino „ tactu admoniti pristina libertate donare decernimus: & ab omni infestatione, & molestiis, quietum, & liberum, sub nostræ „ manus regia protectione, successorumque „ nostrorum servavimus. Nec de cetero quorumlibet temeritati in bona ejus, seu possessiones quatenus liceat deservire. Quorum „ quia importuna voracitas res præfati Monasterii in tantum imminuerat, quod nec „ Fratrum . . . . superant pauperum „ Christi indigentium misericordiam, honorem, gloriam summæ & individuæ Trinitatis eidem Monasterio subscripta Castella „ videlicet, Insulam, & Castellum ipsius Insulæ „ cum pertinentiis suis, molendinis, ac piscationibus, & meatibus aquarum: Castellionum: Ulivola: Pesculum: Rocca de Soti: „ Corvariam: Petram iniquam: Bectorritam „ cum Ecclesiis, & pertinentiis suis: Ecclesiam „ Sanctæ Trinitatis de Rocca de Soti cum „ toto ipso monte, & rupibus, & sylvis ejus, „ & omnes alias Ecclesias de Terra Sanzonisca: Alanuum cum Ecclesiis, & pertinentiis suis, Casale Sancti Desiderii cum Ecclesiis, & pertinentiis suis: Ecclesiam Sancti Martini de Musculo. In Civitate Sancti „ Angeli, Castellum Sancti Mori cum portu, „ & pertinentiis suis: Ecclesiam Sancti Cirici „ de Monte Silvano: Ecclesiam Sancti Salvatoris juxta flumen de Nora, cum ipso Pojo, „ & pertinentiis suis: Ecclesiam Sancti Gervasii cum pertinentiis suis: homines qui „ cognomine dicuntur Palummi cum familiis, „ & pertinentiis suis: Ecclesias Sancti Rustici „ de Saliano: Sancti Angeli de Monte Apriano: S. Flaviani: Sanctæ Mariæ ad Capri, „ S. Mariæ de Colle cum Capella de Rocca, „ cum omnibus pertinentiis suis, Ecclesiam „ S. Nicolai ad Cornisam cum pertinentiis „ suis, in Comitatu Theatino, Castrum Bonianum cum Ecclesiis, & pertinentiis suis. „ Faram de Ambriliæ, Ecclesiam S. Mariæ „ de Pesele: Ecclesiam S. Mariæ de Casule, „ Ecclesiam S. Cesidii, Ecclesiam S. Trinitatis de Lapidaria, cum Ecclesia S. Nicolai „ de Cardia, & aliis Capellis cum suis pertinentiis, Ecclesiam S. Victorini positam in „ Territorio Tocci. In Caramanico Ecclesiam S. Crucis, Ecclesiam S. Nicolai, Ecclesiam S. Eufemiæ cum Cellis, & aliis „ pertinentiis, Ecclesiam S. Martini ad Gruetam, S. Joannis Staniarii, S. Silvestri „ de Oligeto cum pertinentiis suis. In Comitatu Aprutino, Castrum Guardiæ, Castellum veterum Monaciscum. In Civitate Sulmona, Oratorium, domum, & „ Palatium quondam Simonis, Casas Callia, „ & omnes possessiones infra, vel extra ipsam „ civitatem vestro Monasterio attributas, in „ perpetuum regia liberalitate duximus confirmanda, ut & nobis, & heredibus nostris „ animabusque parentum, & prædecessorum „ nostrorum omnium B. Clementis Papæ, & „ Martyris patrocinium impetremus. Ad confirmanda autem prædicta omnia chartam „ istam nostro Regio sigillo insigniri præcipimus: in qua etiam Regiæ dignitatis signum „ ascribitur.

„ Data in Territorio civitatis Theatin. super flumen Piscariæ per manus Roberti Cancellarii, anno Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo quadragesimo mensis Augusti Indictione tertia. Anno verò Regni „ Rogerii gloriosissimi Regis Siciliæ, Ducatus „ Apuliæ, & Principatus Capuæ decimo, Deo „ propitio. Amen.

1140.

Item sequenti die, videlicet quinto Calendas Septembris, anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo quadragesimo, idem gloriosus Rex Monasterium devotus intravit, Missam

sam B. Clementis ab ipso Domno Abbate audivit ante venerabilem Crucem chori stans & orans, ipsam figuram satis approbavit: in claustro sibi privilegia relegi fecit, demum unam modicam particulam de B. Clementis spatula ipso magnis precibus expetente accepit: Insulam perambulavit, & devotior, quàm intrasset, egressus abiit, dans in mandatis eidem Abbati, ut si aliqua molestia ab aliquo adversario fieret Ecclesiæ; & si quando esset necessarium ut pro Ecclesia postularet, mitteret aliquem de suis non Monachum, sed famulum, ne Ecclesia in expensis gravaretur; & securus esset, quia quæcunque posceret, impetraret; quia non volebat Rex Rogerius, ut Abbas Oldrius vexaretur, imò præcepit ei, ut intra Monasterium suam senectutem foveret, & Deum nocte & die pro statu Regni, pro salute filiorum suorum, & pro sua exoraret.

Post hæc Comes Boamundus, qui noviter fuerat ordinatus à Domno Rege in Comitatu Manuplelli, acquiescens, sicuti moris est, novorum quorundam adulatorum garrulitati, voluit, & quæsivit ut potuit, quomodo S. Clementem supponeret sibi, & ut suæ persuasionis auxiliatores haberet, Robertum Cancellarium precibus & promissis illexit, & ut suis verbis fallacibus testimonium perhiberet, effecit. Contigit, ut idem Comes, & præfatus Robertus Cancellarius cum Abbate loquerentur, & cùm ipsorum inquisitiones ejus humili responsione frangeret, dixit Roberto: *Domine nos habemus vos tutorem & defensorem in terra ista, & inter nos, & Dominum Regem nullum alium mediatorem tenemus, nisi vos, rogamus & obsecramus in nomine Domini Jesu Christi, cujus nos servi sumus, ut libertatem & justitiam Ecclesiæ hujus, quam huc usque habuit, elabi & annihilari non permittatis. Novistis quanto studio, & quàm sincera voluntate Domnus Rex Ecclesiam nostram ab omni iniqua consuetudine & exactione absolvit, non voluit ut servi Dei in ea manentes alienis officiis essent occupati, sed die noctuque invigilarent Divinæ servituti, & juges orationes funderent pro se & pro filiis & pro statu regni. Nunc autem Comes iste Boamundus (non volo eum latère unde noster graviter læditur animus) inquietat nos à contemplatione Divina, provocat ad arma secularia, exigit ut equites, pedites, & expensas immoderatas præbeamus, quas nos, pro certo teneatis, habere non possumus. Nos sumus deputati ad Divinum servitium, non est decens, ut illud deseramus, & sequamur Mundum.* Ad hæc respondit Comes: *Domne Abbas, vos ista dicitis, quia nescitis Regum mutationes, & terræ diversas oppressiones. Domnus Rex gratiâ Divinâ habet plures oratores in regno suo, sed non habet plures defensores, necessarium est ut defensores gerant clypeos, & protegant oratores; nos neque gerere possumus arma, neque pro regno pugnare, nisi habeamus subsidium vitæ. Hoc noscens Domnus Rex & perfectè cognoscens, dedit mihi hanc Abbatiam S. Clementis, sicut eam habuerunt antecessores mei, in præsentia hujus Roberti ejus Cancellarii, qui audivit & vidit, quando mihi data fuit. Illius, si vobis placet, debetis credere testimonio qui nunquam consuevit de talibus mentiri.* Quibus verbis Comitis, Robertus, sicut supra diximus illectus, ut Sanctum Virum perterreret, assensum præbuit, & quia audierat & viderat quando ei Domnus Rex Abbatiam concesserat affirmare cœpit. Tacuit ut potuit Abbas, & expectavit quid Deus faceret super his, nescius quia illi fraudulenter loquerentur, ut possent extorquere ab eo timore quod habere non poterant ex jure. Deus autem invigilavit pro servo suo, & non post multos dies revelata fuerunt hæc omnia Regi Rogerio, qui protinus scripsit ad Comitem, & misit ei epistolam in hæc verba:

„ MUltum mihi displicet quòd tu, quem „ protectorem & defensorem regni mei „ posui, eleemosynam meam, cameram pro- „ priam, requiem mei capitis perturbare, in- „ quietare ausus fuisti, & fortassis merces debita „ tuæ reddetur præsumptioni. Fallaciter egisti „ erga S. Clementis Abbatem & Fratres, cujus „ orationes mihi clypeus & galea sunt adver- „ sùs omnem virtutem inimici. Desiste ab „ hac nequitia, ne præparata super te descen- „ dat ultio, pro hac tua præsumptione tibi „ destinata: & tibi dico per regni fidem, & „ meorum filiorum spem, si mihi Deus hoc „ de illis tribuat, quod exopto, nisi desistas, „ & eos ulteriùs inquietare præsumas, sicut „ te feci, ita te destruam, & nomen tuum à „ filiis hominum ab hac præsenti generatione „ usque ad extremam. Præsentes autem lite- „ ras, quas tibi dirigo, volo ut tu portes & „ legi facias in Capitulo, ut audiatur à cun- „ ctis, & cognoscatur ab omnibus super Ec- „ clesia S. Clementis & habitatoribus ejus, „ quanta sit mea devotio.

Ut Rex præceperat ita Comes fecit: literas regias detulit, & eas coram Abbate & Fratribus cùm legerentur audivit, & exinde neque Abbati, neque habitatoribus loci, quamdiu Domnus Oldrius vixit, quicquam molestiæ facere ausus fuit. Postquam Dominus Deus dedit sibi & gratiam Regis, ut supra diximus, & pacem ab omnibus adversariis ejus, cœpit Oldrius studere ad decus Ecclesiæ, facere libros, ornamenta emere, domos ampliare, & quibuscunque modis poterat, & in terris habere socios, & in cœlestibus elaborabat. Conventionem verò, quam habuit cum Ricardo Tergisii potenti viro de quibusdam Ecclesiis S. Martini in Gutta, S. Joannis in Scaniani, & S. Cesidii, in ejus breve legere atque cognoscere possumus. Temporibus siquidem Domni Oldrii Abbatis in Piscariensi Monasterio quædam virtutum signa sunt patrata, quæ ab his, qui noverunt, relata & descripta habentur.

1142. 43. 44. & 45.

Multis itaque virtutibus in tempore Domni Oldrii Abbatis à B. Clemente ostensis, cœpit idem Abbas studiosior in orationibus, & in operibus Ecclesiæ sibi commissæ inesse. Et per annorum Domini curricula, videlicet millesimo centesimo quadragesimo secundo, tertio, quarto, & quinto, Monasterium religiosissimè gubernabat, & quotidie numerum Fratrum inibi Deo servientium augere curabat.

1146. & seqq. usque ad 1151.

Perfecto itaque palatio pro adventantium susceptione cum cellario & cervinaria, continuò campanarium ædificare cœpit, fundavitque ipsum in anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo quadragesimo sexto, & per annorum Domini sequentium curricula, & erexit illud in altitudinem passuum unde-

eim. Renovavit altaria, quæ non vetustate consumpta, sed humili cœmento fuerant fabricata, unum in honore S. Benedicti, alterum verò in honore omnium Apostolorum, & ea solemniter fecit dedicari in die anniversaria dedicationis, quæ facta fuerat de altario S. Clementis, & augmentata fuit condonatio pœnitentiæ illis, qui advenirent de duobus annis. Dodo Valvensis altare S. Benedicti dedicavit: Grimoaldus Pinnensis Sanctorum Apostolorum, easque Reliquias in eis posuerunt, quæ in prioribus altaribus positæ fuerant, & de quibus nos aliquantulum in primo libro locuti sumus. Ædificavit etiam Ecclesiam in possessione Piscariensis Monasterii nomine Saline, quam in honore & de Reliquiis B. Clementis consecrare fecit. Fabricavit etiam Ecclesiam S. Mariæ de Alanne, in qua, & in Ecclesia S. Mariæ de Castellione, quando eas ad jus Monasterii Piscariensis dedicare fecit, de Reliquiis B. Clementis in ipsa consecratione recondidit.

Erga defunctos Fratres ita erat solicitus, ac si unusquisque moriens esset germanus suus; & instituit, atque in Capitulo coram omnibus Fratribus corroboravit, ut pro unoquoque Fratre defuncto fiat centenarius; hoc modo, ut à die obitus uniuscujusque Fratris justitia (*), de pane & vino, & ceteris cibis quotidie in Mensa Abbatis ponatur pauperibus tribuenda: in Officiis Defunctorum prima oratio, & ad Capitulum Psalmus & oratio usque ad centesimum diem pro eo dicantur. In septimo namque tricesimo & centesimo die solemnes Vigiliæ, & Missæ cum pulsatione signorum agantur, & psalteria dicantur ab universis ipsius Cœnobii Fratribus, sicut in die depositionis ejus. Ampliavit reditus Fratrum in vestimentis ex illis reditibus, qui sibi reddebantur ex Castello Boloniani.

Obitus Oldrii Abbatis Anno 1152.

Dumque sibi jam deficiente corpusculo sentiret approximare finem vitæ, cœpit studiosior in orationibus esse; & licèt ejus oculi essent aliquantulum caliginati præ senectute, tamen speculabatur Deum mentalibus oculis, & orabat assiduè ut absolveretur à corpore, & illorum adipisceretur consortium, quorum mores & actus imitatus fuerat. His aliisque pollens virtutibus cùm virtutem corporalem per singula momenta sibi minui cognovisset, sensit appropinquare suæ terminum vitæ, & melior quàm antea fuerat, quamvis semper bonus esset, commendabat transitum suum Fratribus & filiis, Ecclesiam verò, quam regendam susceperat, Deo, & B. Clementi: & sic tactus incommodo corporali, plenus dierum, & perfectus in omni observantia spirituali, Deo reddidit animam pridie Idus Decembris, in anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo quinquagesimo secundo. Rexit autem Monasterium Insulæ Piscariensis, constructum in nomine S. Trinitatis & B. Clementis Papæ & Martyris, viginti quinque annis & octo mensibus, tumulatusque fuit in Capitulo ejusdem Ecclesiæ, sicut decens erat, ante Majestatem nostri Salvatoris, cui famulatus fuerat omni tempore vitæ suæ devotè, & famulari docuerat omnes Filios suos & Fratres sub tenore & Regula B. Benedicti.

(*) *idest* portio *Dacherius*.

Post mortem Abbatis Oldrii sanctæ recordationis, Abbatia S. Clementis Insulæ Piscariensis multis diebus extitit sine Rectore, quia omnis intentio Fratrum, qui se credebant sanori uti consilio, erat in Domno Leonate, propter quod in eodem Monasterio ab ipso Domno Abbate Oldrio fuerat receptus, & Monachico habitu indutus, & in ejusdem Piscariensis Monasterii institutione à pueritia nutritus, notus probitate, clarus genere, & excellenti ingenio, in Curia Romana jam Subdiaconatus functus officio; & quia iste solus posset sufficere ad conservandam Ecclesiam in pristina libertate. Porrò Comes Boamundus Tarsitanus, qui tunc temporis Manuplellensem Comitatum, terram videlicet consanguineorum ipsius Domni Leonatis, Regis Rogerii dono possidebat, omni nisu Fratres impediebat, ne ipsum sibi facerent Abbatem; timebat enim, ne in aliquo tempore ipse Leonas per Abbatiæ potentiam ductus amore ipsorum consanguineorum suorum Manuplellensium, quos, ut supra dictum est, Domnus Rex Rogerius exheredaverat, & de toto regno ejecerat, se læderet, & fortè de Comitatu expelleret. Nitebatur quidem ut Fratres alium de suis eligerent talem, qui ei non posset resistere, tantumque prævaluit tam ex potentia quam habebat in regali Curia, quàm ex applausione quorundam Fratrum, quos sibi fraudulenter illexerat, quòd cessata per Regem Rogerium ipsius Leonatis vocatione, eligeretur in Abbatem ex eadem Congregatione quidam Constantinus nomine: cujus electio & persona cùm esset cognita Curiæ Romanæ, ejus judicio sicut facta fuerat est delata. Eugenius enim Papa sanctæ memoriæ cùm audisset, quia taliter contra suum Subdiaconum (nam ipse promoverat eundem Leonatem in Subdiaconum) fuisset electus incitatione præfati Comitis, præcepit eum ulteriùs de eadem electione habere silentium, & cavere, ne pro hac re perturbaret Monasterium, sed permitteret Fratribus secundùm Dei timorem eligendi quem vellent liberum arbitrium. Ita fuit Ecclesia sine Pastore, dum advixit præfatus Eugenius, quia impediti erant Fratres non solùm persecutione Comitis, verùm etiam interdicto & prohibitione Domni Rogerii Regis.

Mortuo autem Papa Eugenio, & succedente sibi beatæ recordationis Anastasio, Comes Boamundus, quoniam erat illi familiaris, præsumpsit de ejus amore, & exclusum judicio iterum coëgit abbatizare, & contra voluntatem Fratrum occupavit Monasterium, sedit in Sede Abbatis, pervasit palatium, & dum pollicitatione Comitis securum se crederet de consecratione, & pæne jam esset in itinere, fratres illi, contra quorum voluntatem electus fuerat, devitantes insidias Comitis Romanam Curiam adierunt, Papæ singula, retulerunt, quomodo fuerat cassatus judicio Domni Eugenii sui prædecessoris, & non Fratrum electione, sed manu laicali iterum intrusus, occupabat Sedem, & volebat se facere Abbatem. Quo audito Domnus Papa Anastasius missis literis redarguit, reprehendit impudentiam ejus, & præcepit ei sub anathemate, ne ulteriùs quæreret causâ electionis Fratres fatigare.

His ita peractis Rex Rogerius mandavit Fratribus, qui ad eum in Siciliam perrexerant, ut quia de suis, quos vellent, habere non pote-

rerant, eligerent saltem de alienis Monasteriis, & eis tria nominavit, quæ & habitu & vita multùm erant aversa eorum institutioni. Veruntamen quoniam Fratres ejus præceptis obviare nec volebant, nec debebant, unum de Fratribus Sacri Montis, quod Monasterium est in Apulia, nomine Rogerium quæsierunt, habuerunt, & ei quamdiu sibi licuit obedientes fuerunt. Et cùm ille vellet à Domno Anastasio consecrari, misit quosdam de Fratribus Monasterii, qui ei narrarent & modum suæ electionis, & diem peterent, qua haberet optatam consecrationem. Cùm audiret Papa tam subitam mutationem, mandavit & præcepit ei per summum obedientiæ, ut reverteretur ad suum Monasterium, & non impediret locum, quem ipse tenere non poterat; quia decolor ejus habitus, & discors conversatio erat à conversatione Fratrum, quos regendos susceperat. Videns autem Comes quòd nihil profecisset, & timens, ne illi Pastorem eum sibi facerent, quem ille nec videre, nec sustinere valeret, cœpit contra Monasterium & ejus possessiones, quæ in suo Comitatu erant, apertas inimicitias exercere, Ecclesias invadere, sylvas auferre, in Monachos contra jus & fas manum mittere, & multa adversa & inhonesta de Deo & servis S. Clementis mendaciter in populos fabulari, dicens: *Monachi S. Clementis nituntur ad illud, quod est impossibile, & volunt duos enses in unum forulum mittere, sed pro certo sciatur, dum fuero Comes, ille, quem sibi exoptant, non poterit esse Abbas.*

Dum hæc aguntur, mortuo Rege Rogerio, Wilielmus filius ejus ei successit in regnum, vir miræ sapientiæ & magnæ virtutis, qui volens consanguineis suis bona facere, Robertum de Bassavilla Comitem Lorotelli fecit, eique totum Comitatum illum, & vicinas terras supposuit, quia fidelem sibi & ex bono collato devotiorem existimavit. Ille volens dominationem habere etiam in his, quæ sibi data non fuerant, Monasterium S. Clementis occupavit, homines & quosdam ex Fratribus sibi jurare coëgit: Quod factum Domno Regi VVilielmo minimè placuit, imò irato animo & vultu indignationis pleno, Roberto novo Comiti mandavit, ut discederet ab hac præsumptione, dimitteret quietam Abbatiam Sancti Clementis, cameram suam propriam, beneficio cumulatam sui genitoris, quam ipse in animo habebat ad proprias manus regias, & sub suæ proprietatis & defensionis privilegio tenere præ omnibus aliis circumadjacentibus Abbatiis. Quod audiens Robertus pervasa dimisit, homines à sacramento sibi facto, & Monachos absolvit. Nec multò post Robertus, cui Domnus Rex VVilielmus tot & tanta bona contulerat, seditiosè agens contra Dominum suum, maximam partem de regno ejus pervasit. Comites suæ nequitiæ & complices multos sibi associavit, & ultra quàm credi potest sublimia de se cogitans, totam terram in modico perturbavit. Qua perturbatione Castella concussa sunt, villæ desertæ, & plures imminutæ Abbatiæ, non dico de illis, quæ erant sinè Rectore, verùm etiam illæ pæne annihilatæ sunt, quæ erant sub Pastoribus, & multo gubernatæ regimine. Huic oppressioni cùm aliquantulum resisteret Comes Boamundus, ad ultimum cessit. Supervenerunt enim illi, qui fuerant de Comitatu Manuplelli fugati, & quæ sui juris esse videbantur invaserunt, Comitem expulerunt, & suæ prophetiæ, (fuerat enim Pseudo-propheta) locum dederunt. Dixerat enim: *Quamdiu Comes fuero, Monachi S. Clementis illum, quem desiderant habere non poterunt.* Ecce Comes non est, laborent Fratres ad hoc, ut Ecclesia habeat Pastorem sibi à Deo prædestinatum, qui tanquam leo fortis in medio inimicorum Dei & Ecclesiæ emittat rugitum, suæ fortitudinis signum.

1155.

XXXI. ABBAS LEONAS

Anastasius jam Deo vocante ad cœlestia regna migraverat, & Sedem Romanam Adrianus Papa quartus tenebat, ad quem Fratres Cœnobii S. Clementis perrexerunt apud Biterbum, Pastorem, quem jamdiu necessarium præviderant, & Ecclesiæ profuturum sperabant, pro Dei amore & reverentia S. Clementis Domnum Leonatem, Ecclesiæ Romanæ filium, & sui Monasterii Professum, ut eis donaret, concederet, humiliter rogitaverunt. Quorum petitioni Adrianus obviare minimè decrevit, imò statim congregato Cardinalium cœtu, quem petebant præfatum Leonatem eis concessit, & quia non erat in præsentia, mandavit ei, & quodammodo ad suscipiendum onus coëgit literis suis Domnus Papa, ut ad Monasterium accederet, sedem à Deo sibi paratam acciperet, curam gregis sibi commissi ageret, inimicis Dei, & Ecclesiæ viriliter resisteret, & ita faceret, quòd honor suus esset Romanæ Ecclesiæ, quæ eum à pueritia educatum exaltare & sublimare desideraret. Quid multa? Vocatus vênit, invitus sibi injunctum officium suscepit. Sicque factum est, ut Fratres, qui ejus desiderio longo tempore fuerant fatigati, Divino respectu acciperent ad quem anhelabant. Facta est itaque ejusdem electionis celebratio Dominicæ Incarnationis anno millesimo centesimo quinquagesimo quinto, Indictione tertia.

In eo tempore tanta erat perturbatio populi, maximè in hac regione, seditionis Comitis Roberti de Lorotello, ut vix posset inveniri aliquis locus immunis à prœlio; tanta erat aviditas in satellitibus spoliandi, quòd non parcebant alicui, non dico de secularibus, verùm etiam de illis; qui servitio Dei vacantes manebant in Claustro.

Electus itaque Leonas, decimo die electionis suæ, cùm pro quibusdam causis inimicaretur filiis Berardi de Castellione, congregata militum & peditum armatorum multitudine, obsedit Bitorritum, & tamdiu mansit in obsidione, donec Rainaldum Castelli Dominum & Castellum cepit. Castellum tenuit in sua proprietate, Rainaldum coëgit jurare. Post hæc volens ire in Aprutium, quia noviter electus nondum fuerat, susceptus per cuncta loca Monasterii, & putans invenire fidem in fratrem suum uterinum, commendavit totam terram S. Clementis fratri suo Perronio, & post hæc quò præordinaverat Aprutium tetendit, ibique pro negotiis illis aliquandiu est moratus. Interim Perronius frater suus, cujus in custodia terram S. Clementis posuerat, proditoriè agens, Castellum Belonianum depulsis custodibus occupavit & tenuit, de fraude non erubescebat. Cui cùm electus revertens malum, quod fecerat,

rat, intimaret, & ut Castellum, quod proditoriè invaserat redderet, bis terque rogaret. Unde sibi respondit. *Reddam tibi Belonianum, si tu nobis reddis Bittoritum, quia Rainaldus, qui illud possidebat, fuit noster bassallus*. His dictis quod tenebat tenuit, & quia forte erat Castellum, nulli reddere voluit. Electus autem habito consilio interposita conditione, reddidit ei Bitorritum, & recepit Belonianum. Et hæc fuit conditio quòd unus ex fratribus Perronii faceret hominium B. Clementi pro Bitorrito, & medietate Corvariæ, & censum annuatim redderent constitutum absque dilatione. Ille autem, qui hoc scelus fecerat, non diutius gavisus fuit, sed pauco post tempore correptus gravi infirmitate, sinè herede ab hac vita discessit.

Hoc igitur tempore Domnus Papa Adrianus Beneventi manebat, ubi Domnus Leonas electus ad eum accedens, petiit ab eo consecrari: quod petierat meruit adipisci, & pro dignitate Abbatiæ summi Pontificis S. Clementis decoratus mitra pontificali, cum gloria & honore reversus ad propria, Abbatis est insignitus officio, redimitus baculo pastorali. Reversus itaque à sua consecratione susceptus à Fratribus debita cum reverentia, mansitque in Abbatia, & adversariis, qui volebant Ecclesiam suppeditare, fortiter resistebat. Gualterius Comes Manuplelli, qui pervaserat Comitatum in tempore dissidii, cœpit eum primitus persequi, & Colleodunum quod muniverat, & Belonianum violenter abstulit ei. Verùm quia Domino cura erat de loco suo, non multo post tempore, adveniente Rege Wilielmo, fugatus Comes ille de pervaso Comitatu, & invitus dimisit Castella B. Clementi. Præfati Comites Manuplelli, & ceteri complices eorum, dum devastarent maximam partem regni Rex Siciliæ Wilielmus veniens cum maximo exercitu depulit eos, terramque liberavit. Verùm quia præfatus Abbas Leonas non habebat integrè gratiam ejus, perrexit Romam ad Domnum Papam Adrianum, qui eum in Abbatem consecraverat, à quo cùm maxima honorificentia susciperetur, tandiu mansit ibi, donec mediante eodem Domno Adriano amorem Regis habuit, & integram gratiam apud eum invênit, & sic ad Abbatiam suam reversus quanto studio potuit ad augmentum ejus invigilavit.

Hac tempestate præfatus Comes Boamundus Tarsitanus à Domno Rege Wilielmo captus, & in vinculis positus fuit. Cùmque Rex ipse sibi pepercisset, & à captione liberasset, non multò post Tarsiam reversus, subitò lateris dolore correptus, moriens ibidem vitæ finem accepit, nullusque de suis heredibus in Comitatu Manuplellensi, per quem S. Clementem, & suam Piscariensem Ecclesiam offenderat, potuit ei succedere. Quo mortuo idem Rex alium Boamundum Comitatui Manuplelli præfecit, qui sequens prædecessorum vestigia, & irritans adversùs se Dei potentiam, cœpit devastare S. Clementis possessiones, quæ intra Comitatum ejus detinebantur, ambitione etiam in Ecclesiis debacchabatur. Hæc dum ita aguntur exules iterum terram intraverunt, Comitem Boamundum expulerunt, Abbati Leonati Abbatiam abstulerunt. Perrexit itaque in Siciliam Abbas, nec multò post Rex mari terraque suos hostes persequitur: quibus fugatis liberata est Abbatia S. Clementis, ad quam revertens Abbas Leonas cum gratia & amore Regis studebat regere Abbatiam sibi commissam. Et quia volebat, quod Abbatia sibi commissa contra adversarios innumerabiles muniretur, libertatis privilegium & munitionis impetravit à sanctæ recordationis Papa Adriano, quod descriptum sic est.

1158.

PRIVILEGIUM

Domni Papæ Adriani.

„ ADrianus Episcopus servus servorum Dei, „ dilectis filiis Leonati Abbati Monasterii S. Clementis de Insula Piscariæ, quæ „ Casa-aurea vocatur, ejusque Fratribus tam „ præsentibus quàm futuris regularem vitam „ professis in perpetuum. Effectum justa postulantibus indulgere, & vigor æquitatis, „ & ordo exigit rationis, præsertim quando „ potentium voluntatem pietas adjuvat, & „ veritas non relinquit. Quocirca dilecti in „ Domino Filii, vestris justis postulationibus „ clementer annuimus, & præfatum Monasterium ubi corpus B. Clementis Papæ & Martyris requiescit, & in quo Divino mancipati estis obsequio, ad exemplar prædecessoris nostri felicis memoriæ Leonis Papæ, sub „ B. Petri & nostra protectione suscipimus, „ & præsentis scripti privilegio communivimus.

„ Satuentes *&c. ut in Privilegio præfato Leonis Papæ*.

„ Interdicimus insuper, ut nullus Episcopus ibi Synodum celebret. Chrisma, Oleum „ Sanctum, Consecrationes altarium, seu Basilicarum, ordinationes Monachorum, seu „ Clericorum, qui ad sacros Ordines fuerint „ promovendi, à quocunque malueritis suscipiatis Episcopo. Obeunte verò te nunc „ ejusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet „ successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi „ quem Fratres communi consensu, vel Fratrum pars consilii sanioris secundùm Deum, „ & B. Benedicti Regulam providerint eligendum, &c.

„ Ego Adrianus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi.

„ Ego Gregorius Sabinensis Episcopus.

„ Ego Hubaldus Hostiensis Episcopus.

„ Ego Julius Prenestrinus Episcopus.

„ Ego Galterius Albanensis Episcopus.

„ Ego Bernardus Portuensis & Sanctæ Rufinæ Episcopus.

„ Ego Hubaldus Presbyter Cardinalis tituli „ S. Crucis in Jerusalem.

„ Ego Ottavianus Presbyter Cardinalis tituli „ S. Cæciliæ.

„ Ego Joannes Presbyter Cardinalis tituli „ SS. Joannis & Petri (*), tituli Pamachii.

„ Ego Joannes Presbyter Cardinalis tituli „ SS. Sylvestri & Martini.

„ Ego Ildebrandus Presbyter Cardinalis Basilicæ duodecim Apostolorum.

„ Ego Guido Presbyter Cardinalis tituli „ S. Calixti.

„ Ego Johannes Presbyter Cardinalis tituli „ S. Anastasiæ.

„ Ego Bonadies Presbyter Cardinalis tituli „ S. Grisogoni.

„ Ego Guillielmus Presbyter Cardinalis tituli

(*) corrige Pauli.

„ tuli S. Petri ad Vincula.
„ Ego Oddo Diaconus Cardinalis S. Geor-
„ gii ad Vellum-aureum.
„ Ego Jacintus Diaconus Cardinalis S. Ma-
„ riæ in Cosmidin.
„ Ego Ardicio Diaconus Cardinalis Sancti
„ Theodori.
„ Ego Cinthius Diaconus Cardinalis Sancti
„ Adriani.
„ Ego Petrus Diaconus Cardinalis Sancti
„ Eustachii juxta templum Agrippæ.
„ Datum Laterani per manum Rolandi San-
„ ctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyteri Cardinalis
„ & Cancellarii, secundo Idus Martii, Indi-
„ ctione sexta, Incarnationis Dominicæ anno
„ millesimo centesimo quinquagesimo octavo:
„ Pontificatus verò Domni Adriani Papæ quarti
„ anno quinto.

Præterea Dominicæ Incarnationis anno millesimo centesimo quinquagesimo octavo, Indictione sexta, recuperatâ Ecclesiâ S. Quirici de Monte-Silvano, quæ ab antiquo juris erat Monasterii B. Clementis, concessit eam Wilielmo filio Sadoch, & fratribus suis, usque in viginti novem annos, sub tali censu, quòd omni anno circa Festum B. Clementis centum pisces marinos persolverent, & juramento ab eo recepto Abbas ei sub tenore in charta descripta Ecclesiam habere permisit. In tempore siquidem Domni Abbatis Leonatis propter bonam famam, quæ de Monasterio B. Clementis longè latèque pervolabat, & præcipuè pro liberalitate, & hospitalitatis humanitate, quam circa omnes homines ipse nobilis Abbas pleno obsequio exhibebat, quamplures de diversis partibus & maximè de Civitate Sulmonæ excitati, Mundum relinquebant, & sua omnia sesequé dedentes pauperibus, & in Monasterio S. Clementis manentes Christum sequebantur, de quibus paucos præsenti paginæ inserere decrevimus.

Quidam Walterius in eodem Monasterio effectus, inter cetera, quæ dedit, fecit conventionem de una Cannapina in loco, ubi Albe vocatur, sicut in charta exinde facta perlegitur. Simon Guarimundi in Civitate Sulmonæ dedit palatium, quod habebat, & terras, & partem Ecclesiæ S. Andreæ, quæ ad eum pertinere videbatur hereditario jure, & effectus est Monachus S. Clementis. Petrus Alberti similiter se Monachum faciens quidquid habebat dedit. Joannes Blancus & Petrus Walterii quicquid habebant Deo præbuerunt & B. Clementi. Adam Guarimundi cum filiis suis factâ convenientiâ cum Domno Abbate Leonate, refutavit per chartulam obligationis quicquid juris & rationis credebat se habere in rebus & possessionibus à suprascripto Simone Monacho Monasterio largitis, quando Monasticum habitum suscepit, indeque refutationis literas Monasterio porrexerunt. Berteraimus faciens se Monachum in præfato Cœnobio dedit Casam suam, & partem Ecclesiæ S. Johannis, & quæcunque habebat Deo & B. Clementi, cui famulari decreverat. Quidam Sacerdos, Senaldus nomine, tenebat de possessionibus præfatæ Abbatiæ, quæ ad tempus statutum fuerant sibi data; & cùm ultra statutum ea teneret, nec Ecclesiæ reddere, nec pro eis servire vellet, Abbas illa, quæ tenebat, accepit, & ne de his ulteriùs se intromitteret interminando vetuit: qui præsumptioni addidit contemptum, & invasit quod sibi fuerat vetitum. Unde in Curiam Regis adductus, convictus de præsumptione, quod malè tenebat perdidit jure, quod justum erat pro contemptu regio persolvit regali Curiæ, sicut instrumentorum chartulæ inde descriptæ legitimè perdocent.

1163.

Celebrata siquidem est hæc Curia apud S. Clementem, quodam viro, nomine Somaro Tranensi, Regio Camerario, ipsam distringente, anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo sexagesimo tertio, regnante Domno Wilielmo felicissimo Rege Siciliæ.

Iste quidem Abbas tempore suo recuperavit Monasterium S. Mauri de Amiterno, quod antiquo jure fuit Monasterii S. Clementis, ibique unum de Fratribus sui Cœnobii pro regimine ordinavit, maxima in eadem regione de ipsius Ecclesiæ possessionum parte reacquisita. Recuperavit etiam Ecclesiam S. Mariæ de Fasonaria, quæ cùm ex antiquitate juris esset B. Clementis, quidam Barones Pinnenses, videlicet Gentilis de Brittulis, & alii eam invaserant, & malè tenebant; sed Domnus Abbas Leonas sua fortitudine, ac regia auctoritate ipsam recepit & tenuit: & postea de sua Congregatione Monachos ibidem Præpositos ordinavit.

Per idem tempus illustris Abbas Leonas in Apuliam ambulavit, Alisinensem Civitatem adiit, ibique honorificè à Gosfredo Comite viro famosissimo venerabiliter est receptus; ubi cùm inter se multa familiaritate delectarentur, idem Comes divinitus compunctus reddidit S. Clementis locum in eodem Alisinensi lacu, in quo antiquitus fuerat in honore S. Clementis Ecclesia constructa juris Monasterii Piscariensis, cum domo & possessione terrarum quondam Widonis de Baro, & largissimis aliis possessionibus in eadem regione; cum hominibus & eorum reditibus, cum piscationibus & ceteris rebus, quæ in chartula donationis ab eodem excellentissimo Comite ex eisdem rebus legitimè facta & testibus idoneis roborata inveniuntur.

Post hæc Domnus Abbas artifices cum expensis, & operarios illuc transmisit; equos, & animalia direxit, in eodem loco devoto affectu funditus Ecclesiam construere fecit; quâ constructa ipsemet cum Domno Johanne religiosissimo Signensi Episcopo ad eandem Ecclesiam accessit, eamque solemniter dedicare fecit, positis in ejusdem Ecclesiæ Altari Reliquiis S. Clementis, & aliorum Sanctorum, quas à suo Cœnobio reverenter asportaverat. Deinde religiosos viros ibidem posuit, qui & locum augerent, & Omnipotenti Deo regulariter deservirent.

Eodem tempore vir per omnia Catholicus Domnus Alexander de Francia reversus Romæ pontificabatur, ad quem Domnus Leonas Abbas quendam fratrem, *Johannem Berardi* cognomine, (*) in ipso Cœnobio à pueritia nutritum, & regularibus disciplinis instructum visitandi gratiâ direxit; per quem impetravit privilegium defensionis & tutelæ contra eos, qui Piscariense Monasterium offendunt atque molestant, ad instar prædecessorum suorum, qui eidem Monasterio privilegia indulserunt.

Ab

(*) *Auctor est Chronici hujus.*

Ab Ughellio privilegium hoc exscripsimus.

„ ALexander Episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis Leonati Abbati Monasterii Sancti Clementis de Insula Piscariæ, quæ Casa-aurea vocatur, ejusque fratribus tam præsentibus quàm futuris regulari vita professis in perpetuum. Religiosis votis annuere, & eam operis exhibitione complere officium nos invitat suscepti regiminis, & ordo videtur exigere rationis. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum Monasterium, ubi corpus Beati Clementis Papæ, & Martyris requiescit, & in quod divino estis mancipati obsequio ad exemplar Prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum fel. mem. Leonis, Calisti, & Adriani sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus. In primis siquidem ut ordo Monasticus, qui secundùm Dominum, & B. Benedicti Regulam in eodem Monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea possessiones quascunque, quæcumque bona idem Monasterium in præsentiarum justè, & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, liberalitate Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino poterit adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus & illibata permaneant, in quibus hæc propriis duximus exprimen. vocabulis, in Comitatu Pinnensi Castellum Insulæ cum tota ipsa insula. Castillionem, Ubicolam, Pesculiam, Roccham de Sutri, Corvariam, Petraminiquam Betorites, Mandeforum, Casale Planum, Coledunum cum pertinentiis suis, Castrum quod vocatur Casale S. Desiderii: in Civitate S. Angeli, Castellum S. Mori cum portu, & suis pertinentiis: in Comitatu Theatino Castrum Bolonianum cum pertinentiis suis: in Comitatu Aprutino Castrum Guardiæ, Castellum vetulum, Monaciscum cum pertinentiis suis: in Comitatu Valvensi Casale quod dicitur S. Trinitatis cum pertinentiis suis. In Marchia Castrum Lori cum pertinentiis suis, Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Plesiano, Ecclesiam S. Mariæ ad Fasinariam, Ecclesiam S. Quirici de monte Silvano cum pertinentiis suis. In supradicto Comitatu Theatino Ecclesiam S. Mariæ de Pesilo, Ecclesiam S. Angeli de Casule, Ecclesiam S. Cesidii, Monasterium S. Trinitatis de Lapidaria cum pertinentiis suis. In Caramanico Ecclesiam S. Crucis, & S. Nicolai cum pertinentiis suis, Ecclesiam Sancti Martini ad Grictam, Ecclesiam S. Joannis Iscamari, Ecclesiam S. Silvestri apud Manupellum cum pertinentiis suis; Cellam S. Clementis in Lisina cum pertinentiis suis. Monasterium S. Mauri de Emiterno cum pertinentiis suis, Montem de Ursa Monte de Tarini, Montem Soti cum rupibus, & sylvis eorum. Concedimus etiam vobis, vestrisque successoribus decimationem terrarum Ecclesiæ vestræ, & partem oblationum quæ pro mortuis offeruntur. Interdicimus insuper, ut nullus Episcopus ibi Synodum celebret. Chrisma, Oleum Sanctum, consecrationes altarium, seu Basilicarum, ordinationes altarium, ordinationes Monachorum, seu Clericorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, à quocumque malueritis suscipiatis Episcopo. Obeunte verò te nunc ejusdem loci Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem ..... de communi consensu vel fratrum pars consilii sanioris secundùm Dominum, & B. Benedicti Regulam providerint eligendi. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum Monasterium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas obtinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione, sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva in omnibus Apostolicæ Sedis auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica sæcularisque persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò, tertiòve commonita, si non reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestate, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo Corpore & Sanguine Dei, & Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura præservantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi quatenus & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, Amen, Amen.

„ Nos itaque qui supra Nicolaus Petri Judex instantia prædicti D. Abbatis prædictum privilegium per manus mei prædicti Notarii Nicolai, & in præsentia testium subscriptorum auctoritate nostri officii autenticatum, & transcribi de verbo ad verbum nihil addito, vel mutato, & ipsius transumptum in præsens redigi fecimus publicum instrumentum. De quibus omnibus qualiter in nostri præsentia gesta, & acta sunt pro futuri temporis memoria, & prædicti D. Abbatis, ac Monasterii, & omnium quorum interesse poterit cautela factum est hoc præsens publicum instrumentum de mandato prædicti Judicis, signo meo solito signatum signis, & subscriptionibus prædictorum Judicis, & testium legitimè roboratum. Quod scripsi ego qui supra Nicolaus Francisci de prædicto Castro Alandi publicus ubilibet per totum Regnum Siciliæ Regia, & Reginali auctoritate Notarius: & quia de prædictis omnibus rogatus interfui ipsum solito meo signo signavi, super quibus omnibus præfatus Cola Ciccarelli Camerarius pro Tribunali sedens, & Curiam regens, suam auctoritatem interposuit, & decretum.

„ Ego Alexander Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.

„ Ego Bernardus Portuensis, & S. Rufinæ Episcopus.

„ Ego Gualterius Albanus Episcopus.

„ Ego Ugo Tusculanus Episcopus.

„ Ego Corradus Maguntinæ Sedis Archiepiscopus, & Sabinensis Episcopus.

„ Ego Ubaldus Presbyter Card. tit. S. Crucis in Jerusalem.

„ Ego

„ Ego Joannes Presbyter Card. SS. Joannis
„ & Pauli tit. Pammatii.
„ Ego Henricus Presbyter Card. SS. Nerei,
„ & Achillei.
„ Ego Guillelmus Presbyter Card. tit. San-
„ cti Petri ad Vincula.
„ Ego Bosa Presbyter Card. S. Pudentianæ
„ tit. Pastoris.
„ Ego Hyacinthus Diaconus Card. S. Ma-
„ riæ in Cosmedin.
„ Ego Oddo Diac. Card. Sancti Nicolai in
„ Carcere Tulliano.
„ Ego Arditio Diac. Card. S. Theodori.
„ Ego Manfredus Diaconus Card. S. Geor-
„ gii ad Velum-aureum.
„ Ego Ugo Diac. Card. S. Eustachii juxta
„ templum Agrippæ.
„ Ego Vitellius Diaconus Card. SS. Sergii,
„ & Bacchi.
„ Ego Theodinus Diaconus Card. S. Mariæ
„ in Portico.
„ Ego Petrus Diaconus Card. Sanctæ Mariæ
„ in Aquiro.
„ Datum Laterani per manum Ermanni
„ Diaconi Card. Sancti Angeli decimoquinto
„ Kal. Aprilis, Indictione decimaquinta, In-
„ carnationis Dominicæ anno millesimo cente-
„ simo sexagesimo sexto, Pontificatus verò
„ D. Alexandri Papæ III. anno sexto.

Hic Abbas impetravit, ut Castellum S. Mauri, super litus maris Adriatici quondam situm, reædificaretur ad suæ Ecclesiæ profectum. Sed quibusdam in hoc facto fraudulenter adversantibus, id efficere non potuit. Tamen inde concessionis chartulam à Regali Curia acquisivit. Constituit etiam, ut Frater Monachus, qui S. Mariæ de Pesile fuerit Præpositus, habeat etiam in augmentum suæ necessitatis Præposituram S. Angeli de Casule, salvis omnibus reditibus, quæ ipsæ ambæ Ecclesiæ S. Clementi persolvere debent, ut chartula docet.

Tunc temporis cùm Rogerius de Tocco cum fratribus suis ipsam terram tenerent, concesserunt S. Clementi Ecclesiam S. Victorini sitam in ipsa pertinentia Tocci, indeque confirmationis literas facientes, eas Monasterio porrexerunt.

Conflixit præterea Leonas Abbas multotiens cum adversariis Ecclesiæ; præcipuè cum Comite Boamundo Manuplelli, qui post priorem Comitem Boamundum Tarsensem in possessionibus Ecclesiæ debacchatus est, & persecutus Ecclesiam S. Clementis, odio ipsius Abbatis, & gentis suæ. Habuit siquidem conflictum cum eo semel apud Salernum, ibique coram Simone Senescalco, totius regni Magistro Capitaneo, & tota regali Curia super rationibus Ecclesiæ, confutavit eum atque devicit. Deinde in Apuliam apud Fojas coram Comite Gilisberto similiter tunc temporis Magistro Capitaneo, & gubernatore totius regni, & tota regali Curia, querelis depositis rationabiliter devicit & superavit. Igitur res, quæ ex ipsis quæstionibus recuperatæ fuerunt hæ sunt: Videlicet quæstio fuit de montibus, & lignis silvarum montis Ursæ, Tarini atque Magelle. Quæstio fuit de Ecclesiis & Obedientiis magnis & minimis per Comitatum Manuplellensem constitutis, Ecclesiæ S. Clementis subditis & pertinentibus. Quæstio quoque fuit de hominibus in eodem Comitatu eisdem Ecclesiis subjacentibus. Quæstiones aliæ plures fuerunt, super quibus omnibus Domnus Leonas potenter obtinuit. Indeque judicio regalis Curiæ ab eodem Comite Boamundo reinvestitus eas res accipiens possedit. Porrò Comes Boamundus cùm iterum contra Monasterium S. Clementis ageret ex consilio cujusdam militis, qui Thomas de Venusio vocabatur, Monachos de Obedientiis ejecit, ipsas sub laicorum procuratione posuit, & ex omnibus rebus suæ terræ Piscariense Monasterium expoliavit. Unde Fratres indignati Thomam ipsius nequitiæ consiliarium excommunicantes quotidie in ejus anathema tribus vicibus omnia Monasterii signa pulsabant. Contigit nempe ipsum Comitem cum eodem milite in Siciliam eo tempore abire: Cùmque Mesanam venisset idem Thomas gravissimam infirmitatem incurrit, ex qua nec dormire, nec etiam in lecto requiem aliquam habere poterat. Dicebat enim, quia sonitus omnium Campanarum Ecclesiæ S. Clementis erat in auribus ejus, qui dolorem gravissimum dabat in capite, & somnum repellebat ab oculis. Itaque sic percussus jacens, & talibus ictibus mori timens, cuidam Episcopo languoris sui periculum confessus est. Episcopus autem ille causam omnem ex ejus ore dignoscens, & quòd pro suo malo consilio, sicut supra dictum est, excommunicatus esset, consuluit eum, ut daret operam emendationi. Convocato denique præfato Comite, & literis emendationis impetratis, statim ut nuntius missus est, ut Ecclesiæ & res supradictæ de terra Comitis Piscariensi Monasterio sublatæ redderentur, ipse Thomas convalescens ab eadem infirmitate, virtute Dei & Martyris placatione Clementis est liberatus. Denique Comes Boamundus non multò post ad mortem veniens, & de molestiis Ecclesiæ S. Clementis illatis, profundis suspiriis se recognoscens, in ultimo testamento per manus venerabilis Episcopi Johannis Signensis restituit B. Clementi Sanctam Crucem de Caramanico, & S. Cesidium de Tocco, & quicquid juris S. Clementis erat, & ipse molestaverat in toto Manuplellensi Comitatu, in montibus & planis, in lignis, & petris, in terris, & molendinis, in hominibus, & eorum reditibus, in Ecclesiis, & Ecclesiasticis censuris, reddidit, & perpetim quietavit. Unde ab ejusdem Cœnobii Fratribus absolutus mortis debitum solvit. His ita recuperatis Domnus Leonas easdem res sinè inquietudine tenuit, & pacificè possedit usque ad tempus.

Rursus plures Sulmonensium civium divinitus compuncti, quotidie res suas S. Clementi porrigentes in suo Cœnobio Monasticam vitam eligebant. Qui verò fuerint & eorum nomina, & possessiones in chartis exinde legitimè factis, & testibus idoneis roboratis, ac Monasterio feliciter porrectis, pleniter inveniuntur. Cùm igitur apud Sulmonem, sicut dictum est, possessiones B. Clementis augmentarentur, & Deo faciente vehementer excrescerent, Domnus Abbas Leonas accepto fundo à regali Curia construxit oratoriam domum in angulo ipsius Civitatis, circa portam, quæ dicitur Maranesca, ut Fratres, qui pro negotiis & eisdem rebus custodiendis & conservandis mitterentur, haberent ubi psallerent, & in Officiorum obsequiis se frequentiùs & liberiùs ibidem occuparent. Porro in hoc facto Episcopis Ecclesiæ Valvensis cupiditate ductis fortiter eidem Abbati resistentibus Oratorium ipsum ad

ad consecrationis effectum perducere destitit; imò propterea multa ex supradictis possessionibus & rebus à se acquisitis, beneficiali ordine locavit, & ipsis Sulmonensibus sub certo tempore & annuali censu concessit, sicut in ipsis scriptis concessionis reperiri potest & legi. Consecravit tamen in eodem Episcopatu per manus Berardi Furconensis Episcopi Sanctæ Trinitatis Ecclesiam de Pacentro, nuper ex conbustione violatam. Per eundem etiam Episcopum consecravit nonnullas alias Ecclesias in terra Sansonesca, videlicet Ecclesiam S. Angeli in Castello de Petraniqua: Ecclesiam S. Antonini in Bectorrita, Ecclesiam S. Pelini de Pantano: in terra verò S. Clementis S. Bartholomæum de Orta, & S. Mariam de Vadulato. Item in terra Sansonesca consecravit alias Ecclesias renovatas per manus Domni Oderisii Valvensis Episcopi, unam videlicet S. Felicis de Teczanico, alteram S. Mariæ de Cerbarano. Infra Monasterium verò renovavit altare B. Nicolai, & consecravit per manus præfati Domni Berardi Furconensis Episcopi. Capellam verò apud infirmatorium constructam, similiter per eundem Episcopum solemniter dedicavit.

Recuperavit profectò in regali Curia super quendam strenuissimum virum Wilielmum, Morelli nomine, Baronem Aprutinum, homines juris B. Clementis, quos in Castello de Ripa Wilielmus idem sibi violenter vendicaverat: unde judicio regalis Curiæ de ipso Castello præfatis hominibus abstractis, vocabulo S. Georgii, Castellum construxit, & in eo ad profectum Ecclesiæ homines posuit atque minuit. Cum uterinis quoque fratribus suis, & aliis potentibus viris sui generis, pro rationibus Ecclesiæ dimicavit, & multoties cum ipsis est altercatus de possessionibus Ecclesiæ, quas invadebant; de censu quem non persolvebant, de pontibus, quos evertebant; de Ecclesiis & Clericis, quos sibi vendicabant, de multis molestiis, quas inferebant. Unde in quibusdam, videlicet super Clericorum pressuris, & Ecclesiasticis censuris, ita quandoque per se, & sententiam excommunicationis in eos promulgatam, quandoque per literas Apostolicæ Sedis, & interminationis ipsius Romani Pontificis, quandoque per literas regiæ auctoritatis eos compescuit, quòd in majorem jurisdictionem Ecclesiæ S. Clementis, Clerum & totum pæne jus Ecclesiasticum, & in melius, quàm antea fuerat convertit.

EPISTOLA ALEXANDRI PAPÆ

Ad Ricardum Gentilem de Terra Sansonesca.

„ NObili Viro Ricardo Gentili: super „ prudentia & nobilitate tua non pos- „ sumus non mirari, quòd cùm Ecclesia B. „ Clementis mater tua existat, & tota terra „ Sansonesca ad eam ab ipso fundationis exor- „ dio de jure pertineat, & quicquid tam tu, „ quàm Fratres tui de eadem terra tenetis à „ prædicta Ecclesia recognoscere, & inde „ sicut progenitores vestri, & alii qui eam „ per tempora tenuerunt, fecisse noscuntur, „ annuum censum reddere debeatis, ipsam „ Ecclesiam, quam pietatis intuitu, & ratio- „ ne fratris, obtentu quoque dominii, quod „ in te & fratres tuos habere dignoscitur, „ deberes diligere, & ab omnibus defensare, „ opprimere & perturbare præsumis, & tibi „ Ecclesias suas vendicare, & Clericos contra „ Abbatem manu tenere, & etiam excommu- „ nicatos & interdictos defendere non vereris. „ Unde quoniam hoc animæ tuæ periculosum „ existit, & nos id nulla ratione volumus, „ sicut non debemus, in patientia sustinere; „ industriam tuam monemus, & tibi ex parte „ Dei & nostra mandamus, ut à molestia & „ infestatione prædicti Monasterii omnino de- „ sistens, ei Ecclesias & alia jura sua liberè „ & quietè dimittas. Clericos verò, quos „ idem Abbas pro multis excessibus suis, & „ quia Capitulo inobedientes fuerunt, ab offi- „ cio suspendit, & excommunicationis vinculo „ innodavit, tanquam excommunicatos evites, „ & eos deinceps contra Abbatem in nullo „ defendere vel manu tenere præsumas. Quod „ si ulteriùs feceris, te noveris excommunica- „ tionis vinculo innodandum, & si nec sic „ resipueris, per Regem te faciemus, prout „ dignum fuerit, corrigi, & ab his cessare „ molestiis.

Hic Abbas constituit, ut nullus Clericus in terra Sansonesca ordinetur, nisi ab Ecclesia Casauriensi sibi licuerit: ordinatus Presbyter nullatenus Missam celebret, nisi priùs Basilicæ S. Clementis se repræsentet, & sub Evangelico juramento legat capitularem Canonem ibidem descriptum. Prohibuit etiam sub pœna depositionis, ut nullus ipsorum Clericorum ab eisdem Dominis secularibus investituras Ecclesiarum accipiat. Iste siquidem Domnus Leonas Abbas cùm in Apuliam ad felicissimum Regem VVilielmum secundum pro negotiis Ecclesiæ suæ accessisset, sacrum ab eo præceptum attulit sigillo regio roboratum, de adulteriis, quæ fierent in tota parrochia sua coërcendis, & de personis Clericorum ab omni potestate & judicio laicorum exemptis.

PRIVILEGIUM

Wilielmi Regis.

„ WIlielmus Dei gratiâ Rex Siciliæ, Du- „ catus Apuliæ, & Principatus Ca- „ puæ, Comitibus, Camerariis, Justiciariis, „ Baronibus, & universis Bajulis, qui sunt „ de parrochia Abbatiæ S. Clementis de Pi- „ scaria, fidelibus suis salutem, & dilectio- „ nem. Leonas venerabilis Abbas S. Clemen- „ tis de Piscaria, fidelis noster, ostendit Ma- „ jestati nostræ dicens, quòd Ecclesia sua „ privatur & diminuitur à vobis de jure suo, „ videlicet de adulteriis, quæ non permittitis „ judicari & corrigi in Curia ipsius Ecclesiæ „ sicut debent; & de personis Clericorum, „ quæ à vobis ut laici judicantur, capiuntur, „ & incarcerantur: quod si verum est, admo- „ dum nobis displicet, & grave ferimus. Non „ enim decet, neque volumus, ut ea quæ ab „ Ecclesia judicari & coërceri debent, à vo- „ bis judicentur vel puniantur. Quare man- „ damus universitati vestræ, & præcipimus, „ ut amodo de adulteriis judicandis non vos „ intromittatis, sed si quis de parrochia præ- „ dictæ Abbatiæ S. Clementis de adulterio „ accusatus, vel in eo deprehensus fuerit, ad „ judicium Curiæ nostræ, videlicet de insultu „ & violentia judicetur ab ipsa Curia nostra. De

„ De personis autem Clericorum volumus & „ jubemus, ut si aliquis Clericus totius Parro- „ chiæ prædictæ Abbatiæ S. Clementis de ali- „ quo forisfacto, de quo de persona judica- „ ri vel condemnari debeat, appellatus fue- „ rit, non à vobis, neque in Curia vestra, „ sed ab Ecclesia, & in Curia Ecclesiæ, de „ hoc, quod ad personam suam spectat, judi- „ cetur, & corrigatur, juxta Canones & jus „ Ecclesiasticum. Excepto si aliquis Clericus „ fuerit appellatus de proditione, vel de alio „ hujusmodi magno maleficio, quod spectat „ contra Majestatem nostram; quod si accide- „ rit, volumus & præcipimus ut de hoc quod „ spectat ad judicium Ecclesiæ, judicetur ab „ Ecclesia, & de hoc, quod spectat ad judi- „ cium Curiæ nostræ, judicetur ab ipsa Curia „ nostra. Si verò aliquis Clericus de heredi- „ tate vel de aliquo tenimento, quod non ab „ Ecclesia sed à vobis, sive per patrimonium „ sive aliunde in terris vestris teneat, appella- „ tus fuerit, ut de hoc in Curia illius, in cu- „ jus terra possessiones vel tenimentum ha- „ buerit, respondeat, & quod justum fuerit, „ faciat, non tamen ut persona sua exinde „ capiatur, aut incarceretur. Præterea vobis „ Bajulis præcipimus, ut ad prædicta adulte- „ ria coërcenda & corrigenda eidem venera- „ bili Abbati, fideli nostro, in quibus opus „ fuerit auxilium tribuatis.

„ Datum Salerni primo die Idus Junii, Indi- „ ctione quinta.

1170.

Per idem tempus anno videlicet Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo septuagesimo, cùm Domnus Leonas Abbas Subdiaconatus fungeretur officio, competenter ab Ecclesia Romana vocatus, apud Verulas à Domno Papa Alexandro in Diaconum Apostolicæ Sedis est promotus duodecimo Calendas Aprilis Sabbato ante Dominicam de Passione. Eodem insuper anno Apostolicis literis autorizavit festum Translationis corporis B. Clementis, omni anno sexto Calendas Junii solemniter celebrandum.

EPISTOLA DECRETALIS

Alexandri Papæ III.

„ ALexander Episcopus servus servorum „ Dei, dilectis filiis Leonati Abbati, „ & Conventui Sancti Clementis de Piscaria, salutem & Apostolicam benedictio- „ nem. Licet omnes qui pia & religiosa „ loca intuitu devotionis frequentant, & ibi- „ dem omnipotentem Dominum devotis ora- „ tionibus & votivis cordis affectibus sibi red- „ dunt placatum, suorum mereantur percipe- „ re veniam delictorum, in solemnibus tamen „ & præcipuis festivitatibus tanto celebriùs „ eadem loca debent ab universis Dei Fide- „ libus frequentari, & majore devotione & „ reverentia venerari, quanto devotiùs tunc „ Ecclesiastici viri obsequiis Divinis insistunt, „ & pro excessibus populorum specialiùs om- „ nipotens Dominus & ferventiùs exoratur. „ Quoniam igitur pium & justum est, & à „ Sanctis Patribus institutum, ut ad Ecclesias „ Dei universi Fideles in præcipuis & solem- „ nibus diebus compuncta mente & ardenti „ desiderio concurrere debeant, & in voto „ laudis & placationis suorum peccatorum in- „ dulgentiam implorare; Nos vestris piis de- „ sideriis, & justis postulationibus inclinati, „ universis, qui ad Ecclesiam vestram in die „ translationis corporis S. Clementis Papæ & „ Martyris, quod, sicut in antiquis scriptis „ habetur, in eadem Ecclesia requiescit, de- „ vota mente concurrerint, & ibidem vobis- „ cum in ejusdem gloriosi Martyris veneratio- „ ne vota laudis & placationis exsolverint, id „ ex parte omnipotentis Dei, & auctoritate „ Apostolorum Petri & Pauli ac nostra in suo- „ rum remissionem injungimus peccatorum.

„ Datum Verul. Quarto Calendas Maji.

Ipse namque Abbas instituit & festum Inventionis ejusdem Martyris tertio Calendas Januarii recolendum, suprascripto Fratre Joanne Berardi suggerente atque rogante. Similiter fecit de festo Cathedræ ejusdem Gloriosi Pontificis, ut decimo Calendas Februarii celebretur. In Marchiam Firmanam quosdam Fratres ad possessiones B. Clementis delegavit, indeque pensiones & census recepit. Ad Commarchianos Episcopos literas Apostolicas impetravit ad recuperandas possessiones juris B. Clementis. Textus verò epistolarum quas ab Apostolica Sede, & à regali Curia super rationibus S. Clementis, & rebus prædictis acquisivit, in hoc instrumentali volumine scriptæ reperiuntur hoc modo:

SENTENTIA

In Clericos de Terra Sansonesca.

„ ALexander Episcopus servus servorum „ Dei, venerabilibus Fratribus Pinnen- „ si & Valvensi Episcopis, salutem & Apo- „ stolicam benedictionem. Ex parte dilecti „ filii nostri Leonatis Abbatis S. Clementis de „ Piscaria nobis innotuit, quòd cùm in Cle- „ ricos suos de Castellione interdicti senten- „ tiam pro suis excessibus promulgasset, ipsi „ nihilominus post interdicti sententiam can- „ tare præsumpserunt: quare ipsos cùm divi- „ na officia celebrare non omiserint, excom- „ municationis vinculo innodavit. Quia verò „ Ecclesiastica sententia, quæ in malefactores „ aliquos rationabiliter promulgatur, rata de- „ bet & firma consistere, Fraternitati vestræ „ per Apostolica scripta præcipiendo manda- „ mus, quatenus si ita est, præfatos Clericos „ publicè accensis candelis per Episcopatus „ vestros excommunicatos denuntiari, & sicut „ excomunicatos faciatis ab omnibus cautiùs „ evitari, donec ad mandatum, & obedien- „ tiam prædicti Abbatis revertantur, & ei „ congruè satisfaciant, & cum literis vestris „ Apostolico se conspectui repræsentent.

„ Datum Feren. quarto nonas Aprilis.

SENTENTIA

Contra Clericos de Terra Sansonesca.

„ ALexander Episcopus servus servorum „ Dei, dilecto filio Leonati Abbati S. „ Clementis de Piscaria, salutem & Aposto- „ licam benedictionem. Nuntium & literas „ tuas debita mentis alacritate recepimus, & „ comperta solicitudine, quam de statu no- „ stro & Ecclesiæ tanquam devotus & specia- „ lis filius habere dignosceris, affectioni tuæ „ præsentibus literis significamus, quòd nos,

„ & Fratres nostri per Dei gratiam sani & „ incolumes sumus, & circa commodum & „ profectum universalis Ecclesiæ, sicut Domi- „ nus nobis ministrare dignatur, pastorali so- „ licitudine vigilamus. De cetero auditis ex „ ore nuntiorum tuorum gravaminibus & mo- „ lestiis, quas nobiles viri Berardus Gentilis, „ & fratres ejus, Rogerius filius Ricardi, & „ fratres ejus, tibi, & Monasterio tuo con- „ gruè satisfacere non postponant, sicut ex „ scripto, quod eis dirigimus, tibi plenius „ innotescit. Mandamus itaque discretioni „ tuæ, quatenus si jamdicti viri monitis & „ mandatis nostris infra quindecim dies post „ susceptionem literarum nostrarum noluerint „ acquiescere, ipsos auctoritate nostra excom- „ municatos denunties, & facias sicut excom- „ municatos attentiùs evitari; nisi fortè eos „ videris ampliùs sustinendos. Nos enim vi- „ cinis Episcopis dedimus in mandatis, ut sen- „ tentiam tuam observent firmiter, & faciant „ inviolabiliter observari: & Clericos, qui „ contra interdictum tuum in terra Sansones- „ ca scienter cantaverint, excommunicent, „ & faciant sicut excommunicatos vitari. Vo- „ luntatem siquidem, & fervens desiderium „ gerimus, personam tuam sincera in Domi- „ no & speciali caritate diligere, & jura Mo- „ nasterii tui tanquam nostri specialis & pro- „ prii attenta solicitudine conservare. De vi- „ sitatione autem tua affectioni tuæ gratiarum „ referimus actiones.

„ Datum Tusculani quarto nonas Octobris.

De eadem Re.

„ ALexander Episcopus servus servorum „ Dei, Venerbilibus Fratribus Marsica- „ no, Pinnensi, & Valvensi Episcopis, & di- „ lectis filiis, Teatinensis, & Furconensis Eccle- „ siarum Clericis, salutem & Apostolicam be- „ nedictionem. Varias & multiplices quere- „ las ex parte dilecti filii nostri Leonatis Ab- „ batis S. Clementis de Piscaria, adversùs „ nobiles viros Berardum Gentilem, & fra- „ tres ejus, Rogerium filium Riccardi, & fra- „ tres ejus ad audientiam nostram noveris „ pervenisse, quòd ipsi ei & Monasterio suo „ de terra Sansonesca debitum & consuetum „ censum subtrahunt, Ecclesias ejusdem ter- „ ræ, & earum possessiones inter se dividere, „ & inde Presbyteros instituere, & destinare „ non formidant. Accedit ad hæc, quòd cùm „ idem Abbas in eandem terram interdicti, „ & in quendam Simoniacum, qui Ecclesiam „ quandam à præfatis viris certè dicitur pre- „ tio comparasse, excommunicationis senten- „ tiam protulisset, iidem viri jam dictum ex- „ communicatum fovere non desinunt, & con- „ tra interdictum Abbatis in præfata terra per „ Clericos Farfensis Monasterii, qui sunt Schis- „ matici, Divina faciunt celebrari. Inde est, „ quòd Fraternitati vestræ per Apostolica „ scripta præcipiendo mandamus, quatenus „ Clericos, qui scienter in præscripta terra con- „ tra interdictum Abbatis cantaverint, omni „ dilatione & contradictione postposita, ex- „ communicatos denuntietis, & faciatis sicut „ excommunicatos vitari; & cùm præfatus „ Abbas in supradictos viros pro tantis exces- „ sibus juxta mandatum nostrum excommuni- „ cationis sententiam tulerit, eam omni oc- „ casione & appellatione remota, observetis „ firmiter, & faciatis inviolabiliter observa- „ ri, nec eis præsentibus Divina in Ecclesiis „ vestris permittatis Officia celebrari, & Cle- „ ricos Episcopatuum vestrorum ad terram il- „ lam pro celebrandis ibi Officiis prohibeatis „ transire.

„ Datum Tusculani quarto nonas Octobris.

Pro quibusdam possessionibus Sancti Clementis in Marchia.

„ ALexander Episcopus servus servorum „ Dei, venerabili Fratri Maguntin. Ar- „ chiepiscopo, salutem & Apostolicam bene- „ dictionem. Quanto dilectum filium nostrum „ Abbatem S. Clementis de Piscaria conside- „ ratione devotionis, quam circa nos & Ec- „ clesiam gerit, & Monasterii, cui præeminet, „ quod specialiter B. Petri juris existit, since- „ riori caritate diligimus, tanto attentiùs „ eundem dilectioni tuæ duximus commendan- „ dum, sperantes ad interventum nostrum ce- „ leriter peragendum, quod amore justitiæ „ nemine commonente effectui mancipari de- „ beret. Cùm igitur occasione discordiæ, quæ „ diu inter Ecclesiam & Imperium fuit, præ- „ scriptum Monasterium grave sustinuerit in „ Marchia detrimentum, ad recuperandas ju- „ stitias suas præfatus Abbas tuo potissimùm „ indiget auxilio, quod tanto volumus effica- „ ciùs ministrari, quanto propensiùs præscripto „ Monasterio in suis tenemur necessitatibus „ providere. Quo circa Fraternitati tuæ per „ Apostolica scripta rogamus, monemus at- „ tentiùs & mandamus, quatenus præfatum „ Abbatem, vel Nuntios ejus pro reverentia „ B. Petri & nostra, sicut de te bene confidi- „ mus, benignè respicias, & eos, qui in Mar- „ chia Anchonitana possessiones detinent, ad „ jam dictum Monasterium pertinentes, ad „ eas restituendas districtè compellas, ita „ quòd literæ nostræ optatum sortiantur effe- „ ctum, & nos solicitudinem tuam debeamus „ multipliciter commendare. Nolumus autem „ ad restitutionem opponi, quod tempore „ Schismatis possederunt, cùm hostilitas præ- „ scriptionem præbetur meritò impedire.

„ Datum Laterani quinto nonas Maji.

Alia de eisdem rebus.

„ ALexander Episcopus servus servorum „ Dei, venerabilibus Fratribus Auximan. „ Apostolicæ Sedis Legato; Firman. Came- „ rinen. & Senogalien. Episcopis, salutem & „ Apostolicam benedictionem. Quanto majo- „ rem B. Petro, & Sacrosanctæ Romanæ Ec- „ clesiæ reverentiam exhibere debetis, tanto „ Monasteria, & Ecclesias, quæ ad nos nullo „ mediante respiciunt, habere tenemini pro- „ pensiùs commendatas, & ab earum mole- „ stiis Parrochianos vestros districtiùs cohibe- „ re. Accepimus autem, quòd quidam Parro- „ chianorum vestrorum possessiones multas „ S. Clementis de Piscaria detinent, quas in- „ stante Schismate temeritate propria invase- „ runt. Quoniam igitur quanto idem Mona- „ sterium specialiùs B. Petri juris existit, tanto „ fortiùs ejus volumus indemnitatibus provi- „ deri Fraternitati vestræ per Apostolica scrip- „ ta mandamus, atque præcipimus, quatenus „ Parrochianos vestros, qui vobis nominati „ fuerint, ad ea restituenda, quæ de jure in- „ justè

" justè detinent non differatis districtiùs commonere. Ceterum si invasa restituere, vel post restitutionem Monasterium quisquam vexare præsumpserit, eum, dilatione & appellatione remota, & excommunicationis vinculo innodetis, & usque ad dignam satisfactionem, sicut excommunicatos, faciatis ab omnibus evitari: solicitè provisuri, ut ita mandatum Apostolicum exequamini, quòd Abbas pro defectu justitiæ laborare ad Sedem Apostolicam non cogatur, nec vos repulsam debeatis à nobis in vestris postulationibus sustinere.

" Datum Laterani Idus Maji.

DE ROCCA SOTI,

Et censu exinde solvendo contra Gentilem de Rajano.

" ALexander Episcopus servus servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Oder. Valven. Abrutin. & Marsican. Pinnen. Furconen. Episcopis & dilectis filiis Capitulo Teatino, & Abbati S. Vincentii, salutem & Apostolicam benedictionem. Ex transmissa conquestione dilecti filii nostri Abbatis S. Clementis de Piscaria, auribus nostris insonuit, quòd Gentilis de Rajano censum debitum Monasterio ejus solvere contradicit, & parrochialia jura, quæ de Rocca de Soti ipsi de ratione debentur, in suæ salutis periculum tam Clericos, quàm laicos reddere non permittit, nec ejus Ecclesias, pro ut convenit ordinari. Quoniam igitur laici ab oppressione Monasteriorum censura sunt Ecclesiastica coërcendi, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus, si quod nobis propositum est veritati innititur, præfatum Gentilem excommunicationis vinculo astringatis, & faciatis sicut excommunicatum ab omnibus evitari, quousque ablata restituat, & à præfati Monasterii molestatione desistat. Quòd si nec sic resipuerit, in terra ejus, quandiu præsens fuerit, divina prohibeatis Officia celebrari. Quòd si omnes hæc exequi nequiveritis, duo aut tres vestrûm ea nullius obstante gratia, vel timore nihilominus exequantur.

" Datum Tusculan. septimo Idus Februarii.

Pro quibusdam Possessionibus Monasterii S. Clementis in Pinne & Aprutino.

" ALexander Episcopus servus servorum Dei, venerabilibus Fratribus Abrutino, & Pinnensi Episcopis, salutem & Apostolicam benedictionem. Significavit nobis dilectu filius noster Abbas S. Clementis de Piscaria, quòd quidam Parrocchiani vestri Ro. de Malatino, Transmundus de Rocca. Ad. Ro. de Troja, & filius Aton. Theod. occasione patronatus, quem in suis Ecclesiis asserunt se habere, bona eorum diripiunt, & Clericos deprædantur, cùm nullum jus habere perhibeantur. Adjecit etiam, quòd quidam eorum in Monachum quendam eorum & Presbyterum manus violentas injicere ausu temerario præsumpserunt. Quoniam igitur damnum Ecclesiarum, & insolentiam laicorum, clausis nolumus nec debemus oculis pertransire, Fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus memoratos malefactores monere curetis, & diligenter inducere, ut ablata restituant, damna data resarciant, & de injuriis illatis satisfaciant congruenter. Quòd si monitis vestris non acquieverint, ipsos appellatione remota Ecclesiasticæ severitatis gladio feriatis. Eos verò, qui manus violentas in Monachum & Presbyterum injecerunt, sicut excommunicatos faciatis tamdiu ab omnibus evitari, quo usque præstita satisfactione absolvendi cum vestrarum testimonio literarum Apostolico se conspectui repræsentent.

" Datum Tusculani septimo Idus Februarii.

Episcopis in Marchia constitutis pro rebus Monasterii Sancti Clementis.

" ALexander Episcopus servus servorum Dei, Viro Venerabili Fratri Firmano Episcopo; similiter Esculano Episcopo; similiter Camerinensi Episcopo, similiter G. Subdiacono nostro Auximanensi Procuratori; similiter dilecto filio Priori Fontis Avelianæ, salutem & Apostolicam benedictionem. Quanto dilecti filii nostri Leonas Abbas, & Fratres Monasterii S. Clementis de Piscaria arctiori nobis & Ecclesiæ Romanæ sunt devotione astricti, tanto eis in jure suo cura propensiori tenemur adesse, & hoc sibi propensiùs conservare. Unde siquidem est, quòd nos illorum justitiæ providere volentes per Apostolica tibi scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus possessiones, quæ in Parrochia tua ad præscriptum Monasterium pertinere noscuntur, quas tu aut aliqui Parrochianorum tuorum occupatas tenent, præfato Abbati & Fratribus, omni occasione & excusatione cessante, restituas, vel ita eis plenam inde justitiam facias, quòd ad nos pro juris sui defectu querelam de cetero non cogantur perferre. Quòd si earum detentores tuæ in hac parte commonitioni acquiescere fortè noluerint, tu ipsos sententia excommunicationis percellas, & sicut excommunicatos usque ad dignam satisfactionem facias ab omnibus evitari.

" Datum Verul. Octavo Calendas Aprilis.

Pro Causa de Castello Ripæ ventilanda.

" WIlielmus Dei gratiâ Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Leonati venerabili Abbati Monasterii S. Clementis fideli suo, salutem & dilectionem. Literas honestatis tuæ, per quas Curiæ nostræ supplicando mandasti, ut liceret tibi venire Panormum ad Curiam nostram, & ibidem consistere in judicio cum Guilielmo Morello: de his, quæ proponis adversùs eum, vidimus, & in eo petitionem tuam clementer admisimus. Mandamus itaque & præcipimus fidelitati tuæ, ut his visis literis statim venias ad Curiam nostram; nos enim mittimus præcipiendo jam dicto Guillelmo Morello per literas nostras, ut ipse similiter veniat Panormum ad Curiam nostram, paratus respondere super his, quæ tu proposueris adversùs eum.

" Data Panormi mense Decembri sexto Indictione quinta.

De Hominibus S. Clementis ex Castello Ripa abstrahendis.

„ Willelmus Dei gratiâ Rex Siciliæ Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Joselino Comiti Loriti, Odoni de Celano Justitiariis & fidelibus suis, salutem & dilectionem. Notum facimus vobis, quòd Leonas venerabilis Abbas Monasterii S. Clementis de Piscaria ad Curiam nostram veniens conquestus est, quòd Guillelmus Morellus contratenebat ipsi Abbati abstrahere quosdam homines Ecclesiæ S. Clementis de quodam Castello suo, quod dicitur Ripa. Verùm quia prædictus Guillelmus præsens erat, constitit in judicio in Curia nostra cum eodem Abbate & judicio Curiæ nostræ, prædictus Abbas obtinuit, ut liceat ei homines ipsos de eodem Castello abstrahere, & in terram suam perducere. Quare mandamus studio fidelitatis vestræ, & præcipimus, ut si prædictus Guillelmus mandatum Curiæ nostræ præterire, vel aliquatenus differre voluerit, vos illud adimplere faciatis.

„ Data Salerni mense Junii quinto, Indictione quinta.

Pro rebus S. Clementis in Civitate S. Angeli.

„ Wilielmus Dei gratiâ Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ & Principatus Capuæ, Joselino Comiti Loriti Justitiario & fideli suo, salutem & dilectionem. Leonas venerabilis Abbas S. Clementis de Piscaria ad Curiam nostram veniens exposuit Majestati nostræ, dicens, quòd prædictum Monasterium S. Clementis habet quosdam homines in terra tua, in civitate videli et S. Angeli, quibus Bajuli tui multa injusta inferunt, adeò quòd præfatum Monasterium redditus, & ea, quæ solitum est habere, & habere debet, nullo modo potest habere; sicut ipse Abbas dicit. Unde mandamus studio fidelitatis tuæ, & præcipimus, ut si verum est illud, justè & rationabiliter emendari facias, ut prædictus Abbas super hoc ad Curiam nostram justam querimoniam ulteriùs non deducat. Præterea idem Abbas conquestus est, quòd Ecclesia sua debet & consuevit habere decimas de quodam tenimento terræ tuæ, quas ei contratenes, sicut ipse dicit. Quare mandamus tibi & præcipimus, ut si verum est, sicut solitum est, & hactenus habuit, eas habere permittas.

„ Data Salerni mense Junii, Indictione quinta.

EPISTOLA

Goffridi Comitis.

„ Spirituali in Christo Patri suo, fratri, & amico plurimum dilecto Domno Leonati, Cœnobii S. Clementis Venerabili Abbati, Goffridus Dei & regiâ gratiâ Comes Alesin. & Domni Regis Justitiarius, salutem & debitam in Domino reverentiam. Ex obedientiæ debito & sinceritate dilectionis, quæ nos Venerabili Monasterio vestro & vobis devotos conjungunt, ea, qua valuimus exultatione fratrem Boamundum dilectum in Christo communem fratrem, à latere vestro ad nos transmissum honorificè recipientes petitionibus Monasterii vestri nobis per eum significatis alacriter & sincerè paruimus, partem videlicet Piscariæ in caldulis, quam in domanio nostro tenemus, petiam terræ quandam prope pontem Alesin. terram, quæ fuit de Bibaldo ad plantandam vineam, & homines duos Monasterio vestro utiles concedentes, de quibus Fratri Petro Monacho vestro instrumentum necessarium fieri facimus. Hæc autem in præsentiarum devoto animo Monasterium vestrum augendo tribuimus, & de cetero divinà largiente gratia in majora prævidebimus, vobis verò & Fratribus vestris in beneficiis & orationibus vestris pro nobis apud Dominum sit cura & memoria nostri.

Tenementum S. Christiani ultra fluvium Cignum locavit Abbas, & concessit nobili viro Mallerio de Palene sub præfixo tempore, & certo servitio, secundùm tenorem, qui in ipsius scripto concessionis invenitur. Sanctum quoque Sylvestrum de Oligeto, in quodam religionis viro Joanne locavit. Quando Domnus Alexander Papa Romæ Synodum celebravit, Domnus Leonas Piscariensis Abbas inter Diaconos Cardinales in eodem Concilio celebrem locum habuit. Emit profectò in ornatum Ecclesiæ S. Clementis sibi commissæ pallea, de quibus pretiosas cappas & tunicas fieri fecit. Emit, & acquisivit optimas planetas, & Kariffi olosérica dossalia (*) & tapetia, ex quibus parietes Ecclesiæ & chori ornarentur in præcipuis festis, quæ in ejus memoriam inter alia longo tempore poterunt recognosci. Libros quoque plurimos, inter quos præcipuum Librum Decretorum cum Summis ejus à Magistris compositis scribere fecit, & eos in Bibliothecam Ecclesiæ Casauriensis est devotissimè contestatus. Hunc quoque Librum Instrumentorum, seu Chronicorum, quem ego Frater *Johannes* (**) composui & ordinavi, & Magister Rusticus manibus scripsit, ipso permittente, imò jubente ac adminiculante, perfecimus. Antiquum verò palatium Abbatum, quia vetustate consumptum suo tempore cecidit, illud renovare cœpit, sed aliis negotiis supervenientibus opus ipsum fuit intermissum. Porrò domum, quam in ejusdem palatii exordio construxit, in horreum Ecclesiæ deputavit; Domum quoque ligneam ad receptionem adventantium construxit ante ipsius Ecclesiæ vestibulum.

Inspirante igitur post hæc illum superna gratia, & devotione, quam erga gloriosissimum Martyrem Clementem habebat, ipsius Ecclesiam opere mirifico renovare cœpit, & copiosis expensis & apparatibus, & magistrorum, & cœmentariorum agminibus aggregatis; primò frontispitium cum tribus portis ædificavit, & ibidem sculpturis paparentibus decoravit. Denique ipsam pulcherrimam porticum, quæ est ante levavit, & sicut cernitur in tumbam fabricavit, & priori operi conjunxit. Cui superædificavit Oratorium ad honorem S. Michaëlis Archangeli, & S. Crucis, Sanctique Thomæ Martyris consecrandum, sed antequam opus ipsum consummare potuisset, occurrit ei finis vitæ. 1176.

(*) ... dorsalia *Dacherius*.

(**) *Hic* Johannes *est Author Chronici Casauriensis* *Dacherius*.

1176.

Quando verò fundamenta posuit, erat annus Incarnationis Domini millesimus centesimus septuagesimus sextus. Unde sic est versificatum.

Hoc templum primò Ludovic construxit ab imo,
Abbas quod clarè Leonas cupiens renovare
Cum voto magno Domini fundavit in anno
Milleno seno centeno septuageno.

1182.

Senescente jam itaque Domno Leonate Abbate, biennio ante mortem suam frequentes patiebatur infirmitates: tempore verò Veris subitò gravissima & funerea pulsatus ægritudine, astantibus omnibus Fratribus & flentibus moriens, viam universæ carnis intravit, anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo octogesimo secundo; Abbatiatus autem sui vicesimo septimo, octavo Calendas Aprilis, die celeberrimo festivitatis gloriosissimæ Virginis Mariæ, quo salus hominum ab Angelo sibi fuit annuntiata. Quo etiam die in ipso anno feriâ quintâ Cœna Domini celebrabatur. Quam verò diem ipse clarissimus Abbas reverentiùs atque devotiùs in suscipiendis pauperibus, & ceteris ipsius diei Mysteriis, præ omnibus diebus anni quandiu præfuit Ecclesiæ celebrare consuevit. Sepultus namque est in Christo juxta parietem Ecclesiæ in tumulo sibi præparato, ut ibidem à fratribus, quos educavit, reverenti oculo videri possit indesinenter,

EPISTOLA ROBERTI COMITIS

Capitulo Sancti Clementis post mortem Domni Abbatis.

„ Robertus Dei & Regis gratiâ Comes „ Casert. & Magister Justiciarius totius „ Apuliæ, & Terræ-Laboris, Capitulo S. Clementis de Piscaria amicis suis, salutem & „ amorem. Nos audivimus & pro certo scimus, quòd Ecclesia vestra in manibus Domni „ nostri Gloriosissimi Regis est. Quare mandamus vobis, & ex parte Regia præcipimus, „ ut si quid evenerit in Ecclesia vestra, quod „ justitiæ pertineat, scire faciatis Domno Comiti Tancredo, aut nobis; & vos non constringatis, nisi per nos de hoc, quod justitiæ „ pertinet.

CARMEN AUCTORIS

Sancto Clementi.

Clemens ob lumen scriptum tibi tollo volumen
Hoc ut scriptura tua sint in lumine jura:
Scriptis noscantur, quæ sunt tua jura legantur.
Sit liber gratus, quem servulus est operatus.
Cui tu sis clemens proprio de nomine Clemens:
Perpetuis annis Fratris memor esto Johannis.

Hic

Huc usque Chronicon Casauriense à Dacherio Viro Clariss. editum: sed quoniam Ughellius nonnulla privilegia protulerat, quæ annos Chronographi excedunt; ideo hic eadem extra chorum damus, ne quid ad insigne Monasterium spectans alibi conquirendum supersit.

PRIVILEGIUM

Cœlestini Papæ Tertii.

„ COElestinus Episcopus servus servorum „ Dei. Dilectis filiis Joheli Abbati „ Monasterii S. Clementis de Insulæ „ Piscariæ, quæ Casa-aurea vocatur, ejusque „ fratribus tam præsentibus, quàm futuris Regularem vitam professis in perpetuum. „ Religiosis votis annuere, & ea operis exhibitione complere officium nos invitat suscepti regiminis, & ordo videtur exigere „ rationis. Eapropter dilecti in Domino filii „ vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum Monasterium ubi corpus B. Clementis Papæ, & Mart. requiescit, „ quod solius B. Petri juris existit, in quo divino estis obsequio mancipati, ad exemplar „ prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum fel. mem. Leonis, Calixti, Adriani, „ ac Alexandri sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsenti scripti privilegio communimus, ut soli Romanæ Ecclesiæ subditum ab omnium Ecclesiarum, seu „ personarum jugo liberum habeatur. In primis siquidem statuentes, ut ordo Monasticus, „ qui secundùm Deum, & B. Benedicti Regulam in eodem Monasterio institutus esse „ dignoscitur perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Mansuro igitur in „ perpetuum decreto statuimus, ut quascumque possessiones, quæcumque bona idem Monasterium in præsenti legitimè possidet, firma vobis vestrisque successoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc propriis „ duximus exprimenda vocabulis: in Comitatu Pinnensi Castrum Insulæ, Castellionem, „ Vinulam, Pesculum, Roccam de Soti, Corvarium, Petraniquam, Bectoritum, Alannæ Farum, Casale planum, Colledunum „ cum omnibus Ecclesiis, & pertinentiis suis, „ Castrum quod vocatur Casale S. Desiderii, „ cum Ecclesiis Sancti Petri de Panepenna, „ S. Martini de Muscuso, & S. Justæ de Tagliano. In Civitate S. Angeli, Cellam Sancti Clementis, Castellum S. Mori cum portu, & suis pertinentiis, Ecclesiam S. Cirici „ de Monte Silvano, Ecclesiam S. Salvatoris „ juxta flumen de Nora, cum ipso portu, & „ pertinentiis suis, Ecclesiam S. Gervasii cum „ pertinentiis suis, Priores qui cognomine dicuntur Palummani cum familiis, & pertinentiis suis, Ecclesias Sancti Rustici de Saliano, S. Angeli in Monte Apriano, Sancti Flaviani, S. Mariæ ad Cap. S. Mariæ „ de Colle cum Capella de Rocca, & omnibus pertinentiis suis, Ecclesiam S. Nicolai „ ad Cornisam cum pertinentiis suis. In Comitatu Theatino, Bononisatum cum omnibus Ecclesiis & pertinentiis suis, Ecclesiam „ S. Mariæ de Pesula, Ecclesiam S. Angeli „ de Casula, Ecclesiam S. Cesidii, Monasterium S. Trinitatis de Lapidaria cum pertinentiis suis. In Caramanico Ecclesiam Sanctæ Crucis, Ecclesiam S. Nicolai cum cellis, & aliis pertinentiis suis. Ecclesias Sancti Martini ad Guttam, S. Joannis in Scaviari, S. Silvestri de Oligeto, cum pertinentiis suis. In Comitatu Aprutino, Castrum „ Guardiæ, Castellum Vetulum, Monachiscum, Castrum S. Georgii cum omnibus Ecclesiis, & pertinentiis suis. In Marchia, „ Castrum Lori, Castrum Caldarole, Castrum „ Vestimani, Montem Obtetanum, Rotellum, „ Bricciam, S. Vincentium, S. Angelum ad „ Favaram cum aliis Ecclesiis, & pertinentiis suis. In Comitatu Valvensi, Casale quod „ dicitur S. Trinitatis cum cellis, & pertinentiis suis: in Civitate Sulmonæ, Oratorium, domum, & palatium q. Simeonis, „ Casas, Casilia, & omnes possessiones intra, „ vel extra ipsam Civitatem vestro Monasterio attributas, Ecclesiam Sancti Mauri „ de Amiterno cum pertinentiis suis, Montem de Tarino, cum rupibus, & silvis eorum, Cellam S. Clementis in Lisina cum „ pertinentiis suis. Concedimus etiam vobis „ vestrisque successoribus, omnem decimationem prædictarum terrarum Ecclesiæ vestræ, „ & partem oblationum, quæ pro mortuis „ offeruntur. Interdicimus insuper ut in supradictis locis nullus Episcopus audeat Synodum celebrare, vel aliqua jura Episcopalia exercere, nisi à te, vel à successoribus „ tuis vocatus fuerit. Chrisma verò, Oleum „ Sanctum, consecrationes Altarium, seu Basilicarum, ordinationes Monachorum, seu „ Clericorum vestrorum, qui ad Sacros Ordines fuerint promovendi, à quocumque „ malueritis suscipiatis Episcopo. Sepulturam „ quoque ipsius loci liberam esse decernimus, „ ut eorum devotioni, & extremæ voluntati, „ qui se illic sepeliri deliberaverint, nisi fortè „ excommunicati, vel interdicti sint, nullus „ obsistat. Quæcumque præterea in futurum „ concessione Pontificum, liberalitate Principum, oblatione fidelium, vel aliis justis „ modis poteritis adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, & illibata permaneant. Obeunte verò te nunc ejusdem loci „ Abbate, vel tuorum quolibet successorum, „ nullus in qualibet subreptionis astutia, seu „ violentia præponere, nisi quem fratres communi consensu, vel fratrum pars consilii „ sanioris secundùm Dei timorem, & B. Benedicti Regulam duxerint eligendum, electus à Romano Pontifice consecretur. Paci „ quoque & tranquillitati vestræ paterna inposterum sollicitudine providere volentes „ authoritate Apostolica prohibemus, ne quis „ infra ambitum domorum vestrarum furtum „ committere, ignem apponere, hominem capere, aut interficere audeat, seu vobis, vel „ rebus vestris, aut iis, qui ad vos confugerint, violentiam aliquam temeritate qualibet

„ bet inrogare. Decernimus ergo, ut nulli „ omnino hominum liceat præfatum Monasterium temerè perturbare, vel ejus possessiones auferre, ablatas retinere, minuere, seu „ quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si „ qua igitur in futurum Ecclesiastica, secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire „ temptaverit, secundo tertiove commonita „ nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui careat dignitate, reamque se divino judicio existere „ de perpetrata iniquitate cognoscat, & à Sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & „ Domini Redemptoris nostri Jesu Christi „ aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco sua jura servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hîc „ fructum bonæ actionis percipiant, & apud „ districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen.

„ Ego Cœlestinus Catholicæ Ecclesiæ Episcopus.
„ Ego Albinus Albanensis Episcopus.
„ Ego Octavianus Ostiens. & Velletrens. „ Episcopus.
„ Ego Joannes Prænestinus Episcopus.
„ Ego Pandulfus Basilicæ XII. Apostolorum „ Presbyter Card.
„ Ego Petrus Presbyter Card. tit. S. Cæciliæ.
„ Ego Petrus Presbyter Card. S. Petri ad „ Vincula tit. Eudoxiæ.
„ Ego Jordanus S. Pudentianæ tit. Pastoris „ Presbyter Card.
„ Ego Joannes tit. S. Clementis Card. Tuscanensis Episcopus.
„ Ego Joannes Felix tit. S. Susannæ Presbyter Card.
„ Ego Romanus Presbyter Card. tit. Sanctæ Anastasiæ.
„ Ego Guido Presbyter Card. Sanctæ Mariæ Transtyberim tit. Calisti.
„ Ego Joannes tit. Sancti Stephani in Cælio „ monte Presbyter Card.
„ Ego Cinthius tit. S. Laurentii in Lucina „ Presb. Card.
„ Ego Gratian. SS. Cosmæ, & Damian. „ Diac. Card.
„ Ego Berard. S. Adriani Diac. Card.
„ Ego Goffredus S. Mariæ in Vialata Diac. „ Card.
„ Ego Gregor. S. Mariæ in Porticu Diac. „ Card.
„ Ego Joannes S. Theodori Diac. Card.
„ Ego Bernardus S. Mariæ Novæ Diac. Card.
„ Ego Gregorius Sanctæ Mariæ in Aquiro „ Diac. Card.
„ Ego Gregorius S. Georgii ad velum aureum „ Diac. Card.
„ Ego Lotarius SS. Sergii, & Bacchi Diac. „ Card.
„ Ego Nicolaus S. Mariæ in Cosmedin Diac. „ Card.
„ Ego Gregorius S. Angeli Diac. Card.

„ Dat. Romæ apud S. Petrum per manum „ Ægidii S. Nicolai in Carcere Tulliano Diac. „ Card. Id. Junii Indict. nona, anno Incarnat. „ Dominicæ MCXCI. Pontif. vero D. Cœlestini Papæ Tertii anno primo.

PRIVILEGIUM

Clementis Papæ IV.

„ Clemens Episcopus servus servorum „ Dei. Dilecto filio Abbati S. Clementis „ de Piscaria salutem, & Apostolicam benedictionem. Conveniens est, & honestum, „ ut cum visum fuerit opportunum, quod personis, & locis à Romana Ecclesia deferatur, „ & honoris præbeatur augumentum. Sedes „ Apostolica, quæ diligenter id consuevit attendere, ac insignia concedenda conferre, „ libenter pro personarum meritis, & locorum honoris titulos largiatur. Ea propter, „ fili Abbas, devotionem tuam, & tui Monasterii diligentiùs attendentes, usum Mitræ, „ & Anuli in Missa solemnium festivitatum, „ & Conventibus Synodalibus tibi, tuisque „ successoribus duximus perpetuò concedendum, ut tam tu, quàm Abbas, qui pro „ tempore fuerit, his insignibus decoretur. „ Dat. Lateran. 3. Kal. Junii, Pont. nostri „ anno secundo.

Clementis Quarti Pontificis Maximi Privilegium Exemptionis, & Confirmationis Territorii, bonorum, & Jurium Monasterii S. Clementis.

„ Clemens Episcopus servus servorum Dei. „ Dilectis filii Abbati, & Conventui „ Monasterii S. Clementis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Ord. S. Benedicti Theatin. Diœc. salutem & Apost. „ benedict. Cùm à Nobis petitur, quod justum est & honestum, tam vigor æquitatis, „ quàm ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum perducatur effectum. Ea propter dilecti in Domino filii vestris justis postulationibus grato „ concurrentes assensu, omnes libertates, & „ immunitates à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus per privilegia, vel alias „ indulgentias Monasterio vestro concessas, nec „ non libertatis, & exemptionis sæcularium „ exactionum à Regibus, & aliis Christifidelibus rationabiliter vobis indultas; Terras „ quoque decimas, & alia bona vestra, sicut „ ea justè, ac pacificè obtinetis, vobis, & per „ vos eidem Monasterio auctoritate Apostolica „ confirmamus, & præsentis scripti patrocinio „ communimus. Salva in prædictis decimis „ declaratione Concilii generalis. Nulli ergo „ omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu „ temerario contraire. Si quis autem hoc „ attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli „ Apostolorum ejus se noverit incursum.
„ Datum Viterbii sexto Idus Novembris „ Pontificatus nostri anno tertio.

ADDITAMENTA
AD CHRONICON
CASAURIENSE

Nunc primùm edita

EX MANUSCRIPTO CODICE
REGIÆ PARISIENSIS
BIBLIOTHECÆ.

LUDOVICI ANTONII MURATORII

MONITUM.

EX Libro in fol. magno membranaceo num. 4719. Chartarum ſive Inſtrumentorum de poſſeſſionibus, rebus, & dignitatibus Monaſterii Caſaurienſis, ſive Piſcarienſis in Regno Neapolitano a Ludovico II. Imperatore Lotharii Filio, Ludovici Pii Nepote, Anno 854. conditi. Hic Liber ordinatus eſt a Fratre Johanne Berardi Monacho Caſaurienſi, ſcriptuſque manibus Magiſtri Ruſtici, jubente Domno Leonato Abbate, qui obiit Anno 1182.

Ad marginem Libri interiorem continua ſerie ſcripta eſt Hiſtoria de fundatione Monaſterii Piſcarienſis, & translatione Corporis Beati Clementis, cum Chronici ejuſdem Abbatiae Libris tribus, Auctore eodem Fratre Johanne. Horum Primus cum parte Secundi editus eſt in Tomo III. Scriptorum Francicorum Du-Cheſnii pag. 544. & in Tomo VI. Italiae Sacrae pag. 1291. Edita eſt etiam ex hoc Codice Regio in Tomo V. Spicilegii Dacheriani haec Caſaurienſis Abbatiae Hiſtoria, cum praecipuis Diplomatibus, Regiis nempe & Pontificiis Privilegiis. Quae ſequuntur exſcribo.

LECTORI.

MUratorianam hanc luculentiſſimam appendicem ad Chronicon Caſaurienſe cùm primùm relegimus, ita eamdem diſponere deſignavimus ut pars quæque ſuo loco, & ſervato temporum ordine proferretur; verùm editionem parantibus, obortæ difficultates plurimæ, quæ manum cohibuerunt: impoſſibile namque fuiſſet ita omnia componere, ut ordo perpetuus Chronographi Caſaurienſis, immo non ſemel ſenſus integer ſervaretur. Satiùs itaque duximus ad calcem amandare omnia, quæ liberalitate Chriſtianiſſimi Regis (de cujus ſumma erga hanc collectionem beneficentia opportuniori loco Lectorem monebimus) in lucem nunc prodeunt: optima ſanè antiquitatis monumenta, qualia inclytum REGEM de literis cum univerſa Regia Familia benemerentiſſimum decent, noſtramque Hiſtoriarum collectionem maximè exornant. His commodo ſtudiorum tuorum comparatis utere, grateſque debitas Principi ſacratiſſimo nobiſcum reddere ne obliviſcaris. Vale.

Ea quæ sequuntur excerpta sunt è MSto Codice Regio Parisiensi, & nunc primùm vulgantur.

Anno 850.

„ IN Dei nomine. Notitia Judicati. Dum residissemus nos Odelerius Missus Berengarii, & Ildeberti Comitum in plaito in Marsa, sala publica Domni Regis, pro singulorum hominum causis audiendis vel deliberandis, aderant nobiscum Rainpertus Scabinus de Camerino, & Tenmari, & Amelrico, & alii plures: ibique veniens Angerisi de parte Domni Regis causam ipsam peragebat, & querelatus est, & dixit. *Facite mihi justitiam de Honori nomine Renorius filio quondam Honorati, quia ipsam terram cum pomis, & arboribus, quam ei memoravimus in Casale, quod dicitur Tectiano Maino, debet esse Domni Regis, & de ipsa Colonicia de Arepoldo servo Domni Regis, & de ipso beneficio Niboni Comitis, qui ipse Nibo Comes ipsum beneficium habet de Ilberto Comite seniore nostro à parte Domni Regis, & ipsam terram iste jam dictus Honori Presbyter contendit: pro quo nescimus. Judicate nobis exinde justitiam.* Ad hæc incontinenti respondebat ipse Honori Presbyter unà cum Amelrico Advocato suo, & professi sunt ambo, & dixerunt. *Certè, Domni nostri, dicimus vobis veritatem, quia ipsa terra, quam iste Agerisi memoravit, nos non tenuimus, nec umquam tenemus, nec contendere volumus, nec possumus, quia nobis nihil pertinet.* Et nos qui supra Judices & boni homines cùm audissemus sic dicere, & talem professionem facere, rectè nobis comparuit ita, & renuntiavimus, ut ipsam terram ipse Angerisi percipere, & Honori Presbyter quiescere, & ad partem Domni Regis ipse Arepoldus servus Domni Regis, & sua Colonicia, & Nibo Comes ad suum Beneficium firmiter teneret.

„ Ego Benedictus Notarius ex dicto de supradictis Judicibus scripsi in tempore Ildeberti Comitis, Anno Comitatus ejus VII. mense Julio.

Carta Corvini de rebus suis emptis à Ludovico Augusto CCCC. Libris de auro & argento. Anno 853.

„ IN nomine Domini nostri Jesu Christi Imperantibus Domno Lothario & Ludovico filio ejus Serenissimis Augustis. Anno Imperii eorum in Christi nomine tricesimo quarto, & tertio. Seu temporibus Ildeperti Comitis Anno Comitatus ejus X. die XVI. mensis Aprilis per Indictionem primam. Ideo constat, me Corbinum filium quondam Walderami bona mea voluntate vendidisse, & vendidimus, atque die præsenti tradidimus, vobis Domno Ludovico Imperatori omnes res substantiæ meæ, quicquid habere visus sum in Territorio Pinnensi, idest in casis, terris, vineis, pratis, gualdis, Ecclesiis, & dotis Ecclesiarum, cultis, vel incultis, aquis, & usibus aquarum, omnia & in omnibus, quantum habere visus sum in Territorio Pinnensi, seu & omne meum mobile vel immobile, servos, vel ancillas, colonos, aldiones, quàm & omnes meos cartulatos, & omnes pertinentes meos. Et vendidi vobis ipsas cartulas, vel judicata, seu omnem meam scripturam, undecunque mihi eventæ fuissent vel pertinuissent, sive de juris Parentum meorum, sive de meo conquisitu, sive de commutatione, sive de donatione, vel de quolibet contractu, vel conquisitu mihi eventum fuisset in integrum. Ut potestatem habeatis vos Domne Ludovice Imperator, vel vestri heredes, aut vestri Missi cum omnibus ipsis scriptis omnes suprascriptas res vel casas ab omni homine antistare, causare, & defendere, sicut alias vestras proprietates & scripta. Unde recepi ego Corvinus pretium à vobis Domno Ludovico in tam aurum & argentum, totum in appretiatum, valens libras quadringentas in pretium definitum, quod apud me testor habere. In tali verò tenore eo quòd spondeo me ego Corvinus unà cum heredibus meis, ut si de omni suprascripta venditione contra te, Domne Ludovice Imperator, aut contra tuos heredes, aut contra Missos vestros causare præsumpserimus; aut si vobis ab alio homine defendere non potuerimus, repromittimus vobis, vel vestris heredibus melioratam omnem ipsam venditionem de proprio nostro in duplum restaurare in Comitatu Pinnensi. Unde pro firmitate vestra Madelpertum Notarium hoc scribendum rogavimus. Actum in Pinne Mense & Indictione suprascripta.

„ Ego Corvinus in hac cartula à me facta propria manu subscripsi.

„ Ego Zillo rogatus à Corvino propria manu subscripsi.

„ Ego Alexander rogatus à Corvino propria manu subscripsi.

„ Ego Senoaldo rogatus à Corvino propria manu subscripsi.

„ Ego Ocdoini rogatus à Corvino propria manu subscripsi.

„ Hanc verò Cartulam venditionis ego Madelpertus Notarius scripsi, & complevi.

De Curte Sancti Desiderii, & Breliano, & Linari comparatis ab Hermengarda Augusta MCC. solidis. Anno 856.

„ IN nomine Domini nostri Ihesu Christi Ludovicus Divina ordinante providentia Imperator Augustus, anno Imperii ejus in Dei nomine VII. seu temporibus Ildeberti Comitis anno Comitatus ejus XIII. mense Junio per Indictionem quartam. Ideo constat Nos Liutardus Diaconus, & Cunradus germani, consentiente Liuprando genitore nostro, Nos unanimiter bona & ex spontanea nostra voluntate vendidimus, atque à die præsenti tradidimus tibi Domnæ Her-

mengardæ Reginæ Curtes nostras de Sancto Desiderio, & de Breliano, & de Lenari cum Cartulatis, vel colonis cum colonicis suis, vel omnia & in omnibus, quicquid nos ad ipsas Curtes à singulis hominibus paratum vel conquisitum habemus. Idest cum casis, terris, vineis, pratis, pascuis, silvis, & salectis, omnia & in omnibus, quicquid in ipsis Casalibus de rebus proprietatis nostræ habere visi sumus. Unde de omnibus nostris rebus in supradictis Casalibus nobis nihil reservavimus, & vendidimus tibi Hermengardæ Reginæ omnes nostras res mobiles, vel immobiles, & omnes nostras cartulas, vel alia scripta, quæ Nos de suprascriptis rebus habemus, & vendidimus tibi omnes nostros servos, vel ancillas, vel omnia & in omnibus, quicquid Nos paratum habemus. Unde de omnibus nostris rebus nobis nihil reservavimus. Et ut licentiam habeatis tu Hermengarda Regina, vel tui heredes cum ipsis cartulis vel judicatis omnes suprascriptas res antestare, causare, & defendere ad placitum, vel ubicumque vobis opportunum fuerit, ad tuam & tuorum heredum proprietatem cum omnibus supradictis rebus & casis infra se habentes in integrum. Et Ecclesiam nostram de Sancto Desiderio, quam vendidimus tibi Hermengardæ Reginæ cum Oratoriis, & dotis, cellis, terris, vineis, pratis, silvis, & salectis, omnia & in omnibus. Unde de ipsa Ecclesia nobis nihil reservavimus, cum omnibus ipsam Ecclesiam infra se habentibus in integrum. Unde recepimus nos supra scripti venditores pretium à te Hermengarda bullas duas, & caballum unum cum una sella argentea, totum insimul valens solidos mille ducentos in pretium definitum, quod apud nos habere testamur. In tali verò tenore expondimus nos suprascriptos venditores unà cum nostris heredibus, ut si de suprascripta venditione contra te Hermengarda Regina, vel ceteros tuos heredes causare præsumpserimus, aut si ab alio homine antestare & defendere non potuerimus, repromittimus nos suprascriptos venditores, vel nostros heredes tibi Domnæ Hermengardæ Reginæ, vel tuis heredibus melioratam suprascriptam venditionem de proprio nostro in duplum restaurare. Unde pro firmitate tua Liutardus Diaconus & Notarius manibus meis hanc Cartulam scripsi rogatus à suprascriptis. Actum in Pinne mense, & Indictione suprascripta.

Signum manus Liuprandi, qui hanc Cartulam fieri rogavi, & consensi.

Ego Cunradus in hac Carta à me facta propria manu subscripsi.

Ego Corvinus rogatus astans propria manu subscripsi.

Ego Lupo rogatus astans propria manu subscripsi.

Ego Adelgisi rogatus astans propria manu subscripsi.

Signum verò Liutardi Diaconi suprascripti, qui hanc Cartulam scripsi, & complevi.

Quòmodo tolluntur res quondam Adelberti à Comite Hildeberto, & transfundun-tur in jùs Augusti Ludovici. Anno 860.

DUm præstantissimus ac gloriosissimus Domnus Imperator Hludovicus per Romaniam transiens, fines adisset Spoletinos pro justitiarum commoditate, & maliguorum astutia deprimenda. Et in his multoties fideles suos & cotidie laborare insisteret, & ipse toto studio exinde decertasset, perventum est intra fines Hæsinos, & Camertulos, suoque quamvis cum maximo labore quæ supra dicta sunt decertaret, instituit fideles, & optimates suos, videlicet Wichodum venerabilem Episcopum, & Adelbertum Comitem Stabuli, quos ad distringendum, in eodem Placito præfecit, Hucpoldum Comitem Palatii, Hechideum Pincernam primum, Tracterimum sacri Palatii Archinotarium, Winigisum armigerum, Begeri nobilem optimatem. & fratrem suum Octonem, Babonem Consiliarium, Reginarium Capellanum, & de reliquis quampluribus Palatii. Ibique in eorum præsentia veniens Hildebertus Comes ad singulorum hominum justitias reddendas, & oppressiones, quas fecerat, emendandas. Cui interpellatus est jam dictus Hucpoldus in causa Domni imperatoris; quod primùm de Domno Imperatore ad Salicam personam ad Adelbertum potestativè traditum & investitum: unde legibus Domnus Imperator vestitus fuerat, & Ildebertus detinebat malo ordine. Cui ad hæc respondit Ildebertus: *Verum est, quia prædictus Adelbertus jampridem omnes res proprietatis suæ, quas habere visus fuit in finibus Italiæ, Tussiæ, Spoleti, & Romaniæ, coram testibus tradidit, & revestivit, & plenariam traditionem fecit eidem Domno Imperatori. Sed ipse postmodum Domnus Imperator per suum præceptum ei per omnia reddidit.* Cui ad hæc respondens Hucpoldus: *Certè verum est, quia Domnus Imperator coràm fidelibus suis ei easdem res penitus reddere voluit. Sed ipse tantùm postulavit, ut diebus vitæ suæ ei habere licuisset. Et in Sancto Petro aliquid daret pro ideo juxta suam voluntatem. Et quod ille coram Optimatibus Regni & Prioribus Patriæ professus fuit, ei confirmavit, videlicet ut juxta ipsam professionem prædicto Adelberto diebus vitæ suæ licuisset habere & tenere.* Sed cùm Ildebertus taliter audisset, multa secum indignans, ad ultimum interrogatus est, non per aliam auctoritatem se prædictas res habere posse, nisi per supradictum præceptum. Cui judicatum est, ut adduceret ipsum præceptum, & quicquid Lex esset exinde faceret. Unde in constituta die veniens in suprascriptorum præsentia, ostendit prædictum præceptum, in quo continebatur. Anno ejusdem Domni Imperatoris VIII. Indictione VII. Quod coram Prioribus Regni sui Domnus Imperator prædictas res propriâ munificentiâ, quæ ei dederat, fastilem optimum aureum reddere voluit; & penitus ad supradictum præconfirmare. Sed ipse tantùm petiit, & coram Optimatibus Regni professus est, ut diebus vitæ suæ habendum & tenendum petiisset;

ut

„ aut si contigisset, aliquid Sancto Petro de „ Roma pro remedio animæ suæ contulisset. „ Aliter cuncta in potestatem & proprietatem „ Domni Imperatoris permansissent. Cùm nos „ autem supradicti Auditores taliter in eodem „ præcepto cognovimus esse firmatum, visum „ nobis fuit, legaliter Domno Imperatori ipsas „ res legibus pertinere, & in nullam aliam „ potestatem eum potuisse transferre. Ideoque „ judicavimus, ut easdem res cum omni integritate ad potestatem Domni Imperatoris „ revertisset, sicuti in nostrorum præsentia per „ idem præceptum fecit. Et hanc notitiam pro „ futuris temporibus memoriter retinendum, ne „ in alio modo revolvantur, pro securitate ejusdem Domni Imperatoris hanc notitiam facere „ commonuimus: Quod denique Ego Simpertus Notarius ex suprascriptorum ammonitione, & ex dictato Tructemiri Archicancellarii „ scripsi Anno Imperii Domni ejusdem Augusti Hludovici X. mense Martio Indictione „ VIII.

„ Tructemirus Archinotarius interfui & subscripsi &c.

„ Signum suprascripti manus Hechidei Comitis, & primi Pincernæ, qui ut supra in „ his interfuit &c.

„ Gregorius Dei pietate Dux interfuit.

„ Signum ✠ suprascripti manus Begeri nobilis Optimatis, qui ut supra in his interfuit.

„ Signum suprascripti manus Bebonis Consiliarii, qui interfuit.

De Curte in finibus Tuscanæ, in loco & fundo Palmæ. Anno 863.

„ IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi Hludovvicus Divina ordinante providentia Imperator Augustus, „ Anno Imperii ejus, Deo propitio XIV. Kal. „ Januarii Indictione XI.

„ Vobis Domino & seniori nostro Hludovvico glorioso Imperatori. Nos Farimundus Diaconus & Capellanus vester, atque „ Farao, & Farulfus germani, filii quondam „ Farulfi de Comitatu Senense. Propterea diximus: Illæ sunt donationes titulo juris firmissimæ, quæ bona & spontanea proveniunt „ voluntate; & illud nobis proficere credimus, quod vestræ donationi ex nostris aliquid fuerit collatum. Quapropter ea donamus, ac præsenti die vobis Domno nostro „ Hludovvico, & in vestro jure & potestate „ proprietario nomine habendum confirmamus, idest Curtem unam, domum coltilem juris nostri. quam habere & possidere „ visi sumus in finibus Tuscanæ in loco & „ fundo Palme, unà cum casis massaritiis, & „ omnibus rebus inibi pertinentibus & aspicientibus, & nobis ex successione de suprascripto quondam Farulfo genitore nostro „ advenerant, vel quod nobis exinde advenerat de quodam Petro Episcopo barbane „ nostro, ut dictum est, tam casis cum sediminibus universis, territoriis, campis, pratis, vineis, silvis, pascuis, stalariis, cetinis, „ calortis, rivis, rupinis, ac patulibus, coltis „ & incoltis, divisis & indivisis, unà cum finibus, terminibus, accessionibus, & usibus „ aquarum, aquarumque conductibus, omnia „ & in omnibus in integrum. Quam autem „ Curtem domum coltilem in suprascripto loco Palme, unà cum omnibus casis & rebus „ inibi pertinentibus juris nostri superiùs nominatis, cum accessione & ingressione eorum, & cum superioribus & inferioribus „ suis, cum omni jure, adjacentiis & pertinentiis suarum, unà cum familiis inibi pertinentibus, sic ad nos, & à suprascripto „ genitore nostro, & Petro Episcopo Barbane nostro fuerant possessis & defensatis in „ integrum, legibus nobis pertinentibus, ab „ hac die vobis Domno nostro Ludovico per „ præsentem chartulam donationis, in vos confirmamus jure proprietario nomen habendum, & faciendum vos & heredes vestri, „ vel cui vos dederitis, quæcunque volueritis, „ sine omni nostra, & heredum nostrorum „ contradictione. Eo namque ordine, ut si „ quoquo tempore vobis, & heredibus vestris, & cui vos ipsi dederitis prædictam „ Curtem cum rebus ad eam pertinentibus, „ necesse vobis fuerit ad defensandum de qualevis persona: Tunc nos & nostri heredes „ vobis, & ad vestros heredes, & cui vos „ eam dederitis, omnia firmitatis monimina, „ quæ de præfatis rebus pertinent, & quondam Genitori, & Barbani nostro advenerunt, vobis in placito dare & ostendere debeamus, quantumcumque vobis opportunum fuerit, res ipsas defensandum, ut vos „ & vestri heredes, vel cui vos dederitis, „ cum ipsis monuminibus defendere debeatis; „ Nec nostros heredes exinde auctores, aut „ defensores, vel restauratores quæratis, nec „ nos esse permittimus. Excepto si de nostro „ dato aut facto apparuerit, quòd nos de rebus ipsis in aliam partem dedissemus, aut „ ullam conscriptionem, aut traditionem fecissemus: Tunc nos & nostri heredes Curtem ipsam, sicut superiùs est comprehensum, defendere promittimus, unde nostrum „ datum, aut factum apparuerit. Et si defendere non potuerimus, in duplum ipsius vobis componamus, unde nostrum datum, aut „ factum apparuerit. Et si per quodcumque „ ingenium nos aut nostri heredes vobis de „ præfatis rebus aliquid subtrahere quæsierimus per nos, aut submissam personam, „ tunc in duplum ipsius vobis & heredibus „ vestris, aut cui vos dederitis, componamus, „ unde egerimus, aut subtrahere quæsierimus „ in eisdem locis sicut propterea fuerint melioratis, aut valuerint sub æstimatione. Et „ in tali tenore accepimus à vobis, quòd per „ Missum vestrum Adegerium launechild caballum unum, ut hæc nostra donatio in vos „ & heredibus vestris firmissima maneat atque „ persistat.

„ Actum in Oratorio Sancti Petri Villa Rufano intus caminata, quam ipse Augustus ad Cortem ipsam paraverat.

„ Ego Farimundus Diaconus in hac chartula donationis à me facta subscripsi, & „ subscriptum launegild accepi.

„ Ego Farulfus in hac chartula donationis „ à me facta subscripsi, & suprascriptum launegild accepi.

„ Ego Adelpertus Notarius Domni Imperatoris in hac chartula donationis rogatus à „ supradictis germanis testis subscripsi.

„ Ego Agelmundus Scabinus Domni Imperatoris in hac chartula donationis rogatus à „ supradictis germanis testis subscripsi.

„ Ego Octo Scabinus Domni Imperatoris „ in

" in hac chartula donationis rogatus à supra-
" dictis germanis testis subscripsi.
" Ego Thomas Notarius Domni Imperato-
" ris scriptor hujus chartulæ venditionis,
" quam post traditam implevi, & dedi.

De Curte, & Capella Sancti Blasii de Roma comparata à Ludovico Augusto DCCC. libris argenti. Anno 868.

" IN nomine Domini Dei, & Salvatoris
" nostri Ihesu Christi. Hludovvicus divina
" ordinante providentia Imperator Augustus
" Anno Imperii ejus, Deo propitio, Nono
" decimo, Quinta die mensis Aprilis, Indi-
" ctione Prima. Vobis Domno meo Hludo-
" vvico gloriosissimo Imperatori. Ego Petrus
" abitator Civitate Roma, filius quondam
" Karoli, accepissem, sicuti & in præsentia
" testium accepi à vobis per Hermenulfum
" Comitem Missum vestrum argentum libras
" octuocenti finitum pretium pro solario abi-
" tationis meæ cum area, in qua extat cum
" Curte, & Sala, seu Capella, quæ est ædifi-
" cata in honore Sancti Blasii, cum Balneo
" & Viridario, omnia insimul se tenente juris
" mei, quam habere visus sum infra eadem
" Civitate Roma, ubi cohærent ei de uno la-
" tere casa Monasterii Sancti Bassini, de alio
" latere casa mea, & orto cujus supra Petri,
" tenente uno capite in via publica, & alio
" capite in casa heredum quondam Aitani,
" sive qui alii sunt coheredes. Simulque &
" pro ipso argento vendo vobis Domno meo
" Hludovvico Imperatori Curte una juris mei,
" quam habere visus sum in loco & fundo
" Tussiano juxta lacum Sabatini unà cum ter-
" ris, vineis, pratis, pascuis, silvis, stalariis,
" ripis, rupinis, ac patulibus, montibus, la-
" toplagis, coltum & incoltum, divisum &
" indivisum, cum finibus, terminibus, acces-
" sionibus, & usibus aquarum, aquarumque
" ductibus, cum piscariis, servis, & ancillis,
" cum superioribus & inferioribus earum
" rerum, omnia, & in omnibus ad ipsam Curtem
" in Tussiano pertinente, vel inibi circumcirca
" habere visus sum de meo, per quodvis in-
" genium pertinent juris in integrum. Ab hac
" die vobisque Domno meo Hludovvico Im-
" peratori pro præmisso argento vendo, trado,
" & mancipo, liberisque ab omni nexu pu-
" blico, privatove, nulli alii venditis, dona-
" tis, alienatis, obnoxiatis, vel traditis, nisi
" vobis. Et faciatis exinde à præsenti die
" vos, & heredes vestri, vel cui vos dederitis,
" aut habere statueritis jure proprietario no-
" mine quicquid volueritis, sine omni mea,
" & heredum meorum contradictione. Qui-
" dem expondeo atque promitto me ego qui
" supra Petrus unà cum meis heredibus, vo-
" bisque Domno Hludovvico Imperatori, ve-
" strisque heredibus, aut cui vos dederitis,
" vel habere statueritis, nostrum Solarium
" cum Curte, Capella, Sala, Balneo, & Vi-
" ridario, sicut cohærentiis legitur, simul etiam
" dicta Curte, cum omni sua pertinentia ab
" omni homine defensare. Quod si defendere
" non potuerimus, aut si ego ipse, quod absit,
" aut ullus de heredibus ac proheredibus meis,
" seu qualibet opposita persona contra hanc
" Cartam venditionis venire temptaverit,
" aut me malè vendidisse convincerit, infera-
" mus vobis Domno meo Hludovvico, ve-
" strisque heredibus, aut cui vos dederitis,
" vel habere statueritis, pœnam argentum
" ipsum in duplum. Insuper chartulam ipsam
" venditionis maneat inconvulsa cum stipula-
" tione subnixa omni tempore in suam firmi-
" tatem. Et nihil mihi infra ipsas cohæren-
" tias, vel de jam dicta Curte cum sua per-
" tinentia aliquid reservasse professus sum; sed
" à præsenti me & meos omnes exinde foris
" exissemus. Et ne liceat mihi ullo tempore
" nolle quod volui; sed quod à me semel fa-
" ctum, vel conscriptum est inviolabiliter
" conservare promitto. Et ex ipso pretio nihil
" mihi reddetis. Actum Civitate Salerno, ubi
" Domnus Hludovvicus Imperator præerat.
" Petrus in Dei nomine Consul & Dux in
" hac chartula venditionis à me facta sub-
" scripsi, & suprascriptum argentum accepi.
" Signum ✠ manus Johannis filius Leonis
" de Civitate Roma ex genere Romanorum
" testis.
" Ego Gregorius filius Leonis de Civitate
" Roma legem viventem Romanam in hac
" cartula venditionis rogatus à Petro testis
" subscripsi.
" Signum ✠ Manus Johannis Ducis de Ci-
" vitate Roma legem viventem Romanam
" testis. §.
" Teubaldus legem viventem Romanam in
" hac cartula venditionis rogatus à Petro te-
" stis subscripsi.
" ✠ Signum manus Landerico ex genere
" Romanorum testis subscripsi.
" Richini rogatus à suprascripto Petro testis
" subscripsi.
" Agelmundus Notarius Domni Imperato-
" ris in hac chartula venditionis rogatus à su-
" pradicto Petro testis subscripsi &c.
" Johannes &
" Aripertus in hac chartula venditionis ro-
" gati à Petro testes subscripserunt.
" Petrus Notarius Domni Imperatoris scrip-
" tor hujus chartulæ venditionis, quam post
" traditam complevi, & dedi.

Dat Imperator decem libras argenti pro Insula Piscariæ. Anno 871.

" IN nomine Domini Dei & Salvatoris no-
" stri Ihesu Christi. Hludovvicus Divina
" ordinante providentia Imperator Augustus,
" Deo propitio, Anno Imperii ejus XXII.
" mensis Novembris Indictione V. vobis Dom-
" no meo Ludovico glorioso Imperatori ego
" Sisenandus ex genere Francorum, filius quon-
" dam Anastasii, & Missus Supponis Comitis,
" manifesta causa est accepisse, sicuti & in
" præsentia testium accepi à vobis per Missum
" vestrum Adoaldum argentum libras decem
" finitum pretium pro casis, & omnibus rebus
" illis juris mei, quæ habere visus sum in loco,
" qui dicitur Casauria Pago Pinnensi, omnia in-
" simul se tenente, quæ sunt super totum in ter-
" ram arabilem, & vineam, seu sedimen mo-
" diorum XII. ubi cohærent ab uno latere, &
" uno capite via publica, de alio latere terra
" Adelongi, & de germanis suis, & alio ca-
" pite tenente in fluvio Piscariæ; ut dictum
" est, tam casis, curtis, hortis, areis, vineis,
" silvis, terris, pascuis, ac stalariis, rivis,
" rupinis, ac padulibus, coltis, & incoltis,
" divisis, & indivisis, cum finibus, terminis,
" accessionibus, & usibus aquarum, aquarumq;
" de-

„ decurſibus, & cum molendinis, cum omnibus, „ & in omnibus inibi meo juri pertinentibus, „ cum ſuperioribus & inferioribus ſuis in integrum: habendum vobis Domno meo Ludovico glorioſo Imperatori pro veſtro argento vendo, trado, & mancipo, liberiſque ab omni nexu publico, privatove, nulli alii venditis, donatis, alienatis, obnoxiatis, vel traditis niſi Vobis. Et juxta legem meam per cultellum & feſtucam notatum, ſeu guaſonem terræ vobis exinde ad veſtram partem corporalem facio veſtituram, ad veſtram proprietatem habendum, & me exinde foris expuli, & abſaſito feci, faciendum exinde à præſenti die tam vos, quàmque heredes veſtri, aut cui vos dederitis, vel habere ſtatueritis, proprietario nomine quæcunque volueritis, ſinè omni mea & heredum, ac proheredum meorum contradictione, vel repetitione. Et nihil mihi infra ipſa cohærentia aliquid reſervaſſe profeſſus ſum, ſed dico me, m oſque omnes exinde à præſenti, quòd foris eſſiſſemus. Si quis verò, quod futurum eſſe non credo, ſi ego ipſe Siſenandus (quod abſit) aut ullus de heredibus, ac proheredibus meis, ſeu qualibet oppoſita perſona contra hanc Cartulam venditionis meæ ire, aut eam infringere conaverimus, inferamus vobis pœnam, quod eſt mulcta auri optimi libra una, & quod repetierimus vendicare non valeamus. Sed præſens Chartula venditionis diuturnis temporibus valeat inconvulſa, cum ſtipulatione ſubnixa. Inſuper & à me, qui ſupra Siſenando, & heredibus, & proheredibus meis vobis Domno Ludovico Imperatori glorioſo, veſtriſque heredibus, aut cui vos dederitis, & habere ſtatueritis, prædictis caſis, & omnibus rebus, ſicut ſuperiùs ſunt, compræhenſis, in integrum, ab omni homine ſint defenſatis; quòd ſi defendere non potuerimus, aut ſi vobis exinde aliquis per quovis ingenium ſubtrahere quæſierimus: in duplum vobis, aut cui vos dederitis, & habere ſtatueritis, reſtituamus, ſicut pro tempore fuerit melioratis, aut cui voluerint ſub æſtimatione in eodem loco, & nihil mihi ex pretio aliquid reddideritis. Dixi, & pergamena cum atramentario de terra elevans, Ariperto Notario Domni Imperatoris tradidi, & ſcribere rogavi, in qua ſubter confirmans, teſtibuſque optuli roborandam.

„ Actum in Villa, quæ dicitur Vico ubi ipſe Auguſtus præerat feliciter.

„ Ego Siſenandus in hac Cartula venditionis a me facta ſubſcripſi, ac ſupraſcriptum argentum accepi.

„ Signum ✠ manus Dagiberti ex genere Francorum Vaſſallo Aderaldi, teſtis.

„ Signum ✠ manus Iſcherio ex genere Francorum Vaſſallo Wichodi Epiſcopi, teſtis.

„ Signum ✠ manus Guneradi ex genere Francorum Vaſſallo Imperii Domni Imperatoris, teſtis.

„ Signum ✠ manus Lampaliti ex genere Francorum Vaſſallo Wichodi Epiſcopi, teſtis.

„ Signum ✠ manus Wilari Vaſſallo Andrei Epiſcopi, teſtis.

„ Signum ✠ manus Richardi ex genere Francorum Vaſſallo Andrei vocati Epiſcopi, teſtis.

„ Ego Agelmundus Judex Domni Imperatoris in hac Cartula venditionis rogatus à Siſenando ſubſcripſi, & ſupraſcriptum argentum accipere vidi.

„ Ego Albertus Notarius Domni Imperatoris in hac Cartula venditionis rogatus à Siſenando ſubſcripſi, & ſupraſcriptum argentum accipere vidi &c.

„ Petrus Notarius Domni Imperatoris in hac Cartula venditionis rogatus à Siſenando teſtis ſubſcripſi.

„ Ego Aripertus Notarius Domni Imperatoris ſcriptor hujus Chartulæ venditionis, quam poſt traditam complevi & dedi.

De Amiterno in Pantano, & Civitate, & Cavallari modiorum mille nongenti. Anno 872.

„ IN nomine Domini & Salvatoris noſtri Ihesu Chriſti. Hludovvicus divina ordinante providentia Imperator Auguſtus Anno Imperii ejus XXIII. duodecima die menſis Aprilis Indictione V. Eccleſia Sanctæ Trinitatis, quæ ſita eſt in Inſula prope Piſcariæ fluvium, quæ dicitur Caſaurea, Monaſterium ædificatum eſſe debet, & Romanus Abbas præeſſe videtur, ego Auderadus de Amiterno de loco Caſulæ ſecundùm ritum noſtræ legis Langobardorum propterea dixi: Quiſquis in ſacris ac venerabilibus locis aliquid de ſuis contulit rebus, centuplum accipiet: & quod melius eſt vitam poſſidebit æternam. Ideoque ego, qui ſupra, Auderadus dono & offero in ipſum ſanctum locum, qui Caſa-aurea dicitur, pro remedio animæ meæ Ildericum, & Majo ſervis juris mei cum uxoribus, & filiis, & filiabus ſuorum, ſimulque cum caſis, ubi ipſi reſident, & Vallem Civitonicam loco ipſius Amiterno, ſimilique juris mei, cum terris, vineis, pratis, paſcuis, ſilvis, ſalectis, cultum & incultum, diviſum & indiviſum cum caſis & pertinentiis, & ipſas portiones, quas ipſi prænominati ſervi Ilderico, & Majo uſque nunc tenuerunt in integrum, tenentes autem cum ſervis, & ancillis, caſis, & rebus in eodem loco in Pantano, in Civitate, in Cavallari pro numero modiorum mille nongenti, dono & offero quæcumque mihi obveniſſent per præceptum bonæ memoriæ Domni Lotharii piiſſimi Imperat. Quæ autem prædicti ſervi, cum uxoribus, & filiis, & filiabus ſuorum, ſeu etiam dictis caſis in eodem loco Urbeto, cum omnibus rebus ad eos pertinentibus, ſicut uſque nunc ipſi Ilderico, & Majo tenuerunt ſuorum portiones, cum acceſſione, & ingreſſione, uſibus aquarum, aquarumque decurſibus, cum ſuperioribus, & inferioribus, cum mobilibus, & immobilibus, omnia & in omnibus, ſicut uſque nunc ipſi prænominati ſervi ſuorum portiones, quas modò tenuerunt, ab hodierna die in ipſa Eccleſia Sanctæ Trinitatis, & in ſubſidium Monachorum Deo famulantium, qui ibidem pro Dei ſummi amore deſerviunt, dono & offero, ut dixi, pro mercede animæ meæ proprietario jure canonice faciendo quod voluerint. Quòd ſi ego, qui ſupra, Auderadus, & mei heredes, de noſtris ſervis, caſis, & rebus, qualiter ſuperiùs ſunt comprehenſi in integrum, aliquid contingere quæſierimus, niſi quod „ ſu-

" superiùs ante posui, aut nostrum datum, " aut factum apparuerit, quòd nos exinde " aliquid alienare quæsissemus, aut dedisse- " mus, tunc in duplum repromitto me ego " Auderadus cum meis heredibus ipsos servos " cum casis & rebus, qualiter superiùs legi- " tur, parti eidem Ecclesiæ componere, sicut " pro tempore fuerint melioratis, aut value- " rint sub æstimatione. Hanc enim chartu- " lam offertionis Petrum Notarium Domni " Imperatoris scribere rogavi.

" Actum in Casteldato Reatino, ubi Dom- " nus Ludovicus Imperator præerat.

" Ego Auderadus in hac chartula offertio- " nis à me facta manu mea subscripsi.

" Ego Agelmundus Judex Domni Impera- " toris in hac chartula offertionis rogatus ab " Auderado testis subscripsi &c. Fulbertus, " Aripertus.

" Petrus Notarius Domni Imperatoris in " hac chartula offertionis rogatus ab Aude- " rado testis subscripsi.

" Ego Escuptolfo.

" Ego Toto.

" Ego Laurentius Notarius.

" Ego Teudipertus rogatus ab Auderado " manu mea subscripsi.

" Petrus Notarius Domni Imperatoris Scri- " ptor hujus chartulæ offertionis, quam post " traditam complevi, & dedi.

Donatio Supponis Ducis de Paterno Pinnensis Civitatis Sancto Clementi facta. Anno 872.

" IN nomine Domini Dei, & Salvatoris " nostri Ihesu Christi. Ludovicus divina " ordinante providentia Imperator in Dei no- " mine Imperii ejus XXIII. VI. die mensis " Junii per Indictionem V. Constat me Sup- " po Dux, filius quondam Maurini, sponta- " nea mea voluntate, integroque consilio, " recordante me de Dei misericordia, pro " mercede & remedio salutis animæ, dono " pro anima mea in honore Sancti Clementis, " ubi Corpus ejus requiescit, in Territorio " Pinnensi in illa Insula, quæ vocatur Casa- " aurea, ubi modò præsens Romanus Abbas " regimen tenere videtur. Hoc est res, & " substantia mea, quæ mihi à Faravaldo per " chartulam venditionis evênit in loco, qui " dicitur Paterno in Civitate Pinnensi, omnia " & in omnibus, sicut in ipsa chartula conti- " netur, cum omnibus ipsis rebus infra se ha- " bente dono in Imperio sancto & venerabili " loco. Et insuper dono ipsam chartulam, " vel confirmo infra istam vestram chartulam, " ut vos cum ipsa chartula ipsas res ab omni " homine antistare, & defendere debeatis, " sicut ego facere debui, & de jure meo in " jure donationis vestræ trado, atque trans- " fundo, ad habendum, & possidendum, ad " inquisitum, & inquirendum, & omnia, quæ " ad opportunitatem vestram, & de successo- " ribus vestris in ipso sancto & venerabili lo- " co facere, & eligere volueritis in omnibus " habeatis licentiam faciendi ad ipsos custo- " des Ecclesiarum. Et si umquam in tempore " ipse Abbas, qui in tempore fuerit, & quam- " libet potestatem habuerit, & ipsas supra- " scriptas res in beneficio cuilibet homini da- " re præsumpserit, ut ipsa luminaria, vel vi- " ctualia in ipso sancto & venerabili loco non " habeatur, ut ipsas res sine ulla compella- " tionis retraditionis remeet in potestate no- " stra, & de heredibus nostris. Et si de ipso " venerabili loco ipsæ suprascriptæ res sic fue- " rint ad ipsa luminaria & victualia, sicut su- " pra legitur, habeatis, & teneatis, &, quod " futurum esse non credo, si fuerit in post- " modum aliquis de meis heredibus, seu quæ- " libet alia extranea persona, quæ contra hanc " nostram donationem, quam pro anima mea " feci, venire conaverit, aut infringere quæ- " sierit, & minuere, & à nobis ipsis, & no- " stris heredibus ab omni homine vobis supra- " scripto Abbati, & successoribus vestris de- " fensatæ non fuerint: tum inferamus nos unà " cum distringente socio Fisci auri libras duas, " argenti pondera V., & quod repetierint, " vendicare non valeat. Sed præsens donatio, " atque traditio, quam pro anima mea feci, " in ipso venerabili loco omnique tempore " firma & stabilis permaneat, sicut supra le- " gitur, cum stipulatione subnixa.

" Actum in Pinne Mense & Indictione su- " prascripra feliciter. Quam verò chartam " donationis rogatus à Suppone Duce scripsi " ego Walepertus Notarius pro futuris tem- " poribus.

" ✠ Ego Suppo Dux in hac chartula à me " facta manu mea subscripsi.

" ✠ Rochildo rogatus subscripsi.

" ✠ Ego Albuni.

" ✠ Ego Teudericus.

" ✠ Ego Bernostiro.

" ✠ Ego Willeri. Rogati à Suppone Duce " signum Crucis fecimus.

" ✠ Ego Rodelandus.

" ✠ Ego Aloini rogatus astiti, manu mea " subscripsi. Insuper roborationem testibus " ego, qui supra, Walepertus Notarius post " traditam complevi & dedi.

Cambium, quod fecit Ludovicus Imperator cum Episcopo Pinnensi de Insula Piscariæ. Anno 872.

" IN Christi omnipotentis nomine Domnus " Ludovvicus divina ordinante providentia " Imperator Augustus. Anno in Christi nomi- " ne Imperii ejus XXIV. & secundo anno " Supponis Comitatus, XXV. mensis Martii " per Indictionem VI. Ideoque ego Grimbal- " dus Episcopus Sedis Pinnensis Ecclesiæ de " Episcopio Sancti Maximi, constat me con- " cambiare, atque concambiavi tibi Domno " Ludovico piissimo Imperatori in Insula Pisca- " riæ, loco, ubi dicitur Casaurea, terram per " mensuram modiorum centum quinquaginta, " quæ pertinent ad partem suprascripti Episco- " pii Sancti Maximi; & habetur super ipsa " terra Ecclesia una, quæ ædificata est in ho- " nore Sancti Quirici, & duæ Casæ, & vinea " per numerum solidis tres, & vites sexaginta, " per unumquemque solidum habentur vites " trecentæ; & molinum unum, & cum pomis " & arboribus, & salectis, quæ super ipsa " terra stare videntur, & cum aquis, & usu " aquarum, quæ ex omni parte circumdata est " cum aqua de Piscaria; quantum nobis per- " tinet de ipsa suprascripta Insula ad partem " suprascriptam Episcopii Sancti Maximi cum " Ecclesia, & casis & cum omnibus, quæ su- " per se habentur in integrum, tibi concam- " biavimus. Et concambiavimus tibi Domno

" Lu-

„ Ludovvico terram foris ipsa Insula de Casaure juxta ipsum rogium de ipsa Piscaria, „ quæ nobis pertinet ad partem Episcopii Sancti Maximi, hoc est per mensuram modii „ unius, loco, ubi dicitur in illo de Ansuli. „ Idest à pede fine ipsum rogium de Piscaria, „ à capite fine terra ipsius Episcopii. De uno „ latere fine terra Liutaldi, & Johannis, & „ Sindeperti; & de alio latere fine via. Unde „ de ipsa suprascripta terra in ipsa Insula de „ Casaure, quantum nobis pertinet à parte „ suprascripti Episcopii Sancti Maximi, cum „ ipsa suprascripta Ecclesia Sancti Quirici, „ seu casis, & vinea, & pomis, & salectis, „ & ipso molino, seu aquis, & usu aquarum „ infra ipsas suprascriptas fines, & cum omnibus, quæ super se habentur, & ipse unus „ modius de terra foris ipsa Insula infra ipsas „ suprascriptas fines, superiùs continetur, ad „ manus meas nihil reservavi: Sed in integrum „ tibi Domno Ludovvico Imperatori concambiavi, & de re ipsius suprascripti Episcopii. „ Et cambium recepi ego suprascriptus Grimbaldus Episcopus à te Domno Ludovvico „ piissimo Imperatore terram tuam loco, ubi „ dicitur Kantianum, petias duas; hoc est „ per mensuram modiorum sexaginta duorum, „ & quartariorum trium; & habetur super „ ipsa terra vinea per numerum solidi tres, & „ vites sexaginta, per unumquemque solidum „ vites trecentæ, cum duabus casis, & pomis, „ & arboribus. Et pro ipsa suprascripta Ecclesia Sancti Quirici recepi Ego suprascriptus Grimbaldus Episcopus ad partem suprascripti Episcopii à te Domno Ludovvico „ Imperatore vineam, quæ est super ipsa terra infra ipsam mensuram, hoc est per numerum solidi tredecim, per unumquemque „ solidum habentes vites trecentas. Idest ipsis „ suprascriptis duabus petiis de omni parte „ fines terra ipsius Episcopii. Et recepimus à „ te in ipso cambio terram tuam, & molinum „ unum, & salectum in loco, ubi dicitur Puntenianum, in unum se tenentes juxta fluvium „ Tabæ, hoc est per mensuram modiorum „ centum, cum aquis, & usu aquarum, & „ salectis, quæ super se habentur; idest de „ duabus partibus fine fluvius Tabæ, & de „ duabus partibus fine terra Domni Imperatoris, & fine rivus de Seriole. Omnes suprascriptæ res nobis pertinent de ipsa Curte „ vestra de civitate de Pinne. Unde de „ ipsa suprascripta terra, & vinea, & casis, „ & ipso molino, seu pomis, & arboribus, „ & salectis, & cum omnibus, quæ super se „ habentur infra ipsas suprascriptas fines, sicut „ superiùs continetur, in jam nominatis locis „ ad manus tuas nihil reservasti; sed in integrum mihi suprascripto Grimbaldo Episcopo „ concambiasti ad partem suprascripti Episcopii. Seu & inter nos in ipsum cambium fuit „ missus de parte Domni Imperatoris Dido, „ & de parte Judicis ibi fuit missus Wido, & „ tres homines, quorum fides admittitur: idest „ Adelpertus, & Sindolfus, & Rampertus ad „ providendum causa Dei. Et ipsum cambium „ ipsorum plus & melioratum comparuit, quod „ tu Domne Ludovvice nobis dedisti ad partem suprascripti Episcopii, quàm esset ipsum cambium, quod ego tibi dedi de ipsa „ re suprascripti Episcopii. Quatinus amodo „ & deinceps omni tempore hæc nostra concambiatio vobis Domno Ludovvico Imperatori firma & stabilis permaneat. Et si quolibet tempore ego suprascriptus Grimbaldus „ Episcopus, & successores mei causationem „ vobis Domno Ludovvico mittere præsumpserimus, aut ipsas suprascriptas res ab alio „ homine minimè vobis defendere potuerimus, „ aut ipsum cambium irrumpere voluerimus: „ tunc spondeo me ego suprascriptus Grimbaldus Episcopus, & successores meos vobis Domno Ludovvico Imperatori componere libras de auro decem. Et hoc nostrum „ cambium inter nos firmum & stabile permaneat. Unde pro stabilitate vestra Audoaldum „ Notarium scribere rogavimus.

„ Actum in Pinne mense, & Indictione suprascripta feliciter.

„ Ego Grimbaldus Episcopus in hac commutatione à me facta manu mea scripsi.

„ Ego Gisepertus Presbyter & Vicedomnus „ ex jussione Domni Grimbaldi Episcopi manu „ mea scripsi.

„ Ego Andreas Archipresbyter ex jussione „ Domni Grimbaldi Episcopi manu mea subscripsi.

„ Ego Florus Presbyter ex jussione Domni „ Grimbaldi Episcopi manu mea subscripsi.

„ Ego Astepertus Presbyter ex jussione „ Domni Grimbaldi Episcopi manu mea subscripsi.

„ Adelpertus Presbyter ex jussione Domni „ Grimbaldi Episcopi manu mea subscripsi.

„ Ego Dido Missus Domni Imperatoris, qui „ hoc cambium ex jussione ipsius dedi, & recepi.

„ Ego Wido Missus Supponis Comitis ibi „ fui.

„ Ego Majo rogatus astiti, manu mea subscripsi.

„ Ego Pertus rogatus astiti, manu mea „ subscripsi.

„ Ego Sindolfus ibi fui ad ipsum cambium „ providendum.

„ Ego Adelpertus ibi fui ad ipsum cambium „ providendum.

„ Ego Raimpertus ibi fui ad ipsum cambium providendum.

„ Ego Waldepertus rogatus astiti, manu „ mea subscripsi.

„ Ego Audoaldus Notarius hoc cambium „ scripsi, & post traditum complevi, & dedi.

Investitura de Monactiano, Pecaniæ, Bucariæ, & ceteris rebus proprietatis Gundi.
Anno 873.

„ IN Dei omnipotentis nomine. Breve Investituræ, seu recordationis in præsentia videlicet Adelperti de Camerino, Hervici, Basi, Dominici, & Ildegari Gastaldi de „ Vico Teatino, Tajeprandi, Aldegisi, & „ Astaldi Castaldi, Petri, Frodoni, Beraldi, „ Traceperti, vel de aliis pluribus. In istorum suprascriptorum, & bonorum hominum „ præsentia tradidit, & investivit Heribaldus „ Comes Sacri Palatii Domni Ludovici Imperatoris per ipsius jussionem, & per ipsius „ Domni Ludovici demandatum ipsam Curtem de Monactiano cum ipsa Ecclesia Sanctæ Mariæ, quæ sita est in suprascriptam „ Curtem Monactiani per numerum funem de „ ipsa campana cum omni pertinentia de ipsa „ suprascripta Curte de Monactiano in manu „ Celsi Presbyteri & Monachi, & Majonis „ Ad-

„ Advocati de Monasterio Sanctæ Trinitatis, „ quod ædificatum est in Insula de Piscaria loco, ubi dicitur Casa-aurea, ad partem suprascripti Monasterii, & Romani Abbatis ipsam Curtem de Monactiano cum omni pertinentia sua, quam in dotalitio habuit Gundi uxor Justonis de quodam Justo Gastaldo viro suo, vel & in dotalitio dederat cum omnia, quæ ad ipsam Curtem pertinent, vel subjacent, quæ ipse Justo à præsenti die habebat in ipsa suprascripta Curte de Monactiano, cum casis, & terris, vineis, pascuis, pomis, aquis, salectis, cultis, vel incultis; mobile, vel immobile, omnia, & in omnibus, sive servis, vel ancillis, seu Chartulatis, & Libellariis, vel quicquid ad ipsam Curtem de Monactiano pertinebat in integrum. Simulque investivit præfatus Heribaldus Comes Sacri Palatii Celsum Presbyterum & Monachum, & Majonem Advocatum ad partem suprascripti Monasterii, & Romani Abbatis de cunctis rebus mobilibus, & immobilibus, quicquid eidem Gundi pertinebat à parte viri sui Justonis, videlicet tertiam portionem de omnibus rebus suprascriptis, quæ ei in die votorum vir suus dederat. Vel de omnibus rebus proprietatis ipsius Gundi scilicet in territorio Aprutiense, & in loco Cerqueto, atque Pinnense in designata loca, idest Monactiano, Pecaniæ, Bucariæ, vel per singula loca, vel vocabula de rebus Justonis inventa fuerint, mobilibus, & immobilibus, Chartulatis, atque Aldionibus, servis, & ancillis, omnia, & in omnibus, ut diximus, quicquid ipso die à viro Justone à præsenti die in dote acceperat in die votorum, vel quæ in antea adquirere potuisset, omnia & in omnibus, cum casis, terris, vineis, pascuis; & salectis, aquis, & decursibus aquarum silvis, cultum, vel incultum, mobile, & immobile, servis, & ancillis, Chartulatis, & Libellariis, vel quicquid ad suprascriptam Curtem de Monactiano pertinebat, vel postea ibidem adquisivit, seu & in ceteris rebus proprietatis ipsius Justonis adquisitæ tertiam portionem in integrum.

„ Unde nos suprascripti Judices, & boni homines, dum taliter vidissemus ipsum suprascriptum Heribaldum Comes Sacri Palatii ipsam Curtem de Monactiano cum ceteris rebus proprietatis, idest tertiam portionem ipsius Gundi, quæ à viro suo Justone acceperat, sicut superiùs legitur, Celsoni Presbytero & Monacho, & Majoni Advocato tradere vidissemus ad partem suprascripti Monasterii, & Romani Abbatis per jussionem Domni Ludovici Imperatoris hoc Breve memoratorium, seu traditionis investituræ ex dictato, vel de mandato de suprascriptis Judicibus, & bonis hominibus, Audoaldum Notarium scribere demandavimus.

„ Actum in Monactiano in Anno Imperii Domni Ludovici XXIV. (*) die VI. mensis Decembris per Indictionem VII. feliciter.

„ ✠ Signum manus Ildegari Gastaldi, qui ibi fuit.

„ ✠ Ego David Diaconus ibi fui.

(*) *Legendum* videtur XXV. uti sequentia docent.

„ ✠ Signum manus Astraldi Gastaldi, qui ibi fuit.

„ ✠ Signum manus Alevvardi, qui ibi fuit.

„ ✠ Signum manus Ingelmandi, qui ibi fuit.

„ ✠ Signum manus Anteris Sculdasio, qui ibi fuit.

Hoc loco in MSto Regio Parisiensi inseritur hoc caput.

VIr quidam conditione, & ipso nomine Salego, quondam Castaldio Furconensis, venditione tradidit Domno Ludovico Imperatori in eodem territorio Furconense Curtem suam vocabulo Mallegia subtus Ecclesiam Sancti Justini, & terram laboratoriam, & vineam modiorum centum viginti, & locum unius molendini, & quinque colonos, & tres silvas unum in loco nomine Pojonele; alteram, quæ dicitur Frondosa; tertiam in tenemento, de Interbere. Accepit inde pretium ex largitione Imperiali in argento libras quinquaginta, sicut chartula venditionis testibus roborata, quæ descripta sic est.

Dat Augustus quinquaginta libras argenti pro Possessione in Furcone. Anno 873.

„ IN nomine Domini, & Salvatoris nostri Ihesu Christi. Constat me Salego, qui fuit Gastaldio de Furcone, filius quondam Milonis ex natione Francorum, propria mea bona voluntate vendidimus, tradidimus, & secundùm meam Saligam Legem per festucam, & andelaginem, & per guasonem, & per anlago, & per cultellum, & per ramos arborum tradidi tibi Domno Ludovico Imperatori Serenissimo Augusto Curtem meam in Mallegia subtus Ecclesia Sancti Justini, & terram laboratoriam, & vineam modiorum centum viginti, finis Ecclesia Sanctæ Justæ, & finis Ecclesia Sanctæ Mariæ in Paganica. Et locum de uno molino subtus Ecclesia suprascripta Sanctæ Justæ, quæ fuit de Rodorisi. Et colonos quinque ad ipsam Curtem pertinentes. Et silvam meam de Pojongle, quæ fuit de Pillone; & silvam meam quæ fuit de Rodone, & germanis suis de Banio, & est ad illa frondosa; & silvam meam d'Entrebere, quæ fuit de Roderici. Ipsas suprascriptas res, quæ mihi ex comparatione evenerunt, ipsas suprascriptas res in integrum cum omnibus, quæ inter se habentur, ipsas suprascriptas res de juris meis in juris dominationis tuæ trado ad possidendum in eamdem rationem, ut hoc habeas, teneas, possideas, vendices, & defendas, vel quicquid ad opportunitatem tuam de ipsa suprascripta re facere volueris, in omnibus licentiam, & firmissimam habeas potestatem faciendi exinde quod volueritis. Unde recepi pretium ego suprascriptus Saligo a te jam dicto Domno Imperatore pro ipsa mea venditione argenti libras quinquaginta, quos apud me habere confiteor. In eamdem verò rationem, ut neque à me, neque ab heredibus, vel proheredibus meis, tibi vel tuis heredibus umquam contradicatur, & quod futurum esse non credo, ut si ego ipse, aut ullus ex heredibus meis, seu quali-

„ bet

„ bet opposita vel submissa persona contra „ hanc venditionem, seu traditionem, quam „ ego bona & spontanea mea voluntate con- „ scribere, vel affirmare decrevi, ire, aut re- „ meare voluerit; sed eam irrumpere quæsie- „ rit, aut contra te, aut contra tuos heredes „ causare exinde præsumpserimus; aut si ab „ omni homine antistare, aut defendere non „ potuerimus: tunc inferamus vobis unà cum „ distringente socio Fisco aurum libras tres, „ & argentum pondera sex; & quod actum „ est, dissolvat, & quod repetit vendicare non „ valeamus; sed præsens venditio ac traditio „ suprascripta omnique tempore firma & in- „ violata permaneat cum stipulatione subnixa. „ Unde pro stabilitate vestra Ursum Nota- „ rium hanc chartulam scribere rogavimus. „ Actum in Furcone in Anno Domni Ludo- „ vici Imperatoris in Christi nomine XXV. „ mensis Septembris per Indictionem VII. fe- „ liciter.

„ Ego Salego in hac chartula à me facta „ manu mea subscripsi.

„ Signum ✠ manus Trasmundi rogatus à „ suprascripto Saligone testis sum, & signum „ sanctæ Crucis feci.

„ Signum ✠ manus Valentini Franci ro- „ gati à suprascripto Saligone testis sum, & „ signum sanctæ Crucis feci.

„ Signum ✠ manus Ariperti Franci roga- „ tus à suprascripto Saligone testis sum, & „ signum sanctæ Crucis feci.

„ Signum ✠ manus Rainoldi Franci roga- „ tus à suprascripto Saligone testis sum & „ signum sanctæ Crucis feci.

„ Ego Garderisi rogatus à te Salicone, ma- „ nu mea subscripsi.

„ Ego Atto rogatus à Salicone manu mea „ subscripsi &c.

„ Fulbertus Judex Domni Imperatoris roga- „ tus subscripsi.

„ Ego qui supra Ursus Notarius post tradi- „ tam complevi & dedi.

In eodem MSto additur hæc periodus ad hunc locum spectans.

ANno octingentesimo septuagesimo quinto Indictione octava, quidam tres viri Ursus, & Tino, & Sinderisius fratres, quorum pater dictus est Guinefredus, venditione facta tradiderunt Domno Ludovico Imperatori omnes res, & substantias suas, quas habere & possidere visi sunt in Comitatu Pinnensi Casale nomine Saractico, cum Ecclesia vocabulo Sancti Nicandri. Unde receperunt de Augusti pecunia pretium in auro, & argento solidos trecentos, sicut ipsius venditionis chartula, quæ sic est.

Dantur CCC. solidi ab Augusto Ludovico pro Casale Saractteco. Anno 873.

„ IN nomine Domini Dei, & Salvatoris „ nostri Ihesu Christi Dominus Ludovicus „ imperator Lotharii filius, divina ordinante „ providentia Imperator Augustus, Anno in „ Dei nomine Imperii ejus XXV. & die III. „ Kal. Decembris per Indictionem VII. Ideo „ constat, Nos Ursus, & Tinno, seu & Sin- „ derisi germani fratres filii quondam Guine- „ fredi de Pinne, loco, qui vocatur Saracti- „ cus, bona & spontanea nostra voluntate, „ unanimiter atque communiter vendidimus „ & pro præsenti tradidimus vobis Domno „ Ludovico Imperatori Serenissimo Augusto, „ hoc est omnes res, vel substantias nostras, „ quas Nos haberè vel possidere visi sumus in „ territorio Pinnensi in ipso Casale Saractteco, „ quàm & per singula loca, seu vocabula in „ ipso Comitatu Pinnensi, ubicumque res in- „ venta fuerit, idest de casis, terris, & vi- „ neis, pratis, vel pascuis, silvis, salectis, „ pro arboribus fructiferis, vel infructiferis, „ aquis, vel decursibus aquarum, seu locis „ molendinis, omnia & in omnibus, ubicum- „ que res nostra inventa fuerit, seu per por- „ tionem nostram de Ecclesia Sancti Nicandri „ cum Cellis & dotis, & cum omni pertinen- „ tia sua, seu mobile vel immobile, seu mon- „ tibus, omnia & in omnibus, vobis, cui su- „ pra, Serenissimo Augusto à die præsenti „ constituimus ad habendum, vel possiden- „ dum, & faciendum quod vobis placuerit. „ Unde de ipsa re nostra ad manus nostras, „ nec ad nostros heredes nullam fecimus reser- „ vationem. Unde pretium recepimus Nos „ suprascripti venditores à vobis Domno Lu- „ dovico Imperatore pro ipsa suprascripta no- „ stra venditione in tam aurum, & argentum, „ totum insimul justo valente solidos trecen- „ tos, in definito, vel deliberato pretio, quod „ ipsum pretium acceptum apud Nos habere „ testamur. In tali verò tenore spondimus No- „ suprascripti venditores unà cum nostris he- „ redibus ipsam suprascriptam venditionem ab „ omni homine antistare, & defendere pro- „ mittimus ad partem vestram Domne Impe- „ rator, vel de vestris heredibus; & si anti- „ stare vel defendere non potuerimus, aut si „ causare, vel retollere, seu invasionem face- „ re præsumpserimus, omnes ipsas res in du- „ plum vobis restaurare promittimus sub æsti- „ matione. Unde propter stabilitatem Domni „ Imperatoris Adelpertum Notarium scriben- „ dum rogavimus. Quàm & ego Adelpertus „ Notarius rogatus astiti, hanc chartulam scrip- „ si per jussionem Domni Imperatoris.

„ Actum in Balva Mense, & Indictione „ suprascripta feliciter.

„ Signum ✠ ✠ ✠ manuum de suprascriptis „ venditoribus, qui hanc chartulam fieri ro- „ gaverunt.

„ Ego Senvaldus rogatus astiti, manu mea „ subscripsi.

„ Ego Teudelasius rogatus astiti, manu mea „ subscripsi.

„ Ego Adelpertus rogatus astiti, manu mea „ subscripsi.

„ Ego Adeleri rogatus astiti, manu mea „ subscripsi.

„ Ego qui supra Adelpertus Notarius post „ traditam complevi, & dedi.

Placitum habitum ab Heribaldo Comite Sacri Palatii pro quibusdam rebus Monasterii Piscariensis. Anno 874.

„ DUm Domnus Ludovvicus gloriosus Im- „ perator de partibus Beneventi rever- „ teretur, & venisset ad Monasterium Sanctæ „ Trinitatis, quod est constructum in Insula, „ quæ dicitur Casa-aurea, quod ipse Augustus „ à fundamentis ædificare disposuit in finibus „ Pinnensibus, & ibi per ejusdem Augusti „ jussionem intus eodem Monasterio in judicio „ re-

„ resiiderem ego Heribaldus Comes in vice-
„ Comitis Palatii ad singulorum hominum ju-
„ stitias faciendas vel deliberandas, residenti-
„ bus mecum Rainaldo, & Erifredo, & Caci-
„ prando Bassis Domni Imperatoris, Adelber-
„ to, Johanne, Majolfo Judicibus, Allone,
„ Sindolfo, Sindeperto, Liuteri & reliquis
„ multis, ibique nostri veniens presentiam
„ Majo de Piscaria Advocatus Domni Impera-
„ toris, necnon & Sisenandus ex genere Fran-
„ corum, altercationem inter se habentes:
„ dicebat ipse Majus Advocatus: *Iste Sisenan-*
„ *dus habet uxorem Gundi, quæ fuit veste &*
„ *velamine Sanctæ Dei Genitricis Mariæ in-*
„ *duta; & postea, ut dixi, iste Sisenandus*
„ *eam sibi in conjugio sociavit, & adhuc eam*
„ *illicitè habet: unde secundùm legem persona*
„ *ejus simul & substantia parti Palatii perti-*
„ *nere debet. Unde quæro à parte Domni Im-*
„ *peratoris habere justitiam*. Respondit ipse
„ Sisenandus: *Verè ipsam Gundi ego uxorem*
„ *habeo, eo quòd mihi eam ad legitimum ma-*
„ *trimonium tradidit Amalfredus filius ejus*
„ *cum mundualdo suo; & illud, quod dicitur,*
„ *quia veste religionis induta est post mortem*
„ *Justonis, qui fuit anterior vir ejus, non est*
„ *veritas*. Cùm taliter agerentur, diximus ipsi
„ Majoni Advocato, si taliter per testes aut
„ inquisitionem probare posset, quòd veste &
„ velamine induta fuisset, & postea ipsum Si-
„ senandum in virum sibi sociasset. Qui dixit,
„ quòd taliter per inquisitionem clarescere
„ posset. Et taliter ipse Majo per inquisitio-
„ nem & per idoneos homines guadiam dedit
„ ad probandum. Et ipse Sisenandus dedit
„ guadiam ipsam Gundi uxorem suam ad pla-
„ citum adducendam unà cum Amalfredo filio
„ & mundualdo suo, quem dicebat ei ad uxo-
„ rem eam tradidisse, posito inter eos consti-
„ tuto. In statuta verò die venerunt ipse Majo
„ Advocatus simul & ipse Sisenandus cum ipsa
„ Gundi uxore sua & Amalfredo filio ejus no-
„ stri coram supra præsentia, ubi in judicio
„ residebam intus in eodem Monasterio, &
„ residente nobiscum Grimaldo venerabili
„ Episcopo, Gerardo, & Aroaldo, Henrico,
„ & reliquis multis. Et cœpit dicere ipse Si-
„ senandus: *Iste Majus Advocatus hic in judi-*
„ *cio vestri præsentia mallavit me, ut ego ha-*
„ *berem uxorem Gundi, & fuisset veste & ve-*
„ *lamine induta; & postea ego in uxorem mihi*
„ *sociassem. Et ego negavi quòd verum non*
„ *fuisset, quòd aliquando velata fuisset; &*
„ *dixi, quòd mihi eam ad uxorem tradidisset*
„ *Amalfredus filius ejus, & mundualdus ejus.*
„ *Judicatum mihi fuit eam cum prædicto filio*
„ *suo ad Placitum adducendam, & taliter*
„ *guadiam dedi, & ipse Majo dedit mihi gua-*
„ *diam per idoneos homines circummanentes ad*
„ *inquisitionem probare, qualiter postquam ve-*
„ *lata fuisset, ego uxorem sociassem*. Repli-
„ cans ipse Majo: *Verè omnia, taliter inter*
„ *nos actum, & guadiatum fuit: & hodie*
„ *exinde inter nos statutum Placitum habemus,*
„ *& ecce omnes ipsi, qui hoc sciunt, ad præ-*
„ *sens sunt*. Et statim eos denominavit. Hic
„ sunt Grimaldus Episcopus, Erifredus, Ainar-
„ dus, Sindolfus, Opteramus, Majolfus,
„ Aloini, Garifuso, Sindepertus, Gualderamo,
„ Sinderado, Godo, Winipertus, Petronaci,
„ Justinus, Gisolfus, & Rimo. In primis Gri-
„ maldus Episcopus dixit: *Scio quòd ista Gun-*
„ *di post mortem Justonis viri sui ante meam*
„ *venit præsentiam, & sua bona & spontanea*
„ *voluntate vestem & velamen Sanctæ Dei Ge-*
„ *nitricis Mariæ super se induit, & eam ve-*
„ *latam vidi*. Erifredus & Rainardus adjurati
„ in fide & sacramento, quod Domno Impe-
„ ratori promissum habebant, similiter dixe-
„ runt, quòd vestem & velamen eam indu-
„ tam vidissent. Isti & alii omnia supradicti
„ similiter dixerunt, quòd eam velatam vidis-
„ sent. Et qualiter dixerunt, ad Sancta Dei
„ Evangelia juraverunt, quòd veritatem dice-
„ rent. Hac inquisitione facta, tunc nos qui
„ supra Auditores interrogavimus ipsum Si-
„ senandum & prædictam Gundi, quid contra
„ inquisitionem ipsam dicere vellent, aut si
„ veritatem testificaverunt aut non, vel si ipsi
„ omnia dixissent. Qui dixerunt, quòd adver-
„ sùs ipsam inquisitionem nihil dicere vellent,
„ eo quòd non possent, & veraciter testifica-
„ verunt, & idonei sunt. Et ipse Amalfredus
„ professus fuit, quòd ei eam ad legitimum
„ ipsam Gundi uxorem suam tradidisset matri-
„ monium. Cùm hæc omnia taliter factum &
„ adimpletum fuisse, paruit nobis, omnibusque
„ supra Auditoribus esse rectum, & judicavi-
„ mus, ut juxta legem & secundùm dictam
„ inquisitionem ipsam Gundi & omnes reditus
„ pertinere parti Palatii; & ipse Sisenandus
„ daret guadiam de solidis sexcentis; & ipse
„ Amalfredus Mundualdus, qui in hac illicita
„ conjunctione consentiens fuit, & eam tradi-
„ dit, daret guadiam de solidis centum quin-
„ quaginta. Quod factum est, & definitum
„ est. Et hanc notitiam pro securitate Domni
„ Imperatoris scripsi ego Garifuso Notarius in
„ Anno Domni Ludovici Imperatoris XXIV.
„ mense Decembri, per Indictionem VII.
„ ✠ Signum manus Heribaldi Vicecomitis
„ Palatii, qui ibi fui.
„ Ego Erifredus ibi fui.
„ Ego Aloini ibi fui.
„ Ego Sindolfus ibi fui.
„ Ego Majolfus ibi fui.
„ Ego Lieuteri ibi fui.
„ Ego Majepertus ibi fui.
„ Ego Adelpertus ibi fui.

Alterum Placitum habitum ab Heribaldo Comite sacri Palatii pro rebus Monasterii Piscariensis. Anno 874.

„ IN Dei nomine. Notitia judicati. Dum
„ à præclara potestate Domni Ludovici
„ Imperatoris nos Heribaldus Comes sacri Pa-
„ latii in Insula de Piscaria, loco, qui dicitur
„ Casa-aurea, ubi Monasterium Sanctæ Trini-
„ tatis ædificatum est: erantque ibi nobiscum
„ residentes Adelbertus Scabinus de Camerino,
„ Lamfridus & Majolfus Scabini de Teate, Jo-
„ hannes Scabinus de Balva, Opteramo &
„ Garifuso Scabini de Pinne, Erifredus &
„ Rainarda, & Lieuteri Bassi Dominici, Guido
„ Castaldio de Pinnis, Sanson Castaldio de
„ Balva, Aloini, Sindolfus, Gualefridus, Godi,
„ Sindepertus, Majepertus, Maurus, Ainardus,
„ Larinus, vel & alii plures; ibique veniens
„ in nostra & supradictorum Judicum præsen-
„ tia Majo Scabinus Advocatus Romani Ab-
„ batis de supradicto Monasterio Sanctæ Tri-
„ nitatis & querelatus est nobis super Lieu-
„ teri filium quondam Majelfredi, & dicebat:
„ *Judicate nobis justitiam de isto Lieuteri,*
„ *quatenus res Candoli de Soliono, & res Ro-*
„ ma-

„ mani, & de germanis suis de paterno, qui „ fuerunt chartulati Allonis, qui olim Castaldio fuit, & modò ipse est Monachus & chartulatus de supradicto Monasterio, de omne re sua, & contendit nobis ipsum cambium de viario, quod genitor suus Majelfredus fecit cum Majenfrit Castaldione, & ipse Majenfrid Castaldio fecit de ipsa re chartulam Alloni Monacho nostro. Ad hoc respondebat ipse supradictus Lieuteri & dicebat: Non faciat Deus, & veritas non est, quòd ego res Candoli de Suriano, nec res Romani, & de germanis suis de paterno ego teneam: nec ipsum cambium, quod genitor meus fecit cum Majenfrit Castaldione, vobis non contendo, quòd de re Candoli de Suriano chartulam non habeo, nec de re Romani, nec de germanis suis de paterno, nec chartulam nec scriptum, nec ullum investitum nec ullam pertinentiam ego habeo: nec ipsum cambium, quod Genitor meus fecit cum Majenfrit, non contendo, quia mihi de omni ipsa supradicta re nec de charta, nec de terra, nec de vinea mihi pertinet ad contendere, nec ad habere: tantùm judicate quod vobis place. Et querelatus est nobis super Garifusum Notarium, filium quondam Luponis de territorio Pinnensi. Judicate nobis justitiam de isto Garefuso, quia vult nobis contendere res in vico Teatinensi terram & vineam & omnia, quæ super se habentur, quæ pertinent ad partem supradicti Monasterii, à parte Majolfi & Luponis & Ajolfi filii quondam Karoli chartulati de ipso supradicto Monasterio, quod ipsi supradicti conquisitum habuerunt à singulis hominibus, nescimus pro qua causa. Ad hoc respondebat ipse supradictus Garifusus & dicebat: Non faciat Deus, & veritas non est, quòd ego contendam ipsas res de vico Teatinensi, & cetera, quæ vobis pertinent ad partem supradicti Monasterii, quòd ego de ipsa supradicta re de vico Teatinensi nec chartulam nec scriptum nec ullam investituram nec ullam pertinentiam habeo, & ego ipsas supradictas res vobis non contendo, quia mihi non pertinet, nec ad contendere, nec ad habere; tantùm judicate quod vobis placet. Tunc nos suprascripti Judices dum taliter ipsum suprascriptum Liuteri & ipsum suprascriptum Garifusum sic respondentes audissemus, & talem professionem facientes, qualiter superiùs scriptum est, rectè nobis paruit esse ita, & judicavimus, ut omnes ipsas supradictas res Candoli de Suriano & res Romani & de germanis suis, & ipsum supradictum cambium de parte Majelfredi genitoris ipsius Liuteri haberi in securitate ad partem supradicti Monasterii, & de parte Garefusi Notarii secundùm suam professionem vel renuntium; & ipsi Liuteri & ipsi Garefuso renuntiavimus, ut de omni ipsa supradicta re Candoli de Suriano & Romani & de germanis suis de paterno & de ipso cambio de viario sibi quiescerent. Ita factum est, & causa finita. Unde nos supradicti Judices pro securitate ipsius supradicti Monasterii hanc notitiam Judicati ex dicto vel de mandato nostro in supradictorum Judicum Audoaldo Notario scribere diximus. Quam & ego ita scripsi.

„ Actum in Casa-aurea in Anno Imperii Domni Ludovici XXIV. die III. & quarto mensis Decembris per Indict. VII. feliciter.

„ ✠ Signum Heribaldi Comitis sacri Palatii, qui ibi fui, & propter ignorantiam Litterarum Signum sanctæ Crucis feci.

„ Ego Adelpertus.

„ Ego Majolfus.

„ Ego Aloini.

„ Ego Ainardo.

„ Ego Teudo ibi fui.

Placitum de Perano, & aliis rebus Camarotii, in quo Domnus Romanus Abbas optinuit. Anno 875.

„ IN Dei nomine. Notitia Judicati. Dum residentes nos Fratellus Auditor Supponis Comitis, & Radepertus Castaldio ejus & Missus, & de mandato Supponis Comitis in placito intra Civitatem Theatinam. In ipso erant placito, quod Suppo Comes in sua vice tenere commandaverat ad singulorum hominum causas audiendas, vel deliberandas, residentes ibidem nobiscum ipse Theodericus vir venerabilis Episcopus Sanctæ Theatinæ Ecclesiæ, Ansedeus Castaldio, Roderinus Scabinus de Firmo, Credoindeo, & Rodepario, & Aroaldo Scabino de Teate, & alii plures homines astantes. Ibique veniens Romanus vir venerabilis Abbas de Monasterio Beati Sancti Clementis, quod situm est in Insula juxta fluvium Piscariæ, unà cum Majone Scabino Advocato suo, & querelati sunt nobis, supra Ildeprando Franco filio quondam Garifusi, & dixerunt: quòd Domnus Imperator dedit pro anima sua per præceptum in suprascripto Monasterio ipsas res, vel Curtem de Perano, quæ fuit Camarotii, & ipsas res, quæ fuerunt Aldegontii, & ipsas res, quæ fuerunt Agisendæ conjugis ipsius Camarotii, ubicumque ipse suprascriptus Camarotius, vel Aldegontius, vel ipsa suprascripta Agisenda habuerunt, sive de casis, curtibus, Ecclesiis, terris, vineis, olivis, pomis, cannetis, salectis, pratis, pascuis, cum ipsis silvis, cultum vel incultum, omnia & in omnibus. *Modò audivimus dicere, quòd iste Ildeprandus habebat de ipsa re chartulam, aut aliam pertinentiam, per quam ipsas suprascriptas res contendere possit: nescimus, si est veritas, aut non. Judicate nobis exinde justitiam.* At ubi respondebat Ildeprandus, & dicebat: *Certè veritatem vobis dico, quòd de omni ipsa re vel substantia, quæ fuit Camarotii, vel Agisendæ conjugis ejus, aut Adelgontii, nec chartulam, nec ullum scriptum exinde unquam habeo, nec ipsas res ad meam proprietatem contendere possum; quia legibus omnes ipsas suprascriptas res ipsorum ad partem de ipso suprascripto Monasterio esse debent, & mihi numquam pertinent, & inde me contendere non fatigo; sed in omnibus me exinde foris exire facio.* Audientes nos suprascripti Judices, & boni homines ipsum Ildeprandum omnia taliter dicere, & talem professionem facientem, paruit nobis rectè; & judicavimus, ut haberetur ipsa suprascripta res ad partem suprascripti Monasterii à parte ipsius Ildeprandi in securitate. Et nos suprascripti Franci renuntiavimus ipsi Ildeprando, ut sibi exinde quiesceret, postquam in nostri præsentia talem fecit professionem.

„ Quam verò notitiam judicati ex dictato „ su-

„ supraſcriptorum Judicum,& bonorum hominum, ſcripſi.
„ Ego Majo Notarius temporibus Supponis Comitis Anno ejus IV. menſe Madio Indictione VIII. feliciter.
„ Ego Fratellus Auditor Supponis Comitis ibi fui.
„ ✠ Ego Theodericus exiguus Epiſcopus ibi fui.
„ Ego Redepertus.
„ Ego Majo ibi fuimus.

Per juſſionem Domni Karoli Imperatoris ſecundariò reinveſtitur Romanus Abbas per S. Deſiderium de omnibus rebus proprietatis Monaſterii Piſcarienſis, juxta quod olim beatæ memoriæ Ludovicus Auguſtus fecit, Anno 876.

„ IN Dei nomine Breve recordationis, qualiter in noſtrorum præſentia Suaboni Caſtaldi, Adelberti, Gariſuſi, & Sindolfi Scabini, Rodelandi, Majonis, Ermeſindi, Johannis, Adelberti, Leonis, Singeri, Petri, Opterami, Sinderami, Benedicti, & ante plures bonos homines, in quorum præſentia venit Grimbaldus vir venerabilis Epiſcopus Sedis Sanctæ Eccleſiæ Pinnenſis unà cum Anſerio, & Adelberto Caſtaldionibus, & Arteri. Et per juſſionem Domni Karoli Imperatoris Auguſti, & per juſſionem Lamberti & Widonis Comitum, & inveſtierunt Romanum Abbatem, & Allonem Advocatum illius ad partem Monaſterii Sanctæ Trinitatis per anulum de campana Eccleſiæ Sancti Deſiderii tam de ipſa Curte Sancti Deſiderii, quàm & de ceteris Curtibus, & rebus, ideſt Breliano, & rebus Corvini, quas ipſe Corvinus Domno Ludovico Imperatori Auguſto per chartulam delegavit. Et de Curte Sancti Heliæ Monatiano Caſale cum ſuis caſalibus. Et de Curte Camerotii de Perano, & de omnibus rebus, quæ fuerunt Urſonis Caſtaldionis, & Ermeſindæ uxoris Camarotii, & Icteri Caſtaldionis, & de omnibus quæcumque jam antea per inveſtituram à parte Domni Ludovici Imperatoris tenuerunt comparatione, chartulatione, donatione, ſeu conquiſito de ſervis & ancillis, mobilibus & immobilibus rebus, qualiter in ejus præceptis continentur. Dum hæc omnia nos ſupraſcripti Judices, & boni homines ipſum Grimbaldum Epiſcopum, & Anſerium, & Adelbertum Caſtaldionem, & Arterii, ipſas ſupraſcriptas Curtes, & res Romano Abbati, & Alloni Advocato de ipſo Sancto Monaſterio taliter tradentes vel inveſtientes vidiſſemus, ſicut ſuperiùs continetur; per præſentem demandavimus, atque condictavimus Areciſi Notario, ut exinde ſcriberet ſcriptum traditionis, ſeu inveſtituræ.
„ Quam & ego Areciſi Notarius de dictato, vel de mandato de ſupraſcriptis Judicibus, vel bonis hominibus, ſcripſi inde ſcriptum traditionis, ſeu inveſtituræ, in Anno Domni Karoli piiſſimi Imperatoris Auguſti. Anno Imperii in Dei nomine in Italia primo, ſeu & temporibus Widonis Comitis Anno Comitatus ejus primo menſe Junio per Indictionem IX. feliciter.
„ ✠ Signum manus Suaboni Caſtaldionis ibi fuit.
„ Ego Adelberto qui ibi fui.
„ Ego Majo ibi fui.
„ Gariſuſo Judex ibi fui.
„ Ego Ermeſindo ibi fui.
„ Ego Prodelando ibi fui.
„ Ego Sindolfus ibi fui.
„ Ego Odelberto ibi fui.

Placitum de rebus Gundi, & Juſtonis in villa Fiola, Colle, Superone, Badulato, Perulo, & Fleccine. Anno 877.

„ IN Chriſti omnipotentis nomine. Notitia Judicati. Dum reſideremus nos Ildeprandus Auditor Widonis Comitis, & Ello Caſtaldio, Zangolfus Gaſtaldio de Firmo per Miſſum & demandatum Widonis Comitis in Placito intra Civitatem Teatinam ad ſingulorum hominum cauſas ad audiendum, vel ad deliberandum reſidentes; ibidem nobiſcum de Francia Anſeri, & Guarnato Caſtaldio, Erifredus, Aſtroaldo, & Widor, Albertus, Ainfredus, Ildebrandus, Aderiſius, Domi Scabinus de Furcone, Adelpertus Caſtaldio, Majo, Warimpoto, Majolfus, Walpertus, Rodepaldus, item alius Majo, Anno Scabinus de Teate, Opteramo, & Ildeperto, & Sindolfus, & Vetroaldo Scabinus de Pinne, Erſemari,& Cheriſi, Corbinus, Aſfredus, Siolfus, Rodelandus, Arderadus, item alius Corbinus Aldoini, Madelpertus, & Benedictus Notarius de Pinne, Giſelpertus, & Leo Notarius de Teate, Protogari, Prando, Teodenandus, Rodeprandus, Teuſpaldo, Arepoldus, Benedictus, Arnoaldus, vel alii plures homines aſtantes. Ibique veniens Romanus vir venerabilis Abbas de Monaſterio Sanctæ Trinitatis, quod ſitum in Inſula Piſcariæ loco qui dicitur Caſaurea, unà cum Gariſuſo Notario Advocato de prædicto Monaſterio & querelati ſunt ſuper Amelfredo, & Waguingo, & Petro filiis quondam Juſtonis Franci; & dicebant, quòd *Juſto genitor iſtorum germanorum confirmavit per ſcriptum dotalicia Gundi conjugi ſuæ genitricis veſtræ ipſam Curtem de Montiano cum omnibus, quæ ad ſe pertinent, & tertiam partem de omni alia re ſua. Et ipſa genetrix veſtra fuit velata, & commiſit adulterium, per quod legibus res ſua ad partem Domni Regis decaduta fuit. Et Judicatum exinde habemus, per quod eſt confirmatum, quomodo Advocatus Domni Regis ipſas res convicit de ipſa Gundi genitrice veſtra, & de vobis. Et Judicatum exinde confirmatum habemus. Et ipſe Domnus Imperator ipſum Judicatum, & ipſas res in ipſo Monaſterio dedit per ſuum præceptum. Et ecce ipſum Judicatum; & ipſum Præceptum hic præ manibus tenemus in veſtri præſentia*. Sic nos ſupraſcripti Judices fecimus legere ipſum Judicatum, & ipſum Præceptum. Et inter cetera continebatur in ipſum Præceptum, qualiter Domnus Ludovicus Imperator piiſſimus inter cetera confirmaverat per ipſum Præceptum pro anima ſua ad proprietatem in ipſo Monaſterio omnes ipſas res, quæ fuerunt Gundi, ſicut ipſe Romanus Abbas cum ſuo Advocato dixerat. Et manu ſua propria in ipſo Præcepto confirmaverat. Et in ipſo Judicato continebatur, qualiter in præſentia Eribaldi Vicecomitis Palatii ipſius Auguſti, & de

„ de aliis Judicibus, & bonis hominibus, convicerat Majo Advocatus Domni Imperatoris „ Gundi genetrice de ipsis supraſcriptis germanis, quæ fuit velata, & pro adulterio, „ quod commiſerat, omnes res ipſius Gundi „ cum ipſa Curte de Monatiano, quam ipſe „ Juſto ipſi Gundi in dotali dederat, cum „ omnibus, quæ ſunt ad ſe pertinentes. Et „ tertiam partem de omni alia re Juſtonis, „ qui fuit vir ejus. Et quomodo ipſa Gundi „ cum filiis ſuis, & cum Advocato Ildegario „ ipſius ſupraſcripti Petri profeſſi fuerant, „ quomodo Gundi adulterium commiſiſſet, & „ per judicium Judicum omnes res ipſius Gundi Majo Advocatus Domni Imperatoris convicerat. Et erat ipſum Judicatum ſcriptum „ per Notarium publicum, & ab ipſo Eribaldo, & à Judicibus erat roboratum juxta legem. *Modò volumus ſcire, ſi iſti germani „ volunt nobis aliquod contendere de ipſa Curte de Monatiano cum omnibus, quæ ad ſe „ pertinent, vel de omni alia tertia parte de „ re, quæ fuit Juſtonis, qualiter ipſe Juſto „ ad ipſam conjugem ſuam dedit. Et volumus „ ipſas res cum ipſis dividere, & habere exinde aliam tertiam partem de ipſa alia re Juſtonis, qualiter ipſi Gundi pertinuit.* At „ ubi reſpondebat, & ipſi ſupraſcripti „ germani, & dixerunt: *Veritas eſt, quòd „ Juſto genitor noſter habuit in conjugio Gundi genitricem noſtram. Et donavit ei ipſam „ Curtem de Monactiano in dotalicia cum omnibus, quæ ad ſe pertinent. Et dedit ei tertiam partem de omni alia re ſua, quantam „ habebat, vel in antea habiturus fuiſſet. Et „ veritas eſt, quòd Majo Advocatus Domni „ Imperatoris ſtetit nobiſcum, & cum ipſa genitrice noſtra, & cum ipſo Ildegario Zio noſtro, qui erat Advocatus iſtius Petri, quomodo ipſa genitrix noſtra adulterium commiſiſſe; & ipſa, & nos, & Aldegarius Zius „ noſter manifeſtavimus, quomodo ipſa genitrix noſtra adulterium feciſſe. Et legibus „ omnes res ejus ad partem Domni Imperatoris „ decadere debuiſſent. Et omnia ſic eſt veritas, „ ſicut in ipſo Judicato continetur. Sed nos „ ipſam Curtem de Monatiano cum omnibus, „ quæ ad ſe pertinent, & tertiam partem de „ omni alia re genitoris noſtri vobis numquam „ contendimus, quod legibus per ipſum præceptum, & per ipſum Judicatum in ipſo „ ſancto Monaſterio permanere debet. Exceptamus ipſam Curtem, & res noſtras in Aprutio, quas nos Fulrado per chartulam confirmavimus. Et ipſe Fulradus vobis in ipſo „ ſancto Monaſterio per chartulam confirmavit. „ Et excepto ego Amelfredus omnem ipſam „ rem, quæ fuit Machelmi ſoceri mei. Unde „ ego dare non debeo excepta ipſa re, quæ fuit „ Machelmi ſoceri mei in Perolo, & in Badolato, quam ego in ipſo Monaſterio per „ chartulam confirmavi, & in ipſo Monaſterio „ permanere debet.* Audientes nos ſupraſcripti „ Judices ipſos ſupraſcriptos Amalfredum, & „ Waningum, & Petrum omnia taliter dicere, & talem profeſſionem facientes, paruit „ nobis rectè, & judicavimus ſequentes eorum „ profeſſionem, & ſequentes ipſum Judicatum, & ſecundùm ipſum Præceptum, per „ quod Domnus Imperator res in ipſo Monaſterio confirmaverat, in ipſam Curtem de „ Monactiano cum omnibus, quæ ad ſe pertinent, & ipſam tertiam partem de omni „ re, quæ fuit ſupraſcripti Juſtonis, qualiter „ ipſi Gundi pertinuit, haberet pars ſupraſcriptum Monaſterium ad ejus proprietatem „ in ſecuritate à parte ipſorum ſupraſcriptorum germanorum. Et renuntiavimus ipſis „ ſupraſcriptis germanis, ut ſibi exinde quieſcerent. Poſt hæc iterum ipſe ſupraſcriptus „ Romanus Abbas cum ſupraſcripto Gariſuſo „ Advocato ſuo dixerunt, quòd *volumus ipſas „ res dividere cum iſtis germanis Amelfredo, „ & Waningo, & Petro.* Sed & ipſi ſupraſcripti germani dixerunt: *& nos ipſas res „ volumus dividere vobiſcum.* Et ipſe Abbas „ cum ipſo Advocato ſuo dixerunt: *Si nobis „ datis ipſam tertiam partem de ſupraſcripta „ re, quæ fuit genitoris veſtri, ipſas res de „ Villis de Fiola, & Colle, & Superone, Badulato, Perulo, & Fleccine, & Curte de „ Leriano, & Ambrilie, & Ragiano, & de „ ipſa re, quæ fuit de Machelmo ſocero iſtius „ Amelfredi, modiorum centum in loco qui dicitur Fiola, & ubi dicitur Sanctula, cum „ caſis, terris, vineis, campis, ſilvis, & cum „ ipſis modiis centum, quomodo ſuperiùs ſcriptum eſt: nos ipſam recipimus pro ipſa tertia „ parte in eo modo, ut menſuremus ipſas res; „ & ſi nobis plus exinde evenire debet, nobis „ adimpleatis in ſupraſcriptis Villis, dum uſque ipſam tertiam partem adimpleatis. Et „ ſi plus fuerit de ipſa re, quam nos dicimus, „ nos vobis reſalvamus de ipſa re, dum vos „ ipſas duas portiones habeatis.* Sed & ipſi „ germani dixerunt: *Et nos vobis volumus „ dare in portionem pro ipſa tertia parte ipſas „ ſupraſcriptas res in eo modo, ſicut vos dixiſtis, ut per menſuratum adæquemus.* Et „ à præſenti in præſentia de ſupraſcriptis Judicibus, & bonis hominibus tradiderunt ipſi „ ſupraſcripti germani in portionem ad proprietatem ipſius Monaſterii ipſi Romano Abbati, & Gariſuſo Advocato ejus ipſas ſupraſcriptas res in ſupraſcripta loca pro ipſa „ tertia parte de re ſupraſcripti Juſti, quæ „ ipſi Gundi exinde pervenerat, in eo modo „ ut per menſuram ipſa adæquarent, qualiter „ ſuperiùs ſcriptum eſt. Et ipſe Romanus „ Abbas cum ipſo Advocato ſuo tradiderunt „ ipſas alias res pro ipſis duabus portionibus „ de ipſa ſupraſcripta re, quæ ipſis germanis „ exinde pertinuit de caſis, terris, vineis, pomis, omnia, ut ipſa adæquarent, qualiter „ ſuperiùs dixerunt. Et guadiaverunt inter ſe, „ ut ambularent ſuper ipſa re, & adæquarent „ ipſa per menſuram, ſicut ſuperiùs ſcriptum „ eſt. A parte Gariſuſi exivit Adelpertus Notarius filius Madelperti, & à parte ipſorum „ germanorum exivit ſupraſcriptus Notarius „ Adelpertus, & Guarnato Caſtaldio. Finito „ hoc iterum querelatus eſt ipſe Gariſuſus „ Advocatus ipſius Monaſterii ſuper ipſis ſupraſcriptis germanis, & dixit: *Quia fuerunt homines, qui fecerunt chartulas, quando Siſenando Franco de re ſua in Caſule, „ & Suppone, & per ſingula Caſalia. Et nos „ ipſas res de ipſis hominibus quærimus ad proprietatem ipſius Monaſterii. Modo volumus „ ſcire, ſi iſti germani nobis exinde contendent.* Sed & ipſi ſupraſcripti germani dixerunt: „ *Certè verum eſt, quòd omnes res, quæ fuerunt Siſenandi, quas ipſi homines ei per „ chartulam confirmarunt, & quæ vos modò „ ad partem de ipſo Monaſterio ad proprietatem „ quæritis, pertinere debet, ipſa numquam* „ con-

contendimus in ipsis Casalibus de Fiola, & ubi dicitur Janctula; quia non habemus ullam pertinentiam, per quam vobis contendere debeamus, nec rationem. Tunc nos suprascripti Judices paruit nobis rectè, & judicavimus, ut ipse Romanus Abbas cùm successoribus ejus haberet ipsas res de ipsis Chartulatis Sisenandi, quia ille exinde tenet ad proprietatem de ipso Monasterio in securitate de parte ipsorum germanorum. Et qualiter actum fuit, & hanc notitiam Judicati, quomodo fuit, de mandato de suprascriptis Judicibus, & bonis hominibus, scripsi ego Adelfredus Notarius.

Actum in Teate in Anno Imperii Domni Karoli secundo, & secundo anno Comitatus Widonis Comitis de mense Augusto per Indictionem X. feliciter.

✠ Ego Ildeprando ibi fùi &c.
Ego Erifrid ibi fui.
✠ Ego Walpertus ibi fui.
✠ Signum manus Ellonis Castaldionis Missi, qui ibi fui.

Placitum de Corneto. Anno 910.

IN Dei nomine. Notitia Judicati. Dum residentes nos VValdepertus Vicecomes Alberici Marchionis unà cum Aimo, & Lupo, & Anserico Scabinis de Pinne in placitum in loco, qui dicitur Corneto, pro singulorum hominum causis audiendis, vel deliberandis. Et residentibus ibidem nobiscum in ipso placito Ugo Castaldio, Teoderado, VValeperto, alio VValeperto, Johanne, Rico, alio Johanne, Atto, Ariperto, Redeperto, Gumberto, & de Saligis hominibus Bertado, Sanson, Madenolfo, Geriperto, vel aliis pluribus circumstantibus hominibus. Ibique vênit in nostrorum omnium de suprascriptis Judicibus, vel bonis hominibus, præsentia Lupo vir venerabilis Abbas de Monasterio Sanctæ Trinitatis, ubi reconditum est Corpus Sancti Clementis, in Insula Piscariæ in loco, qui dicitur Casa-aurea, unà cum Pertoni Advocato de suprascripto Monasterio, & querelati sunt nobis super VValtari filio quondam Teodelapi, & dixerunt: *Domni nostri, judicate nobis justitiam de isto VValtari, qui ante nos stare videtur: Quia auditum, vel dictum est nobis, quòd iste VValtari voluit abscondere nobis aliquid de rebus proprietatis de suprascripto Sancto Monasterio in loco, qui dicitur Corneto, hoc est terram infra ipsas duas Formas, quæ decurrunt per ipsam terram de suprascripto Sancto nostro Monasterio per Lauroido passus triginta, capitè in suprascriptas Formas, pede tenente in fluvio Tabæ. Si ille nobis aliquid de ipsa terra infra suprascriptas fines aliquid contendere voluit, aut non, volumus ut dicat nobis hìc in vestri præsentia.* Tunc nos suprascripti Judices, vel boni homines interrogavimus ipsum Waltarim, quid contra ipsùm Luponem Abbatem, vel contra ipsum Pertonem Advocatum de suprascripto Sancto Monasterio de hac causa dicere, vel respondere voluisset. Tunc ipse VValtari sua bona voluntate professus est in nostri præsentia, & dixit: *Certè, Domni mei, de hac causa dico vobis veritatem, quia de ipsa terra infra ipsas eorum Formas per Lauroido passus triginta, capite in suprascriptas Formas, pede in fluvio Tabæ, quia de ipsa terra, quam iste Lupo Abbas, unà cum Perto Advocato de suprascripto Sancto Monasterio mihi Waltari hìc in vestri præsentia quæsierunt, vel monstraverunt infra suprascriptos fines, vel loca designata, ego exinde nullam contendo, nec contendere possum, nec per chartulam, nec per hereditatem, nec per ullum scriptum, nec per ullam pertinentiam, quia mihi exinde nulla unquam pertinet, nec pertinere unquam debet, quia ipsa suprascripta terra infra ipsas duas Formas ad proprietatem de suprascripto Sancto Monasterio legibus esse debet. Tantum judicate quid vobis placet.* Tunc nos suprascripti Judices, vel boni homines, dum ipsum VValtarim ante nos sic audissemus dicere, & talem professionem facientem in nostri præsentia, qualiter superiùs legitur, rectè nobis paruit ita, & judicavimus, ipsi Luponi Abbati, & Pertoni Advocato de suprascripto Sancto Monasterio ipsa suprascripta terra habere & tenere ad proprietatem ad partem de suprascripto Sancto Monasterio in securitate à parte ipsius VValtari. Et renuntiavimus ipsi VValtari, ut ille sibi exinde quiesceret, postquam ille in nostri præsentia talem fecit professionem, vel renuntium. Et qualiter actum est hoc Judicatum, ex dicto, vel de mandato de suprascripto Vicecomite, vel de suprascriptis Judicibus, vel bonis hominibus, scripsi ego Ildepertus Notarius in Anno ab Incarnatione Domini nostri Ihesu Christi DCCCCX. mensis Novembris per Indictionem XIV.

Actum in Pinne feliciter.

✠ Ego VValdepertus ibi fui.
✠ Signum manus Ugonis Castaldionis, qui ibi fui, & signum Crucis feci.
✠ Ego Anno, qui ibi fui.
✠ Ego Atto, qui ibi fui.
✠ Signum manus VValdeperti, qui ibi fui, & signum Crucis feci.
✠ Signum manuum Johannis, Dariperti, qui ibi fuerunt, & signum Crucis fecerunt.

De Colle cum possessione quingentorum modiorum ab Hilderico Abbate præstito Comiti Attoni. Anno 957.

IN Dei nomine. Placuit, atque convênit inter nos Attonem Comitem filium quondam Attonis, & Aldegundam uxorem meam, filiam quondam Gaidulfi. Dedisti vos Domne Abbas de Monasterio Beatæ Sanctæ Trinitatis, quod situm est in fundo Comitatus Pinnensis loco, qui dicitur Casaurea, quod ex omni circumdatur parte Flumine Piscariæ, unà cum voluntate, & consentientibus primatis Monachis præordinatis in officio sancti vestri Monasterii; venimus ex alia parte ad te ego Atto, tu verò mihi, & filiis & nepotibus meis, & usque in tertia generatione mea, & mihi Aldegundæ diebus vitæ meæ ad usufruendi rem juris sancti vestri Monasterii; idest in territorio Pinnensi loco, qui dicitur Casa-aurea, quæ est infra in Insula Piscariæ, terram per mensuram modiorum septem adunatam per loca designata. Et dedistis vos tu suprascriptus Domnus Hildericus Abbas cum voluntate de suprascriptis Monachis mihi suprascripto Attoni

,, ni in filiis & nepotibus meis usque in tertiam generationem meam, & mihi suprascriptæ Adelgundæ diebus vitæ meæ in territorio Pinnensi, idest ipsam Curtem in fundo Colle cum suprascriptæ Curti pertinentia vel subjacentia, cum casis, terris, casalibus, colonitiis, aldiariciis, salectis, pratis, pascuis, campis, silvis, ripis, aquis, cultum, vel incultum, omnia & in omnibus, quomodo ad ipsam suprascriptam Curtem pertinent in integrum seu & dedisti mihi Actoni Comiti, & filiis, & nepotibus meis usque in tertia generatione mea, & mihi Adelgundæ diebus vitæ meæ, ut habeamus ipsos Census, & ipsa obliga de ipsis suprascriptis præandariis, quomodo vobis ad partem sancti vestri Monasterii dare debuerunt, sic debeant dare mihi suprascripto Attoni Comiti, vel ad suprascriptam generationem meam, & mihi suprascriptæ Adelgundæ diebus vitæ meæ. Et præfinitam generationem eorum de suprascriptis præandariis, qui ad ipsam suprascriptam Curtem pertinent, quomodo ipsæ suprascriptæ res ad partem sancti vestri Monasterii reverti, & recadere debent, sic debeant reverti & recadere mihi suprascripto Attoni Comiti, vel suprascriptæ generationi meæ, & mihi suprascriptæ Adelgundæ diebus vitæ meæ. Et est omnis ipsa suprascripta res, quæ ad ipsam suprascriptam Curtem pertinet, inter terram, & vineam, & silvas, terra modiorum quingentorum adunata, cum pomis, & arboribus suis, & cum omnibus, quæ se habentur. Ut omnem ipsam suprascriptam Curtem, & res ejus habeamus ad usum fruendi, laborandi, exfructandi. Nam non vendendi, nec donandi, nec concambiandi, nec alii loco pignoris commendandi, nec in loca venabilia mittendi, nec per ullam rationem vel tenorem in alterius potestate ad proprietatem dandi, aut transmigrandi, nisi tantùm usufruendi habere debeamus ego suprascriptus Atto Comes, vel suprascripta generatio mea. Pro ea verò ratione omnem ipsam suprascriptam Curtem, & res dedisti mihi ad usufruendi à parte sancti vestri Monasterii in ista convenientia, quia ego suprascriptus Atto Comes dedi ad partem sancti vestri Monasterii de meo proprio, quod mihi evênit ex juris parentum, quod est in Comitatu Teatino, loco ubi dicitur Petra, terra vocabulo ad Piscariam, terra, & silva per mensuram modiorum sexaginta adunata cum pomis, & arboribus, & cum omnibus, quæ infra se habentur. Et pro majori firmitate sancti vestri Monasterii exinde chartulam fecimus, ut à præsenti die ad jura, & ad proprietatem sancti vestri Monasterii esse & permanere debeat. Et dedimus nos suprascripti jugales de nostris mobilibus inter aurum, & argentum, & alia mobilia valentibus solidos sexcentos, quæ vos recepistis in utilitate, & in opus, & in dispendio misistis ad partem sancti vestri Monasterii. Et censum vobis, vel successoribus vestris exinde annualiter dare debemus ego suprascriptus Atto Comes & filii, & nepotes mei, vel suprascripta generatio mea, & ego suprascripta Adelgunda diebus vitæ meæ, omni anno infra mensem Junii denarios de argento duodecim. Expleta autem suprascripta generatione mea ipsam Curtem & omnes suprascriptas res ad partem sancti vestri Monasterii reprehendere, & habere debetis vel tu, vel successores tui sinè omni calumnia vel contradictione. Et hoc repromitto ego Atto Comes, vel suprascripta tertia generatione mea, & ego Adelgunda diebus vitæ meæ per consensum de suprascripto viro meo, tibi Domno Hilderico Abbati, ut se ipsam Curtem, & omnes suprascriptas res, quæ ad ipsam Curtem pertinent, qualiter superiùs scriptum est, ad jura & proprietatem de sancto vestro Monasterio non servaverimus, & ipsum suprascriptum censum annualiter non dederimus, & omnia sic non fecerimus, & non adimpleverimus, ut componamus ego Atto Comes, vel suprascripta generatio mea, vel ego suprascripta Adelgunda diebus vitæ meæ vobis Domno Hilderico Abbati, vel successoribus tuis libras de auro decem, & post pœnâ compositâ ipsam Curtem & omnes suprascriptas res ad partem sancti vestri Monasterii reprehendere & habere debeatis, vel tu, vel successores tui, sinè omni calumnia, qualiter superiùs scriptum est, quia talis inter nos stetit convenientia. Regnantibus Domno Berengario & Adelberto filio ejus Regibus Anno Regni eorum in Dei nomine VII. & temporibus Teobaldi Ducis & Marchionis Anno ejus IV. mense Junii per Indictionem XV.

,, Quam verò convenientiam rogatus astiti, scripsi ego Johannes Notarius, & de Teate Scabinus, die mense, & Indictione suprascripta feliciter.

,, Ego Atto in hac convenientia à nobis facta manu mea subscripsi.

,, Ego Johannes.

,, Lupo in hac convenientia rogati astitimus, manibus nostris subscripsimus.

Qualiter Hildericus Abbas superavit Johannem Episcopum Pinnensem causantem Monasterii libertatem. Anno 967.

,, IN Dei nomine. Willa Mariani, campo juris proprietatis Sanctæ Firmanæ Ecclesiæ residente Pandulfo Duce & Marchione, per licentiam Gaidulfi Episcopi Sanctæ Firmanæ Ecclesiæ, & residente cum eo Lipo Comite de ipso Comitatu, & residentibus cum eo Adelberto, & Johanne, & Rodaldo Scabinis, & residentibus cum eo Suppo, & Longino, & Franco, & Amizo, & alio Longino, & Hilderico, & Adam, & Transarico, & Arderado, & Remfredo, & aliis pluribus astantibus, & residentibus. Ibique veniens in eorum præsentia Hildericus Abbas cum Alberico Advocato suo, & querelatus est super Johannem Episcopum Sanctæ Pinnensis Ecclesiæ, dicens: *Domni mei, audite querelam, quam ego Hildericus Abbas, & Albericus Advocatus noster super ipso suprascripto Johanne Episcopo Sanctæ Pinnensis Ecclesiæ depono de Abbatia Sanctæ Trinitatis, & de ipsius Castellis, & ipsius Abbatiæ Monasteriis cum suis casis, & cum suis casalibus, & cum suis pertinentiis, & cum suis subjacentiis. Quod ipse suprascriptus Johannes Episcopus ipsum Monasterium contradicebat, & dicebat, quòd pertinuisset ad ipsum Episcopium Sanctæ Pinnensis Ecclesiæ.* Tunc interrogaverunt

" ipse suprascriptus Pandulfus Dux & Marchio cum suprascriptis Comitibus, & cum suprascriptis bonis hominibus, & cum suprascriptis Judicibus, ipsum Johannem Episcopum Sanctæ Pinnensis Ecclesiæ, si fuisset veritas, quòd ipsum suprascriptum Monasterium, & ipsa suprascripta Abbatia pertineret ad ipsum suum Episcopium. At ubi respondebat ipse suprascriptus Johannes Episcopus sanctæ Pinnensis Ecclesiæ cum Berardo Advocato suo dicens: *Ego renuntiavi, & renuntio de omni ipsa suprascripta Abbatia de Sancta Trinitate, & de ipsius Monasterii Castellis omnia, & in omnibus, qualiter ad ipsam Abbatiam, & ad ipsa Monasteria de Sancta Trinitate pertinent, vel pertinere debent, in integrum, sive de casis, sive casalibus, seu colonicibus, pratis, pascuis, campis, silvis, ripis, rupinis, aquis, aquimolis, seu decursibus, vel usibus aquarum, seu de Cartulatis, vel de Prandariis, omnia & in omnibus, ubi & ubi omnia & in omnibus. Et ipsa Monasteria de ipsa Abbatia in integrum renuntiavi Hilderico Abbati, & Alberico Advocato suo, quòd non pertinuisset ad ipsum Sanctum Episcopium, & nec ulli, nec ulli suorum posteriorum inde possimus causationem imponere, nec contra te Hildericum Abbatem, nec contra ullum de posteris, vel successoribus tuis, nec contra ipsam Abbatiam, nec contra ipsum suprascriptum Monasterium, neque per præceptum de parte Domni Imperatoris, nec per judicatum, nec per ullum renuntium, nec per ullum scriptum monimimis, nec per nos, nec per ullum de posteris, vel successoribus meis, ut non possimus, & non debeamus ullo, vel quoquo tempore causationem imponere, quia nobis nunquam pertinet, nec pertinere debuit, nec etiam ad ipsum Episcopium Pinnensis Ecclesiæ unquam pertinet. Sic dico tibi, & abrenuntio. Excepto ipsam Curtem de Breliano, quam ego habeo diebus vitæ meæ, & post nostrum transitum debeat reverti & recadere ad ipsum suprascriptum Monasterium. Nam suprascriptam Abbatiam, etiam omnia, & in omnibus de ipso Monasterio suprascripto abrenuntiavi tibi Hilderico Abbati, & posteris successoribus tuis, & Alberico Advocato tuo, & ipsi Monasterio, & ipsi Abbatiæ de Sancta Trinitate.* Tunc judicaverunt ipse Dux & Marchio, & Comes, & Judices, & boni homines, quòd Johannes Episcopus Sanctæ Pinnensis Ecclesiæ se inde quietaret. Et Hildericus Abbas hoc obtineret in securitate. Et ipsa suprascripta Abbatia, & Monasterium sit in securitate, & in pace, sicut superiùs judicavimus, & diximus. Quod jam antea fuerat judicatum, & scriptum, & ex suprascriptorum dicto, videlicet Marchionis, & Judicum, & bonorum hominum, scripsi ego Johannes Notarius in Anno ab Incarnatione Domini nostri Ihesu Christi DCCCCLXVII. Et imperante Domno Ottone divina ordinante providentia Imperatore Augusto Anno Imperii ejus in Christi nomine VI. mense Februario per Indictionem X. In VVilla Mariani die, mense suprascripto feliciter.

" Ego Pandulfus Dux & Marchio ibi fui.
" Lupo Comes ibi fuit.
" Suppo ibi fuit.
" Longini ibi fuit.
" Alius Longini ibi fuit.
" Transarico ibi fuit.
" Ilderico ibi fuit.
" Arderado ibi fuit.

Additur in MSto Regio Parisiensi hæc clarior descriptio ad col. 829. C. hujus tomi referenda.

Ut autem sciatur à posteris, quæ fuerint, eorum nomina præsenti paginæ inserere dignum duximus, & nomina Villarum, & possessionum, quas ipsi impiè pervaserant, & Præstarias, quas idem Abbas fecit, præsenti scripto suis locis mandavimus.

Possessiones Monasterii Sancti Clementis, quæ habentur in Marchia.

In Comitatu Firmano Castrum de Lauro, Sanctum Michaëlem in Palme. In Comitatu de Auximo Castrum, quod vocatur Rotellus, & Briccia, Sanctum Vincentium cum undecim millia modiorum de terra. In Comitatu Camerino, Vestinianum, Caldarole, Sanctum Angelum ad Favera. Luczano in Curte Malpassano centum modiorum de terra. Super hæc etiam viginti duas alias Curtes, videlicet Curtem de Castello, Curtes in Cruce, in Jamule, in Septiniano, in Cupo, in Valledonica, in Luniano, in Campo, in Preta, in Valle de Sancto Petro, in Podalla, in Istainu, in Fano, in ipsa Curte de Monte-alto, in Scisiano, in Conca, in Campo-francisco, in Vesciano, in Valle de Sancto Donato, in Civitate de Castro, & in Manciano.

Investituræ de suprascriptis rebus Monasterii Piscariensis, quas Otto Imperator præcepit fieri per Ittonem suum Missum sub Regio bando, & pœna centum librarum auri, ut in præcepto habetur.

" Breve de ipsa Investitione, quam fecit Itto Missus Domni Ottonis Imperatoris cum Transmundo nepote Actonis Comitis de rebus Monasterii Sanctæ Trinitatis. In primis de ipsa re de Vicano, quòd inde tenuerunt Ricardus filius Elperini, & sui consortes. Et qui exinde eum disvestiret; ut componat bandum ad partem Regis.

" Et de ipsa Ecclesia Sanctæ Justæ, quam tenuerunt ipsi filii VValzoni, misit bandum, ut quicumque disvestiret suprascriptum Monasterium, ut sit compositurus bandum ad partem Regis.

" Et de ipsa re, quam ex inquisitione monstraverunt, quam tenuerunt VValbertus Judex, & Casto, & Johannes in Ocretano, investierunt de ea partem de suprascripto Monasterio. Et quicumque eam exinde disvestiret, ut componat bandum ad partem Regis.

" Et de ipsa re, quam exinde tenuit Deodatus filius VValonis in Ocretano investitum ad partem de suprascripto Monasterio, ut quicumque disvestiret, componat bandum ad partem Regis.

" Et de ipsa re, quam tenuit Aifredus filius Aczonis in Pompeniano, investivit ea partem de suprascripto Monasterio. Et quicumque id exinde disvestiret, ut componat ban-

,, bandum ad partem Regis.
,, Et de ipsa re, quam tenuerunt ipsi filii
,, VValzonis, & Aczo filius Petri in Cerana,
,, investivit partem de suprascripto Monaste-
,, rio. Et quicumque disvestiret, componat
,, bandum ad partem Regis.
,, Et de ipsa Ecclesia Sanctæ Mariæ de Ro-
,, mani, & de ipsa re de Romani investierunt
,, de ea partem de suprascripto Monasterio.
,, Et quicumque id exinde disvestiret, ut com-
,, ponat bandum ad partem Regis.
,, Et de ipsis Molinis de Corneto, quæ te-
,, nuerunt, investivit ea ad partem de supra-
,, scripto Monasterio. Et quicumque eum
,, exinde disvestiret, ut componat bandum ad
,, partem Regis.
,, Et de ipsa re de Saratecto, quam ipsa
,, inquisitione monstraverunt, quam tenuerunt
,, Geczo, & Alpecari, & sui consortes, &
,, tenuerunt ipsi filii VValteri, & Teuto, in-
,, vestierunt eam ad partem de suprascripto
,, Monasterio. Et quicumque exinde disvesti-
,, ret, ut componat bandum ad partem Regis.
,, Et de ipsa re, quam tenuerunt ipsi filii
,, Gostantii in Asenari, quam ipsa inquisitione
,, monstraverunt, & investivit ad partem de
,, suprascripto Monasterio. Et quicumque
,, exinde disvestiret, componat bandum ad
,, partem Regis.
,, Et de ipsa re, quam tenuerunt Johannes
,, filius Ildetrudæ in Alanne, quam ipsa inqui-
,, sitione monstraverunt, & investivit supra-
,, scriptum Monasterium. Et quicumque exin-
,, de disvestiret, componat bandum ad par-
,, tem Regis.
,, Et de ipsa re, quam tenuerunt ipsi filii
,, Preteangeli, investivit exinde ipsum supra-
,, scriptum Monasterium. Et quicumque dis-
,, vestiret, componat bandum ad partem Re-
,, gis.
,, Et de ipsa re de Villoni, quam tenuit
,, filius Silvestri in Balneo, investiverunt exin-
,, de suprascriptum Monasterium. Et quicum-
,, que exinde disvestiret, ut componat ban-
,, dum ad partem Regis.

Judicatum de Curte Sancti Rustici apud Muscufum. Anno 969.

,, IN Dei nomine. Notitia Judicati. Quali-
,, ter pro futuris temporibus memoria re-
,, cordandi in Territorio Pinnensi in Casale,
,, quod dicitur Moscufe, juxta ipsam Eccle-
,, siam Sanctæ Mariæ, ubi residebant in Pla-
,, cito Transmundus Comes, & Vvido Judex,
,, & Transaricus, & Johannes, & Gizo,
,, Tetmari, Raynaldus Castaldii, & boni ho-
,, mines, hoc erant Petrus, & Teuto filii Sie-
,, fredi, & Ardoini, Albericus, Girardus, &
,, Fulcheri, & Benedictus, Madelbertus, Ar-
,, deradus, & Gizo filio Alexandri, & Aczo
,, Berteramo, Alpecari, & Lupo filio Ardc-
,, radi, & alii plures. Ibique sedentibus, quam
,, & circumstantibus, in istorum hominum de
,, suprascriptis præsentiis vênit Adam Abbas
,, de Monasterio Sanctæ Trinitatis, quod situm
,, est in Insula de Bico, quæ est juxta flu-
,, vium Piscariæ in locum, qui dicitur Ca-
,, sa-aurea, ubi Corpus Sancti Clementis re-
,, conditum est, cum VValberto Judice Ad-
,, vocato suo, & querelati sunt super VVal-
,, teri, qui supernomen vocatur Aczo, & su-
,, per Johanne germano ipsius VValteri & di-
,, xerunt: *Domni facite nobis justitiam de isto*
,, *VValteri, & de isto Johanne, qui ante ve-*
,, *stram adsunt præsentiam, quia volumus*
,, *scire de omni integra tertia portione de ipsa*
,, *Curte nostra de Sancto Rustico, quæ est in-*
,, *fra fines Lussiano, & fine Rigo de Cerri, &*
,, *fine* (*) *lu tricalio de Caserese, & fine tri-*
,, *calio de Meleniano, & fine fluvio de Tabe,*
,, *omnia qualiter jam ante hos dies ipsi præno-*
,, *tati VValteri, & Johannes, cum nostris*
,, *Missis diviserunt, & nobis ad partes tradi-*
,, *derunt. Volumus scire, si præfatus VVal-*
,, *teri, & prænotatus Johannes de omni, quod*
,, *superiùs scriptum est, si illi nobis aliquid*
,, *contendunt.* Tum suprascriptus Comes cum
,, præfato Judice interrogaverunt ipsum jam
,, dictum VValterim, & Johannem, quid di-
,, cere, aut respondere vellent de hac causa.
,, Et illi statim ante præsentiam de supra-
,, scripto Comite sic fuerunt professi, & dixe-
,, runt, atque renuntiaverunt: *Certè, Domni,*
,, *veritatem vobis dicimus, quia de omni &*
,, *integra portione de prædicta Curte infra*
,, *prænotatos fines, sicut supra legitur, &*
,, *qualiter nos cum suis Missis jam ante hos*
,, *dies divisimus; & qualiter nos prædicti*
,, *Domno Adam Abbati ad partem tradidi-*
,, *mus, de hac convenientia nos prænotati*
,, *VValteri, & Johannes prædicto Sancto*
,, *Monasterio numquam contendimus, nec con-*
,, *tendere umquam possumus, quia nobis num-*
,, *quam pertinuit, nec pertinet, & pertinere*
,, *numquam debet, nec per hereditatem, nec*
,, *per chartulam, nec per ulla scriptione, ne-*
,, *que per ulla inventa ratione; sed de prædi-*
,, *cto Sancto Monasterio legibus esse debet.*
,, *Tantùm judicate exinde, quod vobis placet.*
,, Tunc suprascriptus Comes cum prædicto
,, Judice, & prænotati Castaldii, dum talia
,, audierunt, & talem professionem, atque
,, renuntium, seu manifestationem facere vi-
,, derunt, atque audierunt: rectum eorum
,, comparuit esse ita, & judicaverunt, ut præ-
,, dictus Adam Abbas cum prænotato Advo-
,, cato suo essent in securitatem à parte præ-
,, fati VValteri, & Johannis, & eorum here-
,, dibus; & prædictas res ad proprietatem de
,, suprascripto Monasterio haberent & possi-
,, derent. Et præfatus VValteri, & Johannes,
,, & eorum heredes se exinde quiescerent.
,, Postquam in istorum de omnibus supra-
,, scriptis præsentiis talem fecerunt professio-
,, nem, atque renuntium, seu manifestatio-
,, nem, & finita est causa, qualiter actum, &
,, dictum fuit.
,, Unde pro securitate de suprascripto San-
,, cto Monasterio hoc Judicatum dixerunt scri-
,, bere Raimaldo Notario, & Judice. Et ego
,, qui supra Raimaldus Notarius & Judex ex
,, dicto de suprascripto Comite, & de præno-
,, tato Judice, & de prædictis Castaldiis, &
,, bonis hominibus, hoc Judicatum scripsi in
,, Anno ab Incarnatione Domini nostri Ihesu
,, DCCCCLXIX. & imperante Domno Otto-
,, ne gratiâ Dei Imperatore Augusto Anno
,, Imperii ejus Deo propitio VIII. atque Ot-
,, tonis filii ejus similiter Imperatoris Augusti
,, in Anno II. mense Junio per Indictionem XII.
,, Actum in Pinne feliciter.

Ad-

(*) *Idest* trivium.

Additur etiam hoc caput ex MSto Regio Parisiensi.

Cambiationem namque fecit prædictus Abbas (*nempe* Adam) cum Johanne Pinnensi Episcopo, dedit enim sibi Curtem de Suffiano cum Ecclesia Sanctæ Mariæ, & possessionibus terrarum modiorum trecentorum, & accepit prope fluvium Gomanum in territorio Pinnensi Curtem de Saliano cum Ecclesia Sancti Rustici, & possessionem trecentorum modiorum, quæ Cambiatio firmata fuit chartulis, & roborata testibus, quarum una chartula infra Ecclesiam, & ejus exemplo Instrumentali volumine descripta continetur cum ceteris.

Cambium inter Johannem Episcopum Pinnensem, & Abbatem Adam de duabus Curtibus Saliano, & Suffiano.
Anno 969.

„ IN Dei nomine ab Incarnatione Domini
„ nostri Ihesu Christi Anno DCCCCLXIX.
„ Ottone gratiâ Dei, & Divina ordinante
„ providentia, & Ottone filio ejus Imperato-
„ ribus Augustis, Anno Imperii Domni Otto-
„ nis Deo propitio VIII. & Ottonis filii ejus
„ Deo propitio II. mense Octobri per Indi-
„ ctionem XIII. Ideo constat, me Johannem
„ Sanctæ Sedis Pinnensis Ecclesiæ Episcopum
„ de Episcopio Sancti Maximi, quod situm est
„ infra muros Civitatis Pinnensis, unàque per
„ voluntatem, & consentientibus mihi prima-
„ tis Sacerdotibus, vel Canonacis, qui præ-
„ ordinati sunt in officio supradictæ Sanctæ
„ Sedis, commutasse, atque cambiari tecum
„ Domne Adam Abbas de Monasterio Sanctæ
„ Trinitatis, quod situm est in Insula Pisca-
„ riæ in locum, qui nominatur Casa-aurea,
„ ubi Corpus Sancti Clementis reconditum
„ est. Eo quòd in pristina lege institutum est
„ à Domno Astulpho Rege, ut Pontifices &
„ Abbates licentiam haberent commutatio-
„ nem facere. Et iterum Domnus Ludovicus
„ Imperator in sua Capitula affixit, & ubi ex
„ utraque parte Ecclesiasticum fuisset, Re-
„ ctores earumdem Ecclesiarum, si se fami-
„ liariter pacificare velint, licentiam habeant.
„ Ideo igitur ego, qui supra, Johannes Epis-
„ copus in hac commutatione familiariter pa-
„ cificationem facio tecum jam prænotato
„ Domno Adam Abbati de re juris proprie-
„ tatis Sancti nostri Episcopii in territorio
„ Pinnensi, idest integra ipsa Curte nostra de
„ Saliano cum ipsa Ecclesia Sancti Rustici, &
„ cum omni integra pertinentia de ipsa jam
„ dicta Curte, cum casis, terris, & vineis,
„ cum pomis & arboribus suis, seu cum om-
„ nibus, quæ super se, vel infra se habentur,
„ cum aquis, & usu aquarum, vel decursi-
„ bus ejus, cultis vel incultis, campis, & sil-
„ vis, ripis, & rupinis, omnia & in omni-
„ bus, quæ ad ipsam jam dictam Curtem, &
„ prædictam Ecclesiam Sancti Rustici perti-
„ nent, vel pertinere debent, sicut supra le-
„ gitur. Et sunt ipsæ res per singulas petias
„ mensuratæ insimul modiorum trecentorum,
„ & sunt infra fines. Fine tricalio (*) de Ga-
„ lisiano, & fine via, quæ pergit ab ipso supra-
„ scripto tricalio, quomodo pergit ab Assinel-
„ lo, quomodo venit usque ad fluvium Mao-
„ ne, & fine fluvio Gomano, & fine ipsa via,
„ quæ pergit Aleguniano, quomodo venit ad
„ ipsum vadum de illo Lavandario in fluvio
„ Gomano. Et si ampliùs fuerint res nostri
„ Episcopii infra suprascriptas fines, ad ma-
„ nus nostras, vel ad nostram Ecclesiam nul-
„ lam exinde fecimus reservationem, vel ex-
„ ceptationem; sed in integrum, & in omni-
„ bus in hac commutatione, vel familiariter
„ pacificatione sic dedi ego qui supra Johan-
„ nes Episcopus tibi Domno Adam Abbati
„ ad proprietatem suprascripti Sancti vestri
„ Monasterii. In quo recepi ego qui supra
„ Johannes Episcopus à te suprascripto Adam
„ Abbate de re juris Sancti vestri Monasterii,
„ idest integram ipsam Curtem de Suffiano,
„ cum ipsa Ecclesia Sanctæ Mariæ, & cum
„ omnia in integrum pertinentia de ipsa jam
„ dicta Curte, & de suprascripta Ecclesia cum
„ casis, terris, vineis, campis, & silvis, ri-
„ vis, cum aquis, seu decursibus aquarum,
„ cum pomis, & arboribus suis, seu cum
„ omnibus, quæ super se, vel infra se haben-
„ tur, quæ ad ipsam suprascriptam Curtem,
„ & Ecclesiam pertinent, vel pertinere viden-
„ tur infra fines, fine tricalio de Sancto Pan-
„ cratio, & fine Rigo de Severiano, & fine
„ Rigo de VValdo, & fine fluvio Tabæ, &
„ fine fluvio Fine, & fine intra Suffiano, &
„ Cicle. Et sunt ipsæ suprascriptæ res pro
„ singulæ mensuratæ petiæ insimul modiorum
„ trecentorum. Et si ampliùs fuerint ipsæ su-
„ prascriptæ res infra prænotatas fines, ad ip-
„ sam jam dictam Curtem, & Ecclesiam per-
„ tinentes, ad manus vestras, nec ad partem
„ vestræ Ecclesiæ nullam exinde fecisti reser-
„ vationem, nec exceptationem; sed in inte-
„ grum, & in omnibus recepi ego Johannes
„ Episcopus ad proprietatem Sanctæ nostræ
„ Ecclesiæ possidendum. Et quando ista com-
„ mutatio facta fuit, super ambarum rerum
„ interfuerunt de parte mea Pontificis fuit
„ Missus VValbertus & Judex, & cum eo
„ fuerunt tres boni & veraces homines, quo-
„ rum nomina sunt Johannes, & Adelbertus,
„ & Leo, qui viderunt, & examinaverunt,
„ quòd similes, & æquales erant ipsæ supra-
„ scriptæ res, quas ego Johannes Episcopus
„ à te Domne Adam Abbate ad partem nostri
„ Episcopii recepi. Similiter & similes &
„ æquales erant ipsæ suprascriptæ res, quas
„ ego Johannes Episcopus tibi Domno Adam
„ Abbati ad partem vestræ Ecclesiæ tradidi,
„ & dedi in hac commutatione seu familiari-
„ ter pacificatione. Et hoc repromitto vel
„ obligo me ego suprascriptus Johannes Epis-
„ copus, vel posteros successores meos colli-
„ go tibi Domno Adam Abbati vel posteris
„ successoribus tuis, seu ad ipsam suprascrip-
„ tam vestram Ecclesiam, si aliquo tempore
„ istam nostram commutationem removere
„ vel dirumpere voluerimus, aut si à no-
„ bis pro vobis omni tempore defensata non
„ fuerit ut componam ego Johannes Episco-
„ pus vel posteri successores mei tibi Domno
„ Adam, vel posteris successoribus tuis pœ-
„ nam de auro purissimo libras centum. Quam
„ verò chartulam commutationis rogatus à
„ suprascripto Domno Johanne Episcopo scripsi
„ ego

(*) *Nempe* trivio.

„ ego Romaldus Notarius, & Scabinus die
„ istius Mensis, & Indictione suprascripta.
„ Actum in Pinne.
„ Ego Johannes Episcopus in hac commu-
„ tatione à me facta manu mea scripsi. &c.
„ Ego Lupo Archidiaconus in hac commu-
„ tatione consensi, & manu mea scripsi.
„ Ego Amico Presbyter in hac commuta-
„ tione consensi & manu mea scripsi.
„ Ego Leo Presbyter & Canonicus &
„ Custos Ecclesiæ.
„ Ego Leo Presbyter ac Canonicus in hac
„ commutatione consensi, & manu mea scripsi.
„ Ego VValbertus Judex.
„ Ego Leo.
„ Ego Adelbertus rogati à Domno Johanni
„ Episcopo, & æstimatores interfuimus, &
„ manibus nostris subscripsimus.

Judicatum, quo recuperantur quædam res de Marsi ab Abbate Adam super quodam Laurentio. Anno 970.

„ IN Dei nomine. Notitia scripti judicati. Qua-
„ liter in territorio Marsicano infra ipsos mu-
„ ros de ipsa Civitate Marsicana in presentia Be-
„ raldi Comitis, & Teudini Comitis, & in præ-
„ sentia Ingezonis, & Anserici & Ildeprandi,
„ & Josephi Scabinorum de Marsi; & in præ-
„ sentia VVibaldi, & VVeltonis de Furcone,
„ & Ingeczonis Vicecomitis de Balba, & Ode-
„ rici, & Opterami de Furcone, & reliquo-
„ rum plurimorum circumstantium, & resi-
„ dentium, vênit Adam vir venerabilis & hu-
„ milis Abbas de Monasterio Sanctæ Trinita-
„ tis cum Advocato suo nomine Aczo, & re-
„ clamavit adversùs Laurentium filium quon-
„ dam Moriæ de ipsa Civitate Marsicana, &
„ dixerunt: *Judices, & boni homines, judica-*
„ *te mihi de isto Laurentio, qui in vestra præ-*
„ *sentia stare videtur. Volumus nos sapere, si*
„ *contendit hereditatem Sanctæ Trinitatis intus*
„ *in ipsa civitate Marsicana ipsam petiam de*
„ *terra, ubi jam antea ipsa casa Garapaldi*
„ *ædificata fuit. Et est ipsa petia de terra*
„ *modiorum quatuor; fines habet de duobus*
„ *lateribus currentes viæ publicæ, de tertio la-*
„ *tere murus de ipsa civitate Marsicana, de*
„ *quarto latere terra Grimoaldi & Ilderici.*
„ Tunc suprascripti Comites, & cum supra-
„ scriptis Scabinis, & bonis hominibus, inte-
„ rogaverunt suprascriptum Laurentium, quid
„ contra suprascriptum Adam humilem Ab-
„ batem, & Advocatum suum Aczo dicere,
„ aut respondere vellet de hac causa. Tunc
„ suprascriptus Laurentius statim ante præsen-
„ tiam de suprascriptis Comitibus, & de præ-
„ notatis Scabinis, & bonis hominibus, sic re-
„ nuntiavit, & dixit: *Certè, Domni, verita-*
„ *tem vobis dico, quia ipsa suprascripta petia*
„ *de terra infra civitatem Marsorum, infra*
„ *prænotatas fines, non contendo, nec conten-*
„ *dere unquam possum, quia mihi nunquam*
„ *pertinet, nec per hereditatem, nec per tradi-*
„ *tionem, nec per chartulam, nec per ullam*
„ *inventam rationem; sed legibus est Sanctæ*
„ *Trinitatis. Tantum judicate mihi exinde,*
„ *quod vobis placet.* Tunc suprascripti Comi-
„ tes, & Scabini, & boni homines, cùm ta-
„ le renuntium, & talem manifestationem au-
„ dierunt, ita judicaverunt, quòd ipse supra-
„ notatus Laurentius de ipsa suprascripta ter-
„ ra, & casa exinde quiesceret. Et ipse præ-
„ notatus Adam, & ipse Aczo Advocatus suus
„ res suprascriptas Sanctæ Trinitatis habeant
„ in securitate; & finitum est in istorum præ-
„ sentia. Et ego Majo Notarius ibi fui, &
„ hanc notitiam Judicati scripsi in Anno ab
„ Incarnatione Domini nostri Ihesu Christi
„ DCCCCLXX. Anno Imperatoris Magni
„ Ottonis Augusti IX. & Ottonis Imperato-
„ ris filii ejus Anno III. mense Septembri In-
„ dictione XIV. Actum in Marsi.
„ Ego Beraldus Comes ibi fui.

Sequentis Judicati notitiam accipe ab hoc capite, ex MSto Regio Parisiensi nunc primùm edito.

EOdem modo prædictus Adam recuperat à quodam Opteramo possessionem, quam tenuerat in Furcone Monasterium Sancti Clementis, & perdiderat injustè in tempore vastationis, quam supra memoravimus factam tempore supervenientium Agarenorum, quæ possessio extendebatur à Sancta Justa usque ad Sanctam Mariam de Paganica, cum Curte de Mallegia cum colonis quinque, & uno Molendino, & cum terra modiorum centum viginti, & cum duabus silvis.

Judicatum, quo recuperantur res de Furcone coram Ottone Imperatore. Anno 970.

„ IN Dei nomine. Notitia scripti Judicati.
„ Qualiter in territorio Marsicano in Cam-
„ po Castiri ad ipsam civitatem Marsicanam
„ dum in Placito resideret Domnus Otto ma-
„ gnus Imperator Serenissimus Augustus, &
„ Pandulfus Dux & Marchio pro singulorum
„ hominum justitia fieri facienda, vel delibe-
„ randa intentione; ibique residentibus cum
„ eo Celso viro venerabili Episcopo, & VVal-
„ terio viro venerabili Episcopo de Furcone,
„ & Alberico viro venerabili Episcopo de
„ Marsia, & Ezaca Duce & Marchione, &
„ Comite Palatii, & Petro Comite, & Dado
„ Comite, & Beraldo, & Rainaldo, & Teo-
„ dino Comitibus ipsius Comitatus, ibique
„ residentibus cum eis Igiezo, & Johanne, &
„ Ildebrando, & Ansarico Scabinis de Marsi,
„ & VVido Scabino de Pinne, & Mainardo
„ Comite, & Lupo Comite de Firmo, ibique
„ residentibus Ingelramo, & Josepho, Ode-
„ mundo, Giselberto, & Rainerio, & Teu-
„ deramo, & reliquis pluribus circumstanti-
„ bus, & residentibus. In istorum omnium
„ suprascriptorum præsentia vênit Adam hu-
„ milis Abbas ex Monasterio Sanctæ Trinitatis
„ cum Aczo Advocato suo, & querelatus est
„ super Opteramo filio quondam VVinisi de
„ Furcone quia tenebat res Sanctæ Trinitatis,
„ quas habebat in Furcone, & ostendebat
„ unam chartulam venditionis, & eam legere
„ fecerunt. Continebat in eadem chartula:
„ *In nomine Domini Dei, & Salvatoris nostri*
„ *Ihesu Christi. Constat me Saligo qui fuit*
„ *Castaldius de Furcone* &c. In istorum om-
„ nium præsentia dixit Adam Abbas cum Aczo
„ Advocato suo, quòd Domnus Ludovicus
„ confirmasset ipsas res proprietatis, quas ipsa
„ chartula continebat in ipso Monasterio San-
„ ctæ Trinitatis per suum præceptum. Tunc
„ suprascriptus Domnus Otto magnus Impera-
„ tor, & Pandolfus Dux & Marchio, & Ju-
„ di-

„ dices, & boni homines, dum taliter audissent ipsam chartulam legere, interrogaverunt suprascriptum Opteramum, quod de ista chartula, & de ista re dicere aut contendere vellet. Ad hæc respondebat suprascriptus Opteramus, & dixit: *quia de ipsa re, qua in ista chartula continetur, non contendo, nec contendere unquam possum, quia mihi nunquam pertinet, nec pertinuit, nec pertinere debet, nec per hereditatem, nec per chartulam, nec per ullam inventam rationem*. Tum suprascriptus Domnus Imperator dum taliter audisset, & Dux & Marchio, & Judices, & boni homines, suprascriptum Opteramum renuntiantem, & manifestantem, rectum eorum paruit esse, & ita judicaverunt, ut pars jam dicti Monasterii Sanctæ Trinitatis haberet, & teneret, & possideret firmiter, & securè à parte Opterami, & de suis heredibus. Et erexit se Domnus Pandulfus Marchio & Dux, & misit bandum à parte Domni Imperatoris, si Opteramus, & sui heredes exinde disvestiret ipsum Monasterium, ut componeret centum libras de auro medietatem Cameræ Domni Imperatoris, & medietatem suprascripto Monasterio Sanctæ Trinitatis, & finitum est in istorum omnium suprascriptorum præsentia. Quam & ego Lupo Scabinus, & Notarius ibi fui, & ex dicto Domni Imperatoris, & suprascripti Ducis & Marchionis, & ex dicto de suprascriptis Episcopis, & de Comitibus, & Judicibus, & bonis hominibus, scripsi hanc notitiam Judicati. Ab Incarnatione Domini nostri Ihesu Christi Anno DCCCCLXX. Anno Imperii Domni Imperatoris Ottonis Serenissimi Augusti IX. & Ottonis filii ejus Imperatoris Anno Imperii ejus III. mense Septembri Indictione XIV.

„ Actum in Marsi feliciter.

„ Signum manus ✠ Ezeca Comitis Palatii, qui ibi fuit.

„ Ego Beraldus Comes, qui ibi fui.

„ ✠ Signum manus Petri Comitis qui ibi fuit.

„ ✠ Signum manus Dado qui ibi fuit.

„ Ego Anselmus Comes ibi fui.

Ex MSto Regio Parisiensi hanc etiam periodum desumpsimus.

Suprascriptus Lupo Ludegerii filius iterum atque iterum infestabat Monasterium de supradictis rebus in Monte de Paterno, & Ambrile, seu Mortula, & Beloniano. Cùmque Domnus Otto Imperator venisset in Piscariam, coactus vênit in ejus præsentiam, ibique in ejus Curia devictus & confutatus ab Abbate Adam, quod injustè tenebat, justè dimisit, & perdidit.

De monte de Paterno, & tenemento de Beloniano. Anno 975.

„ IN Dei nomine. Notitia Judicati, qualiter pro futuris temporibus memoria recordandum. Idest in territorio Teatense in ipso plano de Piscaria justa via Salaria, in platea, ubi residebant Domnus Octo, & Octone filio ejus insimul Comitibus, & Alceri Comes, & Sifredus, & Tresidius, & Johannes vir venerabilis Sanctæ Sedis Pinnensis Ecclesiæ Episcopus, & Sifredo Vicecomes, & Johannes, & Temmari, & Transarico: isti sunt Castaldii de Pinne. Et Lupo filius quondam Vvidonis, & Lupo filius quondam Vvalberti & Lupo filius quondam Johannis: isti sunt Castaldii de Teate. Ibique cum eis residebant Deodatus, & Aczo, & Gimmari Judices pro singulorum hominum causa audienda, & ad justitiam faciendum vel deliberandum intentionem. Ibique cum eis aderant de bonis hominibus: nomina eorum Joseppe filius quondam Vvidonis cum Raynardo, & Adammo filiis suis, & Transarico filius quondam Racteri, Farolfo filio quondam Luponi & de Aprutio, ibique cum eis aderant Elperimo, & Tebaldo filii quondam Temmari, Tesidio filius quondam Ardengi, & Gerardus filius quondam Emmoni, Aczo filius quondam Gizoni, & Gizo filius quondam Alexandri & Teudici cum Johanne filio suo. Et de Teate aderant Ricardo cum Johanne, & Arrado filiis suis, & Mauro cum Ildebrando filio suo. Et de Firmo ibique cum eis aderant Maynardo filio quondam Vorizi, & Lupo filio quondam Gezoni, & aliis pluribus bonis hominibus, ibique residentibus atque circumstantibus. In istorum omnium suprascriptorum præsentiis vênit Adam Abbas de Monasterio Sanctæ Trinitatis, quod situm est in ipsa Insula, quæ est infra fluvium Piscariæ, in locum, qui nominatur Casa-aurea, ubi corpus Sancti Clementis reconditum est, cum Vvalberto Judice Advocato suo. Et querelati sunt super Lupo filio quondam Ludegeri, & dixerunt unanimiter: *Domni judicate nobis justitiam de ipso jam dicto Lupo, qui ante vestram adest præsentiam. Volumus sapere, si ille vult contendere de re Sanctæ Trinitatis nobis, & prædicto Sancto nostro Monasterio in locum, qui nominatur monte de Paterno, & in Ambrelie, & in Mortula. quæ est infra fines à capite fine ipsi termini pergunt ad fontem Yentula, & quomodo ipsa rigagine de suprascripto fonte pergit in via, & ipsa via pergit ad ipsos terminos, quomodo pergit per viam antiquam ad ipsum Staffilum, & quomodo ab ipso Staffilo pergit per viam antiquam in fluvio Arullo ad ipsum vadum Teatinum, pede fine fluvio Piscariæ, de uno latere fine fluvio Orta, ab alio latere fine fluvio Arullo. Et in alia petia in Beloniano, quæ est per mensuram modiorum quinque, & est infra fines à capite fine via, & terra Gisonis, pede in via, & terra de prædicto nostro Sancto Monasterio, de uno latere terra Dominici, de alio latere terra tua Lupone. Volumus scire, si ille nobis infra suprascriptas fines aliquid contendit*. Tunc suprascripti Comites cum prænotatis Judicibus interrogaverunt prædictum Luponem, quod dicere aut respondere vellet de hac causa. Tunc suprascriptus Lupo à præsenti hora sic fuit professus, atque renuntiavit, & dixit: *Certè, Domni, veritatem vobis dico, quia omnem suprascriptam rem infra suprascriptas fines, ad suprascriptum Sanctum vestrum Monasterium nunquam contendo, nec contendere unquam possum, quia mihi nullatenus pertinuit, nec pertinet, nec pertinere unquam debet, nec per hereditatem, neque per Chartulam, neque per ullam scriptionem, neque per ullam inventam rationem; sed de*

„ *su-*

„ *suprascripto Sancto Monasterio, & de prædicto Abbate legibus esse debet. Tantùm judicate mihi exinde quod vobis placet.* Tunc suprascripti Comites unà cum prænotato Episcopo, & cum suprascripto Vicecomite, & cum supradictis Castaldiis, & Judicibus, & bonis hominibus, dum talem professionem, atque reauntium seu manifestationem facere videretur, atque audierunt, rectum eis comparuit esse ita, & judicaverunt, ut suprascriptus Adam Abbas vel successores sui essent in securitate à parte suprascripti Luponis & de suis heredibus. Et omnes suprascriptas res infra prædictas fines ad proprietatem de suprascripto Sancto Monasterio haberent & possiderent, & suprascriptus Lupo exinde quiesceret, & sui heredes, postquam in istorum omnium suprascriptorum præsentiis talem fecit professionem, atque renuntium, seu manifestationem; & finita est causa. Qualiter actum, & dictum fuit pro securitate de suprascripto Sancto Monasterio, & prædicto Abbate, hanc notitiam Judicati dixerunt scribere. Unde ego Lupo Judex & Notarius ex dicto de suprascriptis Comitibus, & Episcopo, & Vicecomite, & Castaldiis, & Judicibus, vel bonis hominibus, hanc notitiam Judicati scripsi in Anno ab Incarnatione Domini nostri Ihesu Christi DCCCCLXXV. & imperante Domno Octone divina providentia Imperatore Augusto in Anno octavo, & die XVIII. mensis Madii, Indictione III. Actum in Teate feliciter.

„ Acto Comes ibi fuit.

„ Acto Comes ibi fuit.

„ AlKeri Comes ibi fuit.

Cambium inter Petrum Aprutiensem Episcopum, & Abbatem Adam de quibusdam rebus in Pinne, & Aprutio.

Anno 976.

„ IN Dei nomine. Notitia Judicati, qualiter in territorio Aprutiense in ipso plano de Ancariano in Placito residentes nos Acto, & AlKeri Comites, & Benedictus, & Murino, & Guarneri Judices pro singulorum hominum Justitiam faciendam, & deliberandam intentionem; ibique nobiscum adessent Gizo, & Petrus, & Tersidius, & Giselbertus Castaldii de Aprutio, & Landulfus, & Gizo, & Adelpertus, & VValteri, & alius Gizo, & Petrus, & Teutus, & Petrus, & Transimundus, Trasbertus de Asculo, Gezo de Firmo, & Aifredo, & Aliberto Saligi, & Tebaldus & Gizo Bajorarii, & reliquis pluribus hominibus, ibique circumstantibus, vel residentibus. Tunc ibique in nostris præsentiis vênit Adam Abbas ex Monasterio Sanctæ Trinitatis unà cum Aczo filio quondam Gisonis Advocato suo cum una chartula, quam in manibus suis tenebat, & querelati sunt nobis super Petrum Episcopum Sanctæ Sedis Aprutiensis Ecclesiæ Sanctæ Mariæ, & super Adelpertum filium quondam Pertonis Advocatum suum. Et dum nos suprascripti Acto, & AlKeri Comites, ipsam jam dictam chartulam manibus nostris recipimus, & eam relegere fecimus. Et continebat ipsa chartula. *In Dei nomine ab Incarnatione Domini nostri Ihesu Christi Anno DCCCCLXXVI. imperabat Domnus Otto gratiâ Dei Imperator Augustus Anno Imperii ejus, Deo propitio, IX. quam & XIII. die mensis Aprilis per Indictionem IV. Ideoque ego ipse Petrus Episcopus sanctæ Sedis Aprutiensis Ecclesiæ Sanctæ Mariæ sita in locum, ubi Intra-amnes vocatur,* bona sua voluntate, & una præsentium, & voluntatem primatis Sacerdotibus, qui præordinati erant in officio de sancto suo Episcopio. Constabat ei cambiare, quàm & cambiaverat, & à præsenti die commutationis nomine tradiderat eidem Adam Abbati ex Monasterio Sanctæ Trinitatis, quod situm erat infra in Territorio Pinnensi intus Insula Piscariæ, ubi Corpus Beati Clementis reconditum est, & ad proprietatem, & jus de sancto suo Monasterio possidendum. Et erat de re juris de sancto suo Episcopio infra territorium Aprutiense in ipsa Curte, & rebus, quæ vocatur Paco, quæ erat ipsa Curtis cum rebus inter terram cultam & incultam, & silvam per mensuram insimul modiorum nongentorum quinquaginta. Et erat ipsa Curtis cum rebus infra fines à capite fine Salata, & terram de singulis hominibus, pede fine fluvio Trotino cum aqua sua, de uno latere fine rigo de Curte, de alio latere fine rigo de Larzanello, exceptabat infra ipsas fines ipsos quinquaginta modios de terra, quæ illi jam antea per chartulam commutationis confirmaverat ipsis nepotibus quondam Teuderadi. Et commutabat ei Adam Abbas ipsas res, quas ille exinde in commutatione receperat, in locum, qui nominabatur Antonianus, & in Biniatice, & in Mauniano, & in ipsa Valle de Camariano, quæ erat inter terram, & vineam, terram cultam, & incultam, modiorum sexaginta. Et erat infra fines, fine terra Alba, & fine illa via de Fabale, & fine terra Leonis, & fine Colle de Persi. Quam & commutaverat ei suprascripto Adam Abbati in Colle de Corvini terram per mensuram modiorum quadraginta, quæ erat à capite fine via, pede fine Rigo de ambobus lateribus, fine terra de singulis hominibus. Simulque commutaverat eidem suprascripto Adam Abbati ad proprietatem & jus de sancto suo Monasterio possidendum in ipsam Curtem cum rebus de Sancto Angelo, quæ erat inter terram & vineam, & terram cultam & incultam per singulas petias per mensuram insimul fecerunt modios centum. Et erat infra fines à capite fine via Salaria, quæ pergit ad Sanctum Gervasium, pede fine fluvio Trotino, de uno latere fine Rigo de fonte Barrana, quomodo pergebat in fluvio Trotino; de alio latere fine ipso Rigo, qui pergit intra Corbiano, & Paterno, quomodo pergebat in fluvio Trotino. Quàm & in Colle ipsas res, quæ erant pertinentes ad ipsam Curtem de Sancto Angelo. Et si ampliùs fuisset ipsas res, quæ ad ipsas suprascriptas Curtes pertinent super ipsas mensuras, infra ipsas suprascriptas fines, eidem suprascripto Adam Abbati in integrum commutaverat ipse Petrus Episcopus per consensum de suprascriptis Sacerdotibus ad proprietatem & jus de sancto suo Monasterio possidendum. Exceptabat quod superiùs exceptabat ex prædictis Curtibus & rebus cum ædificiis, & pertinentiis suis cum omnibus, qualiter ipsæ suprascriptæ Curtes & „ res

„ res super se, vel infra se habentes sunt, „ cum aquis, aquimolis, vel decursibus „ aquarum, omnia & in omnibus, ut „ superiùs legebatur, commutaverat eidem „ suprascripto Adam Abbati, ad proprietatem & jus de sancto suo Monasterio „ possidendum. Exceptabat quod superiùs „ exceptavit, salvis præstariis, quos ille antea „ fecerat de medietate, de ipso Paco, quas „ Solfo, & quas fecerat Temmario de Sancto „ Angelo, & census, & obligationes, qualiter eidem Petro Episcopo, & successoribus „ suis dare deberet taliter eidem Adam Abbati & successoribus suis dare debeant, & „ finitis illorum præstariis omnes ipsæ suprascriptæ res, qualiter ad ipsum Sanctum „ suum Episcopium recadere deberent, ita „ eidem Adam Abbati, & ad partem de suo „ Monasterio ad proprietatem recadere debeat sinè omni calumnia.

„ Unde receperat in cambio, & in commutatione ipse jam dictus Petrus Episcopus per „ consensum de supradictis Sacerdotibus ab „ ipso jam dicto Adam Abbati, cum quo ipsam commutationem fecerat per consensum „ & voluntatem de primatis Monachis, qui „ præordinati erant in officio de Sancto suo „ Monasterio, res juris de Sancto suo Monasterio infra territorio Pinnensi ipsam Curtem, & res de Fabrica, cum pertinentiis „ vel adjacentiis suis, quæ erant inter terram, „ & vineam, & silvam, & terram cultam, & „ incultam exunata per singulas petias per „ mensuram insimul faciebant modios octingentos. Et erat infra fines à capite fine „ Triblanica, & Accenano, pede fine limite, „ & terram de suo Episcopio, & terram Remedii, & de singulis hominibus, de uno latere fine fluvio Clarino cum aqua sua, de „ alio latere fine terra de suo Episcopio, & „ terram de singulis hominibus, seu & ipsam „ Curtem, & res de Aquilano cum pertinentiis, vel adjacentiis suis. Et in Valle, & in „ Caprareco, & in Flaminiano, & in Rigo „ Rutto, & in Teczanomaino majore, & in „ Teczanomaino minore, & per eorum loca „ & vocabula, quæ erant ipsæ res in ipsis suprascriptis vocabulis, qualiter ad ipsi jam „ dictæ Curti, & rebus pertinebant, & pertinere debebant inter terras, & vineas, & „ silvas, & terras cultas, & incultas exunatas „ per singulas petias per mensuram insimul faciunt modios trecentos. Et erat infra fines „ capite fine vertice montis, pede & uno latere fine terra de suo Episcopio, & terra „ de singulis hominibus, de alio latere fine „ fluvio Clarino. Quàm & receperat in cambium à suprascripto Adam Abbati ipsam „ Curtem & res de Valle, quæ erat inter terra culta & inculta, & silva, & vineatica „ per mensuram modiorum centum. Et in „ Fundiliano terram modiorum duodecim cum „ vinea, & pomis & arboribus suis, quàm & „ in pometo ad Sanctum Silvestrum terram „ per mensuram modiorum quindecim, quæ „ erat ex omni parte fine terra de singulis hominibus, & quæ ei remansit, & fine terra „ de suo Episcopio. Et si ampliùs fuisset ipsam „ Curtem de Fabrica, & de Aquiliano, & de „ Valle supra ipsam mensuram infra prædictas fines cum ædificiis, & pertinentiis „ suis, cum aquis, aquimolis, & cum omnibus, quæ super se habentur in integrum, & „ omnibus eis receperat in commutationem „ ipse Petrus Episcopus ab ipso jam dicto „ Adam Abbati ad proprietatem & jus de „ Sancto suo Episcopio possidendum, salvis „ præstariis Johannis; & census, & obligationes, qualiter eidem Adam Abbati dare deberent, ita eidem suprascripto Petro Episcopo & suis successoribus dare debeant. Et „ finitis præstariis omnes ipsæ suprascriptæ res „ qualiter ad suum Monasterium recadere debuit, ita ipsi suprascripto Petro Episcopo, „ & successoribus suis recadere debeat ad „ proprietatem & jus de Sancto suo Episcopio possidendum sinè omni calumnia. Et „ quando ipsum prædictum cambium, atque „ commutatio facta fuit super ambabus rebus, interfuerunt directi Missi, ut viderent „ ipsam suprascriptam commutationem, atque „ concambiationem. Et interfuit Missus Lupo Archipresbyter à parte sui Pontificis; „ unà cum tribus bonis, & veracibus hominibus æstimatoribus, quorum fides admittitur, nomina eorum Lupo, & Grimaldus, „ & Petrus germani filii Luponis, ipsi verò „ æstimantibus videretur, & æstimaverunt, & „ apparuit eis, & renuntiaverunt eidem suprascripto Petro Episcopo, & dixerunt, quòd „ bonam & ampliatam rem suscepisset, ipse „ jam dictus Petrus Episcopus ad proprietatem, & jus de Sancto suo Episcopio possidendum ab ipso jam dicto Adam Abbati „ quàm esset ipsa res, quam ipse jam dictus „ Petrus Episcopus commutaverat eidem Adam „ Abbati ad proprietatem & jus de Sancto „ suo Monasterio possidendum, tantùm ut à „ die præsenti haberet, teneret, possideret „ ipse suprascriptus Adam Abbas vel successores sui nullo homine, nec quolibet de successoribus suis ipsam suprascriptam suam „ commutationem eisdem aliquando contradicente. Si quis verò contraire vellet, promiserunt, & obligabat se ipse Petrus Episcopus per consensum de prædictis suis Sacerdotibus, & posteros, atque successores „ suos colligabat eidem Adam Abbati, ex „ posteris, atque successoribus suis, ipsam „ suprascriptam commutationem ab omni homine antistare, & defendere. Et si defendere, vel antistare non posset à quolibet homine, aut si ipse Petrus Episcopus, vel successores sui de suprascripta sua commutatione „ contra ipsum suprascriptum Adam Abbatem, „ vel successores suos, aut si contra hanc chartulam commutationis aliquam causationem „ mittere quæsisset, ut componeret ipse suprascriptus Petrus Episcopus, vel successores sui eidem Adam Abbati, vel successoribus suis cui ex suis pœna claruisset, de parte sui Episcopii pœnam inter aurum, & argentum insimul valens Mancosos mille, & „ post pœnâ solutâ ipsa jam dicta chartula „ commutationis in supradicta ratione in sua „ permaneret firmitate, sicut Edicti Longobardorum pagina continebat, manente chartula ipsa in sua firmitate. Hanc enim chartulam commutationis rogatus astitit Petro „ Episcopo pro consensu de suis Sacerdotibus „ scripserat ipse Aldo Scabinus & Notarius. „ Actum erat in Aprutio feliciter. Et ipse „ jam dictus Petrus Episcopus in ipsa jam dicta chartula ab eo facta manu sua subscripserat; & ipse jam dictus Lupo Archipresbyter in ipsa commutatione à parte Pontificis „ Mis-

" Missus interfuerat, & consenserat, & manu " sua scripserat; & Petrus Presbyter & Primicerius in ipsa commutatione consenserat, " & manu sua scripserat; & Stephanus Presbyter, & Ursus Presbyter, & alius Presbyter Stephanus, & Castus, & VValterius " Presbyter & Defensor, & alius Petrus Presbyter in ipsa commutatione consenserant & " manus suæ scripserant. Et ipse suprascriptus " Lupo, & Grimbaldus, & Petrus æstimatores, qui interfuerunt, & Aczo Judex, & " Petrus, & alius Aczo, testes manus suas " scripserant.

" Et dum ipsa chartula relecta fuit, ipse " jam dictus Aczo Advocatus eidem Adam " Abbati, qui reclamabat, dixit: *Domni judicate legem istius Adam Abbatis, cujus " Advocatus ego sum, de isto Petro Episcopo, " & Adelberto Advocato suo, qui ante vestram " sunt præsentiam: volumus scire de hac chartula, quam nos in manibus nostris tenemus, " & vos relegere fecistis, quam fecit iste Petrus Episcopus isti Adam Abbati, cujus Advocatus ego sum, ad proprietatem de suo " Monasterio possidendum, si vera est, qualiter " ea continet, & si ipsi æstimatores vobis renuntiaverunt & dixerunt, quòd melioratas, " & ampliatas res suscepistis vos Petrus Episcopus ab isto Adam ad proprietatem de vestro Episcopio, quàm esset ipsa res, quam " tu Petrus Episcopus commutasti isti Adam " Abbati, aut si non.* Et nos qui superiùs " Atto, & AlKeri Comites, & suprascripti " Judices, dum taliter audivimus ipsum suprascriptum Aczonem Advocatum, & Adam " Abbatem querelantes, & dicentes, qualiter prædixerant, demandavimus ipsum Adelbertum Advocatum Petri Episcopi, quod " de hac causa dicere, aut respondere vellent. Illi statim ante nostram præsentiam " professi, sunt uno tenore respondentes, & " dicentes: *Domni, veritatem vobis dicimus, " quòd ista chartula, quam iste Aczo Advocatus istius Adam Abbatis in manibus suis " tenet, & vos relegere fecistis, vera est, qualiter ea continet, & ipsi æstimatores, qui " ipsas res viderunt & æstimaverunt, veritas " est, quòd nobis renuntiaverunt, & dixerunt, " quòd melioratas, & ampliatas res suscepi " ego Petrus Episcopus ab isto Adam Abbate " ad proprietatem de Sancto meo Episcopio " possidendum, quàm esset ipsa res, quam ego " Petrus Episcopus commutavi isti Adam Abbati ad proprietatem de Sancto suo Monasterio possidendum. Et omnia, sic est veritas, " qualiter ea chartula continet, & ego eam " talem scribere rogavi. Tantùm judicate nobis exinde quod vobis placet.* Et nos qui " superiùs Atto, & AlKeri Comites, cum suprascriptis Judicibus, dum taliter audivimus " ipsum suprascriptum Petrum Episcopum, " & Adelbertum Advocatum suum uno tenore respondentes, & dicentes, & talem manifestationem facientes, qualiter prædixerunt: rectum nobis esse comparuit ita, & " judicavimus, ut omnes ipsas suprascriptas " res, quas iste Petrus Episcopus per ipsam " chartulam commutationis confirmavit & " dedit isti Adam Abbati ad proprietatem de " suo Monasterio, haberet & teneret in securitate à parte istius Petri Episcopi & de " suo successore. Et iste Petrus Episcopus, & " sui successores exinde quiescerent, postquam " illi ante nostram præsentiam talem fecerunt " professionem, atque manifestationem. Et " finita est causa, quia pro securitate istius " Adam Abbatis, & de suo Monasterio in posterum recordandum, hanc notitiam Judicati dixerunt scribere Aldoni Scabino & Notario.

" Et ego Aldo Scabinus & Notarius ex dicto de suprascriptis Comitibus, & de suprascriptis Judicibus, Castaldiis, & bonis " hominibus, hanc notitiam Judicati scripsi " ab Incarnatione Domini nostri Ihesu Christi " Anno DCCCCLXXVI. imperante Domno " Ottone gratiâ Dei Imperatore Augusto Anno Imperii ejus Deo propitio IX. die mensis " Julii per Indictionem IV. Actum in Aprutio feliciter.

" Atto Comes ibi fuit.
" AlKeri Comes ibi fuit.
" Petrus Castaldius ibi fuit.

Abrenuntiat Liudini Episcopus Teatensis Adam Abbati Terram ad Pontem-marmoreum de Vico. Anno 978.

" IN Dei nomine. Notitia Judicati, qualiter pro futuris temporibus memoria recordandi. In Territorio Pinnensi in locum, " qui nominatur Pecanie juxta ipsam Ecclesiam Sancti Leopardi, ubi residebant in Placito Atto Comes, & Transmundus, & AlKari Comites, & Raimbaldus, & Lupo, " & Lupo Judices, & Temmarius Vicecomes, " & Tresidius, & Johannes, & Giso, & Joseppe, & Liduini Castaldii isti sunt de Pinne; Giso, Tresidius, Castaldii, isti sunt de " Aprutio; Odemundus, Landolfus, Joseppe, " Johannes, Gisolfus, Gizo, Petrus, Lupus, " Grimbaldus, Eberelmus, Aribertus, Tegualdus, Elperinus, Transaricus, Lodegerius, " Girardus, Landuinus, Teutus, Senaldus, " Transbertus, Gezo, Lupus, Ardengus, & " alii plures homines. Ibique residentes, quàm " & circumstantes, in eorum omnium suprascriptorum præsentiis vênit Adam Abbas de " Monasterio Sanctæ Trinitatis unà cum VValberto Judice Advocato suo, & querelati sunt " nobis super Liduini Episcopo de Episcopio " Sancti Thomæ Apostoli, & super Ricardo " Advocato suo: *Domni, judicate nobis legem " de isto jam dicto Episcopo, & Ricardo Advocato suo, quia auditum, & dictum est nobis de una petia de terra in Territorio Teatense in loco, qui nominatur Vico suptus ipso " ponte, qui est infra fines, capite fine terra " de suprascripto Monasterio; pede fine Arullo; de uno latere fine via, quæ pergit ad " ipsam Insulam, & ad ipsum jam dictum " pontem, & ad ipsum vadum de Arullo; de " alio latere fine fluvio Piscariæ. Quòd te " laudasses, & dixisses, quòd pertinuisset ad " suprascriptum vestrum Episcopium. Volumus scire, si est veritas, aut non.* Tunc " nos suprascripti Comites cum suprascriptis " Judicibus interrogavimus ipsum jam dictum " Liduini Episcopum, & Ricardum Advocatum suum, quid de hac causa dicere aut " respondere vellent. Illi statim ante nostram " præsentiam professi sunt, & dixerunt uno " tenore respondentes & dicentes: *Certè, " Domni, veritatem vobis dicimus, quia ipsa " jam dicta petia de terra infra prædictas fines " cum omnibus, quæ infra se, vel super se " ha-*

„ *habentur in integrum, jam dicto Adam Abbati, & suprascripto Monasterio nunquam contendimus, nec contendere unquam possumus, quia mihi nec nostro Episcopio pertinet, & pertinere nunquam debet, nec per hereditatem, nec per chartulam, neque per ullam scriptionem, neque per ullam inventam rationem, sed legibus istius jam dicti Adam Abbatis, & de prædicto suo Monasterio legibus esse debet. Tantùm judicate nobis exinde quod vobis placet.* Tunc nos suprascripti Comites....... Hanc notitiam Judicati diximus scribere Gisoni Notario & Judici, qui ibi fuit, & ego Gizo Notarius & Judex scripsi ab Incarnatione Domini nostri Ihesu Christi Anno DCCCCLXXVIII. Regnante Domno Ottone Dei providentiâ Imperatore Augusto Anno XI. mense Novembri Indictione VII.

„ Actum in Pinne feliciter.
„ Atto Comes ibi fuit.
„ Trasmundus Comes.
„ Tresidius.
„ Eberelmus.
„ Joseppe similiter ibi fuit.

De Vico Pinnensi Bectorita, & Teczanico. Anno 980.

„ IN Dei nomine ab Incarnatione Domini nostri Ihesu Chr. Anno DCCCCLXXX. Regnante Domno Ottone Dei providentiâ Imperatore Augusto in Anno XIII. die XXVIII. mensis Augusti Indictione VIII. Ideoque ego Johannes Vir Venerabilis Episcopus de Episcopio Sancti Maximi, quod situm est intus in ipsa Civitate Pinnensi, unàque per voluntatem, & consentientibus mihi primatis Sacerdotibus, vel Canonicis, qui præordinati sunt in officio de prædicto Sancto nostro Episcopio, hodierna die propria & spontanea mea propria voluntate concambiavimus, atque die præsenti per hanc chartulam commutationis commutavi tibi Adam Abbati ex Monasterio Sanctæ Trinitatis, quod ædificatum est infra in Territorio Pinnensi intus in Insula, quæ est juxta fluvium Piscariæ, in locum qui nominatur Casaurea, ubi reconditum est corpus Sancti Clementis, ad proprietatem de suprascripto Sancto vestro Monasterio possidendum, & est ipsa res in Vico Pinnensi, & in Bectorrita, & in Columbella, quæ est inter cultam, & incultam, & vinea, & vineaticæ per singulas petias exunatæ insimul faciunt modiorum viginti, quæ est infra fines, fine Teczanico, & fine Rigo Candidi, quomodo currit in Piscariam, & fine Piscaria. Et est ipsa suprascripta res infra suprascriptas fines, ex omni parte fine terra de suprascripto Monasterio, & terram de singulis hominibus, & prædicta re infra suprascriptas fines cum vineis, pomis, & arboribus suis, omnia, & in omnibus quantum ipsi suprascripti viginti modiorum infra se, vel supra se habentur in integrum: ego qui supra Johannes Episcopus per hanc chartulam commutationis commutavi tibi Adam Abbati ad proprietatem vestri Monasterii possidendum. Unde recepi in cambio, & in commutatione ego suprascriptus Johannes Episcopus à te suprascripto Adam Abbati, cum quo istam commutationem facimus, de re juris Sancti vestri Monasterii ad proprietatem de suprascripto nostro Episcopio possidendum, & est ipsa res infra territorio Pinnensi in locum, qui nominatur Casale, idest terra petia una in uno se tenente, quæ est inter vinea, & terra vacua per mensuram modiorum viginti, & habet fines à capite fine via antiqua, & terra Odemundi; pede fine Casa antiqua murata, & terra, quæ suprascripto vestro Monasterio remansit; de uno latere fine Rigagine, quomodo ipsa Rigagine currit in Rigo de Casale; de alio latere fine terra, quæ suprascripto vestro Monasterio remansit. Et prædicta re infra suprascriptas fines, infra se, vel supra se habentur in integrum, tu, qui supra, Adam Abbas per hanc chartulam commutationis commutasti mihi suprascripto Johanni Episcopo ad proprietatem nostri Episcopii possidendum. Et quando istum jam dictum cambium, atque commutationem factum fuit super ambarum rerum, interfuit Missus à parte mei Johannis Pontificis Amicus Presbyter, unà cum tribus hominibus æstimatores, quorum fides admittitur, nomina eorum Teudici, & Johanni, & Lupo, & in lege continetur, quia, ut viderunt, & æstimaverunt ipsam suprascriptam nostram commutationem, & quod apparuit eis, renuntiaverunt nobis, & dixerunt, quòd melioratas res suscepi ego Johannes Episcopus à te Adam Abbate ad proprietatem de suprascripto nostro Episcopio, quàm esset ipsa res, quam ego de parte nostri Episcopii tibi Adam Abbati commutavi ad proprietatem de vestro Monasterio possidendum. Et hoc repromitto ego suprascriptus Johannes Episcopus, & obligo me vel successores meos tibi Adam Abbati, vel successoribus tuis, ut ipsam suprascriptam commutationem ab omni homine antistare & defendere debeamus vobis. Et si à quolibet homine antistare, & defendere non potuerimus, aut non voluerimus, aut si exinde aliquid retollere vel minuere quæsierimus, aut si ego suprascriptus Johannes Episcopus vel successores mei contra te suprascriptum Adam Abbatem, vel contra successores tuos, aut contra hanc chartulam commutationis aliquam causationem mittere quæsierimus, ut componam ego suprascriptus Johannes Episcopus, vel successores mei tibi Adam Abbati vel successoribus tuis pœna aurum libras duas. Quam verò chartulam commutationis rogatus à suprascripto Johanne Episcopo scripsi ego Gizo Notarius & Judex die istius Mensis, & Indictione suprascripta.

„ Actum in Pinne feliciter.
„ ✠ Ego Johannes Episcopus in hac convenientia à me facta manu mea scripsi.
„ ✠ Ego Guarneri Archidiaconus in hac convenientia consensi, & manu mea subscripsi.
„ ✠ Ego Amico Archipresbyter in hac convenientia consensi & manu mea subscripsi.
„ ✠ Ego Petrus.
„ ✠ Ego Leo.
„ Ego Lupo Presbyteri, & Canonici in hac commutatione consensimus, & manibus nostris subscripsimus.

Missi

Missi Sacri Palatii reinvestiunt Adam Abbatem de omnibus rebus de Amiterno, Furcone, Marsi, & Balva.
Anno 981.

„ IN Dei nomine. Notitia brevis Judicati, seu „ Reinvestitionis, qualiter in Territorio Mar„ sicano in ipso campo de Cedici, ubi erat ipsa „ casa Domni Ottonis ædificata, ubi reside„ bat in Placito Gislebertus venerabilis Epis„ copus, & cum eo residebat Arnulfus Co„ mes, & Missus sacri Palatii, & cum eo Ge„ boardus, & Anfredus Missi sacri Palatii, „ & cum eis residebant Rainaldus Comes, & „ Teodinus Comes, & Oderisius Comes, & „ Albericus Episcopus, & VValterius Epis„ copus, & cum eis residebant Ingezzo Ju„ dex, & Ildeprandus Judex, & Joseppe Ju„ dex, & Eberandus Judex de Balba, & Pe„ trus, & Lupo Judices, & cum eis resibebant „ Transaricus, & Atto filius suus, & Salo„ mon filius quondam Jottaldi, & Faidolfus „ filius VVeltonis, & VVelto filius Giselber„ ti, & Stefanus, & Petrus filii quondam „ Allonis, & VValengo filius quondam Odel„ rici, & Sanso filius quondam Remedii, & „ Asconsus filius VVisezoni, & Teobaldus, „ & Oldericus filius suus, & reliqui plures „ circumstantes, & residentes. In istorum om„ nium suprascriptorum præsentia sic vênit „ Scambertus Præpositus de Monasterio Beatæ „ Sanctæ Trinitatis, unde Domino tuente „ Adam Abbas regimen tenere videtur, erga „ se habens Ildeprandum Judicem Advocatum „ de ipso Monasterio, querelam reddentes ad„ versus homines de Furcone, & de Amiter„ no, & de Marsi: *Domni Comites, & Epis„ copi, & boni homines, volumus habere le„ gem de ipsis hominibus, qui contendunt res „ de prædicto Monasterio*. Et in eadem hora „ ostendit supradictus Præpositus insimul cum „ suprascripto Advocato suo unam notitiam „ reinvestitionis, quòd quondam Domnus Ot„ to Imperator Augustus reinvestierat Adam „ Abbatem de omnibus ipsis rebus quascun„ que habebat ipsum suprascriptum Monaste„ rium in Amiterno, & in Furcone, & toto „ Territorio Marsicano. Continebat in eadem „ notitia, ut quicunque disvestisset suprascrip„ tum Monasterium de suprascriptis rebus sinè „ legali judicio, sciat se compositurum auri „ libras centum. Et dum relecta fuisset su„ prascripta notitia, tunc suprascriptus Dom„ nus Episcopus, & suprascripti Missi sacri „ Palatii, & suprascripti Judices judicave„ runt, quòd reinvestiretur suprascriptus Præ„ positus, & suprascriptus Advocatus de „ suprascripto Præposito. In eadem hora sic „ prendiderunt suprascripti Missi sacri Pala„ tii unum fustem in manus suas, & Ban„ dum miserunt suprascripto Præposito, & „ suprascripto Advocato suo, ut quicunque „ suprascriptum Monasterium disvestire vel„ let de ipsis rebus de Amiterno, & de ip„ sa Cella vocabulo Sancti Mauri, & de „ ipsis rebus de Furcone, & de ipsis rebus „ de Marsi, & de omnibus rebus de Valva, „ & aliis rebus, quæ in ipsa reinvestitione „ continebantur, per quam ante reinvestitum „ fuit suprascriptum Monasterium. Et qui„ cunque disvestire vellet suprascriptum Mo„ nasterium de omnibus suprascriptis rebus „ sinè legali judicio, in primis componat ipsum „ Bannum, quod in ipsa priori notitia conti„ nebatur. Et postea componat de ista præ„ senti notitia reinvestitionis auri libras vigin„ ti, medietatem Cameræ Domni Imperatoris, „ & medietatem præfato Monasterio. Et fini„ ta est in istorum omnium suprascriptorum „ præsentia. Et ego Majo Notarius ibi fui, „ & ex dicto de suprascriptis Missis sacri Pala„ tii, & Judicibus, & bonis hominibus, hanc „ notitiam scripsi in Anno ab Incarnatione Do„ mini nostri Ihesu Christi DCCCCLXXXI. „ Anno Imperatoris magni Ottonis filii quon„ dam Ottonis Imperatoris Augusti XIV. die „ mensis Augusti Indictione IX. Actum in Marsi.

„ ✠ Giselbertus Episcopus interfui, & sub„ scripsi.

„ ✠ Signum manuum Arnolfi, & Geboar„ di, Comitis & Missi sacri Palatii.

„ ✠ Signum manuum Ansfredi Missi sacri „ Palatii, & omnium suprascriptorum qui ibi „ fuerunt.

Quomodo recuperat Tenementum, quod dicitur Gemerunti coram Misso Imperatoris.
Anno 981.

„ IN Dei nomine. Notitia Judicati, qualiter „ pro futuris temporibus memoria recordan„ dum, idest in Territorio Pinnensi in locum, qui „ nominatur Marsicani, ibique residebat in Pla„ cito Itto Missus Domni Ottonis Imperatoris, „ & cum eo residebat Transimundus filius Tran„ simundi Comitis, & Transaricus Judex, & „ Aczo filius quondam Aczonis, & Johannes, „ & Petrus, & Anso, & Ildo, & Lupo, & „ aliis pluribus bonis hominibus, ibique resi„ dentibus, quàm circumstantibus. Et in isto„ rum omnium de suprascriptorum præsentiis, „ vênit Johannes Monachus & Decanus de „ Monasterio Sanctæ Trinitatis cum Adelber„ to filio quondam Gisonis Advocato suo, & „ querelatus est super Lupo filio quondam „ Luponis, & super Deodato filio quondam „ Johannis: *Domni, judicate nobis legem de „ istis jam dictis Lupo, & Deodatus, qui ante „ vestram præsentiam stare videntur, quia au„ ditum, & dictum est nobis, quòd illi velint „ contendere de re suprascripti Sancti Mona„ sterii; & est ipsa re infra territorio Pinnensi „ in locum, qui nominatur Geberuti, & est „ ipsa suprascripta re infra fines à capite & „ ambobus lateribus fine terra, quæ modò est „ Odmundi, pede fine Rigo. Volumus scire, si „ est veritas, aut non*. Tunc suprascriptus „ Comes cum suprascripto Judice, interroga„ verunt ipsos jam dictos Lupo, & Deodatus, „ quid de hac causa dicere aut respondere „ vellent. Et illi statim ante eorum præsen„ tiam sic fuerunt professi, & dixerunt: „ *Domni, veritatem vobis dicimus, quia om„ nes suprascriptas res infra suprascriptas fines, „ quomodo vos nobis prænotastis, nos ad supra„ scriptum Monasterium non contendimus, nec „ contendere unquam possumus, quia nobis „ exinde nil pertinet, nec pertinuit, neque „ per hereditatem, neque per chartulam, „ neque per ullam scriptionem, neque per „ ullam inventam rationem, sed de ipso su„ prascripto Monasterio legibus esse debet. Tan„ tùm judicate nobis exinde quod vobis pla„ cet*. Tunc suprascriptus Comes cum supra„ scripto Judice, dum taliter audierunt di- „ cen-

" centes, & talem manifestationem facientes, " rectum eorum comparuit esse ita, & judicaverunt, ut ipsi jam dicti Lupo & Deodatus, & eorum heredes exinde quiescerent, " postquam in istorum omnium de suprascriptorum præsentiis tale fecerunt renuntium, " seu manifestationem; & finita est causa. " Unde taliter acta, vel deliberata intentio " pro securitate de suprascripto Monasterio, " & imposterum recordandum, hanc notitiam " Judicati diximus scribere Gisoni Notario & " Judici. Et ego qui supra Gizo Notarius & " Judex ex dicto de suprascripto Misso Domni " Ottonis Imperatoris, & de jam dicto Comite, & de suprascripto Judici, & de prænotatis bonis hominibus hanc notitiam scripsi " Anno suprascripto mense Octobri Indictione " X. Actum in Pinne feliciter.

Hoc pariter caput nobis suppeditavit MStus Regius Parisiensis.

INgelsamus quidam emerat possessionem nongentorum modiorum, quæ possessio continetur his finibus, à summitate montis, qui vocatur Aquila, & à Moro usque ad Montem Bruniatum, & jungit huic possessioni Curtis Blisiana, & extenditur ad rivum Candidi, & ad rivum Incini. Verùm quia ista possessio quasi affinis videbatur Monasterio, Fratres compulerunt Abbatem Adam, ut vel eam redimeret, vel mutua vicissitudine alteram pro ea daret, & tantum laboraret, quòd Ecclesia eam possideret. Qui justis eorum precibus acquiescens, æquiponderatam terram in Fullonice, & Pacuniano ad recognitionem Monasterii ei tradidit, & illam terram, quam Fratres desiderabant habere, recuperavit.

Dat Adam Abbas per cambium Ingelramo Pecunianum, & Fullonici pro Blesiano, & toto ferè tenemento Pesculi. Anno 983.

" IN Dei nomine ab Incarnatione Domini nostri Ihesu Christi An. DCCCCLXXXIII. " & regnante Domno Ottone Dei providentiâ " Imperatore Augusto Anno XVI. & di... " XXIII. mensis Januarii Indictione XI. Ideo " constat, me Ingelramo filius quondam Ingelrami Comes hodierna die propria & spontanea mea bona voluntate per hanc chartulam commutationis commutavi tibi Adam " vir venerabilis Abbas de Monasterio Sanctæ " Trinitatis, quod situm est infra territorio " Pinnensi, intus Insula, quæ est juxta fluvium " Piscariæ, in locum, qui nominatur Casaaurea, ubi reconditum est Corpus Sancti " Clementis, ad proprietatem suprascripto " sancto vestro Monasterio possidendum: idest " de rebus proprietatis meæ, quæ mihi suprascripto Ingelramo ad meum conquisitum " evênit à Teburga, quæ fuit genetrix mea. " Et est ipsa suprascripta infra territorio Pinnensi, idest omnia, & integra ipsa res mea " de ipsa Curte de Blesiano, & est inter terram cultam, & incultam, & vineam, & " vineatica, silvas, per singulas petias exunatæ insimul faciunt per mensuram modiorum " nongentorum & octo. Et est infra fines à " capite fine Aquilæ, & fine Mauro, & cum " ipso Pesclo, quod mihi pertinet totum, & " cum ipso monte de Bruniata, pede & uno " latere fine Rigo Candidi, de alio latere fine " ipso Rigo de Incini, quomodo currit in " Rigo Candidi. Est prædicta res infra suprascriptas fines cum casis, terris, & vineis, " & cum omni ipsa suprascripta re mea. Et " ipsæ Ecclesiæ quantæ in ipsis jam dictis rebus stare videntur, & cum omnibus, & in " omnibus, quantum ipsa jam dicta res mea " infra suprascriptas fines, infra se, & super " se habet in integrum. Et si amplius fuerit, " de ipsa jam dicta res mea, quæ mihi suprascripto Ingelramo pertinet infra suprascriptas fines, sint super ipsa mensura, quam " supra continet. Unde neque mihi suprascripto Ingelramo, neque heredibus meis, " neque ad ullum quemlibet hominem ullam " fecimus reservationem atque exceptationem; " sed in integrum, & in omnibus, quantum " ipsa jam dicta integra res mea infra suprascriptas fines infra se vel super se habet in " integrum per hanc chartulam commutationis, qualiter prælegitur, sic commutavi ego " suprascriptus Ingelramo tibi suprascripto " Adam Abbati ad proprietatem de suprascripto vestro Monasterio possidendum. Unde " recepi in commutationem ego suprascriptus " Ingelramo à te suprascripto Adam Abbate " per consensum de primatis vestris Monachis, " cum quibus istam commutationem facimus, " de re juris Sancti vestri Monasterii ad meam " proprietatem & de meis heredibus possidendum. Et est ipsa res infra territorio Pinnensi in vocabulo de Pacuniano, & in locum, qui nominatur Fullonici, idest terra " petia una in uno se tenente, quæ est per " mensuram modiorum nongentos & octo. " Et est infra fines à capite fine via antiqua, " qua pergitur ab ipso Rigo, qui decurrit de " ipso fonte de Scabi, & quomodo ipsa via " pergit in fluvio Lanauro; de uno latere fine " fluvio Lanauro cum aqua sua; de alio latere " fine ipso jam dicto Rigo cum aqua sua; à " pede fine ipso jam dicto Rigo, quomodò " se cum suprascripto fluvio Lanauro conjungitur. Est prædicta petia de terra infra suprascriptas fines cum casis, terris, vineis, " & cum locis, molendinis, & cum oursibus " aquarum, & cum omnibus, & in omnibus, " quantum ipsa suprascripta res infra suprascriptas fines intra se vel super se habet in " integrum. Et si amplius fuerit de ipsa jam " dicta re Sancti vestri Monasterii infra suprascriptas fines, sicut super ipsa mensura, " quam supra continet. Unde ad partem suprascripti Sancti vestri Monasterii nullam " fecisti reservationem nec exceptuationem, " sed in integrum, & in omnibus per hanc " chartulam commutationis, qualiter prælegitur, sic commutasti tu suprascripte Adam " Abbas mihi suprascripto Ingelramo ad meam " proprietatem & meis heredibus possidendum. " Et quando ista jam dicta commutatio facta " fuit, interfuit ibi Missus à parte Regis Deodatus, unà cum tribus bonis hominibus æstimatoribus, quorum fides admittitur: nomina illorum Aczo, & Ildebrando, & Aczo, " qui viderunt ipsas suprascriptas res, & existimaverunt, & dixerunt nobis, quòd melioratas res dedissem ego suprascriptus Ingelramo per hanc chartulam commutationis " ad proprietatem de suprascripto Monasterio " possidendum, quàm fuisset ipsa res, quas " ego recepi de re juris suprascripti Sancti Mo-

„ Monasterii ad meam proprietatem & ad „ proprietatem de meis heredibus possidendum. Et hoc repromitto ego suprascriptus Ingelramo, & obligo me, vel mei heredes tibi suprascripto Adam Abbati, vel successoribus tuis, ut ipsam suprascriptam nostram commutationem ab omni homine antistare & defendere debeamus vobis; & si à quolibet homine antistare & defendere non potuerimus, aut noluerimus, aut si ego suprascriptus Ingelramo, vel mei heredes contra suprascriptum Adam Abbatem, vel successores tuos, aut contra suprascriptum vestrum Monasterium, seu contra hanc chartulam commutationis aliquam causationem mittere quæsierimus, ut componamus ego suprascriptus Ingelramo, vel mei heredes, tibi suprascripto Abbati, vel successoribus tuis, pœnam argentum Mancosos ducentos. Quam verò hanc chartulam commutationis rogatus astiti Ingelramo, scripsi ego Giso Notarius & Judex die istius Mensis, & Indictione suprascripta.

„ Actum in Pinne feliciter.

„ Ego Ingelramus in hac commutatione à me facta manu mea subscripsi.

„ ✠ Signum manus suprascripti Deodati, qui in hac commutatione interfui missus.

„ Ego Aczo in hac commutatione interfui æstimator.

„ ✠ Ego Ildebrandus in hac commutatione interfui æstimator.

„ ✠ Ego Aczo in hac commutatione interfui æstimator.

Recuperat Adam Abbas mille octo modios de terra in Caramanico & Piccerico.
Anno 983.

„ IN Dei nomine. Notitia Judicati, qualiter pro futuris temporibus memoria recordandum. In ipsa Villa de Preze ad Sanctum Nicandrum, ibique residebat in placito Domnus Petrus Papiensis Episcopus & Missus Domni Imperatoris, & Erizo, & Aldo Judices Domni Imperatoris pro singulorum hominum causa audiendum, & justitia faciendum, vel deliberandum intentionem. Ibique residebant cum eis Oderisi Comes, & Grimaldus Episcopus de Balba, & Johannes Episcopus de Pinne, & Johannes Abbas de Monasterio Sancti Salvatoris, & Ingezo, & Ildebrando Judices de Marsi, & Berardus, & Lupo Judices de Balba, & VValberto, & Guarneri Judices de Pinne; ibique cum eis aderant boni homines, Sanson filius Remedii, & Berardus, & VValteri filii quondam Beraldi Comitis, & Remedius filius Gottefridi, & Mainardus filius Liutonis, & Ingezo cum Farolfo filio suo, & Epdo filius Elpezoni, & de Pinne Siefredus filius Alexandri, & Theobaldus filius Temari, & Tedmari filius Aczonis, & Franco filius Richardi, & Bezo filius Ricchoni, & Deodatus filius Arderadi, & alii plures boni homines, ibique sedentes, quàm circumstantes. In istorum suprascriptorum præsentiis vênit Adam Abbas de Monasterio Sanctæ Trinitatis cum VVido filio quondam Gisoni Advocato suo, & querelatus est adversùs Beczo filius quondam Romaldi, & ostendit ei unum scriptum precarium, quod ipse jam dictus Beczo fecerat in ipso jam dicto Monasterio Sanctæ Trinitatis de ipsa re, quam ipse jam dictus Adam Abbas ei per præstitum dederat; & continebat in ipsum scriptum, ut ipse jam dictus Abbas dederat suprascripto Beczoni de re juris Sancti Monasterii in Caramanico, & in Piccerico per mensuram modiorum mille & ampliùs. Et in alio loco, qui nominatur Coira, inter terram cultam, & incultam per mensuram modiorum octo, & sunt infra fines à capite, & uno latere fine viæ, pede fine Arullo, & de alia parte fine Rigagine, quæ venit à Fonte, qui decurrit in Arullo, & unum molinum in locum, qui nominatur Galdemari, subtus ipso ponte, qui decurrit intus in ipsa Insula. Et dederat ei de alia re Sancti Monasterii in territorio Valvense in locum, qui nominatur Preze, & in Computo, & in Soliano, & per eorum loca & vocabula. Tunc suprascriptus Episcopus cum suprascriptis Judicibus, dum ipsam Precariam audierunt, dixerunt: *Pro qua causa ostendis eam adversùs suprascriptus Beczo?* Et ipse jam dictus Abbas cum suprascripto Advocato suo dixerunt: *Quia iste jam dictus Beczo omnia sic non observavit de ipsis rebus, & de ipso Censu, quomodo in ipsa Precaria continebat.* Tunc suprascripti Judices dum taliter audierunt dicentem, ita & judicaverunt, ut ipse jam dictus Beczo debeat respondere ad ipsam jam dictam Precariam. Et ipse suprascriptus Beczo respondebat & dixit: *Non est veritas.* Et dedit ei guadiam jurare cum suis legitimis sacramentalibus; sicut Lex est. Et postea vênit ipse jam dictus Beczo cum suis legitimis sacramentalibus, ut ipsum sacramentum juraret. Et quæsivit ab ipso jam dicto Abbate, ut perdonaret ei, & suis sacramentalibus ipsa sacramenta, & redderet ipsam Præstariam, quam ille habebat de omni suprascripta re. Et ipse jam dictus Abbas redderet ei ipsam Precariam, quam de ipsis rebus habebat. Tunc ipse jam dictus Domnus Petrus Episcopus, dum taliter audivit ipsum jam dictum Beczo dicentem, rectum ei comparuit ita. Ipsâ horâ fecit reddere ipsi suprascripto Beczo ipsam jam dictam Præstariam. Et ipse suprascriptus Abbas cum suprascripto Advocato suo reddidit ei ipsam Precariam, & perdonaverunt se inter se ipsa sacramenta, sicut Lex erat. Tunc suprascriptus Domnus Petrus Episcopus Missus Domni Imperatoris investivit suprascriptum Abbatem, & misit Bannum, ut quicunque ipsum jam dictum Abbatem, aut suum Monasterium de ipsa suprascripta re disvestisset, ut componat centum libras, medietatem Cameræ Domni Imperatoris, & medietatem suprascripto Monasterio. Unde taliter acta vel deliberata intentione pro securitate de suprascripto Abbate, & de suprascripto suo Monasterio, & pro imposterum recordandum, hanc notitiam Judicati dixerunt scribere Gizoni Notario, & Judici.

De

De querela inter Ottobertum & Johannem Pinnensem Episcopum definita, Ottoperto obtinente, & recuperante possessiones modiorum DCC. per loca & vocabula, sicut tradidit cambiationis charta una. Anno 983.

„ IN Dei nomine. Notitia Judicati. Residentes nos Atto Comes unà cum Alberto, & Benedicto, & Roczo Judicibus, unà cum Johanne, & Sifredo Castaldiis in placito in Territorio Pinnensi in loco, ubi dicitur Campo-plano, super colle de Laro juxta fluvium Saline ad justitiam faciendam; & ibidem nobiscum adessent Gizo, & Teuto, & Farolfo Vicecomes de Tete, & reliqui plures: Tunc in nostri præsentiis vênit Otteberto filius quondam Otteberti, & querelatus est super Johannem Episcopum Sedis Sanctæ Pinnensis Ecclesiæ Sancti Maximi. Ostendebat unam chartulam concambiationis atque commutationis, quam fecerat Johannes Episcopus; & dum ipsam relegere fecimus continebatur in ipsa chartula.

IN Dei nomine ab Incarnatione Domini nostri Ihesu Christi Anno DCCCCLIII. Et regnabat Domnus Berengarius, & Adelbertus filius ejus gratiâ Dei Reges, Anno Regni eorum in Italia III. & vigesima mense Augusto Indictione XI. Ideoque ego Johannes Vir venerabilis Episcopus Sanctæ Sedis Pinnensis Ecclesiæ de Episcopio Sancti Maximi Pinnensis Civitatis, per voluntatem de Sacerdotibus præordinatis in officio Sanctæ nostræ Ecclesiæ, commutavi & tradidi Romaldo filio quondam Alduini Avi Petri, & Otteberti, de re proprietatis Sanctæ nostræ Ecclesiæ in territorio Pinnensi, in Casale nomine Paterno, rem, quæ fuit Berrnoni, per suas mensuras petiam modiorum novem, & vineam sestariorum quinque. Et in locum, ubi Gurgo vocatur, rem, quæ fuit Johannis, & Jovii, per petiam modiorum quindecim, & vineam sestariorum sex. Et in locum, ubi dicitur Murro, terram & silvam per mensuram modiorum quadraginta. Et in locum, ubi dicitur Sabezano, res Vualdeperti, terram per mensuram per petiam modiorum quindecim. Et vineam sestariorum quatuor. Et ibidem in Sabezano terram per mensuram modiorum decem & septem per petiam. Et vineam sestariorum duorum. Et in locum, ubi dicitur Alzano, rem, quæ fuit Gaiduli, terram per petiam modiorum trium, & vineam sestarium unum & medium. Et in alia petiam ad Sanctam Barbaram per mensuram modiorum triginta insimul conjuncta. Et in alia petiam ibidem à sole ad Sanctum Maurum terram per mensuram in uno se tenente modiorum centum; caput, & uno latere fine terra tui Romaldi, & via; de uno latere & pede fine via. Et in alia petiam à Borea in locum, qui nominatur Colle-Donati, & in Tenebreczo, & in fonte Odaldi, & in Vacce Piagæ de Sancta Barbara, quæ est silva per ipsa loca & terra modiorum quingentorum; caput fine via & terra Sanctæ Barbaræ, & terra tua Romaldi; pede in fluvio Plumba, & terra Constantini, de uno latere fine Rigo de Meso, & terra, quæ fuit Alexandri, & terra tua Romaldi. De alio latere fine fossato, & fontes Audaldi, & fine petia longa, & fine ipso limite de Sancta Barbara. Exceptabo ipsam Ecclesiam Sanctæ Barbaræ cum terra in circuitu de ipsa Ecclesia modiorum duorum, quod tibi non commutavi. Nam omnes alias res in supradictis Casalibus infra ipsas dictas fines unà cum terris, & vineis, pomis, & arboribus, campis, & silvis, videlicet cum omnibus ipsis rebus, quæ habentur in integrum, sic tradiderat in commutationem eidem Romaldo, & suis heredibus possidendum, & semper habendum. In quo recepi ego Johannes Episcopus per consensum de supradictis Sacerdotibus à te Romaldo in commutatione de re proprietatis tuæ in Casale nomine Cazani ad proprietatem supradicti Episcopi terram per mensuram modiorum septicentum in uno se tenentem; pede tenentem in fluvio, fine capite in Petronico; de uno latere fine res de consortibus tuis; de alio latere fine ipsa Curte de Blesiano, & de Ariole. Et insuper recepi pro ipsa commutatione de alia re tua in Apeniano terram per mensuram per petiam modiorum quadraginta, & vineam solidorum decem cum omnibus, quæ super se habentur in integrum. Et quando ista commutatio facta fuit, super ambas res interfuerunt Missi. De parte publica fuit Missus Atto; ex parte Judicum fuerunt Missi Hermengauso, & Vvido; ex parte Pontificis fuit Missus Petrus Presbyter, & Canonicus, & Leo, & cum ipsis fuerunt tres homines boni & veraces, quorum fides admittitur: nomina eorum Aldefrit, & Romaldo, & Celso, qui omnes ipsas res bene prævisas habebant. Quod plus & meliorata omnis ipsa res apparebat, quam nos recepimus à parte nostri Episcopii, quàm ipsa res esset, quam nos tibi Romaldo per hanc commutationem dedimus. Et hoc repromitto Johannes Episcopus per consensum de suprascriptis Sacerdotibus, & me, & successores meos colligavi, ut si ego, vel successores mei contra te Romaldum, vel contra tuos heredes qualicumque tempore istam commutationem removere, vel inrumpere voluerimus, aut defendere non potuerimus, componamus tibi vel tuis heredibus argentum mancosos sexcentos. Et hæc chartula commutationis omni tempore firma, & stabilis permaneat. Quam verò secundùm Edicti tenorem factam rogatus à supradicto Domno Johanne Episcopo per consensum de supradictis Sacerdotibus scripsit Lupo Notarius & Judex. Actum in Pinne.

„ Et ipse Johannes Episcopus in ipsa chartula commutationis manu sua, & ipsi Sacerdotes, & supradicti Missi & Æstimatores manibus subscripta habebant. Et dum ipsa chartula relecta fuit, statim suprascriptus Ottebertus dixit: *Domini judicate in Lege de isto Johanne Episcopo, & de isto Deodato Judice Advocato suo. Volo sapere quod mihi dicunt. Et de ipsa chartula, quam tu Johannes Episcopus fecisti Romaldo avo meo.* Et nos Atto Comes unà cum prædictis Judicibus interrogavimus ipsum Johannem Episcopum, & Deodatum Judicem Advocatum suum, quod respondere vellent de hac causa. Illi statim ante nostram præsentiam professi sunt, & dixerunt: *Verè quia ipsa chartula commutationis vera & idonea est. Ego Johannes Episcopus illam rogavi scribere publico Notario, & eidem Romaldo legibus pertinuit, & istis Otteberto, & Petro, & eorum heredibus pertinere debet, sicut superiùs legitur. Tantum judicate*

" *cate nobis quod vobis placet*. Et nos qui
" superiùs Atto Comes cum supradictis Judi-
" cibus, & Vicecomitibus, & Castaldiis, dum
" taliter audivimus, rectum nobis comparuit
" esse, & ita judicavimus, ut supradictus Pe-
" trus, & Ottebertus germani, & eorum he-
" redes haberent omnes ipsas suprascriptas res,
" qualiter in ipsa chartula commutationis con-
" tinetur, ad perpetuam quietem. Et pars
" Johannis Episcopi, & suæ Ecclesiæ Sancti
" Maximi, & sui successores de causatione
" ista quiescerent, postquam talem fecerunt
" professionem, atque manifestationem. Et
" judicata, & finita est causa.
" Unde pro securitate istius Petri, & Ot-
" teberti, & eorum heredum, & imposterum
" recordandum, hanc notitiam Judicati ego
" Berardus Notarius ex dicto de suprascripto
" Comite, & supradictis Vicecomitibus, Ju-
" dicibus, & Castaldiis, & bonis hominibus
" scripsi. Ab Incarnatione Domini nostri Ihesu
" Christi Anno DCCCCLXXXIII. Imperante
" Domno Octone Augusto Anno Imperii ejus,
" Deo propitio, XVI. mense Decembri Indi-
" ctione XII. Actum in Pinne feliciter.
" Ego Atto Comes ibi fui.
" Ego Lupo.
" Farolfo.
" Johannes.
" Giso ibi fui.

Dilucidior sequentis scripti sensus à Regio Parisiensi MSto redditur hoc capite.

IN Valvensi Comitatu in Castello, quod dicitur Interdaquas, habebat Monasterium Sancti Clementis possessiones amplissimas, quas duo fratres, quorum unus Anso, alter verò Feruualdus vocabatur, invaserunt, & tamquam suas in dominio tempore multo tenuerant. Qui devicti à prædicto Adam Abbate venerabili, & confusi in Curia Domni Imperatoris, vellent, nollent, quod injustè tenebant, Monasterio reddiderunt, & pro se, & pro suis heredibns, ne aliquid calumniæ amodo oriretur, & sacramento & scripto confirmaverunt.

De Intredaqua, quomodo eam Adam Abbas recuperat coram Petro Papiensi Episcopo, & aliis Missis Imperatoris. Anno 983.

" ET querelatus est adversùs Anso filium
" quondam Teuderami, & adversùs Fe-
" ruardum filium quondam Oderisi, & dixe-
" runt: *Domni, volumus scire in vestris præ-
" sentiis, si isti jam dicti Anso, & Feruardo
" contendunt nobis de ipsa re Sancti nostri
" Monasterii infra territorio Balvense in Tra-
" saque. Unde jam ante Beraldus Comes per
" jussionem Domni Octonis Imperatoris inqui-
" sitionem fecit per Ingeczo, qui hic in vestri
" præsentia stare videtur cum Senaldo germano
" suo, & per Tederamum filium quondam Te-
" derami germanum suprascripti Ansonis*. Et
" monstraverunt, & testificaverunt ipsi jam
" dicti ipsas res ad proprietatem de supra-
" scripto Monasterio, & erat infra fines à ca-
" pite fine vertice montis, pede fine terra
" Tederami, & de filiis Dodonis, & de filiis
" Oderisii, de uno latere fine Valle Mesera,
" de alio latere fine ipsa Traginaria, & ter-
" ra Sancti Pelini. Et monstraverunt, quòd
" nullus homo haberet infra suprascriptas fi-
" nes, nisi istud jam dictum Monasterium.
" Tunc suprascripti Episcopi cum suprascrip-
" to Comite, & cum suprascriptis Judicibus,
" demandaverunt ipsum jam dictum Ingeczo
" si fuisset veritas, quòd ipsam jam dictam
" rem monstrasset; & dixit ipse suprascriptus
" Ingeczo, quia *veritas est, quòd ego, &
" Senaldus germanus meus, & quondam Te-
" deramus sic monstravimus ipsam jam dictam
" rem infra suprascriptas fines, quomodo ipse
" jam dictus Adam Abbas & suprascriptus
" Advocatus suus modò in vestra præsentia re-
" memoravit & dixit*. Tunc suprascriptus
" Episcopus cum suprascriptis Judicibus de-
" mandaverunt ipsos jam dictos Anso, & Fe-
" ruardo, quod exinde dicere, aut respondere
" vellent. Illi statim ante eorum præsentiam
" sic fuerunt professi, & dixerunt: *Domni,
" veritatem vobis dicimus, quia de omni ipsa
" suprascripta re infra suprascriptas fines, quo-
" modo ipsi suprascripti monstraverunt, nos
" nulla hereditate contendimus, quia nobis non
" pertinet neque per hereditatem, neque per
" chartulam, neque per ullam scriptionem,
" neque per ullam inventam rationem, sed de
" suprascripto Monasterio esse debet*. Et re-
" promiserunt se ipsi jam dicti Anso, & Fe-
" ruardo, & dixerunt: *Si nos quolibet tempo-
" re per nos vel à nobis submissa vel subposita
" persona contra suprascriptum Monasterium
" de ipsa suprascripta re infra suprascriptos
" fines aliquam causationem mittere quæsieri-
" mus, ut ipsas suprascriptas res in duplo re-
" stauremus in ipso jam dicto Monasterio, &
" insuper centum solidos ibidem componere obli-
" gavimus*. Et omnia sic facta sunt in præ-
" sentia de suprascriptis Episcopis, & de su-
" prascripto Comite, & prædictis Judicibus,
" & de prænotatis bonis hominibus: hanc no-
" titiam Judicati diximus scribere Gisoni No-
" tario & Judici. Et ego qui supra Giso No-
" tarius & Judex ex dicto eorum suprascrip-
" torum hanc notitiam Judicati scripsi ab In-
" carnatione Domini nostri Ihesu Christi An-
" no DCCCCLXXXIII. Et regnante Domno
" Ottone Dei providentiâ Imperatore Augusto
" in Anno XVI. & die secundo Mensis Janua-
" rii per Indictionem XI. Actum in Balva fe-
" liciter.
" ✠ Ego Petrus humilis Episcopus & Im-
" peratoris Missus interfui.
" Oderisi Comes ibi fuit.
" Podo Judex Domni Imperatoris interfui.
" Ego Bernardus Judex ibi fui.
" Lupo Judex ibi fui.
" Aldegiausus Judex Sacri Palatii interfui.

De Selcano, & toto ferè tenemento Sancti Valentini, Turri, & Fullonice. Anno 968.

" IN Dei nomine. Notitia Judicati. Dum
" residentes nos Pandulfus Princeps Dux
" & Marchio, & Tuitelo Comes Missus Dom-
" ni Imperatoris causas singulorum audiendum
" vel deliberandum in Placito in territorio
" Apuliense intra Civitatem Varie, & ibidem
" per jussionem Domni Ottonis, & Ottonis
" filii ejus Imperatoris, causas singulorum
" ad audiendum vel deliberandum. Et ibi re-
" sidentes nobiscum Gaidulfus Episcopus San-
" ctæ

„ ctæ Firmanæ Ecclesiæ, & Atto Comes, & „ Mainardo Comes, & Beraldo Comes, & „ Lupo Vicecomes, & Grimaldo Comes, & „ Petri Comes, & Atto filius Petri Comes, „ & Lupo filius Munaldi Comes, & Alberi- „ co, & Liudulfo viri germani Comites, & „ Rodelando de Asculo Comes, & Ingezo „ Scabino de Paterno de territorio Marsica- „ no, & Ingezo, & Adammo Scabini de Fir- „ mo. Et ibi residentes nobiscum Mainfredo, „ & Suppo, & Gezzo, & Arnulfo, & alius „ Suppo, & Nero, & Aczo, & Lengeni, & „ alius Aczo cum aliis pluribus hominibus, „ in eorum præsentia sedentibus, & astanti- „ bus. Ibique veniens in nostri præsentia Adam „ Abbas de Monasterio Beatæ Sanctæ & In- „ dividuæ Trinitatis, quod ædificatum est in „ Insula infra fluvium Piscariæ in locum, qui „ nominatur Casa-aurea, cum Gaidulfo Ad- „ vocato suo, & querelatus est nobis supra „ Johannem Episcopum Sanctæ Sedis Pinnen- „ sis Ecclesiæ, & unà cum Raino Advocato „ suo, & dicebat nobis: *Domni, facite nobis „ justitiam de isto Johanne Episcopo Sedis „ Sanctæ Pinnensis Ecclesiæ, & de Raino „ Advocato suo de ipsa re Curte Sancti nostri „ Monasterii, quæ est infra Comitatum Teati- „ num in locum, qui nominatur Selcanum, cum „ pertinentia sua, & cognominatur ipsa perti- „ nentia Rainele, Mapploppo, & Accole, & „ Turri, & Superclo, & Fullonice, & Arce- „ siano. Volumus sapere de suprascripta Curte „ cum suprascripta pertinentia, si tu supra- „ scripte Johannes Episcopus Sanctæ Sedis Pin- „ nensis Ecclesiæ cum suprascripto Raino Ad- „ vocato tuo, si vos Nobis Adam Abbati, vel „ nostro Monasterio contendere volueritis per „ vos, aut per Missos suprascriptæ Sanctæ Pin- „ nensis Ecclesiæ vestræ, sive per quodlibet in- „ genium vel tenorem.* Ibique respondebat su- „ prascriptus Johannes Episcopus Sanctæ Se- „ dis Pinnensis Ecclesiæ cum suprascripto „ Raino Advocato suo: *Certè, Domni, veri- „ tatem vobis dicimus, quia de suprascripta „ Curte de Sulcano cum suprascripta nominata „ sua pertinentia, quia nobis ad partem supra- „ scriptæ nostræ Ecclesiæ nunquam pertinet, „ nec pertinere unquam debet per nullum inge- „ nium vel tenorem, sed legibus vobis habere „ ad partem Sancti vestri Monasterii sinè nostra „ ulla calumnia. Tantùm judicate quod vobis „ placet.* Tunc nos suprascripti Princeps Dux „ & Marchio, unà cum suprascripto Misso „ Domni Imperatoris, & suprascripto Episco- „ po cum suprascriptis Comitibus, & Judici- „ bus, & bonis hominibus, dum taliter audis- „ semus dicere, & talem professionem facien- „ tem, rectum nobis paruit, & judicavimus, „ ut suprascriptus Adam Abbas cum Advo- „ cato suo habeant ipsam suprascriptam Cur- „ tem cum suprascripta pertinentia sua in se- „ curitatem ad partem Sancti sui Monasterii, „ & ipse suprascriptus Episcopus Sanctæ Sedis „ Pinnensis Ecclesiæ cum suprascripto Raino „ Advocato suo sibi jussimus inde quiescere. „ Qualiter actum fuit, & hanc Judicati no- „ titiam de mandato de suprascriptis Principe „ Duce & Marchione, & de suprascripto „ Misso Domni Imperatoris, & de suprascripto „ Episcopo, & de suprascriptis Comitibus, „ Judicibus, & bonis hominibus, scripsi ego „ Limpuinus Notarius in Varensi Civitate. „ Regnante Domno Ottone, & Ottone filio „ ejus Dei ordinante providentia Imperatori- „ bus Augustis, Anno Imperii eorum VI. & „ Ottonis filii sui primo, & anno Pandulfi „ Principis, Ducis, & Marchionis, Ducatus „ ejus primo, mense Aprili Indictione XI. fe- „ liciter.

Facit Johannes Abbas scriptum Comiti Attoni de terra modiis duobus millibus quadringentis. Anno 993.

„ IN Dei nomine. Scriptum convenientiæ, „ qualiter ego Atto Comes filius quondam „ Attonis Comitis, manifestam causam facio, „ quia tu Johannes Abbas de Monasterio San- „ ctæ Trinitatis, quod situm est infra territo- „ rio Pinnensi intus in ipsa Insula, quæ est „ juxta fluvium Piscariæ, in locum, qui no- „ minatur Casa-aurea, ubi reconditum est „ Corpus Beati Sancti Clementis, unàque per „ voluntatem, & consentientibus tibi primatis „ Monachis, qui præordinati sunt in officio de „ prædicto Sancto vestro Monasterio per „ scriptum convenientiæ concessisti mihi Attoni „ Comiti in eo ordine, ut habeam ego Atto „ Comes, & Adelgunda conjux mea ipsas res, „ quas tu Johannes Abbas per istam convenien- „ tiam mihi ad exfruendum concessisti diebus „ vitæ nostræ. Et si ipsa conjux mea post „ mortem meam supervixerit, habeat ipsas „ res diebus vitæ suæ, & post mortem nostram „ revertantur ipsæ res ad Transmundum Co- „ mitem nepotem nostrum, & ad filios, & ne- „ potes suos usque in tertiam suam generatio- „ nem legitimam. Idest de rebus Sancti vestri „ Monasterii, & sunt ipsæ res infra territorio „ Aprutiense: Idest ipsam Curtem de Orzone „ cum pertinentiis vel subjacentiis suis. Et „ ipsa res Sancti vestri Monasterii de Belleri, „ & per alia loca & vocabula. Et sunt ipsæ „ jam dictæ res vestri Monasterii terra inter „ cultam & incultam, & vineæ, & vineaticæ „ per singulas petias exunatæ insimul faciunt „ per mensuram modiorum septingentorum. „ Et sunt ipsæ res infra fines à capite fine „ vertice montis, pede fine litore maris, de „ uno latere fine fluvio Tronto, de alio latere „ fine fluvio Trontino. Et concessisti tu Jo- „ hannes Abbas mihi Attoni Comiti in eo or- „ dine, quomodo superiùs scriptum est, de „ rebus juris Sancti vestri Monasterii infra ter- „ ritorio Pinnensi in locum, qui nominatur „ Saline, & in Coronule, & in Sarecteco, „ & in Batuniano. Exceptuasti in Batuniano „ viginti modiorum terram, quam Deodatus, „ & Johannes à vestro Monasterio per præsti- „ tum tenent. Nam ipsæ jam dictæ res Sancti „ vestri Monasterii per ipsa loca, quomodo „ superiùs scriptum est, sunt terra inter cul- „ tam & incultam, & vineæ, & vineaticæ „ per singulas petias exunatæ, insimul faciunt „ per mensuram modiorum quingentorum. Et „ sunt infra fines à capite fine Colmejano, & „ fine Gazano, pede fine litore maris cum „ piscatione sua, de uno latere fine fluvio „ Piscariæ, de alio latere fine fluvio Taba „ cum aqua sua. Et infra territorio Teatense „ in locum, qui nominatur Troaneco. Ex- „ ceptuasti ibi in Troaneco ipsam rem, quam „ Johannes filius Ametrudæ à vestro Monaste- „ rio per præstitum tenuit. Et concessisti nobis „ res Sancti vestri Monasterii in Ojano, & Pa- „ terno, & Corule, & Ripa-corvariam, & San- „ ctum

„ ctum Calixtum, & per alia loca vel vocabula:
„ sunt ipsæ res terra inter cultam, & incul-
„ tam, & silvæ per singulas petias exunatæ
„ insimul faciunt per mensuram modiorum
„ mille. Et sunt ipsæ res à capite fine vertice
„ montis, & fine fluvio Lavino, pede fine li-
„ tore maris cum piscatione sua, de uno la-
„ tere fine fluvio Sangro cum aqua sua, de
„ alio latere fine fluvio Piscariæ cum aqua
„ sua. Et concessisti nobis integram tertiam
„ portionem de ipsa Curte de Ambrili, quæ
„ est ipsa tertia portio per mensuram modio-
„ rum ducentorum. Et sunt infra fines fine
„ fluvio Piscariæ cum aqua sua, & fine fluvio
„ Orta cum aqua sua, & fine ipso Colle de
„ Mortula, & fine ipsa via, quæ pergit per
„ Mortulam subtus fonte Ventula, quomodo
„ inde pergit ad Petram-latam. Et prædictas
„ omnes res infra omnes suprascriptas fines
„ cum Sanctis Ecclesiis, & cum locis, mo-
„ lendinis, cum casis, & ædificiis, cum vi-
„ neis, & pomis, & arboribus suis, omnia,
„ & in omnibus quantum ipsæ res infra omnes
„ suprascriptas fines infra se vel super se sunt
„ habentes in integrum; & si amplius fuerint
„ ipsæ jam dictæ res Sancti vestri Monasterii,
„ quàm superiùs scriptæ sunt intra omnes su-
„ prascriptas fines super ipsa mensura, quam
„ supra continetur, in integrum & in omnibus
„ concessisti tu Johannes Abbas mihi Attoni
„ Comiti, & Adelgundæ conjugi meæ diebus
„ vitæ nostræ, & post mortem nostram ha-
„ beat omnes ipsas res Trasmundus Comes
„ nepos noster, & filii & nepotes sui usque
„ in tertia generatione sua legitima. In eo
„ tenore exfruendi, meliorandi, regendi. Nam
„ non vendendum, nec donandum, nec con-
„ cambiandum, neque per ullum ingenium in
„ alterius potestatem ad proprietatem alienan-
„ dum, vel subtrahendum, nisi tantùm usu-
„ fruendum, & ad proprietatem de vestro
„ Monasterio conservandum. Et fruges &
„ fructus, quos de ipsis rebus habuerimus,
„ faciamus omnia, quæ voluerimus sinè omni
„ calumnia. Et census, & obliga omnia,
„ quanta ipsi homines de ipsis rebus à vestro
„ Monasterio per præstitum tenent, qualiter
„ tibi Johanni Abbati, vel successoribus tuis
„ dare debent, sic omnia mihi Attoni Comiti,
„ & Adelgundæ conjugi meæ donent, & per-
„ solvant, diebus vitæ nostræ. Et post mor-
„ tem nostram omnia sic donent & persolvant
„ Trasmundo Comiti, & ad tertiam suam ge-
„ nerationem legitimam. Et post finitis illo-
„ rum Præstariis, revertantur omnes ipsæ res
„ ad Trasmundum Comitem, & ad filios, &
„ nepotes suos tertiam suam generationem le-
„ gitimam. Pro ea verò ratione dedisti tu
„ Johannes Abbas omnes ipsas res per hanc
„ convenientiam ad exfruendum mihi Attoni
„ Comiti, & suprascriptæ conjugi meæ die-
„ bus vitæ nostræ, & post mortem nostram
„ Trasmundo Comiti, & tertiæ suæ genera-
„ tioni legitimæ. Quia dedi ego Atto Comes
„ de mea mobilia valente solidos mille, quos
„ vos recepistis ad partem vestri Monasterii
„ restaurandum. Et idonei homines interfue-
„ runt in ista convenientia: nomine eorum
„ Rainardus filius quondam Joseppi, & Bene-
„ dictus filius quondam Johannis, & Lupo
„ filius quondam Benedicti, & censum solve-
„ re vel dare debemus nos suprascripti tibi
„ Johanni Abbati, vel successoribus tuis, aut
„ ad vestros Missos, qui ad nos veniunt, an-
„ nualiter sive argentum, sive de alia nostra
„ mobilia valente solidos quinque. Et hoc re-
„ promitto ego Atto Comes, & obligo me,
„ & Trasmundum Comitem & tertiam suam
„ generationem legitimam, tibi Johanni Ab-
„ bati, vel successoribus tuis, quòd si hæc
„ omnia, quæ suprascripta sunt, sic non adim-
„ pleverimus, vel non observaverimus, &
„ ipsum jam dictum censum annualiter non
„ dederimus, & non fecerimus, sicut superiùs
„ legitur, componamus ego Atto Comes, vel
„ Trasmundus Comes, aut tertia sua genera-
„ tio legitima tibi Johanni Abbati, vel suc-
„ cessoribus tuis, pœna aurum libras quinqua-
„ ginta, quia inter nos sic stetit, & talis fuit
„ nostra convenientia. Quod verò scriptum
„ convenientiæ rogatus à suprascripto Attone
„ Comite scripsi ego Giso Notarius & Judex
„ ab Incarnatione Domini nostri Ihesu Christi
„ Anno DCCCCXCIII. mense Augusto Indi-
„ ctione VI. Actum in Tete feliciter.
„ Atto Comes in hac convenientia à me
„ facta manu mea subscripsi.
„ Ego Rainardus, Benedictus, Johannes,
„ Adelogo in hac convenientia interfui, & ro-
„ gatus à suprascripto manu mea subscripsi.

Accipe hanc periodum ex eodem Regio Parisiensi MSto.

DUo fratres Comites, filii quondam Trasmundi Comitis, pro eo videlicet quia pater eorum supradictas possessiones à Monasterio Sancti Clementis irrecuperabiliter alienavit, pro ejus animæ, & aliorum parentum suorum remedio concesserunt, atque dederunt Sancto Clementi possessiones mille quingentorum modiorum in Pago Teatino loco nomine Montecle; indeque facta traditione chartulam testibus roboratam conscripserunt, quæ descripta sic est:

De Montecle terra modiorum mille quingentorum. Anno 1017.

„ IN Dei nomine ab Incarnatione Domini
„ nostri Ihesu Christi Anno MXVII. &
„ imperante Domno Enrico gratiâ Dei Impe-
„ ratore Augusto, anno Imperii ejus, Deo pro-
„ pitio, IV. mense Octobri Indictione prima.
„ Ideoque nos Atto, & Pandulfus Comites
„ filii quondam Transmundi Comitis, bona &
„ spontanea nostra voluntate; declaramus enim,
„ sicut in Edicto Langobardorum continet pa-
„ gina, quia Domnus Liuprandus Rex in suo
„ Capitulo sic affixit: *Ut qui res suas pro ani-
„ ma sua in loca Sanctorum, seu & in Sino-
„ dochia donaverit, stabile debet permanere:*
„ Et quia Domnus Karolus Imperator in suo
„ Capitulo sic instituit: *Si quis Langobardo-
„ rum habens statum humanæ fragilitatis reco-
„ gitat, pro salute animæ suæ de rebus suis
„ chartulam donationis, seu concessionis facere
„ voluerit, absolutè faciat unusquisque de rebus
„ suis quod velit, & voluerit.* Modò verò
„ in ea videlicet ratione nos suprascripti ger-
„ mani Atto, & Pandulfus Comites sic dona-
„ mus, atque concedimus pro anima Trans-
„ mundi Comitis genitoris nostri, & pro ani-
„ ma Maroczæ conjugis suæ, & pro anima
„ Attonis Comitis, & pro anima Bonæ conju-
„ gis suæ, & pro anima Transmundi Ducis,
„ &

„ & Marchionis, & Attonis germani sui, & „ Attonis filii ejus, & pro salute animæ no- „ stræ, & Bertæ Comitissæ, vel pro animabus „ illorum parentum nostrorum, qui ex nostra „ generatione legitima masculina nati fuerint, „ in ipso Monasterio Sanctæ & Individuæ Tri- „ nitatis, & Sancti Clementis Martyris, quod „ situm est in territorio Pinnensi in ipsa Insula „ juxta fluvium Piscariæ, ubi Casa-aurea vo- „ catur, ubi præsenti tempore Pontius Abbas „ regimen tenere videtur, de rebus proprie- „ tatis nostræ, quæ nobis germanis Attoni, & „ Pandulfo Comitibus in hereditatem evene- „ runt. Et est ipsa res infra in territorio Tea- „ tino, in locum, qui nominatur Montеccle, „ quæ est una petia de terra in uno se tenente, „ quæ est per mensuram modiorum mille „ quingentorum, & habet fines, capite fine „ ipso Rigo de Leciniano, pede & uno latere „ fine terra, quæ nobis remansit, de alio la- „ tere fine terra Rodolfi, & Siolfi, & Mai- „ nardi, cui antea per Chartulam delegavi- „ mus, & fine terra, quæ nobis remansit, „ ipsa suprascripta res per ipsas nominatas „ fines, cum terris, & vineis, pomis, & ar- „ boribus suis, omnia & in omnibus quantum „ ipsa suprascripta res infra ipsas suprascriptas „ fines, infra se vel supra se habet in inte- „ grum, concedimus, atque donavimus pro „ animabus nostris, & pro jam dictis paren- „ tibus nostris prædicto Monasterio, & tibi „ Pontio Abbati, vel successoribus tuis ad „ proprietatem de ipso Monasterio amodo, „ & deinceps in sempiterna secula possiden- „ dum, & ipsi Monasterio habendum, tenen- „ dum, & faciendum omnia, sicut de aliis „ rebus ipsius Monasterii. Si quis hujus nostræ „ concessionis sacrilegus aut temerarius quis „ ausus fuerit contra hanc nostram concessio- „ nem, minorationem, seu molestationem, „ vel invasionem facere præsumpserit, aut di- „ sturbare quæsierit, tam de nostra genera- „ tione, quàm ex qualibet alia: sciat se in „ tremendi justi Judicis examine causam no- „ biscum dicturum, atque per hoc in iram „ Summæ & Individuæ Trinitatis incurrat, „ & descendat super eum paternarum suarum „ maledictio, & habeat partem cum Juda „ traditore, qui ab Apostolico agmine segre- „ gatus est, & cum impiis ac sacrilegis se- „ questratus, pars illius sit in stagnum ignis „ ardentis & sulfuris. Et insuper repromitti- „ mus & obligamus nos suprascripti germani „ Atto & Pandulfus, vel nostros heredes, seu „ generationem heredum nostrorum in ipso „ Monasterio, & tibi prædicto Pontio, Abbati „ vel successoribus tuis, quòd si hæc omnia, „ quod superiùs scriptum est, sic non adim- „ pleverimus, vel omnia sic non observave- „ rimus, aut si exinde aliquid retollere, vel „ minuere quæsierimus, ut componamus nos „ suprascripti germani, vel nostri heredes, „ seu generatio heredum nostrorum in ipso „ jam dicto Monasterio, & tibi prædicto Pon- „ tio Abbati, vel successoribus tuis, cujus ex „ nostris culpa exclaruerit, de auro libras „ centum, & chartula ista donationis seu con- „ cessionis omni tempore semper firma & sta- „ bilis permaneat.

„ Quàm verò chartulam donationis seu con- „ cessionis rogatus à suprascriptis germanis „ scripsi Ego Adelbertus Notarius die istius „ mensis Indictione suprascripta.

„ Actum in Pinne feliciter.

„ ✠✠ Signum manuum suprascriptorum „ Attonis, Pandulfi Comitum, qui hanc char- „ tulam donationis seu concessionis scribere „ rogaverunt, & signum Crucis fecerunt.

„ ✠✠✠ Signum manuum Arnoni, Siolfi, „ Mainardi testes rogati à suprascriptis ger- „ manis signum Crucis fecerunt.

Judicatum de Intredaqua. *Anno* 1024.

„ IN Dei nomine. Notitia Judicati, quali- „ ter actum est in plano de Balba in Civi- „ tate Sulmona in placito, ubi residebat Be- „ raldus Comes de Balba pro singulorum ho- „ minum justitia facienda; & cum eo reside- „ bat Berardus frater suus, & Adammo Vi- „ cecomes, Ingezo, & Deodatus Judices de „ Balba, & ego Berardus Judex & Notarius, „ & Rainerius filius quondam Senaldi, & „ Suabilo, & Lamdulfus, & Ingezo filius „ quondam Farulfi, & alii plures. In istorum „ præsentia vênit Abbas de Monasterio Sanctæ „ Trinitatis cum Mainardo Advocato suo, & „ querelatus est adversùs Supponem, & Sa- „ binum, & Deodatum filios Maroczæ, & „ Sabinum Presbyterum filium Johannis, & „ Petrum filium Gaidonis, & Petrum filium „ Johannis, & Liutum filium Majonis, & „ Deodatum Presbyterum filium Lepæ, & „ Petrum filium Johannis, & Johannem filium „ Dendi. Et sunt isti homines in Villa de In- „ treaque Balvensi territorio. Et dixit præ- „ dictus Mainardus: *Domne Comes, & Judi- „ ces, facite legem ad Abbatem de rebus, „ quæ sunt de prædicto Monasterio Sancta „ Trinitatis, unde Stephanus vir venerabilis „ Abbas est præordinatus. Audivimus dicere, „ quòd isti suprascripti homines tenent res per „ chartulam de prædicto Monasterio, & sunt „ ipsæ res in territorio Balvense in ipsa Valle „ Mesera, quæ est super Villa de Intredaqua, „ & sunt infra fines, de uno latere fine ipsa „ via de Valle Mesera, de alio latere fine ipsa „ Traginaria, & terra Sancti Pelini, à capite „ fine Basilica Sancti Clementis, & Serra de „ Capraneca, pede fine terra de filiis Dodonis, „ & de filiis quondam Sabatini, & via; isti „ suprascripti homines tenent ipsas res de præ- „ dicto Monasterio. Volo scire quid exinde „ dicere, aut respondere volunt.* Tunc prædi- „ cti Judices interrogaverunt omnes istos su- „ prascriptos homines, quid exinde dicere, „ aut respondere vellent. Ad hæc responde- „ runt omnes insimul, & dixerunt, quia „ *nos infra suprascriptas fines nullam heredi- „ tatem habemus, nec tenemus, nec per char- „ tulam, nec per Breve nobis pertinet, neque „ per ullam inventam rationem.* Tunc prædi- „ ctus Comes, & Vicecomes, & prædicti Ju- „ dices, dum taliter audierunt, & viderunt „ ipsos homines manifestantes, & dicentes, „ rectè eorum comparuit esse ita, & judica- „ verunt, ut prædicti Suppo, & Sabinus, & „ ceteri suprascripti homines, & illorum he- „ redes inde se quiescant, & prædictum Mo- „ nasterium habeat, & teneat omnes supra- „ scriptas res. Et prædictus Comes bandum „ exinde misit, ut quicunque exinde disvestire „ præsumpserit ipsum prædictum Monasterium „ sinè legali judicio, sciat se compositurum „ bandum, idest solidos sexaginta medietatem „ Re-

„ Regi, & medietatem prædicto Monasterio, „ & Abbatibus, & Præpositis, & Monachis „ ibi Deo servientibus, & custodientibus. „ Hoc factum est in istorum omnium suprascriptorum præsentia. Et ex dicto de suprascripto Comite, & Vicecomite, Judicibus, & bonis hominibus, hanc notitiam Judicati scripsi ego Berardus Judex & Notarius in Anno ab Incarnatione Domini nostri Ihesu Christi MXXIV. mense Madio Indictione VII. feliciter.

„ ✠ Signum manuum suprascripti Beraldi Comitis, Berardi, Adammi Vicecomitis, Rainerii, Adenulfi, Ingeczonis, & ceterorum, qui ibi fuerunt.

Investitura de Pontibus, & aliis rebus Abbatiæ Sancti Clementis facta ab Ugone Marchione, Corrado Imperatore mandante.
Anno 1028.

„ IN Dei nomine. Notitia Judicati, qualiter pro futuris temporibus memoriter recordandum. Idest in territorio Pinnensi loco, qui nominatur in ipsa Insula vocabulo Casa-aurea, intus in ipso Monasterio Beatæ Sanctæ Trinitatis, ubi reconditum est corpus Beati Sancti Clementis. Ibique residebat Ugo Dux & Marchio ad audiendum, & juste inquirendum de rebus Monasterii Beatæ Sanctæ Trinitatis. Et residebat cum eo Atto Comes filius Trasmundi Comitis, & Ugo Comes filius Ameczonis Comitis, & Adelbertus Sinogalliensis Ecclesiæ Episcopus, & Guibertus, qui appellabatur Comes. Et residebant cum eis Bernardus Judex, & Bernardus filius Liudini, & Siolfus filius Benedicti, & Adam de Burgo, & Siolfus filius Alberti, & Senebaldus filius Luponis, & Odemundus filius Guidonis, & alii plures boni homines. In præsentia suprascripti Ugonis Ducis & Marchionis, & in præsentia suprascriptorum Comitum, & Episcopi, & Judicum, & bonorum hominum, vênit Wido venerabilis Abbas, & sui Monachi, & reclamaverunt se de rebus Sanctæ Trinitatis, quas tulerant de ipso Monasterio; & reclamaverunt ipse suprascriptus Abbas & sui Monachi de ipsis pontibus, unde habebant contrariam propter introitum & exitum de ipso Monasterio. Et quomodo ei contradicebant ipsi filii Rainaldi, & ipsi filii, & nepotes Alberici. Tunc suprascriptus Dux & Marchio cœpit quærere consilium Dodonis Episcopi de Noceri, & Attonis Comitis, & ab aliis Episcopis, & Comitibus, & Judicibus, & bonis hominibus, qui cum eo aderant. Tunc suprascripti Comites, & Episcopi, Judices, & boni homines, omnes insimul ex uno tenore responderunt, & dixerunt, ut de omnibus rebus Monasterii Sanctæ Trinitatis, sive in Comitatu Pinnensi, sive in Comitatu Teatino, sive in Comitatu Aprutiense cum ipsa Ecclesia Sanctæ Trinitatis habeant investituram. Et de ipsis pontibus habeant Bannum de parte Domni Imperatoris & de parte vestra. Tunc suprascriptus Ugo Dux & Marchio unà cum suprascripto Attone Comite à præsenti hora reinvestivit Widonem venerabilem Abbatem, & suos Monachos de omnibus rebus Monasterii Beatæ Sanctæ Trinitatis, & reinvestivit eum de omnibus ipsis pontibus, quomodo pertinet ad introitum, & exitum de ipso Monasterio. Et insuper posuerunt Bannum super caput VVidonis venerabilis Abbatis de parte Domni Chonradi Imperatoris, & de parte Ugonis Ducis & Marchionis, ut quicunque de rebus Monasterii Sanctæ Trinitatis invadere, aut tollere, vel minuere præsumpserit, aut qui ipsos pontes rumpere, aut disturbare, seu contradicere præsumpserit per qualecunque ingenium, sive palam, sive absconsè, qui hoc facere præsumpserit, mille libras auri optimi componat, medietatem ad partem Domni Imperatoris, & medietatem ad partem prædicti Sancti Monasterii, & VVidonis Venerabilis Abbatis & posterorum successorum suorum. Et post pœna soluta, ipsæ suprascriptæ res, & ipsi suprascripti pontes permaneant in potestatem de suprascripto Monasterio. Finita est causa qualiter actum, & dictum fuit. Unde pro securitate de suprascripto Monasterio, & VVidonis Venerabilis Abbatis, & de posteris successoribus suis, & pro inposterum recordando, hanc notitiam dixerunt scribere Acçoni Scabino & Notario. Et ego, qui supra Acço Scabinus & Notarius de dicto de suprascripto Ugone Duce & Marchione, & de dicto de supradictis Comitibus, & Episcopis, & Judicibus, & bonis hominibus hanc notitiam Judicati scripsi. Et hoc fuit ab Incarnatione Domini nostri Ihesu Christi Anno MXXVIII. & imperante Domno Chonrado gratiâ Dei Imperatore Augusto Anno Imperii ejus, Deo propitio, in Italia Primo, & die mensis Januarii per Indictionem X. Actum in Pinne feliciter.

„ ✠ Ugo Dux Marchio subscripsi.
„ ✠ Ego Adelbertus Episcopus Sinogalliæ ibi fui.
„ ✠ Signum manus Attonis Comitis, qui ibi fuit.
„ ✠ Signum manus Ugonis Comitis, qui ibi fuit.
„ ✠ Signum manus Siolfi, qui ibi fuit.
„ ✠ Signum manus Guibberti, qui ibi fuit.
„ ✠ Signum manus Adammi, qui ibi fuit.

Causa, quam habuit VVido Abbas super quosdam Barones, Sansonem, & VValterium filios Rainaldi coram Episcopo Sinogalliæ, & Comitibus ac Judicibus Sacri Palatii de Bectorita, & aliis rebus.
Anno 1028.

„ IN Dei nomine notitia Judicati, qualiter pro futuris temporibus memoria recordandum. Idest in territorio Pinnensi in locum, qui nominatur Laco, qui est ad ipsam Insulam. Ibique in præsentia Attonis Comitis filii Trasmundi Comitis, & in præsentia Teudini Comitis filii Berardi, & Adelberti Episcopi Senogalliæ, & in præsentia Bernardi Judicis, & Bernardi filii Liudini, & Siolfi filii Benedicti, & Temmarii filii Temmarii, & Dodonis filii Rimmani, & Siolfi filii Alberti, & de aliis pluribus hominibus. In præsentia de ipsis suprascriptis Comitibus, Episcopo, & Judicibus, & bonis hominibus, vênit VVido venerabilis Ab-

„ Abbas de Monasterio Sanctæ Trinitatis, „ quod situm est infra Comitatum Pinnensem, „ in locum, qui nominatur Insula, juxta fluvium Piscariæ vocabulo Casa-aurea, ubi reconditum est corpus Beati Sancti Clementis. Ipse suprascriptus Venerabilis Abbas, „ & Adammo de Burgo, qui erat Advocatus „ suus, unà cum Dodo Episcopo de Noceri, „ qui erat Missus Ugonis Ducis & Marchionis, insimul venerunt in præsentia de suprascriptis Comitibus, & Episcopis, & Judicibus, & bonis hominibus, & reclamaverunt supra Sansonem, & Gualterium filios „ Raynaldi, & dixerunt ipse venerabilis Abbas, & Adammo Advocatus suus: *Domne „ Comes, & Judices, facite nobis justitiam „ de Sanso, & de Gualterio, qui sunt ante „ vestram præsentiam. Illi contradicunt de rebus nostri Monasterii, & de terra, & de „ molinis, & sunt ipsa res infra in territorio „ Pinnensi, in locum, qui nominatur Bectorrita, & in ipsa fara de Blonze, & in earum „ pertinentia*. Tunc suprascripti Comites „ cum suprascriptis Episcopis, & Judicibus, „ & bonis hominibus, dum talem audierunt „ clamationem, interrogaverunt suprascriptum „ Sansonem, & Gualterium, quod dicere aut „ respondere vellent de hac causa. Illi statim „ responderunt ex uno tenore, & professi fuerunt, *quòd omnes ipsæ res pertinent ad ipsum „ Monasterium Sanctæ Trinitatis sive de terra, sive de molinis, quantum in nostra pertinentia, seu in nostra dominatione fuerunt, „ nisi quantum continet in ipsa chartula commutationis, quam Giselbertus Abbas fecit „ Raynaldo Genitori nostro, & Remejo germano suo. Alias omnes ipsas res, & molina, „ quæ superfuerunt de ipsa commutatione, reddimus ad ipsum Monasterium*. Cum talem „ professionem audierunt ipsi suprascripti Comites & Episcopi, & Judices, & boni homines, rectum illorum comparuit esse, ut „ ipsæ res, & ipsa molina redderentur ad „ ipsum Monasterium. A præsenti hora venerunt Sanso, & Gualterius, & retrodiderunt „ se, & investierunt, & reddiderunt ipsas „ suprascriptas res, & ipsa molina suprascripto VVidoni Venerabili Abbati, & Adammo Advocato suo. Et insuper miserunt Bannum super ipso VVidone Venerabili Abbate de parte Domni Imperatoris, & Ugonis Ducis & Marchionis, ut qui ipsas res, „ & ipsa molina tollere, vel contradicere voluerit ad ipsum Monasterium, & ad suprascriptum Abbatem, & ad posteros successores suos, qui hoc facere præsumpserunt, „ componant auri libras centum ad partem „ prædicti Monasterii Sanctæ Trinitatis. Finita est causa, unde pro securitate de suprascripto Monasterio, & VVidonis Abbatis, „ & de successore suo hanc notitiam Judicati „ dixerunt scribere Aczoni Scabino, & Notario. Ab Incarnatione Domini nostri Ihesu „ Christi Anno MXXVIII. & imperante Domno Chonrado gratiâ Dei Imperatore Augusto. Anno Imperii ejus, Deo propitio, in „ Italia Primo, & die mensis Januarii per „ Indictionem X. Actum in Pinne feliciter.

„ ✠ Ego Adelbertus Episcopus Sanctæ Sinogalliensis Ecclesiæ ibi fui.

„ ✠ Signum manus Attoni Comitis, qui „ ibi fuit.

„ ✠ Ego Bernardus Judex Sacri Palatii interfui.

„ ✠ Signum manus Teodini Comitis, qui „ ibi fuit.

„ ✠ Signum manus Dodoni, qui ibi fuit.

„ ✠ Signum manus Siolfi, qui ibi fuit.

„ ✠ Ego Dodo Episcopus manu mea subscripsi.

„ ✠ Signum manus Bernardi, qui ibi fuit.

Accipe à MSto Regio Parisiensi uberiorem hujus querelæ descriptionem.

ANte etiam quàm discederet Dux Ugo prænominatus de Piscariensi regione, Domnus VVido Abbas in ejus præsentia habuit altercationem cum quibusdam viris de possessionibus, quas Ecclesia Sancti Clementis habuerat in Marsia, quos coram multis nobilibus viris intus in ipso Episcopio Sanctæ Savinæ ad hoc congregatis, querelâ depositâ recuperavit, & propter metum Imperatoris, & propter tenorem justitiæ reacquisivit quicquid Ecclesia perdiderat in Comitatu Marsicano. Nomina verò occupatorum, & de rebus recuperatis in charta, quam inde ipse Dux fieri jussit, habentur, in qua tale bannum positum est, ut qui de ipsis & aliis rebus molestiam, vel contrarietatem Piscariensi Monasterio fecerit, centum libras de auro, medietatem ipsi Monasterio, & medietatem in Fiscum Regium pro petia componat.

Alia querela, qua recuperantur possessiones de Marsia. Anno 1028.

„ IN Dei nomine. Notitia Judicati, qualiter pro futuris temporibus memoriæ recordandum. Idest in territorio Marsicano, in „ locum, qui nominatur intus in ipso Episcopio Sanctæ Savinæ, quod situm est in ipsa „ Civitate Marsicana, quæ vocatur Milvia, „ ibique in ipso suprascripto Episcopio aderat „ Ugo Dux & Marchio, & erant cum eo „ Berardus Comes filius Teodini Comitis, & „ Rustico Comes, qui rectum nomen Atto „ vocatur, & Ugo Comes filius Ameczoni, „ & Ofredo Comes filius Monaldi Comitis, & „ Albericus Comes filius Actonis, & Dodus „ Episcopus de Noceri. & Adelbertus Episcopus Sinogalliæ, & Berardus Episcopus Spoletinus, & Johannes Episcopus Marsicanus, „ aderantque cum eis Bernardus Judex, & „ Petrus Judex Sacri Palatii, & Gualterius „ Episcopus de Furcone, & Dodo filius Rimmani, & alii plures boni homines. In præsentia de ipso suprascripto Ugone Duce „ Marchione, & in præsentia Berardi Comitis „ filii Rainaldi Comitis, & in præsentia de „ omnibus ipsis suprascriptis Comitibus, & „ Judicibus, & Episcopis, & bonis hominibus vênit VVido Venerabilis Abbas de Monasterio Sanctæ Trinitatis, quod situm est „ in Comitatu Pinnensi locum, qui nominatur „ Insula, vocabulo Casa-aurea, ubi reconditum est Corpus Beati Sancti Clementis, & „ reclamavit se ipse suprascriptus Abbas de „ rebus ipsius Monasterii Sanctæ Trinitatis, „ quas tollunt, & contradicunt ad ipsum Monasterium Bernardus filius Punsonis, & Eberelmo, & Ubertus Judex filius Ingezonis, & „ ipsi filii Sposæ de Ratino, & Anserico Notario. Et sunt ipsæ res in Comitatu Marsicano per loca & vocabula nominanda. „ Idest in Fiscaja, & in Pactiano, & in Soli-

tri,

„ tri, & in Cerfenge, & in Urgana, & in Egleri, & in Campo de Actiano, & in Asclo, & in Acutiano, & Vicu, & in Ratino, & per alia loca vel vocabula, & in Incini, & Calabreto, & per alia loca. *Ipsi verò suprascripti homines, unde ego Wido Abbas querelam habeo, contendunt ipsas res nostri Monasterii. Modò facite nobis justitiam de parte Domni Imperatoris, & de parte vestra, & de parte Berardi Comitis, in cujus Comitatum & potestatem ipsæ res pertinent*. Tunc suprascriptus Ugo Dux Marchio unà cum Berardo Comite, cùm talem clamationem audierunt, à præsenti hora ambo insimul investierunt ipsum prædictum Venerabilem Abbatem. Et in præsentia de ipsis suprascriptis Comitibus, & Episcopis, & Judicibus, & bonis hominibus, investierunt ipsum Venerabilem Abbatem de parte Domni Imperatoris, & de sua Ugonis Ducis, & Berardi Comitis, & posuerunt bannum super caput ipsius Abbatis, ut si qualiscunque homo de ipsis rebus Monasterii Sanctæ Trinitatis aliquid injustè tollere, vel contendere præsumpserit, pro damnietate aut contraria de ipso Monasterio, quantacunque ei pertinet in Comitatu Marsicano, qui hoc fecerit componat de auro libras centum, medietatem ad partem de ipso Monasterio, & VVidonis Abbatis, & de posteris suis, & medietatem ad partem Domni Imperatoris. Et post pœnâ solutâ, ipsas res restituat ad ipsum Monasterium. Et post hæc à præsenti hora cœpit ipse Ugo Dux Marchio prendere manibus ipsum suprascriptum VVidonem Abbatem, & dedit eum in manum Berardi Comitis, & præcepit ei de parte Domni Imperatoris, & sua, *ut quicunque de rebus ipsius Monasterii tollere voluerit, aut contra nostrum bannum fecerit, facias tu Berardus Comes ipsum bannum solvere, quomodo gratiam Dei, & Domni Imperatoris, & meam habere cupis*. Finita est causa. Unde pro securitate de suprascripto Monasterio, & pro inposterum recordandum, hanc notitiam Judicati dixerunt scribere Aczoni Scabino & Notario. Et ego qui suprascriptus Aczo scripsi ab Incarnatione Domini nostri Ihesu Christi Anno MXXVIII. & imperante Domno Chonrado gratiâ Dei Imperarore Augusto Anno Imperii ejus, Deo propitio, in Italia Primo, & die mensis Januarii per Indictionem X.

„ Actum in Marsi feliciter.

„ ✠ Ugo Dux Marchio subscripsi.

„ ✠ Signum manus Berardi Comitis filii Todini, qui ibi fuit.

„ ✠ Signum manus Belliczi Comitis, qui ibi fuit.

„ ✠ Signum manus Berardi Comitis filii Rainaldi, qui hanc investituram fecit, & hoc bannum posuit cum suprascripto Marchione, & signum Crucis fecit.

„ ✠ Signum manus Actonis Comitis, qui supranomen Rustico vocatur, qui ibi fuit.

„ ✠ Signum manus Petri Judicis Sacri Palatii.

„ ✠ Signum manus Gualterii Episcopi, qui ibi fuit.

„ ✠ Signum manus Berardi Episcopi, qui ibi fuit.

Item in Comitatu Aprutino quidam Gizo dedit pro anima sua Piscariensi Monasterio quamdam Ecclesiam Sancti Petri ad Casa Catuli. Quidam alter Gizo dedit in Valeriano &c. *Vide supra col.* 847. D.

De Sancto Silvestro de Oligeto. Anno 1032.

„ IN Dei nomine. Ab Incarnatione Domini nostri Ihesu Christi Anno MXXXII. & imperante Dompno Chorrado gratiâ Dei Imperatore Augusto, Anno Imperii ejus, Deo propitio, in Italia Quarto, mense Aprili, Indictione XV. Ideo constat, nos Johannes Judex filius quondam Arduini, & Gizo, & Aifredo filii Luponi, & Majo filius Odoni, & Petrus, & Benedictus, & Gizo filii Leonis, & Adelbertus filius Aczolini, & Johannes filius Johannis, & Adenolfus filius Liupæ, & Girardus, & Rainaldus filii Johannis, & Arduinus filius Arduini, declarabimus nos, quia cùm quadam die cogitare cœperimus, qualiter impii & peccatores, qui peccata sua redimere neglegunt, in illa pœna perpetua cum Diabolo damnabuntur. Et qualiter justi & electi Dei in illa æterna beatitudine cum Domino gloriabuntur: subitò respexit nos divina pietas, & compunctum est cor nostrum, & cum tremore & æstuatione cordis cœpimus anxiè quærere consilium à Sacerdotibus, & religiosis viris, qualiter peccata nostra redimere, & iram æterni Judicis evadere possemus. Et consilio accepto, quòd nil sit melius aliud inter elemosynarum virtutes, quàm si de propriis rebus & substantiis nostris in Monasterio dederimus, & cœpimus quærere intra nosmetipsos, quem aptum locum invenire possemus; & subitò Deo concedente invenimus aptum locum intra territorium Teatinum in locum, qui nominatur Olegeto, vocabulo ad Sanctum Silvestrum, idest integram ipsam Ecclesiam Sancti Silvestri cum Cellis, & Datis, & Libris, & ornamentis Ecclesiarum, omnia & in omnibus, quantum ad ipsam Ecclesiam pertinet, donavimus, & tradidimus, atque concedimus in ipso Monasterio Sanctæ & Individuæ Trinitatis, quod situm est in Insula Piscariæ, ubi Casa-aurea vocitatur, & ubi reconditum est Corpus Sancti Clementis, & præsenti tempore Vvido Venerabilis Abbas regimen tenere videtur. Donamus atque concedimus ipsam supradictam Ecclesiam Sancti Silvestri in prædicto Monasterio, & tibi Vvidoni venerabili Abbati ad habendum, & possidendum, tenendum, & dominandum amodo, & deinceps in perpetuum judicandum ipsam suprascriptam Ecclesiam cum ejus pertinentia. Et est terra tenente prænominata Ecclesia Sancti Silvestri, & in ejus circuitum per mensuram de modio uno. Et ipsa Ecclesia cum ipsa re infra fines capite fine via, & terra, quæ nobis remansit; pede fine terra, quæ nobis remansit; & de uno latere fine via, quæ pergit à capite per ipsum Castellum de Lecto; de alio latere fine via, quæ pergit juxta ipsam Ecclesiam. Et aliæ res, quæ sunt pertinentes ad ipsam Ecclesiam Sancti Silvestri per loca & vocabula nominandæ. Idest in plano de Piscaria, ed ad ipsi Forcati, & in Olegeto, & per alia loca designatæ insimul faciunt modiorum triginta quatuor. Et sunt omnes ipsæ res de prædi-

„ cta

cta Ecclesia infra fines capite, & uno latere fine terra Temmari, & de consortibus suis; pede fine fluvio Piscariæ; de alio latere fine ipso Rigo, qui decurrit inter Superclo, & Clegeto, & quomodo pergit in fluvio Albulæ, & fluvium Albula quomodo currit in fluvio Piscariæ. Infra istas prænotatas fines ipsæ suprascriptæ res unà cum casis, terris, vineis, pomis, arboribus, salectis, cannetis, olivetis, & cum omnibus, quæ infra se vel supra se habentur, cum ipsa Ecclesia Sancti Silvestri, & cum omnibus, quæ ad ipsam Ecclesiam similiter pertinent; & si amplius fuerint ipsæ res infra ipsas fines, quàm super continentur, ad ipsam Ecclesiam similiter teneat. Unde ad manus nostras, & ad heredes nostros, aut ad ullum alium hominem nullam exinde fecimus reservationem, vel exceptuationem requirendi, sed in integrum per hanc chartulam donationis atque concessionis donamus & concedimus prænominatam Ecclesiam cum suprascriptis rebus in prædicto Monasterio, & tibi Vvidoni Venerabili Abbati ad habendum, & possidendum, & usufruendum, & dominandum, & ad proprietatem vestri Monasterii conservandum, nam non vendendum, nec donandum, nec concambiandum, neque per ullum ingenium in alterius potestate alienandum, nisi tantùm ad habendum, tenendum, & dominandum tu suprascriptus Abbas, vel successores tui. Et sicut de priori vestri Monasterii, & manualibus domnicatis, ita de ista Ecclesia & ejus rebus faciatis amodo & deinceps usque in sempiterno seculo, sinè alicujuscunque contradictione, & absque omni calumpnia. Si quis verò contra hanc chartulam nostræ concessionis aliquam minorationem aut invasionem, aut disturbationem facere quæsierit aut id molestare præsumpserit, in iram Summæ & Individuæ Trinitatis incurrat, & cum Juda traditore, & cum impiis & sacrilegis sequestratus pars illius sit in stagnum ignis ardentis & sulfuris. Et insuper si hoc facere præsumpserimus, componamus nos, vel heredes nostri, seu aliquis de generatione heredum nostrorum, tibi Vvidoni Venerabili Abbati vel successoribus tuis pœnam auri optimi libras sexaginta, & chartula ista concessionis omni tempore firma & stabilis atque inconvulsa permaneat.

Quam verò chartulam rogatus à suprascriptis scripsi ego Raineri Notarius & Judex Mense, & Indictione suprascripta, Actum in Teate feliciter.

✠ Ego Johannes Judex.

✠ Ego Giso.

✠ Signum manuum Majoni, Aifredi, Petri, Adelberti, Adenolfi, Girardi, VVidonis, Forolfi, Uberti, qui hanc chartulam fieri rogavimus, & testes rogati manibus subscripsimus, & signum Crucis fecimus.

De Castello Vetullo, & Pojo de Beczano, & tenementis suis. Anno 1046.

IN Dei nomine ab Incarnatione Domini nostri Ihesu Christi anno MXLVI. mense Septembri Indictione XIV. Ideoque ego Adelberto filius quondam Grimoldi, bona & spontanea mea voluntate cogitavi diem mortis, & æterni Judicii, spondeo, atque desidero Dei omnipotentis habere misericordiam, pro mercede & redemptione & salvatione animæ meæ, & pro anima de genitore, & de genitrice mea, & ut nobis Dominus Ihesus Christus veniam tribuere, & ad suam sanctam gratiam revocare dignetur, ut cùm venerit dies ille futuri Judicii, mercedem à Domino recipere mereamur. Propterea in hujus volumine Testamenti affigere prævidimus, ut quicquid pro anima nostra judicavero, vel dispensavero, omni tempore firmum & stabile permaneat. Modò volo, & judico, & per hanc chartulam trado atque concedo ego Adelberto pro animæ nostræ mercede in Monasterio Sanctæ Trinitatis, quod situm est infra Territorio Pinnense in loco, qui vocatur Casa-aurea, intus in Insula de Piscaria, ubi corpus Beati Sancti Clementis reconditum est. Et est ipsa res infra Territorio Aprutiense, idest medietatem de Castello Vecclo, & medietatem de ipsa Ecclesia, quæ intus in ipso Castello ædificata est. Et medietatem de omnibus ædificiis de ipso Castello, quantum ad ipsum Castellum pertinet, cum introitu & exitu suo, & cum medietate de ipsa mea portione, & de omni pertinentia vel subjacentia sua. Et ipsam meam portionem de ipso Pojo de Becziano, & in ipsa pertinentia de ipso Castello de la Ripa, per loca & vocabula in Casa Catuli, & in Colle Gosi, & in Faniano, & in Dalmantini per singulas petiæ totæ insimul faciunt modiorum quinquaginta, & in pertinentia de Castello Becclo per loca & vocabula in capite de Acqui, & Melano, & in Egiano, & in Colle Vvaracconi, & in Colle Meruli, quæ est terra culta & inculta, & terra cum vinea, & terra cum arboribus, totæ insimul faciunt modiorum ducentorum. Et habet fines capite fine terra Corelli, & fine ipsa via à Kalendini; de pede fine fluvio Gomanno cum aqua sua; de uno latere fine Rivo, qui currit inter terram Albam, & Casa Catuli, & quomodo currit in fluvio Gomanno. Et de alio latere fine Rivo, qui currit inter Casi, & Negiano, & quomodo currit in fluvio Gomanno. Ipsæ suprascriptæ res per notatas fines cum casis, & rebus, & manualibus, cum servis, & rebus censualibus, cum casis & rebus coloniciatis, sive de Ecclesiis cum dotis, & Libris, & ornamentis Ecclesiarum, sive de Molinis cum sediis suis & locis molendinariis, cum aquis, & usu aquarum, & cum omnibus ipsis rebus, quæ super se, vel infra se habentur in integrum; Sic concedo ego Adelberto in ipso Monasterio ad proprietatem possidendum pro animæ nostræ mercede. Unde repromitto & obligo me, vel meos heredes in ipso Monasterio, & tibi Dominico Abbati, vel successoribus tuis, ut ipsam meam concessionem antistare, & defendere debeamus vobis ab omni homine; & si à quolibet homine antistare, & defendere non potuerimus, aut noluerimus, aut si de ista mea concessione contra ipsum Monasterium aut contra hanc chartulam aliquam causationem mittere quæsierimus, ut componamus ego Adelberto, vel mei heredes ipsi Monasterio, vel ipsi Abbati, cùm ex nostri culpa claruerit, pœnam aureos mancosos mille. Et post pœnâ solutâ hæc chartula concessionis, qualiter prælegitur,

ta-

„ taliter omni tempore firma & stabilis permaneat, sicut in Langobardorum Lege Edicti pagina continet.
„ Quam verò chartulam concessionis rogatus à suprascripto Adelberto scripsi ego Giso Notarius & Judex.
„ Actum in Aprutio feliciter.
„ ✠ Signum manus Adelberti, qui hanc chartulam ordinationis scribere rogavit.
„ ✠ Signum manus Tresidii testis rogatus à suprascripto.
„ ✠ Signum manus Johannis testis rogatus à suprascripto.

De Sancto Vetere, & Castello Vetullo cum Ecclesiis, & pertinentiis suis.
Anno 1047.

„ IN Dei nomine. Ab Incarnatione Domini nostri Ihesu Christi Anno MXLVII. mense Januario Indictione XV. Ideoque ego Raimundo filius quondam Grimaldi, & ego Beledrada filia quondam Coni, quæ sum sociata in conjugio Raimundo viro meo, consentiente mihi Beldradæ ipso jam dicto Raimundo viro meo; Et ego Raimundus comiatum dedi, & consentiens sum tibi jam dictæ Beledradæ conjugi meæ. Ego Raimundus, & Beledrada jugales ambo unanimiter atque communiter bona nostra voluntate recogitantes nos de Dei omnipotentis misericordia, & æterno Judicio, ut nos jam dicti Jugales in die Judicii mercedem à Domino mereamur accipere, propterea in hujus volumine testamenti affigere prævidimus. Declaro enim, quia statutum est in ipso Capitulari Domni Imperatoris, & Domnus Karolus Imperator instituit in suo Capitulare, ut quæcumque fœmina libera Langobarda per Comitatum viri sui potestatem habeat de rebus suis vendere, aut donare. Et cuicunque vendidisset, aut donasset, firmum & stabile permansisset; & ut quicquid pro anima nostra judicaverimus, vel dispensaverimus, omni tempore firmum & stabile permaneat. Modò volo, judico, & per hanc chartulam confirmavimus ego Raimundo, & Beledrada pro animæ nostræ mercede in Monasterio Sanctæ Trinitatis, & Sancti Clementis, sito infra territorio Pinnensi in loco, qui nominatur Insula de Piscaria, ubi reconditum est corpus Beati Sancti Clementis. Et est de re proprietatis nostræ, quæ nobis in hereditatem, & per nostrum conquisitum evênit, infra territorio Aprutiense in loco, qui vocatur Sancto-Vetere, idest medietatem de ipso Castello de ipso Sancto-Vetere, cum muris, & carbonariis, & cum casis, & cum introitu & exitu suo, & medietatem de ipsa Ecclesia, quæ intus in ipso Castello stare videtur, & cum cellis, & dotis, & votis, & libris, & omnibus ornamentis Ecclesiarum, & Oratoriis. Et medietatem de ipsa pertinentia de quo Castello de Sancto-Vetere, quantum ad ipsum Castellum pertinet. Et ipsam Ecclesiam, quæ ædificata est in honore Domini Salvatoris in loco, qui dicitur Presiano, cum cellis, dotis, & ornamentis Ecclesiarum, & Oratoriis ejus, & cum introitu & exitu suo. Et medietatem de ipso Castello Becclo, cum muris, & carbonariis, & cum casis, & cum introitu & exitu suo, & cum medietate de ipsa Ecclesia, quæ intus in ipso Castello ædificata est cum cellis, & terris, dotis, & libris, & ornamentis Ecclesiarum, & Oratoriis, & cum introitu & exitu suo. Et medietatem de ipsa Ecclesia Sancti Andreæ, cum cellis, & terris, & dotis, & libris, & ornamentis Ecclesiarum, & Oratoriis, & cum introitu, & exitu suo. Et meam portionem de ipso Castello de Bectiano, cum muris, & cum carbonariis. Et meam portionem de ipsa Ecclesia, quæ intus in ipso Castello ædificata est, cum cellis, & dotis, & libris, & ornamentis Ecclesiarum, & Oratoriis, & cum introitu, & exitu suo. Et per eorum loca & vocabula, quæ est terra culta, & inculta, & terra cum arboribus exunatè per singulæ petias insimul faciunt modiorum mille. Et habet fines capite fine terra de filiis Tebaldi; pede fine fluvio Gomani cum aqua sua, & de uno latere fine Rigo Erispoli, quomodo ad directum pergit in fluvio Gomani, & de alio latere fine Rigo de Staino. Ipsa suprascripta res per nominatas fines, sicut supra legitur, cum vinea, & pomis, & arboribus suis, & cum molinis, & formis, & pausis, & sediis, & cursibus aquarum, & cum introitu & exitu illorum, & cum omnibus, quæ ipsæ suprascriptæ res super se, vel infra se habentur in integrum, donavimus, atque confirmavimus ego suprascriptus Raymundus, & Beredrada in ipso suprascripto Monasterio possidendum. Si quis ausus aut temerarius fuerit ex nobis, seu ex genere heredum nostrorum, & nostram hujus concessionis minorationem, aut invasionem facere, & præsumpserit disturbare, aut quæsierit, sciat se in tremendo justi Judicis examine causam nobiscum dicturum, ac pro hoc in iram Summæ & Individuæ Trinitatis incurrat, & descendat super eum paterna maledictio, & habeat partem cum Juda traditore, qui ab Apostolico agmine segregatus est, & cum impiis sacrilegis sequestratus pars illius sit in sulfure ardenti, qui ipsam suprascriptam nostram concessionem de potestate aut de subjacentia retollere voluerit per quodlibet ingenium aut argumentum. Et hoc repromitto & obligo me ego Raimundus, & Beledrada, vel nostros heredes, ut si ipsam suprascriptam concessionem de potestate aut de subjacentia vestra retollere contenderimus, vel minuere præsumpserimus, aut si ab omni homine antistare & defendere non potuerimus, aut non voluerimus, aut contra hanc chartulam ordinationis aliquam causationem mittere quæsierimus per quodlibet ingenium, ut componamus ego suprascripto Raimundus, & Beledrada, vel nostri heredes, ad ipsum suprascriptum Monasterium, & ad ipsum Præpositum, qui pro tempore ipsam Ecclesiam custodit, pœnam de auro mancosos centum. Et post pœnâ solutâ, chartula ista ordinationis nostræ seu concessionis, quam rogatus à suprascripto Raimundo, & Beledrada scripsit Giso Notarius, ut semper firma & stabilis permaneat.
„ Actum in Aprutio feliciter.
„ ✠ Signum manus Raymundi, qui hanc chartulam scribere rogavit.
„ ✠ Signum manus Beledradæ, quæ hanc chartulam scribere rogavit.

„ ✠ Si-

„ ✠ Signum manus Luponis testis rogati „ à suprascripto.
„ ✠ Signum manus Johannis testis rogati „ à suprascripto.

De Castello Sancti Mauri cum possessione modiorum mille & piscatione, & portu maris. Anno 1049.

„ IN Dei nomine. Ab Incarnatione Domini nostri Ihesu Christi Anno MXLIX. & imperante Domno Henrico gratiâ Dei Imperatore Augusto, anno Imperii ejus Deo propitio in Italia VII. die mensis Aprilis Indictione II. Ideo constat, me Octeberto, qui supernomen Fratello vocatur, filius quondam Octeberti, quàm & ego Adelasia filia quondam Attenolfi, quæ sum conjux ejus, ambo insimul unanimiter speravimus, atque desideravimus habere Dei omnipotentis misericordiam pro mercede, & redemptione, & salvatione animæ nostræ, & pro redemptione animæ Octeberti genitoris mei, ut quando de hoc seculo migraverimus, nobis pius Dominus veniam & indulgentiam donet de peccatis nostris, & in æterna vita mercedem à Domino Deo accipere mereamur, & mereamur audire vocem Domini, quando Deus dignabitur hæc dicere: *Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum, quod vobis paratum est ab origine Mundi*. Propterea verò per hanc chartulam donavimus, atque concedimus, simul tradidimus pro anima nostra in ipso Monasterio Beatæ Sanctæ Trinitatis, quæ sita est in Comitatu Pinnensi in Insula de Piscaria in locum, ubi Casa-aurea vocatur, ubi reconditum est Corpus Sancti Clementis Beatissimi, & ubi præsenti tempore Dominicus Venerabilis Abbas regimen tenere videtur, donavimus atque tradidimus, & concedimus ego suprascriptus Octoberto & Adelasa pro anima nostra in ipso prædicto Monasterio, & tibi Venerabili Abbati omnes res proprietatis nostræ, quantumcumque nobis in hereditatem, & ad nostrum conquisitum evênit. Et sunt ipsæ res in Comitatu Pinnensi in locum, qui nominatur Sancto Mauro. Idest integrum ipsum Castellum de Sancto Mauro cum omni firmamento, vel ædificiis ejus, quantum pertinet ad ipsum suprascriptum Castellum, & cum ipsa Ecclesia Sancti Mauri dedicata in ipso Castello, cum cellis, & dotis, & libris, vel ornamentis Ecclesiarum, & Oratoriis suis. Et est terra tenementa cum prænotato Castello, & in ejus pertinentia, per mensuram modiorum mille. Et sunt omnes ipsæ res cum suprascripto Castello infra fines capite fine terra Trasmundi Comitis; & fine terra Sancti Johannis; pede fine terra Sancti Benedicti, de uno latere fine fluvio Fine, & quomodo venit in fluvio Tabæ, & fine fluvio Tabæ; de alio latere fine fluvio Turbido. Infra istas prænotatas fines concedimus & tradidimus nos suprascripti Jugales in ipso Monasterio omnia, & ipsum amplius quantum de re nostra est, & nobis pertinet infra suprascriptas fines, unde ad manus nostras, neque ad ullum alium hominem ullam exinde fecimus reservationem, nec exceptuationem ad requirendum sed in integrum, & in omnibus sic donavimus, & tradidimus nos suprascripti omnes ipsas res in ipso prædicto Monasterio unà cum casis, terris, vineis, campis, silvis, pratis, pascuis, cum pomis, & arboribus suis, seu & cum olivis, & locis molendiciis, & cum formis, & pausis, & cum aquis, aquarumque decursibus suis, & usus aquarum, & omnia, & in omnibus, quantum infra se, vel super se habent. Quam & concedimus, & tradidimus nos suprascripti Jugales pro anima nostra in ipso Monasterio, omnem ipsam piscationem nostram, quomodo nobis pertinet in ipso mare ad Petram Pertusam. Omnia & in omnibus, qualiter superiùs scriptum est, sic donavimus, & tradidimus in ipso Monasterio, & tibi Venerabili Abbati, ad habendum & possidendum, sicut in Lege Langobardorum est institutum, quia Domnus Liuprandus Rex in suo Capitulare sic instituit: *Ut si quis Langobardus habens statum humanæ fragilitatis, ægrotaverit, etiam cùm in lectulo jacet, potestatem habeat, dum vivit, & rectè loqui potest, pro anima sua judicare de rebus suis quod voluit; & quod judicaverit de rebus suis pro anima sua, stabile debeat permanere*. Similiter & Domnus Karolus Imperator in suo Capitulare sic affixit: *Si quis Langobardus habens statum humanæ fragilitatis, recogitansq; pro salute animæ suæ chartulam cuilibet facere voluerit, absolutè faciat unusquisque de rebus suis, quod velit, & noverit*. Modò verò nos suprascripti Jugales Octeberto, & Adelasa, sic dedimus, & tradidimus, atque concedimus omnes suprascriptas res, & ipsum Castellum in Monasterio Sanctæ Trinitatis, & Sancti Clementis, ad habendum, & tenendum, & possidendum, & omnia faciendum tu Dominicus Venerabilis Abbas, vel posteri successores tui, sicut de aliis rebus vestri Monasterii facere volueritis, sinè omni calumnia. Si quis verò hujus nostræ concessionis & traditionis minorationem aut invasionem facere, aut disturbare præsumpserit, sciat se in tremendi justi Judicis examine causam nobiscum dicturum, atque pro hoc in iram Summæ & Individuæ Trinitatis incurrat, & descendant super eum paternæ maledictiones, & habeat partem suam cum Juda traditore, qui ab Apostolico agmine segregatus est, & pars illius sit in stagnum ignis ardentis, & sulphuris. Insuper promittimus, & obligavimus nos suprascripti Jugales Octeberto & Adelasa, vel nostros heredes, ut si aliquo tempore contra hanc chartulam aliquam causationem mittere quæsierimus, aut si aliquid exinde retollere vel minuare præsumpserimus, cujus ex nostris culpa claruerit, ut componamus prædicto Monasterio, & tibi Venerabili Abbati, vel successoribus tuis, pœnam de auro optimo libras quingentas, & chartula ista traditionis, atque concessionis omni tempore firma, & stabilis permaneat.

„ Quam verò chartulam donationis, seu concessionis, atque traditionis rogatus à suprascriptis Jugalibus Octeberto, & Adelasa, qualiter prælegi, scripsi ego Petrus Notarius die istius mensis Indictione suprascripta. Actum in Pinne feliciter.

„ ✠ Signum manus Octeberti, & Adelasæ, qui hanc chartulam fieri rogaverunt, & signum crucis fecerunt.

„ ✠ Si-

„ ✠ Signum manus Ildebrandi, qui supra-
„ nomen Massarello vocatur.
„ ✠ Massoni.
„ ✠ Ildebrandi testes rogati à suprascripto
„ signum Crucis fecerunt.

De Sancta Maria in Blesiano cum omnibus tenementis suis Piscariensi Monasterio confirmata. Anno 1065.

„ IN Dei nomine. Ab Incarnatione Domini
„ nostri Ihesu Christi anno MLXV. mense
„ Novembri Indictione IV. Ideo constat, me
„ Sanso filio quondam Rainaldi hodierna die
„ propria & spontanea mea bona voluntate
„ cogitavi diem mortis, & æterni judicii,
„ spero, atque desidero de Dei omnipotentis
„ magna misericordia pro mercede & re-
„ demptione animæ meæ, & anima Remedii,
„ & anima Oderisii, & anima Todini, & ani-
„ ma Sansonis, & anima Gualteri filii mei,
„ ut nobis Dominus noster Ihesus Christus
„ veniam dare, & ad suam sanctam gratiam
„ revocare dignetur, ut cùm venerit illud
„ futurum judicium, mercedem accipere à
„ Domino mereamur, & audiamus illam vo-
„ cem, quam Dominus dicet: *Venite benedi-*
„ *cti Patris mei, percipite Regnum, quod vo-*
„ *bis paratum est ab ordinatione Mundi*. Prop-
„ terea dono, & trado, atque concedo in
„ ipso Monasterio Beatæ Sanctæ Trinitatis,
„ & Sancti Clementis, idest de rebus proprie-
„ tatis meæ, quæ mihi in hereditatem evênit,
„ hoc est una Ecclesia mea, quam ego habeo
„ in Comitatu Pinnensi in ipso vocabulo de
„ Blisano, quæ vocatur Sancta Maria, cum
„ Cellis, & Libris, & cum pannis, & cum
„ omni ornamento Ecclesiarum, & cum ejus
„ dotalitia, quæ est inter terram cultam &
„ incultam modiola trecenti; & habet fines
„ capite ipsum montem de Bronjata, & venit
„ in ipso monte de Soti, & quomodo Brun-
„ jata venit in Furca; pede fine terram Sancti
„ Clementis; de uno latere fine ipse Rigo de
„ Ocinio; & de alio latere fine ipso Rigo de
„ Incini, & quomodo venit in Piscariam, &
„ quomodo subit in ipso monte ad priorem
„ finem. Et est prædicta ipsa suprascripta
„ Ecclesia cum ipsa suprascripta re infra ipsos
„ suprascriptos fines ad ipsam Ecclesiam per-
„ tinet; & in integrum, per hanc chartulam,
„ qualiter prælegitur, sic dono, & trado, &
„ judico pro redemptione animæ nostræ, sicut
„ Domnus Liuprandus Rex in suo Capitulare
„ judicavit. *Si quis Langobardus statum hu-*
„ *manæ fragilitatis præcogitans, pro salute*
„ *animæ suæ de rebus suis chartulam donatio-*
„ *nis cuilibet facere voluerit, non sicut hacte-*
„ *nus fieri solebat jussit, sive vendendi, vel*
„ *commutandi, & pro alia chartula de re alie-*
„ *nandi reservet, sed absolutam faciat unus-*
„ *quisque de rebus suis quod velit, & novit*.
„ Et ego suprascripto Sanso sic facio, absolu-
„ tam facio istam chartulam, ut nullus homo,
„ nec quilibet de meis heredibus aliquando
„ contradicat vobis. Si quis verò contraire
„ voluerit, repromitto & obligo me, vel meos
„ heredes, ut ab omni homine antistare &
„ defendere debeamus vobis; & si ab omni
„ homine antistare & defendere non volueri-
„ mus, aut non potuerimus, aut si retollere
„ vel minuare præsumpserimus, aut si contra
„ hanc chartulam aliquam causationem mitte-
„ re quæsierimus, in primis in iram Dei in-
„ currat, & non habeat partem in prima voce
„ resurgere, sed cum Juda proditore habeat
„ partem sulphuris ardentis. Et ideo conce-
„ do, ut ista chartula firma & stabilis per-
„ maneat. Quam verò à suprascripto Sansone
„ rogatus scripsi ego Atto Notarius & Judex.
„ Actum in Pinne feliciter.
„ ✠ Signum manus Sansoni, qui hanc
„ chartulam scribere rogavit, & signum Cru-
„ cis fecit.
„ ✠ Signum manus Remedii ✠ Temmarii
„ ✠ Remedii ✠ Sansoni testes rogati à su-
„ prascripto.

De Beczano. Anno 1078.

„ IN Dei nomine. Scriptum convenientiæ,
„ qualiter ego Trasmundus Episcopus &
„ Abbas ex Monasterio Sancti Clementis,
„ quod situm est in Territorio Pinnensi intus
„ in ipsa Insula de Piscaria, ubi reconditum
„ est corpus Beati Sancti Clementis, voca-
„ bulo Casa-aurea, consentientibus mihi
„ primatis Monachis de Sancto nostro Mona-
„ sterio, concedo tibi Actoni filio quondam
„ Petri, & filiis, & nepotibus tuis usque in
„ tertia tua legitima generatione masculina,
„ & usque in viginti & novem annis comple-
„ tis, de re juris Sancti nostri Monasterii in
„ Comitatu Aprutiensi in loco, qui nominatur
„ Beczano, vocabulo ad Plajole, unam petiam
„ de terra cum vinea per mensuram modio
„ uno, & sextaria tria, & pugilli tres. Et in
„ alio loco in Nucciano modio uno. Pro ea
„ verò ratione quia recepisti de mea mobilia
„ valente solidos quinquaginta. In eo tenore
„ laborandum, usufruendum, non concam-
„ biandum, sed ad proprietatem de supra-
„ scripto Sancto Monasterio conservandum,
„ & censum solvere annualiter debemus in
„ die Sancti Clementis denarios duos. Anno
„ ab Incarnatione Domini nostri Ihesu Christi
„ MLXXVIII. mense Augusto Indictione pri-
„ ma. Scripsi ego Giso Judex & Notarius.
„ Actum in Aprutio feliciter.
„ ✠ Signum manus Trasmundi Episcopi &
„ Abbatis.
„ ✠ Ego Adam Monachus & Præpositus
„ manu mea subscripsi.
„ ✠ Ego Bernardus Monachus & Presby-
„ ter manu mea subscripsi.

Cambium Sancti Petri de Caniano, & Sancti Silvestri de Villa-magna. Anno 1086.

„ IN Dei nomine. Ab Incarnatione Domi-
„ ni nostri Ihesu Christi anno MLXXXVI.
„ de mense Julio per Indictionem IX. Quam-
„ obrem constat, me Rainulfus humilis Epis-
„ copus ordinatus sum in ipsa Sancta Eccle-
„ sia, & Episcopatu Beati Sancti Thomæ
„ Apostoli, quæ sita est ipsa Ecclesia in ipsa
„ civitate Teatensi, bona & spontanea mea
„ voluntate, quàm & per voluntatem & con-
„ sensum de primatis ordinatis Canonacis meis,
„ qui prærdinati sunt in officio de prædicta
„ nostra Ecclesia; sicut in Lege scriptum est:
„ *Omnis ordo Ecclesiarum secundùm Legem*
„ *Romanam vivant, & faciant*, ego supra-
„ scriptus Episcopus sic facio. Per hanc
„ chartulam commutationis, commuto, &
„ trado tibi Domno Adammo, Vir Venerabi-

lis Abbas, ad opus & utilitatem de ipso Sancto tuo Monasterio Sanctæ Trinitatis, quod est in Insula, quæ nominatur Casaaurea, ubi reconditum est corpus Sancti Clementis, hoc est de re jure proprietatis prædictæ nostræ Ecclesiæ Sancti Thomæ Apostoli. Sunt ipsæ res nostræ Ecclesiæ infra Territorium Teatense in vocabulo de Caniano, ad ipsum Pontem-marmoreum; cum ipsa Ecclesia Sancti Petri Apostoli; cum suis muris, & atriis, terris, & vineis, campis, pratis, arboribus, quomodo in ipsum circuitum Ecclesiæ super se, vel infra se habentur. Sunt ipsæ res mensuratæ juxta culturam loci modiola octo. Et aliæ cunctæ res, quantæcunque ad suprascriptam Ecclesiam Sancti Petri pertinet, vel pertinere debet infra fines, sine limites de Plaja Parroni, quomodo vadit ad Sanctam Mariam, & venit in Arullum flumen, & vadit in Piscariam; & fine ipso fonte de Ancatano: sunt prædictæ ipsæ res infra suprascriptas fines cum introitu & exitu earum, omnia quantum infra se, & super se habent, sicut ad suprascriptam Ecclesiam Sancti Petri pertinent. Et commutationem, quam ego suprascriptus Episcopus feci, ad opus & utilitatem nostræ Ecclesiæ recepi de re juris vestræ Ecclesiæ duæ petiæ de terra vestræ Ecclesiæ; sunt infra suprascriptum territorium Teatense; prima petia est in vocabulo Sancti Silvestri, sunt modiola sex, habet fines ex utraque parte congruum de prædicta nostra Ecclesia. Secunda petia in vocabulo de Cerretu in pertinentia de Villa Maina ex mensurata juxta culturam loci modiola quinquaginta. Habet fines de uno latere, & à pede fluvium Fauro; de alio latere, & à capite terra nostræ Ecclesiæ. Finita verò & libera totam commutationem, sicut æstimatores æstimaverunt, & nos manibus nostris recepimus, & apud nos habere testabimur. In ea videlicet ratione, ut modò & semper habeatis, & teneatis, cultetis, lucretis, atque jure faciatis tu suprascriptus Abbas, vel tui successores, ad opus & utilitatem vestræ Ecclesiæ. Hoc repromitto & obligo me suprascriptum Episcopum, vel meos successores, atque Advocatores, tibi suprascripto Abbati, vel tuis successoribus atque Advocatoribus, qui de suprascripta Ecclesia Sanctæ Trinitatis Rectores fuerint, ut ab omni homine antistare & defendere debeamus. Et si ab omni homine antistare & defendere non voluerimus, aut non potuerimus per Legem ipsas prænotatas res cum ipsa Ecclesia Sancti Petri, aut si retollere, vel minuare, vel contrariare præsumpserimus per quodlibet ingenium, ut componamus nos vobis suprascripto Abbati, vel tuis successoribus, pœnam auri libras viginti, & ista commutatio firma permaneat. Quam & per rogum suprascripti Episcopi, per consensum de suis Canonacis scripsi ego Petrus Judex & Notarius.

Actum in Tete feliciter.

✠ Signum manus suprascripti Rainulfi Episcopi, qui hanc commutationem scribere rogavit, & signum Crucis fecit.

✠ Ego Johannes Archipresbyter in hac commutatione consensi, & manu mea subscripsi.

✠ Ego Johannes Presbyter in hac commutatione consensi, & manu mea subscripsi.

✠ Ego Cono Judex rogatus à suprascripto Episcopo manu mea scripsi.

✠ Signum manus Nebili.

✠ Massari rogati à suprascripto Episcopo.

Clamor Monachorum Casauriensium ad Augustinum Cardinalem. Circiter Annum 1104.

Domne Sancte Augustine Romanæ Ecclesiæ Cardinalis (*). Ecclesia Sancti Clementis Insulana sanctissimis auribus vestris clamorem facit, atque à te benignissimo Patre, quemadmodum à Domno nostro Apostolico, justitiam expectat, quia multas tribulationes, multasque angustias è persecutoribus Tyrannis seculorum cotidie sustinet, nisi à Deo Patre Omnipotente, & à Domno nostro Papa, & à vobis Sanctissimis Legatis justitiam ferentibus auxiliata fuerit, ampliùs sufferre non valet. Rao quidam filius Cononis, de quo clamor venit ad te, qui multa promisit, & minimè attendit (**), de quadam hereditate nostri Monasterii terrarum, ac vinearum, & hominum, pro vastatione, quam cotidie faciebat, consilium accepimus cum nostris confratribus. Dedimus sibi pro prædicta propria hereditate Beati Clementis septem boves, duos asinos, unum jumentum, & duos solidos denariorum ad liberandam eam de ejus tyrannica potestate, nihilque nobis profuit, quod dedimus pretium. Non multò post invasit eam iterum injustè, & alii homini fecit donationem, & pretium similiter habuit. Domnus Comes, quem omnipotens Dominus conservet, & beatum faciat eum, & non tradat eum in manus inimicorum ejus, dominatio, quæ erat in unius terreni Domini, filiorum scilicet Cononis, pro suo auxilio sive fortitudine, quando intravit in civitatem Nuræ, tulit partem quamdam meliorem nostri Monasterii per divisionem filiis Cononis, & dedit filiis Gisonis, qui tam malè dominantur dominium, ad se tali modo pertinente, quòd nullus de illorum dominio sub eis vivere valet. Et nos tantis dominis servire non valemus. Unde precamur majestatem Domni Comitis ex parte omnipotentis Dei, & Virginis Mariæ, & Beati Clementis, ut sicut nos terrenis dominis subjugavit, ita pro Cœlestis Regis amore, à tantorum potestate nos liberet, ut meliùs possimus servire Domino, & B. Clementi. Et vestros sanctissimos, Beate Cardinalis, pedes osculamur. Ecclesiam namque Sancti Angeli de Monte, Cellam videlicet nostri Monasterii, Ferracius filius Trasmundi invasit, & de nostra potestate tulit, atque tenet, & per divisionem diviserunt eam infra se, & Gualterium patrem Moderii, sicque quod Moderius filius ejus

ha-

(*) *In margine MSti adnotatur.* Erat Cardinalis tit. SS. IV. Coronatorum, ut patet ex veteri Cartulario Ecclesiæ Augustod. pag. 4. in Appendice Reginonis pag. 652.

(**) Hinc patet, quàm parvi momenti fuerit ea tempestate Privilegium à Leone IX. concessum.

„ habet omnia ornamenta illius Ecclesiæ, & „ habere non possumus. Et Sanctum Angelum Adabureri cum centum modiis terrarum, & cum IX. hominum servitiis, & „ cum omnibus bonis suis. Et Sanctum Flabianum de Ripa Johannis filii Grimaldi cum „ ornamentis Ecclesiæ, & cum omnibus bonis suis tulit pater Domni Comitis, & submisit in Monasterium Sancti Nicolai de „ Trutino, & nihil inde habemus. Qua propter precamur sanctitatem vestram, benignissime Pater Cardinalis, ut aures sanctissimæ „ vestræ clamorem nostrum intendant, & justitiam nobis concedatis.

Sententia contra persecutores Ecclesiæ Sancti Clementis. Circiter Annum 1104.

„ AUctoritate Domni Leonis Sanctissimi „ Papæ, & Paschalis, qui modò, Deo „ annuente, in Sanctam Apostolicam Sedem „ præesse sub tanto Pastore gaudemus, ego „ Gibertus Treguanus, sicut supradictus Domnus Apostolicus in suo privilegio anathematis vinculo subjugavit omnes persecutores „ & destructores rerum Ecclesiæ Dei, quæ est „ posita in Insula, quæ Casa-aurea vocatur, „ in qua requiescit Corpus Beatissimi Clementis Papæ & Martyris, diligenter literarum apicibus notificamus. Quicunque homo ab hodierna die res hujus Sanctissimi „ Monasterii destruere, vel dissipare, vel per „ vim auferre voluerit, sit ille excommunicatus à Deo Patre Omnipotente, & à Filio „ ejus Ihesu Christo, & à Spiritu Sancto, & „ à Sancta Maria Regina Cœli cum omni „ choro Virginum, & à Sancto Michaële „ cum omni exercitu Angelorum, & à Sancto Petro cum omni choro Apostolorum, „ Martyrum, & Confessorum. Et ab omnibus Sanctis Dei electis, Episcopis, Presbyteris, Abbatibus, atque Clericis sit excommunicatus, & maledictus & abominatus, „ & anathematizatus, & detestatus modò, & „ in perpetuum, & absorbeat eum mater terra, sicut absorbuit Dathan, & Abiron, & „ sit demersus in profundum Inferni cum Herode, & Nerone, & Juda traditore. Et „ quandiu vixerit in hoc seculo, sit ille „ maledictus, ambulando, stando, sedendo, „ jacendo, manducando, bibendo, loquendo, tacendo; & sit maledictus in omni „ opere suo; & nullus sit, qui eum adjuvet. Et aliæ omnes maledictiones, quæ „ hic non leguntur, veniant veloci cursu super eum, nisi ad emendationem & pœnitentiam venerit cum humiliato & contrito „ corde.

Scriptum de Terra Sansonesca. Anno 1111.

„ IN Dei nomine. Breve recordatorium, „ vel rememoratorium, qualiter pro futuris temporibus causa memoriæ recordandi, veluti in Comitatu Pinnensi actum est „ in Insula de Piscaria, in qua venerabile „ Monasterium, quod Casa-aurea dicitur, situm est, in quo venerabilissimæ Beati Clementis reliquiæ requiescunt. In præsentia „ scilicet Catholicorum Episcoporum: hii sunt „ Balbensis Episcopus venerabilis Walterius, „ & Teatensis Orthodoxus Episcopus Wilielmus, Herbertus Pinnensis, & nobilis Episcopus, Sanctique Liberatoris Præpositus „ Berardus, Gualterius, & Berardus de Castro, qui dicitur Collis Petri, & Berardus „ cujusdam Rainaldi filius de Sesenali, Todinus filius Temmari de Bateju, Dodo, Oderisius, & Gerardus de Moseliole, Oderisius, „ & Paganus de Conjulo, Trasmundus filius „ cujusdam Rainaldi de Civitaquana, & Gualterius filius quondam Berardi, & alii quamplures boni homines circumstantes & residentes. In istorum suprascriptorum omnium „ venerabilium Episcoporum, Præpositi, & „ Laicorum præsentia sic venerunt siquidem „ Gentilis filius cujusdam Todini de Collepetri, Sanso, & Rainaldus filii cujusdam „ Remedii, & Temmarius filius quondam „ Temmari, & Sanso filius cujusdam Todini, „ & renuntiaverunt Castra siquidem propria „ omnibus cum illorum pertinentiis, & subjacentiis Beati Clementis ad Albericum venerabilem Abbatem ejusdem Monasterii, ipsiusque magnificam Congregationem. Quæ Castra hoc modo nominantur, Bectorita, Castelionius, Lupesclu, Olivula, Roccadesoti, „ Lacorvara, & Petrainiqua, in integrum „ cum muris, terris, vineis, Ecclesiis vel hominibus. Quid ultra? cum omnibus pertinentiis, & subjacentiis eorum ad suprascriptum venerabile Monasterium, fraude sine „ ulla, & libentissimè reddiderunt. Quæ præscripta omnia, nempe Castra habent fines, „ pertinentiam scilicet de Castro, qui dicitur „ Buxius, & pertinentiam de Castro, qui dicitur Collis, & de Furce pertinentiam, Fabricæque equidem pertinentiam de Ripa „ alta, & pertinentiam de Conjule, & Alane pertinentiam, & flumen namque Piscariæ. Et Gentilis, & Sanso, & Rainaldus, „ & Sanso hoc modo juraverunt, ut ab illa „ hora in antea essent Beati Clementis Ecclesiæ, quæ in Insula Piscariæ sita est. Et Alberico venerabili Abbati, suisque successoribus canonicè intrantibus veri fideles, & in „ facto, vel in consilio, ut vitam, aut membra „ perdant, seu captione mala capiantur, non essent; & terram, quam jam dicta Ecclesia ad „ præsens tenere videtur, vel deinceps acquirere „ potuerit, retinendum, & defendendum contra omnes homines, qui ei tollere conabuntur, absque fraude ulla vel malo ingenio „ conservarent: Sic Deus & hæc sancta Evangelia illos adjuvent. Et Gualterius filius „ Gentili, & Berardus filius Sansonis, & Temmarius filius Temmarii, & Guilielmus filius „ Rainaldi, Bassallos Alberici suprascripti Abbatis devenerunt. Et prædictus Abbas, Monachorum siquidem suorum licentiâ, suprascripta Castella illis suis hominibus dedit, „ tali autem tenore, ut patri, filiique illorum „ legitimi vel fratres, quæ est tertia manu „ idest generatio, nec vendendum, nec donandum, sed cultandum justè lucrandum haberent potestatem firmitatemque: Gentilis, „ Rainaldus, Sanso, aliusque Sanso obligaverunt se usque in tertiam generationem ad „ suprascriptum Monasterium, & Abbatem, „ successoribusque suis, ut hæc suprascripta „ Castella suis cum omnibus pertinentiis de „ jure Monasterii prædicti nunquam subtrahere. Et unoquoque Anno ibi in censum „ decem Bisantos optimos ad utilitatem Monasterii solverent. Peracta quoque tertia „ ge-

„ generatione legitima, integra ipsa Castra, „ controversia absque ulla, jam dictum ad Monasterium redirent. Nam si omnia hæc Gentilis, Rainaldus, Sanso, & Sanso, & sui heredes legitimi, ut dictum est, non bene observaverint, mille libras optimi auri ad suprascriptum Monasterium persolvant. Et in istis terris locatis reservavit Albericus Abbas pascua, silvas, cellas Ecclesiarum, & Ecclesiastica jura, & prædicta jam dictæ Ecclesiæ revertantur. Et suprascriptus Abbas Berardum filium Sansonis, & Temmarium filium Temmarii, & Guilielmum filium Rainaldi de Bassallatico ad serviendum ad Gualterium filium Gentili donavit. Et hoc factum est in Anno MCXI. & die mensis Februarii quarto per Indictionem IV. Quod per rogum venerabilis suprascripti Abbatis, Religiosorum, ejusdemque Monachorum, vel voluntatem Laicorum prædictorum, inmeritus Judex & Notarius Dei gratia Johannes dictavit feliciter Amen.

De Sancta Maria in Pesile. Anno 1123.

„ HOnorius Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Ge. Teatino Episcopo salutem & Apostolicam benedictionem. Veniens ad nos filius noster Giso Abbas Monasterii Sancti Clementis de Piscaria, in præsentia nostra adversus Parrochianum tuum Rainaldum de Tocco conquestus est, quòd ei Ecclesiam Sanctæ Mariæ in Pesile violenter auferat. Unde fraternitati tuæ mandamus, quatenus eumdem Rainaldum commoneas, ut Abbati prædicto Ecclesiam restituat. Alioquin, si contemptor extiterit, plenariam de eo non differas exercere justitiam. Nos enim, auctore Domino, quod à te super hoc canonicè factum fuerit, ratum habebimus.

Clamor ad Imperatorem Lotharium. Anno 1136.

„ ECclesia Sancti Clementis in Gomano, quam piissima mater Ludovici Imperatoris Domna Hyrmingarda fecit, & donavit, conqueritur de perditis suis, & clamorem facit apud Majestatem Imperii vestri, rogans habere justitiam, si Deo placuerit, & vestræ Excellentiæ, justissime Imperator. Videlicet in Comitatu Pinnensi de Castello Mortulæ, cujus duæ partes sunt nostræ. Et de Sancto Nicolao ad Cornisam cum omnibus pertinentiis suis, & tertia parte de Arnario cum omnibus eidem tertiæ parti pertinentibus. In Comitatu Aprutino requirimus Ecclesiam Sancti Flabiani ad Bonanum cum centum modiis de terra, & cum octo mansionibus hominum. Et Ecclesiam Sancti Flabiani ad Ripam cum novem mansionibus hominum, & omnem hereditatem Lupinorum.

Clamor ad Regem Rogerium. Circiter Annum 1139.

„ ECclesiam Sancti Clementis, sicut jam notificavimus vobis, gloriosæ memoriæ Ludovicus construi fecit; Castella, Ecclesias, ac prædia multa inibi concessit & dedit, ut in Præceptis Imperatorum continetur; liberam reddidit, ut nulla aliqua Clericalis secularisve persona eam molestare aut inquietare auderet, sed Dei tantùm famulatui vacans cœtus fratrum inibi coadunatus pro salute ejusdem Imperatoris, matris ejus, ac filiorum, omniumque Fidelium Christi viventium, ac defunctorum, quietus jugiter Domino supplicaret. Modò peccatis nostris exigentibus ferè totum, quod habuit, perdidit (*). Circummanentes enim Barones nobis fortiores ex longo jam tempore Castella Ecclesiæ invadentes, tulerunt, ita quòd de multis tria tantùm Oppidula tenet, & ista tria non libertatis, sed servitio Comitis Manuplelli subjacent. Salutes (**) in Festis, sicut alia persona servilis, persolvit, & portat. Quicquid pecuniæ de pauperculis hominibus haberi potest, non vestibus Monachorum, sed Tyrannorum deservit. Unum Castellum istorum trium in ipso introitu Insulæ situm est, cujus Turrem ipse Comes Manuplelli ex pauco tempore tulit, & in sua custodia tenet, ad hoc ut quicquid in Ecclesia vel in omnibus rebus Ecclesiæ jusserit, nullus audeat prohibere, & Abbate præsenti defuncto, postquam omnem deprædatus fuit terram, vendat Abbatiam cui sibi placuerit. Tot modis quæ fuerat libera, servit Ecclesia nostra. Expectavimus semper auxilium Dei, & vestrum. Ex quo audivimus adventum vestrum, pro incolumitate & prosperis successibus vestris obnixè Deum rogavimus, credentes per vos redemptionem nos habituros. Precamur itaque, ut spes nostra consequatur effectum. Restaurate Ecclesiam vestram, & in vobis manutenete. Pro incolumitate vestri orabimus semper & quicquid habemus sit pro velle vestro.

De Sancto Martino in Gutta, Sancto Johanne in Scaniari, & Sancto Cesidio. Anno 1140.

„ BReve recordationis, ac pro futuris temporibus rememorandum. Qualiter Dominus noster Rex Rogerius bo. memoriæ de Apulia cum maximo honore & triumpho ad partes istas pervênit, & justitiam Ecclesiis & hominibus fecit. Quo tempore Castellum Sancti Valentini, quod Riccardus Turgisii tenebat, & Castellum, quod dicitur Abbatejum, ad manus suas recepit, fugientibus Comitibus de Manuplello. Tunc Dominus Rex Rogerius vênit ad Ecclesiam Sancti Clementis, & Privilegia, & Præcepta Regum, & Imperatorum ante præsentiam suam adduci præcepit. Quibus lectis, dignitatem, & libertatem Ecclesiam Sancti Clementis maximam habere cognoscens, Monasterio nostro, sicut Dominus, & bonus Rex reddidit, & ad manus suas retinuit. Deinde Ecclesias quamplurimas eidem Monasterio reddidit, inter quas Ecclesia Sancti Martini in Gutta, & Ecclesia Sancti Johannis in Scaniari, & medietatem Ecclesiæ Sancti Cesidii nobis restituit. In quibus Ecclesiis Domnus Abbas quemdam fratrem Oderisium nomine Præpositum ordinavit. Post non multos dies Riccardus Turgisii Castrum Sancti Valentini recuperatum, & Abbatejum acquisivit. Deinde prædictus Riccardus „ Tur-

(*) Parum ergo profuit Privilegium Leonis IX.

(**) *Idest* tributa annua.

" Turgisii venit ad Monasterium nostrum, & " per se, & per suos fideles Domnum Abbatem Oldrium, & totam congregationem " maximè rogare cœpit, ut supradictas Ecclesias in vita sua concederet sibi. Promittebat enim maximas Villas de hominibus " Sancti Valentini ipsis Ecclesiis facere, & " super servitia, quæ Ecclesiæ ipsæ consueverant facere, promisit in unoquoque anno " duas maximas salutes de piscibus facere, " & in morte sua ipsas Ecclesias, sicuti ordinatæ essent, Monasterio nostro relinquere. " Tunc Domnus Abbas consilio fratrum eidem " Riccardo Turgisii supradictas Ecclesias tali " conditione in vita sua concessit. Anno Dominicæ Incarnationis MCXL. Indictione III.

Definitio de rebus in Sulmone.
Anno 1163.

" ANno Dominicæ Incarnationis MCLXIII. " Regnante Domino nostro VVilielmo " magnifico Rege Siciliæ, Ducatus Apuliæ, " & Principatus Capuæ Anno Regni ejus XII. " mense Februarii Indictione XI. Quoniam " Dominus noster VVilielmus Rex invictissimus per universas Regni sui partes justitiam " omnibus integrè servari mandavit, nec non " unumquemque jus proprium rectè possidere, " quia sanctionem decrevit: ea propter ego " Samarus Trani Camerarius suus & fidelis, " suas sanctissimas institutiones vigilanti cura " conservans, querelam à Leonate venerabili " Cœnobii Sancti Clementis Insulæ Piscariæ " Abbate supra Senaldum Presbyterum Sulmonæ depositam justè definiri dispofui. Præsentibus itaque Matthæo Teatino Archidiacono, Bartholomæo Sanctæ Mariæ Pizzano " Abbate, Constantino Abbate Sanctæ Mariæ " de Lecto, Riccardo Vualterii, Riccardo " Padule, Teoderico Termularum Judice, " Bernardo, & Vualteri Judicibus Sulmonæ, " aliisque quampluribus viris, prædictus Abbas per Johannem Augerii Advocatum suum, " jam dictum Senaldum Presbyterum appellatum, dicens, quòd dum idem Sacerdos tenimentum in Sulmona à prædicto Monasterio " teneret, de quo servitium, & censum ipsi " Ecclesiæ facere statuerat, & sæpe inde requisitus facere recusavit; etiam temporis " spatium, quo illud tenere debeat, jam præterierat: eum Abbas à tenimento destituit, " ut jus Ecclesiæ consequeretur. Quare ipse " Sacerdos conquerens dicebat se injustè exspoliatum. Abbas verò ejus querelam delere " desiderans, justitiam inde sibi facere spopondit; & die constituto uterque in Curte Monasterii convenerant, ubi Sacerdos justitiam " recipere recusavit. Propterea Abbas Sacerdotem ex Regia, & sui parte vetuit, ne " ultra tenimentum intraret, cùm justitiam " inde recipere denegasset. Et prædictus Sacerdos tenimentum illud temerario ausu invadens, Domino Regi, & Ecclesiæ dedecus " intulit. Ad hæc autem ipse Senaldus Presbyter per Johannem Senaldi Sacerdotem Sulmonæ Advocatum suum respondens dixit, " quia servitium & censum de tenimento ipso " facere non renuerat, nec tamen jus suæ " præscriptionis transierat, nec tenimentum, " à quo fuerat destitutus, invasit. Confessus " est tantùm, quòd in die statuto justitiam " ab Abbate recipere refutavit. Calumpniæ " verò sibi objectæ dedecore inlato Domino " Regi congruè non respondit. Contra cujus " negationem Abbas testes legitimos adducere " promisit, scilicet, quòd post suam defensionem tenimentum invaserat. Et die sequenti " apud Sulmonam coram præsentia Siginolfi " Balbensis Episcopi, aliorumque suprascriptorum virorum testes idoneos adduxit, qui " testati sunt, quòd ipse Presbyter post Abbatis defensionem tenimentum invaserat. " Supra quod decretum est, ut præscriptum " tenimentum Ecclesiæ Beati Clementis, & " ejus Abbati restitueretur, & pro invasionis " culpa prædictus Presbyter Senaldus pœnæ " pecuniaria Curiæ subjaceret. Et sic Curiæ " judicio tenimentum illud prædicto Monasterio est restitutum; & scriptum quod Presbyter Senaldus inde habuerat, præscripto Abbati reddidit. Et hujus judicii scriptum per " manus Alferii Termularum nostri Notarii " scribi præcepimus pridie Kal. Martii. Indictione XI. in Civitate Sulmonæ.

" Ego Matthæus Archidiaconus signum ✠ " feci.
" Ego Theodericus Judex subscribo.
" Ego Wercius Notarius subscribo, & " manum misi.
" Ego Robertus Algeri de Civitate Theatina subscripsi, & manum misi.

De Cella Sancti Clementis in Lisina à Comite Goffredo reddita cum rebus suis.
Anno 1165.

" IN Dei nomine ab Incarnatione Domini " nostri Ihesu Christi MCLXV. Indictione XIII. die Veneris XII. Kal. Februarii " Regnante Domino nostro VVilielmo Serenissimo atque invictissimo Rege Siciliæ, Ducatus Apuliæ, Principatus Capuæ, Regni " ejus Anno XIII. Animarum salus cùm res " cunctas excellat humanas, tanto de ea præcipuè curandum est, quanto manifestè constat, nos ad æternam vitæ gloriam per eam " luculentum habere aditum. Quapropter ego " Goffridus Dei, & Regis gratiâ Alisinæ Comes, & Regius Justitiarius, cuidam venerabili Monasterio Sanctæ Trinitatis sito in " Insula Piscariæ, quæ Casa-aurea nominatur, " ubi corpus Beati Clementis Papæ & Martyris requiescit, pro anima patris, & matris " meæ, atque consanguineorum nostrorum " omnium, & nostris peccatis, de nostris disposuimus largiri rebus. Primum quidem " quemdam locum prope Alesinam pantano " circundatum versùs Septentrionem, in quo " Ecclesia Beati Clementis quondam fuerat, " nunc autem obruta funditus cernitur, cum " emunitate undique quinquaginta passuum eidem Monasterio ad ædificandum habere jugiter concedimus. Insuper quamdam domum in prædicta Civitate constitutam juxta " domum Marandi Alberti, & prope pantanum, quam Wido de Baro quondam in " feudum tenuerat. Et omnes terras extra Civitatem manentes, scilicet quæ sunt in Castelluczo, & in loco, qui Quattrovalle appellatur, & in Aquadulce, & cunctas alias, " quas prædictus Wido in confinibus dictæ " Civitatis alicubi tenuerat, præter illas, quas " nostri decessores, vel nos alicubi tribuimus. " Et vineam in Insula, quæ olim fuit Ursonis " Aurigemmæ juxta vineam Dauferii Balsami " lar-

" largimur. Præterea prædicti Monasterii quibusque animalibus pascua, & aquam liberè sinè aliquo tributo, & ligna pro construendo ædificio, & pro igne, hominibus, seu Fratribus eidem Ecclesiæ peremptoriter eodem modo damus. Et si quid ab ejusdem Monasterii Prælatis, seu Fratribus, vel hominibus, emptum, aut venditum fuerit, nihil pro plateatico eis auferatur. Et si ex aliqua parte homines attrahere potuerint, vel ad eorum dominium venerint, liberè eos sibi habere concedimus. Donamus etiam duas nicossas in fauce retro Canniczum usque ad mare. Et homines piscatores duos, Falconem Anguillam, W. Rosandi, & filios, filiasve, si habuerint, damus atque largimur. Tali denique conditione, ut jus uniuscujusque suum, quod nobis facere debent, eidem Ecclesiæ dent atque faciant. Sed quia sinè traditione nullarum rerum dicitur subsistere firmitas: ideo te Domnum Leonatem prædicti Monasterii Abbatem venerabilem tecum astante & recipiente tuo Advocato Bibalbo Capialbo, de omnibus rebus præfatis, atque jure universo investivimus, ad habendum, & possidendum tam tu, quàm tui successores in perpetuum. Si verò aliquo in tempore nos, vel nostrorum heredum, aut successorum aliquis hoc removere quæsierimus, eidem Monasterio centum Regales componere obligamus, causa tamen firma omni tempore existente. Quam te Thomam Alesinum Notarium eo modo scribere jussimus. Actum in civitate Alesina, mense, & die mensis, & Indictione supradicta feliciter amen.

" Ego Goffridus Dei, & Regis gratiâ Alesinæ Comes, & Justitiarius hoc breve confirmo.

" Ego Gaidoni de Molisio testis sum.

" ✠ Hoc signum crucis propriæ manus W. de Torpo est.

" ✠ Crucis hujus signo Robertus Malfridi hoc breve confirmo.

" Ego Amor Termolentis Alisinæ Protojudex subscribo.

" ✠ Signum Crucis propriæ manus Quintavallis militis Roberti Pagani est.

" Ego scripto stabile rogatus assero breve.

Regia concessio, ut Castellum Sancti Mauri reædificetur, Anno 1166.

" IN nomine Domini nostri Ihesu Christi. Anno ab Incarnatione ejusdem MCLXVI. Anno verò Domini nostri VVilielmi gloriosissimi Regis Siciliæ Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ Primo, mense Decembris die primo, Indictione XV. Nos Gilibertus Dei, & Regis gratiâ Comes Gravinæ & Magister Capitaneus Apuliæ, & Principatus Capuæ. Propter amorem Domini nostri Ihesu Christi, & pro remedio animarum Dominorum Regum, videlicet Domini Rogerii Regis, & Domini VVilielmi Regis bonæ memoriæ, & ut Deus omnipotens concedat & augeat Regnum, & vitam Domino nostro VVilielmo gloriosissimo Regi: concessimus in Monasterio Insulæ Piscariæ, quæ Casa-aurea vocatur, ubi corpus Sancti Clementis Papæ & Martyris requiescit, & Domno Leonati venerabili Abbati ipsius loci, ut abstraheret homines, quos ipsa Ecclesia habebat in Civitate Sancti Angeli, & poneret illos ad habitandum in ipsa possessione sua, videlicet in Castellari Sancti Mori, & ut supradicta Ecclesia Sancti Clementis liberè & quietè sinè molestatione alicujus ipsos homines in eodem Castello teneat & possideat, sicut alios homines, quos eadem Ecclesia habet in aliis Castellis. Si quis verò contra hanc nostram concessionem temerè ire præsumpserit, omnium suarum rerum jacturam patiatur, & iram Domini nostri gloriosissimi Regis VVilielmi incurrat, & supradicta concessio firma permaneat & stabilis. Datum Sulmonæ, mense, die, & Indictione suprascriptis.

" ✠ Signum propriæ manus supradicti Domini Comitis Gileberti.

" ✠ Signum propriæ manus Domini Rogerii Bisiniani.

" ✠ Signum propriæ manus Domini Samari Regii Camerarii.

" ✠ Ego Petrus Judex Eboli me subscripsi.

De hominibus & rebus à Comite Goffredo in Lisina nobis concessis, Anno 1177.

" IN Dei nomine. Anno ab Incarnatione Domini nostri Ihesu Christi MCLXXVII. Indictione X. die Mercurii VIII. Junii Regnante Domino nostro secundo Guillielmo Dei gratiâ gloriosissimo Rege Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Regni ejus anno XIII. Cùm in quampluribus divinorum verborum alloquiis à malis declinandum, à bonis namque operibus nunquam requiescendum fore censeatur, & pro fidelium defunctorum anima helemosinam dari præcipiatur. Ideoque nos Goffridus Dei & Regiâ gratiâ Comes Alesinæ, & Domini Regis Justiciarius, cuidam venerabili Monasterio Sanctæ Trinitatis sito in Insula Piscariæ, quæ Casa-aurea nominatur, ubi corpus Beati Clementis Papæ & Martyris requiescit, & Domno Leonati Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diacono Cardinali, ejusdem Monasterii religioso Abbati pro anima Patris & Matris meæ, atque consanguineorum nostrorum omnium, & nostris peccatis, de nostris disposuimus largiri rebus. Primùm quidem in civitate nostra Alesinæ homines tres piscatores. Rogerium Donati, Alferium Larini, & Goselmarium filium Marandi, & suos filios, & filias cum eorum hereditagiis, tali quidem conditione, ut jus uniuscujusque suum, quod nobis facere debet, eidem Monasterio dent, atque faciant, damus atque largimur. Donamus etiam Salinam unam in Pantanello Sancti Nicolai, quæ est juxta Salinam Sancti Johannis in Plano cum cocitcis, camporis, & vallone, & partem, quam habemus in flumine Caldulæ. Eodem quoque modo largimur & donamus insuper terram de Albozzeto, & terram in Plano juxta viam Lyadasii, & ex altera parte est terra Raonis Alexandri, & si ex alia parte ad ejus dominium homines venerint, vel attrahere potuerint, liberè eos sibi habere concedimus. Et si quis ex nostris hominibus in vita vel obitu suo in prædicto Monasterio de rebus suis donare voluerit, firmiter & in perpetuum habere concedimus. Sed quia donationes " alid-

„ aliove modo alienationes ut legitimæ celebrentur, absque Judicis notitia fieri non debent: idcirco coram Domino Guillielmo de Isclitella, Rogerio de Baro socio nostro, & Alferio Johannis de Marino nostro Judice Alesinæ præsente, aliisque fidelibus sociis nostris testibus subscriptis, prædictum Monasterium, & Abbatem jam nominatum de omnibus præfatis rebus perenniter investivimus, & jugiter habere concessimus absque Bajulorum molestia. Si verò aliquò in tempore nos vel nostrorum heredum aliquis hoc removere quæsierimus, Regales quinquaginta eidem Monasterio componamus. Causa quoque, & donatio prædicta omni tempore firma permaneat. Quam tibi Thomæ Alesinæ Notario eo modo scribere præcepimus. Actum in Civitate Alesina, Mense, & die Mensis, & Indictione suprascripta.

„ ✠ Ego Goffridus Dei & Regia gratia Comes Alesinæ & Regius Justiciarius hoc breve confirmo.

„ ✠ Ego Rogerius de Baro Socius dicti Comitis sum testis.

„ ✠ Ego Guillielmus de Isclitella testis sum.

„ ✠ Alferius dignus Judex, testisque benignus.

„ ✠ Ego Albericus socius dicti Comitis sum testis.

„ ✠ Ego Guillielmo Flanditius dicti Comitis Camerarius sum testis.

„ ✠ Ego Rainaldus miles sum testis.

„ ✠ Ego Trasmundus Judicis Landulfi sum testis.

De ipso facto. Pro Terra Sansonesca.

„ ALexander Episcopus servus servorum Dei Venerabili fratri J. . . . . Siginin. Episcopo, & dilecto filio Leonati Abbati Sancti Clementis de Piscaria salutem & Apostolicam benedictionem. Ex continentia literarum vestrarum, quas ad nos transmisistis, accepimus, quòd tu fili Abbas in quosdam Clericos de terra Sansonesca, pro eo quòd tibi rebelles extiterunt, & vocati ad Capitulum venire spernentes, Ecclesias de manu Laica recipiunt, & super adulteriis, incestibus, & aliis nefandis criminibus publicè diffamantur: habito Fratrum tuorum consilio, suspensiones, & Interdicti sententiam promulgasti, quam etiam datis multis induciis resipiscendi post longam deliberationem, tu frater Episcope, auctoritate Apostolica confirmasti. Unde quoniam Ecclesiastica Sententia, quæ in malefactores aliquos pro suis excessibus canonicè promulgatur, rata debet & inconvulsa existere: nos sententiam, quam in prædictos Clericos promulgasse noscimini, ratam & firmam habemus, & eam usque ad dignam satisfactionem præcipimus inviolabiliter observari. Datum Beneventi II. Non. Septembris.

De ipso facto pro terra Sansonesca.

„ ALexander Episcopus servus servorum Dei Venerabili Fratri Furconensi Episcopo, & dilectis filiis Pinnen. Valven. & Teatin. Canonicis salutem & Apostolicam Benedictionem. Significavit nobis dilectus filius noster Leonas Abbas Sancti Clementis de Piscaria, quòd Riccardus frater ipsius sibi Ecclesias ejus inreverenter, & in animæ suæ periculum vendicat, & ei debita servitia subtrahens, Clericos ab eodem Abbate pro suis excessibus excommunicatos, & interdictos, contra ipsum, & contra Ecclesiasticam justitiam manutenere, defendere, ac fovere præsumit. Unde cùm ei super hoc literas nostras miserimus, ipse suum excessum recognoscere noluit, nec à sua temeritate aliquo modo cessavit. Quia igitur reatum & præsumptionem ejus in patientia non debemus aliquatenus sustinere: universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus sententiam excommunicationis, vel Interdicti, quam in Clericos suæ jurisdictionis memoratus Abbas pro eorum contumacia & rebellione protulit, per Parochias inconcussè faciatis & inviolabiliter observari, nec eos in Ecclesiis vestris recipiatis. Et quicumque illorum reatum suum in extremis corrigere distulerit; ei præter pœnitentiam & communionem, sepultura, & alia Sacramenta Ecclesiastica penitus denegentur. Riccardus verò, nisi infra XXX. dies post horum susceptionem prædictos Clericos in pertinacia & pravitate sua fovere destiterit, & Abbati, & Monasterio ejus Ecclesias, & alia jura sua pacificè & quietè dimiserit, ad divina officia nullatenus recipiatis, & sibi, si in perversitate ista decesserit, sepulturam Ecclesiasticam denegetis; & si nec sic resipuerit, ipsum publicè excommunicatum denuntietis, & totam terram ejus Interdicto subjiciatis. Si quis autem vestrûm eum receperit, in periculum sui ordinis, si ad aures nostras perlatum fuerit, redundabit. Datum Beneventi IX. Kal. Octobris.

Pro Sancta Maria de Frasinaria, & Sancto Petro de Pompeniano.

„ ADrianus Episcopus servus servorum Dei Venerabili fratri Ginuensi Episcopo salutem & Apostolicam benedictionem. Dilectus filius noster Leonas Abbas Monasterii Sancti Clementis à filiis Gentilis de Brittoli Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Frasinaria, à filiis verò Raonis de Puliano Ecclesiam Sancti Petri de Pompeniano cum possessionibus suis ad jussum Monasterii Pinnensis queritur detineri: Unde quoniam sacrorum Canonum sanctiones, Ecclesias, & dispositionem earum a Laicis quantumcumque religiosis inhibent detineri: per præsentia scripta fraternitati tuæ mandamus, quatinus prædictos viros, ut Ecclesias sub velocitate dimittant, non differas ammonere. Si verò monitis tuis obedire contempserint, canonicam de illis justitiam facere non omittas. Datum Beneventi Idibus Januariis.

Pro rebus in Aprutio.

„ ITem Rainaldo Comiti Aprutii fideli suo. Leonas venerabilis Abbas Sancti Clementis de Piscaria ad Curiam nostram veniens, exposuit majestati nostræ, dicens, quòd quidam homines de terra tua inferunt eidem Monasterio multa injusta de hominibus, & possessionibus suis: quod facias illud „ emen-

„ emendari, ita ut ipse Abbas super hoc ad „ Curiam nostram ulteriùs justè conqueri non „ possit.

De hominio faciendo pro terra Sansonesca.

„ ITem Bartholomæo Gentili, & fratribus „ ejus, Rogerio filio Ricardi, & fratribus „ ejus.

„ Leonas venerabilis Abbas Monasterii San„ cti Clementis de Piscaria ad Curiam nostram „ veniens, exposuit majestati nostræ dicens, „ quòd vos nolitis ei facere pro quadam terra, „ quæ dicitur Sansonesca, quam dicit vos te„ nere à Monasterio suo, illud quod facere „ debetis, quod Pater vester olim fecit præde„ cessori suo. Unde mandamus & præcipimus „ vobis, ut illud ei justè facere debeatis pro „ præfata terra, ut pater vester fecit, & ob„ servavit prædecessori suo felicibus tempo„ ribus progenitorum nostrorum gloriosissimo„ rum Regum, Patris, & Avi nostri reco„ lendæ memoriæ, temporibus scilicet quietis „ & pacis vos faciatis & observetis ei, salva „ in omnibus fidelitate, præcepto & ordina„ tione nostra, & heredum nostrorum secun„ dùm nostram ordinationem.

Pro Sancta Maria in Blesiano.

„ ITem ipse præfatus Abbas conquestus est „ Majestati nostræ dicens, quòd vos non „ sinitis, neque permittitis ei ordinare quam„ dam Ecclesiam suam vocabulo Sanctæ Ma„ riæ in Blesiano constitutam in terra vestra, „ & statuere in ipsa Ecclesia Monachum suum, „ sicut solitus est hactenus eam statuere, & „ ordinare ibidem Monachum suum. Unde „ mandamus & præcipimus vobis, ut si con„ stat, quòd præfata Ecclesia sit de jure Mo„ nasterii Sancti Clementis, liceat eidem Ab„ bati Ecclesiam statuere, & ordinare, sicut „ ei justè pertinet de illa statuenda, & ordi„ nanda.

Pro Ponte faciendo.

„ DIxit etiam, quòd injustè, & sinè ratio„ ne, sola auctoritate vestra diruistis „ quemdam pontem ipsius Monasterii consti„ tutum in quodam loco, in quo licuit eidem „ Monasterio constituisse & habuisse: pro quo „ mandamus, & præcipimus vobis, ut si justè „ & rationabiliter eidem Monasterio illud „ emendetis, ut super eo præfatus Abbas ad „ Curiam nostram iteratam querimoniam non „ deducat.

Pro Censu solvendo.

„ PRoposuit etiam ipse Abbas, quòd vos „ injustè, & sinè ratione, sola auctorita„ te vestra, detinetis ei censum, quem sin„ gulis annis eidem Ecclesiæ dare debetis. „ Quare mandamus & præcipimus vobis illud, „ quod eidem Ecclesiæ de jure dare debetis, „ per integrum & sinè diminutione reddatis.

Pro Rocca Soti, & Ecclesiis, & Clericis ejus.

„ ITem Gentili de Rajano fideli suo salutem „ & dilectionem. Leonas venerabilis Ab„ bas Monasterii Sancti Clementis de Piscaria „ ad Curiam nostram veniens, exposuit maje„ stati nostræ dicens, quòd tu injustè, & sinè „ ratione, sola auctoritate tua, contratenes „ ei quædam jura, quæ de jure & ratione ha„ bere debet de quodam Castello tuo, vide„ licet Rocca Soti. Dixit etiam, quòd tu non „ permittis Clericos ejusdem Castelli facere „ eidem Abbati, quod justè facere debent. „ Unde mandamus tibi & præcipimus, ut ju„ stè & rationabiliter illud emendes, ut idem „ Abbas super hoc reiteratam ad Curiam no„ stram non deducat querelam.

C. *MStus Regius Parisiensis habet hanc periodum referendam ad col.* 908. C.

Textus verò Epistolarum, quas ab Apostolica Sede, & à Regali Curia super rationibus Sancti Clementis, & rebus prædictis acquisivit, in hoc instrumentali volumine scriptæ reperiuntur. *Tenementum Sancti Crisintiani ultra fluvium Cignum locavit, & concessit nobili viro Mallerio de Palene* &c.

Scriptum de Tenemento Sancti Crisintiani factum Mallerio de Palena. Anno 1161.

„ IN nomine Domini nostri Ihesu Christi „ Anno ab Incarnatione Domini MCLXI. „ Indictione V. die XXIII. mensis Novembris „ Regnante Domino nostro Wilielmo glorio„ so Rege Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Prin„ cipatus Capuæ, Anno Regni ejus quinto. „ Scriptum convenientiæ, seu recordationis, „ qualiter nos Leonas Sanctæ Romanæ Ec„ clesiæ Diaconus Cardinalis, & Monasterii „ Sancti Clementis in Piscaria humilis Abbas, „ composuimus atque convenimus tecum, no„ bilis vir Malleri fili quondam Illustrissimi „ viri Mainerii de Palena. Nos siquidem in„ stantia precum tuarum, & amicorum tuo„ rum, nostrorum fidelium consensu, & vo„ luntate omnium etiam fratrum nostrorum, „ Monachorum videlicet, concedimus tibi „ quoddam tenimentum, quod dicitur Sancti „ Crisintiani in territorio Pinnensi ultra flu„ vium, qui dicitur Cignus, in pertinentia „ de Alanne. ad habendum scilicet, tenendum, „ & justè lucrandum ad servitium nostrum & „ successorum nostrorum, & fidelitatem Ec„ clesiæ. Non enim ad vendendum nec cam„ biandum, nec quolibet modo à nostri Mo„ nasterii donatione alienandum. Tali siqui„ dem tenore, ut omnium frugum, & fru„ ctuum, quos de prædicto tenimento recol„ ligere poteris, nutriminis etiam omnium „ animalium tuorum, videlicet jumentorum, „ bovum, ovium, atque porcorum, lanarum„ que, & casei decimas nostro Monasterio „ pro arbitrio nostrorum hominum omni tem„ pore persolvere debeas. Insuper singulis an„ nis in festo Sancti Angeli de Majo de con„ suetudine prandium nostri Monasterii Fra„ tribus facias. Capellano etiam, qui Eccle„ siam Sancti Crisintiani, quam ad manum „ & ordinationem nostram, & successorum „ nostrorum reservavimus, recturus est, per „ unumquemque annum quatuor modia fru„ menti, totidemque vini, & unam cannapi„ nam, quatuor sextariorum seminis, & unum „ bisanteum de moneta pro victu & vestitu „ suo

„ suo liberaliter persolvas. Cùm autem Ecclesiæ, & nobis, seu successoribus nostris opportunum fuerit ad defensionem terræ, & servitium nostrum, in Castella, quæ juxta Monasterium sunt, duos milites armis & equis bene præparatos, in Aprutio, sive in Castellis nostris, quæ fuerint longiùs, unum ad servitium nostrum quantociùs dirigas, sumptus & redditus, tamquam & ceteri homines nostri, à nobis accepturos. Nos siquidem ideo tibi, suprascripte Malleri tribuimus, quia recepimus à te de tuis rebus octoginta Bisanteos ad opus & utilitatem nostri Monasterii, & insuper jurasti portare veram fidelitatem Ecclesiæ Sancti Clementis, & nobis, & successoribus nostris canonicè intrantibus, sicut domino. Videlicet quòd non eris in facto, neque in consilio, qualiter capiamur mala captione, aut perdamus vitam, aut membra; & consilium nostrum, quod celandum fuerit, celabis, & de ipso tenimento à nobis tibi concesso fideliter in omnibus te habebis erga Ecclesiam Beati Clementis, & nos, & successores nostros Abbates. Te verò ex hac vita decedente, heres tuus unus tantum ex omnibus heredibus tuis, qui tibi tuo testamento, & concessione nostra seu successorum nostrorum in suprascripto tenemento successerit, hanc supradictam fidelitatem jurabit, atque portabit, & omnes prædictos tenores, atque conditiones servitiorum, & decimationum studebit, sicut tu ipse, donec advixerit, omnimodis persolvere. Illo autem moriente, aut si fortè finè filio, aut finè filia te obire contigerit, hæc chartula vacua sit. Et totum supradictum tenimentum ex integro cum habitatione, & omnibus ædificiis ibi factis, finè aliqua alicujus contradictione, ad jus & proprietatem Ecclesiæ Sancti Clementis revertatur. Quòd si nos, aut successores nostri, hanc convenientiam infringere, aut tibi retollere, aut minuare ante prædictum terminum, vel finè supradictis conditionibus, temptaverimus, unam libram optimi auri tibi aut heredi tuo nos componere obligamus. Et hæc chartula firma & stabilis usque ad supradictum terminum permaneat. Quòd si tu, vel heres tuus, qui in supradicto Tenimento suprascripto jure successerit, omnes supradictos tenores atque conditiones non servaveritis, aut hanc convenientiam inter nos factam irrumpere temptaveritis, tantumdem auri nostro Monasterio componatis, & hæc chartula vacua sit. Quam ego, & nostri Monasterii Fratres propriis manibus roborando subscripsimus. Et hoc totum factum est finè fraude, & malo ingenio utriusque partis, salva in omnibus fidelitate, atque præcepto Domini nostri VVilielmi gloriosissimi Regis.

„ Ego Leonas Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis, & Abbas Monasterii Sancti Clementis in Piscaria subscripsi.

„ Ego Frater Johannes Berardi Monasterii Sancti Clementis indignus Præpositus subscripsi.

„ Ego Frater Robertus Prior Monasterii Sancti Clementis indignus Decanus subscripsi.

„ Ego Frater Moyses peccator Monachus subscripsi.

„ Ego Frater Robertus de Bussi subscripsi.

„ Ego Frater Oderisius licèt indignus Monachus subscripsi.

„ Ego Frater Berardus ejusdem Monasterii Mansionarius subscripsi.

„ Et ceteri Fratres pro ordine consenserunt.

De Alesina.

„ Spirituali in Christo Patri suo, fratri, & amico plurimum dilecto, Dompno Leonati Sancti Clementis venerabili Abbati Goffridus Dei, & Regis gratia Comes Alesinæ, & Domini Regis Justiciarius salutem, & debitam in Domino reverentiam. Ex obedientiæ debito, & sinceritate dilectionis, quæ nos venerabili Monasterio vestro, & vobis devotos conjungunt, ea qua voluimus exultatione Fratrem Boamundum dilectum in Christo communem fratrem à latere vestro ad nos transmissum honorificè recipientes, petitionibus Monasterii vestri nobis per eum significatis alacriter & sincerè paruimus; partem videlicet Piscariæ in Caldulis, quam in demanio nostro tenemus, petiam terræ quamdam prope pontem Alesinæ, terram, quæ fuit de Bibaldo ad plantandam vineam, & homines duos in Castro vestro utiles concedentes, de quibus Fratri Petro Monacho vestro instrumentum necessarium fieri faciemus. Hæc autem in præsentiarum devoto animo Monasterium vestrum augendo tribuimus, & de cetero divina largiente gratia in majora providebimus. Vobis verò, & Fratribus vestris in beneficiis & orationibus vestris pro nobis apud Dominum sit cura & memoria nostri.

Aliena manu, sed antiqua sequens Epistola conscripta legitur in MSto Regio Parisiensi.

„ Fredericus Dei gratia Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, Principatus Capuæ Capitaneis, Judicibus, & universo Populo Piscariæ fidelibus suis salutem, & dilectionem. Mandamus, & firmiter præcipimus fidelitati vestræ, quatinus omnes possessiones, quas venerabilis Abbas Sancti Clementis fidelis noster in Piscaria tenuit, eum pacificè tenere permittatis, donec ad partes Apuliæ, quod erit Domino disponente in proximo, personaliter veniamus, & quod inde fieri debeat, in mandato nostræ celsitudinis pleniùs cognoscetis.

„ Data Panormi XV. Kalendas Aprilis XII. Indictione.

FINIS.

KALENDARIA
DUO PERVETUSTA
Nunc primùm prodeunt

EX MANUSCRIPTIS CODICIBUS

ALTERUM

BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ,

ALTERUM

APUD

CAMILLUM SITONUM

MEDIOLANENSEM.

IN VETUSTA DUO KALENDARIA
PRAEFATIO
LUDOVICI ANTONII MURATORII.

NOn ad Eruditionem tantum Ecclesiasticam, sed & ad profanam conferre aliquid possunt vetusta *Kalendaria*, quorum multa adhuc in mebranis scripta antiquitatem redolent, nobisque ex illa se plurimum commendant. Et profecto quaecumque obvia ego hactenus habui, continuo diligenti cura scrutabar, ut si quid inde exprimi posset, ad publicae rei commodum in meas tabulas referrem. Et duo quidem ex iis olim describebam, quum Mediolani essem; unum videlicet ex membranaceo Codice MSto optimae notae, & antiquitatis non levis, adservato in Ambrosiana Bibliotheca; alterum ex Codice scripto, si bene memini, ante septingentos annos, quem mihi pro sua humanitate commodaverat Camillus Sitonus, vir quondam inter Mediolanenses rerum suae Patriæ studiosissimus. Porro utrumque edere statui, tamquam rudera veteris eruditionis non contemnenda; nimirum ut hinc etiam eruditionis cultores colligant, qui dies festi olim usurparentur apud Mediolanenses, & qualis Cyclus in usu esset, & quae ratio *Computi Ecclesiastici*, quo nomine significabatur scientia cursus Solis & Lunae ad Pascha inveniendum. Diligenter etiam animadvertatur, non Kalendis Septembris, sed VIII. Kal. Octobris olim immutari consuevisse cursum *Indictionum*. Adjectae quoque sunt in Sitoniano notae quaedam Historicae, quae diem & annum certum signare solent alicujus praeteriti humani eventus, ac propterea lubentius in promtuarium hoc à me illatae. Sed praecipue quisquis ad haec inspicienda accedet, oculos intendat velim in *Dies Aegyptiacos*, qui in utroque Kalendario semel aut bis tam religiose singulis mensibus signantur. Quid rei est hoc? aliquis a me petat: neque injuriâ petat; hinc enim ad agnoscendum ducimur ridendam opinionem, simulque ritum multis incommodis conjunctum, quae olim apud Majores nostros altas jecere radices, & per plurima Secula inter ipsos Christianos accurate sunt observata. *Aegyptiaci* ergo *dies* antiquitus appellabantur certi quidam Mensium dies, quos infaustos, & infortunia hominibus, infelicemque negotiis tunc susceptis exitum portendentes, Astrologi Aegyptiaci olim somniarant. Proinde superstitiosa haec opinio ita invaluit, ut creduli non pauci iis diebus sibi solicite caverent a nuptiis contrahendis, a praedio emendo, a sectione venae, ab itinere ineundo, a proelio, atque ab aliis alicujus momenti rebus. Neque rudibus tantum Seculis invecta superstitio. Adnotantur quoque *Dies Aegyptiaci* in vetustissimo Kalendario, Constantio I. imperante scripto, quod publici juris fecere Bucherius, & Lambecius. Et quidem Lambecius vir cetera eruditus, Tom. IV. Biblioth. Vindobonensis, ingenue fatetur, sibi non liquere, quidnam ibi significent ejusmodi dies. Audi nunc Sanctum Ambrosium in Epistola XXIII. ad Episcopos Aemiliae. *Sed aliud est*, inquit, *observare gentilitio more, ut qua Luna quid adoriendum sit judices, ut puta quintam esse fugiendam, nihilque ea inchoandum: varios quoque cursus Lunae obeundis negotiis commendare; vel cavere quosdam dies, quemadmodum plerique posteros dies, vel Aegyptiacos declinare consueverunt.* Consonat & Sanctus Augustinus in Commentar. Epistol. ad Galatas, scribens: *Plena sunt conventicula nostra hominibus, qui tempora a Mathematicis accipiunt. Jam vero ne aliquid inchoetur aut aedificiorum aut hujusmodi quorumlibet operum diebus, quos Aegyptiacos vocant, saepe etiam nos monere non dubitant, nescientes, uti dicitur, ubi ambulant.* Transiit igitur ad posteriora quoque Secula inanis hic metus, diuque viguit in eorum quoque animis, qui prudentiæ leges sequi pre ceteris cupiebant. Ut omittam, quae in hanc rem adfert eruditissimus Du-Cangius in Glossario, videndus Rolandinus Patavinus in Chronico Lib. III. Cap. IX. ubi rem male gestam, quia Aegyptiaco die susceptam, narrat. Ego vero inter Ambrosianae Bibliothecae MStos Codices plura opinionis hujus Ethnicae vestigia deprehendi. In duobus enim Codicibus iisdem fere verbis hæc leguntur: *Sciendum est, quod in quolibet mense sunt duo dies Aegyptiaci, idest ab Aegyptiacis deprehensi. Periti Astrologi in Aegypto quasdam constellationes nocivas humanis actibus in singulis mensibus invenere, ideoque illos notos hominibus fa-*

cere

cere voluerunt. Reliqua ibi scripta dimitto, quod animadverterim desumta e Rationali Durandi Lib. VIII. Cap. IV. Clauditur autem narratio his verbis: *Ecclesia fidem talibus prohibet adhiberi*.

In altero ejusdem Bibliothecae Codice ante sexcentos annos, ut mihi videbatur, conscripto, adferebantur versus, incomti profecto & rudes, quibus singuli dies Aegyptiaci designabantur. Eos huc adferre mihi liceat, quod in iis etiam indicetur hora periculosior ejusdem diei.

Jan.	*Nona prote Jani vae sibilat hora diei.*
	Septima fine dies, in quinta parvulus est serps.
Febr.	*In quarto Februi fas est octava timeri.*
	Tertia lux decima de cuspide laedit in hora.
Mart.	*Prima notat primam lux Martis mordicus horam:*
	Quarta dies nequam damnat de fine secundam.
Apr.	*Lux parit Aprilis decimam primam velut anguis.*
	Clamat in undecimo de cuspide nona nociva.
Mad.	*Tertius est Judas in Majo, sextaque Elisas.*
	Septimus in decima serpens est lividus bora.
Jun.	*Juni dena dies, in quinta constat Osites.*
	Quindenus quarta vocat horam fine sagitta.
Jul.	*Terdecimo Juli stat linea dena timeri.*
	In nona decimus de cuspide fit basiliscus.
Aug.	*Gernitur Augustus prima nepa primae diei.*
	Est in septena lux noxia fine secunda.
Sep.	*Tertia Septembris, in quinta quaeritur hostis.*
	Et pede dena dies, in quarta funeris hospes.
Oct.	*Tertius Octubris, in quinta quaeritur hostis.*
	Nititur undecimo fore pestis linea nona.
Nov.	*Est acus octava lux quinta Novembris in hora.*
	A pede terna manet, cui pessima quinque cohaeret.
Dec.	*In prima Cancri lux est septena Decembris.*
	Sic nocet undecimus, septaque mortalibus hora.

In eadem Bibliotheca adservatur alter Codex, Kalendarium complectens, in quo *Dies Aegyptiacos* adnotatos animadverti. Aetatem vero Codicis ex subsequentibus verbis disce: *Si vis scire Concurrentem praesentis Anni, Annos Domini, qui sunt M. & LXXXVIII., in quatuor partes divide*. Rursus in altero pervetusto Codice ejusdem Bibliothecae legendum se spectat Kalendarium, ut arbitror, Monasticum Hispanicum, ubi suis locis diligentissime adscriptos vidi *Aegyptiacos dies*: tam longe lateque se effuderat haec olim veluti ab astris delapsa opinio. Ibi vero praeter alios recensentur hi dies festi

XV. Kal. Februarii S. Sulpicii Episcopi & Confessoris.
XII. Kal. Febr. Fructuosi Episcopi, & Augurii, & Eulogii MM.
X. Kal. Febr. Ildefonsi Episcopi Confessoris.
VIII. Id. Febr. Vedasti, & Amandi Episcoporum.
Kal Martii. Albini Episcopi, & Nicephori M.
V. Non. Mart. Emetherii, & Celidonii MM.
Prid. Non. Mart. Juliani Episcopi Confessoris.
III. Id. Mart. Leandri Episcopi Confessoris.
V. Kal. April. Translatio Sancti Enneconis Abbatis.
V. Kal. Maji. Prudentii Episcopi Confessoris.

Cetera praetermitto. Ibi quoque fragmentum habetur, quod excidere non sum passus, videlicet:

Aera XXXVIII. Jesus Christus in Bethleem natus est.
Aera XLVII. Herodes Rex occidit infantes.
Aera LXIX. Dominus ad passionem venit.
Aera CVIII. Petrus & Paulus passi sunt.
Aera CXXXVIII. Johannes Evangelista assumtus est.
Aera CXLVI. Philippus & Simon passi sunt.
Aera CCXL. passi sunt Facundus & Primitivus.
Aera CCXLVII. passa est Sancta Caecilia.
Aera CCCLXXXII. obiit Sanctus Martinus.
Aera DCLVI. prophetavit Mahomat.
Aera DCXL. obiit Leander Episcopus.
Aera DCXLII. obiit Sanctus Emilianus.
Aera DCLXXIV. obiit Isidorus Episcopus.
Aera DCCCCLXIV. passus est Beatus Pelagius.

Aera

Aera MCCIX. passus est Sanctus Thomas Cantuariensis.
Aera MXC. obiit Beatus Enneco.
Aera MCXI. obiit Sanctus Dominicus.
Aera MCCI. obiit Beatus Johannes de Urteca.

Porro tam pertinaciter *Aegyptiacorum Dierum* superstitio contra Ecclesiae vocem progressa est, ut vel in Missali Ambrosiano typis edito, si bene memini, Anno 1522. eosdem ego adnotatos viderim. Ridebunt fortasse nonnulli nimiam credulitatem, & imprudentem metum Majorum nostrorum; nostraque tempora ab hujusmodi falsa opinione libera tamquam sapientiora extollent: quasi non adhuc etiam sint, qui certos dies veluti infaustos ad negotia inchoanda rite observent, & Hispanicum quoddam proverbium prae oculis semper habeant. Apud nos etiam, atque finitimos Populos, nemo fere est, qui per integrum mensem Majum uxorem ducere audeat, superstitiosa nempe opinione ab ipsis usque Ethnicis in nos derivata. Adversus hujusmodi deliria scribebat olim Johannes Gersonius in Tractat. de observatione dier. Tom. I. part. II. Videant alii, an & ipse surdis caneret.

KALENDARIUM
AMBROSIANÆ BIBLIOTHECÆ.

Mensis JANUARIUS habet dies XXXI. Luna XXX.

A.	a.	A.	Kal.	Circumcisio D. N. J. C. & S. Martinæ Virg. dies Ægyptiaca.
	b.	B.	IV. Non.	Octava S. Stephani.
B.	c.	C.	III. Non.	Octava S. Johannis.
	d.	D.	II. Non.	Octava Innoc.
C.	e.	E.	Nonæ.	Vigilia Epiphaniæ.
	f.	F.	VIII. Idus.	Epiphania Domini.
D.	g.	G.	VII. Idus.	Initium Quadragesimæ D. N. J. C.
	h.	A.	VI. Idus.	
E.	i.	B.	V. Idus.	
	K.	C.	IV. Idus.	Pauli primi Heremitæ.
F.	l.	D.	III. Idus.	Reversio Domini de Ægypto.
	m.	E.	II. Idus.	
G.	n.	F.	Idus.	Octava Epiphaniæ. Hilarii Episcopi & Confessoris.
	o.	G.	XIX. Kal. Febr.	Felicis Presbyteri & Confessoris.
H.	p.	A.	XVIII.	Mauri Abbatis.
	q.	B.	XVII.	Marcelli Papæ & Martyris.
I.	r.	C.	XVI.	Depos. Antonii Monachi. Savini Episcopi & Confessoris.
	s.	D.	XV.	Priscæ Virginis. Romæ Cathedra S.Petri. Sol in Aquario, quia Johannes Bap. in Jordane Salvatorem baptizat.
K.	t.	E.	XIV.	
	u.	F.	XIII.	Fabiani, atque Sebastiani Martyrum.
L.	a.	G.	XII.	Agnetis Virginis.
	b.	A.	XI.	Vincentii Martyris.
M.	c.	B.	X.	
	d.	C.	IX.	
N.	e.	D.	VIII.	Conversio S. Pauli Apostoli & Projecti Mart. Dies hor. 11. Ægypt.
	f.	E.	VII.	
O.	g.	F.	VI.	
	h.	G.	V.	Agnetis secundò.
A.	i.	A.	IV.	
	K.	B.	III.	
B.	l.	C.	II.	Geminiani Confessoris.

Nox hor. XVI. dies VIII. punct. III. & ostenta III.

Versus de dieb. Ægypt. — *Jani prima dies, & septima fine timetur.*

Versus de XII. mens. III. Reg. Fr. VI. Reg. Lun. X. — *Hic mensis in horarum spatio cum Decembrio mense convenit. Primus Romanas ordiris Jane Kalendas. Græcorum mensis Periceos. Signum Aquarii. Apud Hebræos Sabath. Ægyptios Methir. Macedones Periciut. Mense Numæ in medio Soli distat Sydus Aquarii.*

Mensis FEBRUARIUS habet dies XXVIII. Luna XXIX.

C.	m.	D.	Kal.	
	n.	E.	IV. Non.	
D.	o.	F.	III.	
	p.	G.	II.	Hor. III. secundùm Græcos Fidicula vesperè occidit. Dies Ægypt.
E.	q.	A.	Non.	
	r.	B.	VIII. Idus.	Hic accenditur Luna initium Quadragesimæ.
F.	s.	C.	VII.	Ver inchoat secundùm Græcos. Habet dies XCI. hor. III.
	t.	D.	VI.	Hic aliquando initium Quadragesimæ invenitur.
G.	u.	E.	V.	Ab hinc S. Aug. usque in V. Id. Maji. Vernale tempus decernit.
	a.	F.	IV.	
H.	b.	G.	III.	
	c.	A.	II.	Infernus factus est.
I.	d.	B.	Idus.	
	e.	C.	XVI. Kal. Mart.	
K.	f.	D.	XV.	Sol in Pisce, pro eo quòd Jona Propheta in ventre cœti fuit in hoc mense.
	g.	E.	XIV.	
L.	h.	F.	XIII.	Initium bissexti.
	i.	G.	XII.	
M.	K.	A.	XI.	

	l.	B.	X.	
N.	m.	C.	IX.	Hor. IV. Decies millia Martyrum. Ver inchoat secundùm Latinos. Habet dies XCI.
	n.	D.	VIII.	
O.	o.	E.	VII.	
A.	p.	F.	VI.	
	q.	G.	V.	Hic inseritur bissextus.
B.	r.	A.	IV.	
	s.	B.	III.	
C.	t.	C.	II.	

Nox hor. XIV. dies X. punct. III. & ostenta IV.

Versus de diebus Ægypt. — *Ast Februi quartæ, præcedit tertia finem.*
Hic mensis in horarum mensura cum Novembrio concordat.

Versus de XII. mens. III. Reg. Fr. V. Reg. Lun. X. — *Februa vicino mense Numa construit.*
Græcorum mensis Distros. Signum Piscis.
Apud Hebræos Adar. Ægyptios Famenoth. Macedones Dirisius.
Procedunt duplices in Marcio tempore Pisces.

Mensis MARTIUS dies XXXI. Luna XXX.

	a.	D.	Kal.	dies Ægypt.
D.	b.	E.	VI. Non.	
	c.	F.	V.	
E.	d.	G.	IV.	
	e.	A.	III.	Hic accenditur Luna septimi Embolismi, qui est ultimus Endecadis.
F.	f.	B.	II.	Hic oritur Luna tertii Embolismi, qui est octavus Ogdoadis.
	g.	C.	Non.	
G.	h.	D.	VIII. Id.	Prima incensio Lunæ Paschalis.
	i.	E.	VII.	
H.	K.	F.	VI.	
	l.	G.	V.	
I.	m.	A.	IV.	
	n.	B.	III.	
K.	o.	C.	II.	Hic aliquando initium Quadragesimæ invenitur. De VI. Id. Febr. usque hic currit.
	p.	D.	Id.	
L.	q.	E.	XVII. Kal Apr.	
	r.	F.	XVI.	
M.	s.	G.	XV.	Primus dies Seculi. Sol in Ariete, pro eo quòd Abraham Arietem obtulit Domino pro Isaac filio suo.
	t.	A.	XIV.	
N.	u.	B.	XIII.	
	a.	C.	XII.	S. Benedicti. Equinoctium secundùm Græcos. Primus terminus Paschalis.
O.	b.	D.	XI.	Primum Pascha, & sedes Epactarum.
	c.	E.	X.	Adam plasmatus est.
A.	d.	F.	IX.	Concurrentium locus. Hor. VI.
	e.	G.	VIII.	Adnuntiatio S. Mariæ. Dominus Crucifixus est. Equinoctium secundùm Latinos. Johannes capite minutus est, sicut in Computo Lucæ invenimus.
B.	f.	A.	VII.	
	g.	B.	VI.	Resurrectio Domini Nostri.
C.	h.	C.	V.	
	i.	D.	IV.	
D.	K.	E.	III.	
	l.	F.	II.	

Nox hor. XII. dies XII. punct. VI. & ostent. IV.

Versus de dieb. Ægypt. — *Martis prima necat, cujus in cuspide quarta est.*
Hic mensis ad deprehendendas horas consentit Octubri.

Versus de die mensis V. Regul. Kal. I. Regul. Lun. X. — *Martis antiqui primordia protulit anni.*
Græcorum mensis Xanticos. Signum Arietis.
Apud Hebræos Nisan; Egyptios Pharmuthi. Macedones Santicus.
Respicis Aprilis aries Phrixee Kalendas.

Mensis APRILIS dies XXX. Luna XXIX.

E.	m.	G.	Kal.	
	n.	A.	IV. Non.	
F.	o.	B.	III.	
	p.	C.	II.	

G.	q.	D.	Non.	Depositio S. Ambrosii. Ultima incensio Lunæ Paschalis.
	r.	E.	VIII. Id.	
H.	ſ.	F.	VII.	Hor. VII.
	t.	G.	VI.	
I.	u.	A.	V.	
	a.	B.	IV.	Dies Ægyptiaca.
K.	b.	C.	III.	
	c.	D.	II.	S. Zenonis Episcopi. Diluvium factum est.
L.	d.	E.	Idus.	
	e.	F.	XVIII. Kal. Maji.	
M.	f.	G.	XVII.	
	g.	A.	XVI.	
N.	h.	B.	XV.	Sol in Tauro, quia Jacob ſicut taurus cum Angelo luctatus est in Bethel.
	i.	C.	XIV.	Ultima XIV. Luna Paschalis.
O.	K.	D.	XIII.	
A.	l.	E.	XII.	Hor. VII. ſecundùm Græcos. Dies Ægyptiaca.
	m.	F.	XI.	
B.	n.	G.	X.	
	o.	A.	IX.	Hor. VIII.
C.	p.	B.	VI.I.	
	q.	C.	VII.	Letaniæ majores. Ultimum Pascha.
D.	r.	D.	VI.	
	ſ.	E.	V.	
E.	t.	F.	IV.	
	a.	G.	III.	
F.	b.	A.	II.	

Nox hor. X. dies XIV. punct. III. & oſtent. III.

Verſus de dieb. Ægypt. — *Aprilis decima eſt, undena à fine minatur.*

Hujus menſis horæ horis menſis Septembris æquantur.

Verſus de XII. menſ. Reg. Kal. III. Reg. Lun. XI. — *Fructiferum Aprilem vindicat alma Venus.*

Græcorum menſis Artemiſios. Signum Tauri.

Apud Hebræos Jar. Ægypt. Pachon. Macedones Artemiſius.

Majus Agenorei miratur cornua Tauri.

Menſis MAJUS dies XXXI. Luna XXX.

	c.	B.	Kal.	Philippi, & Jacobi. Initium prædicationis D. N. J. C.
G.	d.	C.	VI. Non.	
	e.	D.	V.	Dies Ægyptiaca.
H.	f.	E.	IV.	
	g.	F.	III.	Aſcenſio Domini ad Cœlos.
I.	h.	G.	II.	
	i.	A.	Non.	Hor. IX.
K.	K.	B.	VIII. Id.	
	l.	C.	VII.	Ortus Vergiliarum. Æſtas inchoat ſecundùm Græcos.
L.	m.	D.	VI.	
	n.	E.	V.	Ab hinc S. Aug. uſque in V. Id. Aug. æſtivum tempus decernit.
M.	o.	F.	IV.	
	p.	G.	I I.	Arcturi occaſus.
N.	q.	A.	II.	
	r.	B.	Idus.	Prim. Pentec.
O.	ſ.	C.	XVII. Kal. Jun.	
A.	t.	D.	XVI.	
	u.	E.	XV.	Sol in Geminis, quia Adam, & Eva de uno corpore facti ſunt in Paradiſo.
B.	a.	F.	XIV.	
	b.	G.	XI.I.	
C.	c.	A.	XII.	
	d.	B.	XI.	
D.	e.	C.	X.	
	f.	D.	IX.	Æſtas inchoat ſecundùm Latinos habet XCII. dies hor. X.
E.	g.	E.	VIII.	Dies Ægypt.
	h.	F.	VII.	
F.	i.	G.	VI.	
	K.	A.	V.	Sepulcrum Domini à Saracenis ſuccenſum eſt.
G.	l.	B.	IV.	
	m.	C.	III.	
H.	n.	D.	II.	

Nox hor. VIII. dies XVI. punct. III. & oſtent. VIII.

Verſus de dieb. Ægypt. — *Majo tertius eſt lupus, & ſeptimus anguis.*
Hic menſis in horarum menſuris reſpondet Auguſto.

Verſ. de XII. menſ. VI. Reg. Kal. VI. Reg. Lun. XII. — *Majorum dictus Patrum de nomine Majus.*
Græcorum menſis Deſios. Signum Gemini.
Apud Hebræos Siban. Ægyptios Parni. Macedones Deſius.

Menſis JUNIUS dies XXX. Luna XXIX.

	o.	E.	Kal.	
I.	p.	F.	IV. Non.	
	q.	G.	III.	
K.	r.	A.	II.	
	ſ.	B.	Non.	
L.	t.	C.	VIII. Id.	
	u.	D.	VII. Id.	Hor. XI.
M.	a.	E.	VI.	
	b.	F.	V.	
N.	c.	G.	IV.	Dies Ægyptiaca.
	d.	A.	III.	Hìc incohantur terreſtres dies.
O.	e.	B.	II.	
	f.	C.	Idus.	
A.	g.	D.	XVIII.	
	h.	E.	XVII.	
B.	i.	F.	XVI.	Dies Ægypt.
	K.	G.	XV.	Sol in Cancro, quia Job Propheta canarius fuit.
C.	l.	A.	XIV.	
	m.	B.	XIII.	
D.	n.	C.	XII.	Solſtitium ſecundùm Græcos.
	o.	D.	XI.	
E.	p.	E.	X.	Hor. XII.
	q.	F.	IX.	
F.	r.	G.	VIII.	Solſtitium ſecundùm Latinos.
	ſ.	A.	VII.	
G.	t.	B.	VI.	
	a.	C.	V.	
H.	b.	D.	IV.	
	c.	E.	III.	
I.	d.	F.	II.	

Nox hor. VI. dies XVIII. punct. IV. & oſtent. VI.

Verſus de dieb. Ægypt. — *Junius in decimo quindeno à fine ſalutat.*
Hic menſis cum Julio horarum ſibi æqua ſpatia contulerunt.

Verſus de XII. menſ. VIII. Reg. Kal. I. Reg. Lun. XIII. — *Junius æſtati proximus eſt titulo.*
Græcorum menſis Panenos. Signum Cancri.
Apud Hebræos Thamul. Ægyptios Epithi. Macedones Panenos.
Solſtitio ardentis Cancri fert Junius aſtrum.

Menſis JULIUS dies XXXI. Lun. XXX.

	e.	G.	Kal.	
K.	f.	A.	VI. Non.	
	g.	B.	V.	
L.	h.	C.	IV.	
	i.	D.	III.	
M.	K.	E.	II.	
	l.	F.	Non.	
N.	m.	G.	VIII. Id.	Hor. I. nocte creſcit.
	n.	A.	VII.	
O.	o.	B.	VI.	
A.	p.	C.	V.	
	q.	D.	IV.	
B.	r.	E.	III.	Dies Ægypt.
	ſ.	F.	II.	
C.	t.	G.	Idus.	Hìc inchoantur dies caniculares.
	u.	A.	XVII. Kal. Aug.	
D.	a.	B.	XVI.	
	b.	C.	XV.	Sol in Leone, pro eo, quòd Daniel Propheta in lacum Leonum miſſus fuit.
E.	c.	D.	XIV.	

d.

	d.	E.	XIII.	
F.	e.	F.	XII.	
	f.	G.	XI.	Dies Ægypt.
G.	g.	A.	X.	Hic intrat Sol in signum Leonis. Hor. II.
	h.	B.	IX.	
H.	i.	C.	VIII.	
	K.	D.	VII.	
I.	l.	E.	VI.	
	m.	F.	V.	
K.	n.	G.	IV.	Saltus Lunæ.
	o.	A.	III.	
L.	p.	B.	II.	

Nox hor. VIII. dies XVI. punct. II. & ostent. VIII.

Vers. de dieb. Ægypt. — *Terdecimus Julii decimo innuit ante Kalendas.*

Versus de XII. mens. IX. Reg. Kal. IV. Reg. Lun. XIV. — *Julii, & Junii horas per mensuram Libra composuit.*
Nomine Cæsareo Quintilem Julius auget.
Græcorum mensis Jov. Signum Leonis.
Apud Hebræos Ab. Ægyptios Messore. Macedones Loos.
Augustum mensem Leo fervidus igne perurit.

Mensis AUGUSTUS *dies* XXXI. *Lun.* XXIX.

	q.	C.	Kal.	Dies Ægyptiaca.
M.	r.	D.	IV. Non.	Hic nascitur Luna Sexti Embolismi.
	s.	E.	III.	
N.	t.	F.	II.	
	u.	G.	Non.	
O.	a.	A.	VIII. Id.	Hor. III.
A.	b.	B.	VII.	Ortus Plejadum. Autumnus inchoat secundùm Græcos.
	c.	C.	VI.	Hor. IV.
B.	d.	D.	V.	
	e.	E.	IV.	Hinc S. Aug. usque in V. Id. Nov. Autumnum esse confirmat.
C.	f.	F.	III.	
	g.	G.	II.	
D.	h.	A.	Id.	
	i.	B.	XIX. Kal. Sept.	
E.	K.	C.	XVIII.	
	l.	D.	XVII.	
F.	m.	E.	XVI.	
	n.	F.	XV.	Sol in Virgine, quia Maria Virgo Filium genuit.
G.	o.	G.	XIV.	
	p.	A.	XIII.	
H.	q.	B.	XII.	
	r.	C.	XI.	
I.	s.	D.	X.	Hor. IV. Hic intrat Sol in signum Virginis.
	t.	E.	IX.	
K.	a.	F.	VIII.	Autumnus inchoat secundùm Latinos.
	b.	G.	VII.	
L.	c.	A.	VI.	
	d.	B.	V.	
M.	e.	C.	IV.	
	f.	D.	III.	Dies Ægyptiaca.
N.	g.	E.	II.	

Nox hor. X. dies XIV. punct. I. & ostenta IV.

Versus de dieb. Ægypt. — *Augusti nepa prima fugat de fine secunda.*

Versus de XII. mens. X. Reg. Kal. VII. Reg. Lun. V. — *Hic mensis cum Majo par Solis cursus æquabit,*
Augustum nomen Cæsareum sequitur.
Græcorum mensis Gorpheos. Signum Virginis.
Apud Hebræos Elul. Ægyptios Thobor. Macedones Gorpheus.
Sidere Virgo tuo Bacchum September opimat.

Mensis SEPTEMBER *dies* XXX. *Lun.* XXX.

	h.	F.	Kal.	Hic inchoant Epactæ Lunares.
O.	i.	G.	IV. Non.	Hic oritur Luna secundi Embolismi.
	K.	A.	III.	Dies Ægyp.
A.	l.	B.	II.	
	m.	C.	Non.	
B.	n.	D.	VIII. Id.	
	o.	E.	VII.	Hor. V.

C.	p.	F.	VI.	
	q.	G.	V.	
D.	r.	A.	IV.	
	ſ.	B.	III.	
E.	t.	C.	II.	
	u.	D.	Idus.	
F.	a.	E.	XVIII. Kal. Octob.	
	b.	F.	XVII.	
G.	c.	G.	XVI.	
	d.	A.	XV.	Sol in Libra, quia Judas Iſcharioth ad ſtateram pretium Salvatoris appendit.
H.	e.	B.	XIV.	
	f.	C.	XIII.	
I.	g.	D.	XII.	Equinoctium Autumnale ſecundùm Græcos.
	h.	E.	XI.	Dies Ægyptiaca.
K.	i.	F.	X.	
	K.	G.	IX.	Hìc intrat Sol in Signum Libræ. Hor. VI.
L.	l.	A.	VIII.	Equinoctium ſecundùm Latinos. Hinc incipit Indictio.
	m.	B.	VII.	
M.	n.	C.	VI.	In anno ſaltus hìc finitur Luna Sept. quaſi XXIX. fuiſſent.
	o.	D.	V.	
N.	p.	E.	IV.	
	q.	F.	III.	
O.	r.	G.	II.	

Nox hor. XII. dies XII. punct. I. & oſtent. VIII.

Verſ. de dieb. Ægypt.	*Tertia Septembris vulpis ferit à pede denam.*
	Septembris & Aprilis dies horis ſimilibus conferuntur.
Verſ. de XII. menſ. XI. Reg.	*Autumno poma nata September vegetat*
Kal. II. Reg. Lun. V.	*Græcorum menſis Hyperberetheos. Signum Libræ.*
	Apud Hebræos Thiſri. Ægyptios Paun. Macedones Hyperberetheus
	Æquat & Octobrem ſementis tempore Libra.

Menſis OCTOBER *dies XXXI. Luna XXIX.*

A.	ſ.	A.	Kal.	
	t.	B.	VI. Non.	
B.	u.	C.	V.	Dies Ægypt.
	a.	D.	IV.	
C.	b.	E.	III.	
	c.	F.	II.	
D.	d.	G.	Non.	
	e.	A.	VIII. Id.	Hor. VII.
E.	f.	B.	VII.	
	g.	C.	VI.	
F.	h.	D.	V.	
	i.	E.	IV.	
G.	K.	F.	III.	
	l.	G.	II.	
H.	m.	A.	Id.	
	n.	B.	XVII. Kal. Nov.	
I.	o.	C.	XVI.	
	p.	D.	XV.	Sol in Scorpioni, quia Pharao per concupiſcentiam merſus eſt in mari Rubro.
K.	q.	E.	XIV.	
	r.	F.	XIII.	
L.	ſ.	G.	XII.	
	t.	A.	XI.	Dies Ægypt.
M.	a.	B.	X.	Hìc intrat Sol in Scorpionem. Hor. VII.
	b.	C	IX.	
N.	c.	D.	VIII.	
	d.	E.	VII.	
O.	e.	F.	VI.	
	f.	G.	V.	
A.	g.	A.	IV.	
	h.	B.	III.	
B.	i.	C.	II.	

Nox hor. XIV. dies X. punct. I. & oſtent. IV.

Verſ. de dieb. Ægypt.	*Tertius Octobris gladius, decem in ordine nectit.*
	Octuber Martium ſimilibus umbris fecit æquari

Verſ.

Verſ. de XII. menſ. XII. Reg. Kal. V. Reg. Lun. VII.

Triticeo October fœnore ditat agros.
Græcorum menſis Dios. Signum Scorpionis.
Apud Hebræos Manſua. Ægyptios Athir. Macedones Dios.
Scorpius hybernum præceps jubet ire Novembrem.

Menſis NOVEMBER *dies* XXX. *Luna* XXX

C.	K.	D.	Kal.	
	l.	E.	IV. Non.	Hìc naſcitur Luna quinti Emboliſmi.
D.	m.	F.	III.	
	n.	G.	II.	
E.	o.	A.	Non.	Dies Ægypt.
	p.	B.	VIII. Id.	Hor. IX.
F.	q.	C.	VII.	Hyems initium ſumit ſecundùm Græcos, habet dies XCII.
	r.	D.	VI.	
G.	ſ.	E.	V.	
	t.	F.	IV.	
H.	u.	G.	III.	
	a.	A.	II.	
I.	b.	B.	Id.	
	c.	C.	XVIII.	Kal. Decemb. Initium Quadrageſimæ ante Natale Domini.
K.	d.	D.	XVII.	
	e.	E.	XVI.	
L.	f.	F.	XV.	Sol in Sagittario, quia David Rex belligerator fuit contra Goliath.
	g.	G.	XIV.	
M.	h.	A.	XIII.	
	i.	B.	XII.	
N.	K.	C.	XI.	
	l.	D.	X.	
O.	m.	E.	IX.	Hor. X.
	n.	F.	VIII.	Hìc hyems inchoat ſecundùm Latinos.
A.	o.	G.	VII.	
	p.	A.	VI.	
B.	q.	B.	V.	
	r.	C.	IV.	Dies Ægypt.
C.	ſ.	D.	III.	
	t.	E.	II.	

Nox hor. XVI. dies VIII. punct. I. & oſtent. IV.

Verſ. de dieb. Ægypt.

Quinta Novembris acus, vix tertia manſit in urna.
Novembrem, & Februarium ratio temporis in horas duxit æquales.

Verſ. de XII. menſ. I. Reg. Fer. VII. Reg. Lun. VII.

Sidera præcipitas pelago in tempeſtate November.
Græcorum menſis Apelæus. Signum Sagittarii.
Apud Hebræos Casleu, Ægyptios Caſe, Macedones Apelæus.
Terminat Arcitenens medio ſua ſigna Decembre.

Menſe DECEMBRI *dies* XXXI. *Luna* XXIX.

D.	u.	F.	Kal.	
	a.	G.	IV. Non.	Hìc accenditur Luna primi Emboliſmi.
E.	b.	A.	III.	
	c.	B.	II.	Hìc oritur Luna quarti Emboliſmi.
F.	d.	C.	Non.	
	e.	D.	VIII. Id.	Hor. XI.
G.	f.	E.	VII.	
	g.	F.	VI.	
H.	h.	G.	V.	
	i.	A.	IV.	
I.	K.	B.	III.	
	l.	C.	II.	Dies Ægypt.
K.	m.	D.	Idus.	
	n.	E.	XIX. Kal. Jan.	
L.	o.	F.	XVIII.	Dies Ægypt.
	p.	G.	XVII.	
M.	q.	A.	XVI.	
	r.	B.	XV.	Sol in Capricorno, pro eo quòd Eſau pro cupiditate venatûs perdidit benedictionem.
N.	ſ.	C.	XIV.	
	t.	D.	XIII.	
O.	a.	E.	XII.	Solſtitium ſecundùm Græcos.
A.	b.	F.	XI.	
	c.	G.	X.	

B.

1034

B.	d.	A.	IX.	Vigilia Natalis Domini. Hor. XII.
	e.	B.	VIII.	
C.	f.	C.	VII.	
	g.	D.	VI.	
D.	h.	E.	V.	
	i.	F.	IV.	
E.	K.	G.	III.	
	l.	A.	II.	

Nox hor. XVIII. dies VI. punct. III. & ostent. IX.

Verſ. de diebus Ægypt. *Dat duodena cohors, ſeptem inde decemque Decembris.*

Verſ. de XII. menſ. *Decembrem Januarium in horis cauſa par adjunxit.*
Umbrifer aſt menſis tumque December adeſt.

F I N I S.

KALEN-

KALENDARIUM SITONIANUM.

JANI prima dies, & septima fine timetur.
Prima dies nona fit jam Scorpius hora.
Vulnera sæva nimis fert horis septima quinis.
Principium jam sentiat tropicus Capricornus.

JANUARIUS habet dies XXXI.

A.	Kal.	Januar.	Circumcisio Domini nostri Jesu Christi. Dies Ægypt.
B.	IV.	Non.	S. Martiniani ad S. Stephanum ad Rotam.
C.	III.	Non.	S. Anastasii ad S. Satyrum in Civitate.
D.	Prid.	Non.	*Anno Dominicæ Incarn. MCXVII. factus est ingens terræmotus huic Civitati, universæque nostræ Provinciæ.*
E.		Nonis.	
F.	VIII.	Id.	Epiphania Domini.
G.	VII.	Id.	
A.	VI.	Id.	SS. XL. Martyrum ad S. Victorem, qui dicitur XL. Martyrum.
B.	V.	Id.	
C.	IV.	Id.	
D.	III.	Id.	
E.	Prid.	Id.	
F.		Idibus.	S. Hilarii Episcopi in Ecclesia sua.
G.	XIX.	Kal. Febr.	
A.	XVIII.	Kal.	
B.	XVII.	Kal.	*Obiit Aribertus Archiepiscopus.*
C.	XVI.	Kal.	
D.	XV.	Kal.	
E.	XIV.	Kal.	S. Bassiani Episcopi.
F.	XIII.	Kal.	S. Sebastiani in sua Ecclesia.
G.	XII.	Kal.	S. Agnetis Virginis.
A.	XI.	Kal.	S. Vincentii ad Monasterium.
B.	X.	Kal.	
C.	IX.	Kal.	SS. Babilæ, & trium parvulorum extra portam Orientalem.
D.	VIII.	Kal.	Conversio S. Pauli ad S. Petrum in Campo Laudensi. Dies Ægypt.
E.	VII.	Kal.	
F.	VI.	Kal.	
G.	V.	Kal.	*MCCLIII. die Martis apparuit quoddam monstrum in Ecclesia S. Vincentii.*
A.	IV.	Kal.	
B.	III.	Kal.	
C.	Prid.	Kal.	S. Julii Presbyteri ad S. Babilam.

Ast FEBRUI quarta præcedit tertia fine.
Quartus in octonis Februi manet ut lupus horis.
In denis ternis est horis fine timendus.
Mensis nimirum in medio Sol distat Aquari.

FEBRUARIUS habet dies XXVIII. & si bissextus evenerit, XXIX.

D.	Kal.	Febr.	S. Brigidæ, & S. Severi Episcopi.
E.	IV.	Non.	Purificatio S. Mariæ. Processio ab Ecclesia Beltrade in Ecclesia Hyemali.
F.	III.	Non.	S. Blasii Episcopi, & Martyris ad S. Mariam Secretam.
G.	Prid.	Non.	S. Veronicæ ad S. Petrum in Curte. Dies Ægypt.
A.	Nonis.		S. Agathæ Virg. in Ecclesia sua.
B.	VIII.	Id.	
C.	VII.	Id.	S. Matthiæ Apostoli. In Ecclesia sua.
D.	VI.	Id.	S. Eugeniæ Virg. ad S. Mariam Pedonis.
E.	V.	Id.	
F.	IV.	Id.	
G.	III.	Id.	
A.	Prid.	Id.	Dedicatio S. Mariæ in Monasterio Oronæ.
B.		Idus.	
C.	XVI.	Kal. Martias.	
D.	XV.	Kal.	SS. Faustini Presbyteri, & Jovitæ ad S. Georgium.
E.	XIV.	Kal.	S. Julianæ Virg. ad S. Satyrum in Urbe.
F.	XIII.	Kal.	

G.	XII. Kal.	
A.	XI. Kal.	
B.	X. Kal.	
C.	IX. Kal.	
D.	VIII. Kal.	Cathedra S. Petri ad S. Nazarium.
E.	VII. Kal.	
F.	VI. Kal.	Quando bissextus evenerit, hic legi bis debet.
G.	V. Kal.	*Obiit Arnulphus Archiepiscopus, qui dedit Valles Presbyteris Decumanis, & Cardinalibus.* Dies Ægypt.
A.	IV. Kal.	
B.	III. Kal.	
E.	Prid. Kal.	

MARTIS prima necat, si cuspide quarta timetur.
Dando diem primam dabit horam Martius ipsam.
Quarta nec est munda, cui nocet hora secunda.
Procedunt duplices in Martia tempora Pisces.

MARTIUS habet dies XXXI.

D.	Kalendis Martii.	Dies Ægypt.
E.	VI. Non.	
F.	V. Non.	*Anno Domini MLXXI. Combustum est Mediolanum ab igne de Castelliono.*
G.	IV. Non.	
A.	III. Non.	
B.	Prid. Non.	
C.	Nonis.	
D.	VIII. Idus.	Prima incensio Lunæ Paschalis.
E.	VII. Id.	
F.	VI. Id.	
G.	V. Id.	
A.	IV. Id.	S. Gregorii Papæ ad S. Victorem ad Corpus.
B.	III. Id.	
C.	Prid. Id.	Depositio Lazari ad S. Nazarium.
D.	Idibus.	
E.	XVII. Kal. Apr.	
F.	XVI. Kal.	
G.	XV. Kal.	. . . . prima dies seculi.
A.	XIV. Kal.	
B.	XIII. Kal.	
C.	XII. Kal.	S. Benedicti Abbatis.
D.	XI. Kal.	
E.	X. Kal.	
F.	IX. Kal.	*Anno Domini MCIV. Judicium de Presbytero Liprando.*
G.	VIII. Kal.	Annunciatio S. Mariæ Matris Domini. Eodem die Dominus noster Crucifixus est. Et passio CCC. Martyrum, & Jacobi fratris Domini. Et Protasii, ac Gervasii. Et Susannam de falso crimine liberavit. Et tres pueros de camino ignis liberavit. Et depositio S. Monæ Archiepiscopi. Et Adæ plasmatio. Et Isaac immolatio.
A.	VII. Kal.	
B.	VI. Kal.	Dies Ægypt.
C.	V. Kal.	
D.	IV. Kal.	
E.	III. Kal.	
F.	Prid. Kal.	

APRILIS decima, & undena fine minatur.
Horis in primis decimus suffocat Aprilis.
Undecimus nonas ferit inde diesque per horas.
Respicis Aprilis Aries Frixee Kalendas.

APRILIS habet dies XXX.

G.	Kalendis Aprilis.	
A.	IV. Non.	
B.	III. Non.	
C.	Prid. Non.	
D.	Nonis.	Depositio Sanctissimi Ambrosii, ubi requiescit, Anno Dominicæ Incarnationis CCCLXXXII. Indict. X.
E.	VIII. Idus.	
F.	VII. Id.	
G.	VI. Id.	

A.	V. Id.	
B.	IV. Id.	Dies Ægypt.
C.	III. Id.	
D.	Prid. Id.	
E.	Idibus.	
F.	XVIII. Kal. Maji.	
G.	XVII. Kal.	
A.	XVI. Kal.	
B.	XV. Kal.	
C.	XIV. Kal.	S. Kaloceri Martyris.
D.	XIII. Kal.	
E.	XII. Kal.	Dies Ægypt. hor. IX.
F.	XI. Kal.	
G.	X. Kal.	
A.	IX. Kal.	S. Maroli Epiſcopi ad S. Nazarium.
B.	VIII. Kal.	S. Georgii Martyris ad Eccleſiam ſuam.
C.	VII. Kal.	S. Marci Evangeliſtæ ad S. Naborem.
D.	VI. Kal.	SS. Victoris, & Coronæ ad S. Euſtorgium.
E.	V. Kal.	
F.	IV. Kal.	Vitalis, & Valeriæ in Eccleſia ſua.
G.	III. Kal.	
A.	Prid. Kal.	

Interimit terna MAJI lux horaque ſexta,
Eſtque mali moris in denis ſeptimus horis.
Majus Agenorei miratur cornua Tauri.

MADIUS habet dies XXXI.

B.	Kal. Maji.	SS. Philippi, & Jacobi ad S. Protaſium in Campo.
C.	VI. Non.	Dedicatio S. Mariæ ad Circulum.
D.	V. Non.	Inventio S. Crucis. Poſt Paſſionem Domini Anno CCCXXXIII. inventa eſt Crux ejus. Dies Ægypt. hora VI.
E.	IV. Non.	
F.	III. Non.	S. Geruntii Epiſcopi ad S. Simplicianum.
G.	Prid. Non.	S. Johannis in ferventi dolio ad S. Nazarium ad Corpus.
A.	Nonis.	
B.	VIII. Idus.	Nativitas S. Victoris ad Ulmum.
C.	VII. Idus.	SS. Caſti & Polimii ad S. Mariam Portam.
D.	VI. Idus.	Translatio S. Nazarii à S. Celſo ad S. Nazarium.
E.	V. Idus.	
F.	IV. Idus.	S. Pancratii Martyris in Eccleſia ſua.
G.	III. Idus.	
A.	Prid. Idus.	Translatio S. Victoris ad Corpus.
B.	Idibus.	
C.	XVII. Kal. Junii.	
D.	XVI. Kal.	Translatio S. Syri Epiſcopi ad Portam Orientalem in Eccleſia Salvatoris.
E.	XV. Kal.	
F.	XIV. Kal.	
G.	XIII. Kal.	
A.	XII. Kal.	
B.	XI. Kal.	
C.	X. Kal.	
D.	IX. Kal.	*Anno Domini MCLXI. Bellum de Campo-mortuo. Item Anno Domini MCXI. capta eſt Civitas Laudenſis.*
E.	VIII. Kal.	Depoſitio S. Dionyſii, ubi requieſcit. Dies Ægypt.
F.	VII. Kal.	S. Theodori Martyris ad S. Georgium.
G.	VI. Kal.	
A.	V. Kal.	*Obiit Oldericus Archiepiſcopus, qui obtulit hyemali Eccleſiæ totam Capellam ſuam.*
B.	IV. Kal.	SS. Siſinnii, Martyrii, & Alexandri ad S. Simplicianum. *Anno Domini MCLXXVI. inter Legnianum, & Ticinum Mediolanenſes expulerunt de Campo Imperatorem Federicum cum toto exercitu ſuo, & infiniti Teutonici capti ſunt ibi, & gladio occiſi, & ferè totus populus Cumanorum ibi remanſit.*
C.	III. Kal.	SS. Petri, & Laurentii ad S. Babilam.
D.	Prid. Kal.	

JUNIUS in decimo quindeno à fine salutat.
Quinta nocet deni Junii satis hora diei,
Horis quartanis quindenus mordet ut anguis,
Junius æquato Cœlo videt ire Laconas.

JUNIUS habet dies XXX.

E.	Kal.	Jun.	SS. Felini, & Gratiniani ad S. Damianum.
F.	IV.	Non.	S. Erasmi Episcopi, & Mart. S. Petri, & Marcellini ad S. Martinum in Urbe.
G.	III.	Non.	
A.	Prid.	Non.	SS. Quirini, & Nicomedis ad S. Vincentium.
B.	Nonis.		*Anno Domini MCXXXIV. capti sunt Cremonenses ferè omnes à Mediolanensibus.*
C.	VIII.	Idus.	
D.	VII.	Idus.	
E.	VI.	Idus.	
F.	V.	Idus.	
G.	IV.	Idus.	S. Pantaleonis Mart. ad S. Johannem IV. facies. Dies Ægypt. hor. V.
A.	III.	Idus.	S. Barnabæ Apostoli in domo Archiepiscopi.
B	Prid.	Idus.	
C.	Idibus.		
D.	XVIII.	Kal. Jul.	SS. Cantianorum ad S. Dionysium.
E.	XVII.	Kal.	S. Viti Martyris. Dies Ægypt. hor. IV.
F.	XVI	Kal.	
G.	XV.	Kal.	SS. Marci, & Marcelliani ad S. Sebastianum.
A.	XIV.	Kal.	*Anno Domini MCX. bellum de Brexanore.*
B.	XIII.	Kal.	Translatio SS. Protasii, & Gervasii ad S. Ambrosium. *Obiit Lampertus Archiepiscopus, qui judicavit Custodibus majoris Ecclesiæ quidquid habet in Mandello, vel in ejus territorio.*
C.	XII.	Kal.	
D.	XI.	Kal.	
E.	X.	Kal.	Natalis S. Juliani Mart. ad S. Nazarium ad Corpus.
F.	IX.	Kal.	*Anno MCXXXII. Bellum de Marcinago, in quo capti sunt pedites Papiensium ferè omnes.*
G.	VIII.	Kal.	Nativitas S. Johannis Baptistæ ad S. Dionysium.
A.	VII.	Kal.	S. Februniæ Virg. ad S. Protasium ad Monachos.
B.	VI.	Kal.	S. Joannis & Pauli ad S. Fidelem.
C.	V.	Kal.	
D.	IV.	Kal.	
E.	III.	Kal.	SS. Apostolorum Petri, & Pauli ad S. Nazarium.
F.	Prid.	Kal.	Dedicatio S. Valeriæ in Ecclesia sua.

Terdecim JULII decem innuit ante Kalendas,
Damnat terdecima Julii vorat hora secunda.
Hujus & in nonis decimus quaque sauciat horis.
Solstitio ardentis Cancri fert Julius astrum.

JULIUS habet dies XXXI.

G.	Kal.	Julii.	
A.	VI.	Non.	
B.	V.	Non.	Translatio S. Thomæ Apostoli in Ecclesia sua.
C.	IV.	Non.	S. Odelrici Confessoris ad Monasterium BoKeti.
D.	III.	Non.	S. Margaritæ ad Monasterium Gisonis.
E.	Prid.	Non.	S. Tranquillini Martyris ad S. Sebastianum.
F.	Nonis.		
G.	VIII.	Id.	
A.	VII.	Id.	
B.	VI.	Id.	
C.	V.	Id.	
D.	IV.	Id.	SS. Naboris, & Felicis in Ecclesia sua.
E.	III.	Id.	S. Benedicti ad S. Simplicianum. Dies Ægypt. hor. II.
F.	Prid.	Id.	
G.	Idibus.		Processio ad S. Sepulcrum. *Obiit Ildenatus, qui dicitur Boto.*
A.	XVII.	Kal. Aug.	S. Quirici Martyris ad Ecclesiam suam.
B.	XVI.	Kal.	S. Marcellinæ Virg. ad S. Ambrosium. *Anno Domini MCVI. tertius ignis Mediolani.*
C.	XV.	Kal.	S. Materni Confess. ad S. Naborem.
D.	XIV.	Kal.	
E.	XIII.	Kal.	
F.	XII.	Kal.	
G.	XI.	Kal.	Dies Æg. hor. IX.
A.	X.	Kal.	S. Apollinaris Episcopi, & Martyris, ad S. Nazarium.
B.	IX.	Kal.	

C.

C. VIII. Kal.	Passio S. Jacobi Apostoli, & Christophori, & Christinæ Virginis ad S. Vitum.
D. VII. Kal.	
E. VI. Kal.	
F. V. Kal.	SS. Nazarii, & Celsi, ubi ejus requiescit corpus.
G. IV. Kal.	Processio ad S. Celsum.
A. III. Kal.	SS. Abdo, & Sennis, ad S. Martinum in Compito.
B. Prid. Kal.	S. Kalimeri, ubi ejus corpus requiescit.

AUGUSTI nepa prima fugat de fine secunda.
Horas dat primas Augustus datque Kalendas,
Inde secunda dies septenas turbidat horas.
Augustum mensem Leo fervidus igne perurit.

AUGUSTUS habet dies XXXI.

C. Kal. Augusti.	SS. Machabæorum, & S. Eusebii ad S. Dionysium.
D. IV. Nonas.	
E. III. Non.	S. Gaudentii Episcopi ad S. Petrum in Vinea.
F. Prid. Non.	S. Perpetuæ ad S. Nazarium ad Corpus. *Anno Domini MCXXIV. combusta est Ecclesia S. Laurentii ab igne de Porta Romana.*
G. Nonis.	
A. VIII. Id.	Sixti Episcopi & Martyris ad S. Laurentium.
B. VII. Id.	SS. Donati, & Carpofori in Ecclesia sua.
C. VI. Id.	
D. V. Id.	SS. Firmi, & Rustici.
E. IV. Id.	S. Laurentii Levitæ & Mart. in Ecclesia sua.
F. III. Id.	S. Radegundæ in Ecclesia sua, & Dedicatio S. Laurentii in Civitate.
G. Prid. Id.	Depositio S. Eusebii ad S. Laurentium.
A. Idibus.	SS. Hipployti, & Cassiani ad S. Laurentium.
B. XIX. Kal. Sept.	
C. XVIII. Kal.	Assumptio S. Mariæ, & Translatio SS. Sisinnii, Martyrii, & Alexandri, & Depositio S. Simpliciani in Ecclesia sua.
D. XVII. Kal.	
E. XVI. Kal.	SS. Mammetis, & Agapiti ad S. Stephanum ad Rotam.
F. XV. Kal.	
G. XIV. Kal.	
A. XIII. Kal.	
B. XII. Kal.	SS. Luxori, Camerini, & Cessilli ad S. Augustinum
C. XI. Kal.	Passio S. Timothei ad S. Nazarium ad Petram sanctam.
D. X. Kal.	
E. IX. Kal.	S. Bartholomæi Apostoli ad S. Nazarium ad Corpus.
F. VIII. Kal.	Natalis S. Genesii Martyris ad S. Laurentium.
G. VII. Kal.	S. Alexandri Martyris in Ecclesia sua.
A. VI. Kal.	Dedicatio S. Salvatoris ad S. Radegundam. *Anno Domini MCXXVII. capta est civitas Cumensium.*
B. V. Kal.	S. Augustini Episcopi in Ecclesia sua.
C. IV. Kal.	Decollatio S. Johannis Baptistæ ad S. Simplicianum.
D. III. Kal.	Dies Ægypt. hor. VII.
E. Prid. Kal.	

Tertia SEPTEMBRIS vulpis ferit à pede dena,
Horis September perimit lux tertia ternis,
Ejusdem mensis necat hora duodena quaternis.
Sidere Virgo tuo Bacchum September opimat.

SEPTEMBER habet dies XXX.

F. Kal. Sept.	Dedicatio S. Laurentii in Turrigio.
G. IV. Non.	S. Egidii ad S. Mariam ad Portam.
A. III. Non.	Depositio Sancti Auxani, & passio S. Leonis, & Marini ad S. Margaritam. Dies Æg. hor. III.
B. Prid. Non.	
C. Nonis.	
D. VIII. Id.	
E. VII. Idus.	Dedicatio S. Michaëlis in Domo.
F. VI. Id.	Nativitas S. Mariæ Fulcuini.
G. V. Id.	Dedicatio S. Stephani, & Zachariæ, qui dicitur ad Rotam.
A. IV. Id.	S. Adriani Martyris ad S. Laurentium.
B. III. Id.	
C. Prid. Id.	
D. Idibus.	S. Maurilii Episcopi in Ecclesia sua. *Anno Domini MC. Iter Anselmi Archiepiscopi in Corrociana.*

E.

E.	XVIII. Kal. Oct.	SS. Cornelii, & Cipriani. Eodem die S. Nicomedis, & exaltatio S. Crucis ad S. Dionysium.
F.	XVII. Kal.	
G.	XVI. Kal.	S. Eufemiæ Virginis ad Pusterulam.
A.	XV. Kal.	S. Satiri ad Ecclesiam suam juxta S. Ambrosium, & in Urbe.
B.	XIV. Kal.	S. Eustorgii, ubi ejus corpus est.
C.	XIII. Kal.	
D.	XII. Kal.	
E.	XI. Kal.	S. Matthæi Apostoli, & Evangelistæ. Dies Ægypt. hor. IV.
F.	X. Kal.	S. Mauritii, & ejus Commilitonum ad Monasterium Majus.
G.	IX. Kal.	S. Lini Papæ ad S. Nazarium.
A.	VIII. Kal.	S. Teglæ Virginis in Ecclesia sua.
B.	VII. Kal.	
C.	VI. Kal.	S. Justinæ ad S. Ambrosium. *Anno Domini MCIV. primus ignis Mediolani.*
D.	V. Kal.	
E.	IV. Kal.	
F.	III. Kal.	S. Michaëlis in Monte Gargano.
G.	Prid. Kal.	S. Hieronymi Presbyteri ad S. Sepulcrum.

Tertius OCTUBER gladius decem in ordine nectit;
Sauciat Octuber in quinis tertius horis,
Inde die dena hujus fert hora novena,
Æquat & Octuber sementis tempore Libram.

OCTUBER habet dies XXXI.

A.	Kal. Octubris.	S. Remigii Episcopi in Brolio S. Ambrosii.
B.	VI. Non.	
C.	V. Non.	Dies Ægypt. hor. V.
D.	IV. Non.	*Obiit Jordanus Archiepiscopus.*
E.	III. Non.	
F.	Prid. Non.	S. Fidelis ad S. Johannem quatuor facies.
G.	Nonis.	
A.	VIII. Id.	S. Pelagiæ Virginis ad S. Teclam. *Anno Domini MCV. ignis secundus Mediolani.*
B.	VII. Id.	S. Domnini Martyris ad S. Carpophorum.
C.	VI. Id.	
D.	V. Id.	
E.	IV. Id.	S. Monæ Episcopi ad S. Vitalem.
F.	III. Id.	
G.	Prid. Id.	Dedicatio S. Raphaëlis.
A.	Idibus.	Dedicatio Ecclesiæ. Sequenti Dominica terminus migrandi in Ecclesiam Hyemalem.
B.	XVII. Kal. Nov.	S. Galli Abbatis.
C.	XVI. Kal.	
D.	XV. Kal.	S. Lucæ Evangelistæ, & Confessoris ad S. Naborem.
E.	XIV. Kal.	
F.	XIII. Kal.	
G.	XII. Kal.	
A.	XI. Kal.	SS. Cosmæ, & Damiani in Ecclesia sua. Dies Ægypt. hor. IX.
B.	X. Kal.	S. Mariæ Magdalenæ ad S. Hilarium.
C.	IX. Kal.	Dedicatio S. Mariæ in Solario.
D.	VIII. Kal.	
E.	VII. Kal.	
F.	VI. Kal.	*Anno Domini MCIII. cecidit Ecclesia S. Laurentii.*
G.	V. Kal.	SS. Simonis, & Judæ, & passio S. Fidelis in eadem Ecclesia.
A.	IV. Kal.	
B.	III. Kal.	S. Saturnini ad S. Martinum juxta S. Victorem.
C.	Prid. Kal.	

Quinta NOVEMBRIS acus vix tertia mansit in urna,
Pungit in octavis horis lux quinta Novembris,
Cujus terna nigram facit horam tum fore quintam.
Scorpius hibernum præceps jubet ire Novembrem.

NOVEMBER habet dies XXX.

D.	Kal. Novembris.	Festivitas Omnium Sanctorum ad S. Babilam.
E.	IV. Non.	Dedicatio S. Ambrosii in Solario.
F.	III. Non.	
G.	Prid. Non.	Vitalis & Agricolæ in Ecclesia sua.
A.	Nonis.	Dies Ægypt. hor. VIII.

B.	VIII. Idus.	S. Leonardi in Ecclesia hyemali.
C.	VII. Idus.	
D.	VI. Idus.	
E.	V. Idus.	S. Aurelii Episcopi ad S. Dionysium.
F.	IV. Idus.	
G.	III. Idus.	S. Martini juxta S. Victorem.
A.	Prid. Idus.	
B.	Idibus.	Revelatio S. Antonini Martyris ad S. Kalimerium.
C.	XVIII. Kal. Dec.	
D.	XVII. Kal.	
E.	XVI. Kal.	
F.	XV. Kal.	
G.	XIV. Kal.	S. Romani Presbyteri ad Ecclesiam suam.
A.	XIII. Kal.	
B.	XII. Kal.	
C.	XI. Kal.	
D.	X. Kal.	S. Cæciliæ Virg. ad S. Victorem ad Corpus.
E.	IX. Kal.	S. Clementis.
F.	VIII. Kal.	S. Katarinæ Virg.
G.	VII. Kal.	
A.	VI. Kal.	
B.	V. Kal.	
C.	IV. Kal.	Dies Ægypt.
D.	III. Kal.	SS. Grisanti, & Dariæ. Ad Altare S. Andreæ, quod est in Ecclesia S. Ambrosii.
E.	Prid. Kal.	S. Andreæ Apostoli, & Baptismus S. Ambrosii in eadem Ecclesia.

Dat duodena cohors septem inde decemque diebus.
Vulnerat in quinis horis duodena DECEMBREM.
Septimus in senis decimus sit causa doloris,
Terminat Arcitenens medio sua signa Decembre.

DECEMBER habet dies XXXI.

F.	Kal. Decembris.	S. Castritiani ad S. Johannem ad Concam.
G.	IV. Non.	
A.	III. Non.	
B.	Prid. Non.	
C.	Nonis.	S. Dalmacii in Ecclesia sua.
D.	VIII. Idus.	S. Nicolai ad S. Babilam.
E.	VII. Idus.	Ordinatio S. Ambrosii, ubi ejus corpus requiescit.
F.	VI. Idus.	S. Zenonis.
G.	V. Idus.	Depositio S. Syri.
A.	IV. Idus.	
B.	III. Idus.	
C.	Prid. Idus.	Dies Ægypt. hor. I.
D.	Idibus.	
E.	XIX. Kal. Januarii.	S. Matroniani ad S. Nazarium.
F.	XVIII. Kal.	
G.	XVII. Kal.	
A.	XVI. Kal.	
B.	XV. Kal.	
C.	XIV. Kal.	
D.	XIII. Kal.	
E.	XII. Kal.	S. Thomæ Apostoli ad S. Ambrosium.
F.	XI. Kal.	
G.	X. Kal.	
A.	IX. Kal.	
B.	VIII. Kal.	Nativitatis Domini N. J. C. secundùm carnem. Dies Ægypt.
C.	VII. Kal.	S. Stephani, qui dicitur ad Rotam.
D.	VI. Kal.	S. Johannis ad Concam.
E.	V. Kal.	Passio Innocentum in Ecclesia hyemali.
F.	IV. Kal.	Ordinatio S. Jacobi Apostoli ad S. Sebastianum.
G.	III. Kal.	Depositio S. Eugenii Episcopi ad S. Eustorgium.
A.	Prid. Kal.	S. Sylvestri Papæ ad S. Satyrum in Urbe.

F I N I S.

VITA
SANCTI ATHANASII
EPISCOPI NEAPOLITANI
A JOHANNE DIACONO,
E T
PETRO SUBDIACONO
NEAPOLITANIS, SCRIPTA.

ACCEDUNT

ACTA TRANSLATIONIS CORPORIS
EJUSDEM SANCTI ATHANASII,

AUCTORE

EODEM PETRO SUBDIACONO

Circiter Annum DCCCLXXX. literis consignata.

Omnia nuper evulgata

A P. GUILIELMO CUPERO

E SOCIETATE JESU

IN ACT. SANCTOR. BOLLAND.

Nunc autem in Italicæ Historiæ commodum recusa, unà cum Præfatione & Notis ejusdem P. Cuperi.

IN VITAM SANCTI ATHANASII EPISCOPI NEAPOLITANI, ET ACTA EJUS TRANSLATIONIS

MONITUM LUDOVICI ANTONII MURATORII.

JAm dedi Part. II. Tom. I. Collectionis hujus Vitas Episcoporum Neapolitanorum a Johanne Diacono circiter Annum 875. conscriptas. Ibi quoque occurrit Vita Sancti Athanasii illius Urbis Episcopi, qui Anno 832. in lucem editus, Anno 872. finem vivendi fecit. Alteram vero ejusdem Vitam in Praefatione commemoravi, cujus potiora fragmenta celeberrimus Cardinalis Baronius intulerat in Annales Ecclesiasticos ad Annum 872. indicato ejus Auctore *Petro Diacono Casinensi*. Quum autem eximii hujus Praesulis Acta cernerem ad illustrandam Italiam Seculi IX. Historiam conducere aliquantulum posse, nihil antiquius habui, quam ut integra e MStis Codicibus, ubi latitabant, mihi procurarem, huic ipsi Collectioni postmodum addenda. Sed dum ad ejusmodi inquisitionem studium omne adhibeo, significatum est mihi, Acta eadem ante paucos menses publici juris facta fuisse in Actis Sanctorum Bollandianis Tom. IV. Julii ad diem XV. mensis illius, cura Clariss. Viri P. Guilielmi Cuperi e Soc. Jesu, qui nunc una cum doctissimis collegis suis in vastum eximiumque illud Opus incumbit. Gratiae illi tum meo, tum literariæ Reipublicae nomine, quod haec tamdem prostent, eaque mihi liceat ad majus Italicae gentis commodum heic iterum proferre. Itaque brevi Athanasianae Vitae a Johanne Diacono conscriptae, quam rursus mihi edere cum Notis ejusdem Cuperi liceat, prolixiorem hanc alteram adjungo, ejusque Auctorem fidentissime *Petrum Diaconum*, sive *Subdiaconum Neapolitanum*, & quidem synchronum, statuo. Idoneum testem hac de re habemus Baronium, qui ejus Vitae frustula proferens, ubique Scriptorem nominat *Petrum Diaconum*: quod minime praestitisset vir a somniando alienus, nisi Vaticanus Codex, cui uni hanc Vitam debemus, Auctoris nomen praetulisset. Cautius tamen acturum se opinatus supra laudatus P. Cuperus in ea sententia fuit (Antonium Caracciolum & Ughellium sequutus) Petro Diacono Vitam hanc nequaquam esse tribuendam, & *Anonymum* potius illius Scriptorem appellandum, quod nimirum *Petrus Diaconus Casinensis* Seculo tantum XII. floruerit; Auctor autem Vitae Seculo IX. atque ipso Sancto Athanasio vivente, aut ante paucos annos e vivis erepto, haec scripserit. Objeceram & ista egomet mihi in Praefatione ad Johannis Diaconi Commentarium Part. II. Tom. I. Collectionis hujus pag. 289. Et profecto discedendum a Baronio ego quoque censui, ubi Petrum Diaconum, sive Subdiaconum, hujus Vitae Auctorem Casinatibus Monachis accenset; sed cum ipso sentiendum adhuc puto, quum Petro cuidam Sancti Athanasii Vitam tribuit, quem ego *Subdiaconum Neapolitanum* fuisse ajo. Uti in calce Vitarum Praesulum Neapolitanorum a me editarum legere licet, Vitam Athanasii II. sive junioris, Episcopi Neapolitani, scribere exorsus est *Petrus Neapolitanae Sedis Subdiaconus*. Athanasius iste, vir moribus longe dissimilis, Sancto Athanasio patruo suo ad coelestem patriam evecto, e vestigio successit in Sede Neapolitana, hoc est Anno 872. Eo autem tempore Petrus Subdiaconus floruit. Praeterea habemus versibus consignata Miracula Sancti Agnelli Abbatis, qui circiter Annum 590. Neapoli decessit, & ab Ughellio edita Tom. VI. Ital. Sacr. pag. 76. veter. edition. Sunt autem ipsius Ughellii verba: *Hujus Libri auctor fuit Petrus Neapoli-*

politanae Ecclesiae Hypodiaconus, *qui vixit Anno* 890., *ut ipsemet fatetur*. Auctor idem ita narrationem orditur: *Sanctissimi ac venerandi Patris Agnelli miraculorum virtutes animadvertens ego Petrus Sanctae Parthenopensis Ecclesiae Hypodiaconus &c.* Atque is in Carmine Athanasium Episcopum Neapolitanum (num primum an secundum, incertum est; juniorem tamen, ut conjicere licet) hisce verbis alloquitur:

„ *Praesul Athanasi*, *quassatus valde dolore*,
„ *Desine flere diu*, *Agnelli virtute vegetus*,
„ *Qui te laetiferum Januari Sede reportat*.

Habemus ergo *Petrum Neapolitanum Subdiaconum*, utriusque Athanasii Episcopi coaevum, & Biographum illorum temporum: quare vix dubitandum est, quin eidem tribuenda quoque sit Vita Sancti Athanasii a P. Cupero edita, atque heic recudenda. Accedunt ad eamdem Vitam Acta translationis Corporis ejusdem Sancti Praesulis, cura ipsius P. Cuperi publici juris facta, quorum Auctor, fatente praelaudato editore, non alius est, quam qui Vitam dederat, hoc est, ut ego contendi, ipsemet *Petrus Subdiaconus*.

DE

DE SANCTO ATHANASIO EPISCOPO NEAPOLIS IN CAMPANIA

COMMENTARIUS PRÆVIUS

R. P. GUILIELMI CUPERI SOCIETATIS JESU.

§. I.

Sancti cultus, & quædam chronologica Vitæ puncta.

Neapolis notissima Campaniæ civitas in Italia, de qua jam sæpe in Actis nostris meminimus, veneratur hac die Sanctum suum Antistitem Athanasium, de quo habemus Officium Neapolitanum, anno MDXXV. impressum. Sed cùm novem Lectiones, aliaque hujus Officii propria desumpta sint ex Actis illius, quæ post hunc Commentarium prævium exhibebimus, supervacaneum judico hic ea inserere. In eo autem recitatur sequens oratio: Deus, qui perennem gloriam Sanctissimi Confessoris tui atque Pontificis Athanasii animæ contulisti, tribue quæsumus, ejus nos apud te ita patrociniis sublevari, ut cum eo vitam possideamus æternam. Per Dominum *&c. Sacra hujus Antistitis ossa in majorem Ecclesiam Neapolitanam translata, teste Ughello in Italia Sacra tom. VI. col.* 109., *jam quiescunt in sacello Sancti Salvatoris, ubi legitur hæc inscriptio*: HIC JACET CORPUS S. ATHANASII CONFESSORIS ET EPISCOPI NEAPOLITANORUM. *Testatur idem Ughellus, caput ejus ibidem in thesauri sacello argentea atque aurea theca inclusum honorificè custodiri.*

De ejusdem Sancti cultu in aliis Italiæ locis sic scribit Antonius Caracciolus, libro singulari de Sacris Ecclesiæ Neapolitanæ monumentis cap. 25. *sect.* 5. Colitur hic Sanctus Præsul, & alibi; Casini nempe, ubi obiit, & unde, brachio ibi relicto (quamvis id in Actis translationis ejus non reperiatur) huc translatus est. *Mibi hæc pauca Caraccioli verba legenti duplex occurrit difficultas. Primò non capio, quomodo asserat*, S. Athanasium *obiisse Casini, quod oppidum juxta Cosmographos monti Casino adjacet, cùm tamen in Actis nostris à Synchrono scriptis dicatur mortuus esse* in oratorio Sancti Quirici, quod bis senis millibus à Monasterio Sancti Benedicti (*Joannes Diaconus in Vita prima, post hunc Commentarium prævium danda, num.* 10. *clarè addit* ; quod situm est in Monte Cassino) distat. *Non videntur hæc facilè componi posse, nisi inveniatur locus homonymus duodecim passuum millibus à Monte Cassino dissitus, quem frustra hactenus quæsivi, quemque proinde ab illius regionis incolis, rerum suarum peritioribus, mihi assignari cupio.*

Præterea non satis intelligo, quomodo tunc temporis Casini relictum fuerit Sancti brachium, quandoquidem Monachis Casinensibus, ad quorum Monasterium sancti Præsulis corpus primò translatum est, quamdam Reliquiarum partem retinere volentibus sic responsum fuisse lego in antiquis translationis Actis num. 4.: Sicut integer vobis commendatus est, ita auxiliante Domino integra sua sedes eum habebit. *Dein num.* 5. *dicitur, quod illius* venerabile corpus . . . . ita inventum *sit* integrum, ut nec capillus capitis ejus vel barbæ decideret, atque vestimenta & omnia salva, ut priùs posita fuerant, *sint* inventa. *Ex his verbis videtur erui posse, quod corpus* S. Athanasii *tunc nondum ulla sui parte mutilatum fuerit. Quare Casinates aut huic dubio nostro satisfaciant, aut brachium illud, siquidem sit* S. Athanasii *Episcopi Neapolitani, seriùs ad se delatum fuisse fateantur.*

Caracciolus loco proximè citato cultum Sancti nostri sic indicare pergit: Capuæ quoque celebris erat ejus memoria: Legi enim in quodam pervetusto Codice MS. orationum illius Ecclesiæ, ipsum in Litaniis cum aliis Sanctis Episcopis, & Confessoribus invocatum. Nec poterit quisquam suspicari, non istum nostrum, sed Alexandrinum intelligi ibi debere, quoniam nullus ibi Græcus Episcopus recensetur, ut inspicienti constabit. *Non convenit inter Scriptores Italos, an Athanasius Neapolitanus sit idem cum eo, qui Surrenti tamquam unus ex quinque civitatis istius patronis colitur. David Romæus in libello de quinque Divis custodibus ac præsidibus urbis Surrentinæ pag.* 278. *putat eumdem esse, & opinionem suam variis stabilire nititur rationibus, quas Majores nostri ad diem XXVI. Januarii de* S. Athanasio *tamquam Episcopo Surrentino agentes ipsiusmet Romæi verbis retulerunt.*

Alii contendunt, S. Athanasium *Episcopum Neapolitanum ab homonymo Surrentino omnino differre; inter eos Paulus Regius Episcopus Vicoaquensis in suo opere de Sanctis Regni Neapolitani parte* 2., *pag.* 646. *ex Actis S. Antonini Abbatis, quæ Bollandus noster die XIV. Februarii etiam edidit, refert quamdam* Sancti Athanasii *apparitionem, in qua se senem & calvum exhibuit, atque inde concludit, non esse illum*

illum eumdem cum Neapolitano Athanasio, *qui quadragenarius ex hac vita migravit. Quod si Ughello credimus, ingens est utriusque discrimen, cùm Neapolitanus facilè duobus seculis post Surrentinum vixerit: sic enim scribit tomo 6. Italiæ Sacræ col.* 747.: S. Athanasius Surrentinus fuit Episcopus, diversus à S. Athanasio Neapolis Episcopo. Hanc sedem sortitus est post Amandum anno salutis DCCXVII., de quo non extant Acta; sacra tamen Anniversaria celebrantur VI. Kalend. Februarii. *Nos, expensis utrimque argumentis, sententiæ duos Athanasios istos distinguenti subscribimus.*

Quamquam antiquus sit S. Athanasii *Episcopi Neapolitani cultus, tamen apud Martyrologos recens, & rara est illius memoria: nam solùm in hodierno Martyrologio Romano sic hac die memoratur*: Neapoli in Campania Sancti Athanasii ejusdem civitatis Episcopi, qui ab impio nepote Sergio multa passus ac sede pulsus, Verulis confectus ærumnis migravit in cœlum, tempore Caroli Calvi. *Videntur hæc Martyrologii Romani verba innuere, eum Verulis obiisse. Quo posito, non video, quomodo hic mortis locus conveniat cum opinione Caraccioli, qui putat, illum Casini mortuum esse, aut cum assertione coævi Actorum Scriptoris, qui ait, eum Creatori suo spiritum reddidisse* in Oratorio Sancti Quirici, quod bis senis [P] millibus à Monasterio Sancti Benedicti distat. *Oppidum Casinense, ut supra dixi, non tanto spatio à Monasterio Casinensi abest; urbs verò Verulana plus quàm duodecim passuum millibus à monte Casino dissita est. Non video, inquam, quomodo hæc inter se conveniant, nisi quis Martyrologii sensum ita interpretetur, ut* S. Athanasius *Roma Neapolim rediens cœperit Verulis febri laborare, & nihilominus iter suum prosecutus, in via morbo & ærumnis confectus obierit. Caracciolus legit, eum venisse* ad civitatem Nerulanam. *Sed potius* Verulanam *legendum esse suadet itineris ratio, cùm civitas Verulana inter Romam, & montem Casinum sita sit. Atque hæc quidem occasione Martyrologii Romani, quod unicum, haud dubiè ex Tabulis Ecclesiæ Neapolitanæ, Sanctitatem Athanasii nostri confirmat.*

Existimavit Capaccius, teste Caracciolo jam aliquoties laudato, sese invenisse vetus de S. Athanasio *monumentum, nempe nummum, qui in illius honorem cusus sit; de quo lib. 1. pag. 111. sic loqui perhibetur*: Sed quoniam in hos religionis nummos incidimus, animadvertendus nummus ille est, in quo Januarii & Athanasii, quos Sanctissimos habuit Neapolis Episcopos, pietas elucet. *Ex his verbis satis patet, quòd Capaccius* Athanasium *nostrum indicare voluerit; cùm appellet eum Sanctissimum urbis Neapolitanæ Episcopum, qualem certè titulum non tribuisset alteri* Athanasio *Sancti Præsulis nepoti, & in Cathedra successori, qui ea appellatione se indignum reddidit, ut noverat ipse Capaccius, qui apud Ughellum dicit, quod* fortasse adhuc excommunicatus, exosusque vitam *amiserit* circa annum Dom. DCCCXCV. *Cùm verò Capaccius de nummis loquatur, nequaquam censendus est voluisse significare sigillum, quo Neapoli congregatio Hebdomadariorum in* S. Athanasii *fundatoris sui memoriam utitur, in cujus una parte est* S. Athanasii *imago, coram qua Hebdomadarii genuflexi cernuntur, uti tradit Chioccarellus in Catalogo Antistitum Neapolitanorum ad annum Christi DCCCXLIX. pag.* 87.

Igitur vix dubito, quin Capaccius egerit de isto nummo, quem Camillus Tutinus in Vita S. Januarii Italicè conscripta cap. 9. inter alios quarto loco exhibet. In eo ex una parte S. Januarius, & ex altera Athanasius Episcopali habitu induti, & proprio nomine appellati repræsentantur. Sed cùm Tutino & Caracciolo opinor, juniorem Athanasium Sancti nostri nepotem ibi esse expressum, quia in hac nummi parte Sancti titulus, & radii desiderantur, quod utrumque Sanctitatis signum ad quinque imagines S. Januarii ibidem allatas manifestè appositum conspicitur. Ne quis fortè dicat, hunc nummum S. Athanasii *jussu excusum fuisse; præterquam quod id ad quæstionem nostram non pertinet, meminerit, solis Ducibus licitum fuisse nummos cudere, qualis fuit Sergius* S. Athanasii *pater, cujus effigies in uno ex memoratis nummis exprimitur. Quamvis igitur antiqui & genuini supponantur hi nummi, quod operosè discutere hic parum nostra interest, probabilius censeo, in hoc nummo repræsentari* Athanasium *juniorem, qui fuit simul Dux & Episcopus Neapolitanus, uti cuilibet Neapolitanas historias volventi constabit. Nunc Sancti nostri Vitæ chronotaxim paucis pertexamus.*

Verùm de hac re non multis hic disceptandum erit, cùm præcipua illius puncta in antiquissimis Actis annotentur. Anno DCCCXXXII. natus est S. Athanasius *nobilibus parentibus, scilicet patre Sergio, matre Drusa, quam alii* Dosam, *alii* Drosam *appellant. Varios habuit fratres, quorum aliqui in Actis ejus recensentur. Qui Sancti Præsulis genealogiam plenius cupit noscere, adeat Ughellum tom. VI. Italiæ Sacræ col. 112. & 113. Synchronus auctor à nobis post hunc Commentarium secundo loco edendus nativitatis ejus epocham indicat his verbis num. 9.* Hoc itaque orto decima Indictione, *idest anno Christi DCCCXXXII.*, regnante Michaële & Theophilo, Romanæ Ecclesiæ præsidente Gregorio, votum suum facto firmaverunt parentes, prout decreverant, clericum eum facientes *&c. Caracciolus in opere jam citato cap. 35. sect. 1. rectè monet, advertendum esse, ne hic duo diversa confundantur: Indictio enim decima, seu annus DCCCXXXII. non ad* S. Athanasii *Clericatum, sed ad ejus nativitatem pertinet.*

Id, præter alia à Caracciolo allata argumenta, clarissimè demonstrant verba ejusdem Scriptoris coævi, qui num. 26. testatur, eum mortuum esse Idibus Julii, Indictione quinta, regnante Basilio Imperatore, *hoc est anno Domini DCCCLXXII. Deinde autem hæc ibidem subjungit*: Præfatus venerabilis Vir ante Episcopatum vixit decem & octo, & in Episcopatu sedit annos XXII. *Facto horum quadraginta annorum computu, facilè quivis intelliget,* S. Athanasium *anno Christi DCCCXXXII. natum fuisse. Unde miror, quod David Romæus in Septem custodibus ac Præsidibus urbis Neapolitanæ pag. 72., & Cornelius Grasius Carthusianus in Vitis Sanctorum Tom. 3. pag. 172. contra tam evidens testimonium assignarint nativitati ejus annum DCCCXXXV. Eodem testimonio refelluntur omnes illi Scriptores, qui à vera mortis epocha deflexerunt, inter quos, præter duos jam citatos, est Philippus Ferrarius, qui in Catalogo Sanctorum Italiæ mortem ejus anno DCCCLXXVII. consignat, & Ludovicus Zacconius, qui in Vitis Sanctorum Italicè editis scribit, eum anno DCCCLXXXI. obiisse.*

Ex verbis Actorum jam citatis facilè colligi potest, quòd S. Athanasius *admodum juvenis anno DCCCXLIX., ut notat Ughellus, sive DCCCL., ut vult Baronius, Neapolitanam Cathedram ascenderit. Porrò præmonendus est lector, quòd* S. Athanasius *solus tamquam supremus in sua Diœcesi rerum spiritualium moderator Neapolitanam Ecclesiam rexerit. Hoc monitum præmitto, ne quis falsò putet, tunc temporis Neapoli duos fuisse æquales, dum in Actis num. 4., postea inter alias Neapolitanæ urbis laudes leget hæc verba*: Nam & introrsus binas præsulum gestat sedes. *Ne quis igitur hic hallucinetur, noverit, tunc in civitate Neapolitana duplicem fuisse Catholicorum gregem, videlicet Latinum & Græcum, qui suum quisque habebat Antistitem, sed ea ratione, ut Græcus Latino subesset.*

Ita etiam hunc Athanasianæ Vitæ locum intellexit Baronius, dum in Annalibus Ecclesiasticis ad annum Christi DCCCLXXII. num.12. referens S. Athanasii *Vitam, de Ecclesia Neapolitana ait*, quod duplex populus contineretur in ea, nempe Latinus, & Græcus, qui seorsum suos quisque, sub capite tamen uno, perageret ritus. *Atque id satìs liquet, si quis cum Chioccarello jam laudato sic legat*: Nam & introrsus binas Præsulum gestat sedes adinstar duorum testamentorum, quamquam una sit, quæ gubernat & regit reliquam, ut capite reguntur artus diversi. *Imo in quacumque lectione hoc ab Actorum Scriptore satìs innuitur, dum instituit comparationem, quam desumit à* capite, quo reguntur artus diversi. *Qui hæc fusiùs disputata legere vult, videat Antonium Caracciolum in opere jam citato cap.35. sect.2., & Bartholomæum Chioccarellum in Catalogo*

Antistitum Neapolitanorum ad annum DCCCLXXVIII. pag. 95. & sequentibus. Superest, ut de Athanasianæ Vitæ ac Translationis Actis eorumque Scriptoribus quædam prænotemus.

§. II.

Acta Vitæ & Translationis, eorumque Scriptores.

V*Arii res à* S. Athanasio *gestas literis mandarunt, inter quos numerantur Paulus Regius, David Romæus, Cæsar Baronius, Antonius Caracciolus, Bartholomæus Chioccarellus, aliique. De iisdem meminerunt Ferdinandus Ughellus in opere jam indicato, & Nicolaus Parthenius Giannettasius noster in Historia Neapolitana anno MDCCXIII. Latinè edita lib. 7. pag. 145. Sed nos hisce rivulis non contenti, more solito ipsos fontes, ex quibus hi omnes sua hauserant, indagavimus. In hunc finem Antonius Beatillus noster, de Actis Sanctorum optimè meritus, dedit Majoribus nostris manuscriptum Neapolitanorum Episcoporum Catalogum à Joanne Diacono Neapolitano, qui seculo IX. floruit, conscriptum, in quo post alia Neapolitanorum præsulum gesta legitur Vita* S. Athanasii *nostri. Ecgraphum desumptum est ex antiquo Codice Longobardicis characteribus exarato, qui Romæ in Bibliotheca Vaticana servatur. Illustrissimus ac eruditissimus D. Dominicus De Georgio Neapolitanus, vir operis nostri studiosissimus, eamdem Vitam nuper ad nos misit, eo quòd crederet nobis illam deesse. Hanc igitur cum altera collatam primo loco edemus.*

VITA

VITA SANCTI ATHANASII EPISCOPI NEAPOLITANI SCRIPTA A JOHANNE DIACONO NEAPOLITANO

Ex Chronico MS. Episcoporum Neapolitanorum, quod extat Romæ in Bibliotheca Vaticana.

ATHANASIUS Episcopus XXXXIV., sedit annos XXII., menses VI., dies XXIV. Hic autem ab ipso pueritiæ suæ tempore, usque ad Diaconatus honorem, patre suo Sergio Duce, sub tutoribus & actoribus mansit, quatenus negotii secularis ignarus, omni institutione catholica imbueretur. Qualis enim quantusque effulsit, si homines silent, ipsi etiam lapides clamabunt. Infra vigesimum ætatis suæ annum (1) levitali honore suffultus, quasi jam Episcopus, venerabatur (a). Dominus enim, qui providebat Ecclesiæ suæ tantum pastorem, quodammodo de illo suæ clementiæ signum præcordiis humanis indiderat, Antistitem ejus designans futurum. Ille, inquam, ille tanto mellifluus nectare, sic omnes dulcabat, ut Dominus Joannes Episcopus paterno affectu in tantum eum diligeret, quod de eo sinè filii vocabulo numquam os aperiret. Populus cunctus (eum amabat, & non) (2) sinè Domini assertione mirum in modum certatim à singulis laudabatur, &, quod ante secula omnipotens prædestinaverat, cælebs jam & sanctus auspicabatur.

2. Profecto igitur Domino Joanne ad cœlestem patriam, hujus electionem è vestigio cunctus acclamavit populus. Qui mox sublimatus in paucis diebus Romam properavit, ubi honorificè susceptus, cum magna gloria Neapolim repedavit. Inthronizatus ergo ubertatem doctrinæ, quam in pueritia sua suxerat, cœpit affluenter impartiri. Ordinavit autem lectorum & cantorum scholas; nonnullos instituit Grammaticâ imbuendos; alios colligavit (b) ad scribendi officium, ut sic pastor providus aulas (c) sui gregis muniret, quatenus nullus indigens Domino suam præsentaret speculationem, atque verissimè audiret: Floret Sancta Ecclesia in diebus tuis, redempta Sanguine Christi.

3. Præterea Ecclesiam (3) Sancti Januarii in ipso cubiculo positam renovavit, nobiliumque Doctorum effigies in ea depinxit, faciens ibidem marmoreum altare cum regilis (4) argenteis, supra quod velamen cooperuit, in quo martyrium Sancti Januarii ejusque sociorum acupictili opere digessit. Eodem enim opere in Ecclesia Stephania (5) tredecim pannos (6) fecit, evangelicam in eis depingens historiam, quos jussit de columnarum capitibus ad ornamentum pendêre, & in altare ejusdem Ecclesiæ hujus operis quatuor velamina obtulit, multo auro, multisque gemmis decorata: plurimos enim pannos facere studuit, quos in Ecclesiarum ornamentis maluit offerre. Ex argento igitur non pauca vasa in ipsa fecit Ecclesia; nam ad magnas, brevesque (d) fabricandas coronas, & alia sacra vascula quadraginta octo libras argenti appendit. Ex eodem itaque metallo fecit magnam patenam, sculpens in ea vultum Salvatoris, & Angelorum, quam intrinsecus ex auro perfudit.

4. Item paravit duas conchas argenteas appendentes libras viginti, ex quibus una nomen Sergii exaratum habebat; fecit & comitidas

(1) *Jam ex num. 9., 10., & 11. Commentarii prævii patet, quòd* S. Athanasius *anno ætatis suæ decimo octavo Neapolitanam Cathedram adierit.*

(a) *al.* numerabatur.

(2) *Hæc uncis inclusa hìc inserere coactus sum: nam nullus erat sensus.*

(b) *fortè* collocavit.

(c) *lege* caulas.

(3) *Per* Ecclesiam S. Januarii in ipso (*vel ut habet Chioccarellus pag.* 88. in ejus) cubiculo positam *intelligo parvum oratorium, quod* S. Athanasius *in cubiculo domus suæ Episcopalis renovavit. Possent fortè Neapolitani quidam hoc intelligere de Ecclesia super ipso S. Januarii cubiculo exstructa. Sed tum litem movebunt Beneventanis, qui in urbe sua S. Januarii domum monstrant. Quidquid sit, nondum venit tempus, ut huic controversiæ nos immisceamus.*

(4) *Diu frustra quæsivi hanc vocem; sed ex sensu suspicor, limbos argenteos significari.*

(5) *De hujus Ecclesiæ situ & etymologia fusè disputat Chioccarellus pag. 92. & 93., qui à curioso lectore adiri potest.*

(6) *Auctor per* pannos, *hic intelligit peristromata, ni fallor.*

(d) *al.* hucusque.

tidas (7), quibus cantores per festivitates uterentur. In ipso verò Episcopio ad quotidiana ministeria in cochleariis (8), catenisque, ferè centum libras contulit argenti. Ordinavit etiam, ut in Ecclesia Salvatoris omni die Missa publica cum diptychis celeberetur, offerens ibidem terras ex quibus ejusmodi aleretur collegium. Deinde ordinavit xenodochium in atrio prædictæ Ecclesiæ multis terris oblatis, quatenus egenorum & advenarum esset repausatio. In Ecclesia denique Sancti Januarii foris sita, Monachorum Collegium sub Abbatis regimine ordinavit, offerens eis unum hortum in campo Neapolitano positum.

5. Multas igitur Ecclesias, quarum Sacerdotes paupertate laborabant, oblatis suæ largitionis muneribus, suæque præparationis rebus sublevare curabat. Quæ si cuncta recensere volumus, & nobis etiam est longum ire per singula & lectoribus ingerimus non parvum fastidium. Eodem quoque tempore Misenatis (9) Ecclesia, peccatis exigentibus, à Paganis devastata est, cujus omnes pene immobiles res, hoc præsule, supplicante genitor ejus Sergius Dux Neapolitano concessit Episcopio, & in altare Ecclesiæ Stephaniæ cooperuit velamen cum auro & gemmis, atque listis (10) ornatum, quod ipsius & uxoris ejus Drusæ (e) continet nomen. Dedit etiam in ejusdem Episcopii bibliothecam tres Flavii Josephi codices.

6. Præterea mortuo Sergio Consule, & Gregorio filio ejus ducatum regente, Saracenorum ferocitas ita in his prævaluit regionibus, ut multarum urbium, atque castrorum quotidianum fieret excidium. Idcirco Lhodogvicus (11) Imperator supplicatione commotus Longobardorum, ad eorum liberationem validum movit exercitum, asserens se rationem redditurum, si pro quibus Christus descendit de sinu Patris, subiens corpoream mortem, non eos à paganissimo jugo liberaret oppressos. Hujus autem adventui omnium circumquaque urbium patuit introitus, solummodo Neapolitanam non est ingressus civitatem, quia tantam iste Dominus Athanasius familiaritatem apud eum obtinuit, ut saltem in modico non amaricaretur ab ejus potestate. Beneventi itaque commorans magnam de cœlo accepit victoriam. Ita ut Agarenis (12) fame & gladio interemptis, & Rege eorum (f) Seodan capto, civitates, quas ceperant, auferret, & in pristinum revocaret dominium.

7. Interea Gregorius Dux, habito cum suis germanis consilio, præsertim cum Domino Athanasio Episcopo, statuit Consulem Sergium filium suum; nec multo post diuturnitate ægritudinis spiritum exhalavit. Quo mortuo, Sergius Consul, instinctu malorum hominum, cepit omnes germanos patris sui, etiam eumdem Præsulem, quibus segregatim custodia mancipatis, infra septimi diei spatium collecti omnes Monachi servi Dei Sacerdotes & Clerus clamabant lachrymis profusis: Sergi Consul, redde nobis Pontificem, dimitte Sanctum, patrem orphanorum, defensorem viduarum, totius regionis lumen, consolatorem tristium; solve hominem, per quem omnis patria pacificata manebat; alioquin gratam suscipiemus peregrinationem, quatenus nobis absentibus tanti sceleris ira in te desæviat. Quid gereret, quò se verteret non habebat, coangustatus itaque tandem aliquando memoratum Antistitem illis dimisit, tali sacramento constrictum, ut nusquam sinè consensu ejus abiret, nisi tantùm ad ecclesiasticam explendam consuetudinem.

8. Diebus igitur decem expletis, commeatum petivit, quasi convivium Monachis insulæ Salvatoris (13) exhibiturus; quo accepto nihil moratus, cum omnibus clericis in eamdem ascendit insulam. Desiderabat enim quodam modo suos germanos ex ergastulo, quo detinebantur, producere; sed Sergius nolens à tanta mentis obstinatione recedere, ajebat: non solùm autem istos patiar esse solutos; insuper eumdem Episcopum ex ipsa insula trahere conabor. Propterea Dominus Athanasius Episcopus suum apocrisiarium (14) Domino Lhodogvico Imperatori destinans, insinuavit ei quæ & quanta à suo pateretur nepote. Tunc ille ex urbe Beneventana Marino seniori Amalphitanorum præcepit, ut illum ex prædicta insula cum omnibus ejus hominibus incolumem, quò vellet, perduceret. Marinus autem imperata complere festinans, Surrentum illum cum omnibus salvum perduxit.

9. Hic itaque eo degente, Beneventani & Salernitani æmulatores tantæ bonitatis prædicti Imperatoris, insurrexerunt cum consilio Sergii Ducis contra eum: Quo capto unàque cum conjuge sua recluso, plurimi Franci amisso pastore, luctifero ululatu reversi sunt in regionem suam. Postmodum verò Beneventani, Salerno jam à superventu Saracenorum obsesso, dimiserunt ipsum Imperatorem sub sacramento districtum, quod nullatenus pro tanta inhumanitate, quam ei ingesserant, redderet eis meritum. Cui Athanasius Episcopus obviam ire satagens illico Surrento egressus, Romam properavit, ibique detentus est paulisper ab Adriano Papa, ac deinde egressus Ravennam occurrit prædicto Imperatori. Sicque cum eo revertens in eamdem Urbem multis

(7) *Quid per* comitidas *velit Auctor, ignoro. Conjicio ex sensu fuisse quoddam vestimenti vel instrumenti genus, quo Lectores in Ecclesia utebantur.*

(8) Cochlear *&* Cochlearium *inter vasa ecclesiastica numeratur apud Cangium: aliàs est instrumentum satis notum, quo ad comedendum utimur. Alterutrum hic significare potest.*

(9) *Est hujus nominis mons & oppidum in Campania, & vulgò vocatur* Miseno. *Dicitur hic vastata ea Ecclesia à Paganis, per quos intelligendi sunt Saraceni. De hoc loco plura ex veteribus adfert Christophorus Cellarius in Notitia Orbis antiqui part. 1. lib. 2. cap. 9. pag. 530.*

(10) *Id est limbis: nam nomen Italicum* lista *etiam limbum significat. Belgæ, Germani & Angli in eadem significatione adhibent hanc vocem paulo aliter inflexam, quam ab origine Anglo-Saxonica deducit Spelmannus in suo Glossario.*

(e) *al.* Dolæ.

(11) *Is est Ludovicus II. Lotharii I. filius, in historia satis notus, & bellis contra Saracenos in Italia gestis præcipuè memorabilis.*

(12) *Per Agarenos designantur Saraceni, ut testatur S. Hieronymus in commentario ad Ezechielem lib. 8. cap. 25.* Sed, *inquit Nicolaus de Lyra in cap. 20. Isaiæ,* maluerunt vocari Saraceni, quasi Saræ liberæ, non Agar ancillæ sint filii. *Alii à regione Saraca, alii ab Arabica vel Hebraica voce nomen Saracenorum derivatum volunt.*

(f) *al.* Sendam.

(13) *Hæc insula, teste Chioccarello, olim castrum Lucullanum dicta, ab urbe Neapolitana duodecim ferè stadiis abest.*

(14) *Hoc nomen à Græca radice deductum varias habet significationes, de quibus fusè disputat Cangius in suo Glossario. Videtur hic significare nuntium vel legatum.*

tis precibus ab eo extorsit, ut suæ immemor injuriæ suffragaret Salernitanis, Ismaëlitarum (15) obsidione vallatis, prædicans illi judicium Domini, in quo unusquisque secundùm adinventionem manuum suarum sit recepturus.

10. Unde pius commotus Augustus armatam direxit multitudinem, ut, Domino protectore, bellum inirent adversùs illos. Qui celeriter venientes, atque plurima cæde Saracenos prostrantes, triumpho de cœlo donato, victoriosissimi repedarunt. Cæsarius (16) verò germanus ipsius prædicti Præsulis in ipsa custodia vitam finivit. Athanasius autem itinerans cum eis, vi febrium laborare cœpit, & quinto decimo die expleto, omnibus flentibus, migravit ad Dominum; cujus corpusculum ad Monasterium Sancti Benedicti, quod situm est in Monte Cassino, deportantes, in Ecclesia Sancti Petri Apostoli ibidem constituta sepelierunt Indictione quinta anno Imperatorum (DCCCLXXII. (17)) Fuit autem temporibus Leonis, & Benedicti, & Nicolai, & Adriani Apostolicorum. (18)

(15) *Ismaelitarum nomine etiam appellantur Saraceni vel Agareni, de quibus Nicolaus de Lyra in cap. 10. Isaiæ sic scribit*: Arabes sunt Saraceni ab Ismaele & Cadar filio ejus, qui meliùs à matre sua Agareni.

(16) *De hoc* S. Athanasii *fratre meminit Carolus Sigonius lib. 5. de Regno Italiæ, aliique citati apud Ughelium tom. 6. Italiæ Sacræ col. 112.*

(17) *In altero Ms. nostro is annus disertè exprimitur, qui in hoc Ms. omissus erat. An autem & quis illum numerum postea addiderit, an in ipso authographo inveniatur, ignoro. Idcirco eum hìc uncis inclusi.*

(18) *Haud dubiè Joannes Diaconus vult indicare, quòd* S. Athanasius *sub istis Pontificibus fuerit Episcopus: nam constat, quòd sub aliis eorum prædecessoribus fuerit, vel vixerit, ut cuilibet chronologiæ ecclesiasticæ non omnino imperito manifestum est.*

AD

AD ACTA VITÆ, ET TRANSLATIONIS SANCTI ATHANASII EPISCOPI NEAPOLITANI

OBSERVATIONES PRÆVIÆ A RR. PP. BOLLANDIANIS EXCERPTÆ.

Cum in Antonio Caracciolo legissem, insuper aliam extare S. Athanasii *Vitam, quam ipse olim ex MS. Monasterii in Monte Casino descripserat, protinus ad memoratum D. De Georgio studiorum nostrorum amantissimum literas dedi, ut ea* S. Athanasii *Acta impetrarem. Is pro sua erga nos benevolentia statim eadem ex codice Casinensi describi jussit, & Monasterii ejusdem sigillo munita anno MDCCXXIII. perhumaniter ac munificè ad nos transmisit. Sed cùm amanuensis non fuerit Longobardici characteris peritus, ecgraphum hoc, alioqui nitidissimè scriptum, tot mendis refertum est, ut coactus fuerim illud cum quibusdam ejusdem Vitæ fragmentis, in Baronio, Chioccarello, Caracciolo, & Ughello occurrentibus, operosè conferre, &, ubi istud adjumentum deerat, ex probabili conjectura corrigere. Hæc Acta eo modo, quantum fieri potuit, correcta secundo loco typis mandabimus.*

Laudatus amicus noster D. De Georgio etiam Neapoli ex pervetusto codice Langobardico, qui ibidem extat in archivo SS. Apostolorum apud Theatinos, describi curavit S. Athanasii *Translationem, à Joanne Baptista Caracciolo ejusdem archivi præfecto subnotatam & solito Religionis sigillo munitam, quam cum alia jampridem habita collatam post utraque Acta vulgabimus. Subnectuntur huic Translationi quidam versiculi adeò obscuri, ut eorum sensum vix explicet OEdipus. Ego ingenuè fateor, me eos non intelligere. Nihilominus curiosi lectoris oculis illos subjicio, si quis fortè in divinando me felicior eos interpretari possit. In utroque MS. nostro sic leguntur:*

Quisquis Athanasii Vitam, miraquè Beati,
Quæ gessit, legeris talia scripta patris.
Lunissi scito renovavi mente serena
Præsulis exiguus ductus amore prolis.
Illius ut caream probris prece necne piaclis
Ingrediar summa Elisiique zetam.

Judicabam primo intuitu, hæc carmina esse vitiosè descripta; sed præterquam quod duplex MS. diversum illa eodem modo exprimat, testatur jam dictus Joannes Baptista Caracciolus, quòd perspicuis literis *ita scribantur, quamvis simul fateatur, sibi nondum compertum esse, quid ea sibi velint. Ego, ut dixi, illorum interpretationem libenter aliis relinquo. Interim examinemus, quinam sint Actorum & Translationis scriptores.*

Satis inter eruditos convenit, Joannem Neapolitanæ Ecclesiæ Diaconum, qui seculo IX. vixit, primam & breviorem S. Athanasii *Vitam suo Neapolitanorum Præsulum Chronico inseruisse. Sed potissima controversia est, quis altera seu prolixiora ejusdem Sancti Acta conscripserit. Baronius ad annum Christi DCCCLXXII. num. IV. prolixioris Vitæ auctorem indicat his verbis:* Hoc item anno, quo mortuus est Hadrianus Papa, pariter ex hac vita migravit, sed ante ipsum, S. Athanasius Episcopus Neapolitanus, ita testante Petro Diacono Cassinensi, qui hoc item tempore vixit, resque ab eo præclarè gestas conscripsit. *Nescio, unde Baronius hunc Petrum Diaconum Casinensem, seculi IX. Scriptorem eruerit. Saltem in Actis* S. Athanasii, *quorum magnam partem ibidem Annalibus suis inseruit Baronius, nullibi nomen suum aut vitæ professionem prodit auctor. Certè synchronus illorum Actorum auctor esse non potuit Petrus Diaconus Casinensis, qui tantùm seculo XII. plura edidit opuscula; neque illius magister, eodem nomine appellatus, de quo prædictus Petrus in opusculo de Viris illustribus Casinensibus cap. 39. ita scribit:* Petrus Diaconus institutor meus, declamator insignis, è civitate Theanensi, de qua oriundus erat, egrediens, Casinum advênit, atque ab Oderisio Abbate Monachus factus est. *Is autem Oderisius seculo XII. fuit Abbas, ut videre licet apud Camillum Peregrinium in serie Abbatum Casinensium pag. 64.*

Censeo itaque cum Antonio Caracciolo, anonymum esse hujus Vitæ Scriptorem, qui ætate S. Athanasii *vixerit; quod postremum elicio ex his Prologi verbis num. II.* Quem (*libellum*) si quis attentiùs legerit, non modicam ædificationem sibi acquiret, Dei hominis actus imitando, & opifici omnium immensas gratias referendo, qui nostris temporibus antiqua miracula per famulum suum perpetrare dignatus est. *Deinde in ipsis Actis num. VI. ita habet:* Quandoquidem nostris nuper temporibus Sanctissimus Athanasius ejusdem urbis Præsul in cunctis piis operibus ita carus extitit Deo, ut ejus non immeritò Actis vita æquipararetur beata. *Immo existimo, hanc Vitam à nullo Monachorum Casinensium scriptam fuisse, quia auctor de Monasterio Casinensi, non ut proprio, sed velut alieno sic loquitur num. XXVII.* Inde portatus usque ad Montem Casinum, flentibus omnibus, sed exultantibus Angelis; quem suscipiens omnis sancta congregatio illius Monasterii (*verosimiliter dixisset nostri,*

si fuisset Monachus Casinensis) dignè ac decentissimè sanctissimum corpus condiderunt in Ecclesia Beati Principis Apostolorum . . . . . . ubi exuberant multa mirabilia per eum ad laudem Domini nostri Jesu Christi, usque in præsentem diem. *Ex his postremis verbis etiam potest colligi, quòd hæc Acta composita fuerint, antequam corpus* S. Athanasii *post quinquennium ab ejus morte è Monte Casino Neapolim transferretur. Quamvis ex iis omnibus nihil sciam de scriptoris nomine aut professione, tamen suspicor, illum fuisse civem atque incolam Neapolitanum, cùm totus sit in accumulandis hujus urbis laudibus, ut ex initio Actorum patet.*

Bartholomæus Chioccarellus in Catalogo Antistitum Neapolitanorum ad annum 849., pag. 90. de duplici S. Athanasii *translatione ita meminit*: Quinto post ejus obitum anno, ab Athanasio juniore ejus nepote, Episcopo ac Duce Neapolis, fuit Neapolim solenniter Venerabile ejus Sancti Corpus translatum, & in porticu celeberrimæ Ecclesiæ Sancti Januarii extra urbis mœnia collocatum in Oratorio Sancti Laurentii ejusdem Sedis Antistis & juxta antrum Sancti Joannis prædecessoris ac magistri, ubi miraculis fulsit. Dein in majorem Ecclesiam translatum fuit, ubi adhuc requiescit in sacello nempe Sancti Salvatoris. *Nescio, quo tempore & modo facta sit hæc ultima translatio ex Oratorio S. Laurentii ad Cathedralem Neapolitanam. Priorem translationem, post quinque à Sancti obitu annos factam,* Anonymus Auctor, *inquit Chioccarellus loco citato,* qui omnibus interfuit, accuratissimè conscripsit. *An omnibus interfuerit, affirmare non ausim; coævum tamen fuisse, satis ex ipsa narratione apparet. Imò eumdem esse, qui Acta Sancti collegit, conjicio ex Prologo translationis, ubi num. 2. hæc verba profert*: De cujus (*videlicet* S. Athanasii) vita aliquid adhuc fari cupiverat animus; sed in libello præcedenti de ejus vita & moribus, quantum iners stylus valuit rimari, secutum est. *Observa, quòd narrator translationis inertem præcedentis libelli, in quo Sancti vitam & mores exposuerat, stylum excuset. Jam tempus est, ut memorata tum Vitæ, tum translationis Acta promisso ordine exhibeamus.*

VITA

VITA
SANCTI ATHANASII
EPISCOPI NEAPOLITANI
AUCTORE
ANONYMO COÆVO

Ex Regesto S. Placidi, Longobardicis literis exarato, à pag. 131. qui Codex servatur in Archivo Monasterii Casinensis.

PROLOGUS.

Gloriosus, & laudabilis vitæ cursus, ad quam viri Dei pro desiderio superni regni laborioso properare contendunt conamine, etsi verbis utcumque exteriùs explicari valet, interiorem conversationis vim, qua Deo sedulò adhærent, nullus, ut reor, sermo, nulla umquam medullitus prodit oratio. Quandoquidem nunc novissimis temporibus ita Christi cultus in aliquibus propensiùs fervet, ut nulli videatur ambiguum, illos, finito Mundi certamine, à bono præsenti siderea regna penetrare securos (1). E quorum Collegio venerabilis vir Athanasius Episcopus, bonæ arboris bonus fructus, ab ipso tirocinii sui exordio, quasi splendidissimum sidus inter astra rutilantia, luclidiùs effulsit: quippe qui animo puerili senile cor gerens, nulli voluptati se subdidit, sed in Dei amore, servitioque promptus, in vigiliis, & orationibus pervigil, in lectionibus & eleemosynis indeficiens, in Ecclesiasticis curis solicitus extitit, ut meritò credatur, abjectis temporalibus commodis, æterna mercasse gaudia, si varia miraculorum suffragia, quæ, Deo donante, ipsius meritis quotidie ejus ad tumulum fiunt, pensentur.

§.2. Non ergo mirum, aut difficile, nisi indoctis, & incredulis videtur, cælibem, & Deo dignum virum etiam nunc in hac præsenti vita reperiri; cùm Dominus dicat: Pater meus usque modo operatur, & ego operor. Huic non immeritò dicitur à Deo: Bonum certamen certasti; fidem servasti, suscipe coronam, quæ tibi reposita est: Et illud: Euge serve bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui. Si autem quisquam æmulus veritatis existens, contradicere tentaverit, non posse quemquam amodo divinis coruscare miraculis, recolat, quod ait Salvator: Qui in me credit, opera, quæ ego facio, faciet. Et alibi: Quæ impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum. Et iterum: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Si autem veraciter caput cum membris suis in Ecclesia usque in finem conversatur, non incredibile dicitur, ea posse operari nunc Dominum per fideles suos; sed & Salomon ante tot annorum curricula hoc confirmat dicens: Gratia spiritus per regenerationes transiens in animas sanctas, amicos Dei, & Prophetas operatur (2). Præfati etenim venerabilis viri patriam, prosapiamque, vitam, & mores sequens libellus continet: quem si quis attentiùs legerit, non modicam ædificationem sibi acquiret, Dei hominis actus imitando, & opifici omnium immensas gratias referendo, qui nostris temporibus antiqua miracula per famulum suum perpetrare dignatus est, ad laudem, & gloriam nominis sui, qui vivit & regnat in secula seculorum. Amen.

CAPUT I.

S. Athanasii patria, parentes, pia educatio, & clericatus in pueritia.

§.3. Italiam partem esse Europæ nobilissimam, ac ditissimam, juxta trifariam Orbis dimensionem, nemo, qui vel ex parte cosmographiam noverit, ignorat. Quæ quidem in duabus insulis (3), & sexdecim dividitur provinciis, quarum septima nuncupatur Campania, frugum, omniumque pomorum fœcunda; quæ sicuti ferax est, diversa proferendo fructuum germina, ita cœlibes, & Deo dignos viros sæpe produxit, & educavit: inter quos Athanasius, quasi novum sidus, non mediocriter emicuit. Hæc igitur Campania habet civitates decentissimas, & valde opimas; ex quibus una est Heneapolis (a), quæ post civitatis Trojanæ excidium, ab Enea filio Anchisæ, & Veneris condita (4), ita præpotens, & amœna est in structuræ scilicet munitionibus, situ subur-

(1) *Obscurior paulo syntaxis. Plures hujusmodi constructiones in his Actis occurrentes semper annotare non placuit, dummodo utcumque sensus intelligatur.*

(2) *Auctor sensum potius, quàm verba S. Scripturæ profert. Id etiam alibi ab eo factum est.*

(3) *Non adeò promptum est divinare, quas duas insulas auctor hìc intelligat, cùm in Italia plures sint insulæ, si præsertim minores computentur.*

(a) *al.* Neapolis.

(4) *Puto hæc ab aliquo intrusa esse, qui undecumque Neapolitanæ urbis antiquitatem extollere volebat: nam Chioccarellus hujus auctoris verba sin-*

urbano, & Christicolarum, interius degentium, religione, ut in Hesperia (5), post Romanam urbem, nulli reperiatur esse inferior. Quæ nimirum quantum sit egregia Virgilius in distinctis versiculis sui epitaphii, quod sibi ipse moriens dictaverat, manifestat, cùm eam Parthenopem, hoc est virginem, à quadam puella innuba, olim inibi degente, appellaverit.

§.4. Hanc denique Octavianus (6), & Constantinus Imperatores ampliaverunt; hujus decori Belisarius patricius ex præcepto Justiniani Imperatoris septem mirificas turres addidit, quas Augustales, & ob numerum tetragonas, hexagonasque fecit (7). Narsis denuo patricius, & Augustorum cubicularius, postquam Italiam, Wandalis, & Gothis interemptis, eorum ab efferitate exuit, maximam in ea partem auxit, ita ut ex una parte maris illam muniret (b) contiguo ob navium receptaculum, & tam firmissimo munivit ædificio, ut etiam onustæ mercimoniis trieres (8) à supereminentibus validissimè tueantur. Sed cur immoramur in exterioribus ædificiis, quæ utique meliùs à conspicientibus cernuntur, quàm eloquentia cujuslibet valeat sophistæ fari? Quandoquidem ita interiùs frequentissimis Ecclesiis, ac præclaris, antiquæ videlicet, & vetustissimæ structuræ editis, nec non & Monasteriis virorum, & puellarum farta (c) retinetur, ut horum continuis precibus, nocturnis, diuturnisque adjuta, invictrix consistat, & tuta. Nam & introrsus binas præsulum gestat sedes adinstar duorum Testamentorum, (quamquam una sit) quæ eam gubernat, & regit reliquam, ut capite reguntur artus diversi (9).

§.5. Reperiuntur planè in ea templa, prisco constructa ædificio; quoniam non solùm à Constantino piissimo Principe Augustorum Christianissimo, sed plures ante annos Christiana inibi religio floruit. Siquidem Beatissimus Petrus Apostolorum Princeps Aspren (10) Sanctissimum primum (ibi) ordinavit Episcopum. Nam & Beati illius (d) Agrippini (11) Ecclesia hactenus demonstratur, qui quintus à supradicto Aspren Episcopus ordinatus est, quique & patronus, & defensor est istius civitatis. Beatissimum quoque Januarium, Christi martyrem, postea (12) Neapolites meruerunt habere tutorem, quibus annitentibus, faventibusque præfata urbs, Deo favente, tuta remansit, manebitque in ævum; quoniam quasi duas firmissimas bases, duoque candelabra splendentia gloriatur se habere supradictos Patres eadem civitas, duabus fulta alis, idest duorum Sanctorum fisa precibus. In qua laici simul cum clericis assiduè Græcè, Latinèque, communi prece psallunt Deo, debitumque persolvunt jugiter Officium; in qua etiam indigenæ, & inquilini non circumeundo domos in peregrinorum habitu stipem publicè expetunt, sed loco, quo commorantur, omnia necessaria, quæ desiderant animo, abundantissimè percipiunt; & juxta præceptum Dominicum prædictæ urbis accolæ potiùs Lazaros (e) quæritant, & exhibent largiùs, quibus indigent, quàm inopes affluentum inquirant opes (13).

§.6. Idcirco à multis crebrò expugnata gentibus, & priùs à Wandalis, postremò à Longobardis indesinenter oppressa per annos fermè ducentos, inviolata persistit, & invicta ab omnium hostium concussione; quoniam civitas hæc, civitas misericordiæ, & pietatis est, hinc inde vallata omni bonitate; quæ quidem meruit tot, talesque patronos habere apud Deum in exorando, meritò hujuscemodi debuit protectione tutari, ut & bonis exuberet opibus, & à cunctis existat adversariis illæsa. Quid ergo de structuris diversis diversa conamur astruere, vel de priscorum in ea civitate Sanctorum copia ex prædicta prodeuntium urbe, narrare tentamus, quorum conversatio est in cœlis? Quandoquidem nostris nuper temporibus (14) Sanctissimus Athanasius, ejusdem urbis præsul, in cunctis piis operibus ita carus extitit Deo, ut ejus non immeritò justorum actis vita æquiparetur beata; cujus mores tunc veriùs retexuntur, si à progenitoribus ipsius exordium sumatur.

§.7. Anno igitur Incarnationis Jesu Christi Domini nostri extante octingentesimo trigesimo quinto, Indictione tertia decima, Sergius quidam vir per omnia strenuus, Neapolitum de prosapia procerum ortus, ab ipsis cunabulis

---

singillatim referens pag. 95. ita legit : Hæc igitur Campania habet civitates decentissimas & valde opimas, ex quibus una est Neapolis, quæ quo tempore, vel à quo sit condita structore, & à priscis & modernis historiographis reticetur. *Hæc profectò multum à sensu MS. nostri differunt. Atque hinc colligo, Acta nostra ab amanuensi aliquo facilè interpolari potuisse in iis, in quibus cum aliis non conveniunt.*

(5) *Italia à Græcis compellatur Hesperiæ nomine, quod occidentalem regionem sonat, qualis est Italia, si ad Græciam referatur. Unde Virgilius lib. 1. Æneidos de Italia loquens, dicit esse terram, quam* Hesperiam Graji cognomine dicunt.

(6) *Hic Chioccarellus in suo MS. ita legit :* Hanc denique Octavianus Augustus Neapolim jussit vocari, idest novem civitatum dominatrix, & velut nonnulli asserunt, novam civitatem, quod quàm sit absurdum, scrupulum movet: cujus enim ex vetustate nescitur initium, nova cur dici valeat, non facilè animadvertitur, præsertim cùm ab illo non sit, ut putatur, condita. *Hæc omnia in MS. nostro non inveniuntur. Hinc augetur conjectura mea, quam supra indicavi; nempe Acta illa ab amanuensium corruptione non omnino pura esse.*

(7) *Non intelligo, quare Belisarius ob numerum septem turrium, figuram earum quadrangulam aut sexangulam fecerit. Fortè hic irrepsit sphalma quoddam amanuensis.*

(b) *al.* uniret.

(8) *Idest* triremes *à voce Græca* τριήρης, *quæ triremem significat.*

(c) *al.* referta.

(9) *De hac comparatione fusius egi in Commentario prævio num. 12.*

(10) *Hujus Sancti festum colitur 3. Augusti, quando ejus Acta, Deo favente, illustrare conabimur.*

(d) *al.* illò.

(11) *Hic Sanctus Præsul colitur 9. Novembris, quando de illo agendum erit.*

(12) *Caracciolus in sacris Ecclesiæ Neapolitanæ monumentis cap. 35. sect. 2. pag. 359. ad hoc temporis adverbium notat sequentia :* Intellige aliquo protectionis signo postea demonstrato: cùm alioqui longè antea constet Januarii patrocinium, ut dixi in historia S. Januarii sectione XXI.

(e) *al.* Lazarum.

(13) *Hic sensus etiam in variis MSS. variè legitur. Auctor, inquit Caracciolus pag. 360.* alludit ad Diaconias, quæ etiam ptochiæ dictæ sunt. *Sunt autem ptochiæ domus mendicorum, ita appellatæ à voce Græca* πτωχὸς, *quæ* mendicum *significat.*

(14) *Ex his verbis colligi potest, Actorum scriptorem* S. Athanasio *coævum fuisse; quod idem pluribus argumentis confirmavi in Commentario prævio cap.* Censeo.

bulis gemino de germine nobilis, sed longè nobilior mente, gratus parentibus, sed Deo non ingratus (florebat). Quo videlicet tempore ingentem sustinebat dicta urbs à Longobardorum agminibus persecutionem, ita ut singularis hic quæreretur ab his interimendus, veluti Moyses famulus Dei ab Ægyptiis. Metuebant proculdubio, ne sicut ille illis ad ruinam, ita iste istis ad perniciem daretur aliquo modo, ideoque innumerabilia probra, dispendiaque non parva pertulit, pro sua, suorumque optata civium commoditate. Cùm autem ad virilem pervenisset ætatem, literis tam Græcis, quàm Latinis favorabiliter eruditus est, ita ut si casu librum Græcis exaratum elementis in manibus sumeret, Latinè hunc inoffensè cursim legeret, & Latinos libros in Græco expeditè sermone rimaret. Tantæ namque prudentiæ, ac modestiæ, tantæque patientiæ (laude) decoratus est, ut penes Gregorium (15) Romanæ Sedis Pontificem, ergaque serenissimos viros Lodoicum piissimum cognomento Almum (16), ejusque sobolem Lotharium (17) invictissimos Cæsares familiarissimus esset, maximumque obtineret honoris locum, quoniam frequenter eorum regalia (18) adibat, ob infestationem jam dictarum gentium suam urbem sæpe impugnantium. Hic ergo non ab re salvator propriæ gentis nuncupari potest, per quem populus, & civitas ab obsessione immunis efficitur. Hujus rei gratiâ etiam suæ gentis primatum obtinere promeruit. Nam rectore obeunte jam dictæ civitatis, dum hic absens esset, cives, affinesque illius omnes, Ducem sibi illum statuerunt pari consensu, & petitione. Mox, Dei opitulante misericordia, quievit persecutio sinistræ immissionis.

§. 8. Sed ut paululum stylus retrovertatur, præfatus vir accepit conjugem dignam generis sui, nomine Drosu, principali propagine satam, ipsamque cunctis honestam moribus, & claritate perspicuam, ut jure ei aptari conveniat quod de sapientibus mulieribus Salomon profatur: Mulierem, inquit, fortem quis inveniet? Procul. Et paulò post: Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum Senatoribus terræ, & reliqua quæ sequuntur. Quibus conjunctis, turba sobolum secuta est, Domino largiente; ex quibus unus, illis adhuc viventibus, Gregorius nomine, militum magister (19) constituitur; vir per omnia strenuus, ut genitor, & in Græca, Latinaque lingua peritissimus: duo verò Episcopale sortiuntur ministerium. Unus ex his duobus est, de quo loqui nitimur, Athanasius. Hunc etenim priùs quàm in alvo sua gestaret genitrix, viro nòn reluctante, immo id magnopere flagitante, Annæ Sanctæ imitata (exemplum) vovit Deo, ut de uteri sui fructu, si inesset proles, æquo assensu, Christo traderent ad famulandum, Athanasiumque vocitarent, idest immortalem (20) ob amorem, & honorem doctissimi Sancti Athanasii Alexandriæ Præsulis; non ignari hujus mysterii, quod immortalis sonat; quoniam Dominus ait: Qui in me credit non morietur in æternum.

§. 9. Hoc itaque orto, decima Indictione (21) Regnante Michaële, & Theophilo, Romanæ Ecclesiæ præsidente Gregorio, votum suum facto firmaverunt, prout decreverant, Clericum eum facientes, in Ecclesia Beatæ Dei Genitricis semperque Virginis Mariæ ad informandum Ecclesiasticæ regulæ documentis indiderunt; sed non multò post Johanne (22) reverendo viro Neapolis ordinato Præsule; genitore verò fati viri Ducatus jam regimine suscepto, confestim igitur supradicto Pontifici jam fatus ordinatus est puer, non ut filius, sed ut famulus infimus. Quem vir Dei libenti suscepit animo, & videns eum in Dei timore, atque servitio ex toto esse ferventem, & donum, gratiamque in eo adesse cœlestem, & proficientem quotidie in Dei timore, & literarum eruditione, affectu materno eum amplexans, quasi pius pater pium diligebat liberum; eumque videns in Ecclesiasticis instrumentis, officiisque divinis pollentem, Subdiaconii ministerio junxit; Quod ille, ne sprevisse ut minimum videretur, suscipere non renuit. Futuræ namque humilitatis specimen, quod in Pontificatu dein culmine (exhiberet,) in adolescentia senili jam in mente ostendebat, ministrabatque fidissimè pastori suo, prout Samuel innocuus Heli Sacerdoti, sub reverentia divinæ Majestatis; & non solùm illi, sed & omnibus Clericis etiam infimis, corpore, & corde se exhibebat inferiorem.

§. 10. Peractis itaque hujuscemodi religionis obtentu septem continuis annis, cùm cerneret memoratus Præsul animam ejus fervescere in amore Creatoris sui, & in humilitatis proposito immobiliter perdurare, Christi septimum in eadem Ecclesia Levitam sublimavit, illustratum videlicet septiformis Spiritus Sancti gratiâ. Is autem Diaconatum excipiens, non in vanæ gloriæ lapsus est jactantiam, sed pietatem in se perspiciens cœlitus collatam, potiorem humilitatem ostendebat in moribus, habituque priore, sententiæ profectò Salomonis non immemor dicentis: Quanto magnus es, humilia te in omnibus. Noverat & vocem intonantem herilem: Qui se exaltat, inquit, humiliabitur. Sectabatur etiam humillimam magistri gratiam, qui eum sumpserat ad imbuendum. His ergo aliisque quamplurimis charismatum ditatus muneribus crescebat quotidie, velut fidus athleta in templo Domini, prœliaturus nihilominus adversùs omnia figmenta diabolica.

CA-

(15) *Idest Gregorius IV. summus Pontifex, qui obiit anno 844.*

(16) Almus *hic idem est quod* Pius: *nam constat ex historiis, Ludovicum I. Imperatorem hoc cognomine appellatum fuisse.*

(17) *Hic Lotharius rebellione contra Ludovicum Pium, patrem suum satis in historia notus est.*

(18) Regalia *idem hic est, quod* palatia. *Eadem voce in hac significatione utitur Freculfus Lexoviensis tom. 2. lib. 5. cap. 11.*

(19) *Magistri militum vocabantur potissimum urbis Neapolitanæ præfecti, ut ex multis auctoribus probat Cangius in Glossario.*

(20) *Alludit auctor ad vocem Græcam* ἀθάνατος, *quæ* immortalem, *vel* ἀθανασία, *quæ* immortalitatem *significat.*

(21) *Dixi in Commentario prævio num. 9. ad quid referenda sit hæc Indictio, & quomodo sensus sit interpungendus.*

(22) *Chioccarellus in Episcopis Neapolitanis pag. 84. ait, hunc S. Joannem à Gregorio IV. Romæ circa annum 838. Episcopali infula insignitum fuisse.*

CAPUT II.

Sancti Athanasii Episcopatus, variæ virtutes, magnificentia erga Ecclesias, & sanctitatis famæ.

§. 11. EXpleto igitur in Leviticali officio anno uno, duobusque mensibus, prædictus vir Johannes beatæ memoriæ, honestissimæ vitæ præsul, & Deo satis carus diem clausit extremum (23). Moxque ab universo Clero omnique plebe, simulque à Ducibus, genitore scilicet, & germano, communi voto, & consilio electus est ad Pontificale decus; & proficiscens Romam consecratus est à venerabili Papa Leone (24) Idus (f) Martii ad altare Sancti Gregorii, reversusque, à cunctis civibus magno gaudio exceptus est, eo quòd talem meruerunt suscipere pastorem, & patrem, qui nutritorem suum imitaretur moribus, & operibus. Athanasius verò præfatus præsul, accepto tanti mysterii (g) apice, qualem se quantumque præstiterit in omni regimine Ecclesiastico, quàmque perfectus in timore Domini, & facilis in literarum studiis extiterit, esset si nobis ferrea vox, aut omnes artus nostri verterentur in linguas, non valeremus (explicare, &) quotidianam conversationem, illiusque spem semper fixam in Domino (enarrare.) Saltem de plurimis pauca retexere (conabimur:) Quippe opere perfecit ea, quæ Apostolus monitis instruxit inquiens: Oportet Episcopum irreprehensibilem esse. Et paulò post: Et testimonium habere etiam ab his, qui foris sunt.

§. 12. Grammaticam priùs in pueritia, & post in Pontificatus honore perfectissimè didicit; divini verò dogmatis peritia ita (erat) instructus, ut in Latino nulli foret secundus. Ecclesia namque, quam tuendam suscepit, omnimodo interiùs, exteriùsve inopem reperit ob infestationem Longobardicæ gentis, quæ, peccatis exigentibus propriis, Neapolitibus vicinitate cohæsit (25); Quo viriliter agonizante, tam in divinis, quàm in mundanis adeò aucta est, ut nulli Ecclesiæ in Campania inferior in aliquo cerneretur. In Dei autem timore & oratione tam intentus, & pervigil extitit, ut Anachoritis, nostris certè diebus, omnibus sit præponendus. Ciborum quoque abstinentia tam arctissimè usus est, ut ab omnibus miraretur. Nam & carnem ab ore suo abstulit funditus, & tantùm præcipuis festis aliquid parvum benedictionis (26) de volatilibus accipiebat. De vini autem potatione primo abstinere se voluit, sed propter ægritudinem carnis non potuit; tantum Apostoli sententiam secutus est, qui Timotheum instruit dicens: Vino, inquit, modico utere propter stomachum, & frequentes tuas infirmitates. In pauperum quoque indigentiis dapsilis, in lectione assiduus, in oratione continuus, in Officiis Ecclesiasticis promptus, in risu difficilis, in suspiriis, & singultu quotidiano deditus, multiloquium vitans, taciturnitatem amplectens, in eruditione disertus, in fraternitatis collectione profluus, animam suam odio habens in hoc mundo, ut in vitam æternam custodiret eam.

§. 13. Quippe inter ipsa quotidiana detrimenta corporis sui, quæ ipse sibi sponte administrabat, plumbum etiam non parvi ponderis diutina subjectione collo proprio suspensum gestabat; subtus ad carnem absconsè grossiori vestimento induebatur, non ex lino, sed ex lana. Lectisternia quoque pretioso tecta stamine linquens, in vilissimo cilicio, & psiatho (27) terra prostratus, Jacob adinstar, lapide supposito capiti, cùm in oratione crebra lassesceret, membra quieti dabat. Ferventiùs tamen per semet artus proprios tam graviter cædebat, acsi à severo Judice juberetur affligi, ut stimulato corpore, saltem nulla tentatio spiritualis nequitiæ subreperet, quatenus à Mundi illecebris omni modo immunis effectus, posset acceptissimè immaculatum Deo, quotidianumque libare sacrificium, quod omni die minimè destitit, nisi fortè membratenus adesset ægritudo. Et juxta Apostolum priùs semper propriis expiationibus sacrificium illibatum ante arbitri Dei conspectum offerebat, deinde in publico pro sibi credito grege. Ideoque & multis Sacerdotibus, plerisque Abbatibus Monasteriorum subsidia alimentorum, & nonnulla ministrabat necessaria, ut pro se Deo sedula supplicarent interventione, ut si in cogitatione, actuque delinqueret quotidiano, sinè qua sorde, ut Johannes dicit, nemo natus de muliere alienus est, eorum precibus ablueretur.

§. 14. Hic itaque zelo fretus divino, constituit Sacerdotes hebdomadarios in Ecclesia Domini Salvatoris, quæ Stephania vocatur, qui in ea continuis diebus publicam Missam celebrarent, sicut mos est Ecclesiæ Romanæ, in qua etiam ad eorum sumptus necessarias rerum distribuit opes. In Ecclesiis quoque Beati Andreæ Apostoli, & Protomartyris Stephani custodem designavit, ubi & res obtulit ad luminariorum concinnationes, & sumptus ipsius custodis. Ecclesiæ verò Sanctæ Restitutæ, quæ à Constantino Imperatore condita est, connectit utrosque Johannem Baptistam, atque Evangelistam, & custodem cum officialibus Clericis ordinavit, resque illic ad præsidium eorum largitus est. Fecit etiam xenodochium ad peregrinorum susceptionem super gradus atrii Ecclesiastici, cui nonnulla contulit præsidia, illoque exhortante, plures fidelium simili contulere devotione. In insula, Salvatoris vocabulo cognominata, quæ à Neapoli

(23) *Henschenius noster tom. 1. Aprilis pag. 31. hujus S. Joannis obitum collocat anno 853. sed hanc mortis ejus epocham corrigendam esse, patet ex iis, quæ de chronologica Athanasianæ vitæ serie diximus in Commentario prævio num. 9. 10. & 11. Illic namque ostenditur,* S. Athanasium *anno 849. vel ad summum 850. debuisse succedere S. Joanni jam defuncto, uti Athanasianæ vitæ annos computanti manifestum fiet.*

(24) *Iste est Leo IV. qui ab anno 847. usqe ad 855. summum Pontificatum tenuit.*

(f) *al.* Idibus.

(g) *An non* ministerii?

(25) *Quamvis Longobardorum regnum tunc temporis in Italia exstinctum esset, tamen adbuc multi ex illa natione supererant, qui sub Principe Beneventano, aliisque Neapolitanorum hostibus militabant. Quod auctor hìc satis innuere videtur.*

(26) Benedictio *hìc accipitur pro cibo. Sic etiam pastus, qui solemnioribus diebus monachis apponebantur,* benedictiones *aut* caritates *appellantur.*

(27) Psiatus *idem est quod teges seu storea. Hinc in Regula Sancti Fructuosi cap. 19. sic legimus:* Lectum tamen sternere mandamus corio aut psiato, quod Latinè storea nuncupatur.

poli vix duodecim distat stadiis, quamquam multis retro annis à Monachis in cellis consistentibus in propria à singulis voluntate incoleretur, illuc frequenter properans crebra exhortatione illos admonens, unum super illis vice pastoris in Cœnobio degentibus Abbatem constituit, qui eos regulari sub districtione foveret, ad quorum quotidianos sumptus Ecclesiam Beatæ Luciæ Martyris in perpetuum cessit habendam cum omnibus rebus suis.

§. 15. In Ecclesia namque Sanctissimi, ac Beatissimi Martyris Januarii, quæ juxta memoratæ urbis mœnia condita (est, &) quæ Magna à civibus nuncupatur, ubi unus antea tantùm Sacerdos excubabat in obsequio, ipse Monasterium instituit, illicque religiosæ vitæ virum singularem patrem ordinavit, qui cùm collato sibi grege incunctanter Deo juge laudis Officium persolverent (28). Istius etenim solicitudo circa Ecclesias, & Monasteria erga pupillorum, viduarumque miserationes, quàmque circa redimendos captivos, quos tunc innumerabiles Saracenorum exulabat (h) efferitas insatiabilis, quàm frequens seu solicita clemensque extiterit, ita multis est cognita, ut si lingua fando torpeat in eloquendo, tamen proculdubio tonabit æther; quoniam beatitudinis fama nullo valet circumdari antro, neque, ut Evangelii tuba resonat, lucerna sub modio occultatur, sed candelabro supereminens constituitur, ut intrantibus in templo Domini jubar exhibeat inoffensum.

§. 16. Cujus opinionem comperiens reverendissimus vir Nicolaus, universalis Ecclesiæ Pater, Apostolicis exhortationibus hunc ad Synodum (29), quam contra Johannem Ravennatis urbis Episcopum congregaverat, singulariter evocavit, tertiumque in Apostolica conventione consedere fecit, eique ad legendum tradidit cautiones, quas prædictus Archiepiscopus intexuerat, eo quòd ceteris illo convenientibus, in gratiæ divinæ collatione omnibus præstantior apparebat. Hujus enim genitor, dum sibi è vicino languore excessum adesse cerneret ultimum, suos mox accersivit natos, eumque, quem consortem sui ducatus fecerat, cum reliquis Emathetiæ vice (*lege* patheticè) (30) monuit, ut Deo subditi existerent, & huic viro egregio in cunctis obtemperarent dicens: Huic estote subjecti, quasi patri, & domino. Hunc tamquam cœleste consulite oraculum omni tempore. Cui tamen & ipse Dux, ut patri similis, & ejus monitis obtemperans, in cunctis ei paruit omnibus diebus vitæ suæ, (&) auxilio fretus superno, commoda universa messuit.

§. 17. Eodem igitur tempore, quo Ludoycus piissimus Augustus (31) Beneventanam provinciam exulatione (32) Sudan crudelissimi Ismaëlitum regis advênit eruendam, suæ nexus conjugi, spretis jam Neapolitum legatis, submissione antiqui æmuli, (sicut dictum est corrumpunt mores bonos eloquia mala) hic Venerandus vir pro suorum civium salute frequentissimè adiit Cæsaream Celsitudinem, à qua officiosissimè excipiebatur ob piæ famæ rumorem, & sanctitatis reverentiam, qua non mediocriter pollebat. Erat enim ita serpentis astutia imbutus, ut columbæ simplicitatem non amitteret. Hic promeruit penes virum, & conjugem singularem familiaritatis locum habere, adeò ut illius precibus sacris certatim se commendare satagerent. Et remanserunt antiqui æmuli, & detractores confusi in sua malitia.

CAPUT III.

Persecutio contra S. Athanasium; ejus exilium, sepultura & miraculum.

§. 18. INterim memoratus Gregorius Dux, ægritudine captus, Sergium filium suum, dudum jam Ducem constitutum, huic Sancto Viro tradere curavit, deprecans nimium, ut paterna illum caritate diligeret; ipsique hoc in mandatis dedit, ut illi subjectus, & obediens existeret, acsi vernaculus suo domino. Si enim, inquit, tanto parueris viro, pro certo salvus eris, sin autem, non erit tibi profuturum. Quo defuncto, cœpit Vir Sanctus Dei fratrisque zelo præfatum nepotem suum spiritualiter, & (non) (33) mundanè diligere, & ut in omnibus se aptissimum præberet, sedula admonitione exhortari. Cujus monitionem uxor (34) illius graviter ferens, virum suum cœpit diabolica decipere locutione, ut si vellet Monarchiam solus obtinere, non solùm huic nullam exhiberet obedientiam, verùm etiam hunc à latere suo, aut procul eliminaret, aut omnino perderet. In qua deceptionis fraude iniquissima Jezabel calliditatis duelliones (i) sibi conscios reperit (qui more burdonum, vel mulorum nati sunt) ut conceptum semel virus, prout decreverat, posset auribus hominum propinare, & pectori inserere generi (K) sui; quod & factum est. Nam ad hoc usque perductus est tam vi cupiditatis, quàm linguæ vipereæ assidua suasione illectus, ut Servum Dei custodiæ traderet.

§. 19. Erat namque vir ille mobilis ut arundo, quæ omni vento movetur, & avidus in cupiditate, & patri in nullo similis. Hic viros suæ malitiæ conscios in domo sua clam recondit cum gladiis, & fustibus, & Virum Dei subdolè, quasi ad consilium ascitum, ceterosque germanos illius fraude tenuit, Deum nihilominus parvipendens, patris monita pro nihilo ducens, Virique Dei sanctitatem abdicans,

(28) *Qui omnes has* S. Athanasii *fundationes, ac pias donationes fusius explicatas videre cupit, adeat Chioccarellum sæpè citatum pag.* 87.

(h) *Idest* in exilium, *vel* servitutem mittebat.

(29) *Hæc synodus contra Joannem Episcopum Ravennatem Romæ habita est anno* 861. *de qua videri potest Baronius ad hunc annum num.* 57.

(30) *In MS. nostro habebatur* emathetiæ vice, *quod nil significat. Quare ex conjectura substitui adverbium* patheticè, *quod saltem sensum efficit, & vim quamdam habet.*

(31) *Ille est Ludovicus II. Imperator, de quo supra egi in Annotatis ad Acta priora. Non etiam repetam alia, quæ ad eadem Acta jam notavi.*

(32) Exulatio *hic videtur sumendum esse pro* tyrannide *vel* servitute. *Quo sensu* exulare *apud hunc auctorem significat* in servitutem mittere, *ut superiùs monuimus.*

(33) *Istud* non *deest in MS. nostra, & Lectionibus propriis Officii Neapolitani, Ego potiùs cum Baronio legendum puto:* Cœpit vir sanctus... nepotem suum spiritualiter & non mundanè diligere.

(34) *Lectiones Neapolitanæ de Sergii socru narrant, quæ hic uxori illius adscribuntur. Adde Acta nostra sibi non constare, dum paulo post asserunt, eam odium contra* S. Athanasium *inseruisse pectori Sergii* generi sui. *Sed fortè is error amanuensis oscitantia in illa irrepsit.*

(i) *al.* perduelles.

(K) *lege* conjugis.

eans, prout conceperat, circumvenit eos præstigiis suis, ut Judas proditor justissimum Dominum; reverendissimum Dei famulum, cùm omnes metuerent vel fimbrias indumentorum contingere, ab uno Dei adversario, ejusque satellite irreverenter captum, & Episcopalibus indumentis exutum, ceu vile mancipium, clericorum adempto solatio, custodiæ arctiori delegari fecit.

§. 20. Quo peracto, commota est tota civitas, atque aërem miserrimis verberabat vocibus hoc modo lugubrans: Væ miseris nobis, ad quos tam crudele pervenit facinus! Virum justum, & pium cur oportuit talia pati? Quis enim ad eum æger, aut egens, vel captivus umquam advênit, & inauxiliatus abscessit? Inter hæc Græca, Latinaque pars Sacerdotalis, & Monachica turba, præcipuèque Antonius, vir satis idoneus, & provectæ ætatis, Monachorum Abbas, diutinis jejuniis, & ægritudine corporis jam defecti, alienis erectus manibus cum universo Clero ad prætorium advênit, itaque exorsus est: Sic miser, & Dei contemptor, quid est hoc, quod fecisti? Hoc ergo pro infando scelere noveris, te non solummodo periturum, cunctumque genus tuum; sed etiam tota urbs, quæ Athanasii hactenus oratione gubernata est, sinè dubio desolabitur, pastore decedente. Redde nobis, inquiunt, pastorem nostrum, qui nos spirituali, carnalique protectione tuetur; si enim hunc retinere tentaveris, tibi extemplo veniet perditio.

§. 21. Quibus auditis amens Dux effectus, primò quidem velut regulus venenatus in eos sibilis irruit; deinde ait: Ite nunc in propria, & post decreta respondebo vobis. Venientes igitur ad eum secundò, & tertiò, similia illi dixere. Tunc universi flentes regressi dicebant ad alterutrum: Omnium altaria divinorum templorum exuamus, inferamusque Dei inimico anathema perpetuum, quod numquam expietur. Cernens autem ille erga se hujuscemodi conspirationes, consilio habito cum sequacibus suis, misit, & accersivit prædictum virum, & Sancti Salvatoris Abbatem cum Clericis, & Monachis, ac pietatem simulans die octavo solvit Virum Dei, veniamque ab illo, licèt fictè petens, dimisit eum, fratribus ejus retentis. Sed Deus justus, qui unicuique reddit secundùm opus suum hìc, vel in futuro, hunc justissimè perculit. Nam in eo loco, ubi Virum Dei retrusit, non multò post captus est, sicut malefactor. Dimisso namque eo, facta est talis lætitia in urbe tota, qualis solet fieri in caris mortuis ad vitam reductis. Hanc videns ille lætitiam, pœnituit, quòd eum dimisit; tamen posuit undique insidias clam, ne quis ad eum ingredi, aut egredi auderet. Tunc laniabatur hinc inde grex Dominicus, viduæ & pupilli opprimebantur, quia præco obmutuerat, & tuba Evangelica non audiebatur.

§. 22. Hæc Vir Deo plenus videns, flebat amarissimè magìs illius ruinam, ut Saulis Samuel, quàm contumeliam ab eo sibi illatam. Et David mitissimum imitans, ejus rabiem dum sedare non posset multis deprecationibus, ab urbe egressus est, thesaurumque Ecclesiæ signatum annulo suo reliquit, & titulum ibi posuit sic continentem: Anathema sit, qui fecerit, vel jusserit absque mea præsentia, vel jussione hanc januam aperire, vel aliquid hinc contingere; sicque in prædictam insulam Salvatoris abscessit. Mox ut ille insanus rem, prout gesta erat, audivit, Dei famulo mandatum dedit dicens: Si vult, ut non eum persequar, rejecto candidatorum (35) tegmine (l), monachicum indumentum assumat, mihique Ecclesiam ad ordinandam spontè relinquat; clericos verò, quos secum detulit, illico remittat. Ad quem vir Dei: Sponsam, quam, Deo donante, suscepi, nulli viventi, vivens volensque relinquam, nec ordinandi, me superstite, licentiam dabo; monachi schema (m), illo vivente, non accipiam: scortum est enim primam sinendo conjugem adulteræ (n) sociari; eos autem, qui me caritatis causâ secuti sunt, non tradam nec rejiciam; unum autem ab illo peto, ut liceat mihi in tuto loco manere, quousque Dominus duritiam cordis illius emolliat. Talia dum Duci relata fuissent, Neapolitanorum ille & Saracenorum exercitum congregans, Sanctum Pontificem in jam dicta insula per novem dies expugnavit.

§. 23. Ludovicus Imperator autem hæc audiens, Marinum præfectum Amalfitanum (36) cum viginti sagenis (37) ad Salvatoris insulam dirigens Sanctum Virum exinde abstrahi, sibique deferri mandavit. Hoc videntes Neapolites exierunt super eos navaliter unà cum Saracenis, persecutique sunt eum procul ab urbe. Sed Deus, qui subvertit Pharaonem, confregit & illorum tunc superbiam, & in fugam versi sunt, Saracenis captis ibidem, & occisis. Sicque Sanctus Vir Beneventum Imperatori delatus, & in maxima est honorificentia habitus. Magister verò militum dolens, Sanctum Virum illæsum recessisse, effracto gazophilacio episcopii, universum thesaurum Ecclesiæ auferri, sibique asportari mandavit. Tunc distrahebantur cymilia (o), & res Ecclesiarum, & iniquis dabantur; sacerdotes Dei contempti erant in tantum, ut etiam ex ipsis fustigati, & tonsurati nudi per plateas traherentur. Ecclesiæ Dei, quæ à Religiosis priùs tenebantur custodibus, his tribuebantur, qui contempta Religiositate, donum Dei muneribus mercabantur, & erat luctus inenarrabilis, & fletus immensus.

§. 24. Hæc dum ad Adriani (38) Papæ notitiam devenisset, direxit unam epistolam ante-

(35) Candidati *olim vocabantur, qui in dignitate palatina aut militari constituti erant. Claudianus candidatos appellavit* niveas cohortes militum. *Videtur hìc sumi pro veste aut dignitate Episcopali. Quòd si quis cum Baronio legere malit* candidatorum regimine *pro* tegmine, *per* candidatos *intelligi possent clerici in ministerio sacro candidis vestibus induti, quos regebat* S. Athanasius, *utpote eorum Episcopus*.

(l) *al.* regimine.

(m) *al.* monachismum.

(n) *al.* alteri.

(36) *Amalphis est urbs regni Neapolitani, sita in ora sinus Salernitani, distatque Neapoli 24. milliaribus in ortum hibernum.*

(37) Sagena *hìc est species navigii. Neque propterea scribendum est* samena, *quasi sic dicta sit, quòd primum in Samo insula constructa fuerit hæc species navium, ut contendit Carracciolus pag. 362. nam variis exemplis in Glossario Cangii citatis scribitur* sagena. *Imo, teste eodem, ipsi Græci in eadem significatione scribunt σαγίνη vel σαγήνη. Giannettasius noster in Historia Neapolitana tom. 1. pag. 141. has sagenas vocat* longas naves.

(o) *Idest* cimelia.

(38) *Is est Adrianus II. Papa Romanus, qui ab anno 867. usque ad 872. Ecclesiam gubernavit.*

tefato judici & aliam clero, & populo Neapolitano mandans, ut suum Pontificem reciperent; sin autem, anathematis vinculo innodarentur. Qui jussionem Apostolicam pro nihilo computantes, nec Pontificem recipere, nec excommunicationem servare voluerunt. Post hæc Anastasius Sedis Apostolicæ Bibliothecarius (39) unà cum Cæsario (40) Abbate ex parte Apostolici & Imperatoris Neapolim venientes, eamdem civitatem anathemate innodaverunt. Vir autem Domini tristis, & lugens, & vagus dum pergeret huc & illuc, bestialis illa Dalila eum persequi non desinebat, summittens filios Belial, qui Sanctum Virum Romæ constitutum veneno interficerent. Sed ille, qui non dormit, neque dormitat, custodivit famulum suum ab omni periculo.

§. 25. Inde quoque Vir Sanctus recedens, Surrentum (41) devênit. Quadam verò die, dum in eadem urbe cum Stephano (42) Episcopo fratre suo resideret, subitò cœpit flere amarissimè. Cùmque diu subsisteret, ejusque lacrymas non videret finiri, quænam causa existeret tanti luctus inquisivit. Cui illico respondit Vir Dei: Ecce misera Neapolis sub anathematis vinculo jacet obligata ab universali & Summo Pontifice, & mea parvitate: si utrisque nobis (quod humanum est) finis mortis evenerit, quid erit de ea? Quod & factum est, sicut prædixit: nam eodem anno ambo obierunt. Vadam, inquit, Romam, & rogabo Summum Pontificem, ut solvat eam ab excommunicatione. Quod, ut dixit, per Dominicum Episcopum, ab Adriano PP. Missum, opere adimplevit.

§. 26. Post hæc Vir Sanctus Adriano PP. valefaciens, ad Ludovicum Imperatorem tunc in Sabinis (43) remorantem profectus, & ab eo cum ingenti honore susceptus, & cum eo Romam regressus, hortatu jam dicti Apostolici cum Imperatore ad Saracenos expugnandos, & sedi suæ restituendus profectus, ad civitatem Verulanam (44) (p) devênit, in qua tertio Kal. Julii celebravit diem Apostolorum. Peractâ missâ cœpit febribus anhelare, & pertractus in eadem infirmitate, Deo dignus & carus Athanasius ab hac carnea subtractus est fæce, & suo Creatori novissimum reddidit spiritum in Oratorio Sancti Quirici (45), quod bis senis millibus à Monasterio Sancti Benedicti distat, Idibus Julii, Indictione quinta, regnante Basilio Imperatore. Præfatus autem Venerabilis Vir ante Episcopatum vixit decem & octo, & in Episcopatu sedit annos XXII., & in angustia hujus seculi fuit menses viginti unum (46).

§. 27. Inde portatus est usque ad Montem Casinum, flentibus omnibus, sed exultantibus Angelis: Quem suscipiens omnis Sancta Congregatio illius Monasterii, dignè ac decentissimè Sanctissimum Corpus condiderunt in Ecclesia Beati Principis Apostolorum, quæ à Rechiso (47) Rege constructa est, & jungitur Basilicæ Sancti Benedicti, ubi exuberant multa mirabilia per eum ad laudem Domini nostri Jesu Christi usque in præsentem diem (48). Unum namque de miraculis multis, quod per eum Dominus ibidem operatus est, huic sermoni conjungam ad ædificationem legentium, & audientium. In eodem namque Monasterio homo quidam erat lumine privatus à præteritis annis, qui assiduè in Ecclesia, ubi Viri Dei Corpus quiescebat, orare consueverat, qui offendens, sicut mos est talibus, super sepulchrum ejus advênit; cujus labente pede cecidit, statim tenebras oculorum repulit, & lumen recepit. Qui mox salutis gaudia suscipiens, luminis decorem omnibus ostendebat, glorificans Deum, qui talia per servum suum Athanasium operatus est. Tunc omnes gaudio repleti, qui ibidem erant, videntes hoc miraculum, exultantes dicebant: Benedictus es Domine redemptor, qui tale lumen nostris regionibus, novissimis diebus, hoc est sanctum Athanasii pignus nobis donasti. Et hæc dicebant admirantes: Si non postulatus talia donat, quam largus erit his, qui Dei beneficia devotissimè per eum postulant? Sepultus est autem Beatissimus Christi Confessor Athanasius Episcopus apud Castrum Casinum Civitatis Eracleæ (49), Idus (q) Julii, regnante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

(39) *Hìc Anastasius scriptis suis & legationibus satìs notus est, ut videri potest apud obvios quosque Bibliothecarum scriptores.*

(40) *MS. nostrum, Baronius, aliique hunc Anastasii socium constanter nominant Cæsarium. Non video igitur, cur Giannettasius noster in Historia Neapolitana tom. 1. pag. 142., eum vocet Bertharium, nisi fortè putaverit, Anastasii socium in hoc negotio fuisse abbatem Casinensem, qui eo tempore florebat & Bertharius appellabatur.*

(41) *Surrentum est urbs Archiepiscopalis Campaniæ, distans 24. millibus passuum Neapoli in Meridiem, sitaque est in planitie ad oram sinus Neapolitani.*

(42) *Pauca, quæ de hoc Stephano Episcopo sciuntur, videri possunt apud Ughellum tom. 6. Italiæ sacræ col. 761.*

(43) *Idest in provincia Sabinorum, quæ in ditione Summi Pontificis sita est, jamque multo minor est, quàm fuerit olim ager Sabinorum, de quo sæpe meminerunt antiqui.*

(44) *Hic locus in Lectionibus Neapolitanis appellatur* villa Veruli. *Baronius legit*, S. Athanasium *venisse* ad civitatem Nerulanam. *At potiùs legendum puto* Verulanam, *ob rationes dictas in Commentario prævio num. 6.*

(p) *al.* Nerulanam.

(45) *De hoc loco satìs disputavimus in Commentario prævio num. 2. & 6.*

(46) *Hoc tempus persecutionis, quo Sanctus fuit in* angustia hujus seculi, *computandum est inter annos Episcopatus, qui hìc rotundè enumerantur omissis mensibus & diebus. Vide, quæ de hac epocha diximus in Commentario prævio num. 9. & 10.*

(47) *Opinor hìc agi de Rechiso seu Rachiso Longobardorum rege, qui in Chronico Casinensi cap. 8. dicitur factus monachus, quamvis de hujus Ecclesiæ ædificatione ibidem nulla fiat mentio.*

(48) *Ex his verbis colligo, hæc Acta ab auctore Anonymo conscripta esse, paulò post mortem* Sancti Athanasii: *nam post quinquennium ab obitu, corpus ejus ex monasterio Casinensi translatum est.*

(49) *Ignoro, quæ sit hæc civitas Eraclea: ceterum hæc clausula in aliis MSS. non legitur. Quare suspicor ab imperito quodam hanc additam esse.*

(q) *idest* Idibus.

TRANSLATIO CORPORIS EJUSDEM SANCTI ATHANASII EPISCOPI NEAPOLITANI

AUCTORE

ANONYMO COÆVO

Ex MS. Longobardico, quod Neapoli in Archivo Patrum Theatinorum conservatur, & cum altero MS. collatum est.

PROLOGUS.

Quasi speciale, & proprium plerumque Sanctorum virorum esse assolet, ut loca, in quibus viventes degere fuerant soliti, licet omni Mundo suis precibus adsint, præsentiâ suarum reliquiarum illustrent, etiamsi alibi eos contingat sarcinam deponere corporis. Quod superna moderatione procul dubio agi creditur, ut videlicet cives sui in eorum præsentiis corporalibus lætentur, & speciatim illorum precatibus se muniri confidant; velut in obitu Beati Martini (1) actum fuisse probatur, qui à sua sede digrediens alibi rebus excessit humanis; sed defunctus ad suum ovile reversus est cœlitus, ne plebs illius, etiam eo defuncto, derelicta videretur. Ita enim & Venerabilis egit Athanasius, qui dum procul à sua Diœcesi obiret, non passus est suas sanctas reliquias, extra septa sui ovilis morari. Sed crebris coruscans miraculis, quodammodo suas oves (a) invitabat solicitè, ne se relinquerent, sed ad suam sedem illum transferre satagerent: quod & factum est.

§. 2. Iniquorum verò consuetudo ita extat perversa, ut bonos Dominoque charos viros odiunt, & non solùm vivos, sed etiam mortuos vipereis linguis carpere non desinant, veluti reproba Judæorum labia erga nostræ redemptionis Auctorem, ejusque famulos existunt: quod & in Beati viri Athanasii moribus (patet;) & post ejus obitum, quidam nostratium agere tentabant. Sed vituperantibus, seu adulantibus eos iniquis, pius Redemptor de suis fidelibus disponit famulis, prout ejus potestatis immobilis est voluntas, qui nobis Beati Athanasii reliquias reddere dignatus est, in propriam illum sedem reducens, ut de tanto patre gratificemur, & Domino proinde laudes sedulas referamus; de cujus vita aliquid adhuc fari cupiverat animus. Sed in libello præcedenti de ejus vita, & moribus, quantum iners stylus valuit rimari, secutum est (2): nunc verò de ipsius miraculis, & reversione ejusdem Sancti Corporis sermo texendus est.

CAPUT I.

Translatio Corporis S. Athanasii ex Monte Casino; & miracula in itinere facta.

§. 3. Cum sanctissimi Viri opinio sanctitatis, & fama virtutum longè latèque discurreret, audiens Athanasius (3) præsul, qui ab eo ut proles carissimus dilectus, & nutritus fuerat, & in honore locoque ejus successerat, filius fratris ejus Gregorii Ducis, cogitabat qualiter in sedem propriam corpus Pontificis Sancti reduceret, ut sedes ejus non esset orbata tali patrono, & pastore; sed resistebant ei antiqui æmuli, & benefactores, (4) qui eum vivum oderant, & expulerant, in tantum, ut nec defunctum reciperent; sed quandoque prævaluit sermo, & voluntas præsulis, & quinto depositionis ejus anno, misit Religiosos viros, Bonum Presbyterum Johannem, & Petrum, atque Johannem Subdiaconos, cum locello, & aliis necessariis patri illius Congregationis, & fratribus; qui ingressi Monasterium Sancti Benedicti, quod sub Mon-

(1) *Haud dubiè intelligit S. Martinum Turonensem, de cujus translatione aliisque ad eum spectantibus agetur simul ad ejusdem natalem nempe 11. Novembris.*

(a) *al.* suos cives.

(2) *Dixi in Commentario prævio num. 18. me ex his verbis colligere, quod idem sit scriptor Actorum & Translationis.*

(3) *Is est Athanasius II. Dux & Episcopus Neapolitanus, qui* S. Athanasio *patruo suo in Episcopatu successit. Ejus gesta qui nosse cupit, adeat Chioccarellum in opere de Episcopis Neapolitanis à pag. 99. usque ad 106. & Ughellum tom. 6. Italiæ sacræ à col. 114. usque ad 121.*

(4) Benefactores *vocantur per antiphrasin. Sic Sanctus Chrysostomus Homilia 4. de patientia Job, verbum* benedixerit, *quod in libro Job. cap. 1. ℣. 11. legitur, explicat hoc modo:* Benedixerit, idest, maledixerit: etenim Scriptura benedictis maledicta velavit.

Monte Caſino eſt, ſalutaverunt Bertarium (5) Abbatem, & fratres, atque dixerunt: Dominus noſter, & paſtor Athanaſius Epiſcopus, veſter commendatus, vobis precando direxit (b), ut depoſitum noſtrum nobis reddatis? Quid eſt illud? inquiunt illi. Ajunt hi: domni Athanaſii Epiſcopi noſtri corpus. Qui omnes una voce negantes dixerunt: Ubi quieſcit nunc, non egredietur, niſi noviſſimo die, quando Domino obviaverit. E contrario illi dixerunt: Vos nobis illum reddite; nam ubicumque fuerit reſurget, quia Dominus ubique eſt. Nam impoſſibile eſt (c), ut à propria ſede ſit extorris, licèt operante antiquo hoſte vivens ab ea dejectus ſit.

§. 4. Videns Abbas, & cuncta Congregatio petitionem eorum intentam, ut non poſſet aliud fieri, conſentientes dixerunt: Domini voluntas fiat; & domni Athanaſii ſui præſulis petitio impleatur. Unum tantùm (à) vobis petimus, ut pars corporis hìc remaneat apud nos, quia ex quo ſanctiſſimum ejus corpus hìc humatum eſt, ſicut in choro Epiſcoporum (d) eſt, ſic nos ei venerationem exhibuimus: ubicumque enim fuerit, credimus, quia nos non deſeret; quia & vivens, dominus, & defenſor nobis fuit. At illi reſpondentes dixerunt: Sicut integer vobis commendatus eſt, ita, auxiliante Domino, integrum ſua ſedes eum habebit. Nocte namque eadem ibi quieverunt, & intra ſe ſtatuerunt dicentes: Soliciti ſimus, & mox ut ſignum fuerit auditum, ſurgentes aſcendamus montem, & diluculo fodiamus ſepulcrum. Tunc ſopori ſe dederunt; & cùm præ ardore æſtatis, & itineris fatigatione gravati eſſent ſomno, apparuit ipſe ſanctiſſimus Vir Bono presbytero, Pontificis nepotis ſui ſimilitudine, dixitque ei: Cur tam gravi ſomno opprimeris collega? Surge, injunctum opus vigilanter perfice, quia hora ſtatuti veſtri jam præteriit. Cùmque ille reſponderet: Tu magìs debuiſti hujus rei ſolicitus eſſe; tunc ille, ut mos eſt in ſcholis, fecit eum levari, & tres illi ferulas blandiens dedit; unique ex aſſiſtentibus dixit: Tolle ferulam hanc, & reliquos percute. Qui mox exterritus evigilans, excitavit ſocios ſuos: vapulati ſumus (6) dilectiſſimi, inquit, nam ſic & ſic circa nos actum eſt. Sed ſurgentes feſtinemus properanter, ut opus cœptum expleamus. Hoc dicto, ſignum pulſatum eſt, & admirati dixerunt: Verè non poteramus parati eſſe niſi revelatio hæc manifeſta fuiſſet.

§. 5. Tunc aſcenderunt unà cum venerabili illo comitatu Monachorum verticem Montis Caſini, & intraverunt Baſilicam, in qua venerabile corpus humatum fuerat. Fodientes ſepulcrum, ita inventum eſt integrum, ut nec capillus capitis ejus, vel barbæ decideret, atque veſtimenta, & omnia ſalva, ut priùs poſita fuerant, ſunt inventa; & tantæ ſuavitatis fragrantia omnes accepit, ut præ admiratione proſternerentur in terra; & præ gaudio flentes, laudes Domino redderent bonorum omnium largitori: nam in tantum compago ipſius corporis ſacri extitit firma, ut fabrica locelli, quæ fuerat conſolidata, vi corporis ſui disjungeretur; & excurſo per ordinem pſalterio, impoſuerunt ſanctiſſimi Viri corpus in locello, quem ſecum detulerant, ſanum & integrum, ſicut humatum eſt. Et levantes humero jam dictum locellum, deſcenderunt Montem, pſallentes, & benedicentes Dominum; & obviaverunt ei omnes ſeniores, & Abbas, & omnes fratres Monaſterii, pſallentes, & Domino gratias agentes, pro tam magnifica gloria, quæ in ſancto corpore oſtenſa eſt, & extra Monaſterium educentes eum, oſculati ſunt ſancti loculum, & benedicentes Dominum revertebantur. Similiter & omnes vicini, per quos ſanctiſſimi Viri corpus tranſibat, ad eum confluebant, & ſummiſſis capitibus, oſculabantur ſancti locellum, & regrediebantur; at illi locello impoſito equis, iter peragunt cœptum. Tanta enim velocitate iter peragrarunt, ut intra unius diei ſpatium, à Monaſterio Sancti Benedicti in Atellas (7) devenirent, quæ ſexaginta millibus diſtat, & apud Eccleſiam Sancti Elpidii (8) manſerunt. Tunc collecta omnis ſimul congregatio Sacerdotum Eccleſiæ Sancti Elpidii tota nocte pervigiles exſtiterunt, pſalmodiis vacantes, & miſerunt Neapolim nuntium dicentes: Venimus cum corpore Viri Dei Atellas.

§. 6. Mox ut audivit venerabilis Præſul, nepos ejus, ſtatim miſit curſores per univerſas Eccleſias, & loca ſibi adjacentia, ut ex cunctis collecta locis Sacerdotum collegia, atque Monachorum, & multitudo virorum, ac mulierum, occurrerent ſanctis ejus obſequiis (e); Sacerdotes verò univerſarum Eccleſiarum Liburiæ (9) unà cum Sancti Elpidii congregatione, accenſis luminibus ante ſancti locellum toto itinere pſallentes, & venientes ad locum, qui dicitur Grumum (10), occurrit eis homo quidam vexatus à dæmone, & nolens intravit ſub feretro, ubi corpus Viri Dei portabatur, & ſtatim liberatus à dæmone cœpit Domino gratias agere, & deſcendentes clivum per viam, quæ dicitur tranſverſa, poſuerunt Sanctiſſimum corpus in Eccleſia Beati Petri, quæ à Neapoli diſtat quaſi ſtadiis tribus, ubi occurrit ſummus Pontifex cum optimatibus civitatis, & omni cœtu, exceptis his, qui malitiæ & invidiæ veneno repleti erant, & his, qui ventum flantem timebant. Prædictus verò præſul detulit ſecum Dominicas Cruces, & ornamenta ſicut in diebus feſtis.

§. 7. Confluebant autem uterque ſexus, & ætas diverſa, & qualiter poterant pſalmodiæ cantus, utriuſque linguarum Grecè & Latinè ſuavi modulatione reſonabant; mox autem ut Divinus Pontifex ſanctum locellum aſpexit, proſternatus (f) ſolo caput in terra depreſſit, fa-

(5) *Berthario ille, juxta Camillum Peregrinum in ſerie Abbatum Caſinenſium pag. 23. gubernavit hoc Monaſterium ab anno 856. uſque ad 883.*

(b) *al.* vos precatur.

(c) *al.* Non enim convenit.

(d) *al.* Sanctorum.

(6) Vapulati ſumus *pro* vapulavimus. *Sed hos alioſque ſolœciſmos non eſt operæ pretium ſemper annotare, quando ſenſus intelligitur.*

(7) Atella *fuit olim urbs Campaniæ; nunc vicus, communiter dictus* S. Arpino, *qui inter Capuam & Neapolim ſitus eſt. Plura de hoc loco vide in Actis noſtris tom. 5. Maji pag. 282.*

(8) *De hoc Sancto Epiſcopo, ejuſque fratre ac nepote actum eſt die 24. Maji.*

(e) *Ideſt* exſequiis.

(9) *Neſcio, quænam ſit hæc* Liburia. *Non poteſt eſſe Liguria ob nimiam diſtantiam, multoque minus Liburnia. Suſpicor itaque intelligi hìc terram Laboris, cujus caput eſt Neapolis, & in qua hæc facta ſunt.*

(10) *Locus hic in mappis geographicis Italiæ à Joanne Antonio Magino editis vocatur* Grumi, *& ponitur inter Neapolim & Atellas ſeu vicum S. Arpini ſupra memoratum.*

(f) *lege* proſtratus.

faciemque lacrymis irrigans, eum pater, eum nutritor, & institutor, eum pastor, lacrymabili voce clamabat. Similiter & omnis Clerus & cunctus ordo, omnes illustri (g) & nobiles viri ac mulieres, omneque vulgus deflens ajebat: Ubi es orphanorum pater? Ubi es mœrentium viduarum consolator? Ubi es captivorum redemptor? Ubi es Ecclesiæ custos? Ubi es cunctorum rector, & doctor? Per unam ferè horam luctuosis gemitibus fatigati, non poterant debiti officii psalmorum exsolvere cursus. Tandem, pulso mœrore, Domino gratias agere cœperunt, eo quòd meruerint post quinque annorum curricula integrum illæsumque recipere Corpus Pontificis sui; tunc ex more Pontificali inchoato officio, Præsulis Corpus ad Sedem propriam detulerunt.

§. 8. Sed illo in itinere, quo tendebatur ad Sancti Januarii templum, quod Dominus ostendere dignatus est, signum, ob demonstrandum meritum Sacerdotis, silentio prætereundum non est. Nam mulier quædam, Blattu nomine, dum gravi esset dolore capitis detenta, & nullius medicamine posset salutem consequi, vigorem capitis, auditumq; perdiderat aurium, sed ut ipsa nunc refert (11), ita obduruerant aures ejus, ut nullius clamorem, nullius vocis sonum, tonitruumve posset audire, tunc & ipsa cum omnibus obvians occurrit, & capite sub locello apposito, medelam sibi dari à Sancti Corpore lacrymabili obsecratione poscebat dicens: Deus miserere mei, & Sancti tui Athanasii beneficio merear auditum recipere, quem amisi. Tunc Beatissimus Dei Confessor, donante divinitate, solitæ pietatis ostendens miraculum, auditum reddidit viduæ; & quæ venerat tristis, & mœrens, gaudens reversa est. Ecce, qui auditum suum præceptis dominicis semper præbuit, meruit audiendi verbum salutis officia ministrare.

§. 9. Itaque, ut dicere cœperamus, omnis illa multitudo psallentium cum sanctis exsequiis ad templum Sancti properans Januarii ascendentes ingressi sunt Basilicam, & deposito locello, juxta Altare posuerunt; ibique Summus Pontifex, cuncto astante populo, laudis sacrificavit hostiam; & sumpto munere sacro, finita prece complevit. Mox levantes Corporis Sanctum pignus; & Diaconus imposita Antiphonâ: *Aperite mihi portas justitiæ, & ingressus in eas confitebor Domino: hæc porta Domini, justi intrabunt per eam*, tunc universus populus in ingenti fletu conversus, educentes eum extra fores in Oratorium Sancti & Confessoris Christi Laurentii (12), ejusdem Sedis Antistitis, juxta Sanctissimi Joannis antecessoris & nutritoris ejus ornatum diligentissime, & dignè sepulturæ tradiderunt cum ipso locello, cum quo adductus est 1. Kal. Augustas (13) bene hoc cogitantes, ut quorum mens semper in Domino una fuerat, eorum quoque Corpora nec locus sepulturæ separaret, ut qui pheronymi (14) fuerunt, congruum nominis meritum à Domino pertulerint.

CAPUT II.

Miracula ad Sancti Athanasii sepulcrum patrata.

QUæ verò beneficia tunc ad ejus pretiosum sepulcrum concurrentibus Dominus præstiterit, veracissima locutione perstringam. In eodem namque Monasterio Sanctissimi Januarii erat quidam Monachus Anastasius nomine, senex, qui gravi dolore artuum nervorumque constrictus, ambulandi ei facultas ablata fuerat, ita ut baculo sustentante, vix necessarios corporis sui usus perficere posset. In uno namque cum fratribus loco quiescens, dolore compulsus, vocibus æthera quatiebat. Ejus infirmitate vel angustia, quiescentes inquietabantur fratres, & unde unus malè, inde omnes deteriùs habebant. Erat autem nimis doloribus detentus. Unum fore sibi remedium credidit, si ad Viri Dei sepulcrum veniens, aut salutem reciperet, vel certè mortis debitum solvens, tandem cruciatibus finem daret; sed & in hoc omnipotens Dominus famuli sui meritum approbans, dolentia membra saluti restituens, vacillantesque gressus confirmans, & omnium nervorum nodos dissolvens, juventutis ejus vigorem restituit. Post novem quoque mensium cursus alia infirmitate præventus de corpore exivit. O immensa misericordia pietatis Dei! quod senectus dirimit, ætasque excludit, adjunctâ gratiâ reddit sanctitas Pontificalis.

§. 11. Jam itaque fama virtutum ejus ubique discurrens, concurrebat variis languoribus ex diversis locis detenta multitudo; inter quos quidam cœcus venerat, qui clausis luminibus omnino nihil videbat. Hic itaque per multa fuerat Sanctorum loca portatus, quatenus ei Dominus suorum prece Sanctorum, divino solatio dignaretur lumen ostendere; & creaturarum species demonstrare. Adductus namque est ad Beatissimi Præsulis antrum, cùmque diutius B. Athanasio preces effunderet, ut ejus miseriæ subveniret, quadam nocte astitit specialiter ipse Sanctus, atque jocundè dixit: Quare tamdiu mihi molestus existis, frater, & conquerendo jugiter interpellas? Numquid tibi dispendium aliquod irrogavi? Numquid fiscali more vi opprimens aliquid à te extorsi? Alia in re occupatus non me hic esse scias, Sed dum reversus fuero, scias te esse salvatum; & his dictis, recessit. Egressis verò sacerdotibus loci ipsius ab officio matutinali, ille pavens, & tremens concitus occurrit. Et accito uno ex eis, quasi secretò dicebat: Putas, mi Domine, audeo dicere, quod in somnio vidi? Cui respondens dixit, quare non? Dic frater, quæ vidisti. Et ille: Apparuit, inquit, mihi vir splendidissimus, indutus vestimentis sacerdotalibus, orario (15) circumdatus,

(g) *idest* illustres.

(11) *Ex hac phrasi patet, scriptorem translationis esse synchronum.*

(12) *Ugbellus tom. 6. Italiæ Sacræ col. 85. asserit, Laurentium anno 702. Cathedram Neapolitanam adiisse, eamque rexisse annis quindecim.*

(13) *Alterum MS. & Lectiones Neapolitanæ habent, hanc translationem contigisse Kalendis Augusti. Hic* 1. Kal. Augustas *vel ut legit Ugbellus*, primo Kal. Augusti, *debet significare, quòd hæc translatio facta sit pridie Kalendas Augusti. Sed fortè redundat in MS. nostro illa unitas.*

(14) Pheronymi *idest* ferentes veritatem nominis sui: *nam vox Græca* φερώνυμος *in Historia Ecclesiastica Theodoreti significat eum, cui verè convenit nomen, quod habet.*

(15) Orarium *aliquando peplum, infulam, & sudarium; aliquando stolam & albam Sacerdotalem significat. Eligi hìc potest significatio, quæ Episcopo magis convenire videbitur.*

tus, crine crispanti, statura procerus, vultu angelicus, & quasi comminans mihi, & (percurrens cetera) ut supra retulimus, visionem ex ordine intimavit.

§. 12. At verò ipse fidens expectabat promissum, & usque ad alium Dominicum diem instanter orabat, ut idem, qui apparuerat, quod pollicitus fuerat, adimpleret, & dum nihil circa eum ageretur, peractis à sacerdote dominicis mysteriis, sumpta communione, in sua rediit; Et aliquantis ibidem diebus commoratus, oculi ejus in tumorem versi sunt (cœpit ex eis quasi albugo decurrere) qui etiam dolore fatigabantur; & intra paucos dies desideratum lumen recepit. Qui mox, accepto beneficio, cum gratiarum actione reversus, illuminatorem suum omnibus ostendebat, vultum scilicet picturæ Sancti Athanasii, dicendo: Hic hic est illuminator meus; hic est qui mihi in visione dixit: Non sum hìc; sed dum reversus fuero, scias te esse salvatum. En charissimi divinus Sacerdos Dominum suum imitatus est. Ille ad servum Centurionis ire paratus; iste verò papilionis (h) cubiculum jam in cœlo positus, non dedignatur intrare pauperrimi: sed tamen ille, ut Dominus, absens salutem concessit; hic autem, ut fidelissimus servus, veniens pauperculo lumen restituit; ille, ut omnipotens, adjutorio nullius indiguit; iste, per omnia eo donante vel adjuvante, ostendere miraculum potuit.

§. 13. Nam dum hæc, & alia multis propalarentur, quædam sanctimonialis fœmina, gressum, dolore fatigata, nequaquam incedere valens, equo vehente, ad Sancti Sepulcrum confessoris Christi adducta est; quæ per dies aliquot in oratione ibi excubans, saluti reddita, pedibus suis ad propria remeavit. Alia quædam nobilis genere, Matrona (16) nomine, per annos quamplurimos viscerum dolore cruciabatur, quæ adveniens super sepulcrum Viri Dei, in faciem se jactans suffusa lacrymis ajebat: Subveni mihi benignissimè Pater, subveni bonorum omnium provisor, subveni mihi infelici, ut vel ad momentaneum tempus requiem invenire possim. Quæ duobus diebus vehementer dolore affligebatur, ita ut nunc caput pedibus necteret, modò ut stipula volutaretur; sed, Viro Dei ejus infirmitati compatiente, die tertia, Domino miserante, à dolore dimissa est; quæ diebus octo in laude, & gratiarum actione permanens, beneficio Beatorum Januarii, & Athanasii gratulans in propria est regressa.

§. 14. Alius quidam juvenis, Leo nomine, gravi infirmitate capitis afficiebatur, quæ aubrema (17) dicitur: nam solutus ab omni vigore salutis, ut amens incedebat. Qui inter alios cum viduata matre beneficia petiturus advênit. Qui supra sepulcrum Confessoris, & Sacerdotis Christi cum misera matre se jactans, quæ magìs filio periclitabatur, doloribus medelam sibi poscebat; nam & oblationem Domino pro se offerri Sacerdotem postulans, Mysterium Sancti Corporis Domini Jesu Christi in ore suscepit: qui abiens ita, alio die Dominico sanissimus est regressus, acsi nullam umquam insaniam capitis passus fuisset; Domino, & Beato Athanasio gratias referens, imò Deo, qui operabatur in illo, qui dixit: *Pater meus usque modò operatur, & ego operor*. Hoc ergo munere clarificat suos pedissequos, ut vice Dei dæmones ejiciant, mortuos vivificent, cœcos illuminent, omnesque morbos depellant; surdis auditum, paralyticis gressum donent; ut impleatur quod dicitur: Signa eos, qui in me credunt, hæc sequentur: In nomine meo dæmonia ejicient, novis linguis loquentur, serpentes tollent, super ægros manus imponent, & bene habebunt. Hanc ergo meruit gratiam benignissimus confessor Christi Athanasius: hanc meruerunt omnes electi, qui verè crediderunt in Deum, & Dominum nostrum Jesum Christum. Ille enim veraciter credit, qui non verbotenus, sed actitans, fidem gerit: verè enim Beatus Athanasius fidem suam operibus auxit, qui vitam suam continentia, humilitate, abstinentia, vigiliis, eleemosynis, atque omnibus bonis ornavit. De his interim sileam, quatenus de ejus certis (i) virtutibus aliquid narrem.

§. 15. Præterea puerulus quidam cùm jam extremæ vitæ duceretur in finem, & spem convalescendæ pueritiæ violenta mors rapere parentibus festinaret. nec infantuli necem immaturam considerans, nec optatæ senectutis venerandam canitiem spectans, vorax quidquid invenerit vitæ tempus cuncta ambiendo diripit, nec umquam satiata quiescit. Sed sola inter hæc Beati Athanasii sancta precatio, morituro restabat salutis occasio. Quæ misera & periculosa mater, quæ magìs filii periclitabatur in morte, tandem jam quasi defuncti ferens exequias intra templum Beatissimi Januarii, anxiè huc illucque discurrens, ingressa est cubiculum. ubi sanctissimum corpus ejus quiescit; quæ flens & ejulans, Sacerdoti, qui ibidem die Dominico Missarum solemnia celebrabat, flendo obtulit dicens: Oro te, Domine, ut vel stillicidium Sancti liquoris Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, hujus infantuli mittas in os.

§. 16. At ubi Sacerdos partem Corporis, & Sanguinis Domini Jesu Christi ejus apposuit ori, ille averso capite, depressis luminibus, dentibusque obseratis, totum se quasi in morte composuit & solo ejus in pectore vigebat spiramen. Tunc misera mater cum ingenti clamore discedens, ad venerabile sepulcrum Confessoris Christi devênit; Quæ ibi, distento pignoris corpore, flens ajebat: Mœrentium consolator, orphanorum pater, viduarum ac pupillorum defensor, miserere mei; & ne me desolatam despicias; ne infelicem ac miseram abjiciens spernas; sed assueto operi opus adjunge, (mihique unicum redde.) Tunc ille non dilationem intulit, non moras fingendo composuit, sed cooperante Verbo, quæsitam salutem mox tribuit, & pueri membra compingens, sospitatem pristinam restituens donavit. Quæ mox gaudens egressa cum unico, incolumem omnibus ostendebat. Mirabilis ergo Dominus in summis, mirabilis in infimis, mirabilis in profundis, mirabilis in Sanctis suis, faciens prodigia per servos suos.

§. 17. Alia quædam mulier cum unico properans, ad sepulcrum Viri Dei devênit, deprecans, ut desuper sepulcri ejus marmore aquam

(h) *fortè* opilionis.

(16) *Videtur hìc nobilis illius Matronæ nomen desiderari, nisi fortè* Matrona *sit ipsum mulieris istius nomen, quod etiam in Gallia in usu est.*

(17) *Frustra apud varios medicos hoc nomen quæsivi; satìs ex sensu liquet, quemdam capitis morbum indicari.*

(i) *al.* ceteris.

aquam mereretur accipere. Qui ita valetudine erat detentus, ut nullo modo cibum capere posset, capitis ejus omnes capilli defluerent, nullaque spes vitæ in eo haberetur; sed mox, ut aqua benedicta ægroti est parvuli ori propinata, haustaque, aperto ore venenum omne quidem evomuit. Qui sanus ita effectus est, ut statim cibum peteret, & lætus gaudensque benedicens Dominum, cum matre in sua reverteretur; memoresque beneficii, reversi cum luminaribus, Domino, & Beato Athanasio gratias detulerunt. Nam & in hoc (miraculo) cognoscitur, cujus apud Dominum sit meriti Beatissimus Athanasius præsul.

§. 18. In eodem autem oratorio, in quo ejusdem venerabilis Viri corpus quiescit, lampas quotidie ardere consuevit; quæ, ut mos est, mista aqua, & oleo, lucescente die Dominico, est accensa; sicque nihilominus secunda, & tertia, quarta, & quinta feria die noctuque inextincta permansit, ita ut nec extingueretur, nec minueretur oleum. Quo viso admirati omnes de tam inaudito & jocundo miraculo, singillatim dicere cœperunt: Videtis, quia hoc candelabrum nec extinguitur, nec minuitur oleum. Cùmque alternis hæc fabulis dicerent, & publicè hæc omnibus sonuissent, mox minui cœpit. Nam nulla ambiguitas in hoc esse potest (quamquam & de omnibus aliis multi, & idonei testes habeantur) & hoc miraculum omnibus manifestum fuit, & per totam terram divulgatum est.

§. 19. Sed possessi ab antiquo inimico (quorum nomina volens tacebo, quia & Dominus divitis nomen tacuit) delirantes ajebant: Si talia, ut profertis, iste Sanctus verè (K) operatur, sanet & gibbum talis hominis. Talia isti dicebant, qualia crucifixores de Domino: *Si Filius Dei es, descende de cruce*. Sed istis sic evênit, sicut & illis, quia ipse dicit: *Qui vos spernit, me spernit. Sed mihi vindictam, ego retribuam*. Sed quid mirum, dilectissimi, si ad ostendendum meritum Famuli sui omnipotens Dominus inextinctam lampadem refertam conservavit, qui ejus pectus oleo misericordiæ semper plenum esse conspexit? Quid mirum, si olei natura sancto Viro diebus & noctibus quinque indeficiens famulavit, qui omni vitæ suæ tempore omnipotenti Deo jugem, & gratissimum famulatum exhibuit? O Beata & admiranda Beatissimi Athanasii sancta merita! quæ ei æterna præmia, perennem vitam, mansionem stabilem, requiem sanctam, gloriam sempiternam, donante Domino, acquisierunt, & nobis petentibus salutem præstare non cessant.

§. 20. Interea puerulus quidam cujusdam canicularii (18) filius, per menses septem lumen oculorum amiserat; qui per multos fuerat medicos deportatus, ut ei aliquo modo videndi possent restituere copiam; sed tanto fiebat deterior infirmitas, quanto ei amplissimè fuisset cura impensa: qui ad hoc usque devênit, ut quidam medicorum peritissimus diceret: Non potest puer hic visum recipere, nisi ejus infirmitas cauterio fuerit refrenata. Quo audito, pater ejus nimis est territus, noluitque teneriori membro filii sui ignem apponere, ne majus fieret exustione periculum, quàm fuerat ex amissione luminis irrogatum; sed dum Sanctissimi Viri virtus, famaque ubique divulgaretur, resumptâ fiduciâ, ad venerabilem ejusdem fidens concurrit memoriam, petens, ut ei solitæ pietatis impenderet adminiculum dicens: Candelabrum fulgens, lucerna non in abscondito, sed in excelso constituta, lux eorum, qui in tenebris morantur; speculum splendens, spes unica mihi, subveni filio meo, ut vel modicum possit inspicere alicujus figuram. Et dum his, & aliis incunctanter quotidianis deprecationibus insisteret, vir per omnia pius, duritiæ inscius, animositatis ignarus, intra paucos dies desideratum lumen restituit puero, & patri angenti (l) reddidit consolationem.

§. 21. Alia quædam sanctimonialis fœmina, nimia infirmitate officium vocis perdiderat; quæ ad Beati Athanasii concurrit cubiculum, ibique flens ajebat: Infirmantium salus, tribulantium consolator, mœstorum lætitia, subveni mihi miseræ, quo possim clariorem vocis meæ sonum recipere, quem amisi. Et hæc orans reversa domum ita pristinæ saluti est reddita, acsi numquam loquela illius obscuritate vocis fuisset impedita. Quæ reversa statim cum luminariis Domino, & Beato Athanasio gratias referebat. Adolescens quidam, oppleto capite morbo, oculorum lumen amiserat, cujus palpebræ crassantes, supra genas, ut ubera, dependebant; qui ad sepulcrum Confessoris Christi deductus, die noctuque exorabat, ut ejus miseriæ Dominus subveniret, quatenus patrocinio adjutus Sancti Præsulis Athanasii, lumen, quod amiserat, recipere mereretur; spe namque fidens ajebat: Pater pupillorum, & defensor, lumen eorum, qui in tenebris morantur, jubar illuminans orbem, subveni & miserere mihi derelicto ac desolato, nullius habenti fiduciam, nisi tui, nullius auxilium poscenti, nisi tuum. Hæc & his similia orans per aliquot dies reversus est domum. Tunc idem Sanctus apparuit uni ex Ministris Sanctæ Ecclesiæ, splendens, ut fulgur: in qua etiam visione pater pueri jam defunctus, videbatur adesse. Dixitque Sanctus ministro: Vade; dic huic, qui nos conspicit, mittat ad me filium suum. Qui expergiscens somnium propalare curavit; statimque puer festinus ad sepulcrum Sacerdotis Christi devênit, qui ibidem duabus, vel tribus hebdomadibus manens, salutem, quam poscebat, emeruit: nam subitò ex oculis ejus erumpens per dies tres sanies decurrit. Et sanissimus redditus, obtutu claro benedicens Dominum in propria remeavit.

§. 22. Quidam è famulis Sanctæ Ecclesiæ Neapolitanæ, conductoris ministerium tenens, filium habebat, qui ab utero matris stridore, & motione horribili afficiebatur, ut tenerrima adhuc membra illius omnia disjungerentur; &, ut cernebatur, quasi à dæmonio agitaretur; Qui ad multa Sanctorum loca fuerat à parentibus deportatus, ut eidem Dominus, propitiatus Sanctorum precibus, condonaret salutem, sed obtinere nullo modo potuerunt; cujus matri veneranda cujusdam effigies in somnis apparuit, eique dixit: Cur vestri patronatum nutritoris relinquitis, & per diversa vagatis: vestro enim vos Dominus pastori consolaturos (m) servavit, ut ipse vos absens libe-

(K) *al.* vester.
(18) Canicularius *est*, *cui canum venaticorum cura incumbit*.

(l) *idest* anxio.
(m) consolandos.

beret, qui vobiscum positus ereptor in cunctis extitit ac defensor, & ipse vos jam in tuto positus ab omnibus calamitatibus eruat, qui inter adversa degens, ab omni adversario defendit; quem cùm illa requireret, dicens: Ubi eum, Domine, quæsitura pergam? Ille respondit: In Ecclesia Salvatoris, vel ad venerabile ejus sepulcrum; quia ibi petentibus, beneficia præstaturus crebrò consistit; Quæ evigilans ordinem visionis suo viro intimare curavit.

§. 23. Sed ille aliquantulum incredulitate gravatus nutare cœpit de suo Pastore, quamvis videlicet de venerando Viro talia audiret: sed ex hoc experti sunt grave discrimen: nam duplicatis, immo triplicatis stridoribus, tremoribusque parvuli membra collidebantur; at ubi hoc sensere parentes grave discrimen, conciti ad sepulcrum properant Christi Athletæ; quibus pergentibus obviavit illis custos pretiosi sepulcri, ferens secum aliorum utilitati pelliceam zonam, quam ipsius fuisse affirmant; moxque ut eam super caput parvuli posuit, dolor, tremor, stridor, periculumque omne ab eo aufugit; at illi cœptum iter peragunt, gratias pro beneficio reddituri. Omnibusque ab ipsis res patefacta resultat. O clementia Christi Athletæ, non quærentibus ultro se præbens, sinè pretio medicamentum salutis concessit! Plura & alia sunt de hujus Viri virtutibus digna relatu, quæ brevitatis studio omisimus, ne coacervata copia legentibus fastidium generet; verumtamen si omnia istius facta stylus comprehendere nequit, vel pauca de Sancti Viri miraculis Domino favente subnectere curavimus.

FINIS.

VARIANTES LECTIONES
AD HISTORIAM
LIUTPRANDI
TICINENSIS DIACONI,
DEMUM
EPISCOPI CREMONENSIS
Tomo II. editam addendæ,

EX TRIBUS MANUSCRIPTIS CODICIBUS

AUGUSTISSIMÆ CÆSAREÆ BIBLIOTHECÆ

DEPROMTÆ.

IN VARIANTES LECTIONES HISTORIAE LIUTPRANDI TICINENSIS

MONITUM LUDOVICI ANTONII MURATORII.

IN Tomo II. Collectionis hujus dedi Historiam Liutprandi Ticinensis, utilissimam sane, magnique faciendam, utpote quae ferme sola ad noscendas Italicas res Seculi decimi nobis facem praeferre potest. Serius quam optassem intellexi, in celeberrima atque opulentissima Bibliotheca Caesarea Vindobonensi adservari tres ejusdem Historiae Codices MStos, quorum duo perantiqui, nullus tamen ex iis integram Historiam complexus est. Itaque rogavi doctissimum & numquam defatigatum virum Nicolaum Forlosiam, primum Bibliothecae ejusdem Custodem, ut meis votis ad literatissimum atque humanissimum Bibliothecae Praefectum delatis, hoc est ad Pium Nicolaum Garellium, Equitem Ordinis Christi, & Archiatrum Augustissimi Caesaris CAROLI VI. conferre cum editione mea MStos Codices vellet, & si quid non contemnendum inde colligeret, mihi ad publicam utilitatem elargiretur. Impiger ille quod fueram precatus implevit; atque adeo messem Variantium Lectionum per eum collectam nunc publici juris facio. Minuta haec alicui videantur; sed quum res sit de eximia summeque necessaria Historia, nihil omittendum erat, quo castigatior & comtior in omnium oculis versaretur. Heic autem velim praecipue animadvertas, non Hugoni, sed Maginfredo Maginfredi Comitis filio tribui necem Lamberti Imperatoris. Vitiata plane erant Graeca plura in Caesareis MStis, cumque mihi non vacaret germanam in iis lectionem restituere, neque multum interesset eas proferre, omittendas censui.

VARIANTES LECTIONES IN LIUTPRANDI TICINENSIS HISTORIA.

	Editio Tomi II. Rerum Italicarum.	*Manuscript. Cæsar. Cod. Histor. profan. 178. cum altero simili collatus.*
Pag.423. v. 1.	Raimundo	Regemundo.
v. 6.	lectionis	lectores.
v. 7.	insultantes dicturi	insultaturi.
v. 8.	majores	decessores.
v. 8.	ut multo	quod multo.
v. 9.	dicitur	dicetur.
v.10.	eo ardentius	eo amplius.
v.11.	facundi	faceti.
v.12.	apertis saltem	talibus saltem.
v.13.	Academicorum, Peripateticorum, Stoicorumque	Academicarum, Peripateticarum, Stoicarumque.
v.16.	thronus memorandus	tonus memorandus inscribitur:
v.18.	infit his	in his fit.
v.19.	dum quid deliquerint	tum si quid deliquerint.
v.penult.	Salomonis quoque os sapientia	Per Salomonem quoque sapientia
v.ultim.	quotidie etiam	quotidie fieri etiam.
Pag.425. Col.A.3.	subdatur	sumatur.
v.15.	quemadmodum tuam Pater prudentiam latêre	quemadmodum te latêre minimè reor, immo melius.
v.17.	qui vestri	qui nostri.
v.17.	Abderahamenis, potestis	Abderahne scilicet, potestis.
v.21.	sentium hamis tenetur, & acutissimis aculeis perforatur	sentium curvitate tenetur, & acutissima tortitudine perforatur.
v.24.	(quoniam secus esse non potest) justo Dei judicio	(quoniam sciri non potest) Dei judicio.
v.26.	lintre parva	lintre parvula.
v.penult.	jugulant	gladio jugulant.
Col. B. v. 8.	gentes circumquaque	gentes clam circumquaque.
v.10.	dirigunt	mittunt.
v.14.	Provincialium, qui illic confederant, vicinorum invidia	Provincialium, quæ illis erat gens, viciniorum invidia.
v.18.	pars partem	pars parti.
v.19.	subigere	facere.
v.21.	rogant	vocant.
v.22.	his sibi proximum quisque conterit	his unà proximum conterit.
v.23.	juvant	juvat.
v.25.	quàm justa secundùm quemdam profuerit invidia,	quid sibi justa secundùm quemdam profuerit invidia, quam ita definiens, ait:
v.28.	*excruciatque suum*	*excruciatque animum. Quem.*
antepenult.	Trepidare jam vicinæ	Trepidare probant vicinæ.
Pag.426. Col.A.		
v.11.	Hac autem	Hac itaque.
v.16.	Christianus	Christianis.
v.24.	clusas	clausuras.
v.30.	cui & Zvventebaldus	cui Centebaldus Marananorum.
v.48.	domum istam ædificari	τον οικον τουτον ædificare.
v.52.	appellarentur	dicerentur.
v.60.	Abbati	Igumeno.
v.64.	accitumque ad se Abbatem rogavit	accitumque τον ηγουμενον rogavit.
Col. B. v.25.	conveniens: Ut quid interfecisti Regem, hoc est Dominum tuum Imperatorem? Expergefactus	conveniens: ινα τι το.....σιω..........σου Βασιλεα. Expergefactus.

	v.31.	promiſſione: In quacumque	promiſſione: Quia cum in quacumque.
	v.53.	memoria ſua dignas fecit	memoria, riſuque dignas egit.
	v.59.	Bagdas	Magdas.
	v.62.	& notam illam vicinam	& nominatam illam nimium vicinam.
	antepenult.	Incolæ denique	Incolæ quoque.
Pag.427. Col. A.			
	v.23.	reſpondit: nequaquam fratres, nequaquam, accipite	reſpondit μιοαφοιμι accipite: *Ita in MSto, fortaſſe pro μὴ ὦ ἀδεκφὸι, μὴ*, accipite.
	v.24.	eum dimiſerunt	eum protinus dimiſerunt.
	v.35.	vocans: Amice mi, inquit	vocans: φίλε μȣ, inquit.
	v.37.	ſanè quamquam rarò dum procedo, à longè	ſanè rarò quoque dum procedit à longè.
	v.42.	non æque vos, te quidem in carcere, illum autem in aureo triclinio fortuna	non æque vos, σε εις την φυλακην, και αυτον εν χρυσειω τρικλινιω fortuna.
	v.52.	Quoniam te te tu neglexiſti	Quoniam te tumet neglexiſti.
	v.53.	matheſin. Mars trigonus, Saturnus, Venerem reſpicit, Jupiter quadratus	matheſin, ακουσοι, inquit, Mars trigonus, Saturnus Venerem, Jupiter quadratus.
	v.55.	Luna in ſaltu malâ fortunâ	Luna in ſaltu eſt; mala fortuna.
Col. B.	v. 3.	evivere	vivere.
	v.43.	cæſum oſtendens, venite inquit, nolite formidare, ipſe ego ſum, quem flagellaſtis, quemque è carcere nunc aufugiſſe formidatis. Scio enim	cæſum eis oſtendens αιυτε inquit, mei nolite formidare. Ipſe ego ſum, quem flagellaſtis, quemque è carcere aufugiſſe confiditis. Scio enim.
	v.48.	cogitaſtis	voluiſtis.
	v.58.	palatio non	palatio noctu non.
	antepenult.	quotidie non parvus	quotidianus non modicus.
Pag.428. Col. A.			
	v.18.	admirarentur	non mediocriter mirarentur.
	v.31.	exiſtimans Imperator eos non rei veritate, ſed calliditate	ſperans igitur Imperator, hos non rei inſcitia, ſed calliditate.
	v.37.	hi qui viderint neſcio	hii quidem viderunt neſcio.
	v.41.	ſed omnino mihi opportunè	ſed non opportunè.
	v.46.	ſingulorum	omnium noſtrûm.
	v.47.	ſtertentes	dormitare.
	v.54.	Pater Auguſte	Imperator Auguſte: *in ambobus MStis*.
	v.54.	Nam & me divinum, & ſomnii venditorem eſſe	Nam & me μαντιν, και ονειροπολον eſſe.
	v.61.	Antehac te neque divinum, neque ſomnii venditorem eſſe	Antehac te ȣτε μαντιν, ȣτε ονειροπολον eſſe.
	v.67.	credimus, ſeu falſum: fertur enim de quodam, quòd dormiens	credimus falſum, qui de quodam dicitur, quòd dormiens.
Col. B.	v. 7.	Zvvendebaldum	Centebaldum, *ut ſupra*.
	v.13.	non inſciam, cædis	inſciam, ignaram cædis.
	v.24.	mulieribus viduitates, patribuſque orbitates, virginibus corruptiones, Sacerdotibus, Populiſque Dei captivitates, Eccleſiis deſolationes	mulieribus patribuſque orbitatem, virginibus corruptionem, Sacerdotibus, Populiſque Dei captivitatem, Eccleſiis deſolationem.
Pag.429. Col. A.			
	v.50.	autem Franciam	autem feſtinus Franciam: *in ambobus MStis*.
Col. B.	v. 1.	igitur legationibus non parum Rex Wido	igitur rebellione Wido non parum: *in ambobus Codicibus*.
	v.44.	ſub denſitate	ſub celeritate.
Pag.430. Col. A.			
	v.19.	cominus	non minus.
	v.28.	nomine cum balteo	nomine cum enſe, balteo &c. *in ambobus MStis.*
	v.64.	*condere ſceptris*	*condere criptis*.
	ultim.	*Ritanica*.	*Britannica*: in ambobus MStis.
Col. B.	v.45.	reverſo	extincto: *in ambobus MStis*.
Pag.431. Col. A.			
	v.66.	publicè proſtituebantur	publicè (proh nefas) proſtituebantur. *Ita in ambobus Codicibus*.
Col. B.	v.19.	Ipporegiam	Eporegiam.
Pag.432. Col. A.			
	v.10.	præterea Mediolanenſis	præterea prædives Mediolanenſis.
	v.37.	in Marinco jam aliquantis diebus venationi vacabat. Quumque Adelbertus Marchio, & Hildebrandus Comes, cum diverſo & invalido	in Marinco XL. ferme millibus Papia diſtans, venationibus occupatur. Cùmque Marchio & Comes cum immenſo, ſed invalido &c. *Ita in ambobus MStis*.

	v. 49. Dominici	Domnini: *Ita in ambobus Codicibus.*
	v. 54. sumptus	vomitus: *in ambobus MStis.*
Col. B.	v. 3. pecuaribus	pecoribus: *ita utrobique.*
	v. 20. fregisse. Verùm assertioni huic fidem &c.	*Auctiora hæc habentur in MSto, ubi sic legitur.* Verùm quia secundùm Beati Job sententiam terminus ejus præteriri non potuit, illum Dominicum sermonem, qui dicit; & *inimici hominis domestici ejus*, adimplevit. Nam dum quemdam Maginfridum illius Meginfridi præpotentis, ut diximus, Mediolanensis urbis Comitis, quem paulo superiùs Regia jussione pro rebellione hominem exuisse asseruimus, filium paternis beneficiis donatum, nimia familiaritate, tum pro fidelitatis firmitate, tum paternæ necis oblivione, Rex sibi à secretis fecisset, eumque venationis causâ (si venatio dici potest, qua Rex, non aper capitur) secum ad præfatum locum ire jussisset: accidit, ut ceteris venatoribus aprum in medio nemore persequentibus, indago ferini anfractus, Regisque ejusdem Meginfridi custodia per divortia tutari debuisset. Qua verò custodia dum nimia Rex expectatione fatigatus, commissâ Meginfridi obtutibus vigiliâ, se se quieti dedisset, Meginfridus non paternæ necis, sed ceterarum, quæ Rex ei intulerat, immemor bonitatum, ne effusione sanguinis agnosceretur occisio Regis, ligno mox non modico accepto, dormientis Heri cervicem nefario ictu confregit. His ita &c.

Secundi Libri argumenta ita in MSto Cæsareo Codice designantur.

I. De eo quòd post mortem Arnulfi Ludevvicus filius ejus Rex constituitur. II. Ungari audita morte Arnulfi Bajoariam petunt. III. Ludevvicus bellum Ungaris parat juxta Lemannum. IV. Ungari positis insidiis Ludevvici milites vincunt. V. Fugiens Ludevvicus, Ungari Francorum, Saxonum & Suevorum Terram deprædantur. VI. Qualiter Ungari primo in Italiam sint ingressi, Regnumque explorati. VII. Quare Ungari reparato exercitu venerint, & Italici eis occurrerint. VIII. Cur Rex Berengarius ad bellum non ierit, & cur Ungari Italos fugerint. IX. Fugientes Pagani Christianos pacem petunt, quam non acquirunt. X. De eo quòd propter defatigatos equos super fluvium Brenta Christianos præstolarentur, eisque pacem quærerent, quam non dederunt. XI. Qui victoriam non pro eorum fortitudine, sed Christianorum peccato habuerunt. XII. Quomodo Ungari positis insidiis super Christianos irruunt & vincunt. XIII. Quòd eo tempore Rex Ludovicus moritur, & Conradus pro eo ordinatur. XIV. Qui sub eo Principes erant, inter quos & Henricus Dux Saxonum erat. XV. De eo quòd Henricus & ceteri Principes Conrado rebellaverint Regi, & ab eo victi fuerint, & quòd Arnulfus in Ungariam fugerat. XVI. Conradus Rex moriens, Principes omnes de pace, & ut Henricum Regem constituant, exhortatur; cui & regalia ornamenta transmittit. XVII. Henricus Arnulfi animum prudentissima loquutione mitigat. XVIII. Arnulfus suorum militum exhortatione Henrici Regis fit miles. XIX. Audita Ungari morte Conradi, Saxoniam ingrediuntur. XX. Rex Henricus quamvis infirmus eis occurrit. XXI. Qualiter ad pugnam exhortatus suos sit milites. XXII. De bono voto Heinrici Regis. XXIII. De nuntio, qui Meresburc Ungaros esse nuntiabat. XXIV. Ungari sciscitatis captivis exploratores mittunt. XXV. De pugna cum Ungaris commissa. XXVI. De bono consilio Henrici Regis, & victoria ejus, & ut sit ipsa depicta. XXVII. De Ludovvico quodam, quem Italici super se regnare invitant. XXVIII. Quòd Adelbertus Comes hoc effecerit. XXIX. De eodem Adelberto, qui prius fuit bonus, & postmodum factus est malus. XXX. Quòd Ludovicus Regis Berengarii terrore juraverit, & reversus fuerit. XXXI. Quòd Adelbertus Tusciæ Provinciæ potens Marchio instinctu Bertæ uxoris suæ Beringarium deserit, & propter Ludovicum, ut veniat, mittit. XXXII. Ludovvicus ab Italiensibus suscipitur, & Veronam Beringarius fugit, à qua & expulsus à Ludovvico est. XXXIII. Ludovvicus Lucam proficiscitur, & decenter ab Adalberto suscipitur. XXXIV. Ludovvicus ob Adalberti potentiam tangitur invidiâ, ob quam ab ejus fidelitate Adalbertus separatur. XXXV. Descriptio Veronensis Civitatis, & fluminis Athesis, & Pontis super eum. XXXVI. De Ungaris, qui eo tempore Italiam laniabant. XXXVII. Quòd Ludovvicus Veronæ degens à Beringario, corruptis Civitatis custodibus, lumine privatur. XXXVIII. De Sarracenis de Fraxaneto, qui partem Italiæ vastabant, & usque Aquas pervenerant. XXXIX. De Africanis Sarracenis, qui Apuliam, Calabriam, Beneventum occupabant, & Garelianum montem pro munitione habebant. XL. Qua occasione Sarraceni ab Africa exierint. XLI. Quòd Domini hoc factum sit voluntate ob nostram correptionem. XLII. Quia Johannes Ravennas eo tempore Papa habebatur. XLIII. Qualiter per Theodoram meretricem Papa sit constitutus. XLIV. De quodam Africano, qui ad Papam venit, eique quomodo cum

cum Africanis pugnare posset concilium dedit. XLV. Quòd idem Africanus insidiis positis ceteros occidit. XLVI. De consilio Landolfi Beneventorum Principis. XLVII. De eo quòd Papa, Constantinopolim directis nuntiis, adjutorium ab Imperatore acceperat, & cum Pœnis pugnavit. XLVIII. Quòd omnes Pœni sint capti & interfecti, & quòd visi sint in bello Petrus & Paulus Apostoli gloriosi. XLIX. Adalbertus Tusciæ provinciæ moritur, cui filius VVido pro eo ponitur: mater verò ejus à Beringario capitur. L. Quòd suspicati homines Adelberto filios procreasse. LI. De eo quòd multi Principes simul cum Mediolanensi Episcopo Beringario rebellarent. LII. De Comite Palatii capto, atque Lamberto non opportune commendato. LIII. Quòd eumdem Beringarius requisierit, & cur eum habere non possit. LIV. De Rudolfo Rege Burgundionum, qui filiam Ducis Burchardi acceperat uxorem, & ab Italicis invitatur, ut ad eos veniat, & Rex illorum fiat. LV. Qua callidate Adalbertus Marchio Ungaros deluserit, & vili pretio ab eis redemtus fugerit. LVI. Qualiter Ungari Beringarii Regis amici Odericum occiderint. LVII. Adalbertum verò Regis generum, & Gisilbertum Comitem vivos caperent. LVIII. De Gisilberto capto, flagellato, & ante Regem ducto, atque ab eo misericorditer dimisso & honorato. LIX. De eodem, qui ob Rudolfum Regem abiit, & eum adduxit. LX. De pugna civili inter Beringarium & Rudolfum exorta. LXI. Quòd Rudolfus victoriam per Bonefacium cognatum suum obtinuit.
LXII. Rudolfus consensu Italiensium Burgundiam rediit. LXIII. De Veronensibus, qui Beringarium consiliati sunt occidere. LXIV. Prudens Beringarii Regis alloquutio ad Flambertum. LXV. Quòd Flamberti consilio Beringarius Rex sit interfectus. LXVI. De cipho aureo à Rege Flamberto tradito. LXVII. De Regis sanguine usque in præsens in lapide permanente. LXVIII. De Milone Milite, qui Regem Beringarium vindicavit, & post triduum ejus interfectores suspendit.

Expliciunt Capitula. Incipit Lib. II. Liutprandi.

Postquam Vitalis &c.

Ita argumenta Libri II. in Cæsareæ Bibliothecæ Codice CLXXVIII. Numeri tamen heic adnotati desumti fuere ab uno Codice CCCXXXVIII.

Pag.434. Col. A.	v.13. ejus filius Ludovicus	Suus ipsius filius Ludevvicus: *Ita in ambobus Codicibus*.
	v.17. lethi hujus fama fuit ipsis omni festivitate jucundior	lethi ejus dies eis fuit festivitate jocundior.
	v.33. collectio	multitudo.
	v.37. haud	hanc: *in ambobus Codicibus*.
	v.38. Hungarorum inscribitur	hujus inscribitur: *in ambobus Codicibus*.
Col. B.	v.19. belis idest telis	τηλοις: *utrobique*.
Pag.435. Col. B.	v.34. Orientali	Occidentali: *in ambobus MStis*.
	v.41. responsa suscipiunt	famam percipiunt: *utrobique*.
	v.44. cingitur	jungitur.
	v.55. consultis	consultius videtur: *in ambobus Codicibus*.
	v.57. revertamur quatenus	revertamur venturo quatenus: *utrobique*.
Pag.436. Col. A.	v.40. Veronenses campos	Veronenses latissimos campos: *in ambobus Codic.*
Pag.437. Col. A.	v.27. Henricus	Henrico
Col. B.	v. 3. exposcitur	hortatur: *ita utrobique*.
	v.17. condictum solus	condictum locum solus: *ita in utroque Codice*.
	v.31. is cuperet	hoc cuperem: *utrobique*.
Pag 438. Col. B.	v. 9. Meresburgo	Merseburch: *utrobique*.
	v.31. Κυρι	Kyrieleyson: *in ambobus MStis*.
Pag.439. Col. A.	v.29. nequaquam sui similis fuit	nequissimi moris fuit: *in utroque Codice*.
	v.53. Tuscorum præpotentissimum Marchionem	Tuscorum potentissimum Principem & Marchionem.
Pag.ead. Col. B.	v.26. Athesis	Addex: *utrobique*.
Pag.443. Col. A.	v.53. cogitationem omnem fixi	Cognitionem hujus Civitatis omnem fixi: *ita in ambobus Codicibus*.
Pag.444. Col. A.	v. 7. sanctifice	sanctissime: *in ambobus MStis*.
	v.16. Franconovord	FranKenfurt.
Col. B.	v. 4. *solis bos*	*solum nos urere*.
Pag.445. Col. B.	v.49. mandat, Regnum ut Rodulfo auferat	mandat, ut in Italiam veniat, Regnumque Rudolfo auferat.
Pag.446. Col. A.	v.26. Jactu	Ictu.
Col. B.	v.68. omnes non malo	omnes malo.
Pag.448. Col. A.	v. 1. parentes	faventes: *utrobique*.

v. 2. Lon-

v. 2. Logotheum	Longothetum : *in utroque Codice.*
v.62. Post verba illa, *quam porphyram superius nominatam appello* Codex Cæsareus CLXXVIII. clauditur, de quo hæc adnotavit antea Gentilottus: *Membraneus . . . . . quadringentos circiter ab hinc annos scriptus.*	

VARIANTES LECTIONES
HISTORIÆ
LIUTPRANDI.

Editio Rer. Italic. Tomi II.	*MStus Codex Histor. profan. num. 338.*
Pag.423. v. 1. Raimundo	Regemundo.
v. 6. lectionis	lectores.
v. 8. majores	decessores.
ibid. ut multo	quod multo.
v.10. eo ardentius	eo amplius.
v.11. facundi Tullii	faceti Tullii.
v.19. dum quid deliquerint	tum si quid deliquerunt.
v.22. illos dignis meritis extollit	illos dignos pro meritis extollit.
penult. per Salomonis quoque os	Per Salomonem quoque Sapientia.
ult. quotidie etiam	quotidie fieri etiam.
Pag.425. Col. A.	
v.14. subdatur	sumatur.
v.19. Fraxinetum	Fraxanetum.
v.26. tuam, Pater, prudentiam	te, Pater,
v.28. Abderahamenis	Abderahne.
v.32. hamis	curvitate.
ibid. acutissimis aculeis	acutissima tortitudine.
v.37. parva	parvula.
Col. B. v.13. gentes circumquaque	gentes clam circumquaque.
v.15. dirigunt	mittunt.
v.23. pars partem	pars parti.
v.33. excruciatque suum	excruciatque animum.
v.41. jam vicinæ	probant vicinæ.
Pag.426. Col. A.	
v.16. Christianus	Christianis.
v.24. clusas	clausuras.
v.30. Zuventebaldus	Centebaldus.
v.48. domum istam ædificari	τον οικον τουτον ædificare.
v.52. appellarentur	dicerentur.
v.60. Abbati	Igumeno.
v.62. Abbatem	τον ηγυμηνον.
v.64. Abbatem	τον ηγουμενον.
Col. B. v. 6. damnari sententia	subire sententiam.
v.54. memoria sua	memoria risuque.
Pag.427. Col. A.	
v.24. eum dimiserunt	eum protinus dimiserunt.
v.37. sane quamquam	sane raro quoque dum procedit à longe.
v.42. non æque vos te quidem	non æque vos σε εις την φυλακην και αυτον δε εις χρυσοτρικλινιον fortuna.
v.52. Quoniam te te tu neglexisti	quoniam te met tu neglexisti.
ibid. pro te ego despiciam	pro te ego respiciam mathesin Ακουσον inquit: Mars trigonus, Saturnus Venerem, Jupiter quadratus.
Col. B. v. 3. evivere	vivere.
v.11. Atropos solam	Atropos articulos jam in colum solam.
v.27. Præcepit δεσποτισα συ αγια	Præcepit δεσποινα συ Hauce, ut si vigiles.
v.27. petentem	percurrentem.
v.43. cæsum &c.	cæsum eis ostendens: Δωτε, inquit, mei nolite formidare.
v.48. cogitastis	voluistis.
v.58. palatio non	palatio noctu non.
antepen. quotidie non parvus	quotidianus non modicus.

Pag.428.	Col. A.			
		v. 3.	qui cum die	qui cum eodem more, die quadam.
		v. 7.	fecit	præbuit.
		v.18.	admirarentur	non mediocriter mirarentur.
		v.41.	fed omnino opportune	fed non opportune.
		v.46.	fingulorum	omnium noftrûm.
		v.47.	ftertentes	dormitare.
		v.61.	Ante hac te &c.	Ante hac te ουτε μαντιν ουτε ονιροπολον effe.
		v.67.	ut tamen	tu tamen.
	Col. B.	v.24.	quid mulieribus	quot mulieribus; *uti in alio Cod. MSto.*
		v.44.	affinitatis	affectionifque.
Pag.429.	Col. B.			
		v.44.	fub denfitate	fub celeritate.
		v.45.	Vervavolum	Venavola.
		antepenult.	quatenus argumentis	quatenus his argumentis.
Pag.430.	Col. A.			
		v. 4.	Bajoarii præripiens	freno Bavaricum equum percutiens.
		v. 7.	reddidit	dereliquit.
		v.64.	condere fceptris	credere criptis.
	Col. B.	v. 3.	His Heroes	His Heroi dictis animo accenfi.
Pag.431.	Col. B.			
		v.19.	Ipporegiam	Eboregiam.
		v.35.	pedunculos	pediculos.
Pag.434.	Col. A.			
		v.16.	Lethi &c.	lethi ejus dies eis fuit omni feftivitate jocundior.
		v.45.	fanguinem &c.	fanguinem pro ut αθεοι και ασεβεις &c.
	Col. B.	v.35.	Fulgura &c.	Fulgura crebra throno fummi demiffa tonantis.
			Cap. III. in nullo MStorum legitur.	
Pag.435.	Col. B.			
		v.ultim.	facinus &c.	facinus (ante hac enim neque nomen gentis hujus audierat) fatìs.
Pag.436.	Col. A.			
		v. 5.	venire	convenire.
		v.34.	infultabant	non aufcultabant.
		ultim.	juret Oreftes	juraret Oreftes.
	Col. B.	v. 7.	defperantes	defperati.
Pag.437.	Col. B.			
		v.25.	volens	domans.
		antepenult.	Henrici in Regni	Henricum Regem fucceflorem.
Pag.438.	Col. A.			
		v.19.	præcipit	condemnat.
		v.32.	fugit & hic victus	fuerat hic victus.
Pag.443.	Col. A.			
		v.23.	meum veftræ Regnum fidei	veftræ me Regnum Italicum fidei.
Pag.444.	Col. A.			
		v.10.	hoc uno Berengario fcilicet	τουτου τυρασβους.
		v.76.	Franconovord	Franconofurt.
	Col. B.	v.36.	quorum memoriam	quorum memoriam piæ recordationis affectu, qui eodem.
		v.40.	confummationem non	confummationem gladius non.
Pag.445.	Col. B.			
		v. 1.	Epifcopus	Archiepifcopus.
Pag.446.	Col. A.			
		v.35.	fed eum alio animo	fed malo animo eum.
Pag.447.	Col. A.			
		v. 1.	ut eorum	ut duo eorum: *utrobique.*
		v.38.	mane autem primo	ορθου δε βαθεως.
	Col. B.	v.13.	honore &c.	honore! οτι ως παντα τα πλογω fuis effent.
		v.35.	magnanimitate nobilem navalis exercitus	magnanimitate της πλονυς hoc eft navalis exercitus.
Pag.448.	Col. A.			
		v. 9.	& Romanus &c.	& Romanos mox Bafileos appellatur.
		v.63.	De æde autem facra	Ecclefiam autem ipfam νεαν, hoc eft novam.
	Col. B.	v.22.	erat dignitatis	dignitatis erat λευκωλενον την ελενην filiam fuam Imperiali dignitati copularat.
		v.30.	caligis	caligis περιφανεςατοι ηρωαις veftræ.
		v.67.	contra jus fafque	contra jus fafque fe & Χριςοφορον Primogenitum Domino.

Defınit heic Cæfareus membranaceus Codex CCCXXXVIII. fcriptus, ut videtur, Seculo Duodecimo: de quo doctiffimus Gentilottus hæc adnotaverat. Exemplum iftud dignum eft, ut cum Editionibus conferatur.

VERONÆ
RYTHMICA DESCRIPTIO
AB ANONYMO
CIRCITER ANNUM DCCXC. FACTA,

ET A VIRO CLARISSIMO

P. JOHANNE MABILLONIO

ANTEA EVULGATA,

Nunc autem ad majorem Italicæ Historiæ lucem Collectioni huic addita.

IN RYTHMICAM DESCRIPTIONEM VERONAE

MONITUM

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

SUpra in hoc eodem Tomo evulgavi antiquissimam descriptionem Urbis Mediolanensis, Rythmice, quantum ferebant Secula rudia & indocta, confectam, atque ex insigni MSto Codice Capituli Canonicorum Veronensium eductam. Subiit deinde animum alteram adjicere jam editam a celeberrimo Viro Johanne Mabillonio Benedictino Congregationis Sancti Mauri inter Vetera Analecta pag. 409. postremae editionis. Qualis foret ante annos nongentos & ultra Civitas Veronensis, quaeque ibi Sanctorum Reliquiae aut Corpora eo tempore colerentur, quive primi Episcopi illic fuerint, hinc habes. Circiter Annum DCCLX. floruit ibi Sanctus Hanno Episcopus, & multis rebus bene gestis illustris, quem heic praecipue laudat Rythmi auctor, ob translationem sacrorum Corporum Firmi & Rustici Martyrum, e Tergestina Civitate, sive *ex maris Insulis*, ut heic dicitur, delatorum Veronam. Hannonem fortasse novit Auctor; is enim haec literis consignabat, quum *Pippinus Rex* Veronæ habitaret. Pippinus autem Caroli M. filius, uti notum est, Anno DCCLXXXI. Rex Italiae constitutus a patre, post paucos annos sedem in Italia fixit, ita ut opinari possimus Rythmum scriptum circiter Annum DCCXC. Quum autem ex aliquo Veronensi Codice circiter Annum DCCCCLXX. Ratherius Episcopus ista descripserit, conjicere nunc fidentius possumus, alterum quoque Rythmum supra editum, descriptionem videlicet Mediolanensis Urbis eodem Seculo VIII. aut ab uno Auctore, aut saltem ab Auctore aequali prodiisse. Accipe nunc, quae Mabillonius in hoc antiquitatis fragmentum adnotavit.

ADNOTATIO.

HAnc Veronae descriptionem, quae rythmicis numeris inconcinne fabricata est, regnante apud Langobardos Pippino Caroli Magni filio, ex Italia retulit Ratherius Veronensis Episcopus, eamque in Laubiensi Autographo, ex quo eam erui, apponi curavit cum iconographia ejusdem Civitatis minio depicta. Ex hac vero descriptione discimus, quaenam antiquitus Veronae Templa fuerint, quive primi ejusdem Urbis Episcopi; quorum seriem penitus diversam texit Ughellus in Italiae sacrae Tomo V. primos Veronenses Episcopos recensens hoc ordine: I. Eupreprium: II. Criscinum: III. Agapium: IV. N. idest ignoti nominis: V. Saturninum: VI. Lucillum: VII. Diomidianum: VIII. Zenonem: IX. Proculum. Ubi vides Dimidrianum, qui Ughello Diomidianus, ordine VII. est, in hac descriptione secundus; & Proculus, qui heic quartus, Ughello IX. ac Gricinus heic septimus, Ughello Criscinus II. est Episcopus. Denique Ughellus plures numerat, quorum nomina in hoc Indice non comparent.

VE-

VERONÆ RYTHMICA DESCRIPTIO ANTIQUA.

MAgna & præclara pollet Urbs hæc in Italia, in partibus Venetiarum, ut docet Isidorus, quæ Verona vocitatur olim antiquitus.

Per quadrum est compaginata, murificata firmiter; quadraginta & octo Turres præfulgent per circuitum; ex quibus octo sunt excelsæ, quæ eminent omnibus.

Habet altum laberinthum, magnum, per circuitum, in qua nescius egressûs non valet egredi, nisi igne lucernæ vel à filo glomere.

Foro lato specioso sternuto lapidibus, ubi in quatuor cantus magnus instat forniceps; plateæ mirè sternutæ defectis lapidibus.

Fana tempora constructa ad Deorum nomina Lunis, Martis, & Minervis, Jovis, atque Veneris, Saturni, sive Solis, qui præfulget omnibus.

Et dicere lingua non valet hujus Urbis schemata. Intus nitet; foris candet circumsepta laminis, in ære pondos deauratos metalla communia.

Castro magno & excelso, & firma pugnacula pontes lapideos fundatos super flumen Adesis, quorum capita pertingunt in orbem ad oppidum.

Ecce quàm bene est fundata à malis hominibus, qui nesciebant Legem Dei, nova atque vetera simulacra venerabant, lignea, lapidea.

Sed postquam vênit ∴∴ plenitudo temporum, incarnavit Deitatem, nascendo ex Virgine, exinanivit semetipsum, asendit patibulum.

Inde depositus ad Plebem Judæorum pessimam, in monumento conlocatus, ibi mansit triduo, inde resurgens cum triumpho, sedit Patris dextera.

Gentilitas hoc dum cognovit, festinavit credere, quare ipse Deus Cœli terræ conditor, qui apparuit in Mundo per Mariæ uterum.

Ex qua stirpe processerunt Martyres, Apostoli, Confessores, & Doctores, & Vates Sanctissimi, qui concordaverunt Mundum ad Fidem Catholicam.

Sic factus adimpletus est sermo Daviticus, quòd Cœli clariter enarrant gloriam Altissimi à summo Cœlorum usque terræ terminum.

Primùm Verona prædicavit EUPREPUS Episcopus, secundus DIMIDRIANUS, tertius SIMPLICIUS, quartus PROCULUS Confessor, Pastor & egregius.

Quintus fuit SATURNINUS, & sextus LUCILIUS. Septimus fuit GRICINUS Doctor & Episcopus; octavus Pastor & Confessor ZENO Martyr inclytus.

Qui Veronam prædicando reduxit ad Baptismum, à malo spiritu sanavit Galli filiam, boves cum ∴∴ vergentem reduxit à pelago.

Et quidem multos liberavit ab hoste pestifero----- Non queo multa narrare hujus Sancti Opera, quæ à Syria veniendo usque in Italia, per ipsum Omnipotens Deus ostendit mirabilia.

O felicem te Verona ditata & inclita, qualis es circumvallata custodibus sanctissimis, qui te defendant & expugnent ab hoste nequissimo.

Ab Oriente habet primùm Martyrem Stephanum, Florentium, Vindemialem, & Maurum Episcopum, Mammam, Andronicum, & Probum, cum quadraginta Martyribus.

Deinde Petrum, & Paulum, Jacobum Apostolum, Præcursorem & Baptistam Johannem, & Martyrem Nazarium, unà cum Celso, Victore, Ambrosio.

Inclitos Martyres Christi Gervasium & Protasium, Faustinum atque Jovitam, Eupolum, Calocerum, Domini Matrem Mariam, Vitalem, Agricolam.

In partibus meridianis Firmum & Rusticum, qui olim in te susceperunt coronas martyrii, quorum Corpora ablata sunt in maris Insulis.

Quando complacuit Deo Regi invisibili, in te sunt facta renovata per HANNONEM Præsulem temporibus Principum Regum DESIDERII & ADELCHIS.

Qui diu moraverunt Sancti, non reversi sunt, quorum Corpora insimul condidit Episcopus aromata, & galbanen, stacten, & argoido, myrrha, gutta, & cassia, & thus lucidissimus.

Tumulum aureum coopertum circumdat præconibus, color stritus mulget lenius hominum, modò albus, modò niger inter duos purpureos.

Hæc, ut valuit, paravit HANNO Præsul inclitus, per cujus flamma claret de bonis operibus ab Austræ finibus terræ usque nostri terminus.

Ab Occidente custodit Syxtus, & Laurentius, Hippolytus, Apollenaris, duodecim Apostoli Domini, magnus Confessor Martinus sanctissimus.

Jam laudanda non est tibi Urbis in Auxonia, splendens, pollens, & redolens à Sanctorum Corpora, opulenta inter centum sola in Italia.

Nam te conlaudant Aquilegia, te conlaudant Mantua, Brixia, Papia, Roma, simul Ravenna, per te portus est undique in fines Ligoriæ.

Magnus habitat in REX PIPPINUS piissimus, non oblitus pietatem aut rectum judicium, qui bonis agens semper cunctis facit prospera.

Gloria canamus Deo Regi invisibili, qui talibus te adornavit floribus mysticis, in quantis & resplendes sicut Solis radiis

EMENDATIONES
PARALIPOMENON
ANONYMI SALERNITANI

DESUMTÆ

E VETUSTISSIMO CODICE

BIBLIOTHECÆ VATICANÆ.

IN EMENDATIONES ANONYMI SALERNITANI

MONITUM.

IN Praefatione ad Anonymi Salernitani Paralipomena, quae in hoc ipso Tomo pag. 171. occurrunt, dolebam ego, quod non satis expurgato Codice usus fuerim ad ea evulganda: multa enim offenderam sphalmata, quorum quidem partem sustulisse mihi videbar, reliqua amandaram ad eruditi & acuti Lectoris examen. Sed qui mihi Anonymum ipsum procurarat, Clarissimus videlicet Vir Nicolaus Carminius Falconius, in Praefatione mihi memoratus, multisque aliis nominibus mihi laudandus, idem praesto mihi fuit, antequam hic Tomus emergeret, ut Anonymum comtiorem, ac emendatiorem proferre possem. Is enim incredibili diligentia exemplar suum contulit cum antiquissimo Codice MSto Bibliothecae Vaticanae (inter Latinos num. 5001.) ex quo uno prodiere quotquot supersunt ejusdem Chronici exempla manu exarata. Hic ibi titulus legitur: *In Nomine Domini & Salvatoris nostri J. C. Incipit Liber quarumdam Historiarum diversarum guerrarum Regni Italiae*. Neque enim, uti haec editio habet, legendum est *Historiarum Dominorum diversorum &c.* Minutissime vero adnotavit doctissimus, & ad publicum bonum impiger Falconius, quaecumq; diffidebant ab exemplari suo, cunctaque ad me misit. Multa erant, quibus egomet ex conjectura emendationem antea adhibueram. Alia mihi visa sunt non ejus momenti, ut de illis monendus foret Lector, ac potissimum, quae Catalogum Imperatorum & Ducum respiciunt, Historiae huic praeposita. Reliqua igitur, quae aliquid gravius, minimeque praetermittendum continere deprehendi, quando maturius non licuit, in calcem hujus Tomi conjeci, ratus mei muneris esse, quantum possem, Chronici hujus integritatem curare, neque sinere, ut medicinam alii afferant, quam ex meis manibus accipere Respublica Literatorum potest. Et quidem pro sua antiquitate, rebusque vix aliunde exspectandis, dignum est Opusculum Salernitani, quod ejusmodi subsidio atque ornamento donetur.

EMEN-

EMENDATIONES PARALIPOMENON ANONYMI SALERNITANI

DESUMPTÆ E VETUSTISSIMO CODICE BIBLIOTHECÆ VATICANÆ.

Col. 171. A. reverentiam Principis continuò. *lege*: ob reverentiam Principis Apostolorum continuò.

Col. 172. A. opitulante Domino &c. *lege*: opitulante, ab oppressione ipsius civitatis eum amovit, & salutifera prædicans, Domino adjutore &c.

ibid. B. cum uxore & filia. *lege* cum uxore & filiis. *Ita & infra*.

Col. 173. A. quod inferiùs. *lege*: quem inferiùs declaramus.

ibid. B. huc Romam mitteret. *lege*: Romam ipse Francorum Rex mitteret.

ibid. C. ceterorum principalium. *lege*: ceterarum civitatum Populi, flentes.

Col. 174. A. probavit voluntatem. *lege*: propalavit voluntatem.

ibid. C. unà cum suis filiis. *lege*: unà cum sua conjuge, filiis.

Col. 175. B. Monachus degebat. *lege*: Monachicè degebat.

ibid. C. consilio inito. *lege*: consilio idem Papa cum denominato Rege Consilio inito.

Col. 176. B. introëuntes Clusas. *lege*: introëuntes Clusas, cuncta fossatuum Longobardorum post peractam cædem abstulerunt, spolia multa auferentes.

ibid. B. ejusdem audiens. *lege*: ejusdem Patris audiens & adimplens monitionem, sicque Deo dilectam pacem inientes, atque in scripto fœderis pactum affirmantes, inter Romanos.

Col. 177. A. itaque. *lege*: itaque in Romana Urbe Imperiales.

Col. 177. C. germanum. *lege*: germanum atque Christophorum consiliarios cum aliis.

Col. 179. C. talem. *lege*: clam legationem.

ibid. D. fuissent. *lege*: fuissent, diu toleravit.

Col. 180. A. perpetrasset. *lege*: perpetrasset, eum comprehendi jussit, atque in medium introduci; quumque perductus fuisset, taliter eum Rex alloquutus est verbis: *Dic mihi*, inquiens, *Diacone Paule, pro qua re bis terque inferre nostræ*.

ibid. A. jurgiis. *lege*: jurgiis, suis præcipiens militibus.

ibid. B. propter. *lege*: propter quondam.

ibid. C. Hiis dictis. *lege*: His dictis, Optimates ejus siluerunt, & ipsius præceptis obedire maluerunt, adnectentes, ut in Insulam quamdam missus in exilium illic.

ibid. D. de dicta. *lege*: de jam dicta Insula expulit.

ibidem. sui pectoris. *lege*: sui pectoris intimaret, illico non paucos è suis Proceribus cum equitibus in ejus misit occursum: Quumque honorificè Beneventum.

Col. 181. B. astare. *lege*: astare fecit, qui gerebant in manibus spreverios, & ceteros hujusmodi aves. Deinde juvenes astare fecit floridam ætatem habentes; & ipsi alii, accipitres, & hujusmodi manibu aucupes gerebant. Quidam enim ex his ad tabulam ludebant: id ipsum hinc inde, ut diximus, cavos spargentes astare fecit. Deinde senes undique &c.

Col. 181. C. *in aurea*. *lege*: in antea. *Et sic infra*.

ibid. D. canos cum. *lege*: cavos spargentes cum.

Col. 182. B. in terra mea. *lege*: in harba mea *pro* arva.

ibid. C. cooptabat. *lege*: coartabat.

ibid. E. inferens minas. *lege*: interminans, si occisurus foret, illum & domum suam igne esse cremandos.

Col. 183. A. unde . . . . *lege*: unde pœnitentiam sinè.

ibid. A. unà cum. *lege*: unà cum altero in dolo suum virum.

Col. 184. A. cunctis. *lege*: cunctis nescientibus Præsulem.

Col. 185. C. cujus vix. *lege*: ejus vix.

ibid. D. Quod Logos. *lege*: Quod Logos & Phisis moderansque.

ibidem. mitis in. *lege*: mentis in arce.

ibidem. gratiam. *lege*: gratæ.

Col. 186. A. Tu requiesque. *lege*: Tu re quiesque.

ibid. A. Campanus & Afer. *lege*: Campanus & Umber.

ibid. C. Egisiphum. *lege*: & Gisisum, Theoraldam, & Adelchisam.

Col. 187. C. occuparet. *lege*: exciperet.

ibid. E. Beneventanum. *lege*: Ducatum ad istius.

ibidem. quos audiebat. *lege*: quos affaverat suis.

Col. 188. A. Grimoald. *lege*: Grimoald, eum tali-

taliter est allocutus: *Dic mihi*, inquiens, *Grimoald: vis arva*.
ibidem. cumque Dominum. *lege*: eumque Beneventum.
Col. 189. C. inquirimus? *lege*: linquimus? qui per.
ibid. E. nos Patriam. *lege*: nos Petrariam.
Col. 190. B. inchoavit. *lege*: inchoaverunt.
ibid. C. *Urbs*, *situs*. *MStus habet* Ubscitus.
ibid. D. *magnificis*. *lege*: magnificus.
ex horum. *lege*: ex corum, *idest* quorum.
cras cedit. *lege*: transcendit.
annus. *lege*: annis.
prob ultimæ. MStus legit: penultimæ.
Col. 191. D. spirituale. *lege*: speciale.
Col. 192. B. tantum femoralia. *lege*: tantum quippe tegumentum femoralium per vim ab eodem abstulit, reliqua illi reliquid, addens hoc: *Non propter vires tuas, sed propter Dei Omnipotentis, ejusque Confessoris Benedicti, talia tibi committo*. Dum verò nudus veniret Monasterium, Fratres ocius ad eum cucurrerunt, atque percontari eum vehementer cœperunt de re, quæ acciderat. Ipse quippe quæ acciderant &c.
ibid. D. habere vellem. *lege*: haberem vellere tuo.
Col. 193. A. sermozinabat. *lege*: sermocinabatur de examine tantæ.
Col. 194. C. humilitatis. *lege*: humilitatis fecit simulque.
ibid. E. obscuriùs ibidem. *lege*: obscuriùs inveniret, in patulo proderet. Ipse verò obedienter omnimodo se se talia nimirum adimplere respondit, atque quidquid obscurius ibidem reperire.
Col. 195. A. prudentia. *lege*: prudentiis, quove tempore perdurasset.
Col. 196. A. At ille. *lege*: At ille nimirum concitè ad Stabulum properavit.
ibid. B. panderetur. *lege*: panderet, voce emisit magna.
ibid. C. extingueretur. *lege*: extinguerent.
ibid. D. adscito. *lege*: *ascito virum illum*.
ibidem. manibus. *lege*: manibus. Quod ille, ut domum rediit, à tergo manibus districtiùs ligari.
ibid. D. dum verò ligatos. *lege*: dum verò oculos ligatos.
Col. 197. A. affatim. *lege*: affatim efflagitabat Pontificem id ipsum & Optimates, forsitan ipsum Principem veniam ei tribueret, & nullo modo veniam impetrare apud eum valeret.
ibid. D. nominatum. *lege*: nominativè Castaldeus acclamavit.
Col. 198. A. mansit cum. *lege*: invasit eum magna mœstitia, & qui ante hilarior erat.
ibidem. nonnulli. *lege*: nonnulli nimirum ferunt, iniit fugam, atque post victoriam absconsum eum in quodam molino repererunt.

ibid. B. læti. *lege*: læti, obanterque (*idest* ovanter) manebant.
ibid. D. *tecum*. *lege*: *tecum nimirum venire jubeo, fiantque consocii vestri*.
Col. 199. A. Optimatibus. *lege*: Optimatibus ipse præsenti, quod de.
Col. 199. B. proscripti. *lege*: proselyti.
ibid. C. nempe omnia. *lege*: at illi nempe omnia inter se dispertiebantur.
ibidem. Siconolfus. *MStus legit semper*: SiKelolfus.
ibid. E. Cùm verò. *lege*: Quum verò Consanis fuisset cognitum.
ibidem. *cæsi*. *lege*: vi cervum tulerunt.
ibidem. *Consiam*. *lege*: *Consam*. *Ita alibi*.
Col. 200. A. *quæritis*? *lege*: *quæritis*? deferentes cervum cum canibus suis.
ibid. B. eo quòd. *lege*: *eo quòd famulis meis durissimè nimirum dorsum cæderunt*. Quum denique Radechis. *Ita & alibi* Radechis.
ibid. C. *quia vestram*. *lege*: *quia omnimodo vestram voluntatem adimplere valemus*. Et statim unum ex suis strenuissimum famulum Aggerentiam misit, quatenus finè.
Col. 201. A. paribus. *lege*: Proceribus.
ibidem. cum Beneventanorum: *lege*: eam Beneventanorum exercitus constrinxerunt. At Sico econtra de intus.
ibid. D. *erga suam fidem*. *lege*: *erga fidelem suum habeat*.
ibidem. Mox notum. *lege*: Mox notum fecit Siconi. Sico nempe ut talia.
Col. 202. B. *& ex meis stigmatibus*. *lege*: *ex meis stegmatibus erga me nullum*. Ita & alibi: stegmata.
ibid. C. ac Apostolo ..... *lege*: ac à Populo Terræ illius.
Col. 202. D. cui ille. *lege*: cui ille: *verè talia*.
ibidem. hàc illacque. *lege*: hàc illàc talia nimirum.
Col. 203. B. *injuriam facis*? *lege*: *yroniam facis? Quis talia cognosceret, & non irrideret mihi?*
ibid. C. garrulus. *lege*: gerulus erat & injusta consilia cognatis sæpissimè.
ibid. D. ipsius Palatii. *lege*: ipsius civitatis Palatii caudam turpiter cædi fecerunt.
ibid. E. nimirum Dauferii. *lege*: nimirum infans Dauferii nescientibus.
Col. 204. A. namque quosdam. *lege*: clam quemdam.
ibidem. Potelfrit. *lege*: Potelfrit, Rofritque ejus filios.
ibid. B. *sicque & per*. *lege*: *sicque eo per plateas*.
ibid. C. discurrebant. *MStus legit*: discumbebant, asciveruntque.
ibid. D. cum paucis. *lege*: non paucis plagis.
ibid. E. qui Teinvius. *lege*: qui Trinius (*il Trigno*.)
Col. 205. A. ut diximus, Storesaiz. *lege*: ut diximus, idem Grimoalt Storesai. Congregavit denique juvenes

nes floridam ætatem gerentes, quos noverat.
ibidem. & eum perduxerunt. *lege*: comprehenderunt eum, atque ante aspectum Grimoalt eum perduxerunt.
ibid. B. Samnitia. *lege*: sarcina.
Col. 206. B. Sanctæ. *lege*: Ecclesiæ Sanctæ.
Col. 206. C. sui stigmata. *lege*: sui istigamenta.
ibid. E. atque mira. *lege*: atque cum ira taliter prorupit in voce: *Ego jam nuper superavi falconem; restat mihi vulponem.*
ibidem. nomen *Julenda*. *lege*: nomen *Si-Kelenda*.
Col. 207. A. *Rademundo*. *lege*: *Radelmundo* nomine copulat: aliarum memoriam.
ibid. C. ordinibus. *lege*: orationibus.
ibid. E. caput suum. *lege*: atque verso retro capite suum peremtorem minimè vidit.
Col. 208. A. exitiali. *lege*: tertia die exitiali morte defunctus.
ibidem. atque eum obruere. *lege*: atque sub terra eum obruere.
ibidem. vel minæ. *lege*: vel minæ atque promissa supplicia.
ibid. D. Coronam. *lege*: Coronam in suo capite jam minimè posuit prædicens.
ibid. E. judicatæ. *lege*: viduatæ. Et qui antea omnes in unum inter se epulabant.
ibidem. Et quia dudum. *lege*: Et qui dudum in mercimonio.
Col. 209. A. autem eo. *lege*: autem quòd eo tempore Princeps in langorem, sive angorem decidens.
Col. 211. A. ire cucurrerunt. *lege*: nimirum cucurrerunt.
Col. 211. D. *de tali re*. *lege*: *de tali re minimè te coangustare*. Ab illa denique die, ut ferunt plurimi, minimè risit.
Col. 212. B. cernere. *lege*: cernendum properavit, & statim regressus est urbem. Dum portam ipsius civitatis.
ibid. D. marito. *lege*: marito, quatuor spectari.
Col. 213. D. ipsi viventes. *lege*: ipsi juvenes.
ibid. E. cunctatim. *lege*: cuneatim.
ibidem. denudatos. *lege*: denudatos dictus Princeps, ejusque fideles cernerent, sustinere jam omnimodo non valentes, consilium.
Col. 214. A. Episcopi. *lege*: Episcopus, Sancti Monachi.
ibid. B. *solum quod*. *lege*: *salvumque*: Salernitanam.
ibid. D. peragerent. *lege*: pergerent.
Col. 215. A. *neque ad quodcumque*. *lege*: *neque aliud quodcumque*.
ibid. B. te voluit. *lege*: te noluit.
ibidem. servando. *lege*: sæviendo.
ibidem. ad istud ..... *lege*: ad istud, vim incipite.
ibid. C. in illo ...... *lege*: in illo, mala.
ibid. D. qui provocavit. *lege*: qui te provocavit.

Col. 216. C. atque Silarim Lirinum. *lege*: atque Lirinum fluvium.
Col. 216. C. una ex suis ..... *lege*: una ex suis furis obriguit.
ibid. E. inruerent. *lege*: irruerunt, ut eos nimirum attererent. Illis.
Col. 217. A. transfactus. *lege*: transvectus.
ibid. C. quatuor corpora. *lege*: quatenus Corpora.
ibid. D. nativa. *lege*: natica (*ut puto* nautica.)
ibidem. furtumque. *lege*: furtimque.
ibid. E. *pudor*. *lege*: *pudor, mei ergo, fuit*.
Col. 218. D. Populus. *lege*: Populus; donisque plurimis.
Col. 219. C. *Abi, frater*. *lege*: *Mi frater*.
ibid. D. coturnicem. *MStus legit*: unam cruribus longibus avem captasset.
Col. 220. C. *in servitutem*. *lege*: *qui nos videlicet opprimet, filiasque*.
ibid. D. filiis clam. *lege*: filiis clam legationem Salernitanis.
ibidem. *Sichinolfum*. *lege*: *SiKenolfum captivum illinc accersamus*.
Col. 221. A. quasi Mauri. *lege*: quasi incerti.
ibidem. approximabant. *lege*: approximarent, ubi ipsi carcerarii degebant.
ibid. C. protulerunt. *lege*: protelarent.
ibidem. carcerariis portantes. *lege*: carcerarii putantes, ut sic & ii de vino.
ibidem. major ex iis. *lege*: madidique omnimodo, talia feruntur verba.
Col. 222. E. *minimè intramus*. *lege*: *minimè iniremus*.
ibidem. fuisset. *lege*: venisset & Princeps.
Col. 223. A. scilicet auribus. *lege*: sicuti auribus audierat, ut Radelchisi Princeps Beneventanis non parvam thesauri copiam Ecclesiæ Dei Genitricis Mariæ.
ibidem. efflagitaret. *lege*: efflagitaret, qualiter Salernum cum non paucis veniret. Hoc dum.
Col. 224. A. aliquando. *lege*: aliquantos scilicet.
ibidem. *Ferrarius noster? lege*: *Ferrarius vester?*
ibidem. *unum tondeat*. *lege*: *vestrum tondeat*.
ibid. B. qualiter jam. *lege*: qualiter eam.
ibid. C. Apollafar vidisset. *lege*: Apollafar stabat, idem transiret. Sed dum eum Apollafar vidisset.
ibid. D. *Per Dominum*. *lege*: *Per Deum Magnum*.
ibidem. attincto Guidone. *lege*: atque absconsè cum magna virtute super eum irruit, ejusque caleam forti ictu.
ibid. E. apprehensaque. *lege*: apprehensoque equi retinatu.
Col. 225. D. *ut quatuor*. *lege*: *quatenus Agarenos*.
ibidem. *colla vincemus*. *lege*: *colla trimcemus*.
Col. 226. B. *hic manemus*. *lege*: *nimirum morabimur; si*.
inter se. *lege*: *inter se alternatim spa-*

spatiosam.

ibid. D. *Quid nostris*. *lege*: *Quid mei viri*.

ibid. E. *Salernum*. *lege*: *Salernum*, *&* *Beneventum*, *Tarentum*.

ibid. *Misiniam*. *lege*: Misunianum, (*nunc* Bisignano).

Col. 227. A. *Furlile*. *lege*: *Furble*. (*idest* Furcæ, *aut* Furculæ, *le Forche Caudine*).

ibid. *ad Pellegrinos*. *lege*: *ad Peregrinos*.

ibid. *id ipsum*. *lege ad ipsum Stafilum*.

ibid. B. & exinde. *lege*: & exinde & inter se statuerunt.

ibid. C. nimirum. *lege*: nimirum reperivimus eum firmatum.

Col. 228. B. jure fecit. *lege*: curæ fuit, nec ulli sagaci relatione notum est.

ibid. C. ratione nostræ. *lege*: relatione nostræ.

ibid. D. procella cunctarum. *lege*: procella ventorum.

ibid. E. soldarent. *lege*: solidarent.

Col. 229. B. mutarentur. *lege*: mutaretur: locus ille, quo Malfitani degebant.

Col. 230. C. cum *Manno*. *lege*: cum *Mauro Comite*. *Et post* eumdem *Atrano* cum *Mauro Comite*: Sequitur *Lupinus Comes*, *&* *Johannes Comes*: Deinde *Mauro Comes* cum *Urso Comite*. Post eos *Urso Comes*.

ibidem. *Bonus & Johannes*. *lege*: *Bonus & Johannes Comites*. Post ipsos *Pantaleo & Pantaleo Comites*, deinde *Leo & Johannes Comites*. Post ipsos *Sergio & Johanne Comitibus*. Deinde *Marinus & Cunarius*, nec non & *Johannes*, *Comitibus*, & post ipsos *Urso* anno uno.

Col. 231. A. *Scit Dominus*. *lege*: *Scit Deus*, *mi Princeps*, *quòd non in dolo talia promui*, *sed pro affectu mei Domini*.

Col. 231. D. *Omnes mei*. *lege*: *Eja mei fideles*, *meique consanguinei pariter iniamus*.

Col. 232. A. Suæ conjugi hìc. *lege*; Suæ conjugi Vitæ non parum.

ibid. C. fines pergunt. *lege*: fines peragrant.

ibid. E. *Sico* ei. *lege*: *Sico* eis deterior erat, & nullum ei honorem exhibebant.

ibidem. ipsum Siconem. *lege*: ipsum puerum Siconem.

Col. 233. B. ut targâ. *lege*: ut virgâ, quam.

ibidem. altitudinis. *lege*: altitudinis nec non pulcritudinis.

ibid. D. nil ei adversùs. *lege*: nil ei adversi.

ibid. E. pro aliqua re. *lege*: qua re nescio Neapolim.

Col. 234. A. *Tamen scito*. *lege*: *Tantùm scito*, *quia ipsa fortior unum habet oculum glaucosum*: at ille: *ipsam opto*, *ut habeam uxorem*.

ibid. B. filiæ in occursum. *lege*: filiæ aptæ jam residebant.

ibidem. *Landeclajæ*. *lege*: *LandelaiKæ*, de qua jam supra diximus, nimirum dextram.

ibid. C. *Ademarius*, nescio. *lege*: Ademarius illo in tempore, nescio.

ibidem. Sed dum Montula. *lege*: Sed dum Moncula. (*ita semper* Moncula.)

ibidem. Dominum Ademarium. *lege*: Domnum Ademarium.

Col. 235. C. Catiana. *lege*: Latiniana ortus.

ibidem. tribunam. *lege*: Ciburia pulcrisque figuris.

Col. 236. C. delictis suffragium. *lege*: delictis, nec non & plebis sibi à Deo commissæ staret, & Dei, ejusque Genitricis suffragium.

Col. 237. C. Sed cùm Salerni. *lege*: Sed quum Salernum venisset, cum magna sublimitate eum susceperunt, & ad Episcopium illum.

ibid. E. parvulis tessellis. *lege*: parvulis crustis, aliàs tessellis tinctis in vario.

Col. 238. B. *Guimeltruda*. *lege*: *Gumeltruda*. (*ita & infra*.)

ibidem. illo tempore fuisset. *lege*: illo in tempore nimirum mortuus fuisset.

Col. 239. A. Item in Genesi. *lege*. Item in Regum Libro: *Et quare*.

Col. 240. A. Sed dum Guaiferium. *lege*: Sed dum Guaiferius in Principem sublimatus fuisset, statim illuc misit.

ibid. C. eam valere. *lege*: validè eam jam.

Col. 241. B. à loco in quo. *lege*: à loco in quo.

Col. 243. B. *Gregorium* nomine. *lege*: *Georgius* nomine.

Col. 244. B. appellatu mirandum. *lege*: appellamur, curandum. sed quod sumus, magnopere providendum.

Col. 246. B. non jam usurpante. *lege*: non usurpatione, ut.

ibidem. in Codicibus nostris. *lege*: in Codicibus tuis.

ibid. C. ambitione caret. *lege*: admiratione caret.

Col. 247. A. Isaurorum. *lege*: Histurorum.

ibid. E. faciat motum. *Codex habet*: faciat muctum.

ibidem. indiscriminatè. *Codex habet*: discriminata.

Col. 248. C. & alia innumerabilia. *lege*: & alia mirabilia.

ibid. D. duritia suscitare. *lege*: duritia Romani suscitare.

ibid. E. ad alia transmigrantes. *lege*: ad aliam Urbem, Sedem, Gentem, & Linguam per omnia trasmigrantes.

Col. 249. A. quidem amodo. *lege*: quodam modo.

ibid. D. quod *Riga* dicitur. *lege*: quod *Rux* dicitur.

ibid. E. eradere. *lege*: eradere, nam nihil Lingua Latina resonat, quàm quod Græcè dicitur Βασιλεύς.

Col. 250. B. non lentescere. *lege*: non lassescere.

Col. 253. A. projecerunt. *lege*: projecerint, & illustres ac Proceres Civitatis compedibus obligarint. Ergo.

ibid. C. quia per * situm. *lege*: (quia per siccum, *idest* per terram, nostrorum cunei Populorum in utrisque locis vix aut numquam deerunt) studeat.

Col.

Col. 254. A. adventantium Sarracenorum. *lege*: adventantium Agarenorum classium.

ibidem. desiderabili fraternitati. *lege*: desiderabilissimæ fraternitati.

ibid. D. duos alios sodales. *lege*: alios suos sodales, quorum nomina fuerunt, *Annosum*, & *Abdelbach*; & tota Apulia.

ibid. E. Ignis undique. *lege*: igne verò undique Palacium succenderunt, ubi.

Col. 255. C. diripiunt. *lege*: diripiunt, & inter se nimirum dispertiunt, ditatique.

Col. 256. A. verba depromit. *lege*: verba depromsit: Tantum incunctanter credat. Vocabatur Agareni illius.

ibid. B. & ferris & ferris. *lege*: & fortis, & feris denique munierunt.

ibid. C. cum XII. millibus. *lege*: cum LXII. millia pugnatorum.

Col. 257. B. suis irruentibus. *lege*: suis juvenibus.

ibid. C. sed Agareni. *lege*: sed Agarenis quotidie vires augebantur.

ibidem. in armis perambulassent. *lege*: inermes perambulassent.

ibid. E. pugnam soli. *lege*: jubar Solis tamdiu.

Col. 258. B. prostratæ. *lege*: prostrati, haud ab ipso Altario, quasi gubita tria, sectum.

ibid. C. minimè obstupescebant. *lege*: nimirum obstupescebant.

Col. 259. A. & caput galea. *lege*: & capite galea septus, & sex lanceas manu.

ibidem. aufugit & finè. *lege*: aufugit, amplexoque equi collo ad suos refugit, & finè.

ibid. B. premebant mandatum. *lege*: fremebant in tantum, ut.

ibid. D. & secus illum. *lege*: & eum secus ilium percussit.

ibid. E. & est ante eum. *lege*: & est ante ævum: Nam ipse dixit: *Ego occidam*. Protinus addidit: *& ego* vivere faciam. Delinquente suo Populo castigat, quia propter scelera tradidit suos injustis & indisciplinatis, quatenus.

Col. 260. C. qui parem cum. *MStus legit*: qui pacem cum Agarenis primitus habebat, *ut in Notis prædixeram*.

ibidem. ut solemniter. *lege*: ut solerter invigilent, & strenuè nimirum.

ibid. D. perficere. *lege*: perficere mallet, ut mos est, Gallis, ipsum cum suo exercitu in prædiis reperit, statim suum adventum misit denique intimando. At ille.

ibid. E. At ille Imperator. *lege*: At Imperator Clementissimus illico.

Col. 261. A. *injunxerunt? lege*: *immiserunt?* Cui.

ibid. E. *facio*, quia. *lege*: *facio, quia indolis ætatis es*. Erat namque ferè XII. ille annorum, & vocabatur Cuntart nomine, abnepofque erat.

(*Ita & infra* Cuntart.)

ibidem. Comitemque dedit. *lege*: Comitemque dedit quemdam Comitem *Suavius* nomine.

Col. 262. A. publica voce. *lege*: Prophetica voce ei.

ibid. B. fremitus æquoris. *lege*: fremitus equorum, stridorque Agarenorum aures innecteret, illico manus ad hos ducens, & dentibus abstringens, clangere.

ibid. C. illo tempore. *lege*: illo in tempore Suessulanis præerat, ociùs illis unà cum suis.

ibidem. ab Episcopo. *lege*: ab Episcopo Ajone, qui illo in tempore in sancta.

Col. 263. C. invenitque corpus. *lege*: invenitque sui nepotis prædicti faciem, totumque.

ibid. D. cunctatim adiissent. *lege*: cuneatim adiissent.

ibid. E. adjicientes etiam. *lege*: adjicientes: *Cœce quo pergis? forsasse pro Cæsar Cæsar illudendi causa CC.*

Col. 264. A. ad Augusti. *lege*: ad Augustæ solamen.

ibid. B. Receptis viribus. *lege*: Receptis iterum viribus Agareni Tarentum ceperunt.

ibid. C. & Adelbue. *lege*: & Abdelbac ante.

ibid. D. ut quolibet mirando. *lege*: ut quibus jurejurando dederat.

Col. 265. B. sermonem traham. *lege*: stilum traham, tempore quo Samnitibus Lodogvicus sæpe dictus præerat.

ibid. D. Cui Principalis. *lege*; Cui Philosophus Christi dixit: *Et quomodo scire potero quod auribus non hausi*, *dicente*.

Col. 266. C. statim eadem. *lege*: statim distinctius propria.

ibid. D. *Absque labore*: *In MSto est*. Item Angeli. *Absque labore &c. Ita & ante sequens Distichon*. Item Angeli. *Ante tertium Distichon: Dicunt*, *est*. Item Angeli. *In subsequentibus tum Angeli tum Ildericus alternatim versus hosce canunt*.

ibidem. *reptile belva*. *lege*: *reptile, nansque, volans*.

ibidem *Dicunt*: *dicamus*. *lege*: *Dicant: dicamus*.

ibidem *gratia cessit*. *lege*: *gratia, laus sit*.

ibid. E. *immortale ut*. *lege*: *immortale tu sine*.

Col. 267. A. *solus & sine*. *lege*: *solus sine tempore regnas*.

ibidem. *cœtibus Orbis*. *lege*: *cœtibus æthris*.

ibid. B. *fuere Redemtor*. *lege*: *tuere redemtos*.

Pestifer hos perimat &c.

ibid. D. Fuit autem sagax. *lege*: Fuit autem audax, & sagacissimus, nec non mitissimus, qui.

ibidem. & Guidaferius. *lege*: & Dauferius gener.

Col. 268. A. Cupiditate enim. *lege*: Cupiditate enim extorti filii *Pandonis Lan-*

Landenolfum & Atenolfum.

ibid. B. à quo aliquando. *lege*: à quo aliquandiu tutati sunt. Similiter *Pandonolfus* ad.

ibid. C. Landone filio. *lege*: Landone filio Landonolfi.

ibidem. fratribus dictis. *lege*: fratribus victis, volentes.

Col. 269. A. exulato fratre. *MStus legit*: eculato fratre: *fortassis*; exoculato fratre.

ibid. B. Sed non probum. *lege*: Sed Salernitani non probum.

ibid. E. & multi ex eis. *lege*: & multos ex eis peremerunt.

Col. 270. D. meus illic est. *lege*: meus illuc præest.

ibid. E. Erecipretus. *lege*: Ercempertus.

Col. 271. A. *Pandolfo*. *lege*: Pandonolfo.

ibid. B. Oriam. *lege*: Oëream (*nunc* Oira ad Hydruntum) urbem ad conjubendum accepit.

ibidem. cultoribus. *lege*: cultoribus, restibus, vepribus repleta.

Col. 271. D. liberatus est. *lege*: alienatus est.

ibidem. fines fortiter. *lege*: fines unà cum illis fortiter.

Col. 272. B. & tintinnabulum. *lege*: & tintinnabulum cujusque statuæ erat, & Sacerdotes.

ibid. B. Quæ gens rebellis. *lege*: Et quæ gens in rebellionem consurgere conabatur contra Romanum Imperium, statua.

Pag. 272. B. reportarent. *lege*: deportarent.

ibidem. reprimendum. *lege*: reprimendus. eamdem gentem dirigerent.

ibidem. ille jam fatus. *lege*: ille jam fatus Imperator Alexander.

ibid. D. animose. *lege*: Ayo cum Beneventanis, & Capuanis egrediens cum filiis Landonolfi Amalfitanis habentibus certamen iniit, & aliquamdiu pugnatus est juxta portam.

Pag. 273. A. attribueret. *in MSto legitur*: attriberet, & inter fratres discordiæ rixæ crevissimè seminabat, cùm se à fratribus delusum cerneret, successit Decivilis Gaëtani. (Decivilis *idest* Docibilis Cajetæ Dux.)

ibid. B. cum Græcis, *lege*: cum Græcis clam super Capuanos.

ibidem. egredientes Capuam. *lege*: egredientes Capuani Capuam restiterunt valde eis. Ob hoc & absque præda ad castra repedarunt. Dictus itaque vir pro ut.

ibid. C. consilio Guaiferii. *lege*: conscio Guaiferio.

ibidem. quidem hoc navatum. *lege*: quidem hoc narratum, in muro.

ibidem. sed per impuberes. *lege*: sed per quatuor impuves (*idest* impuberes) mirificè cessit ad laudem nominis sui. Confractis itaque viribus, quod concepit minimè cessavit. Nam &.

ibid. D. castrametatus. *lege*: castrametatos (ut retro.

ibidem. ex cibariis. *lege*: ex Liburia frumento.

Pag. 274. A. auxilio stipatus. *lege*: auxilio, stirpitus à foris.

ibid. B. Anno Domini DCCCLXXXIII. *lege*: Anno Domini DCCCLXXXIV. ab Angelario venerabili Abbate cœptum est reædificari de jusso, Anno Domini &c.

ibid. C. illi firmaretur. *lege*: illi firmarent.

ibidem. plura feram? *lege*: plura referam. Omnimodis.

ibidem. se auxiliaturum. *lege*: se illi auxiliaturum. Cùmque hoc à plurimis & maximè terque.

ibid. D. cùm omne tempus. *lege*: cùm sompni tempus advenisset Sabato per Epiphaniam.

ibidem. nepos ejus. *lege*: nepos eorum.

Pag. 275. B. cui tunc. *lege*: quo tunc præerat Landolfus Suessulanus. Mox autem ut illic supervenit.

ibid. C. cui nomen est Monte. *lege*: cui nomen est apud Montem.

ibidem. omnimodo resistebant. *lege*: illis omnimodis resistebant. Sed dum Castellum illud obsedissent, & acriter afflisissent, postremum penuriâ aquæ illum videlicet abdicassent, in tantum.

Pag. 276. A. Gualano. *lege*: Vallane illustri viro, dissolutum est cor eorum, qui in parte Landonis erant, & cœperunt illum relinquere, & Atenulfo associari. Tunc, licèt fictè, pacis oscula sibi mutuò fratres dederunt, quam in arca cordis minimè retinebant. *Reliqua vide apud* Erchempertum num. 68. Tom. 2. Rer. Italicar.

ibidem. citius. *lege*: cum suis properavit.

ibid. B. Capuâ. *lege*: Capuâ, confusi Neapolim.

ibidem. remeantem. *lege*: remeantem suscipiens, abscessit.

ibid. C. Landenolfum. *lege*: Landenosum, Pandoque, cum ceteris aliis germanis, qui.

ibid. D. pacem expetiit. *lege*: pacis expetiit fœdus, quod adeptus est.

ibid. E. propria adierunt. *lege*: propria abierunt. Salernitani verò cum magno tripudio.

Pag. 277. A. plures interfecit. *lege*: de hostibus plures interfecit.

In Parte Anonymi Salernitan. edita à Peregrinio Tom. II. Rer. Italic. pag. 291. C. per subjectionem Augustorum. *lege*: per suggestionem Augustorum.

In eodem Tomo II. pag. 292. C. fraude legatus ille. *lege*: fraudulentus ille.

In eodem Tom. pag. eadem lit. E. *sanguineo modo*. lege: *sanguineo nostro*.

In eodem Tom. pag. eadem Col. 2. B. omni sævitia. *lege*: omni segnitia, illico cum valido exercitu Salernum vênit, gaudium patriæ, suæque sorori, Yetæ nomine, nimirum dedit. Cùm verò à foris mœnia Guido jam dictus unà cum Principe devenirent, atque altrinsecus.

In eodem Tom. II. pag. eadem Col. 2. B. reven-

ventabat. *lege*: cruentabat, & minimè solitum de suo pede nimirum diffidebat.

In eodem Tom. & pag. C. Imperatoris. *lege*: Imperatoris Constantii Populo.

In eodem Tom. & pag. D. liberamus. *lege*: liberamur. His dictis, loricas unusquisque se induerunt, galeâque armisque se munierunt, & contra æmulos, qui videbantur alacri mente exierunt. At Guidonis exercitus omnimodo ad bellum sunt præparati; sed dum utræque acies.

In eodem Tom. II. pag. 293. Col. prim. B. in ipsum irruens. *lege*: id ipsum innuens, ut ab aspectibus illius se eriperet.

In eodem Tom. pag. eâdem C. Sol suas umbras. *lege*: Sol jubas suas attraxit, & opaca nimirum nox pervênit, unde omnes cœnâ factâ avidìter sumunt cum claritate. Dictus ille Adelferius hàc illac discurrebat, atque per se Principi ministrabat. Ille Princeps licèt fintè eum rogabat, ut particeps fieret convivii.

In eodem Tom. II. eâdem pag. D. thorum propriè. *lege*: thorum proprium.

In eodem Tom. ibid. juberunt. *lege*: jubentur.

In eodem Tom. II. eâdem pag. E. Dum vellet. *lege*: dum vellet illius amputare testiculos, uxor illius memorata Yeta super eum.

In eodem Tom. II. pag. eâdem. E. ubi separati. *lege*: ubi soporati sunt.

In eodem Tom. pag. eâd. col. 2. B. Racheltruda. *lege*: Dacheltruda.

In eodem Tom. II. ibid. non sufficeret. *lege*: non sufficeret mihi tribus diebus.

Parte II. Tom. II. pag. 279. A. quidam Rodolgrimus. *lege*: quidam Rodelgrimus proprios destrerios Principi satageret sociare.

ibid. B. Tamdem vincti. *lege*: tamdem justa Sirentum.

ibid. C. Sclavus Rodoal. *lege*: Sculdais Rodoalt.

In Tom. II. Rer. Italic. pag. 295. Col. prim. C. Yota uxore. *lege*: Yeta uxore.

In eodem Tom. Col. 2. eâd. pag. A. Proceres idem. *lege*: Proceres ideſt Principes.

Anonymi Salernitani Capitula varia tum in Tom. II. Rer. Italicar. pag. 295. Col. 2. & seqq. tum parte 2. Tom. II. sic coordinanda sunt.

Atenolfus de quo præmisimus &c.
Dum ipse jam dictus bellicosissimus &c.
Dum talia patrata fuissent &c.
Illo namque tempore &c.
Landolfus de quo supra &c.
Cùm verò Principi Gisulfo &c.
In ipsius temporibus &c.
Dum ipse Landolfus &c.
Per idem tempus &c.
Hac tempestate &c.
At verò Rex &c.
Sed dum hujusmodi &c.
Ipse Imperator &c.
Igitur dum Pandolfus &c.
Dum hæc patrata fuissent &c.
Princeps sæpe dictus Gisulfus &c.
Ille Patricius &c. *atque ita usque ad finem.*

Tom. II. Rer. Italicar. pag. 299. Col. 2. E. Graci cum hominibus. *lege*: Græci cum hominibus ipsius Civitatis.

Part. II. Tom. II. pag. 281. B. *datum est de nomine*. *lege*: *ductum est de nomine nomen*.

ibidem. nec....... capit. *lege*: nec mea verba capit.

ibid. D. Insidiis socium. *lege*: Insidiis sociûm opprimiturque, ruit.

ibidem. hac quæ locatur. *lege*: hac quoque datur humo.

ibidem. huic rogo. *lege*: huic, rogo, qui legitis, veniam.

Pag. 282. A. Æterni spatii. *lege*: Hanc etenim spacii cœpit.

ibidem. Christicola. *lege*: Christicola culpis pro hujus.

ibid. B. Pro magnis. *lege*: Pro magnis parva susurra.

ibidem. abdita corde. *lege*: abdita corde lege.

Hanc quia insontem lacerant, & quique supersunt.

ibid. C. heu viduata. *lege*: nunc viduata manet.

ibidem. sentibus &. *lege*: sentibus & dumis labefactaque tota.

ibidem. cùm suscipit, illi. *lege*: cùm suscipit illa.

Pag. 283. A. De instructore. *lege*: De instructore tibi blebei (ideſt *plebeji*) carminis hujus.

Commendo ut sursum &c.

F I N I S.

INDEX GENERALIS RERUM, ET NOMINUM,

Quæ continentur in hac altera parte Tomi Secundi

RERUM ITALICARUM.

Par-

B

C

Pa-

Da-

D

E

F

G

Gode-

Ac-

H

I

K

L

Lau-

M

N

O

P

R

S

Amal-

T

V

Z

FINIS.